


MONVMENTA
GERMANIAE
HISTORICA.

TOMVS XIIII.

14

MONVMENTA
GERMANIAE
HISTORICA

INDE AB ANNO CHRISTI QVINGENTESIMO
VSQVE AD ANNVM MILLESIMVM
ET QVINGENTESIMVM

AVSPICIIS
SOCIETATIS APERIENDIS FONTIBVS
RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI

EDIDIT
GEORGIVS HEINRICVS PERTZ
SERENISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSIL. REGIM. INT. BIBLIOTHECAE REGIAE PRAEFECTVS.

SCRIPTORVM
TOMVS XII.

HANNOVERAE
IMPENSIS BIBLIOPOLII AVLICI HAHNIANI
MDCCCLVI.



TOMO SCRIPTORUM DUODECIMO CONTINENTUR

INDICES LIBRORUM QUI TOMIS SCRIPTORUM DUODECIM PRIMIS HABENTUR.

I. INDEX CHRONOLOGICUS.

II. INDEX ALPHABETICUS.



Duodecimo Scriptorum tomo altera historiarum aevi Salici pars inde ab anno 1087 usque ad initia Chuonradi III regis sistitur. Quas inter Iocundus de translatione sancti Servatii, Widonis episcopi Ferrariensis liber de schismate Hildebrandi, Vita Wernheri episcopi Merseburgensis, Vita Theogeri episcopi Mettensis, et Vita genuina Norberti archiepiscopi Magdeburgensis prima vice typis prodeunt, reliquis omnibus subsidio librorum manuscriptorum, quotquot inveniri poterant, integritati restitutis. Absolutis igitur scriptoribus aevorum Karolingici, Saxonici, Salici, omnium qui primis

hisce duodecim tomis continentur librorum conspectum tum chronologico tum alphabetico ordine dispositum lectorum commodo provisuri adiecimus, et ita maiore operis parte superata, leviore iam humero scriptores Suevici aevi edendos adgredimur.

Dabam Berolini in Bibliotheca Regia die 30. Iulii 1856.

VITA ANSELMI EPISCOPI LUCENSIS
AUCTORE BARDONE PRESBYTERO.

EDIDIT ROGERUS WILMANS PH. D.
TABULARIO REGIO MONASTERIENSI PRAEFECTUS.

Inter partis pontificiae propugnatores, quorum opera et consilio Romana ecclesia Germanicum imperium conculcavit, Anselmus episcopus Lucensis haud ultimum sane obtinet locum. Cuius tamen initia non ea fuerunt, ut illum ferventissimum paparum fore fautorem suspicatus esses[1]. *Gregorius enim VII primo statim pontificatus anno valde dubiam de ipso sententiam tulit*[2], *paulloque post eum vehementer monuit, ut ab investitura episcopatus de manu regia se abstineret*[3]. *At frustra. Et quod magis mirandum, papa ipse proposito suo fidem non servare atque regi Heinrico IV in eo morem gerere coactus est, ut Anselmum tantum post investituram ex manu regia susceptam consecraret*[4]. *Sed commercium annis* 1073 *et* 1074 *inter ambos institutum, alta consilia summum pontificem agitantia quorum Anselmus factus est particeps*[5], *librorum denique canonicorum studium*[6], *tam repente Anselmi animum mutaverunt, ut* vitam suam perditissimae dampnationis[7] *existimaret, quod de manu regia annulum et baculum pastoralem susceperit, et poenitentia motus in Cluniacensium monasterium Padolironense prope Mantuam recederet. Invitus a summo pontifice revocatus, quidquid a rege acceperat, in papae manus refutavit, atque hoc modo peccatum commissum expiare sibi visus est. At Gregorius iniuria potestatem ea recipiendi quae non dederat tunc temporis sibi vindicavit.*

Inde ab hoc tempore pontificiae causae religiosissime deditus, papam tamquam summum exemplum veneratus nulla in re ab eius sententia discrepare voluit[8]. *Animi vero constantia et virtus tunc maxime emicuit, cum episcopi Heinriciani Gregorio VII deposito plerosque etiam Langobardorum episcoporum et principum suae partis adiutores nacti essent. Tunc Mathildis fere sola in Gregorii VII obedientia permansit, duce tamen et auspice Anselmo, cui ipsam papa ceu Christus Iohanni Mariam commendaverat*[9]. *Comitissam ad opem*

1) Vita S. Ans. Luc. infra c. 2. *A pueritia qualiter vixerit — — quia reticere inpraesentiarum satius aestimamus, praetermittimus.* 2) Epistola ad Beatricem et Mathildem die 22. Aprilis 1073 directa. Reg. I, 11. *De electo vero Lucensi non aliud vobis respondendum esse pervidimus, nisi quod in eo tantam divinarum litterarum scientiam et rationem discretionis esse percepimus, ut quae sit sinistra, quae dextera, ipse non ignoret. Quod si ad dexteram inclinaverit, valde gaudemus: sin vero, quod absit, ad sinistram, utique dolemus: sed nullius personae gratia vel favore impietati assensum dabimus.* 3) Reg. I, 21. 4) Vide quae notavimus infra ad c. 4. 5) Vita c. 3. 6) ib. c. 4. 7) ib. l. c. 8) ib. c. 31. addit auctor: *Illius semper meritis attribuit quidquid in ipso fuit;* cfr. c. 32. *Ille* (Gregorius) *caput totum corpus gubernabat, iste* (Anselmus) *quasi manus studiosa quod iniunctum est peragebat.* 9) infra c. 11.

10 *papali parti ferendam vehementer incitavit consiliisque tamquam paedagogus*[10] *duxit; vicarii apostolici munere fungens omnes Langobardiae ecclesias administravit*[11], *et Heinrico IV in Germaniam reverso, Gregorii VII sectatores in victoria ex caesarianis d.* 2. *Iuli* 1084 *prope Sorbariam referenda non parum adiuvit*[12].

Nec minorem fructum Romana ecclesia ex Anselmi scriptis politicis et canonicis percepit. Nam teste vitae auctore[13] Apolegeticum *librum* diversis ex sanctorum patrum voluminibus compilavit, quibus domini papae sententiam et universa eius facta atque praecepta canonicis defenderet rationibus et approbaret orthodoxis auctoritatibus *et* regi *Heinrico IV* commonitorium dictavit[14].
16 *Quae scripta Waddingus*[15] *in operis sancti Anselmi tripartiti a Canisio editi*[16] *libro secundo et tertio*[17] *servata esse contendit*[18]. *At perperam iudicasse mihi quidem videtur. Nam liber secundus Canisiani operis nihil prorsus est nisi disputatio in eos directa, qui dicerent* regali potestati ecclesiam et pontificum ordinationem subiacere[19], *minime vero eo consilio conscripta, ut omnia facta et praecepta Gregorii in ipsa defenderentur. Cuius nomen ibidem alto premitur silentio, uno loco excepto quo Romani concilii in Simoniacos decreta afferuntur*[20]. *Multo etiam minus* commonitorium *Heinrico IV transmissum in libro tertio reperiri licet, quippe quo Anselmus hoc unum evincere nisus sit, quod* ecclesiae facultates sub regia ditione minime manere debeant[21], *Heinrici vero regis nullam iniecerit mentionem. Statuamus igitur oportet, neque commonitorium Heinrici neque Apologeticum Gregorii ad nostra usque tempora pervenisse vel forsitan in bibliothecis adhuc latere*[22], *duos vero a Canisio divulgatos libros inter*
24 *scripta Anselmi canonica referendos esse*[23], *quorum complura edidit*[24]. — *Praeterea, ut auctor vitae tradit*[25], Wibertum scriptis salutaribus commonuit. *Ex quibus una epistola a Canisio edita*[26] *exstat, quae Anselmum iam antehac Wiberto, i. e. antipapae Clementi III, litteras direxisse atque hunc ipsi respondisse fidem facit, quae ambo scripta nunc deperdita sunt*[27]. *Una cum hoc libro contra Wibertum Trithemius etiam* plures epistolas ad diversos, librum unum *memorat, quae lucem adhuc non viderunt, si unam et gravissimam quidem excipis ad Wilhelmum I Angliae regem directam, quam Sudendorfius*[28] *ex codice*
30 *Hannoverano*[29] *iuris fecit publici*[30].

En fragmenta aliqua ex Anselmi scriptis desumpta:

10) ib. c. 30. 11) ib. c. 24. 12) c. 23. 13) c. 26. 14) c. 21. 15) Vita S. Anselmi ep. Luc. comment. illustr. Romae 1657 pag. 89 not. 78 et pag. 87 not. 69. 16) Ex bibliotheca ecclesiae cathedralis Ratisbonensis. Antiq. lectionn. VI, 202. nov. edit. III, 369. 17) ed. pr. VI, 213 et 235. nov. edit. III, 378 et 389. 18) Primus liber epistolam ad Wibertum exhibet, de qua infra agemus. Quod opus tripartitum est recusum a Waddingo pag. 95—140. 19) apud Wadd. p. 107 et 128. Can. VI. p. 213 et 234. 20) apud Wadd. pag. 120 cap. 28. Can. VI, 226. 21) apud Wadd. p. 128. 129. Can. VI. p. 234. 235. 22) Waddingus l. c. p. 89 not. 78 de Apologetico agens haec infert: *utrobique* (in editione Canisiana et in tomo XI Biblioth. veter. Patrum) *tamen initium discrepat ab illo quod Possevinus assignat.* At in Apparatu sacro Possevini 1608 fol. I. p. 86 tale quid minime invenitur. 23) Nescio utrum Sigeberti verba chron. SS. VI. anno 1086. *Anselmus Lucensis episcopus — — — moritur, qui — — — doctrinam Hildebrandi libro luculento confirmavit* Apologeticum an libros illos canonicos respiciant. 24) Anselmi collectio canonum libris 13 comprehensa penes Mabillonium erat (Acta SS. O. S. B. VI, 2. p. 471) descripta ex codice Vaticano, quem a. 1853 inspexit Bethmannus noster. 25) cap. 21. 26) lectt. antiq. VI, 202. novae edit. III, 369. 27) Epistola ea, qua Wiberto Anselmus replicat etiam Ekkehardo SS. VI. p. 204 nota fuit. Quod Waddingus p. 95 iam diu de chronico Urspergensi probavit. 28) Berengarius oder eine Sammlung ihn betreffender Briefe. Hamburg 1850 pag. 237. 29) Bibl. Scrin. VII. Nr. 2. chart. saec. XVI. fol. cf. Arch. I, 468. qui codex quinque collectiones epistolarum comprehendit, quarum tertia hanc Anselmi epistolam primo exhibet loco. Haec tertia collectio ex antiquo codice Wesaliensi transscripta esse videtur, ut nota epistolae 110 addita docet: *ex antiquo libro epistolarum reperto Wesaliae apud predicatores.* 30) Anselmi opera theologica edidit Waddingus p. 143—230.

EX EPISTOLA ANSELMI AD WIBERTUM.

Proprium est bonarum mentium ibi metuere culpam ubi non est, reproborum vero se praeferendo alios de fatuis sensibus, alios de indignis meritis reprehendere. Redargui despiciunt, dum se redarguentibus sapientiores suspicantur: ea quae intelligunt, aliis libenter dicunt, ut plus illis tam subtilia et tam utilia et aliis ignota videantur scire. Cum habent intelligentiam, non se ipsos sed semper alia, ut plus videantur scire, scrutantur, nec scrutantur sua facta, sed aliena investigant. Sed iusto omnipotentis Dei iudicio agitur, ut quia non habuerunt timorem Dei, et non proposuerunt Deum ante conspectum suum, et in lege eius noluerunt ambulare, divitias quas devoraverunt, evomant, et de ventre eorum extrahat eas Dominus. Et sicut dicit apostolus, quia non probaverunt Deum habere in notitia: *Tradidit* Rom. 1, 28. *illos Deus in reprobum sensum.* Spiritus enim sanctus disciplinae effugit fictum, et aufert se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu. *Super quem*, inquit, *requiescam, nisi super humilem et mansuetum, et trementem verba mea?* Et alibi: *Cum simplicibus sermocinatio mea.* Prov. 3, 32. Quo recedente, veternosus serpens tantum virus insipienti obscuratoque cordi infundit, et ita totum veneno mortiferae deceptionis mancipatum sive servum inebriat, ut amarum dulce, et dulce amarum sapiat, ut tenebras lucem, et lucem tenebras credat, bonum denique malum, et malum bonum asserat: sicque fit, ut ex duobus convenientibus immundis spiritibus plenitudo superbiae firmata daemoniacis humanisque contagiis desertam vacantemque domum, omnium vitiorum comitatu stipata circa finem mundi occupet, occupatam possideat, possessam prostituat, ut minor iam videatur in capite et quasi per incrementa temporum in aetate perfecta profecisse. Diabolus enim dixit: *Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero* Esai. 14, 4. *similis Altissimo.* De patre vero vel socio tuo dicit apostolus: *Qui extolletur supra omne quod* 2 Thes. 2, 4 *dicitur aut quod colitur Deus.*

Audi itaque, sceleratissime omnium, qui sic mihi iam nominandus es, eo quod latrare non timuisti contra Dominum et magistrum tuum: cognosce quae propria sunt. Scripsi tibi pauca cum multo dolore et syncerae charitatis affectu, ut cognoscens errorem tuum redires ad cor, et poenitentiam ageres delictorum tuorum. Sed quia verba tua iniquitas et dolus, et noluisti intelligere ut bene ageres, audi interea, quae Dominus contra te per prophetam clamat: *Haec dicit dominus Deus* etc. Ezech 5, 5.

Noli itaque dicere, *quia universalis ecclesiae curam suscepimus.* Quomodo enim tibi commissa est ecclesia, quem constat non intrasse per ostium, quod Christus est, sed aliunde ascendisse ut furem? Apostolica enim et universalis ecclesia suum habebat pastorem. Ut enim de beato Gregorio patre nostro dicam, quae de Cornelio scripsit Cyprianus: *Factus est episcopus* etc.

Haec sunt iudicia Dei, quae proiecistis, et praecepta in quibus ambulare noluistis, omnium gentium iniquitatem supergressi, cum in infernum viventes descendistis. Omnes itaque gentes in comparatione vestri sceleris iustificatas credimus, quia post donum acceptum sancti Spiritus, virtutesque superventuri seculi non solum sicut Deum glorificare noluistis, sed contra praecepta eius leges iniquas statuentes, omnem vobis aditum veniae interclusistis, nisi ad unitatem matris ecclesiae unde praecisi estis redeatis, quae sola ius ligandi et solvendi possidet. Dominus namque dicit: *Gratis accepistis, gratis date. Qui non intrat per* Matth. 10, 8. Ioh. 10, 1 *ostium, non est pastor ovium. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelo.* Matth. 16, 19.

Rex autem tuus sine intermissione vendit episcopatus suos, edicta proponens, ut nullus habeatur episcopus, qui a clero electus, vel a populo fuerit expetitus, nisi praecesserit honor regius, quasi ipse sit huius ostii ostiarius, de quo veritas dicit: *Huic ostiarius aperit.* Ioh. 10, 3.

Tu vero aliunde ascendisti, et non vocatus a Deo accessisti, noli usurpare tibi tanti curam regiminis. Sicut enim iam dictum est, si Gregorius in ecclesia fuit, qui apud te etiam constitit, et iudex a nullo condemnari potuit, manifestum est te ab ecclesiae radice praecisum aruisse, nihilque habere potestatis ac iuris. Sicut enim beatus Cyprianus dicit, scribens Magno presbytero: *Ecclesia una est* etc.

His et aliis innumeris salutaribus praeceptis admoniti detestamur non sacramenta ecclesiae, sicut tu mentiris, sed schismaticos et sacrilegos quorum parricidalibus manibus sese sacramenta divina subtraxerunt, et cum catholica matre nostra ecclesia persequar inimicos eius, nec convertar donec deficiant. Sanctum quippe suum quod foris habetis, quod malo

vestro accepistis, quia bono odore peristis, veneratur ecclesia, sed vos persequitur, ut Sara ancillam, quae tamen de semine Abrahae concepit et peperit. Intellige itaque quomodo persequatur adhuc ancillam domina, ut docearis quae sit persecutio beata, et scias quomodo nec pro iustitia christianis iurgandum sit, cum competenter exponi tibi permiseris, ut addatur Luc 14, 23. adversus catholicos, et non redarguas Christum qui dicit: *Compellite intrare*, et alia multa, quae in consequentibus posita audies.

Dicit beatus Augustinus adversus Donatistas: *Si ecclesia ipsa est* etc.

Quibus diligenter perspectis, scies nos veritatem docere, non pseudopraedicationibus dedocere, et te pro superbia in reprobum traditum sensum, sancto patri nostro crimen imposuisse, et dicta sanctorum patrum, quae in epistola tua posuisti, non intellexisse.

Haec et his similia praedicamus, et cum multo dolore cordis ab his necessitatibus nostris eripi laboramus, et ad dominum Deum nostrum de ista tribulatione clamamus, ut vos humiliter sub manu sua, diesque nostros in sua pace disponat. Cum multo siquidem dolore secat pius medicus, ni secaret, moriturum, cum multis lacrymis ligat pater filium freneticum. Dans denique gloriam nomini Domini laetatur iustus cum videt vindictam, sed tamen animum eius semper cruciat pereuntium multa.

Verum quidem est quia nec pro iustitia ferrea arma corripi concessum est, sed propter se, quantum ad iustitiae perfectionem, quantum spectat ad domus Dei decorem. Nec hoc 1 Cor 6, 1. quidem laudat apostolus, quod contentiones sint inter sanctos, sed tamen dixit: *Contemptibiles qui sunt inter vos, constituite ad iudicandum*, et cum omnes vellet esse sicut se ipsum, concedit tandem, ut propter incontinentiam unusquisque habeat suam uxorem, et ut vir uxori, et uxor viro debitum reddat.

Matth. 5, 34. 37 Cum veritas ipsa in euangelio praemisisset: *Nolite iurare omnino, et sit sermo vester, est, non,* subdidit tamen dicens: *Quod amplius est, a malo est.* Non enim dixit: *malum est*, sed: *a malo;* ac si dixerit: *Si iurare necesse fuerit, et malo incredulitatis aliorum compulsi, iurate, non sine causa, non propria voluntate.* Hinc est quod Moyses pro temperamento Exod 21, 24. vindictae *oculum* inquit *pro oculo, dentem pro dente*, ut clementiore hac via eriperet occidendi facultatem.

Utinam non esset colluctatio catholicis adversus carnem et sanguinem, ut quieti viverent, et tantae perfectionis essent, ut omnes palmam martyrii desiderarent, et non essent quos vindicare minister Dei vindex in iram ei, qui male ageret, haberet, qui non sine causa gladium portat. Nos vero in nullius sanguine miscuimus, nec protegente Deo miscebimus, nec de perditione morientium exultamus. Vindicare propriam iniuriam omnes prohibemus, Rom. 12, 19 ut illum spectent iudicem qui pollicetur dicens: *Mihi vindictam, ego retribuam*: Defendere pupillum et viduam armis, etiam carnalibus, tueri sanctam ecclesiam, non eos, qui in causa sunt, sed nisi pro communi republica sub quorum regimine sunt universalis ecclesiae cupimus. Pecuniam eorum et terram non cupiscimus, sed ut thesaurizent impiorum divitiae iustis, et spolia impiorum tollant iusti, ea tamen intentione ut eos lucrari possint, et non solum quae illorum sunt, sed omnia etiam sua in charitate distribuant, summopere satagimus et desideramus.

Non itaque adversum nos clamat sanguis Saxonum, sed contra vos cum universo mundo, qui sceleris vestri tabe inhorruit. Clamat coelum, clamat terra, clamat omnis ecclesia iustorum, et quae adhuc peregrinatur, et quae iam cum Christo regnat, clamat Christus, clamat Pater pro sponsa Filii sui, clamat Spiritus sanctus qui quotidie postulat pro ea gemitibus inennarabilibus. Vos siquidem ecclesiam laniatis et scinditis, qui partem vestram ab eius unitate praecidistis, eamque crudelius gladio schismatis quam idolatriae scelere in frusta concidistis, ut iam non cum granis palea, sed praecisa a vite in ignem proiiciantur sarmenta. Vos enim ecclesiae catholicae, quam invasistis per totum regnum, quod quia intus cecidit, foris diu stare non poterit, membra distrahitis, et in servitutem redacta quasi vile mancipium in vestrum dominium redigitis, et divini iuris libertatem vestro obsequio mancipatis, dicentes, omnia imperatoris iuri esse subiecta, episcopatus, abbatias, Matth. 16, 18. Cant 2, 14. Ioh. 21, 18. Heb 5, 4. omnes omnino Dei ecclesias, cum Dominus dicat: *Ecclesiam meam, columbam meam, oves meas.* Paulus dicit: *Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatus est a Deo tanquam Aaron;* in parte tua quis praeficitur, nisi quem aut gratia exhausto fenore, vel munus a manu, vel munus a lingua, vel munus ab obsequio attraxerit? Quis moribus, quis honestate, quis vitae integritate eligitur? Persequendi sunt itaque lupi, vitandi sunt universi qui ad hoc, ut hae-

retici fiant, promoventur, qui lepram Giezi cum divitiis suis possident, et mala quaesita mercede, non tam patrimonium facultatum quam thesaurum criminum congregarunt.

Quia itaque nec gratis datis, nec gratis accepistis, et a mandatis Domini declinantes, maledicti estis, et quia non obeditis apostolicis praeceptis, formidamus commisceri vobis. Dicit namque beatus Ambrosius: *Si qua est ecclesia*, etc.

Quod autem dicis, *qui universalis ecclesiae curam suscipimus licet inviti*, numquid vita comite ad tam immane facinus pertrahi debuisti, ut temerares thorum matris tuae et patris tui? Et si violentiam sustinuisti, cur saltem iam adulter non resipiscis?

Quod autem obsecras per Iesum, ne nobilissimam feminarum amplius circumveniam, deludam, et fallam, Deum testem invoco, nihil terrenum, nihilque carnale in ea vel ab ea ex intentione concupisco, et sine intermissione oro ut ab hoc seculo nequam cito eripi merear, nimio affectus taedio, quia incolatum meum prolongari video, serviens die ac nocte in custodiendo illam Deo meo, et sanctae matri meae ecclesiae, cuius praecepto mihi commissa est, et spero quod multa mihi retributio per gratiam Dei in eius custodia excrescat, quae non in vanum sua dispergit, sed indeficientem in coelo thesaurizat sibi thesaurum quem tinea non demolitur, ubi fures non effodiunt nec furantur, parata pro defensione iustitiae non solum terrena omnia distribuere, sed usque ad sanguinem pro vestra confusione et reverentia ad sanctae ecclesiae gloriam et exaltationem certare, donec tradat Dominus inimicum suum in manu feminae.

Tu vero memento unde excideris, et age poenitentiam, si forte remittat tibi Dominus, ut nos reddita pace ecclesiae voti nostri mereamur fieri compotes. Depone cidarim, aufer coronam et indue lugubribus vestibus, tanto humilior et abiectior omnibus effectus, quanto prae omnibus differentius superbiae extulisti cornu. Dic regi tuo ut cognoscat, aliis omnibus generationibus inauditum facinus suum, qui duos iam adulteros matri suae ingessit, et calamitates totius orbis, illam praecipue, de qua superius diximus, tecum defleat, quae novo sceleri nova iusto Dei iudicio successit. Veni ad dolentem et pro te gementem matrem ecclesiam, ut ipsa pro te offerat sacrificium acceptum Domino. Sola enim est per quam sacrificium libenter Dominus accipit, sola quae pro errantibus fiducialiter intercedit, extra quam quicunque inventus fuerit, peribit regnante diluvio, extra quam quicunque agnum comederit, profanus est, de cuius carnibus lex efferri foras prohibet. In multis quidem estis Exod 12,46.
secum, sed in hoc nolite gaudere. Illud potius timete quod in eodem psalmo sequitur: Psal 54,21
Contaminaverunt testamentum eius. Sicut non profuit Pilato et Herodi vinctus et flagellatus Christus, sic ad impietatem et perditionem vestram magis officiunt sacramenta eius.

Cum fiducia veni ad pinguedinem matris ecclesiae, a cuius utero errasti, ut coalescas ei. Potens enim est Deus iterum te inserere, cui nihil est impossibile, et certe gaudebit in te, irruetque super collum tuum, et prima stola induet, immolabitque vitulum saginatum pro filio prodigo. Omnipotens Deus qui vult neminem perire, qui supra maternum amorem diligit peccatores, illuminet cor tuum gratiae suae splendore et reducat ad viam salutis, ut cognoscas quae sit voluntas eius beneplacens et perfecta.

EX ANSELMI LIBRO CONTRA EOS QUI DICUNT REGALI POTESTATI CHRISTI ECCLESIAM SUBIACERE.

Opitulante domini Dei nostri clementia, qui nos et sermones nostros suo mirabili nutu regit atque disponit, accingimur respondere his qui dicunt regali potestati Christi ecclesiam subiacere, ut ei pro suo libito vel prece, vel pretio vel gratis liceat pastores imponere, eiusque possessiones vel in sua, vel in cuius libuerit iura transferre. Et ne diutius exordium protrahamus, in primis dicendum videtur, quomodo certum est, quod beatissimus Petrus apostolus, primus ecclesiae pontifex, prius patriarchalibus sedibus orientis, postmodum vero primos misit pontifices civitatibus occidentis. Ipsi enim haec ordinatio maxime competebat, cui principaliter Christus Dei filius coelestis regni clavibus traditis suas oves pascere iusserat, et pro cuius fide ne deficeret specialiter oraverat, cuique fratres suos in eadem fide confirmare praeceperat.

Sed et reliquos apostolos, quos reliqui mundi partibus novimus praedicasse, singulis urbibus illarum partium, quibus quisque verbum Dei praedicavit, itidem pastores non dubitamus misisse. Et quomodo Spiritu sancto docente cognoverunt seculi principes ad fidem venturos, et succedentibus temporibus stimulante avaritia quosdam eorum Dei ecclesiam

suae ditioni velle subiicere, suaque auctoritate et libitu pastores eidem subrogare, inter reliquos canones, quos pro religionis cautela et ecclesiastica disciplina statuerunt, eorum pravis conatibus hac constitutione obviaverunt, quae ita se habet: *Si quis episcopus secularibus potestatibus usus, ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur et segregetur, omnesque qui illi communicant.*

Hanc autem constitutionem, quae eorum scribitur, si quis authenticam non esse contendet, sanctae septimae universalis synodi 350 patrum, nec non et Antiochenae synodi, quibus authentica esse docetur, eversor, ac per hoc haereticus iudicabitur: nam et Calistus et Gregorius et quidam alii Romani pontifices, ut curioso lectori notum est, eorundem apostolicorum canonum auctoritate suas constitutiones firmaverunt; Stephanus vero quartus et Iohannes septimus, ut ait Anastasius in prologo septimae synodi, quinquaginta capitula eorundem canonum in plenissimum auctoritatis robur recipi censuerunt.

Porro eisdem apostolis decedentibus, ecclesiae ubique terrarum consuetudinem ab eis traditam inviolabiliter servaverunt, ut decedente cuiuslibet ecclesiae pontifice, clerus et populus eiusdem communi deliberatione de suo vel alterius ecclesiae clero sibi pastorem praeficerent. Et haec tam sancta tamque Deo grata consuetudo tamdiu integra illibataque permansit, quousque fidelium multitudo Dei ecclesias amplissimis possessionibus ditare coepit. Tunc enim ambitionis spiritu interveniente, alii suarum, alii etiam aliarum ecclesiarum coeperunt episcopatus ambire, et nefandi Simonis commercio suis fautoribus etiam quam non habebant pecuniam promittere. Quod videntes Deo dignissimi Romani pontifices, qui sacerdotii primatum in toto orbe tenebant, scilicet Bonifacius, Celestinus, Leo, Gelasius, Symmachus, Hormisda, Gregorius, alii, Simoniacam haeresin prius a Petro damnatam ex tunc et in aeternum damnaverunt, alii priscam consuetudinem decretalibus constitutionibus ita firmaverunt, ut statuerent nullum ex alia ecclesia alii ecclesiae praeponi, nisi forte qui suae digne praeficeretur ecclesiae in eadem, quod ipsi vix posse contingere crediderunt, nullatenus posset inveniri.

Hanc itaque quam praedixi consuetudinem ab apostolis traditam nullatenus violare praesumpserunt christianissimi imperatores Constantinus, Constans, Valentinianus, Theodosius, Archadius, Honorius, Carolus, Ludovicus et his imperio et religione consimiles, qui vel a se vel ab aliis aedificatas ecclesias amplissimis donis ditaverunt, et in clero et rebus ecclesiarum nullum sibi dominium vel iudicium vendicare voluerunt, imo ne quis sibi vendicaret, quidam eorum, ut in sequentibus docebimus, legibus vetuerunt.

At contra Zenon et Anastasius imperatores Eutychianistae, hi leguntur prius sanctam Dei ecclesiam sibi subdidisse, ita ut catholicos episcopos in exilio relegarent, et apostolica traditione postposita sibi consentaneos in eorum sedibus videlicet subrogarent.

Ecce qui primum apostolicam traditionem de pontificali promotione ausi sunt violare, ecce quibus primum autoribus seculi principes suos pontifices nituntur Dei ecclesiae promovere. Et ut coepta persequamur, secuti sunt horum exempla haereticorum quidam Graecorum imperatores, regni sui urbibus suos episcopos imponentes. Romanae vero urbi Deo praestante meritis apostolorum qui in ea vivunt et praesident, in hoc pepercerunt, decretum tamen electionis futuri pontificis a clero et senatu subscriptum prius, quam idem consecraretur, sibi mitti statuerunt. Quod cum legatur eisdem imperatoribus saepe directum fuisse, nusquam tamen legitur eosdem Romanorum electionem mutasse. Hoc autem quia Deo contrarium erat, ut ecclesia pontifice careret, usque dum qui decretum ferebat iret et rediret, penitus respuerunt sequentes imperatores pietate religioneque praestantes. Sic
1 enim legitur in Romano pontificali[1]: *Benedictus*[2] *enim natione Romanus suscepit iussiones clementissimi principis Constantini ad venerabilem clerum et populum Romanae civitatis, per quas concessit, ut qui electus fuerit pontifex, e vestigio consecretur absque tarditate.*

Itaque qui advertit alios Graecorum imperatores ante consecrationem decretum sibi mitti voluisse, attendat eosdem Romanam electionem numquam reprobasse, attendat etiam posteros eorundem, quia hoc contrarium Deo erat, penitus respuisse. Itaque percurramus sanctorum patrum decreta quae de pontificum promotione statuerunt, ut sciamus quid iuris imperatoribus suorum vel quorumlibet temporum in eisdem servaverunt.

Decursis itaque tot sanctorum patrum autoritatibus, Latinorum scilicet et Graecorum, patet nihil iuris imperatoriae potestati in pontificum electione seu promotione ab eisdem attributum esse, imo ne qua laicalis potestas sibi quidquam in his vendicet, a quibusdam

1) apud Vignolium I, 293. 2) secundus, ann. 683—685.

eorum sub anathemate, hoc est separatione a Deo, inhibitum fuisse. Et certe sub praefatis Romanis pontificibus leguntur extitisse potentissimi imperatores, non solum orienti, sed etiam occidenti imperantes, scilicet Valentinianus et Theodosius iuniores, Martianus, Mauritius et Phocas. Et cum praefatae universales synodi, id est prima et septima, a tot patribus agerentur Niceae, christianissimi imperatores Constantinus magnus et item Constantinus et Hirene mater eius affuisse leguntur; sed et Basilio magno imperatore magno petente et praesente legitur octava synodus item universalis Constantinopoli celebrata fuisse. Itaque cum prima earum censeret non habendum quemquam episcopum sine concilio metropolitani, septima vero trium sacrorum ordinum electionem a principibus prohiberet fieri, octava vero sub anathemate interdiceret pontificum electionem laicali potestati, numquid qui praesentes aderant imperatores questi sunt hoc ad sui contemptum fieri, ut nihil de pontificum electione eorum quidem referretur potestati? Imo potius leguntur sanctorum patrum constitutiones amplexati fuisse, easque quidam eorum post quinque patriarcharum subscriptiones suis quoque subscriptionibus roborasse. Item, cum contingeret praefatos Romanorum pontifices de pontificum electione decernere, contigit suorum temporum imperatores hoc ad sui imperii iniuriam fieri questos fuisse? Non equidem.

Sunt autem quidam eorum contra quos scribimus, qui putant se quiddam magni in sui defensionem adinvenisse, cum introducunt Gregorium et Ambrosium a seculi principibus ad pontificatum promotos fuisse. Quod quia frivolum, quiaque falsum sit, evidenti iudicio clarebit, collatis eorum electionibus cum cap. 8. synodi, quod supra scripsimus. Nam quamvis multorum annorum interstitio a se distent, tamen ita sibi concordare videntur, ut et synodus et eorum electio vel promotio uno eodemque Dei spiritu acta fuisse probentur. Sic enim in gestis eorum describitur vel scriptum habetur: *Gregorium*[1] *licet totis viribus renitentem clerus senatusque et populus Romanus sibi concorditer pontificem sibi delegerunt. At ille cum decretum generalitatis evadere nequivit, consensurum se tandem aliquando simulavit, et imperatori Mauritio, cuius filium ex lavacro sancto susceperat, latenter litteras destinavit, adiurans, ne unquam assensum populis praeberet, ut se huius honoris gloria sublimarent. Sed praefectus urbis, Germanus nomine, eius nuntium anticipavit, comprehensumque ac diruptis epistolis, consensum quem populus fecerat imperatori direxit. At ille gratias agens Deo pro amicitia diaconi, eo quod locum deferendi ei honoris ut cupierat reperisset, ipsum ordinari praecepit.*

Item in gestis Ambrosii: *Cum populus magis magisque acclamaret: „Peccatum tuum super nos.“ Cumque ille videret suam intentionem nihil posse proficere, fugam paravit, egressusque noctis medio civitatem cum Ticinum se pergere putaret, mane ad portam civitatis Mediolanensis quae dicitur Romana, invenitur. Cumque inventus custodiretur a populo missa relatione ad imperatorem clementissimum Valentinianum, qui hoc summo gaudio accepit, quod iudices ad se directi ad sacerdotium peterentur.*

Ecce ex his et praefato capite patentissime colligitur, iuxta priscam consuetudinem praefatos pontifices electos fuisse; sed quia nullatenus promoveri patiebantur, cum in alterius electione praefectus vice Romanorum, Mauritii, in alterius vero populus Valentiniani legitur auxilium expetisse, patet profecto iuxta cap. 8. synodi, ecclesiam seculares potestates in sui adiutorium invitasse, easque non imperio sed obedientia tunc usas fuisse. Quod quidem non videtur nobis fieri non licere, si contingat dignum quemlibet consensum in sui promotionem non praebere, regalem vero potestatem contingat in eadem dioecesi adesse, ut Valentinianus tunc in Mediolanensi legitur affuisse. Vt autem quaeratur extra dioecesim, cum longo interstitio possit abesse, absurdissimum est, cum sanctissimorum patrum legibus statutum sit ne intra tres menses viduatam relinquant ecclesiam a pontifice.

Quod vero in historia tripartita legitur Valentinianus imperator dixisse Ambrosio: *Deus tibi commisit animas, ego corpora*, quam pessime cohaereat praecedentibus, qui legit intelligat. Valde enim contrarium videtur, et hoc eum dixisse, et ut a se pontifex eligeretur, quod ibidem praemissum est, nullatenus consensisse. Hoc autem nihil nobis adversatur, cum beatus Gregorius eandem historiam mendosam et a Romana ecclesia repudiatam affirmet.

Sunt item qui obiiciunt, Nicolaum iuniorem decreto synodi constituisse[2], ut obeunte apostolico pontifice successor eligeretur, et electio eius regi notificaretur, facta vero electione et, ut praedictum est, regi notificata, ita demum pontifex consecraretur. Quod si

1) Cf. Jaffé Regg. p. 92. 2) anno 1059, die 13. April.

admittendum est, ut ratione factum dicatur, obiicimus ad hoc confutandum, praefatum regem et optimates eius se ea constitutione indignos fecisse, primum quia postea praefatum Nicolaum Coloniensem archiepiscopum pro suis excessibus corripuisse graviter tulerunt, eumque huius gratia quantum in se erat a papatu deposuerunt, et nomen eiusdem in canone consecrationis nominari vetuerunt, ideoque decretum eius de iure irritum esse debebit, quia cum a toto orbe papa haberetur iuxta eorundem sententiam eisdem papa non fuit, quasi non ex Dei sed eorum tantum penderet voluntate, quempiam quemlibet esse vel non esse; Romanus enim pontifex, ut sapientes norunt, non modo deponi, sed etiam nullo Christiano iure a quolibet potest iudicari. Deinde quia, cum in eodem decreto cautum esset, ut Romae pontificis electio a Romano clero et populo ageretur et postea regi notificaretur, ipsi praefatum decretum violantes elegerunt quod eis non licebat, prius Cadalaum Parmensem, postea Wicbertum Ravennatem, induentes eos apostolicis insignibus, vocantes apostolicos apostatas, antichristi praecessores. Praeterea autem praefatus Wicbertus aut sui ut suae parti favorem asscriberent, quaedam in eodem decreto addendo, quaedam mutando, ita illud reddiderunt a se dissidens, ut aut pauca aut nulla exemplaria sibi concordantia valeant inveniri. Quale autem decretum est, quod a se ita discrepare videtur, ut quid in eo potissimum credi debeat, ignoretur?[1]

Sed ut tandem invincibili gladio feriamus, praefatus Nicolaus unus scilicet patriarcha, cum quolibet episcoporum concilio, non potuit abrumpere, imo nec mutare, non obviantia fidei, praefata decreta sanctorum quinque patriarcharum, scilicet Romani, Alexandrini, Antiocheni, Ierosolymitani, Constantinopolitani, et ut ex numero praefatis synodis apposito colligi potest, sanctorum Patrum numero 250 et eo amplius, tot quidem leguntur praefatas constitutiones suis temporibus statuisse, in quibus non inveniuntur quidquam regiae potestati in pontificum electione seu promotione concessisse, imo ut praedictum est, considentibus cum eis christianissimis imperatoribus et non contradicentibus, leguntur sub perpetuo anathemate vetuisse. Quodsi hoc vendicandum est ex Graecorum imperatorum consuetudine, vel ex Ambrosiana vel ex Gregoriana electione, constat, ut praemissum est, eosdem ipsos hoc veluti Deo adversum respuisse, eorundem vero pontificum electionem et promotionem 8. synodo quamvis praepostere concordasse.

Et quamvis decretum de quo agimus a praefatis ecclesiae legibus penitus enervetur, videamus tamen adhuc quid de eo iterum ecclesiae et seculi leges censeant, ut penitus evacuetur. Ex synodo papae Hilarii cap. 4. *Illud quod quisque* etc.

Ex Romanis legibus: *Id tantum de sacra responsione substantiam mutuetur, quod legum auxilia prosequuntur.* Item: *Generale praeceptum beneficio speciali anteferendum est.* Et item: *Contra ius rescripta non valeant, quocunque modo fuerint impetrata. Quod enim publica iura praescribunt, magis sequi iudices debent.* Et infra: *Personalia rescripta quae cum iure concordant, valeant more veterum, et negotii de quo loquitur nostra rescriptio finis latae sententiae terminis censeatur. Speciale autem si quid legibus ac iuri importat iniuriam, abolitum extirpetur.* Item: *Illa sacra uniuscuiusque supplicantis desiderio concessa praevaleant, et effectui mancipentur, quae cum iuris et legum ratione concordant: Ea vero quae surreptione vel falsis precibus forsitan impetrantur, nullum supplicantibus ferant remedium.*

His itaque decursis patet praefatum decretum nullius momenti esse, nec unquam aliquid iurium habuisse. Et haec dicens non praeiudico beatae memoriae papae Nicolao, nec quidquam eius honori derogo patrum sententias Dei spiritu conditas sequendo. Homo quippe fuit, eique ut contra fas ageret surripi potuit. Nec mirum hoc eidem contigisse, cum quidam ipsius decessor inveniatur quiddam decrevisse, et meliori usus consilio postea immutasse. Siquidem Bonifacius secundus legitur ex decreto constituisse, Vigilium diaconum sibi in pontificatu succedere. Quod quia Romano clero visum et canonibus adversari, praesente clero ab eodem subpositum est igni, ante confessionem beati Petri apostoli. Et certe praefatus Nicolaus divino metu concussus hoc idem fecisset, si tot patrum sententias tunc in unum collectas vidisset, easque suo decreto tam concorditer adversari perpendisset.

Beatus quoque Augustinus librum retractationum composuit in correctionem eorum quae prius incaute descripsit, et ut idem quisque sapiens faciat, his verbis commonefacit: ait enim in prooemio eiusdem libri: *Neque enim quisquam nisi impudens, ideoque mea errata reprehendendo me reprehendere audebit. Sed et si dicit, non debuisse ea a me dici, quae postea*

1) Similem disceptationem de Nicolai II constitutione a Petro Damiani conscriptam invenis apud Mansi XIX. p. 1002.

mihi etiam displicerent, verum dicit, et mecum facit; eorum quippe reprehensor est, quorum et ego sum: sed sicut volet quisque accipiat hoc quod facio, me tamen apostolicam sententiam etiam 1 Cor 11,31. *in hac re oportet intueri, quae dicit: „Si nos ipsos iudicaremus, a Domino non iudicaremur.“*

Excommunicatio autem quae in praefato decreto terribiliter profertur a Wicberto aut a suis fautoribus, indita creditur, quoniam in antiquioribus eiusdem decreti exemplaribus longe aliter habetur. Et haec quidem veniet super eos, qui eam ibidem in sui favorem indiderunt, et super eos, qui eam timendam esse dicere praesumunt: super illos quidem, ut incidant in foveam quam foderunt, et ut apprehendat eos captio quam occultaverunt: super hos autem, quoniam illic trepidaverunt timore ubi non esset timor, quoniam Dominus in generatione iusta est. Nam si in generatione iusta est, in praefatis patribus fuit, et per eos locutus est, ideoque illorum maledictio sicut Dei pavenda est. De maledictione vero illorum qui eorundem patrum decretis non obediunt, dicit idem Dominus per prophetam: *Benedicam maledictionibus vestris.* Et item: *Maledicent illi et tu benedices.* Et Salomon: Malach 2,2 Ps 108,28. *Sicut avis in contrarium volans, et passer quolibet vadens: sic maledictum frustra prolatum* Prov 26,2. *super eum veniet qui misit illud.* Hoc contra decretum cuius se Wicbertus autoritate defendit, ut doceat se esse quod non est, nec unquam esse poterit.

De numero vero annorum quibus haec damnabilis consuetudo permansisse dicitur, ut seculi potestas pro suo libitu pontifices promoveat, iure causari non potest. Nam de diversis consuetudinibus illa potissimum sequenda est, quae cum originem sumeret, catholicos patres suorum priorum patrum vestigia sectantes autores habuit, sicut patres septimae et octavae synodi secuti sunt statuta sanctorum patrum Romanorum pontificum, et illi consuetudinem ab apostolorum temporibus per omnes ecclesias observatam: ea vero perversitas, quae a seculi principibus superinducta est, non praeiudicat eidem sanctae consuetudini quantalibet temporum obtinuerit curricula. Alioqui dominus Deus noster culpandus est, qui filios Israel longissima consuetudine sub servitute detentos, tum sub Pharaone, tum sub Cyro vel Dario liberavit, et humanum genus sub diaboli servitute longa consuetudine detentum post quinque mille annorum curricula propria morte redemit. Praeterea cum veteris et novi testamenti legibus adulterium inhibitum sit, si qui reges adulterium commiserint, nunquid eorum auctoritate posteri reges adulterari sibi licitum putabunt? Absit.

Et quidem certum est regum contra leges commissa nullatenus sequenda esse, leges vero ab eisdem calcatas in suo statu manere debere. Hinc est quod sancti Dei martyres et Romani pontifices in suis statutis inseruerunt dicentes: *Non licet imperatori* etc.

Talis tantusque causae hierarchicae defensor, quem Gregorius VII moriens primo loco dignum iudicaverat qui sibi succederet[31], *diem cum obiisset supremum, non potuit fieri quin causam, quam vivens tuitus esset, iustam, caesarianorum vero a Deo damnatam esse, etiam post mortem miraculis declararet. Qua de re duo praestantissima exstant testimonia, unum Bernoldi s. anno* 1086[32]: Beatus Anselmus Lucensis episcopus ipso eodem suae depositionis anno innumerabilibus coepit miraculis coruscare, qui post obitum venerabilis papae Gregorii VII fideles sancti Petri contra tyrannidem Heinrici adhuc in carne vivens multum excitavit; sed multo plus post obitum suum miraculis coruscans eosdem contra eundem persistere confortavit. Unde et pars Heinrici de die in diem coepit deficere; *alterum Domnizonis*[33]

Artus Anselmi condivit Mantua terris,
De quo quod gliscit, monstrasti, Christe, Mathildi.
Nam virtute tua fecit miracula plura;
Servulus iste tuus de sanctis extitit unus,
Catholicae parti fuit inditium probitatis,
Schismaticae parti signum quasi debilitatis.

Eandem plane in sententiam etiam vitae auctor[34] *loquitur atque Gregorianae parti ex intimo corde de miraculis a b. Anselmo patratis gratulatur cap.* 33.

31) Hugo Flav. SS. VIII. p. 466. 32) SS. V, 445. 33) lib. II. c. 3. apud Tengnag. 195. 34) Qui iam vivo Anselmo consilium vitam ipsius scribendi iniisse (cfr. cap. 27. *vidi, inquam, quod et tacitus*

Anselmus — perfecto odio partem odiens excommunicatorum — miraculis approbat quod sermone docebat. Omnes ergo, qui in unitate catholica praeceptis domni papae Gregorii hactenus obedistis, gaudete et exultate; atque his qui retrorsum abierunt et vestigia veritatis dereliquerunt, ut factis modo cre-
35 dant, dicite, quod verbis olim noluere[35].

Sancti Anselmi vitam et miracula iubente comitissa Mathilde conscripta esse, tradit Domnizo qui ita pergit:

Inde triumphando gaudet comitissa precando,
Huius enim patris precibus putat auxiliari.
Cumque daret tumba sancti miracula multa,
Proderet ut multis post nos per secla futuris,
Iustitiae cultrix ea partim fingere iussit,
Quae simul et vitam capellani sibi dictant:

Dubitare quis posset, utrum Domnizo eandem atque nostram vitam innuat, cum
36 *eam Anselmi presbyter poenitentiarius B.*[36] *non vero Mathildis capellanus*[37] *conscripserit. Attamen non omnia miracula vitae subiuncta uni B. debentur. Praeter enim duo miracula ab anonymo quodam cap.* 54 *relata, B. ipse, ut mihi quidem videtur, duas epistolas Ubaldi episcopi Mantuani et relationem quandam Ugonis presbyteri operi suo subiunxit*[38]*. Ex quibus omnibus sollicitum Mathildis studium, ut statim post Anselmi mortem eiusdem miracula litteris mandarentur, elucet*[39]*. Omne denique scrupulum a Domnizone evellitur, qui aperte ex nostra vita aliqua mutuatus est*[40].

Presbyterum B. qui hanc vitam, ut ipse testatur, conscripsit eundem esse atque Bardonem primicerium ecclesiae sancti Martini Lucensis post Florenti-
43 *nium*[41] *Waddingus*[42] *et Mabillonius*[43] *coniecerunt. Cui sententiae contradixit*

notavi et cap. 41. *Nam et id quoque tunc notavimus*) atque iam eum viventem inter sanctos retulisse videtur. Re enim vera c. 34. miracula ab Anselmo vivo facta enarrat et c. 32. declarat, potestatem miracula faciendi ipsi Gregorium VII per mitram transmissam concessisse. 35) Quomodo haec intelligenda sint, plura miracula c. 52. 60. 63. 66. 84. declarant, in quibus Anselmi derisores et adversarii ubique confutantur. Prae caeteris vero miraculum c. 72. narratum notatu dignum est. Ex quo scilicet compertum habemus, pontificiae partis sectatores miraculo hoc per Anselmi vestimenta patrato, quod a Deo expetierant *ad confutandam et superandam Petri haeretici et invasoris Lucanae ecclesiae nequitiam* uti voluisse, ut hunc Heinrico IV addictum episcopum ex urbe fugarent. Quae tamen spes tunc eos fefellit. Iure igitur Waltrammus Nuenburg. episcopus in libro de unitate ecclesiae conservanda II. c. 13 (ap. Goldst. Apol. p. 108). dixit: *Unde ne vel miraculis quidem reproborum seducamur, quae non fiunt ex caritate, sed per elationem.* 36) V. c. 51. *Haec de — patrono nostro sancto Anselmo perpauca quidem sed vestris piis desideriis proficientia ego B. peccator presbyter suus in poenitentia — explicavi devotus.* 37) Capellani Mathildis, quorum nomina in eiusdem chartis inveni, sunt Rabaldus (a. 1109. Fior. Mem. della gran contessa Matilda p. 229 et 230), Arditio et Ubaldus (a. 1115. ib. p. 263. 264). 38) Ad unum eundemque librum horum diversorum auctorum narrationes concinnatas esse, probant verba quae cap. 68. in Ugonis relatione occurrunt *unius miraculum superius est praenotatum*, quae ad opus B. presbyteri c. 49 referenda sunt. 39) In vita ipsa c. 35: *ut ipsa* (Matilda) *nobis consueverat referre;* cfr. cap. 50; in miraculis vero adnexis: Ubaldus Matildae c. 53: *Immenso desiderio vestro desideratam scribimus laetitiam;* ib. in fine: *et multa alia* (miracula) *quae pro multitudine invenire non potuimus; quae si invenerimus, vobis scribemus;* c. 55: *Miraculorum quaedam vel oblivioni tradita, vel antea incognita, nunc vero comperta notitiae vestrae praesentare cupio;* c. 58: *desiderio vestro desideranter notificio.* In Ugonis relatione, quam iubente Ubaldo conscripsit (v. c. 65.) similia de Matilde inveniuntur c. 69 et 79. 40) II. cap. 2. pag. 192.

Gregorius praesul Romanus, ut egit Iesus
In cruce qui moriens dat discipulis genitricem,
Commisit dominam sic Anselmo comitissam

ex vita c. 12; ib.

Consilii magni vir hic Angelus his fuit annis

ex cap. 30. vitae: *providus consilii Angelus.* Praeter Domnizonem etiam Paul. Bernried. ap. Mabill. Saec. VI, 2. p. 454 c. 111. vitam nostram c. 31 et 32 in partes vocavit. 41) Vide notam Mansii ad calcem secundae editionis p. 123. *Questa vita di S. Anselmo scritta da B. suo penitenziero è stata dopo la morte del Signor Fiorentini divolgata dal P. Vaddingo — — Nel codice stampato (?) del Fiorentini, di cui io mi servo, trovo scritto a mano il nome a disteso di questo penitenziero, che chiamasi ivi Bardo.* Florentinius, ni fallor, codice B 1. usus est. 42) pag. 54. 43) Saec. VI, 2. p. 471.

Poggius[44] *atque auctorem non Luca oriundum fuisse suspicatus est. Quod quidem loco iam a Waddingo*[45] *allato refutatur, quo auctor clare se Lucensis ecclesiae fuisse sodalem indicat*[46]. *At non desunt alia et graviora quidem argumenta, quae communem sententiam confirmant. Quorum prius capite* 23 *subministratur, quo auctor se anno* 1084 *circa mensem Iulium ab Anselmo ad Mathildis asseclas missum fuisse tradit. Episcopum igitur hoc tempore exulem comitabatur. Quam in rem egregie quadrare videtur charta Rolandi cuiusdam die* 12. *Octobris* 1084 *prope Pesciam maiorem in Tuscia interventu Bardonis exulis data*[47]. *Huc accedit aliud non minoris vis argumentum. Quod enim auctor c.* 50 *tradit:* in obsidione cuiusdam castelli — Theutonicus quidam ictu petrae vulneratus — deductus est n o s t r u m[48] in h o s p i t i u m *optime illustrantur diplomate Beatricis*[49] *et Mathildis comitissarum*[50]. Inclinati *(ita), dicunt,* devotis precibus Bardi praedictae s. Lucensis ecclesiae primicerii et Lamberti archipresbiteri seu reliquorum fratrum et canonicorum eiusdem ecclesiae sub nostra tutela et defensione recepimus mansionem illam quae edificata est ad hospicium et susceptionem pauperum iuxta eandem ecclesiam episcopatus sancti Martini *etc. Bardonem igitur vitae auctorem fuisse nullo modo ambigere possumus*[51]. *Et certe nemo magis idoneus ad id munus subeundum erat, quam auctor noster qui cum Anselmo Romae annis* 1073 *et* 1074 *commoratus*[52], *in ipsius familiaritem*[53] *admissus, exilii socius, ab ipso ad exercitus pontificios legatus*[54] *missus est; qui denique iam mortuo Gregorio talem cum curia Romana habuit necessitudinem, ut dictum illius papae magnum sed, ni fallor, non ex intimi animi sententia profectum:* Post omnia dilexi iustitiam et odio habui iniquitatem, idcirco morior in exilio, *ab ipsius capellanis auditum*[55], *primus inter omnes scriptores*[56] *litteris mandaret.*

Bardonem statim post Anselmi mortem (d. 18. *Mart.* 1086) *vitam ipsius conscripsisse tum ea suadent quae de Mathildis sollicitudine in colligendis sancti miraculis attulimus, tum etiam ex aliis vitae locis comprobatur. Capitibus enim* 40 *et* 41 *ad Bonizonis episcopi Sutriensis testimonium provocat*[57]. *Qui cum anno* 1089 *crudelissime a schismaticis interfectus sit*[58], *hoc gloriosum martyrium Bardo certe annotare non neglexisset, si vitam iam tunc temporis composuisset. Scripsit ergo inter annos* 1086 *et* 1089, *vel etiam, ni omnia fallunt, annis* 1086 *et* 1087. *Miracula enim a Bardone addita ad trigesimum nonum post Anselmi obitum diem producuntur, quibus Ubaldus et Ugo ea subnexuerunt quae inde a die quadragesimo nono patrata sunt*[59]. *Qui annum* 1087 *minime transgressi esse videntur, cum eo tempore quo miraculum c.* 72 *relatum evenit,*

44) *Saggio di storia ecclesiastica del vescovato e chiesa di Lucca*, quem librum tantum ex Paulini Dinellii dissertatione III. de synodis Lucensibus in *Memorie e documenti per servire all' istoria del ducato di Lucca* 1834. VII. p. 49 novi. 45) p. 54. 46) vita c. 31. *Psalmos quidem ut caute ac meditatim cantaremus praecepit, alioquin aspere increpavit.* 47) Memorie Lucch. IV, 2. p. 117. *Et dum essent ibi ante me* (Rolandum filium Saracini) *domnus Bardus primicerius atque diaconus una cum Lamberto archipresbytero canonici et ordinarii ecclesie et canonici Sancti Martini de Luca, quamvis modo inde iniuste sint exiliati, coeperunt contra me dicere* etc. 48) Paullo post subiungit: *vocavit me ex nomine*, at nomen non exprimit. 49) quae a. 1076 obiit. 50) apud Florent. doc. pag. 51. 51) Memoratur praeterea in charta d. 15. Iul. 1072 data. Memorie V, 3. p. 670. 52) Vide c. 18 et quae ibi adnotavimus. 53) cuius testimonia fere in unoquoque capite occurrunt. 54) cap. 23. *S. Anselmus — eis — per nostram direxit parvitatem.* 55) c. 38. Ea igitur quae ibidem de moribundo Gregorio narrantur, maximam fidem merentur. Cf. quae hac de re V. Cl. Sig. Hirsch disputavit de vita et scriptis Sigeberti Gembl. p. 139—143. 56) Gregorii dictum reperitur apud Paul. Bernr. l. c. pag. 454. c. 110. et Otton. Fris. Chr. VI, 36. 57) *Isti — interfuere et — viderunt.* Verba quibus paullo ante c. 40. de Bonizone utitur: *Affuit subito reverendissimus Sutriensis episcopus domnus Bonizo*, scribi non poterant nisi ipso vivente. 58) Cf. Bernold. SS. V. pag. 449. 59) Ubaldus et Ugo Mantuae scripserunt; vide cap. 75. 84.

60 *Petrus episcopus schismaticus urbe Lucensi potitus esset*[60]. *Hic autem anno*
1087 *inde pulsus est*[61]. *Qui igitur in ultimis miraculorum capitibus dies anno-*
tantur ad hunc annum referendi sunt.

Miracula in media Ugonis narratione abrumpuntur[62]. *Quod damnum for-*
sitan Rangerii vel Reingerii[63] *liber sanaret, si hunc fortuna superstitem esse*
voluerit. Hic enim, mea saltem sententia, nihil erat nisi Bardonis opus a Ran-
gerio versibus traditum. Quod Domnizo aperte indicare videtur, cum postquam
Bardonis librum his tetigit versibus:

Quae *(miracula)* simul et vitam capellani sibi *(Mathildi)* dictant

de Rangerii scripto haec subiungat:

Tertius existens ab eo Lucensis et ille
Rangerius rector dictavit eam sibi metro.

64 *Quem librum una cum altero* de baculi lite *opere*[64] *ad nostra usque tempora*
monasterium sanctae Mariae de Ripoll in Catalonia situm servavit. At saevien-
tibus per illas provincias bellis civilibus, incendio monasterii etiam hic prae-
stantissimus codex membranaceus saec. XII conscriptus flammis consumptus
est[65]. *Utinam benevola fortuna saltem copiam a Villanueva ex eo factam nobis*
non invidisset!

Bardonis opus currente medio aevo saepius transscriptum est; attamen
66 *nullius antiqui codicis compos factus sum*[66]. *Quae vero viri docti in edenda*
sancti Anselmi vita de ipsius libris manuscriptis disseruerunt, ea clare osten-
dunt, codicum duas classes extitisse, integram *(A) et* decurtatam *(B).*

A Codices integri hi erant:

1) *codex* Romanus *collegii Gregoriani O. S. Benedicti in regione Trans-*
tiberina (Bibliotheca Aniciana) antiquo charactere in membrana exaratus erat,
teste Waddingo p. 53, *cuius editio inde maiorem in partem fluxit*[67]*; sign. A*1.

2) *Apographum huius codicis Constantinus Caetanus sibi fieri iussit, quod*
nunc in bibliotheca Sapientiae asservatum Bethmannus anno 1853 *usque ad*
cap. 51 *contulit; signavi A*1*.

68 3) *Codex vetustus*[68] *monasterii sancti Benedicti de Padelirone in agro Man-*

60) V. c. 72. *adhuc perseverat in incredulitate suae nequitiae.* 61) Vide Barsocchini Mem. Lucch. V, 1. p. 366. Charta conscripta Lucae die 17. Nov. 1086. *in palatio domini Petri episcopi* exstat ib. IV, 2. 109. Hic monere velim, bullam Paschalis II d. 14. Octobr. 1100 ad Didacum ep. Compostellanum directam, petente Petro episcopo Lucensi datam esse. Jaffé 4367. Unica quae de Anselmi successore catholico Godefrido superest charta, data est d. 4. Iulii 1091. Mem. V, 1. 367. IV, 2. Num. 110. Miraculum c. 50. a Bardone in fine operis sui additum, ad id tempus spectare videtur, quo Mathildis Lucam denuo in ditionem redegit. 62) Cfr. quae de vitae codicibus infra dicemus. — Paulus Bernriedensis vitam, ut supra vidimus, in usum suum convertit, at integrum codicem consuluisse videtur. Quod ex cap. 112. (Mab. l. c. p. 455) coniicio: *Quantae vero sanctitatis — — iste* (S. Anselmus) *fuerit, partim ex lectione sanctorum gestorum eius animadvertimus, partim ex relatione religiosorum fratrum, qui se de longinquo ad sepulcrum eius per revelationem invitatos fuisse et a gravibus atque diutinis languoribus absque mora liberatos fuisse testati sunt, perpendimus.* Quae quidem relatio, ut equidem crediderim, inter deperdita capita locum obtinuit. 63) Ita ipsum Eadmerus vocat, qui eum in concilio Romano d. 24. April. 1099 habito vidit. Historia Novorum ed. Gerberon (opera sancti Anselmi Cantuar.) p. 55. 64) Cfr. Domn. l. c.:

Dictavit pulchrum nuper librumque secundum
Qui baculi litem diffinit misitque ei.

Cuius libri initium ibidem pag. 195—197 invenis. 65) Consulas documenta de Rangerii operibus a Pertzio in Annalibus nostris edita Arch. VII, 463—467. — Barsocchini de libris Rangerii haec tradit: Mem. VII, 1. 374. *Scrisse Rangerio la vita di S. Anselmo in versi eroici, di cui ci è rimasto qualche brano riportato da Donnizone* (quod omnino falsum est). *Il resto perì come si è perduta l'altra sua opera sulle investiture, della quale ce ne ha conservato soltanto la memoria il Manrique negli Annali Cisterciensi.* Quem tamen locum, sine dubio etiam Ripolensem codicem respicientem, in Manriquezii opere frustra quaesivi. 66) Codicis Lovaniensis (mbr. 8. saec. XII ex.) secunda pars, quae olim vitam S. Anselmi exhibebat, nunc deperdita est. Cf. Bethmannum in Annal. nostr. Arch. VIII, 483. 484. 67) Consuluit etiam huius vitae manuscriptos libros Cardinalis Baronii in bibliotheca Vallicellitana asservatos. 68) Vide Wadd. p. 53.

tuano, quem Arnoldus Wion in libro suo Lignum vitae[69] *vocato memorat. Hic praeter miracula a Bardone conscripta, triginta tantum sequentia (usque ad cap. 68?) exhibebat.* 69

4) *Codex Constantini Caetani monachi Casinensis antiquus, membranaceus*[70], *cuius apographum ipse cum Baronio*[71], *Gretsero et Tengnagelio communicavit*[72]; *sign. A*3.

B. Ex codicibus decurtatis sequentes inveniuntur

1) *codex* ***Lucensis****, teste Florentinio*[73] *in biblioth. S. Mar. Curtis Orland. asservatus ab ipso et Baronio*[74] *saepius in partes vocatus est; sign. B*1. 74

2) *codex* ***Mantuanus****, antiquus membranaceus, quem Waddingus p.* 53 a P. Nicolao Valesio Hiberno nostri instituti huiusque nostri collegii Romani alumno *se accepisse testatur, ad cap.* 53 *finem usque producebatur, sign. B*2. *qui teste eodem V. D., ita ut B*1. *compendium erat aliquantulum corruptum et valde diminutum.*

3) *Huius apographum recentius Romae in bibl. Sapientiae repertum Bethmannus contulit a.* 1853, *usque ad cap.* 51; *signavi B*2*.[75] 75

Eidem classi adnumerandi esse videntur:

5) *Codex clericorum regularium Sanctae Mariae Lucensis*[76].

6) *Apographum Bollandistarum, quod tribus tantum paginis sancti Anselmi vitam absolvit*[77]. 77

*Editionem nostram ex A*1 *et* 3, *quorum lectiones Waddingus et Tengnagelius subministrabant, concinnavimus. Capitum divisionem a Waddingo institutam retinuimus.*

ROGERUS WILMANS.

Devotis quorundam precibus instanter cogimur, ut[a] vitam sanctissimi patris nostri Lucensis episcopi, domini Anselmi, quam praesentes vidimus, et a pariter commorantibus fideliter accepimus, compendioso explicemus[b] labore; quae tot certe ac tantis praeclara fulsit virtutibus, ut minime nos ad iniunctum tale negotium sufficiamus. Atqui, dum venerabile desiderium illorum perpendimus, tametsi non sufficimus, utcunque tamen, quod expetunt, incipimus. Quoniam fidelibus cunctis fidei praestat[c] firmamentum et cornu salutis, excommunicatis autem confusionem, verecundiam, detrimentum et perniciem[d].

2. A pueritia[e] qualiter vixerit, tum quia pleniter non novimus, tum quia reticere in praesentiarum satius aestimamus, praetermittimus. Studiosum tamen iam tunc in scholasticis etiam legendis libris fuisse, ipso saepius referente, cognovimus; quod et rei evidenter probavit[f] effectus; quia in arte grammatica et dialectica[g] extitit peritus. Dum autem videretur iam idoneus, immo[h] meritis, moribus ac scientia dignus, ut in honorem sublimaretur

a) *deest* A1. b) explicare A1. c) est A1. B2*. d) confusio, verecundia, d. et pernicies B2*. aliis siquidem in ruinam, aliis vero in resurrectionem *addit* A1. e) quippe sua *addunt* A1*. B2*. f) compr. B2*. g) probabiliter *addit* B2. h) *ita* A1. 1*. *et* B2*. nempe A3.

69) Ipsum librum adipisci non potui. Locum vero illum recudendum curavit Possevinus in Apparatu sacro I. p. 86. 70) *Habemus* (vitam) *ex Ms. pergameno antiquo codice nostri Musaei* dicit Caetanus in fine apographi (Tengnagel pag. 84. 85). Quae verba nescio an codicem Casinensem fuisse indicent. 71) Annal. Eccl. XVII. p. 392 a. 1074 num. 45. 72) Gretseri et Tengnagelii editiones ex hoc apographo factae sunt. 73) Mem. d. gr. cont. Matilda p. 123 *mutilum* vocat. 74) Cuius verba notatu sunt digna l. c. p. 393. *De quibus admonendum putamus lectorem, desiderari omnia ista de persecutione Lucensium canonicorum in S. Anselmum in vita eiusdem quam Luca missam accepimus, decurtata olim haud dubium ab aliquo ipsorum ne eiusmodi ignominia sugillati reperirentur maiores eorum.* 75) Lectiones varias ubique, lacunas vero non omnes adnotavimus. 76) Cf. Memor. V, 1. 309. *altra Leggenda alquanto mutila nella libreria dei Chierici regolari della Madre di Dio in Lucca.* 77) Cfr. Bethmannum in Ann. nostr. Arch. VIII, 520. Nr. 3196—3202. *Anselmi Lucensis, ex ms. Ultraiect. S. Salvatoris: „B. A. Lucensis episcopus — defensione exulabat.“* Quod initium a nostra vita omnino discrepat.

1 episcopatus[1], mittitur a reverendissimo papa Alexandro ad regem[a], dato sibi comite, reli-
gioso episcopo Sanctae Rufinae, nomine Meginardo[b]. Sed quia iam perfecte coeperat
odisse, ut sacri ordines ecclesiastici[c] a secularibus darentur potestatibus[d], quacunque vel
occasione, vel ratione potuit, absque dignitatis investitura discessit, quamquam ea inten-
tione domnus papa illum direxerit. Nec mirum[e]. Qui enim operatus est postea per eum
multa Deus, catholicae illum electioni reservavit. Rex autem quasi[e] despectum[f] se doluit,
et regalis imperii tanquam magnum detrimentum deploravit.

1073. Apr. 22. 3. Defuncto itaque[e] praedicto papa Alexandro, dum sanctissimus Gregorius VII[e] in
Romanum pontificem Spiritus sancti instigatione ac voto communi clericorum et laicorum,
diu renitens, esset electus, ut sequeretur eum iste in omnibus, in Lucanam ecclesiam est
2 et ipse electus episcopus[2], atque ab illo postmodum religiose[g] consecratus. Igitur, dum
aliquanto tempore, non semel, aut bis, sed saepius cum eodem religiosissimo ordinatore
suo moraretur, vitam eius consideravit ineffabiliter mirabilem, ac mirabiliter ineffabilem.
Quia, cum de omnibus et singulis finibus saeculi fieret ad eum concursus, rite omnibus
satisfecit. Veritas vero et iustitia nunquam ori eius defuit; imo quod magis est mirandum,
in ipsis saecularibus negotiis saepius excessit mente, exhilarato spiritu suo coelesti con-
templatione; qui etsi[h] privatus interdum extiterit, revelationibus etiam divinis iucundatus[i]
est et confortatus.

4. Huius, inquam, vestigia dum exequi ferventer desiderat, incipit oblivisci mundum,
ac totis viribus mentis et corporis, die ac nocte, suspirare Deum, committens se non solum
assiduae lectioni, verum etiam continuae afflictioni. Et perscrutatis diversarum auctorita-
tum libris, incipit vitam suam perditissimae dampnationis aestimare, atque accepti ministerii
dignitatem grave oneris periculum, non honoris gaudium cogitare, illud vero ante omnia
metuens, quod post catholicam electionem de manu regis annulum suscepit et pastoralem
3 baculum[k.3]. Nam irritum prorsus aestimavit[l] quidquid operatus est quasi auctoritate illius
abominabilis investiturae, sed et domnus papa id solum aliquando vituperavit in illo.
Disposuit[m] ergo orationis causa sanctorum aliqua visitare limina[n], et nescientibus qui cum
ipso erant parentibus ac fidelibus, fit subito monachus, regulae sancti Benedicti et Clunia-
4 censium consuetudini[o] subiectus[4]. Qui non post multa a beatissimo papa Gregorio invitus
revocatur; in cuius etiam manum quidquid a rege acceperat reddit et refutat, omnisque
datio regalis in illo evacuatur. Ipse vero in plenitudinem[p] dignitatis, vix relicto sibi habitu
monastico[q], restauratur. Nam[r] et illum subtrahere sibi domnus papa minabatur.

5. Quantae igitur abinceps religionis fuerit, nec lingua potest referre, nec manus

a) *ita* A3. regem Heinricum tunc imperatorem A1. *et* B2. regem ad quem pertinere videbatur eius collatio episcopatus *Baronius a.* 1073 *Nr.* 11. *verisimiliter ex* B1.; *in* B2*. *tamen non occurrunt.* b) Magirando A1. Maginardo A1*. B2*. c) ipsi nempe episcopatus *addit Baron. ex* B1. *vel* A3. d) *addunt* B2. 2*. quia imperator tunc contra omne debitum eligebat pontifices, ideo ad eum mittebatur pro dignitatibus consequendis. *Quod scholion esse videtur.* e) *deest* A1*. B2*. f) atque confusum *addunt* B2. 2*. g) *deest* B2. *et Baron.* h) si A3. at si B2*. *omisso* qui. i) iocundatus A1*. B2*. k) bac. *deest* A1*. *et* B2*. l) extimavit. A1*. B2*. m) disponit A1*. B2*. n) bonum esse *inserit* A1. o) et Cl. cons. *addunt* A1. B1. 2. 2*. *desunt* A3. p) plenitudine A1*. q) *ita* A3. mutato tantum habitu A1. B1. *Bar.* r) Nam — minabatur *desunt* A1. B2. *Ab hoc inde loco usque ad* consumpsit *sequentia desunt* B2. 2*. *et verisimiliter etiam* B1.

1) Ad quem episcopatum destinatus fuerit, non liquet. Sine ullo dubio non ad Lucensem; alioquin infra c. 3. *reelectus* vel *denuo promotus* diceretur. De Anselmi electione accuratam instituit disputationem Dominicus Barsocchini in Memorie e documenti Lucchese V. pars I. p. 306 sq. 2) die 25. Mai. 1073 iam electum refert Gregorius VII. Reg. I. ep. 11. 3) Quamvis epistola iam laudata atque altera ad Anselmum die 1. Sept. 1073 directa (Regg. I, 21.) hoc dissuasisset ipse Gregorius VII, tamen in eiusdem consecratione auctoritati Heinrici IV, qui referente Hugone Flavin. SS. VIII, 411. 50. ipsum rogaverat, *ne contra morem praedecessorum domnus papa eos* (sc. Hugonem Diensem et Anselmum Lucensem qui mense Decembri 1073 Romam venerant ut a Gregorio consecrarentur) *consecrare vellet, qui episcopatus electionem solam, non autem donum per regiam acceperant investituram*, obtemperare compulsus est. Nam teste eodem Hugone l. c. p. 412. 1. imperatoriis nunciis *in Lucensi — electo adquievit, ut consecrationem eius differret, donec investituram episcopatus ex regio dono accepisset.* Quando vero a manu Heinrici IV investituram acceperit, non omnino est in aperto. Ex chartis autem quae Barsocchini (Mem. V, 1. pag. 325) in lucem profert, Anselmum iam die 28. April. 1075 consecratum fuisse elucet. 4) Quod ante diem 21. Dec. 1075 evenit, teste charta, qua Bonfilius omnes res Waldradae relictae Teutii, *quas ad eam per cartula, sive per morgincap emisit et dedit — Teutio vir suus cum voluntate ipsius Walderade — ecclesiae domui epi scopatui S. Martini Lucense, ubi nunc Anselmus episcopus et monacus esse videtur*, offert, in Mem. Lucch. V, 2. p. 330.

scribendo valet exprimere; monachi pariter et canonici vitam et ordinem conabatur explere; conatur etiam modis omnibus, ut sit servus prudens et fidelis, ut in messe Domini non inveniatur ociosus, nec abscondat pecuniam Domini sui; verum ut possit revertenti Domino fiducialiter occurrere dicens: *Domine, ecce mna tua, decem mnas acquisivit.* Fit ergo [Luc. 19, 16.] verbi Dei praedicator egregius, instructor religionis praecipuus; amat clerum reverenter, docetque sapienter, cunctumque populum instruit decenter, utque breviter concludam, *omnibus omnia factus* est, ut omnes lucri faceret. Dioecesim suam diligenter circuit, vitam [Cor. 1, 22.] omnium, praesertim clericorum, dignoscere gliscit; et ut omnis clericus sui nominis compos existat, paterne monet, multumque desiderat. Sic enim eruditissimus doctor Hieronymus vitam describens clericorum, ait: *Quod a sorte Dei clericus dicitur;* scilicet, ut abiecto [ep. 2. de vita clericorum.] mundi huius impedimento nihil praeter Deum sortiatur.

6. Primo igitur canonicos ecclesiae maioris in civitate Lucana, quae est in honore[a] sanctissimi episcopi et confessoris Martini dedicata, mitissime aggreditur, monet, blanditur et suadet, ut opere exerceant, quod nomine dicuntur — canonicus enim quasi regularis dicitur — utque regularem agant vitam, studiose praedicat et precatur. Cumque diutius illis instaret, idemque frequenter instigaret, indignati tandem sunt, ac temere nimis responderunt. At ille, sicut pater pius et mansuetus, benigne omnia suscipit, nec tamen *vinci a* [Rom. 12, 21.] *malo vellet, sed in bono vincere malum* studet. Promittit denique, tanquam alter factus religiosissimus episcopus Augustinus, ut vitam cum illis peragat communem. Nihil praeter illos proprium, verum omnia simul vult cum ipsis habere communia; vult effici pauper, ut divites illos faciat in Christo, omni omnino conamine tum spiritualiter tum seculariter nititur eos allicere.

7. Invitat tandem sui studii adiutricem marchionissam domnam Mathildam moribus ac genere nobilissimam; quae spiritualis et religiosissima in occulto, secularem aut, ut verius dicam, militarem agebat vitam in manifesto; sic tamen spiritualem habebat ac saecularem, ut et illam in Christo et istam[b] faceret pro Christo. Quae vero saecularis, haec maioris illi fuit angustiae ac laboris, sed et multo pluris, spero, retributionis. Illa etenim voluntatis fuit propriae, ista quidem obedientiae. Si quid ergo habet ipsa ingenii, si quid sapientiae vel consilii, id effudit hoc in negotio hilariter. Igitur praedictos alloquitur canonicos, tum communiter, tum singulariter; incitat, instigat eos, confortat atque spondet ecclesiae augmentum et honorem, ipsis quoque commodum, tam in futuro quam in praesentiarum. Promittit etiam parentibus ipsorum divitias et honores, quatenus vel sic attrahere possit[c] voluntates illorum. At illi saeculo nequam excaecati, respuunt omnia, eligunt magis aquam angustiae in dampnationem quam vinum laetitiae in salvationem, optant pauperes potius esse diaboli quam divites Christi. Praedictus autem praesul et pastor diligentissimus, nolens oves sibi commissas perire, tum minis, tum blandimentis eos aggreditur. Cui dum resisterent illi, et quantum potuerunt, contradicerent, iam tunc, credo, nimium sed inaniter fatigatus cessasset, nisi quod beatus papa Leo IX sub decreto anathematis statuerat[5], ut eiusdem ecclesiae canonici vitam agerent communem, et viverent regulariter. Cuius decreti quotiens vidit aut recordatus est praeceptum, expavit, nec tacere ausus fuit.

8. Accidit igitur[d], ut eandem ad civitatem sanctissimus papa Gregorius VII veniret[6]; perlatumque est ad ipsum idem illud negocium; qui mox incipit paterno illos primum affectu admonere, ac dicere, quoniam Romani pontificis decreta praeterire non licet; rogat eos et suadet benigne, quatenus saluberrimis obediant decretis et reverendissimi[e] patris exequantur voluntatem. Nec semel aut bis, sed saepe ac multum, aliquando cum eodem sancto episcopo, interdum sine ipso alloquitur illos, tum dure, tum blande, proferens eis scripturas sanctas et auctoritates authenticas. Illi vero, etsi humiliter se beata quandoque monita finxerunt audire, omnia tamen absentes depravarunt[7]. Vocantur[8] denique ad sedem

a) honorem A 1*. b) ipsam A 1*. c) posset A 1*. d) autem A 3. e) reverentissimi A 1*. *semper.*

5) Cuius bullam datam d. 10. Mart. 1051 vide apud Wadd. p. 66. Jaffé n. 3234. 6) anno 1077 secundum Wadding. p. 67 n. 31 Barsocchin. Memorie V, 1. 355. Jaffé vero p. 423 rectius sensisse videtur, qui ex bulla Gregorii VII d. 28. Dec. 1076 Florentiae data, ipsum exeunte hoc anno Lucae fuisse coniecit. 7) Quos vehementer reprehendit Gregorius epistola missa die 11. Aug. 1075. Reg. V, 4. cf. Memor. l. c. p. 348. 8) Ex Gregorii epistola d. 28. Nov. 1078 canonicis S. Martini directa videmus eos ad concilium Romanum huius anni vocatos non venisse, papam deinde precibus Anselmi et quorundam canonicorum ei adhaerentium usque ad festum omnium sanctorum terminum prorogasse. Reg. VI, 11.

1078. apostolicam, ibique conspiratores in proprium episcopum et insidiatores detecti sunt[9].
1079. Prolatis ergo canonibus et lecto capitulo sancti martyris episcopi Fabiani, qui conspiratores et insidiatores suorum episcoporum curiae tradendos instituit, iudicio totius sanctae synodi etiam ipsi curiae traduntur. Tunc fidelis illa[a] et prudens marchionissa Mathilda servos illos appellans, in servitutem curiae vocavit eos. Quam ob causam[b] tristes, praeterquam credi potest, etiam adversus ipsam, quotquot potuerunt, conspirare fecerunt.
1080. Convenerunt ergo quam plures iterum episcopi apud Sanctum Genesium[10], quod castrum[c] a civitate Lucana non multum distat; inter quos reverendissimus Albanensis episcopus,
11 nomine Petrus[11], vicem domini papae agebat.

9. Qui cum eodem Lucensi episcopo sancto Anselmo et cum reliquis omnibus conspiratores illos excommunicavit: unde insolabiliter[d] illi dolentes et indignati totam civitatem malitiose commoverunt, freti auxilio perditissimi hominis quondam dicti regis Heinrici religiosissimum episcopum a civitate repulerunt[12]: sed et praedictae dominae rebelles penitus facti sunt. Huius utique conspirationis praefatae caput et princeps fuit quidam
13 nomine Petrus[13], falsa professione canonicus, ordine dampnationis suae subdiaconus, mente superbus, incontinens moribus, verbis procax, corpore incompositus, vir sanguinum et fomes omnium spurcitiarum. Qui propter immensitatem malitiae suae factus est subito contumax praeco Heinricianae tyrannidis, et post aliqua fit etiam familiaris curiae iniquitatis, quam iusta quidem interpretatione a cruore dico cruriam, vel potius universae turpitudinis sentinam.

1081. 10. Hic denique post tempora non plurima, veniente in Tusciam Heinrico[14] cum haeresiarcha Wiberto, de quo latius postmodum tractabimus, quoniam instanti videbatur opportunus insanire, eo quod nec in Deum timorem nec reverentiam habebat in hominem, imponitur episcopus erroris eiusdem Lucanae civitatis; qui, adiunctis sibi totius terrae nequissimis, videlicet periuris, latronibus, fornicariis et adulteris, terram ecclesiae invadit, castella et homines vi aut fraude vel precio sibi asciscit. Unum solummodo castrum venerabili remansit episcopo, quod etiam tyrannus ille, eo quod civitati erat proximum, quasi quotidie incurrens devastavit praedis, incendiis atque homicidiis. Ille autem mansuetissimus omnium omnia gaudens sustinuit, paupertatem pro Christo optavit; qui et duobus capellanis contentus ac paucis servientibus, cum reverendissima quam praediximus matrona humilis permansit.

11. Atqui ut universae maledictionis tunicam adversarius ille indueret, demum ab haeresiarcha Wiberto non dico consecratur, sed execratur, quatenus similis similem in omnibus imitaretur. Nam sicut ille Romanam invadendo ecclesiam commaculavit, superstite adhuc sanctissimo papa Gregorio VII, ita iste Lucanam, vivente religiosissimo suo
ep. 52, cap 3 episcopo. Itaque, ut beatissimi martyris Cypriani verbis utar: *Nullus vel iste vel ille, quia nec successor nec antecessor cuiusquam aut ille aut iste: ambo parricidae, ambo sceleratissimi violatores suae matris ecclesiae.* Dum ergo expulsus ille cum Maria securus desideraret sedere[e], facti sunt episcopi et principes pene omnes non solum dico inobedientes, verum omnino rebelles sanctae sedi Romanae, et inventa est sola atque unica dux et marchionissa[f] Mathilda in fide permanens, zelum Dei habens, domino papae Gregorio obediens, quia, ut sanctissimam eius vitam et religionis cognovit ardorem, totam se suae tradidit dispositioni[g], sperans ab oneribus mundi huius tali obedientia explicari, cui e contrario in remissionem datur, ut quasi altera Delbora[h] populum iudicet, militiam peragat[i], haereticis ac[k] schismaticis resistat.

a) *add.* A1.3. b) rem A3. c) *add.* A3. d) *cf. hunc locum ex* B1. *petitum ap. Florent. p.* 20. e) *Baronius* (*ex* A3?) *ita:* ut Maria dominus Anselmus sedere securus, ecce facta est in omni Romano imperio inaudita persecutio. f) dux comitissa B2*. g) dispensationi *Bar.* h) *ita* A1*. Delebora B2*. i) Debbora populorum videlicet militiam peragat *Bar.* k) et B2*.

9) De qua re fusius agit ep. Gregorii dat. 1. Oct. 1079. Reg. VII, 2, quam noster consuluit. 10) Concilium apud S. Genesium a. 1080 celebratum esse ostendunt Dinelli Mem. Lucches. VII, p. 43 et Barsocchini ib. V, 1. p. 352. De cuius castelli situ inter se pugnant; Dinelli l. c. p. 45: *S. Ginese di Mammoli;* Barsocchini l. c. p. 353: *S. Ginese di Castel Durante, ch'è l'attual chiesa di S. Ginese di Compito* interpretatur. Utrumque fere quatuor milliaria a civitate Lucana distat. 11) Igneus cognomine. 12) Post diem 14. Oct. 1080 amplius nulla fit mentio Anselmi in chartis Lucensibus; cf. Barsoc. l. c. p. 355. 13) post episcopus Lucensis schismaticus, Heinrici IV parti addictus. Vide infra c. 72. Charta data d. 17. Nov. 1086 in palatio *domini Petri episcopi* exstat in Mem. IV, p. 2, num. 109; Petrum episcopum mense Iunio 1086 Lucae introductum esse statuit Stenzel I, 476. 14) Heinricus Lucensibus privilegium concessit datum Lucae d. 25. Iul. 1081; Florent. pag. 206; quae apud Boehmerum desideratur.

12. Atque, ne tanquam sola deficiat, custodienda commendatur[15] praescripto Lucensi 15 episcopo sancto[a] Anselmo, commendatur, inquam, omni diligentia et affectu charitatis, commendatur a beatissimo magistro fidelissimo discipulo[b], sicut in cruce Christus matrem virginem virgini discipulo commendavit: *Mater*[c], inquiens, *ecce filius tuus;* ad discipulum Ioh. 19, 26 sq autem: *Ecce mater tua.* Ita ergo, dum uterque mundi voragines evadere et contemplationi vacare conatur, maioribus mundi negotiis implicatur[d]. Sanctissimus igitur talis ille discipulus[e] custodiae illius et studet satagere et omni studio sanctitatis magis ac magis, de die in diem exardescere. Possumus certissime de illo affirmare, quod *replevit eum Dominus* Sirach 39, 8. *spiritu sapientiae et intellectus*, et erat *magni consilii angelus.* Nam cum multa haberet secularia iudicia suprascripta domina Mathilda, devota domini Petri ancilla[f], ipse suis eam[g] consiliis ita peragere fecit omnia, ut et euangelica praecepta et canonum instituta legumque[h] iura servaret, quod in humanis mentibus et ingeniis raro vel nunquam invenitur. Verum ipse suo a magistro beatissimo papa Gregorio sic didicerat, Spiritus vero sanctus utrumque repleverat.

13. Tunc ergo incredibili iam[i] modo Romanus orbis in se ipsum fremuit[k] et insanivit. Nam Heinricus, filius imperatoris Heinrici tertii, magnas in omnes catholicos inimicitias exercebat; qui dum ab ipsa infantia, defuncto iam patre, suscepisset regni gubernacula, impletum est, quod per Salomonem dictum est: *Vae terrae, cuius rex puer est.* Nam pue- Eccl. 10, 16 rilibus se consiliis committens, omnium genera[l] spurcitiarum edoctus, cunctam mox religionem et iura omnia confundere non erubuit, ac suae libidini in omnibus turpitudinibus studuit[m]. Illo siquidem in tempore non quisquam episcopus aut abbas sive praepositus esse potuit, nisi qui maiorem pecuniam habuit vel ipsius spurcitiarum compos extitit et fautor assensit. De nullius certe vita vel conversatione agebatur bona, imo abominabilis religio omnis et veritas atque iustitia habebatur. Ille sacerdos laudabilior, cuius vestis comptior, cuius mensa copiosior, cuius concubina splendidior. Nec miles dicebatur gloriosus, nisi ter fuerit aut quater periurus.

14. Quod dum beatissimus papa Gregorius dolens ac tristis consideraret, cupiens sanctam ecclesiam usui ecclesiastico et legibus restituere canonicis, misit ad eum frequenter benignas legationes tum paterne admonens tum asperius etiam redarguens. Atqui dum hoc quoque modo minime se percepit proficere, tandem direxit ad eum matrem ipsius religiosissimam imperatricem Agnetem, et cum ea reverendissimos duos episcopos, 1074. Praenestinum[16] et Cumanum[17], quibus utique praesentibus, audito diligenter eorum con- 17 silio, poenitentiam simulavit, obedientiam devovit, emendationem de omnibus promisit. Redeuntibus autem illis, in se ipsum est ille reversus deterior quam olim effectus. Nam inaudita deinde audacia et admirabili superbia sui facinoris compotes nec dicendos[n] collegit episcopos in civitatem Wormatiam, habitoque conciliabulo, proscripserunt primae se- 1076. dis episcopum, quod a saeculis non est auditum. Fecit deinceps legationem in Italiam, Ian. 24. Legg. II, 44. eandem affirmans praesumptionem per schismaticos sibi complices episcopos. Huius le- Febr. gationis lator fuit quidam Eberhardus nomine[o, 18], Theutonicus natione, filius saeculi, ha- 18 mus diaboli, inventor omnis fere mendacii. Hic circuivit et perambulavit terram, ut schismatica omnes inficeret[p] contagione; multos certe, qui propter interdictum domini papae divino ab officio cessaverant, ipse interdictus et vinculo perditionis ligatus inaudita temeritate ac superbia reconciliavit, et ex parte domini sui regis, ut officium more priori celebrarent, indixit.

15. Cum igitur dissimulare amplius tanti facinoris malitiam non posset apostolicus, excommunicavit tam ipsum quam omnes ipsius fautores, atque omnem sibi regiam dignitatem interdixit, et obligatos sibi sacramentis ab omni debito fidelitatis absolvit, quia, quod verecundum etiam est dicere, praeter haereticam, quam praelibavimus, culpam aderant

a) domno B 2*. b) *deest* B 2*. c) Mater — tua *desunt* B 2* *et Bar.* d) conantur — implicantur *Bar.* e) Sanctissimus itaque dominus noster et pater Anselmus B 2* *et Bar.* f) domina Mathildis, unica beati Petri filia B 2* *et Bar.* g) etiam B 2*. h) et legum B 2*. i) *deest* A 1*. k) infremuit A 1*. l) genere A 1. m) *ita* A 1. instuduit A 3. n) docendos A 1*. o) Heberardus A 1. p) *ita* A 1. interficeret A 3.

15) Cfr. supra Anselmi epistolam ad Wibertum. Hunc locum Domnizo II, 2. ed. Tengn. p. 192 ex nostro mutuatus est. 16) Ubertum. 17) Rainaldum; praeter hos etiam Gerardum Ostiensem et Heinricum Curiensem. Vide Stenz. I, 383. 18) comes de Nellenburg. Vide Stenz. I, 382. Saepius apud Lambertum et Bernoldum occurrit annis 1076 et 1077.

1076. Febr. 22. in sancto concilio nuntii illius sic audentes latrare: *Praecipit dominus noster rex, ut sedem apostolicam, papatum, utpote suum, dimittas, nec locum hunc sanctum ultra impedias.* Pro nefas et o execrabilem infelicissimi hominis temeritatem. En ecce suum esse dicit, quod soli apostolorum principi Petro Christus dominus commisit. Nec subito quidem commisit,
Ioh 21, 15. verum tertio, antequam committeret, interrogavit: *Simon*, inquiens, *amas me?* non tanquam ipse ignoraret, sed ut futuris temporibus providentiam praesignaret, ne cito et praecipitanter cuilibet cura committeretur animarum. Illi ergo post tertiam tandem sui amoris certam sponsionem: *Pasce*, inquit, *oves meas.* Non regem, non imperatorem, aut aliquam Christianae professionis conditionem excepit praeter eum, qui suam se ovem abnegaverit. Igitur, quem sui solius iudicio Dominus reservavit, hic non solum iudicare verum etiam suum dicere et, quantum in ipso est, audet dampnare. Quam ob causam omnis illa sancta synodus iure indignata anathema illi conclamat atque confirmat.

16. Igitur non post multa idem reverendissimus papa, per quem restaurari coeperunt omnia iura canonica, usque ad ipsum prorsus pene abolita, rogatur a quam pluribus regni principibus, praesertim a comitissa Mathilda confortatus, quae tunc maximam partem regebat Italiae, quatenus in partes Theutonicas ob communem matris ecclesiae necessitatem descendere dignaretur. Illi etenim propter insolentiam suam et anathema Heinricum regem et dominum abrogaverunt[a], qui etiam pariter convenientes coegerunt eum, ut repudiatis consiliariis iniquitatis, privatim ipse quodam in castello maneret, ne multos lepra sui anathematis contaminaret. Decreverant[b] enim apud se, ut, accersito humiliter sancto papa Gregorio in civitatem Augustam, etiam ipsum in commune totius regni consilium ante iudicem universae christianitatis advocarent[c], desiderantes, ut auctoritate apostolica aut emendatum eundem et absolutum recuperarent, aut, ipso iuste reprobato, alium in Christo eligerent. At ille, accusante se conscientia sua, sanctum conventum non
19 exspectavit; sed venit obviam domno papae in opido Canusino[d], humiliatus usque ad
1077. Ian. 22. pedes eius; et facta securitate domino papae per sacramenta, prout ipse dignatus est praecipere, praesentibus episcopis et abbatibus atque comitissa Mathilda[19] et Adeletia[e, 20], aliisque pluribus, tertia demum die est absolutus, veruntamen in regnum non est restitutus.

17. Itaque ad priora iterum regreditur consilia, ad excommunicatorum perversa conventicula, et quod iureiurando promiserat, brevi tempore observabat. Nam infra quindecim[21], ut opinor, dies, cum beatus episcopus Anselmus legationem domni papae una cum religiosissimo Hostiense episcopo Gerardo Mediolanum deferret, impediti sunt a militibus illius, et captus est Hostiensis episcopus; sanctum vero Anselmum nequaquam ausi sunt
22 tangere, quoniam indigena fuit, et nobilis prosapia[22]. Ipse autem ultro se capiendum ingerebat dicens, quod a socio legationis non discederet; aut illum, inquiens, dimitterent, aut se captum cum ipso tenerent. At illis hoc non praesumentibus, tristis abscessit, volens, si posset, pro fratre suam ipsius animam ponere. Haec est enim perfectio charitatis,
Ioh. 15, 13. haec summa dilectionis, *ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Solent alii tanta in necessitate simulare multa ac dissimulare, mentiri quidam, et periurare plurimi. Hic autem nec uno verbo simulationis quenquam liberare[f] voluit, quod bene quidem potuit, sicut ab ipsis, qui capti sunt, postmodum audivimus.

18. His utique ac similibus multis irrita facta sunt dicti olim regis Heinrici sacra-
1077. menta. Eligitur interim in partibus Theutonicis dux Rodulphus in regem ad defendendam catholicae ecclesiae unitatem; propter quod magis magisque indignatus Heinricus, spreto consilio et auxilio domni papae, in omnes catholicos debacchatur inique. Mortuo autem
1080. Oct. 15. in fide catholica rege Rodulpho, audet ille, quod potentissimi olim imperatores, sive illi haeretici aut apostatae vel etiam pagani essent, nunquam praesumpserunt, audet[g], inquam, convocatis aliquot haereticis episcopis, vivente papa Gregorio, cui obediens factus est etiam iureiurando, nullo habito universali concilio, absque iudicio, audet certe in papam eligere Wibertum, Ravennatem quondam episcopum tunc autem multis iam annis
23 excommunicatum[23], cuius superius aliquam sed breviter commemorationem fecimus. Sed

a) abnegaverunt A 1. b) decreverunt A 1. c) *ita* A 1. adorarent A 3. d) Canusio A 3. e) Adelasia A 1. 1*. f) *ita* A 1. simulare A 3. g) studet A 1.

19) Comitissam Liguriae et Tusciae vocat Petrus Diac. SS. VII, 738; cf. Stenzel I, 404. 20) comitissa Maurianensis. 21) Eadem refert Bernoldus anno 1077. 22) Vide Stenzel I, 416. 23) ab Alexandro II propter excitatum schisma Cadaloicum. WADDING. Cfr. Stenzel I. 372.

quis ad haec tam idoneus, quam hic, qui ab ipsis cunabulis spiritu superbiae repletus, nihil meditabatur praeter elationem et superbiam? Hic namque, nobis cernentibus, omnem obedientiam et subiectionem domino nostro papae Gregorio exhibuit[a. 24]; sed et ipse cum 21 honore illum ac dilectione in sacro Lateranensi palatio[b] recepit hospitio, et proximum illum a dextris suis in sancto habuit concilio et primum in omnibus, quibus digne oportuit, sperans verum esse, quod perditissimus simulavit. Ille autem non post multa per superbiam incidit in inobedientiam, factus pariter periurus sed et parricida tandem iniquus, quia patrem sanctum ad mortem usque est persecutus.

19. Talem, inquam, tam iustum, tam sanctum cum suis fautoribus in papam elevat Heinricus. Roma non quaeritur nec Romanus aut clerus aut populus. Unus quidem affuit Hugo nomine, candidus facie[c], nigerrimus mente, cardinalis[25] olim, sed dudum iam pro suis sceleribus iuste excommunicatus[26] et abiectus. Hic dampnatus dampnatum, periurus periurum, parricida laudat parricidam. In loco siquidem horrido et asperrimo, in mediis nivalibus Alpibus, ubi fames assidua et frigus pene semper continuum, locus ipse vicus est pro civitate, qui Brixanerium[d] vocatur, altissimis circundatus scopulis, ubi etiam vix nomen 1080 Iun. 25. Legg. II, 51 obtinetur[e] christianitatis. Hic principalis ecclesiae privilegia, hic summi sacerdotis iura, hic sanctorum patrum instituta, hic omnia evacuantur canonica decreta; nimirum, si qui rogarent, ut alium coelis imponeret Deum, quantum in ipso erat, aestimo, faceret atque confirmaret. Nam nec omnino novum est aucupium, quod agit, a pueritia quippe sua sic didicit. Enimvero dum venerabilis papa Alexander canonice fuisset olim electus, ipse Cadolum[e] Parmensem episcopum in Theutonicis partibus suum papam elegit[27] Romamque 27 direxit, qui diuturnam discordiam bellaque multa commisit. Huic nefariae praesumptioni mater ipsius Agnes imperatrix interfuit, quae sancti Spiritus illustratione compuncta apud ipsum papam Alexandrum confessionem postmodum fecit, poenitentiam accepit; cui id prae caeteris iniunctum est, quatenus Romae moraretur, ibique sancto Petro vigiliis orationibus et ieiuniis satisfaceret, ac prodesset ecclesiae consiliis et auxiliis, prout valeret. Ille autem in sua permanens detestabili pertinacia, Wiberticum[f] adorans daemonium, admonetur rursus ab apostolico affectu paterno, missis ad eum episcopis Albanensi et Paduano[28]. 1079. Atqui dum non emendatur, rursum periculossissime excommunicatur. Ille ergo quasi novo tyrannidis aucupio tunc incipit[g] universarum ecclesiarum tam praedia, quam omnes pene thesauros earum militibus dispertiri; quos et omnes parti suae agglutinat praeter admodum paucos, quos reservavit sibi Dominus, ut *non curvarent genua coram*[h] Rom. 11, 4. *Baal.*

20. Collecto igitur exercitu Romam tendit, atque primo mox ingressu[i] omnem furorem 1081. suum in supradictam dominam Mathildam convertit, villas incendit, castella diruit, quae tamen, divina se protegente misericordia, non nimium detrimenti sustinuit. Tunc, inquam, hominis ingenium et sapientiam, utpote sancti episcopi Anselmi laudare posses. Nam etsi navis fortis et bene composita est nautaeque prudentes, facile tamen periclitatur, nisi sapiens et validus fuerit gubernator. Illa[29] pro pietate matris[k. 30] solicitabatur, ille gubernandi 30 artem meditabatur; illa potestatem exercebat, ille regebat; illa praeceptum et ille dedit consilium. Excellebat tamen ille in omnibus, quia obedierunt sanctitati suae tam ipsa, quam sui omnes, plus tamen ipsa. Nec mirum. Adeo enim singulis per singula provide ac sapienter consiliatus est, ut et dicto quondam regi cunctisque maioribus ac minoribus, pene totius Italiae sola domus illa resisteret, iniuriam Dei suamque vindicaret, honorem obtineret, et gratiam Dei non amitteret. Nimirum suis id meritis impetratum est, ut laudabilis illa et gloriosa per exteras etiam terras praedicaretur. Quid ni? Illa enim nobiliter et magnifice, insolito mulierum more, plus dico quam viriliter agebat, nullum fere periculum metuebat.

a) et iuravit A 1*. b) sacrum L—em palatium A 1*. c) *ita* A 1. 1*. nomine *cet. codd.* d) Brixanorium A 1. 1* e) Carolum A 1. f) Wibertum A 1*. g) incepit A 3. h) ante A 1*. i) Italiae *add.* A 1. k) *ita* A 3. proprietate navis A 1.

24) statim post Gregorii electionem, ut refert Domnizo II, c. 1, ap. Tengn. p. 186. Bardo igitur auctor vitae iam tunc Anselmum comitatus est, qui ut supra c. 3 vidimus exeunte anno 1073 et 1074 Romae apud Gregorium commorabatur. 25) titulo Sancti Clementis. 26) in synodo Lateranensi a. 1078. 27) Eadem Hugoni exprobrat Gregorius in concilio anni 1078. 28) Tempora confundit auctor; iam anno electionem Wiberti praecedenti Petrus Albanensis et Udalricus Paduanus episcopi ad regem missi sunt. 29) Mathildis. 30) ecclesiae.

21. Quis nam[a] potentum unquam suum, ut illa, deduxit exercitum? Recesserunt tamen ab illa plurimi suorum et abierunt retrorsum. Separati sunt, inquam, a nobis, quia non erant ex nobis. Nam et angeli quidam de coelo deciderunt[b], aliis sic corroboratis, ut cadere amplius non valerent. Corroborati sunt et hi[c], qui permanserunt, tum ex dulcedine pastoralis sapientiae, tum ex benevolentia et hilaritate tam desiderabilis matronae. Nam egregrius ille pastor et doctor die noctuque affuit illis, spiritualibus doctrinis et admonitionibus illud maxime inter caetera replicans, ut ab excommunicatis se observarent, quoniam, si quis cum excommunicatis participasset, nisi accepta poenitentia primum absolveretur, nullam cum reliquis communionem habere potuit[d]. Perfecto utique[e] odio oderat excommunicatos, unde et solicitos multos sua doctrina reddidit, plurimos a tyrannide tanta prohibuit, quosdam etiam penitus convertit. Ipsi denique quondam dicto regi commoni- 31 torium dictavit[31], et[f] haeresiarcham ipsum, sanctae sedis Romanae invasorem, Wibertum scriptis salutaribus commonuit[31].

22. Quid tandem? Romam, sicut incepit, tyrannus ille invadit, tribus illam annis im- 1084. pugnat, quamvis[g] demum periurus[h] et pecunia plus quam viribus aut sapientia expugnat. Fitque beati Petri sancta ecclesia impiorum latronum spelunca. Sed necdum totam quidem Romam devicit, quoniam in castello, quod Crescentii dicitur, reverendissimus papa Gregorius permansit, permanserunt quoque nec corrupti nec decepti aut devicti nobiliores quidam Romani, magis obedire Deo quam homini cupientes haeretico. Igitur accrescente tam impia haereticorum persecutione, invitatus ab apostolico viro dux Apuliae et Calabriae Robertus Romam festinavit, ante cuius adventum Heinricus, urbe relicta, fugit, quam una Mai. 29. die manu armata dux fidenter expugnavit, dominumque papam de angustia turris in latitudinem sacri palatii Lateranensis cum magno triumpho et gloria reduxit. Itaque peractis 1085. ibi aliquot diebus, Salernum pariter perrexerunt, ubi et sanctissimus papa emigravit ad Mai. 25. Christum. Nam miracula quae per eum operatus est Dominus[32], alia quidem vidimus, alia ab idoneis testibus audivimus, quorum non est modo dicendi locus.

23. Fugato ergo ab urbe Heinrico[i] in Theotonicas partes statim ipse revertit[k], concitatis primum omnibus pene Longobardis adversum[l] praefatam dominam et adversus sanctum provisorem eius, sed et adversus omnem catholicam unitatem[m]. Nec multo post ecce coadunati sunt episcopi et marchiones cum aliis multis, qui magno impetu et furore subito terram invaserunt eiusdem comitissae, putantes totam illico suae ditioni subiugare. Tunc ergo congregati sunt et nostri, siquidem pauci, quoniam una vix die praescii facti sunt; veruntamen nimis confortati sunt, quia dominus noster sanctus Anselmus episcopus suam eis benedictionem per nostram direxit parvitatem, hoc in mandatis praecipue commendans nobis, ut si qui cum excommunicatis communicassent, primitus illos absolveremus, et tunc pariter omnes auctoritate apostolica et sua benediceremus, instruentes[n] eos, quo pacto quave intentione deberent pugnare, sicque in remissionem omnium peccatorum eorum instantis belli comitteremus periculum.

33 24. Facto itaque congressu, citissime dorsa hostes dederunt[33], et captus est mox Parmensis episcopus[34] et nobiles multi, minores vero absque numero; sed et mortuorum non est inventus numerus. De nostris autem tres mortui sunt, et vulnerati pauci, qua in re gloriam Dei et virtutem benedictionis reverendissimi praesulis fideles omnes agnoscere potestis. Ab hinc enim confusa sunt haereticorum conciliabula, et declinata est nimis elata eorum insolentia, gavisi autem et confortati sunt omnes catholici, praesertim domus illa, quam sanctus pater noster Anselmus episcopus inexsuperatam postea custodivit, ac in fide catholica permanentem reservavit. Et factus est ille unius olim civitatis episcopus, innocenter quidem expulsus, multarum civitatum praesul magnificus. Nam potestatem ei, et 35 vicem suam domnus papa commisit per omnem Longobardiam[35], ubi catholici non habe-

a) Quis A 1. b) ceciderunt A 1*. c) ii A 1. d) poterit A 1*. e) itaque A 1. f) sed et A 1*. g) quam A 1*. h) periuriis A 1*. i) *ita codd.* k) revertitur A 1. l) adversus A 1*. m) universitatem A 1. n) instituentes A 1.

31) Vide praefationem nostram p. 2. 32) Cf. Acta Vaticana apud Muratorium III: *Ad cuius itaque corpus in beati Matthaei basilica honorifice tumulatum mirabilis Deus multa miracula operari dignatus est.* 33) Die 2 Iulii prope castrum Sorbariam ditionis Mutinensis pugnam commissam esse refert Domnizo II, c. 3; apud Tengn. 194. 34) Eberhardus; cf. Bernold. 1084. 35) Consonat *Relatio de thesauro Canusino* Domnizonis libro praemissa, ap. Tengn. p. 129: *Anno Domini* 1082 *comitissa Mathildis cum episcopo Anselmo, qui et vicarius erat papae Gregorii VII in illis diebus*

rentur episcopi, qui tunc inveniebantur certe rarissimi. Concurrunt itaque ad ipsum ab omnibus partibus Longobardiae quotquot zelum habent fidei catholicae. Ibi benedictionem catholici[a], absolutionem excommunicati sed conversi accipiunt; ibi chrisma, ibi sacros ordines exquirunt; illic desolati solatium, inconsulti consilium, consulti gaudium inveniunt.

25. Apud ipsum quidquid usquam[b] dubii est, sapienter diffinitur[c], eiusdem semper gravitatis et reverentiae reperitur, nec precio aut precibus corrumpitur. Multi saepe[d] ad illum modo nobiles modo ignobiles, pauperes venerunt ac divites; qui, dum a praedicta comitissa vellent aliquid aut acquirere, aut acquisitum securius obtinere, munera sibi interdum grandia, interdum promiserunt alii maiora; quibus ille, quamvis pauper ipse atque egentes sui essent omnes, iratus respondit, dona respuit, adiutorium contradixit, quod si gratis postulassent, citius certe impetrassent. Ait enim: *Si est iniustum, quod expetunt, ero particeps imo auctor eorum iniustitiae; sin autem iustum est, reus ero, si iustitiam vendidero.* Quod si mente aliqui perversa divinitus forsan excaecati, aut avaritia[e] saeculi perniciose implicati, catholicae et apostolicae restiterunt sententiae, dum secum ratiocinari coeperunt, subito satis obmutuerunt, quia[f] sapientiae illius resistere non potuerunt, imo eloquentiam hominis tantam tamque rationabilem mirati sunt. Omnem enim sacram scripturam fere memoriter novit, quid singuli, quid omnes de quavis causa sancti expositores sentirent, mox, ut interrogares, responderet. Multa sibi sacris ex scripturis divinitus exposita cognovimus, quorum aliqua ab ipso habemus scripta, aliqua retinemus in memoria.

26. Multos libellos propriis manibus conscripsit. Apologeticum[36] unum diversis ex sanctorum patrum voluminibus compilavit, quibus domni papae sententiam et universa eius facta atque praecepta canonicis defenderet rationibus et approbaret orthodoxis auctoritatibus. In lamentationes Hieremiae dilucidissimam fecit expositionem[37]. Psalterium quoque rogatu benedictissimae Dei ancillae Mathildae exposuit[38] luculentissime, breviter qui- 38 dem sed utiliter, usque illum in locum, ubi ait: *Benediximus vobis in nomine Domini.* Psal. 128, 5 Ibi siquidem vitam et expositionem finivit, nobisque omnibus alter patriarcha Iacob benedixit, cuius, ut omnibus notum est, universam in Italiam benedictio descendit. In ipso[h] etenim et per ipsum haeretici ac schismatici alii convertuntur, alii confunduntur, quorum mox dentes confringuntur ipsorum, dum ipsius Domini verbis respondetur eis: *Caeci vident,* Luc. 7, 22. *claudi ambulant, surdi audiunt, muti loquuntur.*

27. De abstinentia vero illius quid dicam? Omnes fere cibos habuit tanquam exosos, etiam[i] delicatissimos, quae[k] praedicta ipsius in Christo filia saepe sibi exquisivit, non dico non manducavit, sed vix gustavit. Cuncta saeculi blandimenta et corporis delicias, quibus gaudent homines, ipse sibi convertit in tormentum abominando singula, tanquam quaelibet venena. Cibos quoque appositos dum a circumsedentibus interdum sumere cogeretur, infirmitatem aut votum vel quamlibet occasionem honeste finxit, ut et desideratam observaret castimoniam[l], et convivantibus non inferret tristitiam. *Vinum,* sicut beatus ait[m] Ep. 22 ad Eustoch. c. 4. Hieronymus, *fere ut venenum fugit.* Vidi, inquam, quod et tacitus notavi, ut in ore sumptam bucellam[n] nollet dentibus, sicut est communis hominum consuetudo, masticare, ne aliquam dulcedinem caperet, sed molliter tactam et breviter involutam consumpsit. Per totam saepe mensam non bibit, verum, si ardentius quandoque sitis incubuit, circa vesperas fortasse modicum aquae privatim hausit. Nam et in ipsa aqua, prout mecum saepe locutus est, gulae gastrimargiam[o] aestimavit, laqueum timuit, iodeoque parcius delibavit.

28. Quod si naturae necessitas non cogeret, insomnis, ut opinor, omni tempore permaneret. Nocte tota aut legit aut scripsit aut oravit, et, si fortius insisteret somnus, stans dormitavit; quod si delicatius interdum, in[p] genua usque provolutus dormivit; in lecto quidem rarissime, nisi summa cogente verecundia vel necessitate, nec idem[q] horis productis, sed quasi momentis. Paulominus iam ipsam devicerat naturam, ut non iam videretur corpus sed quasi[r] spiritus totus. Vere potuimus in illo[s] euangelium hoc ac si corporaliter

a) ecclesiastici A 1*. b) usque A 1. c) definitur A 1*. d) *deest* A 1*. e) avaritiae A 1*. B 2*. f) qui A 1*. g) Ieremia A 1. h) *ita* A 1. ipsum A 1*. i) et A 1. 1*. k) quos A 1*. B 2*. l) parcimoniam A 1. m) scribit sicut beatus A 1. n) buccellam A 1. o) castrimargiam A 1. p) ad A 1*. q) id A 1*. r) *deest* B 2*. s) in illo *desunt* B 2*.

in Longobardia, thesaurum ecclesiae Canusinae postulavit; et p. 130: *supranominatus vicarius qui et hunc episcopatum tunc iussione papae regebat.* 36) Vide praefationem nostram. 37) quae adhuc latet. 38) quorum commentariorum fragmenta aliqua servavit Paulus Bernried. ap. Mabill. saec. VI, 2, p. 454, cap. 112.

Matth. 4,4. agnoscere, quia „*Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei*“. Nam dum omnem sibi 39 fere victum subtraheret, plus tamen omnibus laboravit. Venias[39] de nocte aut, si privatim posuit, in die fecit permultas. Ad tertiam usque stabat frequentissime.

29. In consecrandis[a] vero ecclesiis[b] vel altariis, quasi plenus spiritu, infremuit totus. quia ferventi semper devotionis amore, quidquid erat ecclesiasticum, peregit. Mirabamur omnes subtilitatis eius inexsuperabiles vires, quia, nobis penitus penitusque lassis, solus laborabat; ut[c] autem missarum ad solempnia ventum est, confestim totus lacrymis manabat. Librum ubivis[d] reperit, statim perscrutari diligentissime studuit; ut[e] quidquid diebus tanquam percurrendo carperet, id noctibus pleniter ruminaret[f]. Si quando in expeditione, sicut saepius, aut in itinere fuit, licet multum fatigatus, non tamen aut cibum idcirco lautius sumpsit, aut in lecto quievit. Summae eius deliciae aut fructus[g] fuerunt aut herbae. Omem vitam et conversationem suam, quantum potuit, abscondit: sive fuit cum hoste in campo sive privatim in domo, lectum suum modica circundabat cortina, ibique solus vel legebat vel scribebat[h].

30. A media semper nocte, sicut ait propheta, ad officium surgebat matutinale, nisi raro parceret debilitati filiae sibi commissae, scilicet gloriosae dominae Mathildae, nam mater omnium virtutum discretio regnabat in ipso. O felicem illam, cui talis, tam providus semper assidebat paedagogus, non tanquam homo providus, sed ut providi consilii angelus. Nunquam, ut arbitror, astante illo aut defraudata est aut decepta. Mire mirandum, dum totam quandoque staret diem cum saecularibus in consiliis plurimis et[i] diversis, non est mente abalienatus, sed divinum semper aliquid intus agitabat, et contemplabatur coelestia. Milites domus illius, tametsi nimium saeculares, in illum tamen respexerunt omnes, plus ipsum quam naturalem dominam metuentes. In expeditionibus et in cameris, inter quaeque colloquia vel consilia aut praedicavit, aut quaelibet bona verba protulit. Quod si[k] suum fideliter sequuti sunt consilium, sicut eis praedixit, sic et saepius illis evenit. Si non omnes prorsus convertit, fideliores tamen plures Deo ac dominae ipsorum reservavit; omnes vero a multis saepe sceleribus coercuit, contra haereticos stare fecit, praeter filios tenebrarum perpaucos.

31. Religiosos omnes venerabatur ut patres, increpavit delinquentes, et haereticum hominem secundo aut tertio correptum sed non correctum devitavit. Per singulas ecclesias in omni supradictae saepius[l] dominae terra regularem clericorum vel monachorum composuit vitam: qui et malle se, inquit, ut in ecclesia nullus esset vel clericus vel monachus, quam irregularis, ut ita dicam, et irreligiosus[m]. In divinis siquidem officiis quo affectu quave contritione fuerit, non sufficio depromere[n]. Nihil in ecclesia legere permisit praeter orthodoxorum patrum scripturas, sicut sancta praecipit auctoritas. Ordinem et concordiam tam in cantu quam in lectionibus, prout sancti patres statuere, conatus est 40 observare. Apocrypha omnia, sicut beatissimus papa Leo constituit[40], in ecclesiae[o] non recepit officio: pro lectione tamen privatim in mensa vel collatione, non respuit omnino. Psalmos quidem ut caute ac meditatim cantaremus, praecepit, alioquin aspere increpavit. Novit Deus, quoniam videbar mihimet aliquando tanquam plenus spiritu ex ipsius aspectu, et quasi mei oblitus, videbatur ille mihi velut angelus. Inter divina mysteria nunquam vel raro sedebat. Missarum solempnia nunquam, prout percipere potuimus, sine lacrymis explevit. Ante omnia vero id studii semper habuit, quatenus sanctissimum[p] magistrum suum papam Gregorium imitaretur in omnibus, adeo ut discrepare ab illo prorsus nollet etiam in aliquo. Illius semper meritis attribuit quidquid in ipso fuit.

32. Dum vitam rememoravit monasticam et solitariam, quam se crebro deflevit amisisse, consolatus in eodem magistro est, quia obediens sibi usque ad id factus est. Ille fons erat, hic quasi rivus bonus ab illo fluebat, et aridam irrigabat. Ille caput totum corpus gubernabat, iste quasi manus studiosa quod iniunctum est peragebat; ille sicut sol illuminavit omnia, iste velut splendor declaravit singula; ille moriens mitram capitis sui trans-

a) considerandis B2*. b) frequenti B2*. c) ut — manabat *desunt* B2*. d) ubicunque A1. e) *ita coniecit Mab.* et *codd.* f) ruminabat A1. g) legumina B2*. h) *ita* A1. legeret — scriberet A3. i) ac A1*. plur. et div. *desunt* B2*. k) *add.* A1. l) *deest* B2*. m) ut — irreligiosus *desunt* B2*. n) *ita* A1. 1*. B2*. deponere A3. o) ecclesiastico A1*. B2*. p) *ita* A1. 1*. B2*. primum A3.

39) i. e. prostrationes, genuflexiones, incurvationes. WADDING. 40) Cfr. quae Wadding. hoc de loco disputavit p. 90, not. 84.

misit isti, tanquam potestatem suam ligandi et solvendi sed et miracula, credo, faciendi. Nam non multo post cognoscentibus nobis omnibus, per[a] ipsius consilium et fidem magnam praeclara quaedam fecit Deus per eandem mitram mirabilia. Inter alia enim reverendissimus dominus Ubaldus, Mantuanus scilicet[b] episcopus[41], multis iam annis gravissime[b] spleneticus, toto corpore ulceratus[c], praesertim in cruribus, sic ut vix quomodolibet stare posset, vix etiam[d] iacere vel sedere, qui et multa in medicos[e] erogaverat nihilque profecerat, apposita eadem mitra, ubi maior ingruerat dolor, pristinae redditus est sanitati.

33. Beatissimus itaque talis ac tantus magister miracula fecit multa[b] vivus et mortuus, fecit siquidem et bonus discipulus. Magister, inquam, in Deo, discipulus in Deo et in beatissimo magistro; facit vero[f], ut dicitur, plura discipulus. Nec mirum. Plura enim Petrus fecit quam Christus: non equidem propria virtute, sed quia abnegans semetipsum secutus est Christum, sicut et hic pater noster venerabilis, quia[g] pium imitatus est in omnibus magistrum, multas operatur virtutes. Multi enim sunt, quorum vitam novimus sanctissimam[h], qui et requiem vere obtinent[i] sempiternam; sed miraculorum non ostenderunt virtutem[k]. Hic autem non tantum[b] quia vitam fecit religiosam, imo quia fidelem peregit obedientiam, perfecto quoque odio partem odiens excommunicatorum, et unitatem diligens atque defendens catholicorum, miraculis approbat quod sermone docebat. Omnes ergo, qui in unitate catholica praeceptis domini papae Gregorii hactenus obedistis[l], gaudete et exultate, atque his, qui retrorsum abierunt et vestigia veritatis dereliquerunt, ut factis modo credant, dicite, quod verbis olim noluere.

34. Vidimus praesentes in vita ipsius subdiaconum[m] eius, nomine Teuzonem[n], qui infirmos semper habebat oculos; qui, etsi praeter solitum quid vigilavit interdum, aut bibit forte vinum, diu postridie[o] vix quidquam potuit videre, legere vero prorsus aliquandiu[p] non potuit. Aquam itaque, qua manus suas dominus episcopus post sacrificium abluit, accepit, oculos lavit, et sanos abinceps habuit, vigilare ac legere non minus nobis aliis potuit[q]. Similiter et presbyter eius Wido febres patiens aquam ablutionis manuum eius accepit, bibit et evasit.

35. Item Iohannes diaconus suus dum apud Mediolanum infirmaretur, festinavit sibi mandare[42], hoc addens in legatione, quod mox audita ipsius passione[43], vellet in se virtutem benedictionis suae sentire. Factumque est, ut credidit. Statim enim[p] sensit, pauloque post pleniter evasit, quem et presbyterum postea idem dominus episcopus ordinavit. Supradictam quoque sibi commissam filiam, scilicet[p] nobilissimam dominam Mathildam, diversis saepe ab infirmitatibus sanavit sola benedictione et, ut ipsa nobis consueverat referre, virtutem frequenter ab illo sensit exire, ita ut ad tactum illius fugeret[r] omnis tunc incumbens morbus.

36. Cogitationes hominum evidenter cognovit interdum, ipsisque cogitantibus *sic et sic*, inquit, *tali hora talique in loco cogitastis.* Testis mihi Deus est, quod non mentior; quia dum semel cum illo de meis peccatis, sicut saepe solitus eram, conferrem, quandam temptationem[s], qua[t] tunc ferventius me spiritus nequam[u] conabatur impugnare, confessus dixi; et ipse, *verum*, inquit, *dicis, quia in ipso etiam ministerio altaris interdum occurrit tibi.* Quod ut audivi, mox expavi, et ab omni deinceps prava cogitatione, praesertim illo praesente, studebam me coercere. Inter missarum quidem sanctas celebrationes talia maxime consuevit videre: qui etiam[v] id semper studii habuit, ut quotidie missas[w] celebraret. At si die aliqua non celebravit, quod rarissime tamen aliquo accidit[x] impedimento, tota die illa tristior erat et quasi gravis pernimium; sicut et illam quoque noctem, dum nimiis ex vigiliis coactus dormivit aliquantulum, gravem et inquietam deploravit.

37. Revelationes quoque digne memorandas vidit saepissime, quarum aliquas libet breviter perstringere. Quodam enim tempore, dum in ecclesia sancti Pauli in territorio

a) et per B2*. b) *deest* B2*. c) vulneratus B2*. d) ut B2*. e) medicis A1*. B2*. f) *add.* A1. g) qui B2*. h) beatissimam B2*. i) possident B2*. k) m. v. non o. A1. l) obeditis B2*. m) subdiaconem B2*. n) *ita* A1*. Theozonem B2. 2*. Tentonem A3. o) postinde A1. 1*. B2*. p) *deest* B2*. q) l. m. nobis aliis non p. A1*. B2*. r) statim fugeret A1*. B2*. s) cogitationem A1*. t) quia B2*. u) sp. neq. me ferv. A1. v) et B2* w) missam A1* x) acc. aliq. A1.

41) obiit inter annos 1092 et 1102; cfr. Visi Notizie stor. di Mantova. Mant. 1782. II, p. 178. 42) i. e. Anselmo infirmitatem mandare. 43) Germ. *sein Leiden.*

Mantuano iuxta episcopum consecraret quoddam altare ad honorem sanctae Mariae, vidit ipsam corporeis oculis in eodem altari inter ipsa solempnia consecrationis.

Alio quoque tempore in purificatione eiusdem gloriosae virginis Mariae dum tardior ad ecclesiam veniret, cantantibus iam clericis invitatorium, ubi ait, *occurrens Deo suo,* vidit intranti sibi Christum venire in occursum.

Altera vero vice quadam dum in magna compunctione cordis et lacrymarum decan-
Psal 85, 1. taret psalmum 81[a] utpote: *Inclina Domine aurem tuam,* sensit Dominum ad se inclinatum et tanquam aurem adhibere ad auscultandum. Multa quippe et alia fecit atque vidit, quibus festinantes modo supersedemus.

38. Postremo, quam felicem fecerit finem, multi episcopi et clerici nobilioresque laici praesentes viderunt. Testamentum non fecit, quia, unde faceret, non habuit, imitatus etiam in hoc[b] magistrum, quem pauperem et in exilio novimus defunctum, qui etiam in extremis suis, sicut ab ipsius[c] capellanis didicimus religiosis[d], *post omnia,* inquit, *dilexi iustitiam et odio habui iniquitatem, idcirco morior in exilio.* Equidem quod in vita sua magister ac[e] discipulus docuerunt, hoc et in morte, quasi testamento, confirmaverunt. Ille, quos obedientes sibi vivens adhuc benedixit, moriens quoque Domino precibus commendavit; Heinricianos vero penitus penitusque, nisi post magnam demum conversionem et poenitentiam, reprobavit. Hic praesentibus nobis in verbo Domini praecepit, ut in fide ac doctrina beatissimi papae Gregorii permaneamus; quod et cum benedictione nobis indidit, et in remissionem peccatorum nostrorum commendavit.

39. Affuit[f] huic benedictioni quaedam matrona nomine Berta, nobilis genere, nobilior mentis indole, animique devotione, uxor clarissimi comitis Bernadi, quae insolitam in capite patiebatur infirmitatem. Nam tanta in vertice capitis fatigabatur frigiditate, ut quasi glaciem superpositam aestimare interdum posset; quam calefactis ad ignem pellibus aut pulvinaribus saepe conabatur depellere, sed et medicis exquisitis plurimis nullam consecuta est sanitatem. Quod si frigus eam aut ventus ibidem aliquando tetigit, dum fortasse improvida dormivit non cooperto diligenter capite, vehementi vexabatur dolore, ut quasi vertentes vel exilientes oculos timeret, et tanquam contractis colli nervis, caput flectere non posset. Haec, inquam, venerat illo[g] quadragesimali tempore ad civitatem Mantuam[h] ad comitissam Mathildam, ut tam venerabilis episcopi sanctum et quotidianum audiret officium. Unde accidit, ut in extremis eius ad benedictionem, quam praediximus, citius multis aliis occurreret[i]; quae dum benedictionem ab ipso devotissima expeteret[k], manum ille capiti eius imposuit, et expulso mox insanabili frigore, calorem illa saluberrimum recepit, et exeunte sudore atque aliquantula sanie per auriculas eius, usque ad octavas Paschae sublata est omnis occasio infirmitatis. Quanta deinceps signa clarissima Deus per ipsum sit operatus, quid mea refert dicere, dum constet perplurimos praesentialiter omnia vidisse?

41 40. Rogavit itaque[l], quoad vixit, quatenus in capitulo monasterii sancti Benedicti[44], quod est in ripa fluminis Eridani sub obedientia sacri Cluniacensis coenobii, unde frater ipse ac monachus fuit, sepulturae commendaretur; et cum, concedentibus episcopo atque comitissa caeterisque omnibus, iam deferretur ad monasterium corpus, affuit subito reverendissimus[m] Sutriensis episcopus dominus[n] Bonizo[o. 45], quem et Spiritus sanctus suscitavit, ut clamaret dignum esse, ut in episcopio episcopus sepeliretur. *Tanta,* inquit, *lucerna, non decet, ut abscondatur. Ipse adhuc vivens tanquam indignum se humiliavit, nos autem ut vere dignum exaltare oportet hominem, quem fuisse scimus sanctissimum.* Acclamatum est idem statim ab universis, rapiturque a monachorum obsequiis, in episcopium defertur, ibique venerabiliter sepelitur[45].

41. Mirabamur hoc quasi magnum primo miraculum, nescientes[p] quod abinceps satis mirabilius erat futurum. Nam et id quoque tunc notavimus, quod et multi episcopi et cardinales, magna etiam multitudo militum die[q] obitus sui eandem in civitatem venerant[r].

a) *ita* A3. 85 A1. b) im. et hoc B2*. c) ipsis B2*. d) *ita* A1. religionis A3. e) et A1*. f) *cap.* 39 *deest codd.* B2. 2*. g) illo tunc A1*. h) Mantuanam A1. i) accurreret A1*. k) devotissime peteret A1. devotissima exp. A1*. l) Primo itaque rog. B2*. m) *addit* A1. 1*. B2*. n) *ita* A1*. B2*. nomine *cet. cod.* o) Sabinensis episcopus dominus Domnizo *Baron. ex* B1? p) *ita* A1. nescientibus A3. q) in die A1. r) eandem civitatem convenerant A1*. eadem in civ. conv. B2*. eadem in civitate convenerant et ipsius transitum et clara miracula viderunt post obitum. *Bar.*

44) Padolironensi. 45) sc. in ecclesia sancti Petri cathedrali Mantuana.

Aderat[a] siquidem Magalonensis episcopus, nomine Godefridus[b], et Benedictus Mutinensis episcopus, atque Aribertus Regiensis episcopus, et eiusdem civitatis episcopus, scilicet Mantuanus Ubaldus vocitatus, sed et Damianus cardinalis Romanae ecclesiae, qui et abbas Nonantulensis coenobii[46]. Hi omnes ad audiendam eius sapientiam, ad capiendum 46 ipsius[c] consilium, sicut saepe ipsi ac caeteri catholici consueverant, advenerunt. Sutriensis quoque pridie tantum recesserat, sed mox post transmigrationem ipsius eodem die affuit opportunus. Isti, inquam, et alii perplurimi[d] maiores ac minores interfuere, qui et ipsius transitum viderunt, et clara miracula post obitum eius praesentes cognoverunt.

42. Igitur anno incarnationis domini nostri Iesu Christi 1086, episcopatus vero sui 1086. anno 13, indictione nona, finitis iam annis septem excommunicationis Heinrici quondam regis, post transitum autem felicissimi papae Gregorii VII menses novem, dies viginti tres[e], obdormivit in Domino venerabilis dominus et pater noster Anselmus Lucensis episcopus, 15. Kalend. Aprilis, in civitate Mantua, praesidente reverendissimo episcopo Ubaldo, atque Mart. 18. dominante ibidem nobilissima duce ac marchionissa Mathilda.

43. Tertia itaque nocte post sanctissimi patris venerandam dormitionem quaedam contracta, quae una semper manu et posterioribus per terram[f] serpebat potius, quam gradiebatur, quae etiam in domo nepotis episcopi annum unum et duos menses ac dimidium manserat, apud praedicti patris tumbam meritis ipsius sana erecta est in prima noctis vigilia.

Sequenti vero die circa tertiam, ut visum est, horam refertur[g], quod quaedam a nativitate caeca ibidem fuerit illuminata, quam Brixiensis comitatus incolam tunc audivimus.

Eodem quippe die quasi hora sexta pauper quidam, in hospitio pauperum praedicti praesulis Mantuani aliquanto tempore eleemosynis sustentatus, a renibus usque curvus, ad eiusdem sancti patris sepulcrum orans, subito se sanum erexit.

44. Divulgatis itaque longe lateque talibus miraculis, ecce mulier quaedam de castello, quod Campitellum[h, 47] dicitur, quae visum penitus amiserat, coepit virum suum fla- 47 gitare, ut ad sancti viri corpus eam perduceret. Illo vero negante, frater eius misericordia motus, iunctisque bobus plaustro, coepit eam deferre. Dum autem quasi[i] duobus milliariis perrexisset, incoepit arbores et plaustrum et boves caeteraque iam omnia videre, quae gratias Deo eiusque sancto confessori agens, votum de paupertate sua faciens, domum reversa est.

Die nona[k]. Erat in eodem castro alia[l] quaedam cruribus ac renibus contracta, quae nulla ex necessitate lectum suum per se potuit exire. Haec apud civem quendam Mantuanum, qui venerat illo, precibus impetravit, quod impositam plaustro suo ad urbem detulit, et ad tumulum sancti praesulis humeris suis portavit: quae facta aliquanta oratione paulo post sana surrexit.

Die undecima. Quaedam etiam[l] de castello, quod Goudium[m, 48] dicitur, mensibus tunc viginti privata luminibus, biduo ieiuna iuxta corpus sanctum demorans, pristinam luminum claritatem recepit.

45. Die quinta decima. Altera quaedam de castello, ut dicitur, Lazete[n, 49], manu et pede contracta, ore contorto, morbo caduco gravissime vexata, ibidem aliquandiu patiens plenam recuperavit sanitatem.

46. Die sexta decima. Deinde astantibus nobis pariter cum gloriosissima domina Ma- Apr. 3. thilda et psallentibus in die sancto Parasceve, adveniens quaedam de loco, qui Coloniolae[o, 50], quae visum perdiderat, flens et eiulans, devotissime faciens venias[51], et post aliqua 51 surgens, oculos ad tapetum sepulcri tersit, visumque recepit.

Die decima octava. Mulier etiam una eiusdem civitatis non ignota dentium dolore ac

a) Aderat — cognoverunt *desunt* B 2. 2* b) Gotefredus A 1. 1*. c) eius A 1. d) quam plurimi A 1*. e) diebus viginti tribus A 1 *et Bar.* f) persona *Bar.* g) effertur A 3. h) *ita* A 1. Capitellum A 3. i) *add.* A 1. 1*. B 2*. k) D. non. *desunt* B 2* *ut omnes miraculorum numeri.* l) *deest* B 2*. m) Godium B 2*. n) *ita* A 1. Lazese A 3. o) Coloniole A 1*. 3. B 2*.

46) quod annis 1086—1097 rexit. Tiraboschi storia della badia di Nonant. Mod. 1785, fol. I, 108; ib. II, 210 eiusdem charta a. 1089 data invenitur. 47) hodie Campitello in provincia Mantuana. Chartam Beatricis et Mathildis a. 1073 *infra castro Campitelli* datam exhibet Florentinius, doc. p. 102. 48) forsitan *Goito* in prov. Mantuana. 49) *Lazzate* in provincia Mediolanensi. 50) *Coloniola di Valdriano* in principatu Lucensi. 51) Vide supra not. 39.

viscerum torquebatur; quae confugiens ad praedicti confessoris sepulcrum sana mox facta[a] est.

52 Altera quaevis de oppido, quod Castelluculo[b. 52] appellatur, adeo infirmata est, ut a lecto surgere non posset ullo modo. Haec, auditis tot miraculis, votum fecit, pauloque post evasit, atque octava die pedibus suis ad sancti viri tumbam veniens votum ipsamet persolvit.

47. Die vigesima prima. Erat insuper civis Mantuanus, qui superveniente albugine unius oculi visum amiserat. Multa itaque in medicos expendens nihilque proficiens, ad verum medicum salutis per merita supradicti praesulis sanctissimi confugit, visumque recuperavit.

Die vigesima tertia. Post haec puer unus de villa Vadum Ferratum appellata, quem arthetica[53] officio brachiorum privaverat, ad idem oratorium delatus, sanitatem recepit.

54 Die vigesima quarta. Alius etiam puer de Barbassio[c. 54], lumine privatus oculorum et quasi hydropisim perpessus, admonitus saepe in somnis tandem ad sanctissimi patris patrocinia confugit et evasit.

Die trigesima prima. Fuit presbyter de episcopatu Brixiensi, de castro nomine Gorelengo[d], cui malum id, quod per antiphrasin homines bonum appellant, unius oculi lumen abstulerat, qui audita tantorum signorum fama, ad sanctum sepulcrum properavit. Facta vero ibidem oratione reversus est, et quavis prurigine, dum erat in via, incitatus, oculum digito fricavit, apertisque mox palpebris clare vidit. Regressus ergo ad civitatem gratias coram omnibus tam pio retulit[e] patrono[f].

48. Nocte sequenti trigesimum primum diem. Quaedam autem de castello nomine Muratica[g], iuxta portum Lignacum[h. 55] in comitatu Veronensi, habens sinistram manum clausum sed et totam partem illam gutta paralytica perditam, haec trigesimo die obitus eiusdem sancti praesulis ipsius ad tumbam orans, sana surrexit.

De comitatu quoque Mediolanensi de plebe Rosade quidam claudus advenerat, qui et multa iam sanctorum limina sic contractus sanitatem expetens circuibat. Hic ad sanctum tumulum proruens, orationem faciens, sanus continuo factus est.

49. Die trigesimo nono[i]. Accidit deinde quod in multorum oculis iocundum fuit et mirabile. Nam in litaniis, quae Gregorianae appellantur, dum innumerabilis hominum mulitudo ad supradictam civitatem Mantuam concurreret, quidam de villa nomine Fornicata[56] et alia quae Blittolo[k. 57] dicitur, cum vexillis et sanctuariis[l], sicut est consuetudo,
57 venientes, et secus viam conspicientes cervam unam magnam, admoniti a quodam ipsorum presbytero, coeperunt omnipotentiam Dei invocare, quatenus meritis sanctissimi sui sacerdotis, ad quem devote pergebant, illaesamque eis ipsam concederet, quod et sic factum est. Nam, quasi fixa loco, stetit quieta. At illi misso in collum eius quodam funiculo, ad usque sepulcrum venerandi confessoris mansuetissime perduxerunt. Factus est itaque inaestimabilis turbae concursus[m]. Alii pilos ipsius, tanquam veritatis indicium, rapuerunt, alii tantum videre cupierunt, omnes autem aequanimiter mirati sunt. Sed, quia erat gravida, tantam sustinere pressuram non potuit, ad sepulcrum tamen pervenit, ibique succubuit, et paulo post, dum vivere non posset, occisa est; cuius caro in benedictionem diversas per partes divisa est, quae multis certe infirmis pristinam reddidit sanitatem. Sed non minus laudabile ac gloriosum est quod sequitur.

50. Revertentibus enim eisdem post completam orationem, quandam ad aquam venerunt, quam nisi navigio transire non potuerunt. Ut autem manifestarentur opera Dei, navis alteram in partem traducta est. Diu ergo exspectantes et aliquantulum tristes, eo quod ieiuni erant ac fatigati, recordantes prioris miraculi, iterum invocaverunt Deum, ut per merita sui sancti confessoris Anselmi transeundi daret consilium. Vix precibus completis, et ecce navis dissoluta absque omni remige venit ad eos. Gratias itaque referentes

a) effecta A 1. b) *ita* A 1. Castellucule A 1*. 3. B 2*. c) *ita* A 1. Burb. A 1*. 3. d) Gozelengo A 1. e) protulit B 2*. f) patrocinio A 3. g) *ita* A 1. Maratica A 1*. h) Legnagum B 2*. i) trigesima nona A 1. k) Blittole A 1. Plittole A 1*. Plettole B 2*. l) al. reliquiis *Wadd.* m) t. conc. in A 1.

52) hodie *Castelluchio.* 53) i. e. arthritis. 54) *Barbasso* in communitate Roccaferrariensi prov. Mant.; occurrit in charta Padelironensi apud Florentin. mem. della gran. cont. Matilda ed. Mansi p. 172. 173. 55) *porto Legnago* vide infra c. 78. 56) *Formicata* legit Visi Notiz. stor. di Mantova II, 88. 57) idem atque Blettulo, hodie *Pictole*, esse conjecit Visi l. c.

Deo eiusque confessori sanctissimo, omnes transierunt incolumes; cuius ex navis ligno diversis de doloribus perplurimi sanati sunt.

51. Nosse[a] etiam volumus sanctum desiderium vestrum quod non aliunde didicimus, verum ipsi vidimus et fecimus. Erat in obsidione cuiusdam castelli veneranda quam praediximus comitissa, ubi Theutonicus[b] quidam ictu petrae vulneratus est in capite; qui triduo post deductus est nostrum in hospitium, quatenus ibi meliorem quam apud laicos haberet tranquillitatem. Hunc deinde gutta, quam paralysin medici vocant, tam crudeliter invasit, quod amens penitus factus est, adeo ut nihil sane sentiret, neminem cognosceret. Vocati sumus denique[c] et nos, quatenus iniuncta ei poenitentia communionem daremus. Sed neque poenitentia quid esset, potuimus ei innotescere, postremo nec quid Deus esset, potuimus eum facere agnoscere, aut Deum vel aliquem sanctorum invocare. Aestimabamus certissime, daemonium illum habere. Vociferabatur[d] enim, ut assolent insani, clamore valido[e] inconvenientia multa; et nisi teneretur violenter, non solum vestimenta verum etiam discerpsisset membra. Auditur undique clamor, accurrunt plurimi, alii plangentes alii admirantes. Audivimus quoque nos in camera ipsius dominae lamentabilem illius vocem, quae divino compuncta instinctu ait ad me, ut annulum[f] qui sancti Anselmi fuerat, quem etiam beatus papa Gregorius aliquamdiu habebat, in aqua lavarent, quam bibendam sibi porrigerem, sperans, quod meritis ipsorum liberaretur. Surgens ergo et accepto annulo perrexi ad eum, quem inveni miro modo vociferantem ac se ipsum discerpentem. Nam licet eum quinque viri fortes tenerent, duo per crura duoque[g] per brachia et unus in capite, luctabatur tamen pectore ac ventre magis quam crederem, nisi praesens vidissem. Accepta itaque aqua, annulum intus in nomine Domini posuimus, et aperto eius ore in magna violentia cum cocleario[h] parumper eum vix primo potavimus; qui non multo post vocavit me ex nomine, atque incepit vocem meam agnoscere, et admonitus continuo invocavit sanctum Anselmum, et ut breviter dicam, post unam, ut aestimo, horam meritis sanctorum[i] confessorum, qui eodem annulo in divino utebantur officio, requievit mansuetissime et loquebatur recte. Huic nempe miraculo multi intererant, qui praesentes viderunt et audierunt, atque misericordiam Dei in suis sanctis confessoribus glorificaverunt.

52. Haec de beatissimo patre ac patrono nostro sancto Anselmo Lucensi episcopo perpauca quidem quantum ad ipsius merita, sed vestris spero piis desideriis proficientia, ego beati peccator presbyter suus in poenitentia, non dico filius, sed servus, ab ipso multis cum lacrymis ad eundem ordinem promotus, venerabiliter vobis expetentibus explicavi devotus. Precor vos, orate pro me.

Quae sequuntur a reverentioribus[k] conscripta sunt, sicut ipsi aut viderunt, aut a fidelibus intellexerunt.

53. Quadragesimo nono die a sancti viri transitu, sole iam occidente, per famulum suum dignatus est Dominus ostendere et hoc miraculum. Venit ad tumulum sanctissimi patris nostri quaedam de episcopatu Cremonensi, de ora illa quae dicitur Cancer[l], cui albulum unius oculi lumen penitus abstulerat, alteri vero vix in die videndi facultas erat. Quae orationibus aliquamdiu insistens, meritis sancti praesulis caecati oculi claritatem recepit, alteri autem, cui meridies ad videndum antea vix suffecit, nunc crepusculum noctis obedit.

Convenerat ad urbem Mantuanam[m] pro veneratione sancti viri multitudo magna de civitate et episcopatu Brixiae, inter quos erant quidam sub obtentu religionis, imo causa simulationis. Ad quorum incredulitatem confutandam et ad credentium, qui ibi aderant, fidem corroborandam Dominus omnipotens suam ostendit misericordiam. Quidam enim senex de familia Manifredi, de loco qui dicitur Pigognata[58], ob incisionem unius genu, ac- 58
cedente quoque alteri gutta, occasione huius incisionis officio pedum tribus mensibus

a) Nosse — orate pro me *desunt* B 2. 2*. b) Teuton. A 1. c) denique sumus A 1. d) Vociferabat A 1*. e) unde *addit* A 1. f) anulum A 1. g) duo A 1*. h) cochleari A 1. i) sanctissimorum A 1*. k) *ita* A 1*. *et teste Possevino* (*App. sacro I*, 86.) *etiam* A 2. *loco* recentioribus *quod caeteri codices exhibent;* reverentioribus *iam Waddingus proposuit lectione tamen codicis* A 1. *non adnotata. Et recte quidem. Nam auctores aequales, qui sequentia miracula inde a die 49 post obitum Anselmi facta litteris mandaverunt, nullo modo* recentiores *vocari possunt. Inter quos cum Ubaldus episcopus Mantuanus praecipuum obtineret locum, iure ipsos tanquam* reverentiores *designavit auctor noster presbyter Bardo.* l) Canser A 1. m) Mantuam A 1.

58) idem sine dubio, qui in chartis apud Fiorent. l. c. p. 235. 243. 254 vocatur *Pigognaga*, in episcopatu Mantuano situs.

caruerat; qui meritis beatissimi Anselmi pristinae restitutus est sanitati die quinquagesimo ipsius obitus.

Dominae Matildae Ubaldus Mantuanus episcopus gaudium et laetitiam.

54. Immenso desiderio vestro desideratam scribimus laetitiam. Fuit quaedam de Capriana, quae velut animal manibus et pedibus incedebat, quam Deus omnipotens per merita sanctissimi patris nostri erexit, et ad iter tantum officio pedum, sicut hominis natura expetit, frui concessit.

Simile etiam remedium cuidam de insula Parmensi, quae est iuxta caput Parmulae, similiter incurvato conferre dignatus est.

Praeterea puer quidam de monte Claro manum et pedem contractum habebat, cui Deus utrumque precibus beatissimi praesulis ad certum usum restituit.

59 Nec non mulieri cuidam de loco, qui dicitur insula Ogeru[a. 59], quae manum aridam habebat, per eiusdem patroni nostri intercessionem optata salus advenit.

Cuidam quoque puero de Ripalta[b. 60] visum reddidit.

Quaedam similiter de episcopatu Veronensi, cum iam civitati nostrae appropinquaret, oculorum claritatem recepit.

Quidam etiam de Plevazano[c], cuius calcanei natibus indissolubiliter adhaerebant, pristinae restitutus est sanitati, quem domino et religioso viro Lugdunensi archiepiscopo[61] ostendimus, et locum denotavimus, ubi calcanei iuncti fuerant. Quae multi ex episcopatu Brixiae et Veronae diversisque aliis partibus, qui convenerant pro veneratione viri, in vigilia ascensionis Domini videntes fieri, conversi sunt ad Dominum, abrenunciantes diabolo et sequacibus, et promittentes se prius ad effusionem sanguinis perventuros, si ad id periculi devenirent, quam ab hac fide deficerent. Haec omnia in vigilia ascensionis Domini et in sequenti nocte facta sunt et multa alia, quae prae multitudine invenire non potuimus; quae si invenerimus, vobis scribemus[d].

1086. Mai. 13.

55. Erat praeterea quaedam de castello, cui nomen est Gudiciole, quae pede ex contractione genu terram attingere non valens, incedendo curva vix duobus baculis infirmos sustentabat artus. Haec aliquot diebus sancti pontificis postulans misericordiam, consecuta est suae infirmitatis salubrem medelam.

Fuit pariter vir quidam nobilis genere, Adecherius nomine, qui[e] biduo sanguine e naribus erumpente, velut de vena ferro percussa, de sola mortis exspectatione iam cogitabat. Sed cum[f] iam nulla[g] medicorum adhibita cura perrumpentem sanguinem valebat[h] restringere, interpellans sanctum pontificem atque ad ipsius corpus se venturum devotans instantis mortis evasit periculum meritis et precibus sanctissimi viri.

Epistola altera Ubaldi episcopi Mantuani ad Mathildam.

56. Miraculorum quaedam vel oblivioni tradita vel antea incognita nunc vero comperta notitiae vestrae praesentare cupio. Remeantes cum gaudio Brixienses, de quibus nuper scripsi vobis, cum iam perventum esset ad vadum, quod paululum est supra Godium, non reperta ulla navi, nullam in corde suo tulerunt molestiam, omnem in Deo et sancto Anselmo ponentes fiduciam. Moram itaque facientibus, quodam equo ex alia parte fluminis viso, qui moriens et exhalans absque cibo et potu per triduum ibi iacuerat, quidam ex eis indubitanter rogavit Deum et sanctum Anselmum, ut surgeret et omnes transveheret. Qui mox surrexit, et ad transferendum eos se obtulit. Ecce quam magnifica patris nostri merita, ecce quam imperiosa potentia. Mortis lex frangitur, sua iura mutari queritur, obnoxius morti eripitur, vitae conceditur, vitae reparatur, ut servis Dei obsequatur, et, qui se ferre non poterat, ad ferendum onus praeparavit, et tam famulanter ad parendum se offert, quasi ratione non careret. Velle dicere videtur, si natura pateretur, *cur me non ascenditis? cur me ad servitium vestrum non exercetis? Non sum ob aliud vitae concessus mortisque faucibus ereptus.* Interea quidam nautae videntes illos apud ripam manentes navigio ad transvehendum illos advenere, sperantes se ab eis precium habere posse. Quam navem intraverunt,

a) Ogerii A 1. Egeni *Baron.* b) Rivalta *Baron.* c) Ploverzano A 1. Plovizano *Baron.* d) *hic desinunt* B 2. 2*. e) cui A 3. f) dum A 1. g) omni A 1. h) non valebat A 1.

59) Anno 1073. Beatricis et Mathildis chartis subscripsit *Albertus de Mezzana Ogerio.* Fior. p. 106. 60) *Ripalta* prope Mantuam. Vide Stenzel I, 544. 61) Hugoni.

et feliciter transierunt. Ecce quantum equus laborabat, ut se obedientem exhibeat, et quantum nititur, ut obsequendi voluntas manifestetur. Sed quod ore non loquitur, hoc gestu corporis profitetur. Transgrediente quippe navi transgreditur, revertente quoque illa revertitur. Postremum transvectis omnibus, ad locum unde venerat, perrexit, ibique paulo post vitam finivit.

57. Fuit puer quidam Cremonensis a compluribus vicinis suis ad tumbam sancti viri allatus, qui manum aridam habebat; eius salutem reverenter et confidenter et prae magna confidentia quasi minitanter postulabant dicentes: *Piissime praesul, sancte Anselme, confessor Dei, exaudi nos pro famulo tuo orantes, si quid in vita a te meruimus, si praedicationem tuam fideliter accepimus, si fidem incorruptam servavimus, si contradicentibus tibi constanter restitimus, exaudi nos, adiuva eum et libera. Multos sanasti ex infidelibus, unum saltem concede fidelibus, ne forte insultent nobis inimici obicientes, nunc apparet, quam grati, quam fidi ei in vita extitistis. Si vos in vita dilexisset, in morte quoque vos honorificasset; sed quam vos indignos, abominabiles, contemptibiles esse iudicavit, a tanta gratia alienos vos fecit. Repelle a nobis, piissime pater, hoc opprobrium, et cito profer nostrum gaudium. Monstra te nobis propitium, in quem semper respeximus unicum, quem nobis inspiciendum proponimus speculum, a quo postulamus auxilium.* Illis ergo tam devote orantibus, quam rogabant salutem eorum precibus est consecutus. Quam quidam Hermannus de Scorzariolo[62], qui manum similiter 62 contractam habebat, est adeptus.

58. Praeterea mulier quaedam, quae humum cernua semper spectabat, quae nisi fuste sustentata ire non valebat, apud tumulum memorati patris multis videntibus est erecta. Cuius locum non notavi, quia prae multitudine inveniri non potuit.

Tertia vero die ascensionem Domini antecedente duo facta sunt mirabilia. Quaedam enim de episcopatu Cremonae, de loco qui dicitur Casa Anserii, quod per octo annos amiserat intercedente sanctissimo patrono lumen recepit.

Ipsa quoque die mulier quaedam de abbatia Leonensi dexteram habens aridam, quam contractis nervis brachii fere iuxta humerum semper tenebat, contractoque genu eiusdem lateris humum digitis pedis summo tenus vix tangebat, apud tumulum sancti patris nostri utriusque mali sospitatem invenit.

59. Inter illa, quae in ascensione filii sui Deus per famulum suum magnifice operatus April. 14. est, mirabiliter admirandam eius virtutem postea mihi declaratam ab eodem, cui salutis nostrae auctor suam contulit medicinam, desiderio vestro desideranter notifico. Quidam enim fuit de villa vestra, quae est prope Rosinam[a. 63], nomine Ciliano[b], qui non tam renum[c] 63 rectitudinem dolebat sibi fuisse negatam, quam manuum virtutem omnino ereptam; adeo enim, gutta immaniter perurgente, tremebant, quod nihil agere nihilque tenere valebat. Huic itaque per visionem Dominus revelavit, quod si ad tumulum sanctissimi Anselmi se venturum reverenter voveret, utriusque infirmitatis salutem illico se adeptum gauderet. Hic ergo evigilans, visionem secum cogitans, nescius quid ageret, ambiguus quid crederet, revelationis incredulus, salutis tamen cuipidus, quosdam bonos homines suae viciniae ad se acciri fecit, narrataque visione vovendi se ab eis consilium recepit, factoque voto statim convaluit.

60. Item mulier quaedam de Fossa Capraria[64], renibus incurvata, pedum servitio privata eorumque loco fustium auxilio diu potita, cum iam accessisset ad tumulum patris nostri, sole iam decedente, tam gravis et variae infirmitatis subito sospitatem recepit.

61. Quod mihi quaedam matrona, mulier honesta, mater Ioannis de Persico, retulit, vobis quoque referendum putavi. Haec fide plena, Dei amore perfecta, sanctissimi Anselmi disciplinis instituta, suorum presbyterorum officium propter excommunicationem spernens, quadam die dum a circumstantibus quaereret, unde aliquem dignum et ad celebrandam missam idoneum habere posset, quidam de Casale[d] maiore[65] astans dixit: *Cur vestrorum* 65 *presbyterorum ministerium contemnitis? Propter amorem*, inquit, *et praedicationem sancti Anselmi, pro cuius meritis Dominus omnipotens quotidie facit mirabilia.* Qui dixit: *Nunc vos deprecor, in toto corde rogetis eum, ut, si aliquem erexit, sicut creditis, me contrahat, aut, si*

a) Resinam A 1. b) Ciliana A 1. c) *ita etiam* A 1. d) Casali A 1.

62) Scorzarolo invenitur in charta Heinrici IV. Murat. Antt. V, 645. 63) *Rosina* hodie in magno ducatu Tusciae. 64) *Fossa Caprara* in provincia Cremonensi. 65) *Casal maggiore* ad Padum in ducatu Mantuano.

quem illuminavit, mihi lumen auferat. Vix finita prece, ultionem Dei sensit adesse, et continuo flectens se in latus multum claudicare coepit. Haec autem videns hoc coepit intentius rogare Deum, ut adhuc augeret supplicium super incredulitatis filium, et confestim dolor tantum crevit, quod vix ad hospitium perrexit, et quasi mortuus est relictus. Huic ergo matronae venienti, ut gratias Deo et sancto Anselmo referret, quidam de monticulis Guiberti bene notus ei obvians, iam ab urbe regrediens, magnum sibi quod contigerat narravit miraculum. Quadam nocte cum ivisset ad flumen Oleum[a], ut hauriret aquam, porrecto uncino, quoniam ripa fuerat alta, decursus aquae sibi situlam abstulit, ablataque face, quoniam nox obscura erat, cum videret a fluminis vertigine abduci, rogavit sanctum Anselmum, ut eam sibi redderet. Facta autem prece, cum deposuisset uncinum, et vix duo brachia appropinquaret aquae, continuo ansa situlae se elevavit, et uncino se applicuit.

62. Per merita eiusdem sanctissimi patris nostri quaedam monacha de ultramontanis partibus de villa, quae dicitur Gamudium, iuxta castrum Cisne sita, unius oculi lumen recepit, et de altero, gratia Dei, nunc clarius videt, unde paululum videbat.

Quaedam igitur mulier de episcopatu Cremonensi de castro, nomine Benengo, quod est situm iuxta Iovis Altam[b], habebat puerum duodecim annorum, qui nondum a diebus nativitatis suae, nervis contractis, noverat gressum. Huius ergo salutis mater cupida, devotione plena, fide perfecta, eum se laturam ad venerandum vovit; deferensque, iam fessa propter onus, cum accederet ad Marcham Regiam, deposuit, cuius fide et devotione qua semper caruerat salutem mox invenit.

66 Praeterea quaedam mulier de Wartalda[c. 66] in somnis praemonita, revelationi credula, venit ad implorandum sancti patris nostri salutare suffragium; haec adeo hydropico morbo laborabat, quod se ferre non valebat. Eius namque corpus tantum intumuerat, quod se quin creparet, vix continere poterat; nec iam dicendum corpus, sed potius truncus; nec ulla hominis in ea videbatur species, sed tota deformis, et quaedam mortis facies; articuli enim manuum et pedum in solidum abierant. Nam si forma et oculorum orbitas perierant, mors potius quam vita instabat, et de salute non desperabat. Dignum ergo fuit, ut sanctissimus Anselmus huic salutis tribueret gratiam, a quo tantam exspectabat medelam, quam sequente nocte laetatur se esse adeptam.

63. Sicut a comite Guifredo et a Sigefredo de Beredo[d] eius milite modo didici, vobis[e] scribo. Vobis et abbatissa Sancti Pauli de Parma Mantuae manentibus[f], eius milites, auditis multis signis de sancto viro, ad cuius venerandum tumulum ire volentes orationis causa, rogaverunt quendam nomine Albericum, filium Alberici de Palmia, ut secum iret pro delictorum suorum petenda venia. *Sicut,* inquit ore stulto et livore pleno, *irem ad asinum; ita vadam ad eum, nisi fortasse derisionis causa, ad eius impetrandum auxilium.* At illi redarguentes et contumeliam inferentes, tandem, ut secum veniret, eum compulerunt. Extremo[g] autem die quidam contractus fuerat sanatus[h], quem ad tumbam prostratum videre cupientes, accesserunt et reverenter orantes tumulique lapidem osculati, laetantes redierunt. Ille autem, ut videret eum[i] qui liberatus fuerat, pariter volens accedere, a sepulcro tanquam indignus et blasphemus duobus fere passibus prohibetur, pedibus graviter et pigriter haerentibus. Hic vero credens crura sua fasciolis stricta exuit; et comperiens id sibi non obfuisse, iterum intravit, ultra eundem terminum non valens pergere. Ipse[k] autem dolens, sese toties esse repulsum, egressus est cum pudore, admirans et stupens, quamobrem id sibi contigerit. Interea caecus quidam illuminatus est. Cognovit ergo suam stultitiam, et maledicti poenitens flevit amare. Denique cum canonicis pro ferendis laudibus a Sancto Andrea rediens, multis ante ianuam Sancti Petri profusis lacrymis, ad tumulum patris nostri sicut caeteri meruit accedere, quod, ne socii ad contumeliam sibi obicerent, tacuit; sed nunc ad gloriam Dei et ad sanctissimi Anselmi ubique praedicat, quod sibi contigit.

64. Cum venissent aliquot Brixienses ad venerandum tumulum patri nostri, obviaverunt cuidam pauperi similiter venienti pro salute petenda de episcopatu Cumano, de Valtelina; qui cernuus[l] nisi fustibus sustentatus incedere non valebat; quem secum duxerunt et pro charitate sanctissimi Anselmi commeatum ei dederunt. Ad quorum fidem confirman-

a) Olium A 1. b) Iovisultum A 1. c) Wartalla A 1. d) Bovedo A 1. e) *deest* A 1. f) scribo vobis et abbatissae S. Pauli de Parma. Mantuae manentes A 1. g) Hesterno A 1. h) *add.* A 1. i) *deest* A 1. A 3. k) Ille A 1. l) curvus A 1.

66) forsitan idem atque *Wardestalla* ap. Florent. l. c. p. 182.

dam et devotionem augendam, Dominus per intercessionem praedicti patris 10. Kal. Iunii, Mai. 23. nocte iam appropropinquante, hunc erexit, et absque baculorum sustentatione ire concessit.

Praeterea cuidam puero a diebus nativitatis suae surdo et muto paulo post migrationem sanctissimi Anselmi eius meritis, nobis nescientibus, reddidit auditum. Huic vero secundo die intrantis mensis Iunii circa horam[a] nonam eius lingulae solvit vinculum, iuxta Iun. 2. illud, quod in euangelio legitur: *Bene omnia fecit; surdos fecit audire, et multos loqui.* Marc. 7, 37

Epistola Ugonis presbyteri ad Ubaldum episcopum Mantuanum.

65. Aliud quoque miraculum, quod confratre Vitali Brixiensis ecclesiae presbytero, religiosae vitae viro, aliisque pluribus referentibus didici, paternitati vestrae, venerande pater, Mantuane pontifex, me Ugonem scribere, ut iussisti, non piguit. In villa, cui nomen est Murana, quae a civitate Brixiae septem milliariis distat[b], mulier erat quaedam filiam habens linguae officio et pedum ita privatam, quod nisi alio deferente aliquo modo nullatenus surgere valebat; quae, cum ex more portaret extra domum contractam filiam, taedio quotidiani laboris suspirans, inquit: *Piissime Deus, per merita sanctissimi confessoris tui Anselmi, misertus meae tribulationis aut miseram hanc praemortuam[c] sanitati restitue, aut eam de praesenti vita auferendo me a tanto labore erue; alioquin hic eam tibi relinquo. Fac, quod placet, quia nullum pro ea laborem patiar abinceps.* Quo dicto, mox abiit, filia destituta, ut dixit. Modico[d] autem facto temporis intervallo, domum remeans, quam sanctissimo Anselmo reliquerat invenit sanam. Et eam[e], quae paulo ante linguae ligatae fuerat, audivit expedite exprimere verba. Quod factum mulier admirans et gaudens, Domino sanctoque praesuli reddidit laudes pro filiae recepta sanitate.

66. Presbytero quoque Ottone laudabilis vitae viro narrante, et quibusdam[f] Cremonensibus civibus contestantibus, aliud cognovi miraculum, quod silentio minime est praetereundum. Quadam die equitantibus extra civitatem aliquot Cremonensium[g], coeperunt vario sermone inter se referre quaedam miraculorum, quae Dominus operatur meritis sanctissimi confessoris Anselmi. Cumque ad invicem haec revolverent, quidam eorum, ut mentis erat perfidae, exprobrando eis interrogabat, an huiusmodi vanitates crederent, vel quod Deus per eum miracula ostenderet[h]? Quibus respondentibus, procul dubio hunc famulum Dei esse sanctum et multis miraculorum signis clarificatum, inquit ille perfidus: *Si est, ut dicitis, sanctus, vel si alicui reddidit gressum, nunc contrahat, in quo sedeo, equum;* sicque factum est. Nam paululum progressus, mox contractus stetit, cui insidebat, equus; atque praedictus homo infirmitate praeventus diu laboravit, donec ad sanctum corpus suppliciter ire destinavit.

67. Quod etiam matre mea de se narrante cognovi, non est tradendum oblivioni. Die quadam subito superveniens gutta ita unius oculi lumen sanguine cooperuit, quod recto visu terram etiam spectare non valuit. Urgente itaque eam oculi dolore, confugit ad sancti confessoris tumulum, suppliciter his verbis postulans suo dolori subsidium: *Sanctissime confessor, salubrem mihi confer medicinam, nam nullum, nisi te, quaeram medicum. Tu enim meae infirmitati salubre vales conferre subsidium.* Confricato itaque oculo ad lapidem, quo tegitur sancti corporis arca, cum remearet domum — huic ego sum testis — mox noxia gutta recessit.

68. Relatione confratris Vitalis Laudensis ecclesiae presbyteri, in multorum audientia sicut et caetera rem dignam memoria cognovi, qui[i] huic facto praesens interfuit. Huius[k] fides et vita iam dudum in Dei rebus probata, fidem eius testimonio adhibendam indubitanter demonstrat. Arialdus sanctissimi confessoris Anselmi frater, quandam habet quinque annorum filiam, quam febrium vis fatigabat, et insuper ex ipsius auriculae foramine gutta, quam dicunt, fistulam generante, putredo quaedam assidue guttatim stillabat; quae etiam approximantibus sibi fastidium generabat. Praedictae puellae parentes particula, quam habebant de ligno navis — cuius miraculum superius est praenotatum[67] — lota[l] aquam 67 ablutionis suae filiae dederunt bibere, invocantes sanctissimum confessorem, nepti suae subvenire; qua hausta, praefata puella utraque infirmitate mox est liberata.

a) *add.* A 1. b) quae — distat *desunt* A 1. c) pene mortuam A 1. d) modicum A 1. e) *deest* A 1. f) *ita* A 1. et quibus A 3. g) Cremonensibus A 1. h) ostenderit A 1. i) quia A 1. k) et huius A 1. l) navis lota cuius etc. A 3.

67) Vide supra c. 49.

69. Rem, quam in praesentiarum enarro, sub domnae Mathildae comitissae narratione didici et testimonio; cuius attestationi indubitanter credendum cognovimus ex ipsius probata fide et religiosis moribus; quod etiam mihi pariter innotuit, asserente eadem puella, cui hoc contigit. Nocte quadam repente dolor, ut saepe, puellam Athelasiam nomine, Azonis marchionis filiam, existentem in praedictae domnae camera, in parte ventris acriter torquens, magnos cogebat dare clamores. Interrogante autem praedicta domna, quid ageret, responsum est, eam sanctum Anselmum frequenter sibi in auxilium invocare. Cumque ex praecepto ipsius domnae pluvinar, in quo sanctus praesul vivus solitus erat sedere, illi parti corporis, in qua dolor imminebat, fuisset impositum, mox clamavit puella, omni dolore se liberatam.

70. Viro quodam, Constantio nomine, asserente, rem cognovi praeterea memoriae commendandam. Superveniens infirmitas uni puero cuiusdam militis scutario, in tantum vocem suffocaverat, quod ab aliquantulum a se remotis vix audiri poterat. Et quia dominum suum clamore interclusae vocis vocare non poterat, habebat cornu, cuius sonitu, in quo esset loco, sibi innuebat. Hic itaque cum praenominato Constantio ad sancti confessoris tumulum suffocatae vocis devote poscens remedium, ita sospitatem adeptus est vocis, quod nunc valet audiri a multum etiam remotis.

71. Praedictus Constantinus, completa devote oratione, pulverem de lapide sepulcri sancti confessoris cum devotionis reverentia rasum et a custode reverenter susceptum, secum detulit, quem aquae mistum cuidam mulieri vi febrium nimium loboranti, invocato auxilio sanctissimi praesulis, ad potandum tribuit. Ut autem mulier aquae potum hausit, fugata omni passione febris, mox evasit.

Vir quidam Mantuanae civitatis civis, Oddo Martini Canevarii dictus, tanti doloris cogebatur angustia, quod frequenter prae dolore totum corpus cooperiebatur sudoris aqua. Et quia nimii doloris torquebatur instantia, dicebat se hac sola posse sanari medicina, si vestibus conscissis, permitteretur cultro findere et pectus. Cum autem iam de sola mortis exspectatione cogitaret, allatum est pulvinar, in quo sanctus praesul in carne manens sedebat. Quod ubi ipsius pectori fuit superpositum, sancti praesulis invocato nomine, statim discessit omnis dolor.

72. Relatione Guidonis et Vitalis Lucensis episcopatus honestae vitae presbyteri, atque pariter sub testimonio Allucionis Lucanae civitatis nobilis viri, rem quam narro, cognovi, qui praesentes interfuerunt huic miraculo. Vir quidam manum iuxta brachium contractam habebat, cui praedicti Allucionis frater ex pietate in domo sua necessaria longo tempore ministravit. Praefati vero presbyteri atque pariter iam nominatus Allucio confidentes maxime de misericordia sanctissimi praesulis, hominem manu contractum ad quandam deduxerunt ecclesiam, in qua praedictus Guido presbyter quaedam sancti praesulis pro reverentia ac honore condiderat vestimenta. Orantibus itaque illis unanimiter atque postulantibus devotione multa, ut Deus ad confutandam et superandam Petri haeretici et invasoris Lucanae ecclesiae nequitiam in hoc homine declararet sanctissimi pontificis admirabilem gloriam, sanatus est homo, cuius manus erat contracta. Praedicti itaque sacerdotes spectantes tam praeclari facti laetitiam, ne Domini occultarentur magnalia, ex praecepto obedientiae sanato homini iusserunt, elevata cruce properare in Lucanam civitatem, ut populorum turbae spectantes hunc Domini misericordia[a] mirabiliter sanum, quem paulo ante noverant contractum, vel sic poeniterent, quia sanctum praesulem sanctitatis vitam praedicantem, sine causa sede propria expulerunt; ut, qui verbis ipsius noluerunt credere, vel tam evidentibus operibus crederent. Sed Petrus haereticus, qui etiam mittens manum in Christum Domini non timuit praesumere sanctum pontificem de propria expellere sede et sibi eam nefande eripere, indurato corde, visis signis et prodigiis adhuc perseverat in incredulitate suae nequitiae. Considerans denique ille nefandus hoc ad confusionem et detrimentum sui evenisse, temptavit sanatum hominem in custodia retrudere, volens huius rei signum tali perfidia occultare. Sed quia verbum Dei nunquam est alligatum, timens populum in se hac de causa concitatum, confusus permisit abire, quem habebat reclusum.

73. Sub testimonio eorundem virorum pariter et aliud cognovi miraculum mirifice mi-
68 randum. Hominibus loci, cui nomen est Castellonium[68], diu alteque puteum fodientibus,

a) per hanc Domini misericordiam A 1.

68) *Castiglione.*

venam aquae nulla arte, nullo ingenio reperire poterant. Cumque iam longo labore fatigati de aquae inventione desperantes inani opere vellent deficere, coeperunt se adhortari dicentes ad invicem: *Instantia orationum et eleemosynarum largitione deprecemur unanimiter Dominum, ut meritis sanctissimi praesulis Anselmi nobis concedat aquam reperire, pro qua invenienda diu frustra insudavimus.* Facientibus itaque illis eleemosynarum charitatem pauperibus, subito advenit puer nuntians in puteo abundantiam aquae repertam.

74. In literis archidiaconi Tarvisinae ecclesiae domnae Matildae directis et nuntii relatione, qui eas detulit, haec res mihi pariter et multis aliis innotuit. Erat vir quidam Lanzo Iudex nomine, Mediolanensis genere, Tarvisinus habitatione, qui[a], ficus agritudine vehementer virente et guttae morbo graviter eum in pedibus ferente, et gressu fuerat privatus, et requies somni penitus sibi nulla dabatur. Et quia viribus iam deficientibus in lecto vix se revolvere valebat, funiculus supra lectum fuerat ligatus, cuius adiutorio se mutabat in quodlibet latus. Die igitur quadam, tractis suspiriis et profusis lacrymis, coepit orare his verbis: *Deus meritis sancti Anselmi, cuius audio admirabilem gloriam, ostende in me etiam tuae virtutis clementiam. Sancte confessor, memento familiaritatis, quae nos in scholis socios iunxerat, prosint mihi, piissime praesul, quod persaepe miscui tecum amicitiae verba; ad venerandum tuum tumulum veniam, si praestas sanitatis laetitiam.* Tota itaque proxima nocte, sopore somni arreptus, quievit usque in crastinum. Facto autem mane, sentiens se iam convalescere, mox incepit confidenter ire, sicque sancti praesulis misericordia liberatus nunc gaudet se optime sospitatum.

75. Praeterea adolescens quidam auditus et linguae officio a nativitate privatus fuerat, qui plus mensibus duobus nobiscum demorans suae firmitatis certam nobis et multis aliis dederat notitiam. Hic quater in somnis vidit sibi roganti sanctum pontificem et aures iuxta sanctum tumulum sibi aperiri, et vinculum linguae pariter dissolvi. Veniens igitur, ut fuerat praemonitus, ad sanctum corpus mugiens et pectus tundens pro viribus, sanctissimi praesulis devote poscebat praesidium. Aliquot itaque diebus insistens orationibus et auditus consecutus est laetitiam et distincte loquendi plenam efficaciam; quod praesentes vidimus et fere cunctus populus nostrae urbis[69]. 69

76. Praeterea mulier quaedam fuit longo tempore luce privata, quam accedente gutta ad tempus tantus dolor capitis vexabat, ut furiosa prae angustia propria roderet membra. Haec utique hortatu et adiutorio Opizonis de Gonzaga[70] ad sancti confessoris deducta tumulum, et guttae liberatur angustia, et lucis pariter consecuta est laetitiam. Cuius praeteritae infirmitatis praedictus Opizo adest testis, qui corporis alimenta ex pietate diu sibi praebuit in domo sua.

In praedio canonicorum Beati Petri, in loco cui nomen est villa sancti Laurentii, mulier fuerat quaedam, cui nasus horribiliter intumuerat, et calor intrinsecus urens saniem emittebat. Haec devote sanctum deposcens praesulem consecuta est desideratam salutem.

77. Item quidam puer de Saviala[b. 71] gaudio lucis privatus fuerat, qui rediens a Cre- 71
mona ad sancti praesulis festinabat tumbam, a qua paucis diebus discesserat. Properans itaque sitienter ad sancti remeare corpus, ad lapillos saepissime allidebat pedes, utpote homo qui sibi adversa nullatenus prospicere valebat. Dolens ergo et gemens sanctum confessorem poscebat suppliciter, ut calamitatem tantam dignaretur aspicere[c]. Taliter igitur oranti in via, dum veniebat, occurrit desideratae lucis medela.

Pariter quidam de episcopatu Tarvisino lumina ad proprium usum laxare nequibat. Hic quoque veniens ad venerandam tumulum recepit optatae lucis gaudium.

78. Puella quaedam pariter fuerat in villa, cui vulgaris usus indidit nomen Mairana, a civitate Brixia non multum remota. Huic et linguae usus interclusus fuerat, et aliquot membrorum praeter manum dextram suo officio fungi nequibat. Hanc miserabilis mater seminecem spectans devota devovit, se eam delaturam ad sanctissimi confessoris misericordiam, quasi altera Cananaea pro filia rogatura. Iuxta igitur sui voti promissionem, parentibus eam deferentibus, puella in via et linguae recepit officium et omnium membro-

a) quem A 3. b) *ita* A 1. Sacciula A 3. c) respicere A 1.

69) Mantuae. 70) cuius subscriptio saepius occurrit in chartis apud Florent. docc. p. 226. 228. 261. 71) locus in occidente monasterii Padolironensi situs. Cfr. chartam Mathildis a. 1109 datam apud Fior. probb. p. 225.

rum usum; quam iuxta sanctum sepulchrum gratias referre Deo vidimus, et ipsius patrem huius rei dantem testimonium.

Convenientibus multis ad sanctum corpus pro impetranda suae infirmitatis medela, 72 quidam quoque de loco Carpum nomine, ultra Athesim posito, portui de Lignano[72] proximo, adveniebat, qui, manum habens contractam et brachium ariditate invalidum, in ipso itinere recepit salutis beneficium.

79. Item cognovimus rem memoria dignam, narrante de se ipsa domna Mathilda venerabili comitissa, cuius testimonio fidem facit et fides eius probatissima et vita pariter religione plena. Praescripta domna multis diebus febribus pernimium laboraverat, et capitis dolor vehemens ipsam fatigaverat. Cum vero die quadam ex more missarum solempniis adesset, enitens, dum legebatur euangelium, erecta[a] esse in pedibus, fatigata infirmitate mox decidit. Aderat vero iuxta se ob reverentiam in capella, episcopi lignea tabula posita, in qua exhalato spiritu sanctum corpus ad funeris exequias lotum fuerat. Suppliciter igitur deposcens sancti viri praesidium, ac per tabulam praedictam deducens frontem, illico liberata est capitis dolore.

80. Non multis post diebus transactis, non modicae scabiei fracturae ipsius domnae manus et corpus totum fere immaniter repleverant. Cum autem prae manibus haberet episcopalem annulum, quo Dei pontifex utebatur in missarum celebrationibus, coepit secum conferre, quod merita tanti praesulis possent sibi subvenire ad tactum etiam annuli, cum quo ipse quam plura sacrificia Deo obtulit, sicque ipsum annulum fracturis superponens, ab ea die sanata est ipsa in valetudine.

Paucis post diebus praeteritis praefatae christianissimae domnae acies visus adeo interturbata fuerat, quod de nocte lectioni ex more operam dare formidabat. Inter missarum vero solempnia tenente ea prae manibus unam orationum[b], quam sanctus pontifex eidem dominae propria manu scripserat in usu orationis sibi habendam, chartam, qua continetur praedicta oratio scripta, oculis superposuit, et abstersit; et deinceps recepta lucis claritate, ut prius, nocte et die non expavit lectioni insistere.

81. Everardus quidam Francigena genere, ordine presbyter, nobiscum nuper[c] aderat; cui ambos minores digitos unius manus gutta subito superveniens rigidos reddiderat, et partem palmi pariter et iuncturam, qua manus brachio nodatur, adeo arripuerat, quod ad nullius officii usum eam inflectere valebat. Et quia totius brachii vires etiam defecerant, corrigia in collo ligata suspensum brachium sustentabat. Prandente eo cum ipsius consociis, advenit quaedam paupercula ex charitate sancti Anselmi petens sibi dari eleemosynam; qui fractum panem manu sua porrigens mox sanatus est a praedicta infirmitate.

82. Quod inpraesentiarum narrare contendo, nullus perversa mente fictitium vel fabulosum contendere praesumat. Testis adest huius rei idem ipse, qui confractis non modicis catenis, praesidio sanctissimi confessoris Anselmi mirabiliter est liberatus de angustia carceris. Contestantur pariter catenae confractae; praesentibus episcopis, audientibus populis praedicavit et praedicat suae captionis miserabilem aerumpnam et liberationis praedicandam laetitiam. Crescente, sicut ubique terrarum notum est, validae persecutionis tempestate adversus sanctum Gregorium VII[d], dignum Romanae ecclesiae apostolicum, pro veritatis et iustitiae praedicatione atque pariter contra totius Romani imperii catholicos, christianissima comitissa domna Mathilda pro ecclesiae defensione totis insudavit viribus. Ubertus Arditionis[e] filius et praedictae domnae capitaneus[f] unus, ut in hac perturbatione de eius fidelitate et servitio indubitanter ipsa domna confideret, inter multas alias fidelitatis promissiones omnes, quibus suarum arcium custodiam commiserat, iurare compulit[g], fortitudines arcium quas custodiebant, supra nominatae domnae potestati liberae tradituros, ac deinceps in eiusdem fidelitate permansuros, si idem Ubertus aliquid infideliter adversus eam domnam faceret, vel quippiam malitiose tractaret. Post capto Uberto ob suae infidelitatis nequitiam, homines illius contra iuramenti sponsiones non timuerunt, quidquid iniuriose poterant agere adversus eandem domnam. Ex quorum numero quidam Lanfran-73 cus, de Piola[73] nomine, officio miles, quia ipsorum perversitatibus inhaerere renuebat, insidiis et traditionibus[h] ab eisdem captus et a tempore Augusti usque ad octav. Kalend.

a) erectam A 1. b) orationem A 1. c) superaderat A 3. d) *ita* A 1. sept. Gregorium A 3. e) Ardicionis A 1. f) ex . . . capitaneis A 1. g) compellit A 1. h) insidiis traditoriis A 1.

72) *porto Legnago.* Vide supra c. 47. 73) *Piola* ditionis Vicentinae.

1087. Mart 25.

Aprilis duro carcere est affectus et non modicis catenis adstrictus. Iidem quoque malitiosi cogitabant, quomodo possent ei vitam eripere, nec tamen volebant cognosci, eorum ingenio hoc factum fuisse. Cumque tot angustiis astrictus solam mortem exspectaret, in vigilia sancti pontificis Anselmi arrepto somno visum sibi est, sanctissimum praesulem ante se deambulare habitu, quo adhuc in carne[a] solebat incedere. Ad quem mox exclamans, inquit: *Sancte Anselme, quam apte, quam utiliter servivi multoties; servitium meum te bene remuneraturum promisisti mihi persaepe. Ecce aerumpnas meas respice, et quia vales, subsidium affer. Et quoniam nequaquam deceptus es, promissiones tuas nunc adimple, nunquam convenientius mihi, quam nunc, potuisti rependere mei servitii munus. Saltem ecclesiae me restitue, quam intrare me prohibent.* Ad quem piissimus Dei pontifex inquit: *Ne timeas, ecclesiae te ego restituam.* Mox visum est sibi, in ecclesiam quandam se ab eo deduci et signari et benedici. Cui mox: *Ecce ecclesiae restitutus es,* dixit. Ad quem homo ille: *Me redditum,* inquit, *ecclesiae, satis gaudeo. Sed adhuc auxilium tuum, domine, imploro.* Quem sanctus pontifex pie consolans, ait: *Ab hodie octavo die et cultrum meum tibi mittam, et necessarium auxilium impendam.* Itaque die octavo occurrente venit ad eum quidam Reginae civitatis ante incognitus, acutissimam limam deferens secum. Qua data videntibus cunctis, nec contradicentibus qui aderant custodibus, compedes et catenas rescidit velociter. Dubitante vero eo pro custodibus exire, subito sanctissimus confessor advenit, atque visa est domna Mathilda advenisse, multitudine hominum subsequente, cui cum diceret: *Quid exspectas exire? ne differas; surge confidenter;* surrexit videntibus custodibus et exivit illaesus.

83. Praesentis narrationis miraculum est nobis notificatum sub multorum audientia, narrante et contestante eadem, cui hoc contigit, femina. Aestatis tempore nuper praeteritae quaedam femina de Ripalta ad laborem mendicarum in campos ex more exierat, suam secum ducens filiolam. Eo vero tempore luporum pestis adeo increverat, quod etiam a conspectu parentum pueros rapere non formidabant. Cumque, ut dixi, in campis existeret, lupus repente filiam sibi surripuit[b]. Ut autem misera mater dilaniatam a fera deportari vidit filiam, quibus valebat vocibus sanctissimum interpellabat Anselmum, ut sibi et miserae filiae ferret subsidium. Mox piissimi praesulis invocato nomine, rabida illa fera ab ore proiecit puellam, tamen[c] non audens tangere et a longe prospiciens eam. Mater vero anxia, confisa tamen de sanctissimi confessoris subsidio festinavit ad adiuvandam filiam. Quam cum deduceret, lupus sequebatur utramque. Sancti itaque praesulis clamitans saepe subsidium, tandem ferae illius fames est refraenata, et utraque femina ab illius morsibus liberata.

84. Quod praesentes vidimus, nequaquam silentio praetereundum duximus. Mulier quaedam cruribus sub se retortis contracta, manibus et natibus totum corpus gestabat. Haec diu sancti pontificis postulans praesidium, erecta est ad venerandum tumulum: quam ante eleemosynis sustentatam novimus et complures ex nostris civibus.

Praesens adhuc est nobiscum filius archipresbyteri[d] de Colurnio[e], Ubaldus nomine, qui retulit et saepe interrogatus itidem refert huius rei narrationem. Hic cum in nostra civitate artis grammaticae vacabat studio, nullam devotionem, nullam reverentiam sancto confessori exhibens, illius sanctis detrahebat virtutibus. Die vero quadam vehementi capitis dolore arreptus, ac credens, se pro dolore iam morti proximum, invocabat sancti pontificis auxilium, promittens se liberatum deinde fore credulum et eius virtutum praedicaturum gloriam, sicut de eo ante perverse locutus fuerat. Fatigatus itaque nocte tota circa matutini temporis horas leni sopore correptus, in somnis vidit sanctum Dei famulum capiti manum imponere et se benedicere sanctae crucis signaculo. Qua visione praeterita, evigilans cognovit se liberatum illius doloris molestia.

1087. Iun. 6.

In die ascensionis nuper praeteritae quaedam femina de Godi[74], Richilda nomine, compluribus nota, per integrum annum et eo amplius, quantum est ab Epiphania . . . . . .

Caetera desiderantur.

a) carcere A 1. b) sumpsit A 1. c) iterum A 1. d) *ita* A 1. archipresbyter A 3. e) Colunio A 1.

74) forsitan *Godia* in territorio Foroiuliensi.

VITA THEODERICI ABBATIS ANDAGINENSIS.

EDIDIT D. W. WATTENBACH PH. D.

Vitam Theoderici I abbatis iam SS. VIII, 566 *commemoravimus inter fontes, quibus initio saeculi XII auctor Chronici S. Huberti Andaginensis usus est. Scripsit eam monachus quidam, qui sanctum virum morientem ipse vidit (c.* 31*), non tamen Andaginensis. Nam quum Lambertum alloquatur, eum ni fallor qui maior dictus est magnisque laudibus a Chronici auctore extollitur, capite secundo ait, eius exhortationibus compulsum se Theoderici* abbatis vestri *vitam scribere; atque ea se relaturum esse profitetur* quae tua et aliorum fidelium virorum relatione mihi de ipso comperta sunt. *Et cap.* 11*:* eorum cum quibus vixit *testimoniis utitur. Putares eum S. Laurentii monachum fuisse, quia Berengerus abbas eius monasterii Theoderico morienti affuit; sed nulla mentio eius habetur in Reineri libro de claris sui monasterii scriptoribus. Heribrandus enim iunioris Theoderici vitam scripsit. Quam ob rem magis placet, quod Io. Mabillon proposuit, motus verbis capite ultimo scriptis:* Hunc tibi libellum de vestro, immo et nostro patre Theoderico .... exaravi, *scilicet Lobiensem monachum fuisse auctorem, quum et Theodericus ex monasterio Lobiensi prodierit, et laudibus eius coenobii auctor immoretur. Scripsit autem non multo post mortem ipsius, scilicet ante persecutionem illam quam post a.* 1091 *quum alia tum ipsum sancti Huberti monasterium ab Otberto episcopo experta sunt; quam si novisset, certe aliquo modo tetigisset. Ineunte saeculo XII locum ex*
1 *hac Theoderici vita (c.* 8*) recepit auctor vitae Richardi Virdunensis*[1] *cap.* 9*; plura, sed verbis mutatis, qui Chronicon sancti Huberti scripsit.*

Edidit primus Io. Mabillon in Actis SS. Ord. Sancti Benedicti VI, 2, 557—582, *erutam, ut ait,* ex tribus codicibus mss., in quibus omnibus cum manca et imperfecta habeatur, quae in alterutro desiderantur, ex tertio supplevimus. *Ex his unus fuit Lobiensis, et praefixum vitae habebat locum ex Continuatione Gestorum abbatum Lobiensium de Theoderico*[2]*, ubi ipsius vitae libellus commemoratur. Sed totus hic libellus Gestorum codici insertus fuisse videtur, quum in codice illo cap.* 8 *scriptum fuerit:* Eo tempore, sicut in superioribus dixi-
3 mus, florebat .... Lobiensis ecclesia[3]. *Sed in edendis Actis Sanctorum Augusti*

1) SS. Vol. XI, p. 284 ubi vitam Theoderici Metensis allegari arbitratus fui, in errorem ductus tum per Hugonem Flav. SS. VIII, 368, tum quia locus iste in Mabillonii editione fere totus deest, et a Capero inter varias lectiones retrusus est. 2) Spicilegium Dacherii VI, 607; II, 748 edit. secundae. 3) In Lobiensi codice hoc legi, in praefatione dicit Mabillon; alii duo fortasse hoc loco manci erant.

Guilelmus Cuperus vitae textum invenit, olim descriptum ex Ms. codice Alnensi, *ex monasterio videlicet, quod et ipsum Lobiensi vicinum fuit.*

Qui quum et plenior et correctior esset illo prius edito, hunc edidit Augusti volumine IV, 843—864. *Collatione facta apparet, codicem Alnensem fulciri auctoritate vitae Richardi, in illo autem et consulto omissa esse quaedam cap.* 10, *et multis locis verba excidisse, cap.* 8 *totum locum de Richardo abbate, et quae casu vel incuria describentis deturpata fuerant, postea meris coniecturis sarta, quorum exempla invenies cap.* 20. 21.

Nos igitur quum codicum ope destituti simus, apographum Alnense (A signatum) fundamenti loco posuimus, emendationes passim ex textu Mabillonii (M) petentes; sed gravi variarum lectionum sarcina abiecta, eas tantum adnotavimus, quae alicuius essent momenti. Numeros Mabillonii retinuimus, capita Cuperi uncinis adiectis signavimus.

INCIPIT PROLOGUS IN VITAM DOMNI THEODERICI ABBATIS.

1. Quibusdam antiquis scriptoribus aiunt utiliter hoc studii genus summum fuisse, ut eorum qui inter eos excellebant corporis et animi industria virorum, tam dicta quam facta, ea dumtaxat quae relatu digna videbantur, litteris transmitterent ad posterorum notitiam; ut scilicet mortuis apud morituros clara ingenia immortalitatem conferrent, nec silentio premeret annosa vetustas, quos miraretur merito, et quorum virtutibus ad virtutes incitaretur posterior aetas. Eos imitati postea ecclesiastici viri quidam ea, quae temporaliter in carne vel dixit vel mirabiliter operatus est filius Dei, claro stilo veraciter prosecuti, splendore institutionis euangelicae corda fidelium illustraverunt. Aliqui et[a] scriptis apostolicis actibus multum fidei et roboris et patientiae sequenti aevo addiderunt. Multi autem ab apostolorum temporibus ad nostram fere usque aetatem, vel de pace vel de bello ecclesiae magna nobis ex[b] suis scriptis reliquerunt monumenta; in quibus christiano homini strata est via ad ardua virtutum, patent etiam calles reflexi in devia[c] vitiorum. Quidam vero eorum passiones, qui caelum sanguine mercati sunt, conscripserunt[d]; plerisque autem cura fuit in litteris suis referre de eorum vita et conversatione, qui vel ecclesiis Dei praefuerunt, easque aut caelestis doctrinae illustratione, aut operum attestatione sive miraculorum coruscatione clarificaverunt, vel qui omnem[e] mundanae cohabitationis societatem non solum corpore sed et tota mente fugientes, ferarum et avium socii, tantum in desertis locis vixerunt. Et hoc fecerunt, non ut accurati sermonis compolitione gloriosiores facerent, quos iam in caelesti regno gloria et honore Deus glorificaverat, et consortes sui secum cohabitare fecerat; sed ut ad eorum aemulationem et exemplum iuniores instituerent, et boni quidem bonorum opera recitando meliores fierent, mali vero eorum exemplo, quos prius perversos, et postea Deo eos immutante[f] conversos legerent vel audirent, vitam et mores malos in melius mutarent.

2. Horum ego quoque, mi Lamberte, sequens et longe adorans vestigia, aggressus sum, te adhortante, venerabilis senis Theoderici abbatis vestri vitam scribere, et ab eius exortu, quemadmodum coeperit, quibus artibus[g] vitam suam instituerit, quo nisu ad virtutum fastigia conscenderit, quem etiam vitae terminum habuerit, illa tantum quae tua et aliorum fidelium virorum relatione mihi de ipso comperta sunt, rusticano quidem et minus accurato sermone, sed quam verissime potero, expedire. Quod onus quamvis non efficientiae securitate, sed tam pro pia defuncti senis recordatione, quam pro vestrae amicitiae praesumpserim magnitudine, quam sit grave et importabile, non sum nescius; ubi et propter historiae puritatem oportet niti veritate, et quia sancti hominis vita scribitur, falsitatis crimen cavere, ne in eum quem immoto[h] amore dilexi, condemner[i] mentiendo magis iniurius esse, quam obsequium impendere. Ad haec et illud accedit, quod dum plurima, velut quaeque in mentem venerunt, iniudicata nec satis[k] emunctae naris verba emitto, vel aliquando quaedam aut[l] nimis aspera, aut nimis levia et paene vulgaria, quod interdum

a) ex conscriptis A. b) n. ipsius scripta M. c) devexa M. d) scripserunt A. e) *deest* A. f) mutante M. g) actibus M. h) supremo M. i) d. m. m. i. e. videar quam M. k) et nimis A. l) vel A.

exigit historia, profero, iudicio multitudinis pateo, quae[a] variis reprehensionibus facile in utramque partem amore labitur aut odio. Porro autem cum imbecillitatem inscientiae meae penso, ne impositi a te mihi operis sarcinae succumbam timeo, et imperitia deficientis vertatur in culpam adhortantis. Sed cum et tuae amicitiae iucunditatem specto, et cum defuncti recordatione excitor, facile et pronum existimo, quidquid de illo apud te dictum pro utriusque amore fero. Nihil enim periculi est apud amicum proferre, quae sentias; dum tantum veritatis curam semper habeas, mendacii commenta caveas. Tutior quippe quamvis in rusticis et simplicibus verbis incedit veritas, quam verborum splendore subornata falsitas. Atque haec hactenus, sed iam ad narrationem convertor, invocans eum, cui ille de quo agitur Theodericus, devote et fideliter servivit, Deum cooperatorem esse huius operis.

INCIPIT VITA DOMNI THEODERICI ABBATIS SANCTI HUBERTI IN ARDUENNA.

4 3. Erat in villa quae dicitur Lerna, quae a Tudiniaco[b. 4] castro tribus milibus, a Lobiensi vero coenobio quinquaginta stadiorum dividitur intervallo, miles quidam honorata natus familia, Gonzo nomine, habens uxorem religiosam et timentem Dominum. Quae dum aliquando sopori se dedisset, vidit per somnium se in quadam ecclesia cum[c] quibusdam reverendi habitus viris officiose sibi obsequentibus, sacerdotalibus indutam vestimentis astare sacro altari, et cum litteras penitus ignoraret, omne officium missae diligenter percantasse, et sic indubitanter illud mysterium celebrasse, tamquam si omni tempore huic vacasset operi; post expleta vero illa, ut sibi videbatur, missarum sollempnia, ut sacerdos populo benedixisse; dein exutis et sepositis in sacrario sacris illis[c] vestibus exiisse, et valedictis omnibus domum reversam, post dulcedinem somnii leniter evigilasse. Hinc perterrita coepit sollicitari et conturbari intra semet ipsam pro visione, memor sexus et conditionis suae, timens quod viderat multam calamitatem praetendere sibi et domui suae, cum sciret illud mysterium[d] a nulla feminarum umquam praesumptum esse. Porro autem ut sapiens mulier recogitabat apud se, quod si Deus vellet eam occidere, vel domum eius damnosis cladibus affligere, alio modo quam mysterio vivificationis humanae miserias et mortes suas praescire posset; certa tamen erat visionem huiusmodi non fantasticam esse, nec se deceptam nocturna vani somnii imagine[e], sed potius quidlibet magnum divinitus[f] praedivinare. Neque vero femineo more cuivis, nec saltem ipsi marito, voluit visa referre, sed posuit faciem suam ad[f] Dominum, rogare et deprecari in ieiuniis et elemosinis et oratione, ut Deus qui revelat mysteria et novit in tenebris constituta, mysterium visionis dignaretur ei revelare; et quia cor ad quaerendum apposuit, quod quaerebat, Deo monstrante ita scire meruit. Erat eo tempore in sanctae continentiae vivens proposito infra ipsam regionem quaedam anus longaeva, cui praeter cetera virtutum dona pro merito vitae Deus concesserat, ut multis nonnumquam praenuntiaret futura. Huius opinione illa mulier in spem interpretationis somnii sui adducta venit ad eam, brevique illi commendata[g], post mutuos amplexus et colloquia retulit ei cum multo tremore[h] et lacrimis suam visionem, orans primum ut pro se Deum exoraret, ne quid prodigiale illi visio portenderet; deinde ut eius interpretationem sibi indicaret. At illa oratione fusa gratiaeque prophetalis munere afflata: *Fidens*, ait, *o mulier esto; quia quam vidisti, divinitus ad te facta est visio, quae ad salutem tuam et multorum implebitur hoc modo. Ecce filius quem habes in utero* — nam gravida erat — *nascetur tibi, quem iam Deus nunc sanctificavit et in opus sacerdotalis ministerii segregavit sibi, per quem et*[i] *multorum saluti consulendum providit.* Haec dixit, et mulierem promissi certam domum remisit; quae ubi ad maritum rediit, tum demum somnium cum interpretatione, ut a prophetissa audierat, secreto illi exsolvit. Quod ille, ut homo militiae et saeculi negotiis omnino temporibus illis deditus[k], contempsit et derisit, et divina oracula muliebria reputavit deliramenta et vane composita.

4. Maternis interea mensibus evolutis postquam mulier conceperat divinitus nuntiatum, ipsa nocte festivitatis sancti Martini, dum populus ad vigilias matutinales concurreret,

a) p. v. r. Facile enim in M. b) Thudiniaco A. c) *deest* M. d) ministerium M. e) imaginatione M. f) *deest* M. g) precata *Mab. adiecta ex al. cod. varia lectione* commendata. h) timore A. i) *deest* A. k) neg. deditus, o. i. t. contempsit et div. M.

4) Tudiniacum, vulgo *Tuin,* opidum ad Sabim fluvium, non longe a Binchio. MAB.

peperit filium, anno dominicae incarnationis 1007, imperante apud Romanos et Germanos secundo[a] Henrico, anno postquam iuniori Ottoni successerat sexto, praesidente in Leodiensi sede Notgero, magnae sanctitatis et sapientiae[b] viro, postquam ordinatus fuerat episcopus anno septimo et trigesimo[c, 5]. Mane facto mater eum baptizari et Theodericum in baptismate fecit nominari, quod potest interpretari Dei contemplator, sive divinorum speculator. Quod nomen, quamquam multis cum illo commune sit, quodam tamen futurorum praesagio sortitus est; nec immerito: nam a puero usque ad ultimum vitae suae terminum, semper gratia Dei secum crescente intendit contemplationi divinae. Igitur infantulus ablactatus tanta matris suae cura et diligentia nutritus est, ut exceptis parentibus et domo nihil cognosceret; et cum iam fere septennis esset, patre eius inscio, qui eum, quod ipse erat, fieri terrenum militem et rerum suarum disponebat heredem, mater visionis suae non immemor, primis eum litterarum dedit imbuendum elementis: flagrans omnibus votis filium suum abstrahi a vanitate et tumultibus huius saeculi, et facere ministrum in domo Domini. Sed omnium bonorum inimicus, videns in puero iam quiddam gratiae spiritualis inesse, artes quibus illi noceret quaesivit, patremque contra uxoris suae bonum propositum inflammavit. Qui filium suum a litteris abstractum domi servari iussit, interminatus uxori gravia, si posthac eum praesumeret tradere his disciplinis. Sed post aliquot dies, dum unus puerorum patris sui bulliens ius coctarum carnium ab igne transferret, impegit super puerulum et cecidit, sinistrumque eius brachium de ipso iure ab humero usque ad manum fere inussit. Statim ille doloris impatiens corruit, et moribundus paene volutabatur humi. Turbata omnis concurrit[d] familia, ante omnes mater nati commota dolore frigidius glacie pectus super exanimatum, ut putabat, filium praecipitat. Sed Deus omnipotens inter instantiam mortis tyrunculum suum servavit, cuius providentia et filiorum virga iam eum assuescebat, et plagis suis ad se trahebat. Postquam autem illa a torpore mentis in se rediit, ut vix tandem inter singultus et crebra suspiria dolor vocem invenit, modo pectus tundens pugnis, modo faciem foedans unguibus, modo crines scindens manibus et saevis totam domum implens[e] querelis, se infelicem clamitans, se obtestans[f] miseram, se neglectam Dei respectu miserandis iterat ululatibus, cui ex promisso Dei datus erat filius, sed peccato suo et mariti detestanda rabie tam subito nimis acerbo raptus esset funere. Deinde ut correpta a marito et his qui aderant, aegra solo membra vix extulit, videt filium inter manus ancillarum iam modesti vultus, iam temperantem clamoribus; sed quaquaversum tamen pestis illa bullientis iuris se sparserat, totam carnem pueruli cute nudaverat. Cum mater et ipsa interdicens fletibus excepit filium, refovet et deosculatur tamquam ex morte redivivum, brevique Deo curante ad salutem restitutum, iterum clam patre illius commendat eum scholasticis imbuendum litteris.

1007. Nov.

5. Cumque pater aliquantis diebus absens, domum reversus filium non invenisset, et ubinam esset inquirens rescisset, offensus abiit, et de medio scholarium ubi degebat[g] arreptum, domum reduxit. Unde quidem ego eum in hac parte beato Martino comparandum arbitror; nam quemadmodum pater gentilis, ne Christo militaret filius suus, Martinum impediebat: ita Theoderico ne in tabernaculo Domini ministraret[h], pater suus quamquam christianus obstabat. Sed non valet humana prudentia divinae ordinationis dissipare consilium. Nam licet[i] tunc non sponte, Martinum iam saeculo militantem ut voluit conservavit, et ad suam militiam mirabiliter Deus revocavit; Theoderico autem[k] priusquam per aetatem corrumpi posset, sic[l] providit. Cum ipsa die puerulus in solarium domus ascenderet, corruit et brachium sinistrum, quod adhuc paene recenti inustione erat invalidum, gravi collisione dissiluit, et fractum ex humero pependit. Exterritus tam acerbo et inopinato casu exsanguis pater accurrit, et paene exanimen inter sua brachia attollit, multisque perfusus ora lacrimis, se ipsum ultro accusat, se parricidam, se occisorem filii mixto luctu et ulutatu clamat, qui eum Deo cum necdum natus erat dedicatum, auferre temptaverat. At vero mater femineis planctibus amara inferens convitia: *Quia, o fili dulcissime,* ait, *ad militiam terrenam a pio patre instrueris, eia nunc arma ferre, nunc equum agitare et circum-*

a) *deest M.* b) prudentiae M. c) vigesimo A. *In altero cod. Mab. additur:* priusquam vita decederet anno uno. d) cucurrit A. e) implet M. f) ostentans A. g) legebat A. h) militaret filius M. i) sicut M. k) sic et Theoderico p. M. l) hic providit. Cum enim ipse in s. d. cum puerulis a. M.

5) Numeravit annos ab obitu Everacri, Oct. 971 (SS. VII, 202), etsi Notgerus sequenti demum anno ordinatus est; obiit a. 1008 Apr. 10.

flectere, sic ferire, sic hostem disce cavere; sed si in castris Christi militare te noluit, spero in Dei provisione, quia eius rerum et militiae successor non eris. At ille: *Ne saevias,* inquit, *mi mulier, nec satis superque quam satis est tristem asperioribus irritamentis in inconsolabilem inducas dolorem. Etsi enim merito arguor ego, quia quod Deo quocumque modo votum erat substraxi, tu potius accusanda tamen, quae filium meum tamquam ad me nihil attinentem pro tuo arbitrio clam me vovisti Deo. Igitur ecce filius tuus, recipe illum, et si voluntas Dei est ut vivat, sicut vovisti monachus fiat.* Dixit, et matri filium reddidit. Illa autem materna sollicitudine curam eius habuit, plagam circumligavit, et frequenti lavatione et medicamine fovit, citoque adiuvante Deo non solum fracturam brachii resolidavit, sed etiam quidquid in toto corpore illa collisione laesum fuerat, in integram sanitatem reparavit.

6. Deinde non iam in abscondito ut prius, sed manifeste commendavit eum in mo-
6 nasterio Malbodiensi[6] filiae suae Ansoaldi, ut doceret eum elementa prima litterarum et psalterium. Quae quia simul[a] se opportune praebuit, non incongruum videtur de eius virtutibus et vita ad laudem Christi nominis[a] interserere pauca[b]; quidquid enim imitatione vel laude dignum habent sancti, totum est muneris Christi. Haec igitur puella adhuc parvula in monasterio ancillarum Dei a genitoribus constituta, in puellaribus annis ostendit, qualis futura esset accessu temporis. Nam ut assolet illa aetas, numquam puellarum lascivias aut negligentias secuta, numquam ineptiis et ludis earum fuit delectata, sed tantum lectioni et meditationi animum servire cogens, cum ceterae concurrebant ad publicum, illa ibat ad monasterium, cum aliae streperent, psallerent, et puellariter choreis se exercerent, illa orationi procumbebat. Ubi vero maturior aetas successit, brevi ceteras supergressa, aliis bene vivendi exemplar enituit, aliis vitae merito terrori fuit; quotidianis enim afflictionibus corporis libidinem punivit, omnes animi passiones repugnando superavit. Vigilabat enim interdum totis noctibus, nonnumquam vero orando diem continuabat nocti; cum vero necessitas somnum imperabat, aut pavimentum cubile habebat, aut stando, raro autem sedendo, paullulum dormitabat. Cibus ei panis cum sale frequentior, potus erat aqua, raro legumina vel poma vel herbarum radices admittebat. Nam vino, sicera, carnibus, ovis et piscibus ac cibis lautioribus interdixerat penitus. Mansuetudine, patientia, humilitate, clementia et caritate adornata, virgineae castitati luxuriam subduxit; custos oris sui ad silentium, numquam sciens vel volens locuta est mendacium; semper cauta, diligens et provida, numquam, si potuit, nisi sapientibus et castis sermonibus os aperuit. Quamvis saepe lacessita, numquam irata, numquam visa est vel leviter, nisi pro causa Dei, commota; contentiones et rixas et feminarum certamina omnino a se fecit[c] aliena et extranea. Balnea et lavationes contempsit, docens nullum extrinsecus posse pollui, nisi quem intrinsecus sordidat delectatio peccati. Turbarum strepitum et conventum ad se pro sui merito adventantium semper refugit, linguas detrahentium et favores se laudantium aequaliter habuit. His et ceteris cum gratia Dei redundaret virtutibus, multas in Malbodiensi monasterio ad similem virtutem excitavit, multas post lapsum ad poenitentiam revocavit,
7 et annuente Gerardo episcopo Cameracensi et Rainero comite Montensi[7], ordinem religionis monasticae, quae paene adnihilata erat, in eodem monasterio correxit et in melius reparavit. Sed quia castigat Dominus quos diligit, et flagellat quos recipit, ante septem dormitionis suae annos cancri ulcere percussa, nec bonae conversationis propositum usu[c] et virtutum consuetudine exercitatum minuit, nec flagellis umquam murmuravit, immo quia Dei visitatione digna est[d] habita, semper gratias egit; postremo felici excessu beata decore virgineae castitatis laeta migravit ad Dominum, receptura longi[c] laboris praemium.

7. Huic iam adolescentulae commendatus frater suus adhuc puer Theodericus, quantum ex aetate puerili vaticinari poterat, ingenii et vitae futurae certa dedit documenta. Nam lectionem psalmorum, quae singulis diebus illi a sorore sua tradebatur, et facile capiebat et memoriter cito reddebat; neque tamen ad discendum, ut solet parvula aetas, cogebatur minis aut verberibus, aut blandis incitabatur suasionibus, sed ultro statuta sibi tempora legendi ipse praeveniebat, numquam nisi iussus vacabat; ita ut soror et omnes

a) *deest* M. b) non pauca M. c) *deest* M. d) esset M.

6) Malbodium, vulgo *Maubeuge*, coenobium illustre olim ordini monastico subiectum, ut vel ex hoc loco probari potest, nunc saecularium canonicarum collegium. MAB.

7) ultimo huius stirpis, qui anno 1013 patri successit. Gerardus episcopatui Cameracensi praefuit a. 1012—1051.

qui eum viderent, stuperent, et mirarentur in illo et legendi assiduitatem et ingenioli velocitatem. Si quando autem cessaret[a] et cum paribus videbatur, ire vel colludere penitus refugiebat, poenaque illi erat, cum eum soror quiete reficiebat, gravisque illi erat quisquis eum ad spectacula ludorum[b] trahere volebat. Videns autem quo ordine soror sua vitam duceret, considerans quam gravis et matura moribus, quam studiosa esset in orationibus, et intelligens quod vestimentorum asperitate et ciborum[b] abstinentia corpus frangeret, coepit quantum tenera aetas patiebatur eam imitari velle. Incensus igitur eodem quo illa lumine[c], ibat latenter quidem sed frequenter ad ecclesiam, ut sororem facere videbat, saepius ad orationem procumbebat, pectusculum pugno tundebat, Dominum, sicut ab illa didicerat, ut sibi sapientiam intelligendi et recta faciendi et prava cavendi daret, devotis precibus, interdum mixtis lacrimis, rogabat. Quod ubi soror advertit, condelectata[d] tam verbis quam rebus ad bene agendum fratrem suum pro capacitate puerilis intellectus informare coepit, dicens hoc recte agendum, illud necessario esse cavendum, frequenti supplicatione et lacrimis Deum placandum, assidua lectione et bonorum actuum conversatione cognoscendum. His et huiusmodi mandatis sancta virgo quotidie puerum inter legendum instituebat, ille autem ante annos ad virtutum iter animum dirigebat.

8. Ea[e] tempestate florebat multiplici virtutum flore ac germine inter ceteras Leo- [2]
diensis et Cameracensis[f] parochias Lobiensis ecclesia, et pollebat sancta religiosorum[g] et illustrium monachorum conversatione. Hanc[h] nobilitaverat et institutionibus et sanctis monitis et exemplis extulerat, qui tunc in ea praesidebat abbas Richardus, vir[i] quo illa aetate nihil habuit Gallia clarius, licet reverendi abbatis Willelmi et apud Italos et Francos iam praeferretur disciplina, quamquam Odilonis aeque abbatis[k] inter monachos celebre nomen haberetur, nec non Agrippina civitas exultaret Heriberti praesulis[l] sanctitate, sed et Legia beatam se praedicaret sancto Walbodone[m], Virdunum quoque gloriaretur suo Haimone[n], Cameracum etiam vitae probitate attolleret Gerardus, Carnotenae autem decus urbis melliflui oris[o] facundia clareret Fulbertus. Qui videlicet abbas Richardus tamquam lucifer matutinus inter minora sidera effulsit, et late spargens sanctarum virtutum rutilantes radios, caelestis praedicationis iubare totam Belgicam, Germaniae etiam partem maximam illustravit, innumera monachorum[p] monasteria circumivit, agrestes a cultu pietatis eorum animos ad religionem unde erraverant[q], revocavit, et suo eos exemplo vivere instituit. Quem si ut fuit vellem laudare, fateor nihil dignum tanti viri virtutibus possem dicere. Hoc tantum tamen de illo vere et fidenter dixerim, quod quamvis sicut homo vivere videbatur in terris, erat tamen eius conversatio in caelis. Huic puer Theodericus regulari institutione nutriendus in monasterio Lobiensi a pia matre — pater enim humanis rebus iam exemptus naturae concesserat — est traditus, et cum fere decem esset annorum, sancto Petro est oblatus[8]. Quem venerabilis[r] abbas pio amore dilexit, et maiore quam ceteros coaetaneos eius diligentia nutriri fecit; audierat enim illum et priusquam nasceretur divinitus praenuntiatum, et pia matris eius opera, mirabiliter id agente Deo, contra[s] patris eius votum Deo dicatum. Ideo et ex studiis et qualitate morum eius coniciebat pius pater, quantus et qualis, si adolesceret, ille puer esset futurus; omnia enim quae in illo considerabat, bonae spei erant argumenta. Incedebat quippe humiliter inclinato in terram capite, humeris deiectis, manibus et pedibus et brachiis pulcre compositis, oculis submissis et humiliter respicientibus; rarus in ore risus, et ipse tenuis erat et moderatus; in genis lacrimae deprehendebantur frequentius; morum autem elegantia et animi sapientia simul cum aetate in eo crescebant. In interrogationibus cautus, in responsionibus velox et providus erat; litterarum[t] studiis adeo deditus, ut nulla hora competens illum praeteriret, quin legeret

a) cessare et c. p. v. i. v. colludere, p. M. b) *deest* M. c) numine A. d) condelectabatur. Tam M. e) Eo tempore, sicut in superioribus diximus, fl. M. *Cum cod. Aln. convenit V. Richardi c.* 9. f) diocesis *vel* episcopatus *supplendum esse patet;* inter — parochias *desunt* M; L. et C. p. *desunt in V. Richardi.* g) p. sanctorum *V. Rich.* h) quam nobilitabat et institutionibus sanctisque monitis ac exemplis efferebat M. i) vir — caelis *desunt* M. *Locum magni momenti, quem auctor vitae Richardi recepit, Cuperus exscripsit ex cod. Alnensi, sed Richardum „hac inutili et odiosa comparatione" laudari indignatus, inter adnotationes occultavit.* k) Cluniacensis *add. V. Rich.* l) *addidi ex V. Rich.* m) Wolbodone *V. Rich.* n) Hannone A. *mendose;* Cameracum — Gerardus *ibi omissa, ex V. Rich. supplevi.* o) mellifluus in f. *V. Rich.* p) *supplevi ex V. Rich.* q) oberraverant *V. Rich.* r) pius M. s) Deo agente, patris voluntate et voto Deo dicatum, ideo ex M. t) *deest* A.

8) Richardus demum a. 1020 monasterium Lobiense regendum suscepit, SS. IV, 18. VII, 470. Quare melius in Ann. Laub. a. 1087, anno professionis suae 65. obiisse dicitur.

aut scriberet aut dictaret, aut de quacumque quaestione agitaret. In brevi tam ornatu morum quam eruditione septem artium, quas liberales dicimus[a], factus philosophus, magnae admirationi adhuc adolescentulus eruditissimis senibus[b] fuit. Cum igitur his virtutum gradibus ad verae philosophicae[c] sapientiae arcem venerabilis abbas illum videret con- 1024. scendere, cum decimum septimum ageret aetatis annum, fecit eum ordinari subdiaconum a viro sanctissimo Gerardo[d] Cameracensium episcopo, a quo in annis puerilibus lector vel 1026. acolythus iam[d] fuerat ordinatus. Cum vero esset annorum novemdecim[9], professus obedientiam et sanctae regulae disciplinam, ipse abbas Richardus eum monachum ordinavit, et processu temporis ad diaconatus gradum ab eodem episcopo Gerardo eum promoveri fecit.

9. Appetebat autem familiaritates eorum, quos videbat religiosiores, hominum, maxime abbatum et monachorum, se suumque propositum commendans orationibus eorum. Zelabatur autem virtutes omnium, componens vitam suam imitatione aliorum; illius enim humilitatem, istius obedientiam sectabatur, istius se informabat simplicitate; illum frequentius orantem, istum imitabatur studiosius legentem; cum illo caritate certabat, istum patientia[e] superabat. Ad obediendum semper paratus, mirabilis erat omnibus; castitati vero luxuriam subdidit et incentiva vitiorum, et ipsos, qui non desunt in senibus naturales corporis motus, lectionum assiduitate, vigiliarum instantia et[f] orationum frequentia in lasciviensis adolescentiae annis viriliter compescuit et frenavit. Quidquid in se culpabile reprehendebat, mox insequebatur lacrimis, et puniebat[g] ciborum et potus abstinentia; corpus tenuabat non quidem quantum volebat, sed in quantum abbas permittebat. Vigiliarum porro ita studiosus erat, ut numquam vel cum ceteris vel post ceteros aliquis de lectulo surrexisse eum viderit; numquam eum nocturnales vigiliae dormientem vel quiescentem deprehenderunt[h]; silentio autem ita erat deditus, ut vix loqueretur nisi horis competentibus, et tunc etiam interrogatus. Et[i] cum tot et tantis polleret virtutibus, tamen quod difficilimum est, omnibus erat carus, ipsi vero abbati Richardo, quo amplius meritorum gratia illum ceteros praecedere videbat, eo prae ceteris gratior erat; et quia adolescentem acris ingenii consideravit, non solum ornatum maturitate morum, sed et eruditione septem artium quas[k] liberales vocant philosophi, praecepit eum esse custodem et institutorem puerorum, scholaris disciplinae magistrum. Ille autem obedientissime paruit, et plures discipulos habuit, quos non solum apprime litteris, sed etiam bonis moribus instituit, et aemulos sui ad virtutum fastigia promovit.

10. Eo[l] tempore frequenti suggestione invidorum Rainardus, tum Leodiensis[m] ecclesiae antistes, impulsus, quem venerari debuerat, insectabatur, et invisum habebat eundem sanctum abbatem Richardum. Ille cogitans grave esse potioribus resultare, et alterius culpam resistendo suam facere, simul et exemplo Domini potius amplectens calumniam sustinere quam se, cum irreprehensibilis esset, ratione defendere, reddita episcopo 1032 abbatia Lobiensi[10], Virdunum ubi etiam monachis sancti Vitoni praeerat recessit. Quod Theodericus graviter dolens, et magistri desiderio ardens, a monasterio profugit, et uno puero comitatus Stabulaus, ubi illum concessisse fama sibi murmuraverat, ad abbatem Popponem venit, qui et ipse e numero discipulorum magistri sui fuerat, multaque obedientia et ceterarum virtutum culmine promotus, eidem coenobio item et aliis multis praelatus, in disciplinam doctoris sui ibat operibus. A quo festive exceptus, triduo eius officiosa caritate usus est. Postea cum stratis caballis Virdunum usque vellet abbatem Richardum prosequi, equus eius uno pede subito claudus profectionem impedivit. Quod abbas Poppo cur accidisset, prudenter intellexit, et adolescentem pro culpa fugae increpavit, et agentem poenitudinem blande consolatus, ad locum suum mox non claudicante equo remisit. Qui ad monasterium reversus multo omnium est favore receptus, et iam in eo praesidentem 1033. invenit Hugonem, de[n] quo fertur, quod a pueritia in eodem monasterio institutus, Deoque

a) vocant M. b) senioribus M. c) philosophiae arcem v. pater abbas M. d) *deest* M. e) sapientia M. f) et o. f. *desunt* M. g) *hic interpungit* A. h) deprehenderint M. i) Cum vero t. M. *Sed leviores eiusmodi discrepantias adnotare abhinc omitto, cum sensum verborum nullo modo tangant.* k) q. l. v. ph. *desunt* M. l) Illo in tempore Richardus abbas reddita Reginaldo ep. Leod. abbatia M. m) Leodiensi *c.* n) de — substitutus *desunt* M.

9) Tamen dicitur infra octogenarius obiisse, professionis suae anno 70; hic forsan sollemniorem professionem intelligit, quae fuerit prioris quam puer emiserat, veluti rati habitio. MAB. 10) a. 1032. secundum Annales Laubienses SS. IV, 19.

placita et hominibus laudabili conversatione monachus probatus, ab ipso venerabili abbate Richardo fratrum praepositus fuerit constitutus, illoque amoto et recedente omnium fratrum pari acclamatione ab eodem Rainardo episcopo abbas substitutus. Qui sciens qua via Theodericus ab infantia nisus, quamque suo[a] praedecessori ad obediendum in omnibus fuisset paratissimus, multis experimentis conatus est explorare, utrum in ea qua coeperat, perseveraret boni propositi intentione; ille autem quae imperabantur omnia obedienter aggrediebatur, et cooperante secum gratia Dei, quamquam aspera et factu difficilia abbatis sui praecepta, faciendo ostendebat facilia; unde apud illum tantae dilectionis loco est habitus, ut prae ceteris obsequiorum eius servitiis uteretur gratius, ac specialis gratiae affectu colloqueretur frequentius, arcanaque sua cum illo communicaret familiarius.

11. Evolutis autem post haec aliquibus annis, cum virtutum profectu iam multis innotuisset, rogatu abbatis sui invitum et reclamantem ac lacrimosis vocibus se indignum protestantem, ordinavit presbyterum praedictus Cameracensium antistes Gerardus, 16. Kal. Iulii, anno postquam natus fuerat trigesimo nec adhuc pleno. (1037. Iun. 16.) Deinde omnes praeteritos labores nihili pendens, et quam gravis sarcinae fasce nunc demum premeretur inspiciens, prioris vitae propositum ita immutavit et consuetudinem, quasi tunc primum noviter Domino servire inciperet. Petita igitur ab abbate suo benedictione austerius vivendi, primum sibi proposuit ut semel quotidie comederet, nec umquam vel in diebus dominicis vel ullis sollempnitatibus nisi gravissimae aegritudinis molestia ieiunium solveret; quod a trigesimo usque ad octogesimum, quo mortuus est anno, per annos fere quinquaginta inviolabiliter tenuit, sicut eorum cum quibus vixit testimonio comprobamus. Cilicium autem per ipsos quinquaginta annos deponere vel ad momentum, nulla infirmitas ei persuadere potuit; balneorum vero munditias nec pro remedio sibi umquam adhibuit. Docebat enim illam carnem non indigere lavatione, quae putredo et vermium cibus paullo post deberet esse. Extenuabat se abstinentia graviore, et quotidiana maior atque robustior fiebat exercitatione; creber in vigiliis, in oratione assiduus, in lectione sanctarum litterarum et scripturarum ita erat studiosus, ut eas et memoriter teneret, et earum quaestiones quamvis difficillimas et obscuras cito exsolveret. Sed quid per universa discurro? Dum enim in singulis cogit me immorari pia recordatio Theoderici, praecepta non servo dicendi.

12. Talibus igitur de Theoderici virtutibus fama cum per vicina iret monasteria, abbas Poppo, de quo paullo superius praelibavi, eum sibi praestari et in Stabulensi monasterio scholasticum impetravit fieri. In quo monasterio multos adolescentium suo vivere instituit exemplo, quos scientia tam divinarum quam scholarium litterarum apprime instruxit, et disciplinae regularis institutione et morum compositione ad verae philosophiae studium excitavit, ac arenosam atque sterilem et spinosam cordium eorum terram fructiferam reddidit assidua doctrinae cultura. Erat enim ad docendum idoneus et ad interrogata respondere semper paratus, atque ad disserendum quae volebat[a'] facundus. Habebat vero consuetudinem ab adolescentia, omni tempore vel aestatis vel hiemis anticipare vigilias matutinales; et quia totis diebus exercebatur lectionibus, noctes deputaverat orationibus. Tunc quoque quadam nocte solito surrexerat, et in oratorio sancti Nicolai, quod intra[b] claustrum monasterii eiusdem situm est ad dextram intrantibus contra meridianum, ante altare iacebat profusus in oratione; interea unus de monachis et ipse habens propositum praevenire alios, surrexit et ibat ad monasterium[c] causa orationis; et ecce cum ante fores praedicti oratorii venit, vasta mole metuendus, picea specie terribilis, ardentibus minax oculis, sulphureo foetore intolerabilis, inter illum et ostium subito medium se opposuit daemon. Isque ingressu arcens monachum: *Unde tu quoque hic, cum ceteros placida quies his horis foveat?* dixit, *aut quo vadis, aut quid quaeris? Tune etiam hinc me arcere paras vigiliis et orationibus, sicut qui continuis precibus Nicolaum huc allexit iste, qui intro iacet Theodericus? cuius nisi praesentiam vererer, iam te hoc* — videbatur autem immanem quassare tridentem — *usque ad mortem caesum, quid possem ostenderem.* Ad haec monachus non valens ferre amplius, cuius vel solummodo visus[d] plures potuisset terrere, cecidit, et quanto potuit maiori voce: *Succurre, domne Theoderice, succurre!* ingeminavit. At Theodericus clamore fratris actus ab oratione surrexit, et aperto ostio, lumine etiam adhibito, hinc miserum monachum vidit iacentem, inde autem nigrum Aethiopem tamquam victo insultantem. Sed non et ipse

a) *deest* A. a') videbat A. M. b) contra A. c) oratorium M. d) visu A.

territus, signum crucis adversus hostem extulit, et cum signo hunc versiculum cantavit: *Per signum crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster.* Tunc daemon quod in se libratum fuerat non ferens telum, evanuit pulsus et virtute trophaei et meritis Theoderici. Ad monachum deinde venit, super exanimatum incubuit, orationem pro eo fudit, data manu eum erexit, in oratorium secum introduxit. Facto mane frater ille iam incolumis ad abbatem et fratres venit, quid vidisset, quid audisset, quid sibi contigisset, adhuc tremens et pallens retulit, primusque meritorum et virtutum Theoderici assertor verus et testis fuit.

13. Alio quoque tempore dum idem venerabilis abbas Poppo iret Leodium, habebat in
11 suo comitatu eundem Theodericum, cumque venisset ad fluvium, quem Amblevam[11] dicunt, ipse abbas et ceteri comitum eius recto itinere ad vadum abierunt, et omnes illaesi quidem, multa tamen difficultate transierunt; nam hibernis imbribus intumuerat, et undanti gurgite spumens saxa et radicitus convulsas arbores ut solet volvebat, ventorum etiam flatus vehemens densas hinc inde agebat pluvias. Theodericus autem ut forte post alios intentus cantico psalmorum, cooperto ex capitio capite sequebatur longe, anfractu viarum in diversa ducentium seductus, et ceteris praeeuntibus sinistrorsum deviavit ab itinere solus, secutusque in quam inciderat semitam, pervenit usque ad aquam. Illic pons est ligneus, in medios quidem agros ab utraque fluminis ripa distentus, in medio autem propter hibernas aquas longe elatus; sed ita angustus, ut neque equis neque bobus vel asinis possit esse aliquo modo pervius; soli autem pedites illo transire solent. Ad hunc Theodericus veniens, neque quam angustus et invius esset praevidens, equo sedens ascendit, et tamquam per latam et spatiosam iret viam, intrepidus pertransivit, nec primum respexit, quam cum de ponte descenderet, mirantibus et praedicantibus sociis divinae virtutis gratiam in suo facto ipse stupuit. In quo nimirum recte sapientibus considerare liquet, quod ille per mediam ventorum rabiem, per subtus frementis fluvii undantes fluctus, per supra ruentis pluviae procellas, Theodericum stricto limine pontis duxit, qui tumentes vortices pelagi stravit pedibus Petri. Sed iste cum periculi magnitudinem respexit, tamquam in medio periculi positus valde expavit; sancti namque viri hoc proprium habere solent, ut cum miraculorum operibus clarescunt, ne per elationem intumescant, homines se esse recognoscant.

14. Igitur Theodericus et sanctae vitae conversatione ac signorum attestatione iam apud multos in magna veneratione habebatur, eratque pia concertatio inter religiosos abbates, ut alius ab alio eum praeriperet. Nam et Walleramnus ex comite conversus monachus, mox autem post beatae recordationis Richardi abbatis decessum dignus successor in monasterio sancti Vitoni, quod est in territorio Virdunensi, a Stabulensi coenobio annuente suo abbate Hugone illum abduxit; ubi triennio vel amplius commoratus, plurimos habuit auditores, quos radiis suae doctrinae illuminavit, et timorem Dei docuit, ac in servitio Dei tam
12 factis quam verbis informavit. Rodulfo etiam Mosomensi[12] abbati praestitus, sapientiae subtilitate et observatione coenobialis vitae spectabilis, multis se spectabilem fecit. Postremo ad plurima loca missus, inter multos conversatus, et ut omnia brevitatis causa et cingulo constringam, quocumque abiit inter quosque[a] fuit, irreprehensibiliter semper vixit.

15. Sed interea cum videret plurimos Hierosolimam ad sepulcrum Domini[b] desideranter tendere, ipse quoque simili flagrans desiderio, coepit eodem proficisci velle. Paratis
1053. igitur tanto itineri necessariis sumptibus, indultaque sibi ab abbate eundi licentia, cum aliis
13 qui pergebant est profectus[13]; sed cum in[c] Hungariam venit, qui illum alio labori destinaverat Deus, propositum eius praepedivit. Nam turbata illic incursione barbarorum re publica, tam ipse quam comites eius transire prohibiti, Pannoniam conversi, multa difficultate venerunt ad urbem Romam, habentes votum inde ad montem Garganum ire per Apuliam, atque inde Adriatico mari transferri Constantinopolim, indeque Hierosolimam. Sed postquam in basilica beati Petri corpore et meritis gloriosa coram ipso sancto apostolo uberrima lacrimarum effusione et multa cordis contritione Deo omne desiderium animae suae effudit[d], post orationem egressus Theodwinum Leodiensis ecclesiae praesulem ad basilicam per gradus nitentem offendit, et cum eo plures amicorum suorum, inter quos et Ansel-

a) quoscumque M. b) *deest* A. c) *deest* M. d) effundit A.

11) Ambleva seu Amblevia, *l'Ambleve*, qui Rechtae immixtus Stabulensem abbatiam alluit. MAB. 12) Mosomum, vulgo *Mousson*, in finibus Remorum, ubi celebris abbatia ordinis nostri sub congregatione sancti Vitoni. MAB. 13) Cf. SS. VII, 150. VIII, 572. Pecenacorum irruptione tunc temporis iter per Bulgariam impeditum erat. Observavit noster discrimen inter Ungariam et Pannoniam cis Danubium sitam.

mum Sancti Lamberti canonicum pro ingenii claritudine et morum nobilitate iam a puero 1053. in amicitiis sibi familiarissimum. Miratus insperata novitate, prae gaudio coepit flere, videns notos suos denuo, quos non putabat a se videri posse; et ingressus intravit cum illis in ecclesiam, benedicens Dominum qui eos tam inopinate, tam bene, tali in loco, tam longe a se divisos insimul adduxerat. Sed protendente episcopo orationem, dum aliquos comitum eius de statu religionis et monasterii sui consuleret, inter cetera dictum est illi, quod defuncto Hugone abbate suo Lobiensem abbatiam iam reddidisset idem Theodwinus episcopus Adelardo. Tali nuntio attonitus, pro dulci pietate et pia patris sui Hugonis defuncti recordatione lacrimas fudit, et pro tempore animam Deo, ac ante cuius sacratissimam tumbam stabat, caelesti clavigero commendavit. Episcopo autem descendente de oratorio[a], procidit ad pedes eius coram altari ipsius sancti apostoli, gratias agens ei et pro sui loci, hoc est Lobiensis ecclesiae, relevatione, et pro condiscipuli sui Adelardi, quem prae ceteris confratribus suis unice semper dilexerat, ad abbatiae dignitatem promotione. Erat enim Adelardus in stadio[b] laborum nitens, ante alios quidem Lobienses monachos proximus huic, sed longo sequens intervallo ad bravium virtutum, prudens, sobrius, patiens, humilis, pudicus, praeterea et aliarum virtutum insignibus adornatus. Pontifex autem illum clementer erexit, quis vel unde esset, vel quo iret quaesivit. Cognitoque homine, et auditis difficultatibus peregrinationis eius, eum ad suum secum venire iubet hospitium; et suggerente Anselmo quod vix aut numquam coeptae peregrinationis propositum posset perficere, diffusis toto, ut fama erat, Adria pyratis, semper praedae et morti praetereuntium paratis, sua auctoritate praecepit illi ad patriam et monasterium suum redire, et si Deus annueret, opportuniori tempore hoc repetere. Et quia non est hominis niti adversus providentiam Dei, ut semper promptus erat obedire maioribus paruit, et a Roma usque Leodium comes eius venit. Sed inter veniendum considerans antistes divinam in eo gratiam, orandi devotionem, lacrimarum ubertatem, ieiunandi virtutem, silentii taciturnitatem, eloquii venustatem et omnium morum eius admirans gravitatem, inter amicos eum dignatus, familiari eius colloquio frequentissime fuit usus; veniensque domum honorifice ad monasterium Lobiense[c] remisit, et sua assertione et testimonio venerabiliorem fecit.

16. Interiectis vero paucis diebus, Henricus imperator legatos cum litteris eidem epi- [3.] scopo misit, in quibus mandabat e numero illorum, quos beatae memoriae abbas Richardus instituerat, unum sibi mitti monachorum prudentemque, religiosum ac litteris eruditum, quem in Fuldensi monasterio institueret[d] scholasticum. Ille Theodericum, sicut a Roma usque Leodium se teste didicerat, ad hoc sciens idoneum, exorato abbate a Lobiensi monasterio eum revocavit, et Leodii usque dum ipse ad imperatorem pararet profectionem, eum esse praecepit. Sed illis diebus divina dispositione Andaini[e] monasterii, ubi translatus Leodiensium praesul quiescit sanctus Hubertus, moritur abbas Adelardus, vir carnis nobi- 1055. Febr. 2 litate satis clarus, sed de cura religionis, cum ad cetera esset, minus strenuus quam debuit. Cumque multi ad petendam abbatiam multo studio ambirent, episcopus vero nullum nisi dignum praeesse admittendum censeret, in monasterio autem sancti Huberti idoneus inveniretur nemo — nam monachi negligentia defuncti abbatis et nimia licentia corrupti, a disciplinae iugo paene omnes erant soluti — idem episcopus advocata religiosorum abbatum et fidelium canonicorum concione seu congregatione est conquestus de ecclesiae sancti Huberti deiectione, de monachorum irreverentia et inordinatione; rogans ut secundum inspiratam a Deo sibi sapientiam indicaret unusquisque, quomodo illi loco succurrere, vel quem ibi posset praeficere. Tunc aliis diversa agitantibus, aliis hos atque illos attollentibus atque collaudantibus, plerisque autem ut monachis clerici pro eis in eo monasterio substituerentur persuadere nitentibus, atque aliis alia consiliantibus, nullis vero convenientia dicentibus, Anselmus, de quo nobis supra mentio fuit, vir nobilis genere sed nobilior moribus et ecclesiastica religione, facto in se spiritu Dei[14]: *Cum simus*, inquit, *con-* 14 *gregati in nomine Domini, non est aequum nos in causa Dei sicut in hominum causis gratia aut favore duci; et cum praesentem habeamus hic fratrem Theodericum a pueritia semper bonis moribus institutum, quem vitae merita maiori etiam praelatione attestantur dignum, si domino episcopo videtur et vobis, cur alias quaeratur, quod opportune nobis divinitus directum hic*

a) stratorio M. b) studio A. c) *deest* A. d) constitueret M. e) Andanii A.

14) Cf. Cantatorium Sancti Huberti SS. VIII, 572. ubi paullo aliter haec narrantur.

1053. *habemus?* Aderat enim et ipse inter reliquos huic consilio, nil minus quam de illa abbatia cogitans. Ad haec multi laeto et concordi clamore excipiunt nomen Theoderici, pauci quibus privata utilitas bono honestoque communi potior, apud quos honesta atque inhonesta vena-
15 lia facere[15] nec pudor nec crimen erat, non hoc rectum sibi videri, sed potius quia ad hoc a monasterio suo adductus esset, pro religione instituenda in monasterio Fuldensi ex praecepto et rogatu imperatoris censebant eum debere mitti. Sed Publici montis abbas Stepha-
16 nus[16], canitie reverendus, conversatione angelicus, imperato silentio ait, *quod monasterium sancti Huberti, quod est sub cura atque providentia Leodiensis episcopi, pro refrenanda regularis disciplinae censura, religione eget Theoderici; Fuldensis autem ecclesia quid nobis attinet? Huiusmodi autem monachorum tanta nobis penuria est, ut quod pace aliorum dictum sit, in omnibus monasteriis nostris vitae probitate par huius necdum possit inveniri. Ideoque quia ad hoc Deus eum huc opportune destinavit, constituat eum abbatem, si placet Deo et sibi, dominus episcopus, quia se ab ea parte hoc fasce levabit securus.* Dixit, et vocante episcopo, conversis omnium studiis, de loco ubi delitescens inter strepitum turbae iam meditabatur fugam, eum levavit, ac renitentem et retrahentem, impellente quoque eum Gonzone Florinensi abbate, attraxit et episcopo praesentavit. Erant autem hi duo senes, sicut aetate et canitie, ita pares in sancta religione, e numero discipulorum sancti illius Richardi, illo quidem vivente inter primos habiti, sed defuncto iam supra ceteros maximi. Erant enim longe dissimiles ab illis ecclesiarum rectoribus, quos hoc tempore principari videmus, casti, sobrii, humilitate, caritate ceterisque virtutibus fundati et radicati; in conversatione corporali angelorum incorporalium vitam studebant imitari. Horum laudibus operam dare prohibet intentio propositae de Theoderico materiae. Qui videns vires suas hoc negotio minores esse, sciensque quod iudicium durissimum est his qui praesunt, ubertim profusis lacrimis inter singultus et gravia suspiria se indignum clamabat, et frequenter se pedibus episcopi advolvens, ne tanto onere se premeret importunis precibus orabat. Vocabatur ergo, et contemnebat; impellebatur clamore et multitudine, et refugiebat; urgebatur suscipere virgam curae pastoralis, et renuebat. Sed non fuit potestas diu resistere ordinationi divinae; diu enim luctans, coactus tam auctoritate episcopali quam seniorum increpatione suam damnare sententiam, tandem cessit, et quod iubebatur onus regiminis fratrum suscepit. Deinde mox post sol-
Febr. 2. lemnia processionis, erat enim illa dies purificationis sanctae Mariae, ordinatus et consecratus, deducentibus se qui affuerant septem abbatibus et multa clericorum et populi turba processit abbas appellatus.

17. Veniens vero ad sancti Huberti cui praelatus erat monasterium, exterioribus quidem rebus locum satis invenit nudum ac desolatum, quod quidem videbatur tolerabile et reparabile damnum; sed interior loci facies foeda erat et inordinata ac paene a religione extranea. Monachi namque praedecessoris sui socordia corrupti, desideriorum voluntatem pro lege habentes, quidquid volebant vel[a] appetebant, sanctum et iustum praedicabant, et quod eis displicebat, hoc non licere putabant; monasticae vero religionis inexpertes, ignari, agrestes incultique, non admittebant corda sua excoli vomere verbi Dei. Quod vir Deo plenus ubi advertit, angebatur quidem sed mediocriter de rerum penuria exteriorum, quoniam illud videbatur tolerabile malum et reparabile; sed concitabatur immodice spiritus eius intra semet ipsum, videns animas fratrum diabolici instinctus admissione sauciatas tendere ad mortem. Invigilabat ergo iugiter custodiae sibi commissi gregis, pie sollicitus erat pro omnibus, congruenter medicinam adhibens singulis vulneribus; et illos quidem sui exemplo ad virtutes informare nitebatur, alios autem seorsum blandis suasionibus ut bene agerent hortabatur; illos increpando meliores, nonnullos regulariter feriendo laborabat reddere emendatiores; omnibus autem in commune exhibebat fomenta exhortationum, medicamina scripturarum divinarum, postremo adhibebat indesinenter auxilium orationum suarum. Sed cassus labor eius erat, nihil enim sua industria proficiebat. Illi enim, quia postquam cum aetate concrescit pravus usus, aut vix aut numquam corrigitur, male vivendi consuetudines non relinquebant, mores malos in quibus inoleverant mutare, cruciatus illis erat. Si exhortationibus sanctae praedicationis convertere eos nitebatur, deridebant; si censura disciplinae regularis uti volebat, resistendo et contradicendo repugnabant. Erant autem illorum

a) vel — non *desunt* M. *quod exempli causa moneo.*

15) Cf. Sallustii Catil. 31. Iug. 80. 16) Primus abbas fuit Sancti Laurentii in Publico monte prope Leodium. MAB

aliqui de generis nobilitate tumentes, sed moribus ignobiles, vita[a] contemptibiles, scientia despicabiles, ideoque sanctae regulae et obedientiae contemptores, et ad bene agendum debiles et insipientes, atque ad male faciendum fortes et sapientes. Hi vesaniae suae caput constituerant quendam Lambertum, superbia elatum, vita incompositum, iactatione dissipatum, lascivia resolutum, moribus levem, verbis arrogantem, et omni sua compositione detestabilem; iste arrogantia vanae nobilitatis inflatus ceteros post se trahebat omnes solus; in quocumque facinore aut culpa deprehensi forent defendebat, et ipse vicissim omnium conspiratione quamquam manifesti reus sceleris, tutus erat. Hic sancto viro publice et privatim multas inferebat iniurias, et omnibus quaecumque dicebat nimis mordaciter resistendo obviabat; ille autem insana convitiorum eius iacula virtutum clypeo repellebat, et furiosi hominis rabiem nimis patienter ferendo augebat; laborabat tamen modo precibus, modo persuasionibus, et aliquando aeterni gaudii promissionibus, interdum exaggeratis infernalium dolorum terroribus, miserum corrigere; orabat quoque frequenter, ut Deus ei cor intelligens daret, et bestialem eius mentem ad humanitatem converteret. Ille vero sicut vanus et lubricus, unde si saperet debuerat esse emendatior, semper fiebat deterior, et quotidiano malitiae augmento erat eius pravitas onerosior. Sed etiam in isto Deus ostendit, et quia multum valet deprecatio iusti assidua, et quia de divina misericordia sit praesumendum, nec de peccatore desperandum.

18. Nam post multas exacerbationes, post graves convitiorum contumelias, quas sancto viro per duos fere annos continue ingesserat, idem Lambertus quadam nocte ad nocturnales vigilias surrexit suo ordine lectionem lecturus; proposuerat autem in corde suo et cum sociis malitiae suae adiutoribus condixerat, quod transiens ante abbatem neque solitam venerationis reverentiam illi exhiberet, neque benedictionem lecturus peteret. Ibat ergo cervice erecta, oculis insanae mentis furorem vomentibus ferens superbiam; stultorum autem sociorum certissima exspectatio erat indubitanter eum facturum esse quod iactaverat. Sed ubi ante abbatem venit illosque sublimes oculos subito in eum reflexit, puerum candoris nivei, vultus siderei in sinu eius vidit, illi blandum, sibi terribilem, illum dulcissime lenientem, sibi gravissime minitantem. Mox, corripiente se Deo, intremuit, eodemque momento fugiente, qui diu miserum captivum possederat superbiae daemonio, alio spiritu afflatus bestialem animum mutavit, humili veneratione abbati inclinavit, ad legendum in analogio quod post tergum abbatis constitutum fuerat processit; stupentibus vesaniae eius sociis tam subitam eius mutationem, humiliter benedictionem petiit, tremens et anxius legit; inter legendum semper obliquo lumine respectans, ne forte quem videbat de sinu abbatis puer desiliret, et propter multas iniquitates, pro quibus illum testis exagitabat conscientia, impetu in se facto eum occideret. Tandem ut vix tandem perlegit, quia non erat locus declinandi, eodem quo venerat paene moribundus regrediens, humilius adoravit. Utque ad locum suae stationis rediit, cum quam inique hactenus vixerit, ante mentis suae oculos adduxit, amarissime flere coepit; cumque nequitias suas renumerare coepit, quod morte dignus, misericordia autem Dei esset indignus, ipse fuit iudex suus. Mirati inopinatam eius conversionem socii, alii qui viciniores stabant, quid haberet, quid tremeret, quid fleret sciscitabantur; alii significationibus solitis de choro eum revocare nitebantur; ille autem in eum, quem in sinu abbatis videbat et timebat puerum defixis obtutibus haerens, et lacrimarum profusione in delictorum suorum renumeratione fervens, nec interrogantibus penitus respondit, nec vocantibus cedens chorum exiit. Expletis autem matutinalibus hymnis, egredientibus ceteris in monasterio[b] mansit, ad abbatem venit, pedibus eius se prostravit, peccata sua humiliter multa lacrimarum attestatione confessus veniam rogavit; deinde, quod viderit ipsa nocte puerum in sinu eius, quomodo divinitus repente correptus superbae mentis mutarit insaniam, adhuc tremens indicavit, licentiam de eo monasterio eundi ad aliud petivit, dicens se tantum peccatorem, qui tot immunditiis illum locum sanctum toties polluerit, indignum ipsius sanctitatis. Abbas autem vehementer obstupuit, Deoque gratias egit tam pro virtute miraculi, quod in se factum, dum fieret ipse nescivit, donec eo qui viderat indicante cognovit, quam pro conversione eius de cuius damnatione iam dubitari non poterat fratris. Cumque multis eum precibus rogaret, ne se desereret, sed remanendo, quibus exemplum mortis prius fuerat, exemplum conversionis et poenitentiae de semet ipso fratribus daret, penitus

a) vita — contemptores *desunt* M. b) in choro ad M.

obtinere non potuit, dicente illo et probabiliter satis ostendendo impossibile esse nisi ex inspiratione divina alios posse converti, quamdiu ipse esset cum illis. Abbas autem arbitratus ita ut dicebat esse, securum sua benedictione permisit abire, et multis lacrimis prosecutus eum usque ad ianuas ecclesiae, imprecatus est illi dignos fructus poenitentiae. Ille autem consternatis et multo timore concussis ceteris, abiit primo diei initio solus et incomitatus, maerens et plorans; et multa contritione animi verum se poenitentem ostentans, amarissimis fletibus puniebat, quas sancto viro intulerat iniurias. Qui ubi ad Mosomense castrum pervenit, a Rodulfo eius loci abbate ulterius progredi vetitus restitit; sub quo quidquid deinceps vixit temporis commoratus, crura compedibus, brachia sua manicis ferreis attrivit, lumborum prius effeminatam mollitiem cingulo ferreo constrinxit, omnes carnis lascivias cilicino sacco, quotidianis ieiuniis, assiduis fletibus et vigiliis compressit et orationibus, donec beato fine consummatus in Domino requievit. In quo et merito praedicatur virtus Theoderici, et viscera misericordiae Dei. Quis enim tam iniquum, tam superbum, tam perversi cordis monachum, qui eum nosset, crederet esse salvandum? sed gratia Dei praeveniente, et oratione Theoderici adiuvante, qui prius erat blasphemus et sancti viri persecutor, misericordiam consecutus factus est pietatis in se factae annuntiator. Post cuius discessum multi poenitentia ducti subiecti sunt disciplinae regulari, obedientes praeceptis quem ante despiciebant abbatis sui; pauci vero sensu malo acti, recesserunt de monasterio profugi. Ita ecclesia sancti Huberti ante depressa et humiliata, paullatim relevabatur, et cessante malorum improbitate sensim crescebat, confluentibus ad eam undique viris religiosis et magisterio Theoderici se subdentibus; et in quantum prius vitiorum foeditate contemptibilis et male diffamata fuit, in tantum postea Dei providentia et abbatis Theoderici labore et industria crescente numero fidelium claruit gloriosa.

19. Videns autem humani generis inimicus religiosorum monachorum sancta conversatione locum resplendere, se autem pelli sua quam diu possederat habitatione, torquebatur, et suo more viro Dei frequenter insidias moliebatur; sed ille semper providus et circumspectus, praecavebat et facile superabat omnes insidiatoris conatus. Quadam autem nocte dum secundum consuetudinem praeventis matutinalibus vigiliis in oratorio intenderet orationi, ecce diabolus assumpta specie immanis cervae coram eo venit, et pulsu pedum orationis studium ei excussit. Quam ubi vir Dei vidit, nihil minus quam diabolum putans, quod videbatur, cervam esse et illuc de silva actam credidit nocturno errore; et existimans quia cellerarii incuria, cum sero isset cubitum, claustri ostium reliquisset apertum, surrexit ab oratione, volens feram priusquam ad ostium, per quod eam intrasse putabat, reverteretur praevenire et concludere. Illa autem gressu modo cito modo tardo ante sequentem praecedebat, interdum quasi exspectans subsistebat[a], donec ad eam qua veniebant ianuam simul uterque venerunt, sed ea clausa prohibebat exitum. Tunc primum in se reversus, fantastico errore seductum se intellexit, moxque salutari signo crucis se muniens: *Ecce crucem Domini, fugite, partes adversae!* exclamavit. Seductor autem virtutem crucis non ferens disparuit, tantoque sonitu ac fremitu aufugit, ut quasi vehementi turbine fratrum omne dormitorium[b] videretur corruisse, satisque patuit diabolum ex eo tempore illum locum multum infestasse, sed minus praevaluisse.

20. Compertum habemus ex tunc cum numero fidelium crescente religione censum ecclesiae affatim crevisse, tam in agrorum et praediorum ac ecclesiarum augmentatione, 17 quam in reddituum multiplicatione. Nam et Arnulfus comes de Warche[c 17] impulsus fama virtutum viri Dei ultro ad eum venit, et licet homo multae vanitatis et levitatis, qui sicut arundo in utramque partem facile possit agitari, praedicationem salutis ab eo audivit, consilia vitae sibi ab eo data libenter admisit, et pro redemptione vitae suae et suorum, ecclesiam in honore sancti Sulpitii consecratam in villa quae vocatur Pyros[d], et quidquid ad eam pertinens sui iuris erat, Sancto Huberto dedit; ac praesentibus multis nobilibus et illustribus viris, legitima traditione, filiis et uxore praesentibus, perpetualiter confirmavit. Cuius rogatu postea venerabilis abbas Theodericus monachos ex suo coenobio in ea constituit, suntque ibi viventes ordine regulari sub abbate Sancti Huberti. Sed et Laudunensis castri

a) acerrime impetebat *Chron. S. Hub. c. 10.* b) sub quo tunc praedicta ianua erat *additur in Chron. Sancti Huberti.* c) c. Warch M. d) *ita A. constanter;* Piros M.

17) Chiniacensis vocatur in Chronico Sancti Huberti SS. VIII, 575. ubi plura de his donationibus referuntur, nulla tamen Gervasii Remensis mentione facta, sed Manassis tantum successoris eius.

episcopus Elinandus, homo in administrandis episcopii rebus et publicis utilitatibus satis idoneus, odore virtutum sancti Theoderici impulsus, crebris allegationibus eum ad se venire fecit; collocutus cum eo inter amicos eum summum habuit, se omniaque sibi commissa eius orationibus commendavit: deinde precibus eius obstrictus, ecclesiam sanctae Mariae in Everneicurt sancto Huberto tradidit, et deputatis de eodem monasterio sancti Huberti ibidem monachis, sua auctoritate et multorum adstipulatione omnis episcopalis servitii debito illam perpetuo absolvit. Similiter et Gervasius Remorum archiepiscopus, in disciplina liberalium artium apprime eruditus, vir secundum saeculi dignitatem nobiliter natus, ad omnia sagax et strenuus, episcopatu quidem dignus, sed natura et moribus plus quam oporteret ferus, propter laudabilem conversationem eius sibi amicum eum fecerat; venientem ad se multa veneratione honorabat, optionem petendi tam pro sua ecclesia, quam pro quibus vellet ipsi dabat. Multum ergo feritatis ab eo admonitus deposuit, multa rogatus eius causa frequenter fecit; et cum pluribus esset frequenter immitis et truculentus, huic uni pro gloria et admiratione virtutum eius semper fuit mitis et placidus. Postremo altare illius praedictae sancti[a] Sulpitii ecclesiae, quae suae parochiae erat, item et aliud altare sancti Hilarii ecclesiae, quod in vicinia Pyrensis ecclesiae est, sancto Huberto tradidit, ac sua auctoritate ab omni servitio episcopali utrumque altare deinceps perpetualiter liberum fecit.

21. Assumptis post haec vir Deo carus paucis secum ex fratribus, compositis in monasterio rebus Romam nudis et discalceatis pedibus ire proposuit; sicque Virdunum usque perrexit, ubi multo affectu caritatis ab episcopo Theoderico et maioribus civitatis exceptus[b], ut se calcearet et equo pergeret, annuit, rogante hoc episcopo per caritatem et aliis omnibus, maxime autem Ermenfrido, magni praeconii et religionis viro[18], de cuius continentia, 18 qualiter ab adolescentia succensus igne superni amoris in Dei servitio consenuerit, quomodo boni propositi studium, usque dum eum mors cessare compulerit, infatigabiliter tenuit, melius puto silere quam parum dicere. Sed ad narrationem redeo. Igitur ubi praecepto episcopi et talis viri et aliorum petitioni parens, calceatus paullo longius ab urbe processit, iterum detractis calceamentis Romam perrexit. Cui cum sui comites dicerent, quia non recte faceret, eo quod caritati et praecepto tantorum virorum inobediens esset, respondit se vere per caritatem praecipientibus obedisse; sed quia nemo illi definierat quamdiu vel quo usque, potestati et arbitrio suo relictum esse, quando calceatus vel discalceatus vellet ambulare. Non ergo acutae et incidentes petrae, non Alpinae nives, non glaciali constricta frigore Italia, non aspera montium iuga, non grandines, non praecipites pluvialibus undis torrentes, denique nulla pericula, nullae difficultates, postremo nullae suorum comitum preces et lacrimae propositum eius potuerunt convertere; sic itaque ad tumbam beatissimi Petri multa tandem difficultate et lassitudine pervenit. Ibi multa contritione et gemitu quidquid habens[c] in corde suo profundens, seque et dominici ovilis custodiam sibi creditam, illi cui in caelo et in terra primum dono dedit Deus ius ligandi et solvendi committens; sic quoque omnia Romae sanctorum oratoria usque ad Lateranensem basilicam circumivit, ubi ab Alexandro tunc papa Romano multo affectu exceptus, et eius secreto ac familiari colloquio saepius usus, postremo benedictione apostolica ab illo confirmatus, ex praecepto auctoritatis eius calceatus et equo domum est reversus. Sed cum circa Alpes Iulias venisset, ex concepto pridem frigore resolutae omnes pedum eius ungulae ceciderunt; ipse quoque nimia lassitudine cum sic esset confectus, ut nisi assidue unguentis atque aliis iuvaretur fomentis, vix valeret incedere, nihil tamen penitus de solita et proposita psalmorum et ieiunii consuetudine voluit remittere. Ita ad monasterium denuo reversus, coepit denuo custodiae sibi commissorum instare studiosius.

22. Post haec considerans agrestem et nimis incultum loci situm — praedecessorum [4.] enim suorum, qui ante se monasterio praefuerant, incuria nihil decoris loco illi addiderat, sed sicut a tempore Walcaudi[d] Leodiensis episcopi, qui illuc sanctum Hubertum transtulerat[19], eique aptum ac subitum opus ac domum construxerat, ita quoque tunc erat — 19

a) *e. g. apponimus hunc locum ex ed. Mab.* P. altare praedictae villae S. Sulp. quod in *etc. ubi verba codicum primo omittendo vitiata, deinde pro lubitu sarta esse apparet.* b) exceptus — caritatem et *desunt* M. *deinde scriptum est:* aliisque o. m. ab E. c) *fort.* haberet. CUP. d) Walcandi *et Mab. et Cuperus habent, errore nimis frequenti, sed ab illo tempore alieno.*

18) fundatore ecclesiae sanctae Mariae Magdalenae, de quo v. Gesta episc. Virdun. SS. IV, 47. 51. et Hugonem SS. VIII, 491. 501. 19) Huius translationis historiam a Iona episcopo Aurelianensi scriptam dedimus ad annum 825, quo facta est. MAB.

coepit deserta reaedificaturus, diruta et vetustate consumpta renovare, angusta ampliare, et cooperantibus sibi sui monasterii praepositis, maxime Theoderico, qui tanti patris heres et nomine et regiminis dignitate post illum meruit esse, Lamberto quoque, qui illi plus omnibus in amicis familiarissimus fuit, quique omnium laborum et periculorum eius comes individuus permansit, deiecto veteri et parvissimo quod ibi erat claustro, novum et magnum, quale modo videtur, construxit; sed et oratorium sepulcri Domini ad[a] meridianum monasterii aedificavit. Duo quoque oratoria ad septemtrionalem plagam addidit, alterum quidem, quod est inferius, in honore sancti Andreae apostoli; alterum vero, quod supra ipsum est, fecit venerabile memoria et patrocinio sancti Nicolai. Cryptam etiam ad
1081. orientem basilicae pulcherrimo erexit opere, quam postea Henricus Leodiensis ecclesiae
20 antistes et Franco Bellegradensis episcopus[20] eius rogatu dedicaverunt in honorem nominis domini Iesu et sanctae Mariae semper virginis; nec non et aliud claustrum pro foribus basilicae ad occidentem a fundamento construxit. Non longe vero a porta exterioris atrii aedificata spatiosa ecclesia, sancto Aegidio eam voluit dedicari; cumque desiderio peten-
21 darum de sancti corpore reliquiarum ad Sanctum Aegidium[21] pergeret, per urbem quae dicitur Trecas iter habuit, et in ea hospitandi gratia nocte mansit.

23. Mane facto dum comites pararent profectionem, ipse ad ecclesiam perrexit, atque ex more sacra missarum sollemnia celebravit. Ibi mulier quaedam, quam diutinus febrium ardor coquebat, et a medicorum arte desperata erat, audita de viri virtutibus fama, habens fidem eius meritis se vere posse sanari, quia ipsa per se ire non poterat, portari se fecit, atque quantis potuit vocibus, magno gemitu et lacrimis, ut sui misereretur, ut pro se Dominum rogaret, clamare coepit. Ille cuius cor a pietate extraneum numquam fuit, motus dolore miserae mulieris, eam silere et expectare fecit. Completis vero sacramentis, manus aqua lavit, ipsam aquam febricitanti feminae in potum dari iussit. Mira res, et nostris vehementer stupenda temporibus! Ubi mulier bibit, omnis ilico ab illa passio recessit, tamque perfecte convaluit, ac si penitus nihil pertulisset infirmitatis. Iterum in eodem, quo ad Sanctum Aegidium ibat itinere, in domo quadam, qua hospitatus fuerat, mulier ex Sarracenis captivata de civitate Caesaraugusta, sed in Christum credens et baptizata, iacebat omni membrorum parte invalida, quae tum quia diu languebat, tum quia qui eius curam gereret proximorum neminem habebat, omnium cura et solatio erat neglecta. Quam forte sedens ad caenam vir venerabilis, ut ex magnis et crebris, quos dolor effundebat, clamoribus graviter torqueri animadvertit, atque quae aut unde esset hospitis sui relatu cognovit, motus vice et solitudine captivae mulieris, paullulum illacrimatus preces pro loco et tempore silentio pro ea ad Dominum fudit; acceptasque ciborum suorum reliquias per ministrum suum ei misit, et ut in nomine Domini comederet illi mandavit. Miro modo quae magna ex parte iacebat praemortua, nihilque aliud quam aerumnarum suarum remedium mortem expectabat, ut ad perceptam ex viri Dei mensa benedictionem ad comedendum diu invalidum os aperuit, longus qui eam cruciaverat[b] languor reliquit; atque ut sensim recepta sanitate convaluit, virtutum Theoderici praedicatrix apud multos fuit. Tandem[c] reversus de itinere, inter cetera probitatis opera prudenti admodum usus[d] consilio, ut reliquias quas attulerat, in duas aequas partes divideret; quarum unam sibi suaeque ecclesiae retinuit, alteram ecclesiae sancti Aegidii, ubi sacerdotem ipse instituerat, impertiit. Post autem non longi temporis intervallum, exigentibus meritis praenominati sacerdotis, quidam ex religiosis praepositus et custos huius venerabilis ecclesiae sancti Huberti, qui illi plus omnibus in amicis familiarissimus fuit, qui etiam tunc sacramenta ministrabat populo, coepit eundem sacerdotem in coadiutorem assumere, ut eo absente eius ipse vices suppleret.

24. Quodam autem tempore dum iret Coloniam, tam orationis gratia, quam pro utilitate sui monasterii locuturus sanctae memoriae archiepiscopo Annoni, in castro Iuliaco,
22 quod ex nomine Iulii conditoris antiquum adhuc servat vocabulum[22], missam cantaturus

a) scilicet ad M. b) cruciavit A. c) Tandem — suppleret *desunt* A. d) est *addendum videtur*.

20) V. Chron. S. Hub. SS. VIII, 579. 590. Ni fallor, est episcopus Albarum maritimarum, *Zara vecchia*, in Dalmatia; nam in celebri illa urbe Belgrad tunc nullus fuit episcopus, et Alba regia praepositos tantum habuit, nullos episcopos. 21) Sancti Aegidii opidum, in Septimania dioecesis Nemausensis, nomen traxit ab illustri abbatia ordinis nostri, quae modo in collegium canonicorum saecularium conversa est. MAB. 22) Haec iam Widukindi opinio erat II, 1.

divertit. Erat illic mulier longo infirmitatis morbo detenta, et ita omnium membrorum officio destituta, ut per novem menses nec de lectulo surgere, nec nisi aliorum manibus de latere in latus[a] se aliquo modo umquam potuerit convertere. Quae quia per tanti temporis spatium omnem cibum, omnem quoque[b] excepta aqua[c] execrabatur potum, iacebat fastidita etiam matris et omnium cura proximorum; somni autem recreatio eam penitus refugerat, et quod mirum omnibus erat, in solo spiritu vitam morte graviorem trahebat. Haec ipsa nocte somno repente corripitur, atque a quodam venerabilis formae viro monetur, ut mane ad ecclesiam se portari faceret, et de manibus abbatis, qui in ipsa ecclesia missam celebraturus erat, benedictum panem peteret, eoque pro se orante, se recepturam sanitatem certissime crederet. Evigilans voce qua poterat matrem et qui in domo erant excitavit, visionem retulit, atque ut id quod erat imperatum accelerarent, instanter orare coepit. Mirati omnes, quia nullum abbatem illic hospitatum sciebant, illam delirare et fantasiis, quibus plerumque infirmi illudi solent, dicebant deceptam esse. Illa vero non fantasticum, sed certum esse quod audierat protestante, in vicinia de illo abbate requisitum miserunt; sed iam ad ecclesiam esse, iam sacro altari assistere, qui missi fuerant renunciaverunt. Protinus eam in sella gestatoria tulerunt, beatoque viro, cum iam missam finisset, obtulerunt, de ipsa visione, ipsa attestante, referentes, atque pro eius salute flebiliter eum rogaverunt. Sed ille diu reluctans, suaeque fragilitatem imbecillitatis accusans, supra vires suas hoc negotium proclamans, tandem victus rogantium lacrimis et precibus, quinque oblatas benedixit[d], fusaque super infirmam oratione in os eius posuit. Inusitato nostra memoria miraculo, quae diutina languoris passione iam usum manducandi dedidicerat, ilico stupentibus cunctis comedit, et iubente viro Dei domum relata, missosque ab eo pisces accipiens similiter comedit, neque postea[e] aliquem cibum aut potum fastidiens brevi convaluit. Revertenti de Colonia ipsi abbati, quae pridem desperaverat de vita, sana occurrit, gratias Deo et illi pro reddita sanitate egit, obsequium servitutis suae et parentum suorum[f] obtulit, ad hospitium suum trahere contendit. Sed ille benedicto in operibus suis Domino, nihil suis meritis attribuit, refugiensque laudibus hominum attolli, quos ad eum videndum undecumque advocabat novi fama miraculi, velociter pertransivit.

25. Iterum vero paratis quae in itinere usui forent, cum Hermanno Mettensi episcopo 1074. Romam profectus[23], veneratis apostolorum et martyrum sepulcris, ad Gregorium septimum 23 [f] iam post Alexandrum praesidentem Romanae sedi venit, a quo quia ab adolescentia maximum familiaritatis locum[g] obtinebat, est affectuose susceptus, et per aliquot dies secum[f] remoratus. Qui privilegii libellum ipsius et praefati Hermanni episcopi precibus ecclesiae sancti Huberti per eum misit, in quo continebatur Dei et beati Petri et ipsius Gregorii auctoritate horribilis interminatio, ne quis imperator aut rex aut episcopus aut dux aut comes aut alia ulla potestas quidquam de possessionibus vel antiquitus vel noviter acquisitis ecclesiae sancti Huberti auderet tollere, vel suo vel alterius iuri mancipare. Quod privilegium Remensi vel Trevirensi archiepiscopo, ac Laudunensi et Leodiensi[h] episcopo, cuius iuris erat ipsa ecclesia, per eundem abbatem cum litteris apostolicis misit, obsecrans ut quod utiliter supplicanti abbati pro utilitate suae ecclesiae concesserat, ipsi sua adstipulatione firmarent et sua subscriptione corroborarent. Acceptis apostolicis epistolis ceteri consenserunt, solus Leodiensium antistes Theodwinus, impulsus consiliis eorum quibus omnia honesta atque inhonesta vendere moris erat[24], litteras apostolicas repulit, abbatem 24 quem pro vitae merito ante valde dilexerat, turbida indignatione de conspectu suo exire iussit. Deinde usus eisdem consiliariis conventum abbatum et clericorum adversus eum evocavit, eoque in medio statuto, cur Romam ire, cur ecclesiam sancti Huberti, quae Leodiensis episcopi esset, apostolico iuri mancipare, cur eam sanctae Mariae sanctoque Lamberto vellet tollere, postremo cur, cum ipse suus abbas esset, nec eius legatione functus esset, epistolas a Romana sede sibi contrarias praesumsisset afferre, requiritur. At ille: *Causa orationis,* respondens dixit, *mihi fuit Romam vestra licentia, si recordari placet, ire. Ecclesiam autem sancti Huberti, neque sanctae Mariae sanctoque Lamberto tollere, neque apostolico iuri umquam habui animum mancipare; sed possessiones, quas vel primum habebat*

a) aliud latus M. b) *deest* M. c) illa quoque raro *addit* M. d) partes *addit* A; *cf. Chron. S. Hub. p.* 574. e) post A. f) *deest* A. g) obtinuerat locum M. h) et L. *desunt* A.

23) Cf. Chronicon Sancti Huberti c. 25, SS. VIII, 583 sq. 24) Cf. supra cap. 16.

ipsa ecclesia vel quas Deus addidit, scilicet quae a duce Godefrido vel Remensi vel Laudunensi episcopo ad Dei servitium sunt condonata, confirmari feci auctoritate apostolica. Si in hoc peccavi, quia quod non habebat ecclesia sancti Lamberti, illi adieci, idque quod ab externis episcopis multo sudore et labore acquisivi, ne ulterius perdat providi, videat et iudicet prudentia vestra, et qui assident consilio vestro abbates ac sapientes clerici. Nec si sit opus, refugio in hoc quoque sapientium laicorum uti iudicio. Apostolicus autem cum ei me vestrum abbatem indicavi, gratiam apostolicae benedictionis, si placet vobis, per me misit. Epistolae vero ab illo missae, quia non adversum vos, sed pro gloria et honore vestro sint, ecce — et eas porrigit — *potest a sapientibus iudicari.* Plura parantem dicere iidem incentores episcopi occupant, loquentis verba impetu clamoso vocum perturbant, episcopum libenter et placide aures excusanti accommodantem avertunt. Quibus impellentibus antistes modo[a] surrexit iratus, abbas autem, comperendinato[b] in aliud tempus iudicio, ad monasterium est regressus. Iterum vero atque saepius revocatus, veritate nixus et orationis[c] ope, semper discessit tutus. Postremo apud Hoiense castrum revocatus, atque iterum pro causa sua respondere iussus, Deo faciente, subito conversis omnibus, iudicio episcopi et omnium qui prius maligne contra eum egerant, discessit absolutus.

1075. 26. Non longo autem[d] post tempore Theodwino humanis rebus exempto, anno dominicae incarnationis 1075 episcopali cathedrae praelatus est Henricus, a proavis clarus et a puero bonis moribus institutus, et disciplinae canonicae et religionis aemulator non fictus. Ei abbas Theodericus ante episcopatum satis carus, post innocentis vitae merito carior est effectus. Qui facta sibi ab eodem episcopo permissione, Romam perrexit iam
1077. vice septima, illaque ultima. Ubi devote suo more cum reverentia et humilitate veneratis apostolorum et ceterorum sanctorum sepulturis, a Gregorio adhuc Romano pontifice offi-
25 ciosissime est susceptus, et per totam paschalis festivitatis septimanam retentus[25], ac benedictione apostolica dimissus, Remis civitatem venit. Tunc post illam longissimam et asperrimam hiemem, qua Galliarum maximi fluvii Rodanus[26], Ligeris et Rhenus, et Ger-
Virg. Georg. I, 482 maniae Alba, Viscla[e] et Danubius, in Italia etiam Tiberis et rex fluviorum Eridanus, gelu et frigore concreti, navibus[f] invii, hominibus, equis, asinis et plaustris visi[g] sunt similes terrae pervii, tanta longo sereno siccitas subsecuta[h] erat, ut negatis nimia ariditate pecori pascuis, vitio aeris arentibus arvis et morientibus per omnes agros herbis, trepidarent late uno timore multarum regionum populi, timentes ne rediret illud grave saeculum, quando in servum vendito Ioseph a fratribus prae inopia famis in Aegyptum venientibus, eadem Aegyptus se vendidit Pharaoni, vel quando iubente Helia refrenatis imbribus clausisque caelis impietatem nequissimae Iezabelis toto orbi fames nuntiavit. Cumque maiores Remorum civitatis eum illuc venisse audissent, certi de eius sanctitate, congregati pariter magna cum parte plebis, veniunt ad eum, rogantes ut pro periclitante mundo preces Deo prosterneret, et orando pluvias sitienti terrae caelo deduceret, quoque modo ipsi irae Dei satisfacerent eis consilium daret. Quod vir sanctus diu multumque recusavit, donec inspirante se Deo, victus importunitate clamantium, universae civitati per presbyteros ieiunium unius diei indixit, dicens si fideliter et devote fieret, hoc esse satis ad mitigandam iram divini furoris. Postera autem die in ecclesia beatae Mariae semper virginis, conveniente utroque sexu et aetate, inter missarum celebrationem habuit sermonem ad populum[i] ex temporis qualitate, admonens Ninivitarum exemplo, vera poenitudine et elemosinis
27 et lacrimarum humilitate cito Deum placari posse. Cumque finito quo eos[27] ad gemitus et lacrimas impulerat sermone, oblatis humanae redemptionis mysteriis et potenti oratione caelum penetrasset, repente — erat vero tunc magna caeli serenitas — collisis nubibus subito tonitrua mugire, fulgura coruscare et omnia misceri coeperunt. Nostrisque temporibus stupendo miraculo, uno eodemque brevi momento vir sanctus et orationem terminavit, et Deus caelum concussit, turbinem ventorum movit, pluvias adduxit, magnaque inundantia terram diu aridam uberrime satiavit; et quam, peccatis offensus hominum,

a) inde M. b) remisso comparendi M, c) rationis M. d) *deest* A. e) *ita etiam Chron. S. Huberti;* Visela, Viscla M. f) manibus A. g) p. usu simili terrae fuerant p. M. h) *deest* A. i) ad p. *desunt* A.

25) Si hoc verum est, Theodericus Gregorium per Tusciam et Langobardiam comitatus est; hic enim iam m. Decembri Roma discessit, frigus autem illud a Nov. 1076 ad Martium mensem a. 1077 duravisse certum est; vid. Chron. Sancti Hub. SS. VIII, 590. 26) Ararim addit Chronicon Sancti Huberti; mox Tiberim omittit. 27) Ipsorum Iudaeorum compunctionem commemorat Chron. Sancti Huberti.

terris subduxerat, poenitudine eorum placatus, et meritis Theoderici adstrictus, misericordiam redonavit, et longa ariditate squalentia arva viroris refecit gratia. Actum est hoc anno ab incarnatione Domini 1076[28] atque communi decreto litteris et annalibus traditum 28 in urbe Remensi, totque habet testes, quot ex his qui in ea urbe tunc erant, adhuc supersunt homines.

27. Alio autem tempore in villa, quae Pyros vocatur, pro utilitate ecclesiae[a] commorans, quadam nocte post expletos matutinales hymnos paullo ante lucem ad ecclesiam beati Hilarii missam cantaturus cum suis comitibus perrexit matutinius; sed cum reseratis foribus ecclesiam iam deberet ingredi, lucerna quam unus puerorum eius ante illum praeferebat, in ipsius ecclesiae ingressu flante vento repente[a] extincta est. Cumque aliquis ignem allaturus ad proximam domum isset, nec propter quod ierat cito inveniens, in redeundo moras faceret, homo Dei quasi taedio affectus, protento dextera crucis signo ecclesiam est ingressus; et ecce, quod qui cum eo erant videre datum est omnibus, emisso divinitus lumine candela, quam super[b] candelabrum sero relictam presbiter extinxerat, subito accensa est, ut ex eo claresceret quo lumine ille interius splenderet, ante cuius adventum caelestis lux tenebrosae noctis caliginem dimoveret. Huic et illud[c] non dissimile est, quod dum longo post tempore in monasterio sancti Huberti circa mediam fere noctem familiari sibi more nocturnas fratrum vigilias praevenisset et orationibus incumberet, corusca lux caelitus repente emicuit, et totius monasterii latitudinem novae claritatis splendor illustravit. Praeterea et cum luce ipsa avicula quaedam, magnitudine columbae par, coloris varia pulcritudine distincta, dulci voce grata, et ipsa ut creditur caelitus demissa, stuporem et miraculum quibusdam, quibus hac visione frui concessum est, incutiebat. Nam modo ab orientali domus parte usque ad occidentalem pervolabat, modo dextrorsum, modo sinistrorsum se[d] agebat, nunc quasi importuna laetis alarum plausibus se oculis intuentium immergebat, ita ut etiam interdum capi posset, si quis eam temerare praesumpsisset. Quae postquam diu hac et illac laetis plausibus circumvolavit, postquam omnes basilicae angulos perlustravit, etiam omnia[e] sanctorum altaria laetabundae[f] vocis stridore salutavit, postremo levi volatu allapsa venerabilis viri capiti innocua insedit, nec ipsa[g] prius inde discessit, quam pulsantibus matutinis et iam convenientibus fratribus, cum ea quae videbatur luce disparuit. Viderunt hoc nonnulli ex fratribus, qui in monasterii custodia excubabant, sed timore anxii et ante hoc invisae claritatis luce attoniti, nec quidquam dicere nec de lectulis etiam audebant surgere; sed mane ad eum veniunt quasi congratulantes, cum admiratione et laudum praeconio visa referunt. Ille vero iratus quasi cum indignatione eos redarguit, praecipiens insuper, ne amplius quoad ipse viveret, de ea re indicarent alicui. Timebat enim servus Christi laudes hominum sicut allapsus serpentium, sciens quia semper causa ruinae fuerit et angelis et hominibus vanae gloriae appetitus. Nec illud de viri Dei virtutibus reticendum puto, quod cum aliquando ad quandam ecclesiam in villa, quae dicitur Lezines[h], orationis gratia divertisset, eamque sera et clavi clausam et signatam offendisset, dum expectatur presbiter clavem delaturus, ipse ad ostium accessit, atque ante illud quasi oraturus in pavimento procumbere voluit; sed miro atque post Petrum apostolum stupendo miraculo ostium, quod revera erat obseratum, quasi quadam divina et invisibili virtute subito patuit apertum. Mirantibus et post illum ingredientibus ceteris, presbiter venit, et inspecta diligenter sera et pessulo atque ostio, ubi omnia illaesa invenit, ipse quoque attonitus novitate miraculi, coepit mox praedicare divinae virtutis potentiam, in sua ecclesia Theoderici meritis tam evidenter declaratam. Ipse autem quasi[i] dissimulans se scire quod acciderat, completa oratione velociter inde recessit, fugiens scilicet semper vanis hominum laudibus attolli, quos iam de tota villa contrahebat auditi fama miraculi. Qui quamvis, ut praelibavimus, semper Deum contemplando mente in caelestibus habitaret, fuit tamen sollicitus et pro utilitate commissae sibi administrationis exterius non mediocriter laborare.

28. Longum est, si quot ecclesias vel domos quibus in locis a fundamento exstruxerit, velim renumerare; onerosum erit, si quae partim semiruta, partim vetustate vel maiorum

a) *deest* A. b) supra A. c) aliud M. d) se — plausibus *desunt* A. e) omnium A. f) laetabundae — allapsa *desunt* A. g) nec prius inde d. M. h) *al.* Lermes M. i) *deest* A

28) immo 1077; vide supra not. 25.

suorum incuria ruinam minantia vel iam paene collapsa restauraverit, prosequar; superfluum iudicabitur, si quibus praediis ecclesiam sancti Huberti dilatavit et abundantem fecit, ostendero; parum utilitatis conferet legentibus, si corona ex auro argentoque mirifica, si crucibus aureis, si vexillis argenteis, si palliis multis, si tapetibus, si vestibus plurimis, denique si suppellectili varia monasterium sancti Huberti decenter eum exornasse scripsero. Quod vero castrum, cui antiquitus nomen fuit Mirwolt, quod dum castrum fuit, sancti Huberti monasterio et finitimis omnibus nimis importunum fuit, postquam iterum ab Henrico Leodiensi episcopo inaestimabili sumptu reaedificari coepit, quantis vigiliis, quibus lacrimis, quam devotis precibus, ut illud, priusquam in antiquam potentiam, et ut ipse deplorare solitus erat, in insidias sanctificationi et in diabolum malum in Israel invalesceret, Deus everteret, impugnaverit; quove labore, etiam Deo cor episcopi molliente, quod volebat obtinuerit, et concesso iuri sancti Huberti et suo cum omnibus appendiciis suis eodem castro, illud funditus deiecerit; et quibus sumptibus in loco[a] ubi castrum fuerat, ecclesiam in honore sancti Michaelis aedificaverit, monachosque in ea constituerit, atque Calviniacum[b] fiscum[c] amplum satis et optimum, auxilio ipsius episcopi Henrici a Balduino Montensi comite comparaverit, refugio per ordinem enarrare[d], ne taediosa prolixitate verborum fastidium arguar inferre, maxime cum ex his et aliis eius gestorum operibus multo manifestius fidem sibi videntium faciant oculi, quam possit scripto vel verbis explicari. Restant etiam plurima, quae de tanti viri vita et virtute[e] miraculorum, quae per eum divinitus dum adhuc praesens esset in corpore gesta sunt, possint enumerari[f]. Sed quia haec interim eruditioni legentium, si quis tamen haec eius amore captus dignabitur legere, credimus sufficere, abhinc quo ordine vita decesserit, dignum videtur apponere.

[5.] 1087. 29. Tribus igitur[g] antequam obiret fere mensibus, gravibus languoris pulsatus incommodis, neque lectulo more aegrotantium decumbere, neque remissius potuit cogi vivere. Ibat etiam, ut solebat, quo eum necessitas vocabat ecclesiae, vel[h] ut locorum mutatione dolor sibi lenior fieret, vel ne quid detrimenti sua ecclesia eius culpa sustineret. Igitur causa extitit, qua statuto tempore Pyros, villam sancti Sulpitii confessoris meritis gloriosam, petiit. Cumque reformatis et ordinatis pro quibus ierat, per aliquot dies ibi morari decrevisset, confluentibus undique in eum sensim multis ac magnis doloribus, compulsus est tunc primum lectulo decumbere. Cum vero in dies languor validior cresceret[i], ubi revelante Deo quem mente gerebat, viciniam mortis adventare sibi sensit, referri se ad sancti Huberti monasterium, quod triginta sex[k] fere ab eo loco disparatum erat miliaribus, iussit. Ubi vero in grabato gestatorio locatus est domo elatus, totius pagi omne vulgus, et de vicinis oppidis 29 et de castellis, hoc[l] est de Wark et Macerieis[29], multi atque potentes viri catervatim coeperunt ruere, parati ultro usque ad monasterium eius comites ire et hoc extremum obsequii sui munus illi exhibere. Erat namque vita eius cum aetate venerabilis, et multorum in amore eius dediti erant animi. Sed ipse nolens esse oneri, de quibus certum habebat pro se, si necesse esset pati, posse mori, lectulum quo portabatur medio agro qui erat pro villa deponi fecit, collectoque quicunque manebat toto spiritu, in lectulo sedit, omnique illi[m] multitudini ultimum vale dicens, protenta dextera benedixit, atque postremo omnes, licet invitos et tristes, domum remisit. Deinde multo eorum, qui eius obsequiis deserviebant, labore et maerore vectus, cum interdum ingravescente languore vitalis spiritus in eo paene videretur deficere, perlatus est non longe a monasterio infra possessionem ecclesiae. Praecesserat autem iam illum fama magni doloris nuntia, atque ex vicis et agris et pagis atque[n] circumiacentibus ecclesiae villis multam illic turbam contraxerat, quae ruens obvia, plangentia iungit agmina. Erat vero pleraque pars viduarum, pupillorum, et pauperum debilium, ille viritim omnes quos noverat et quorum[o] inopiam pie pro posse suo sublevare consueverat. Hi undique circumfusi seni pie flebant, atque illius misericordes largitiones et dulces et blandas consolationes, quibus saepissime abundanter usi fuerant,

a) in l. *desunt* A. b) *al.* Caviacum M. Cauviniacum A. Caviniacum (*Chévigny*) *Chron. S. Huberti p.* 594, *ubi haec fuse referuntur.* c) castrum, fiscum M. d) enumerare, ne lacrymosa pr. A. e) virtutibus M. f) numerari A. g) *deest* A. h) ut vel A. i) ingravesceret M. k) quindecim M. *sed alter codex ipsius:* quod triginta fere sex ab eo loco distat m. l) hoc — Macerieis *desunt* M. *sed legebantur in cod. illo altero:* h. e. de Warh et Maceros m) *deest* A. n) et omnibus M o) et inopiam singulorum pie M.

29) Illa procul dubio sunt oppida Warck et Mezières, ad Mosam in Remorum finibus versus Leodienses. MAB.

renumerantes, suas miserias, suas calamitates querulis lamentationibus Deo ingerebant. 1087. Erat enim vir ille inter ceteras bonarum artium virtutes, quibus illum animi industria extulerat, pietatis et misericordiae operibus valde deditus, atque omnibus se rogantibus iuxta qualitatem uniuscuiusque egregia liberalitate profusus. Magno igitur utriusque planctu et miserabili fletu primo noctis initio[30] perveniunt ad portam monasterii, ubi ex prae- 30 Aug. 22. cepto venerabilis senis, ne videlicet strepitus populi iam quiescentes in dormitorio inquietaret fratres, exclusis ceteris, monasterio est invectus a domesticis. Ea vero nocte, quamvis iam toto corpore invalido per momenta exilis in eo deficeret spiritus, defixis in eum, cui semper devote servierat, cordis luminibus, psalmis atque divinis laudibus morientia membra Deo servire coegit, iuxta quod ei in omni vita sua facere perpetui moris erat; sed et omni tempore, quo illa gravi aegritudine pressus languit, numquam eam, quam a tenero sibi indixerat, semel comedendi in die abstinentiam solvit, nec usque ad eam diem consuetudinem orationum et psalmorum praetermisit, excepto quod paucis ante diebus infirmitatis nimietate superatus missarum sollemnia celebrare desiit. Cilicium quoque, quo tot annis mollitiem carnis presserat, nec ad momentum deposuit; sed cum iam in extremis ageret, ii qui vel vitae merito vel obsequii studio ei familiariores erant, cum eum iam deficere viderent, persuadere conabantur ut sibi cilicium detrahere pateretur, dicentes satis esse quod usque huc carnem suam afflixerit illa asperitate. At ille indignatus[a] in fratres: *Nolite*, ait, *fratres, inmisericorditer esse misericordes, nolite volentem proficisci ad Christum falsa pietate remorari Theodericum. Nam quod hactenus vere me dilexeritis, in hoc ostendetis, si propositum meum, quod ego bonum arbitror fuisse, non impediatis. Vos autem scitis, quod servum Christi non nisi in cilicio et cinere decet mori.*

30. Diluculo autem monachi convenerunt frequentes, multo planctu et lacrimis prote- Aug. 23. stantes et suam orbitatem et ecclesiae sancti Huberti deiectionem, ac dulcissimi patris sui modestam severitatem et lenissimam pietatem. Tanta enim severitate delinquentium culpas semper insecutus est, ut vitia quaelibet mox ut oriri perspexit, numquam primum requiescere vel foveri passus sit, quam ea caritatis sarculo radicitus exstirparit. Et hic ei perpetuus labor et indefessum studium fuit, ut inimici Domini et sanctae religionis eius hostes fierent, nec ante in eius gratiam redirent, quam digna satisfactione et poenitentia culpas diluerent. Suas enim iniurias, quas vel pravi monachi vel alii perversae mentis homines frequenter intulerunt, tanta patientia sustinuit, ut nec se, cum posset, umquam ultus sit, nec umquam graviter conviciantibus saltem leviter responderit. Tali vero pietate enituit, ut dum omnes homines, praeter eos dumtaxat, quos sua perfidia condemnabat, excoleret, omnes sibi commissos fratres patria reverentia honoraret, et tamquam filios carissimos diligeret, maxime quos morum probitas et obedientia plus quam alios commendabat. Magno igitur maerore concussis omnibus, ut vidit omnes flere, et ipse motus, testatus quo potuit nisu dolorem suum, qui erat non pro resolutione sua, cum optabile et gratissimum illi esset resolvi et cum Christo esse, sed pro filiorum, quos per euangelium Christo genuerat, desertione, lectulo se erigi iussit; stolaque sacerdotali amictus et pastorali virga sustentatus, potestate sibi tradita omnes sibi commissos tam praesentes quam et[b] absentes absolvit. Omnibus etiam quicumque in[b] eum vel criminosa locutione vel opere vel quolibetcumque modo aliquando aliquid deliquerant, indulsit. Dein exosculatis omnibus, postremo data benedictione, iterum in lectulo relocatur. Quicquid deinde diei superfuit, sequentemque noctem Dei laudibus et divinae contemplationi deputavit. Sequenti vero die Aug. 24. primo diluculo, aderat[c] cum Berengero abbate monasterii[b] sancti Laurentii Henricus Leodiensis episcopus, praeterea et alii quamplures religiosi viri, ad hoc ut obsequium ferrent tanto funeri. Hi utrique[d] ex debito convenerant, episcopus quidem, quia et ante episcopatum et post in episcopatu, dum adhuc viveret, privata quadam gratia venerabilem senem dilexit atque in praecipuo amicorum loco habuit; abbas autem, quia adhuc in annis adolescentiae ex clerico monachus ab ipso consecratus, tanti magistri exercitatus institutione,

a) *ita* A. *et alter cod.* M. indignans ait: Nolite filii *alter.* b) *deest* A. c) aderant A. d) utrimque A.

30) *in prima vigilia noctis dominicae* Chron. Sancti Hub. p. 596, quod de nocte inter primam et secundam feriam media intelligendum videtur. Quae ibi notavi, non satis accurata sunt; sed diem obitus 8. Kal. Sept. etiam Ann. Laub. SS. IV, 21 tuentur, nec minus ea quae de sepultura corporis noster infra refert.

1087. inter familiariter sibi adhaerentes erat carissimus. Horum adventu senex non mediocriter delectatus: *Iam*[a] *laetus moriar,* dixit, *quia quorum patrocinio securum me ire non dubito, in exitu meo adesse Dominus mihi misit.* Et conversus ad episcopum: *Deo,* ait, *et vestrae providentiae et pietati, domine pater, creditae mihi dispensationis officium reconsigno; et quas ulterius, iam*[b] *incumbente mihi morte, ipse regere non possum, dominicas oves vestrae fidei committo. Et quia in hoc, praeterea et in aliis multis, ut ab homine frequenter erratum a me et peccatum est, culpam agnosco et confiteor, veniam peto, indulgentiam flagito, remissionem a Deo et vestra caritate postulo.* Episcopus autem in lacrimas resolutus, intromissis monasterii fratribus secundum ecclesiasticam consuetudinem primo eum absolvit, deinde iuxta apostolicum praeceptum sancto oleo inunxit.

31. Quicquid postea[c] supervixit. toto die illo usque ad noctem, fratres exhortari et admonere non cessavit, obsecrans[d] ut in eo quod coeperant boni operis proposito perseverarent. Maerentes autem et pro sui tabernaculi depositione contristatos, consolabatur dicens, si se in veritate diligerent, potius eis[e] esse gaudendum, quia de labore ad requiem, de corruptione per gratiam misericordiae Dei speraret se transire ad incorruptionem; pro sua autem separatione eos contristari non debere, quorum non longo intervallo confideret se perpetua frui iterum communione. Pro deiectione autem ecclesiae sancti Huberti non oportere eos sollicitos esse, quia provideret Dominus, qui secundum ordinationem suam suo gregi utiliter praeesse posset. Noctem vero totam usque ad lucis crepusculum, quamvis per singula verba paene iam mortua cadente lingua, in divinis laudibus consumpsit. Cumque post modicum pontifex ingressus assideret aegrotanti, ille pie in eum reflexis obtuti-
Levit 3 9. bus et protensis manibus: *Ex praecepto legis,* ait, *domine pater, cauda quoque hostiae in sacrificio iubetur offerri, per quod significatur sacrificium boni operis perducendum ad finem debitae actionis.* Et cum episcopus conversus ab aliis quaereret, quid his verbis innuendum putarent, ille iterum: *Quia, o pie pater,* dixit, *usque nunc mihi in perunctione fuisti Maria, deprecor, si placet, abhinc in obsequio funeris non graveris fieri Martha.* Quod episcopo libenter annuente, ille quasi iam praesumpta securitate in latus se vertit, et quasi qui ulterius cum terrenis nihil commune haberet, licet iam morientibus labiis laudes Domini tenuiter susurrabat. Testor Christum et eos qui aderant, me nihil fingere commenti, sed quod videre et audire mihi contigit, in veritate de sancto homine vera dicere. Iam frigentibus aliis partibus corporis, in solo pectore exilis spiritus adhuc palpitabat, et crebriores singultus iam
Aug. 25. vicinam mortem nobis nuntiabant. Ille autem per totam noctem usque ad matutinales vigilias deficientes artus egredienti animae etiam tunc servire cogebat. Et quia aeternae mortis stridores ante mentis suae[f] oculos semper habuerat, illum stridorem quo anima corpus-
Psalm 90 que dividitur, in laudes Domini convertebat, totumque psalmum: *Qui habitat in adiutorio Altissimi* usque ad finem, item et laudes trium puerorum attentius repetebat. Praeterea et alia multa, tamquam his deliciis ultimo satiari cupiens, frequenter iterabat. Finitis autem nocturnalibus hymnis, iterum dominus episcopus ante eius lectulum venit, et utrum se
Luc 1,79 agnosceret, multis perfusus ora lacrimis requisivit. At ille reiectis in eum pie oculis: *Ecce,* inquit, *vir Oriens nomen eius, qui illuminare venit in tenebris sedentibus*[g]. Atque coram eo omnem catholicae fidei regulam, sicut a sanctis patribus constat conscriptam, utque ipse eam a puero imbiberat et tenuerat, memoriter relegens: *Haec in veritate credo et teneo,* dixit, *haec ore*[h], *corde et tota animi intentione confiteor.* Tunc iterum qua potuit voce, pro restauratione ipsius ecclesiae satis humiliter et devote preces coram episcopo prostravit. Episcopus autem concussis ad pietatem omnium animis, quia erumpebant lacrimae et non poterat se continere, data benedictione egressus est flens uberrime.

32. Ipse autem salutaris eucharistiae sacramenta sibi afferri praecepit, erectusque lectulo, Deo se commendans, solita humilitate et reverentia ea percepit. Benedictisque fratribus, propter viciniam mox futurae mortis iam lingua et toto corpore invalidus, coepit deinceps spiritus eius intendere in eum, ad quem mox erat iturus. Cumque lectulo expositus iaceret in agonis angustia constitutus, et morienti fratrum maerentium conventus assisterent[i], eiusque exitum psalmis et orationibus commendarent, et longae in eius resolutione traherentur morae, inito consilio obtulerunt communiter salutarem hostiam Deo pro eius resolutione[k]. Cumque iam peracto illo sacro mysterio, ultimas preces qui cele-

a) Etiam A. b) *deest* A. c) praeterea A. d) admonens A. e) eis *deest* A. f) *deest* A. g) sedentes A. h) hoc ore credo et corde atque t. A. i) assideret A. k) depositione *al.* pro eo M.

braverat sacerdos offerret Deo, anno aetatis suae octogesimo non ad integrum expleto, 1087 postquam monachum professus fuerat anno septuagesimo[31], postquam sacerdos ordinatus 31 quinquagesimo, ex quo abbas consecratus trigesimo tertio, anno ab incarnatione Domini 1087, 8.[a] Kal. Septembris, hora diei prope tertia, carnis vinculo resoluta ad eum cui semper devote servierat, felix illius abiit anima. Secutus est autem abeuntem pie maerentium monachorum dolor maximus, ingens fletus, miserabilis gemitus. Nam alii confuse corruentes super cadaver exanime, oculos, ora, faciem, manus pedesque defuncti, vel si quid aliud nudum patebat, arte deosculabantur et lacrimis rigabant. Alii ad planctus exserti, brachia, pectora pugnis tundebant, vel crines laceros spargebant, pars doloris impatientia humi prostrata iacebat; omnes autem communiter lacrimosis vocibus plangebant et flebant. Pueruli[b], adolescentes cum iuvenibus, grandaevi senes, quos omnes ille in monasterio iam a tenera aetate paterno affectu nutriverat, aut de tempestate fluctuantis mundi placido monasterii portu exceperat, mixto fletu et ululatu pium patrem et bonum rectorem ac egregium lamentabantur doctorem, atque cum sancto sene querebantur pariter interiisse et eum[c] locum refugisse sobrietatem, gravitatem, modestiam, humilitatem, patientiam, vel ceteras sanctarum[d] virtutum institutiones. Sed et multa plebs promiscui sexus et aetatis, maxime vero pauperes, de quibus ei semper cura fuerat, simili pietate perculsi miserabiliter ululabant, et percussis manibus contusisque pectoribus, vulsis hinc inde et sparsis crinibus, erat cernere quod dolerent, quanto patre orbatos se intelligerent. Itaque beati viri corpus in ecclesiam elatum, duos dies totidemque noctes, numquam deficientibus psalmorum et vigiliarum supplicationibus, pio fratrum studio est asservatum. Tertia autem die Aug 27 celebrata ab episcopo missa, prosequentibus se maximo fletu cum numerosa plebe illustribus et potentibus viris, item clericis et sacerdotibus multis, portatus est ad sepulcrum, magno stipatus agmine monachorum, et in crypta, quam ut[e] superius dictum est novam exstruxerat et dedicari fecerat, balsamo et aliis pretiosis aromatibus delibutus ab eodem domino Henrico episcopo in sarcophago lapideo, cum multis lacrimis et gemitu et inaestimabili omnium qui convenerant planctu, coram altari sanctae semper virginis Mariae 27. Augusti mensis die est sepultus.

33. Tali Theodericus ordine natus, tali serie fuit nutritus, his virtutum initiis vitam suam instituit, sic media aetate vixit, hunc felicem vitae exitum senex et plenus dierum habuit. Nunc Deo gratias ille fruitur bonis, in quae semper suspirando se extendit. Carnem suam crucifixit cum vitiis et concupiscentiis huius mundi, gaudet modo cohabitatione eius qui pro hominibus est crucifixus. Corpus ieiuniis et afflictionibus tenuavit, saturatur modo deliciis gloriae Dei; contristatus temporaliter, laetatur aeternaliter. Paucorum dierum lacrimas perpetua exultatione compensat; cilicinam asperitatem, quae paucis annis mollitiem carnis eius[f] presserat, suavitate aeternitatis mitigat; nigredinem vestis, qua mundo spectaculum fuit, iam albis vestibus commutavit. O felix et appetenda commutatio! Dedit ille caduca, et recepit aeterna; vendidit terrena, et mercatus est caelestia. Et o felix supra huius miseri[g] temporis faeces Theodericus, post se parem ulterius non habiturus! Nam quod pace aliorum dictum sit, quisquis ei successerit[h], semper in[i] hoc bono aemulus et invidus erit. Sed ego, mi Lamberte, hunc tibi libellum de vestro, immo et[k] nostro patre Theoderico, parciore quam proposueram stilo exaravi, cum etiam adhuc restent multa, quae relegata falsitate de eo potuissent narrari. Sed ne prolixa et inculta oratio legentibus faciat taedium, advertat ex his[l], quisquis non aspernabitur legere, quod vir sanctus Theodericus, quia sancte et iuste vixit, feliciter ab hoc mundo migravit; et quia legitime certavit, merito coronatus est corona immortalitatis a domino nostro Iesu Christo, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

a) MLXXXVIII. nono A. *et alter cod.* M. b) queruli; ad. *alter cod.* M. c) et cum Deo ref. A d) ceterarum v. M. e) superius ut A. f) *deest* A. g) mundi et miseri M. h) abbas s. M. i) s. invidus eius erit *alter cod.* M k) de A. *sed in praefatione Cuperus locum affert ut supra legitur* l) ex his *desunt* A

31) V. supra cap. 8.

VITA BENNONIS II EPISCOPI OSNABRUGENSIS

AUCTORE NORBERTO ABBATE IBURGENSI.

EDIDIT ROGERUS WILMANS PH. D.

TABULARIO REGIO MONASTERIENSI PRAEFECTUS.

Post sancti Anselmi Lucensis vitam a ferventissimo Gregorianae partis sectatore compositam documentum eiusdem temporis non minus grave, sed ab Heinriciano auctore conscriptum edimus. Quae scripta quanto inter se differant, in aperto est. Nam Bardone iam vivum Anselmum inter sanctos referente et propter miracula ab illo post mortem patrata de haereticis hac re confutatis nimis exsultante, Norbertus in conscribenda Bennonis vita multo sincerius veriusque procedit. Coenobii sui fundatorem non verbis sanctificare, *sed ipsius* vitam sine fuco *describere sibi proponit, ita ut ea etiam, quae Benno minus recte egerit, minime sub silentio praetereat hoc potissimum consilio ductus,* ut[1] quo ipse minus perfectionis habuisse dignoscitur, a legentibus haec pro eo studiosius oretur[2]. *Iure igitur* magis temerariam quam religiosam assentationem *illorum auctorum reprehendit*, qui in eorum quos describunt tantummodo laude versantur, et non tam quid egerint attendere videntur, quam quid egisse debuerint[3], *et in praefatione disertis verbis protestatur*, *se de Bennone* miraculorum signa et virtutum insignia *non* relaturum. *Hoc modo factum est, ut haec vita revera sit egregium opusculum et summis laudibus dignum, quibus magnus ille historiae Germanicae investigator Iustus Moeserus eam effert[4]. Quae enim de episcopi iuventute eiusque studiis, quibus Argentinae apud Hermannum Augiensem, Spirae et Hildesheimii literas amplexus est[5], de ipsius villicandi scientia[6], castellisque denique ab eo in Saxonia constructis[7] hic leguntur, res saeculo XI medio gestas magnopere illustrant. Multo vero maiorem fructum ex sequentibus vitae capitibus percipimus, quibus auctor lucide explicat, quibus artibus Benno episcopatum Osnabrugensem iis turbulentissimis temporibus administraverit, et Heinrico IV fide intemerata servata tanta prudentia inter Gregorium VII et antipapam Clementem III (Wibertum) se libraverit, ut neuter eorum ipsum adversariis suis adnumeraret[8].*

1) cap. 10. 2) Quam sententiam etiam in praefatione et cap. 42 profert. 3) cap. 10. 4) I. Möser's sämmtl. Werke VII, 1. Osnabr. Gesch. II, 40. *Norbert hat uns eine vortreffliche Beschreibung seines Lebens hinterlassen, die das völlige Gepräge der Wahrheit an sich hat;* eiusd. Stiftung des Benedictiner Klosters Iburg, sämmtl. Werke IX. p. 268 n. *Norberti vita Bennonis, ein biographisches Meisterstück.* 5) c. 3—5. Hic admirationem meam non parum movet vox *Studenten* a Norberto iam saeculo XI exeunte usurpata c. 3: *Hoc itaque dicendi ordine et per alia quoque loca studentium more aliquanto tempore vagatus* etc. 6) Hoc termino utitur c. 10. cf. 15. 7) c. 11. 8) Vide c. 20 et quae ibidem adnotavimus. Primum autem Bennonis exilium annos 1073 1077 durans auctor omnino silet.

Quam vitam a Norberto secundo[9] Iburgensi abbate conscriptam esse, titulus apographi ex quo Eccardus eam iuris fecit publici, indicat[10]. Qui tamen a monachis Iburgensibus[11] ex coniectura appositus esse videtur, cum auctor neque nomen suum in opere prodat, neque se abbatem fuisse dicat. Etenim si de se ipso auctore agit, saepenumero se potius in monachorum Iburgensium numero recenset[12]; e contra, cum in abbatem Norbertum sermo incidit, non ita de eo loquitur, ut hunc auctorem fuisse suspiceris[13]. Nihilo minus crediderim hunc re vera vitam Bennonis litteris mandasse. Nemo certe ad id opus subeundum magis idoneus erat, quam Norbertus qui anno 1084 Colonia ab episcopo evocatus Iburgense monasterium regendum suscepit et ab hoc inde tempore Bennoni usque ad mortem eius (d. 27. Iul. 1088) fideliter adhaesit. Et hoc quidem ipse auctor capite 34, ubi abbatis Norberti vitam breviter perstringit, haud obscure innuere videtur[14].

Inscriptione[15] iam supra laudata codicis teste haec vita anno 1118 composita est. Quod quidem omnino falsum eamque potius post annum 1090, quo marchio Ecbertus, et ante 1100, quo Clemens III obierunt, in lucem editam esse, ex capp. 22 et 25 edocemur[16]. Et haec quidem opinio etiam aliis locis confirmari videtur[17]. Norbertus vero ipse anno 1117 vel 1118 e vivis excessit[18].

Qui in hoc opere conscribendo inprimis dicta Bennonis, in cuius familiaritatem admissus erat, secutus[19] praeter Heinrici IV diplomata duo annorum 1078 et 1079[20], etiam Annales Iburgenses deperditos[21] consuluit, et de ex-

9) non primo, ut Moeser Osn. G. II, 40 vult. Norbertum praecesserat Adalbardus. 10) Vide eiusdem praefationem in Tom. II. a. 1723 ad num. XIX et XX. *Norbertus vero vitam ipsius, ut codex authenticus Iburgi existens — cuius apographum mihi monachus eruditissimus eiusdem loci benevole communicavit — testatur, anno 1118 in litteras redegit.* 11) Ex quorum relatu etiam Schaten Norberti nomen percepisse videtur, cuius Annales Paderbr. 30 annis ante Eccardi collectionem in lucem prodierunt p. 626. *Quemadmodum res ab eo gestas Norbertus secundus Iburgi abbas pluribus conscripsit* cf. p. 600. Ex quo Mabill. Ann. V, 248 a. 1713 sua hausit. 12) Vide praef. *Quod nos qui — in hoc Iburgensi monasterio Christo militamus — de — - Bennone — vitare cupientes, ita eum successoribus nostris, qui divino mancipati servitio hunc forte locum sunt habitaturi, intimare satagimus;* cf. cap. 42: *Quoniam successoribus nostris speciali hoc opusculum intentione edidimus; — ut — — — tanto obnixius pro eius salute divinae pietatis aures pulsare ipsi non desinant, quanto se eius industria — in hoc congregatos — cognoverint.* 13) Vide c. 39: *Quod cum iam non secrete inter se, sed aperte forte clamare coeperunt, abbas in varias curas exaestuans* et sequentia — *ut eius rei iam quodammodo eos reddidit certos, cuius ipse adhuc penitus erat incertus;* c. 41: *Sed cum super hac Mindensis exspectaretur episcopus — — abbati iniungitur officium.* 14) *De quo* (Norberto) *quia adhuc per Dei gratiam vivit et superest, non multa sed haec tantum referimus — — ac si loci huius curam suscipiens, pene per quadriennium ante mortem episcopi, cunctis quibus debuit, prout potuit, diligenter intendit.* 15) Quae an etiam in 1 exstet nescio. 16) c. 25: *Porro in hac fidelitate — diu ante interfectionem suam marchione* (Ecberto) *deficiente.* Cfr. Ann. Sax. 1090. Cap. 22. *Sed iam die declinata in vesperam* (Gregorium VII) *abdicassent, eiusque in locum constituissent Rawennatem episcopum, qui etiam adhuc nomine Clemens Romanae praesidet ecclesiae.* 17) c. 11: *Iam tum enim Saxonici belli, quod adhuc iam tanto tempore mundum demoliri ingemimus, exordia pullulare coeperunt;* c. 18. de anno 1077 agens: *Itaque super hac re die constituta, advocatum nomine Meginbaldus, qui adhuc in extrema senectute apud Disnam est advocatus, - secum adduxit.* 18) Quod coniicimus ex charta apud Moes. sämmtl. Werke VIII. Osnabr. Gesch. IV. p. 73 exstante ubi de Hugone, qui ipsi successit, haec leguntur: *Actum est hoc in loco placiti illorum qui dicitur Throp. anno d. i.* 1117. *iam per Dei gratiam ordinato abbate fratre Hugone, secunda die ordinationis eius quae facta est* 6. *sabbato, in festo sancti Nicolai* (6. Dec.). In titulo vero haec charta annum 1118 prae se fert. Reliqua diplomata, quae Norberti mentionem faciunt, pertinent ad annos 1095. 1097. 1108. 1110. Möser l. c. p. 66. 69. 70. 72. cf. praeterea p. 59. 19) V. praef. *Ut enim ipse nobiscum saepe familiarius loquens adicere iocando solebat,* ibidem *eius prosapiae quale sit exordium, sicut accepimus ipso referente, videamus;* c. 3: *apud quem* (Hermannum Contractum, *ut ipse quoque fatebatur, valde proficiens, multa de illo praeclara narrare solebat.* 20) Cfr. quae ad cap. 20 adnotavimus. 21) Vide infra c. 13. 20. 21. 25. — Horum annalium fragmenta historiam annorum 1073. 1074. 1076. 1078. 1080. 1081. 1082. 1084 et initium 1085 complexa V. Cl. Iulius Ficker a. 1851 in folio membranaceo saec. XII. exarato, *Agendae Moguntinensis ecclesiae* a. 1551 Moguntiae editae a tergo adglutinato, detexit atque cum Pertzio communicavit. Quae nunc Monasterii a me inspecta

peditione Heinrici III a. 1052 in Hungariam suscepta *populares fabulas*
22 *et cantilenas vulgares*[22] *in partes vocavit*[23].

Vitae Bennonis codex autographus Iburgi saec. XVII exeunte et XVIII ineunte existens nunc omnino deperditus esse videtur. Ex quo fluxerunt apographa tria, quorum unum nobis, secundum Eccardo, tertium Moesero fuit subsidio.

24 *1) Primum igitur quod abbas Iburgensis Maurus Rost*[24], *a. 1680 describendum curavit, V. Cl. C. Stüve, praecipuus rerum nostrarum fautor, in usum nostrum cum Eccardi editione contulit.*

1) Cuius auctoritati proxime accedunt, quae Bern. Wittius, qui Iburgense coenobium invisit*[25], *ex codice vitae authentico* *Historiae Westphaliae* *inseruit*[25]. *Quae loca haud spernendas et cum 1. plerumque consonantes lectiones afferunt*[26].

2) Alterum apographum monachus quidam Iburgensis cum Eccardo edendum communicavit (Corp. H. m. a. II. 2161—2194). Tertio Iustus Moeser
27 *usus est*[27].

3) Geographicorum nominum varias formas ex copiario Iburgensi saec. XIV V. Cl. Stüve adnotavit.

ROGERUS WILMANS.

PRAEFATIO.

Multorum saepe negligentia accidisse videmus, ut res gestas memoria dignas ita silentio praeteriisse[a] passi sint, ut eorum qui res praeclaras gesserunt, nulla sit posteris transmissa memoria. Quod nos qui auctore Deo in hoc Iburgensi monasterio Christo militamus, de venerabili patrono nostro, Osnabrugensi episcopo Bennone secundo, omnino vitare cupientes, ita eum[b] successoribus nostris, qui divino mancipati servitio hunc forte locum sunt habitaturi, intimare satagimus, ut de vita, moribus gestisque eius pauca perstringentes et multiloquio pro penuria scientiae sermonisque vilitate parcentes, id maxime intendisse cernamur, quatenus ipse fundator noster et structor tantum assidue in loco hoc iuvetur orando, ut se spei suae solatio iniuste destitui Deo iuste conqueri[c] non possit. Ut enim ipse nobiscum saepe familiarius loquens adicere iocando solebat, omni die de nostrae[d] servitutis im-

a) praeterisse 1. b) *ita* 1. cum 2. c) conq. iuste 1. d) nostra 2.

et cum caeteris huius temporis provinciaeque scriptoribus collata spem mihi iniiciunt, fore ut Annales Iburgenses integros restituerem. Praeter enim ea quae Norbertus ll. c. et Annalista Saxo ad a. 1077. 1081. 1083. 1084 inde mutuati sunt, etiam Bernardus Wittius Liesbornensis O. S. Benedicti coenobii monachus, ex iisdem fragmentis alia loca praesertim ad historiam Iburgensem et Osnabrugensem spectantia in *Historiam Westphaliae* (Monast. 1778. 4°) inter annos 1495 et 1520 conscriptam, verbo tenus et maxima cum fide transtulit. De quo opere si ea deducis quae Ottoni Frisingensi, Martino Polono, Vincentio Bellovacensi et quibusdam fabulatoribus Wittius debet, haud pauca restant quae res inde ab anno 800 usque ad a. 1138 gestas comprehendunt et ex Annalibus Iburgensibus originem duxisse videntur. Magnopere vero dolendum est, quod rebus gestis uniuscuiusque regis vel imperatoris annos adscribere supersedit. Bernardi Witii autographum una cum reliquis libris beatae memoriae trium fratrum Droste de Vischering exeunte anno 1853 ab Illustrissima Barone de Nagel-Dorneck in Ostenfelde prope Warendorf emptum et Westphalicae historiae servatum est. — Hoc autem notandum est, quod Annalium Iburgensium auctores ab imperatorum Salicorum parte stetisse videntur, quod hoc tempore rarissime evenit. 22) c. 6: *ubi quantae sibi utilitati, quanto honori, quanto denique vitae tutamini et praesidio fuerit, populares etiamnunc adhuc notae fabulae attestari solent et cantilenae vulgares.* Quem locum una cum illo supra (SS. XI. p. 385) ex Othloni visionibus allato, quo primi forsitan histrionis Germanici, Vollarci circa a. 1050 florentis, nomen proditur, viris doctis qui historiae Germanicae poeseos investigandae operam dant, commendare velim. 23) Accuratam de Norberti fide dissertationem conscripsit Stenzel II, 90—95. 24) Idem qui duce Norberto Bennonis vitam versibus elegiacis in epitomen redegit, quam ab Eccardo II. p. 2195 editam non repetimus. 25) Quod ex pag. 275 coniicio — *Benno — carne solutus est, ac in Iburgensi coenobio ante altare sanctae Crucis conditus est, ubi et in hodiernum usque diem eiusdem venerabilis episcopi quaedam pontificalia servantur, scilicet sandalia, calcei* etc. 25*) Cfr. infra capita 13 et 19. 26) Quanta fide in transcribendis fontibus usus sit, ex pag. 270 videmus, ubi de Meginbaldo locus supra not. 17 allatus iisdem verbis Norberti legitur: *qui adhuc in extrema senectute apud Disnam est advocatus.* 27) Sämmtl. Werke IX. p. 268 n.*

pensa, vita defunctus, prandium sibi expectare, oratione videlicet insinuans animam pasci: et quod ipse, utpote innumeris saecularium tumultuum negotiis praepeditus, in Dei opere minus implevit, totum id sibi Deo hic per se congregatos iustissime recompensare sperabat. Quamvis enim more eorum, qui agones martyrum seu vitas scripsere sanctorum, miraculorum signa et virtutum insignia de eo referre non possimus, pleraque tamen bene vivere studentibus imitanda eius facta dicemus, quae suo ordine et loco, prout memoriae occurrerint, plenius inserenda ponentur. Sed, ut iam nos praemisisse recolimus, non eo huius opusculi spectat intentio, ut vita eius exteris gentibus nostrae narrationis ambitu descripta clarescat; sed intra monasterium hoc commanentium lectione contenti, id unice eos obtestamur et petimus, ut si per nos utique peccatores ei apud districtum iudicem minus efficaciter, quam dum viveret speravit, et eget, fortasse succurritur, tanto obnixius pro eius salute divinae pietatis aures ipsi pulsare non desinant, quanto se eius industria et studio in hoc loco congregatos habere cognoverint et temporale subsidium, et, si religioni studuerint, spiritale[a] incrementum. Unde et nos quasi rei impietatis inveniri timuimus, si de eo omnino[b] silere, et non qualicunque sermunculo aliis eum commendare vellemus. De quo si nobis suppeteret materia alia nulla scribendi, profecto tot in nos collatorum beneficiorum eius et charitatis immensae benignissimaeque voluntatis et studii magnitudo, quibus omnibus quasi nutrix fovit et fovet filios suos, non minimam scribendi portionem ministrare sufficeret. Sed his quasi praefatiuncula quadam praelibatis eius prosapiae quale sit exordium, sicut accepimus ipso referente, videamus.

1. *De ortu Bennonis et quomodo parentes eius miraculose eum impetrarunt.*

In Sueviae partibus loco, qui Luninge dicitur, est viculus, ubi eius parentes non nobiles quidem, sed tamen plebeiam conditionem transgressi, clari apud suos vitae integritate et amore religionis sunt habiti. Sed cum diutina infaecunditate tristati sine prole mansissent, seque pro hac necessitate divinis arctius solito mancipassent obsequiis, si forte eis divina bonitas pro esurientium cibo algentiumque vestitu seu aliis misericordiae operibus gaudia sobolis largiri dignaretur optatae, seque votis adhuc diutinis frustrari[c] quererentur, tandem desperatione pene suborta, qui forte in vicinia erant, religiosorum cognitioni et amicorum res ista est[d] perlata consilio. Qui omnes concordi sententia a divina clementia poscendum amplius instantiusque exigendum fore suadebant. Itaque re domestica amicorum arbitratu disposita et quae in itinere essent necessaria sufficienter assumptis, Romae apostolorum limina invisere devotissima mente tractabant. Sed ne in conspectu Dei vacui apparerent, exteriorque devotio interioris recommendaret affectum, fieri iubent unius similitudinem pueruli ex argento purissimo, eamque pro modulo suo parvulae quantitatis imaginem artificis ingenio diligenter effictam secum deferentes, Christoque et apostolis eius sui desiderium cordis signo locuturi, profecti sunt Romam. Ubi per aliquot dies commorantes et loca sancta perlustrantes, inter caeteras necessitates id vel maxime flagitare coeperunt, quatenus eos superna gratia apostolorum suorum exorta suffragiis, pro tanto laboris impendio filiorum dignaretur susceptione ditare, qui[28] eos aliis rebus pro suo statu et dignitate satis videretur auxisse, conditione insuper huiuscemodi super hac re sponte oblata, ut si haec Deus pro sua pietate vota compleret, qui primus eis nasceretur ex filiis, sacris eum literis et officio vellent mancipare divino. Hac igitur piae devotionis et intentionis sponsione devincti, in patriam remeantes, non multo post tempore filium genuerunt, cui ex cognationis denominatione Benno vocabulum esse voluerunt. Hoc autem modo susceptum infantulum tanto[e] diligentiori cura ac studio alacriori nutrire coeperunt, quanto eum suis precibus pietatis auctorem dedisse credebant.

2. *De probis indiciis infantiae Bennonis.*

Sed et inter ipsa tenerae aetatis rudimenta incredibile est dictu, quanta in ipsius facie puerili futurae gratiae quodammodo dignitas elucere coepisset, ut vultus alacritas quiddam videretur spondere praesagii, se gratia qua fuerat parentibus datus, ad altiora quandoque eadem[f] vocante scansurum; siquid autem, ut ab id aetatis puero iussu paren-

a) spirituale 2. b) omnia 1. c) fr. diut. 1. d) *add.* 1. e) tanta 1. f) *ita* 1. eodem 2.

28) sc. Deus vel superna gratia.

lum fortasse fuisset agendum, prudentiae et ingenii praeclarum specimen in eius posset quivis verbis et actione mirari. Quod cum votum parentum multo laetiori spe aluisset, divinae propensius bonitati gratias agere coeperunt, quae non solum praesenti eorum desiderio satisfecisset, sed de futuro spei quiddam altioris videretur annuere.

3. *Quomodo Benno puer traditus sit literarum studiis.*

Cum autem quod voverant parentes de puero implere posceret tempus aetatis, in Argentina civitate, quae alio nomine Strassburch[a] appellatur, cuidam eum magistro literali imbuendum scientia tradiderunt. Ubi quantum per divinam gratiam profecerit, quantaque coaetaneos suos velocitate discendi praecesserit, ingenioque et scientia transcenderit, facile advertunt, qui eius industriam aliquanto simul conversandi experimento noverunt. Iam vero adolescens Hermannum quendam contractum ex ordine sancti Benedicti, qui liberalium studiorum eo tempore eximius ferebatur, cuius etiam egregia nunc extant opuscula, expetere studuit, apud quem, ut ipse quoque fatebatur, valde proficiens multa de illo praeclara narrare solebat. Hoc itaque discendi ordine, et per alia quoque loca studentium more aliquanto tempore vagatus, in iuventutis provectus[b] aetatem multis eiusdem regionis summis et nobilibus viris innotescere coepit, maximeque illius civitatis episcopo[29], cum quo etiam postea[c] illum Ierosolymam petiisse, multaque in itinere illo pro Christo pericula scimus fuisse[c] perpessum.

4. *Quomodo Benno ad Spirensem civitatem studii causa accesserit.*

Eo vero tempore, quo urbs Spira in Rheni[d] littore posita paupercula et vetustate collapsa paene iam episcopium esse desierat, imperatorum, qui nunc ibi conditi iacent, studio et religione, ut nunc ibi cernitur, reformata convaluit. Hoc enim eisdem piis imperatoribus videbatur inesse laudabile votum, ut quia in regno fundare episcopatum ex suis divitiis occasionem non habebant, hunc, qui iam pene nullus erat, facultatibus suis restaurare, suaeque memoriae dedicare deberent. Cumque plurima eodem tempore de toto regno illuc undique clericorum turba concurreret, eo quod circumquaque flagrans imperiale studium, studium etiam literarum inibi ardentissimum florere coepisset, contigit et dominum Bennonem, qui se semper miscere consueverat, regia munificentia accitum, eidem interesse palestrae. Ibi quoque inter conscholares agonistas, quantum se praebuerit, quantoque labore et probitate cunctis innotuerit, reliqua eius vita facillimis demonstrabat indiciis. Cumque in eodem loco aliquanto tempore manens, non solum literis, sed et per eas acquisitis divitiis abundare coepisset, eo usque res sua processisse non dubitatur, ut si se eidem loco perpetuum mansorem stabilire maluisset, ad eius ibi honoris cacumen facillime crederetur pertingere potuisse, quem[e] apud nos maiore postea rerum experientia exercitatus habuisse cognoscitur; sed vir prudentioris ingenii in otio torpidus esse contempnens, ad laborandumque sese salubriter extendens, Deoque spes suas et se omni semper intentione commendans, noluit honoris alicuius aut regiminis pernitiosus sibi umquam esse praesumptor, sed exercitio animi corporisque labore semper discenda addiscere, ne si eum suae supernus arbiter domui dispensatorem praeesse disponeret, improvidus non haberet, unde familiam Domini sui spiritali alimonia satiare deberet.

5. *Quomodo Benno factus sit scholarium magister in civitate Hildesheimensi.*

Itaque Heinricum imperatorem deinde in Saxoniam secutus, cum villam Goslariam ille operosis impensis et regio factu amplificare coepisset, solito se ibi studio morumque probitate demonstrans, optimatibus terrae illius in brevi est cognitus, et honestissima contentione quaesitus, cuius potissimum dominio subesse deberet. Praevaluit autem in eo certamine venerabilis eiusdem loci Ezelinus episcopus magnisque promissionibus secum abductum in ecclesia sua Hildesheim scholarium esse constituit magistrum. Satis autem

1044 — 1054.

a) *ita* 1. Strassburg 2. b) *ita* 1. profectus 2. c) *add.* 1. d) Rheini 2. e) *ita* 1. quod 2.

29 de Werinhario loqui videtur, qui anno 1027 cum magno comitatu hominum a Chuonrado II Constantinopolim missus, ad Hierosolimam usque pergere voluit, at Constantinopoli obiit. Cfr. Wiponis vita Chuonradi imperatoris. SS X. 267. cap. 22. et *Noticiam itineris Constantinopolitani quod Wernherus Argentinensis episcopus cum Manegoldo de Werde suscepit* apud Grandidier Histoire d'Alsace I. p. 226. tit. 384.

abundeque provisa sibi necessariorum copia, ut liberum in studendo animum securus et vacans habere potuisset, iuxta quod ad tales per poetam canit:

Pectora nostra duas non admittentia curas,

multo tempore omni exteriori occupatione reddidit expeditum. Cum igitur eatenus ecclesiae illius clerici rusticano quodam more educati, paene sine literis ac idiotae fuissent, tantum sunt huius diligentia ac continuato labore consecuti studendi amorem, ut penitus illa regione nil simile reperiretur in studiis. Egregius enim exinde clerus adolescere coepit cum claustralis honestate disciplinae, tum literarum scientiam ardore discendi. Primus itaque loci illius illustrator et velut novus ecclesiastici ordinis auctor iure est habitus[30].

6. *Quomodo Benno factus est consiliarius Ezeleni episcopi Hildesimensis.*

Hunc ergo tantae industriae virum non diutius passus est episcopus ille, vir et ipse 1052
totius prudentiae et virtutis, a sua longius remotum esse praesentia, sed nunc eo a consiliis uti, nunc interesse colloquiis, nunc legationum officiis fungi, aliquando etiam publicis negotiis oratorem praeesse decrevit. Denique expeditione imperiali contra Hunnorum impetus totius regni viribus congregata, qua Heinricus fortissimus imperator eorum superbiam subiugare et fidei christianae innectere statuit, saepe dicti viri episcopus non ignorans solertiam, secum eum in haec pericula et summam laboris assumpsit; ubi quantae sibi utilitati, quanto honori, quanto denique vitae tutamini et praesidio fuerit, populares etiamnunc[a] adhuc notae fabulae attestari solent et cantilenae vulgares. Cum enim hostes tanta tamque forti multitudine metuentes congredi, rebus desperatis terga dedissent, tanto studio et arte vincendi demoliti sunt totius alimenta terrae[b], foveis occultando videlicet aut ignibus iniciendo et fluviis committendo, vel in fuga secum ablata portando, ut inaestimabili et miserrimo famis periculo totus omnino laboraret exercitus. Tum vero assidui experientia laboris et incredibili arte quaerendi dominus Benno episcopo suo eiusque comitibus in tam crudeli morte succurrit, ut eis quotidie sua industria quaesitus panis sufficeret, qui ipsi imperatori, cum in reliquis esset omnibus perspicue victor, valde exiguus aut omnino nullus existeret.

7. *Quomodo Benno factus sit praepositus Hildesimensis ecclesiae ac archipresbyter in Goslaria.*

Reversus igitur ad suam sedem incolumis episcopus cum sociis, tantis eum honoribus, ubicunque sibi oportunum et possibile reperisset, ampliavit et donis, ut merito praecipuus haberetur apud omnes et clarus. Adeo enim ex illo tempore res suae prosperari et felices esse coeperunt, ut in eadem ecclesia postea constitutus praepositus totius etiam episcopatus curam administrare cogeretur. Huius itaque dispensationis non minus strenuus quam fidelis executor, et in villa Goslaria in archipresbyteratus ordine synodalis negotii non segnis exactor, tanta se modestiae districtionisque et aequitatis arce locaverat, ut regiae quoque domus administrationi videretur esse idoneus.

8. *Quomodo Benno in omnium virtutum palestra sit exercitatus.*

Inerat enim huic vis magna[c] ingenii et excellens constantia animi, sermoque promptus et facilis, ut suos ad quae vellet auditores efficax inclinaret; persuasibilis et fortis semper blanditias terrore respergens, ut peccantibus nequaquam sui odium arguendo infligeret, sed emendandi amorem, porro in consiliis sive colloquiis privatis[d], ubi saepe de perfidis et periuris hostibus seu quolibet regni negotio callide intendi et diligenter cuncta oportet tractari, tantae perspicaciae et providentiae fuit, ut mox in ipso exordio rei agendae de excelsa specula ingenii, quo cuiusque vergeret sermonis intentio, et totius negotii prospectaret eventum. In fidei autem constantia seu cuilibet hominum amicitiae observatione promissae, omnibus paene incomparabilis fuit, quam nullorum unquam pollicitationibus munerum, maiorisve emolumenti respectu aut immutare aut quolibet modo unquam est violare compulsus. In erogandis denique donativis munerum in suos quidem parcior, erga extraneos vero erat largitate perspicuus[e]. Quod quare in moribus habere consueverit, nos ignorare fatentes, id unum de eo certo affirmare audemus, eum nunquam aliquid, quod quibusdam

a) *ita* 1. etiamnum 2. b) ut *post* terrae *delevi.* c) magni 1. d) *ita* 1. privatus 2. e) praecipuus 1.

30) Id ipsum in Azelino vituperat Annal. Saxo 1044.

fortassis reprehensibile videri potuisset, in consuetudine habere solitum fuisse, quod non esset prudentiae profunda arte conditum. Circa pauperes et egenos seu qualibet tribulatione afflictos omnimode illi erant viscera pietatis et immensa compassio, ita ut captivis et infirmis, esurientibus et nudis, peregrinis et advenis, viduis et orphanis, qualibet semper vellet pro viribus miserationis ope succurri. Maleficos autem, adulteros et periuros, sacrilegos sacrorumque violatores dierum, cunctosque violatae ecclesiasticae sanctionis reos, qui synodali deberent severitate puniri, tanta terroris invectione coercuit, ut nulli unquam in eius praesentia accusato reique obiectae convicto quolibet in crimine licuerit impune peccasse. Non enim more quorundam perversorum, muneribus acceptis, peccantibus indulsit, sed quocunque[a] purgationis genere pro modo criminis poenitentia indicta solertissime cavere solebat alieni sceleris reus inveniri; si qua[31] autem tali in re accipi licere ecclesiarum consuetudo permittit, pauperibus eroganda omnimodo[b] oblata non renuit. Qui vero suppliciis mundalium legum praevaricatione fuerant addicti seu morte dampnati, utrisque suo modo subvenire consuevit, hoc videlicet erga iudices et huius negotii praefectos omni sedulitate laborans, pecunia etiam plerumque oblata paciscens, quatenus his poenas deberent levioribus mitigare tormentis, ne omnino impunita pertransiens facinorum admissio alia perpetranda, et fortasse maiora audere suaderet; illis vero, quibus in[c] poenam debebant tormenta irrogari maiora, ut vitae reservatis poenitere liceret; si vero id impetrare non posset per semet ipsum plerumque aut alio misso presbytero, confessionem eos facere, et in ipsa morte aliquando dominici corporis viatico dato seram licet poenitentiam agere coepit hortari. Verum haec quae hic per anticipationem et strictim de moribus eius referre coepimus, plenissime omnia[d] in episcopatu degens exercuit, quasi enim haec[e] primitus in palestra ludens iuveniliter addidicit, postquam in agone positus viriliter decertans fortius monstravit.

9. *Quomodo solitum ieiunii rigorem solvit et missae pretium exegit.*

Mortificationi carnis deditus frequenter ieiunare, frequenter carnibus abstinere solebat, ad quod alios etiam[f] verbo et exemplo hortabatur. Quando autem, ut saecularibus mos est, ab alio rogaretur, ut sibi ex causa ieiunium solvere liceret, quod in recompensationem et vicem sanctae missae sacrificium per aliquem offerri vellet, se quoque esse presbyterum quasi alludendo professus, missae pretium sibimet dari praecepit, in cuius exactione semper facultatem rogantis attendit, et totum úni[g] pauperi dedit, ut vestibus comparatis, ille pro manducante oraret. Quod factum ipse praesentibus, taliter itidem iocando commendare solebat, Deo videlicet gratius esse, pauperem vestire, quam per totum diem vacuum ventrem portare, atque eo pacto et satisfecisse domesticis et pauperibus consuluisse, sed nec solitae devotioni multum subtraxisse mediante charitate curaverat. Sed inter haec tamen irae aliquando minus imperare, et iracundiam temperare valebat, ita ut plerumque etiam sine ratione videretur irasci; verum tamen eo modo, quo[h] de se ipso quidam aiebat:

Irasci facilis, tamen ut placabilis esset,

quae sive consulte sive quadam cum passione effecerit animi, plurimum sibi nimirum a subditis reverentiae et timoris extorsit.

10. *De Bennonis villicandi experientia.*

Praeter eos autem, quos enumerare longum est, in eo sitos[i] experientiae usus, summarum utique rerum administratione dignissimos, erat ei et leviorum admirabilis peritia. Villicandi enim scientia adeo super omnes pollebat, quae[k] videlicet in aedificiis construendis, iumentis et pecoribus educandis, agris serendis, aliarumve rerum rusticarum constare videtur quacunque[l] cultura: quam tamen non usu constat eum didicisse, sed arte, ut haec paene eo nemo curaret solertius, nec hic felicius abundaret. Porro in solutione reddituum quos annua deposcit exactio manifestum est, illum fuisse acerrimum, ita ut plerumque verberibus affectos debitum suum rusticos persolvere compulisset; quod ei profecto facile indulserit, et pro summa necessitate fecisse concesserit, quicunque huius terrae homines

a) *ita* 1. quoque 2. b) omnimode 2. c) *deest* 1. d) *add.* 1. e) hac 2. f) etiam alios 1. g) *add.* 1. h) *ita* 1. quod 2. i) situs 1. k) *ita* 1. qua 2. l) *ita* 1. quaecunque 2.

31) i. e. munera.

norit eorumque durissimam infidelitatis et versutiae cogitur tolerare nequitiam. Si qua vero de eius moribus referimus, quae quibusdam fortasse videantur in reprehensione ponenda, in sugillationem illius nihil nos narrare confidimus; sed rei veritatem prout novimus exequentes, eo intendimus, ut quo ipse minus perfectionis[a] habuisse dignoscitur, a legentibus haec pro eo studiosius oretur. Nec enim imitanda hic videtur quorundam magis temeraria quam religiosa assentatio, qui in eorum, quos describunt, tantummodo laude versantur, et non tam quid egerint attendere videntur, quam quid egisse debuerint, quasi non sacra scriptura summos viros et Deo charissimos nonnulla reprehensibilia commisisse demonstraret. Itaque non eum verbis sanctificare contendimus, quod utinam actibus ipse fecisset; sed eius vitam sine fuco propter supra dictam causam absque exceptione depromimus. Si enim actuum suorum omni prorsus imperfectione caruisset, nequaquam ei profecto a quoquam flagitare deberemus orationis suffragium, sed commune cum aliis sanctis debitae venerationis impendere obsequium; nec enim aliis, ut pro ipso orarent, esset commendandus, sed potius ipse, ut pro aliis oraret, exorandus. Hac igitur de eo breviter oratione inserta, ad quod coepimus, redeamus.

11. *Quomodo Benno in Goslaria regia autoritate sic palatio praefuit, quod non solum ecclesiastica, sed et publica negotia strenue dispensaret.*

Fuit itaque apud Heinricum adhuc puerum quartum huius nominis regem vehementer acceptus, eiusque pene arbitrio infra palatium omnia gerebantur, sed et popularibus turbis non minoris est habitus, dum sibi ab illo quivis speraret vel in culpa indulgentiam vel in necessitate subsidium. Denique villae Goslariae duplici potestate praelatus, una qua ecclesiastica auctoritate synodalia examinabat, altera qua regia maiestate publicis negotiis praesidebat, multoties in culpa una et ab eadem persona duplici debuit satisfactione placari, dum quae Dei erant illi reddebant, idemque ipse quae caesaris erant pro commissa cura dispensare debebat. Praeterea autem architectus praecipuus, caementarii operis solertissimus erat dispositor, qua etiam ex re regi supradicto inseparabili fuit familiaritate semper addictus[b]. Iam tum enim Saxonici belli, quod adhuc iam tanto tempore mundum demoliri ingemimus, exordia pullulare coeperunt, quod rex ille non ignorans totam Saxoniam castellis novis et firmis coepit munire[32], defectionemque perfidorum anticipare temptabat munitione terrarum, cui rei maturandae et diligenter exequendae dominum Bennonem praeesse constituit, sciens se[c] huius rei non habere fideliorem, nec ad hoc munus exequendum magis industrium. Poterat enim eius in hac re summa peritia ex Hildesheimensi[d], ubi tunc praepositus fuit, structura dignosci, cuius ibi magisterio a piae memoriae Hecelone[33], eius loci episcopo, tot egregia aedificia constat esse constructa. Hac itaque caeterisque, quas in eo diximus sitas, virtute conspicuus, exteris quoque potentibus et dominis fama vulgante coepit esse expetibilis; prudenti quippe consilio cuncta exteriora, exigua licet et frivola, dispensare callebat, ita ut plerumque etiam pauperculis rebus ab amicis adhibitus, multorum divitias eleganti industria fretus aequaret.

12. *Quomodo domino Bennoni commissum sit vicedominium a sancto Annone episcopo Coloniense, quo postea resignato ad suam praepositturam est reversus.*

Fuit eodem tempore apud Coloniam Agrippinam Anno episcopus, vir admirandae sanctitatis nostrisque temporibus stupendae virtutis, qui divinae gratiae[e] speciali munere plenus, tanto in loco tantisque divitiis et gloria animo semper coelestibus inhaerens, terrena cuncta mundique furentis caduca despexit, structor monasteriorum, ecclesiarum reparator et pauperum servus. Sed tantarum rerum mole tardatus minus efficaciter ire poterat, quo totis viribus et omni virtute tendebat. Verumtamen non bonum aestimans, si universa mundalia, quae ad se pertinebant incurata relinqueret — quae licet sibi in via Dei obstare videbantur, negligere tamen gravis culpa videbatur — virum sibi ad haec curanda idoneum undecunque quaesivit; unde hunc, de quo agimus, patrem nostrum Bennonem diu sibi ante fama et facie, ipsarumque saepissime rerum experientia notissimum ab episcopo suo, Hecelone videlicet, impetratum, regiaque ad horam permissione[f] dimissum, accersiri curavit.

a) perf. minus 1. b) devinctus 1. c) *add.* 1. d) *ita* 1. e) *ita* 1. divina gratia 2 f) promissione 1. horum promissionem 2.

32) Haec inter annos 1063 et 1066 facta esse ostendit Stenzel II, 93. 33) obiit anno 1079.

Cui aliquandiu secum detento, ut rerum gerendarum hominumque et locorum gnarum, magnorumque promissorum[a] certitudine benevolum efficeret, sua omnia exteriora penitus commisit; utque sibi in Dei opere expeditius vacare liceret, totius episcopatus vicedominum fecit, qua in re se ita[b] extulit, tantumque pro magnitudine rerum et loci exhibuit, ut merito ibi[c] suo tempore rigor disciplinae reflorere sit visus. Totum igitur episcopatum suo arbitratu suaeque voluntatis imperio non parvo tempore regens, sanctum episcopum illum in eius consilio et fidelitate[d], in eius prudentia et strenuitate omnino confisum tanto ad ea quae Dei sunt exequenda, liberiorem reddidit, quanto ab eis quae mundi sunt facere potuit minus sollicitum. Verumtamen tanti laboris et curarum non sustinens molestias, clericorumque illorum invidiam non ferens, qui sese reprobatis illum indignabantur adductum, cedendum putavit, acceptaque ab episcopo multum renitente licentia, in Saxoniam sese ad praeposituram suam Hildesheim[e] contulit. Sed nec rex illum aequo animo patiebatur absentem, qui eum etiam alias in episcopatu saepissime collocaret[f], si illo in Saxonia, ubi tunc assiduo fere manebat, carere voluisset; eius etenim virtutes expertus, in his eum regionibus, si quoquo modo fieri posset, episcopum instituere decreverat, ubi sibi, ad quae vellet, semper posset esse vicinus.

13. *Quomodo venerabilis Benno electus sit in episcopum Osnabrugensem in die sancti Clementis, et quomodo vovit aedificare et consecrare altare in honorem sancti Clementis.*

34 Contigit autem eodem defungi tempore venerabilem virum Bennonem[34], qui et Be-
1067. rengarius dicebatur, episcopum Osnabrugensem, rex autem, etsi de eius morte non parum contristatus erat, eo tamen se putabat hunc quem de mortuo acceperat consolari posse moerorem, si in locum eius subrogaret parem eius nomine et virtute Bennonem. Adunatis
Nov 11. igitur in villa Goslaria[35], qui ad episcopum constituendum adesse deberent, eorumque super domino Bennone requisita sententia, omnes unanimiter, tot eius auditis virtutibus voce[g] et manibus consensu et animis, sibi illum praeesse episcopum devotissime acclamando laudabant. Verum ille ut sapiens, propriae infirmitatis conscius, oblatum honorem ea coepit excusatione renuere, quod mundialibus negotiis semper[h] occupatus, minus sese[i] studiis exercuisset internis, indignum esse vociferans, eum in episcopum eligi, qui saeculi actibus magis quam ecclesiae Dei praeesse, iam tanto tempore didicisset. Sed cum rex populi alacritate perspecta, a sua sententia flecti non posset, in divina clementia omnino[k] confisus humiliter annuit, et fieri episcopus spe divinae gratiae[l] consensit. Cum autem hoc actitari
Nov. 23. contingeret in beati Clementis Romani pontificis et martyris die solempni, se ei intensissimis precibus et omnimoda devotione commisit. Specialem namque patronum prae caeteris sanctis sibi in omni vitae suae reliquum tempus elegit, atque humillimum famulum semper se illius vovit fore[m] clementiae, tali conditione suae devotionis promissa confirmans, ut si, huius suffragantibus sancti meritis, Dei gratia ea die sibi dignaretur adesse clementius, quod in eius commemorationis honore, in episcopatu degens, altare construere et consecrare vellet; id ab eo solum intime[n] flagitans et exposcens, ut si eum Dominus ad profectum populi sui suaeque salutem animae et non ad[o] dampnationem[p] communem ecclesiae suae praeesse disponeret, eius in eo fieret voluntas. Si autem aliquando[q] periculum loco vel sibi, propriis exigentibus meritis, ex sua promotione imminere deberet, divina pietas per merita martyris sui[o] occasionem ab eo dignaretur aufferre, per quam sibi vel aliis via panderetur posse perire. Quid plura? statim eadem die a regis maiestate designatus in praesulem et per legatos idoneos protinus missus ad locum, maxima profecto cleri et populi est ibidem alacritate susceptus. Modicum vero ibi temporis ordinandis rebus indulgens,
Dec. 25. dominicique[r] natalis devotissime celebratione peracta, consecrandus Coloniam digno est comitatu profectus. Verum ibi quoque a piae memoriae Annone archiepiscopo, prout villi-

a) magnarumque promissionum 1. b) ita se 1. c) *ita* 1. sibi 2 d) in — fidelitate *addit* 1. e) Hildesheimb 2. f) *ita coniicio;* collocare 1. 2. g) *ita* 1*. voto 1. 2. h) s. n. 1*. i) se 1*. k) *ita* 1*. conf. hum. an. omn. 1 2. l) spe veteris gratiae adhortante 1*. m) fore vovit 1*. n) *add.* 1*. 1. o) *add.* 1*. p) *ita* 1*. 1. condemnationem 2. q) *ita* 1*. aliquod 1. 2. r) divinique 1*.

34) teste Lamberto obiit 1067; die 19. Septembris secundum Necrol. eccl. cathedr. Osnabr. ap. Möser II. §. 13, cf. Erhard Reg. Westph. I. p. 188, die vero 21. Sept. secundum Wittium p. 268. Bennonem anno demum 1068 episcopum electum esse statuit Stenzel II, 93. 35) Heinricum IV in natale sancti Martini 1167 Goslariam venisse auctor est Lambertus a. l.

cationis suae tempore optime meruerat, digna susceptione honoratus[a], ab eodem[b] archiepiscopo Osnabrugensi ecclesiae omni devotione episcopus ordinatur, dignis etiam in id cooperatoribus, Friderico videlicet venerabili viro Monasteriensi episcopo, sed et Eilberto[c] aeque ad opus Dei viro probato, Mindensi[d] episcopo, debitae[e] benedictionis impendentibus officium et probatae electionis assensum. Celebrata[f] igitur ibidem quae instabat beatae Dei genitricis purificatione, maximo gaudio plenaque laetitia ad propriam sedem est reversus. [1068. Febr. 2.] Ubi magna solertia triennio ante Saxonicum bellum loci sibi[g] commissi cuncta curavit, verbique Dei semina populo spargens, moribus subditorum excolendis insudans, dominici agri zizania ab inimico seminata extirpans, universa suae dispensationis officia districtionis et indulgentiae moderamine[h] administrans, prorsus se sibi et omnibus utilem et profecto non minus honorabilem praebuit.

14. *De monasterio Hertzebroick et monte sanctae Gertrudis.*

In episcopatu degens, cum tam ecclesiasticae disciplinae quam etiam regularium religiosae conversationi intenderet, sanctimoniales foeminas in loco qui Hertzebroick[36] dicitur, minus regulariter vivere cognovit, statuit eis prope Osnabrugum monasterium construere et illas eo mutatis bonis transferre, reputans sibi propiores religiosius victuras, et difficiliorem fore ad libertatem et dissolutionem commeandi prohibitione licentiam. Sed cum nullo modo a sua solitudine erui possent, nec ulla minandi aut blandiendi[i] ratione locum mutare acquiescerent, ecclesiam ipsam iam ab ipso in monte ad honorem beatae Gertrudis[37], ubi iam ante sacellum in honorem sancti Michaelis erectum exstabat, dedicatam et cum omnibus fere claustralibus diligenter extructam officinis, successorum suorum dispositioni et piae dotationi reliquit, si quoquo modo eam aliquando Deus per aliquem fidelium suorum, plena[k] sui servitii exhibitione et munifica fundatione dignetur.

15. *Quomodo paludes reddidit permeabiles.*

Sed etiam per quasdam invias paludes, quarum in his regionibus multae sunt, siccas et aequatas[l] itinerantibus vias fecisse dignoscitur. Quod[m] cum in multis, tum in loco qui Wittenfeldt[38] appellatur apparet, ubi vix in aestate prius transire volentibus iter esse potuit. Sed ipse ibi collecta populi ingenti multitudine multo tempore commorans, laboribus invigilans, ita permeabilem duabus altrinsecus contra se fossis eiectis eundem reddidit locum, ut etiam hiberno ibi tempore omnibus transire sit facile.

16. *Descriptio montis et castri Iburg.*

Iamque tempus postulare videtur, ut de loco hoc et nostrae congregationis initio aliquid et breviter referre debeamus. Montem igitur istum antiquis temporibus munitissime fuisse constructum et egregiis sedibus adornatum, plurima indicia manifestum esse declarant. Subterranea enim aedificia, quae quotidie pene eruuntur, huius rei certum dare testimonium sufficiunt. Possunt tamen et hoc[n] attestari literis comprehensa gesta multorum, quae inter plurima huius regionis, quae huc usque destructa videmus, castella antiquorum haec tria praecipua et eminentiora fuisse, concordi relatione contendunt: Heresburgh[39] videlicet in Saxoniae[o] Hessonumque situm confinio, Sigeburgh quoque super Sigam[p] fluvium positum, et hoc nostrum Iburg, quod ex iucundo situ terrarum egregium fuisse, nemo est qui dubitet. Eo autem tempore quo Karolus inclitus et magnus imperator huius terrae homines paganismi erroribus eruere[q] et suo dominio subiugare diutino certamine et magnis bellorum apparationibus laborasse describitur, Widekindus rex Saxonum, vir animi, ut dicitur, et corporis viribus pene homines excedens, plurima cum Francis ex hoc loco, cuius tunc dominus fuit, praelia commisisse refertur[40]. Sed rege hoc devicto, totaque Saxonia in fidem christianam et ditionem Francorum redacta, cum imperatori supradicto regnique

a) anno dominicae incarnationis 1068 Kalend. Februarii *addit Wittius* (1*.) p 275 *ni fallor ex Annal. Iburg. Similia inveniuntur apud Erdmann. Chron. Osnabr. apud Meibom II*, 207. b) vero *addunt* 1. 2. *deest* 1*. c) Eylberto 1. d) Myndensi 1*. e) *add.* 1. 1*. f) Celebrato 1*. g) *deest* 1*. h) moderatione 1*. i) blandiendi aut minandi 1 k) plenam 1. l) *ita* 1. aequales 2. m) *ita* 1. quo 2. n) *add.* 1. o) Saxonia 1. p) *ita emendavi;* riuam 1. 2. q) *ita* 1. erueret 2.

36) Herzbrock. 37) Gertrudenberg. 38) das weisse Feld. Möser II, p. 29. 39) hodie *Marsberg* vel *Stadtberge.* 40) Cfr. Wittii Histor. Westph. p. 110. 112. 116.

primatibus communi placuisset consilio, ut universa gens Teutonica aequali conditione sub
uno semper rege parili subiectione consisteret, exindeque per omnes regni terminos pacis
communione transfusa, ecclesias construere, et ad vitandas seditiones castella diruere fir-
miter statuisset imperiale decretum, inter caeteros[a] qui tunc longe lateque sunt diruti,
etiam hunc nostrum montem constat in solitudinem fuisse redactum. Ipse vero mons, inter
41 duos rivos loco iucundissimo situs, versus orientem habet colliculum Hagenbergh[41] dictum,
et destructa quaedam burgmannorum habitacula, versus meridiem rus et ericetum[b] Sut-
heide[c. 42], versus occidentem diversos colles, et versus septentrionem monte maximo con-
cluditur. Suberant illic habitantes curae spirituali plebani ecclesiolae Glanensis[43]; parvum
tamen sacellulum prope dirutum castrum extabat, in quo aliquoties per annum divinorum
solempnia gerebantur, et dirutum hoc castrum, in quo fundatum hoc monasterium, ad epi-
scopatum spectabat, a quo prius[c*] per commutationem redimendum erat, ut suo loco dicetur.

17. *Quomodo diversa bona ad fundationem monasterii pro ordine sancti Benedicti episcopo Bennoni oblata sunt.*

Interea sponsionis suae de exstruendo monasterio memor, intentionem suam variis
nobilibus viris et matronis patefacit, maxime quos et sacro ordini favere et divini honoris
magis studiosos esse praesumeret. Deo itaque instigante, varia illi hinc inde offeruntur.
44 Nam a Reinmoda nobili vidua et eius haeredibus impetrat Schwankendorp[44] cum decima-
tione; plura itidem bona in Versmele[45] a Walderico nobili viro et haeredibus; praedium
etiam Bomwiede[46] Cuniza nobilis foemina ad fundationem monasterii offert[47]. Sed et Benno
ex gaudio oblatorum et spe offerendorum nobilem Wahl adit rogatque, suam etiam inter
alios ad dotandum hoc novum monasterium liberalitatem testetur, qui et propria devotione
et episcopi precibus inductus, cum consensu Mathildae[d 48], filiae sororis suae Ettechae[e],
duas curtes Osalage[f] et Harsheim[49] sanctis Clementi et Benedicto donat. Denuo alia vice
51 spiritu Dei ductus, dum esset in villa Barghusun[g. 50] in dominio Adalgeri[51], aliam adhuc
curtem in Risenbeck cum decimatione donat beato Clementi, ratus se ad plura teneri, quod
in donatione praediorum Osalage et Harsheim nimis parum dedisse videretur; at episcopus
tantam viri liberalitatem mirans, illi decimationem ad dies vitae reliquit, praesentibus plu-
ribus nobilibus. Imma etiam nobilis vidua cum filio suo Hecilone[h] diversa bona et decimas
in Glane offert; imo ecclesiolam suam sancti Iacobi ruditer exstructam, quaeque suo sub-
erat dominio, futuri abbatis directioni Gisela[i] subicit; cuius tamen offertorii dimidiam par-
tem habuerant praedecessores episcopi, quam cum consensu canonicorum postmodum
resignavit abbati. Complures praeterea nobiles tam viri quam viduae, uti Gisela, Erpho et
alii, devotionem suam testabantur magno struendi monasterii bono; et singulari episcopi
Bennonis gaudio accidebat, quod Wolchardus[k] nobilis, vitae saecularis pertaesus, se beato
Petro offerret[52], et inter canonicos[53] annumerari expeteret, et cum Avezae legitimae hae-
54 redis et Adalgeri cognati consensu bona et curtem Helveren[l 54] liberam, multis privilegiis
et venatione insignem, et ab aliquo tempore in nobilium sedem erectam, una cum diversis
aliis bonis offerret. His itaque bonis ditatus et animatus Benno rem aggreditur, et de loco
maxime commodo et salubri deliberat, tandemque lustrata dioecesi, ad montem in quo ve-
tustissimum dirutum Iburgense castrum extabat, pervenit, qui locus illi ante omnia com-
placuit, quod et materia ad aedificandum esset abundans et quod puriori aere et solitudine
gaudere possent coenobitae.

a) *intell.* montes. b) cricetum 2. c) Suttheide 1. c*) *ita* 1. prorsus 2. d) Mechtildis 3. e) Eccechae 3. f) *ita* 1. Oslage 2. g) *ita* 3. h) *ita* 1. Hecelone 2. i) Giesela 2. k) Volchardus 3. l) Halveri 3.

41) hodie Hagenberg teste Meyer Alphab. statist. Verzeichniss der Ortschaften des Königreichs Hannover. Hannover 1825. Quem potissimum sequor in interpretandis nominibus geographicis. 42) Sutheide. 43) Glane. 44) Schwagstorf? 45) Versmold; cf. Erh. Reg. Westphaliae Nr. 1153. 46) Bomte. Möser IX, 270. 47) a. 1086. Giselbertus et Cuniza tradiderunt Bennoni loca *Essene* et *Bamwide*. Vide chartam apud Möser sämmtliche Werke. Berlin 1843, VIII. Osnabr. Gesch. IV. Doc. p. 57 n. 34 et apud Erhard Reg. Westph. I. Cod. diplom. Nr. 154; qui donationem hanc ante annum 1070 factam esse censet p. 189. 48) Cuius consensum haec charta traditionis anno 1074 data silet; apud Möser l. c. p. 44 n. 28; sed invenitur in documento sequenti. 49) Oselage et Harsheim. Möser IX, 268. 50) Barkhausen. 51) comitis, filii Wichingi, vide doc. n. 27. apud Möser l. c. p. 44. 52) a. 1070 teste charta ap. Möser p. 42 n. 26. 53) ecclesiae Osnabrugensis; de hoc capitulo S. Petri vide documenta apud Möser l. c. p. 102. 103. 54) Helfern.

18. *Quomodo Benno montem et dirutum castrum ab episcopatu imperavit.*

Dirutum hoc Iburgense castrum[55] summe Bennoni episcopo placebat, partim ob loci 55 amoenitatem et aeris salubritatem, partim quod fundandum monasterium a turbis saecularibus futurum esset remotius, partim quod vicini accolae spirituale illic possent habere[a] subsidium et piae conversationis exemplum. Sed obstabat devotae Bennonis intentioni, quod mons ad episcopatum spectare videretur; nam versus orientem inter duorum burgmannorum aedes, ubi nunc hortus est villae nostrae, episcopalis praefectus habitabat, qui per singulos annos quicquid episcopo a marchiotis aliisque debebatur, colligere, et praefecto episcopali in curia Dissensi habitanti tradere consueverat. Sed ut montem praefectique aediculam a canonicis impetraret, praedium Bomwiede[b], quod a Cuniza precario[c] impetravit, in concambium obtulit, sicque illius transmutationem facile obtinuit; nolebant enim piae Bennonis intentioni ullatenus refragari, cum se ad praestanda auxilia augendumque divinum honorem magis teneri viderentur.

19. *Quomodo locum hunc tanquam bona ecclesiastica defendit.*

Sed et alterum obstabat, quod montem utpote arboribus consitum tamquam commune pascuum rustici vendicare praesumerent. Plurimo enim tempore post destructum castellum exacto, cum iam bellis undique sopitis pacis diutinae prolixitas insolentiam peperisset, non solum potentes et nobiles quietem rumpere et seditionibus dissidere persuasit, sed et vulgus ignobile et rusticam[d] conditionem armavit et novarum rerum suo more fecit cupidam[e]. Cum enim aliquando fertilitas[f] regionem istam cum caeteris rebus tum etiam glandium ubertate replesset, et iam mons iste ex antiquissimo situ similis[g] fuisset circumstantibus densitate silvarum, circummanentes rustici, quos hic[h] commarchiones appellant, porcos suos huc[i] immittere, glandesque saccis asportare, et rem episcopi propriam communi usui mancipare coeperunt. Sed cum praefectus[k] qui hic praesidebat[l], machinationi eorum obsistere et rem commissam etiam armis defendere vellet, illi non acquiescentes magnis eum affectum iniuriis Osnabrugum[m] usque fugere compulerunt. Cumque id milites, quorum tunc ibi cum episcopo copia erat, suo more festinato impetu vindicare parassent, prudens episcopus suis se armis hanc iniuriam ulcisci velle respondit[n], acceptaque stola, continuo eos in ecclesia ut rerum ecclesiasticarum invasores banno ligavit, se excommunicaturum illos minatus, nisi infra praescriptum terminum synodali iure satisfacere vellent. Rusticos autem iustitiam suam iuramento defendere velle professos, communi huius regionis consuetudine devicit, dicens, se potius rem tanto tempore sine contradictione possessam, iuramento advocati sui retinere debere, quam illos praesumptione periurii violenter possessiones abstrahere[o] alienas. Itaque super hac re die constituta, advocatum nomine Meginbaldum, qui adhuc in extrema senectute apud Disnam[56] est advocatus, homo 56 probus et nobilis, secum adduxit, qui illico equo ascenso, secumque quibusdam loci huius peritis assumptis, maxima populi multitudine cum episcopo congregata[p] praesente, ipse praecedens montem circumivit, totumque spatium quod hoc ambitu designaverat, ipse propria iurans manu episcopo praesenti suisque successoribus aeterna[q] possessione firmavit, et quod hic vulgo Suender[r, 57] appellatur, eo quod seorsum[s] privato alicuius usui separa- 57

a) habere possent 1. b) Bonwiede 1. c) *ita correxi*, pecario *codd.* d) rusticanam 1*. e) cupidam fec. 1* f) igitur anno quodam temporum proventus 1*. g) singulis 1*. h) ibi 1*. i) illuc 1*. k) villicus 1*. l) ibi sorte horreo 1*. m) Osnabrugge 1*. n) *ita* 1*. respondet 1. 2. o) *ita* 1. 1*. abstr. poss. 2. p) *ita* 1. 1*. advocata 2. q) sempiterna 1*. r) Snüden 1*. s) seorsim 1*.

55) Quod tamen ipse Benno c. a. 1077. refecit, testibus Annalibus Iburgensibus, ex quorum autographo hic nonnullos locos sistere iuvat: *Per idem tempus venerabilis Osnabrugensis episcopus domnus Benno II. castrum in Yburg propter imminentia bella aedificare disposuit, a praedecessore suo iam inchoata aliquanta parte murorum, ubi et coenobium in beati Clementis honore construxit, monasticae inibi religionis rudimenta felici molitus exordio,* quod ultimum verbum ex Wittio p. 268 supplevi, qui hunc locum verbotenus descripsit. Quae res scrupulum evellit, quem Möser l. c. II. §. 15. not. b. pag. 30 de hoc loco Wittii iniecit: *So wahrscheinlich es ist, dass Benno eher an die Festung als an die Capelle gedacht, so bleibt es doch ungewiss, woher Witt, der in Allem dem Norbert folgt, diese Nachricht genommen habe.* Bennonem re vera castrum Iburgense reaedificasse, loci probant quos ad cap. 25 afferemus. Quod etiam disertis verbis ab Erdmanno Chr. Osnab. ap. Meibom II, 207 et Kleinsorg. Histor. eccl. Westfal. p. 308 cod. Riedesel (teste Mösero, Stiftung des Benedict. Klosters Iburg, sämmtl. Werke IX, pag. 271 n.) traditur. Quod castrum a. 1180 Heinricus Leo in feodo habebat. Möser l. c. 56) Dissen. Meginbaldi vero nomen in chartis Osnabrugensibus non invenitur; cf. Möser II, p. 47. 82. 57) i. e. *Sonderung;* cf. Möser IX, p. 270 *das Gehölz unter dem Namen Sundern, welchen es noch jetzt führt.*

lum a communi hominum utilitate secernit, aeternaliter vocari et esse constituit. Episcopus autem montis amoenitate veterumque murorum ex fundamentis firmitate perspecta, et quod[a] adhuc nomen pristinum celebriter ab antiquitate servasset, succisis sylvis et arbustis erutis habitabilem fecit, parvamque[a*] capellam ligneam in honorem sancti Clementis 58 struxit[58], vovens ex acquisitis bonis et praediis pro ordine sancti Benedicti abbatiolam construere, parvo item tugurio versus occidentem in loco praerupto prae festinatione exstructo[b], saepius in hoc manere disposuit, ubi et aedificationi praesens intendere[c] et secretius divinis vacare[d] posset, et quandoque etiam turbam declinaret infestam[e].

20. *De decimarum recuperatione ab abbate Corbeiensi et abbatissa Herfordiensi.*

Sed iam ingravescente rursus[f] peste bellica, cum sibi quotidie ab amicis etiam captivitatem aut mortem imminere conspiceret, suorum etiam maxime infidelitate perterritus, 1077. iterum[59] pro tempore cedendum putavit[60], et episcopio, prout tunc potuit, disposito, urbeque commissa his de quorum fide minime dubitabat, cum aliis qui plurimi[g] pro arctiore fidelitate in regem de hac regione expulsi sunt, parvissimo suorum comitatu ad regem profectus est. A quo admodum gratanter susceptus, aliquanto cum eo tempore conversatus, iam tempus advenisse conspiciens, quo decimationis suae iam tanto tempore violenter ablatae commodius posset causa tractari, ne spatium temporis in palatio degens prorsus inutile duceret, propriis primitus amicis, deinde regis familiaribus tantae controversiae querimoniam insinuando detexit. Qui ex charitate auxilium pollicentes brevi persuadere potuerunt, ut regis familiaribus causa commissa, pro se eos loqui deposceret, et regiam sibi in hac re duntaxat benevolentiam, quacunque possent arte, comparerent[61]. Tempore 62 enim Ludovici imperatoris Cobbo comes[62] dioecesis bona distraxerat, eo quod Goswinus episcopus, ad declinandas in dioecesi saevientes turbas, Fuldae, ubi professus erat, moraretur, sicque dioecesis conservationi non intenderet. Erat autem ea tempestate, post ablatae decimationis tempora, eiusdem decimationis rehabendae commodissima ratio, imprimis videlicet omnium ecclesiarum vel episcoporum sua omnia[h] potestative possidere et disponere debere, libera facultas et consuetudo communis; tum etiam quod ipse episcopus pro regis fidelitate, omnibus et amplissimis divitiis dimissis ad eum nudus et profugus venisset, quam utique rege digna munificentia remunerari oporteret; dehinc alios regi fide-

a) *ita* 1*. qui 1. 2. a*) parvamque — construere *desunt* 1*. b) extento 1*. c) et aedificatione — intendere *desunt* 1*. d) sec. ad quae vellet vacare 1*. e) *quibus subiungit Wittius* (1*.) *p.* 270: Igitur huic Bennoni locus iste omnium opportunitate complacuit, acceptaque occasione, cum iam undique videret bella consurgere, huc se omnimoda cordis et corporis intentione contulit, a praedecessore suo aliquanta inchoata parte murorum, omnis generis aedificandi commodissime reperta materia, castrum ac beati Clementis in honore monasterium monachorum erexit, *quae verba partim ex Annalibus Iburgensibus repetita sunt; vide supra c.* 18. *n.* 55. f) *recepi ex* 1. g) plurima 2. h) *ita* 1. omnium 2.

58) cuius altare anno 1070 consecratum est; vide infra cap. 24. 59) Iam antea, mense Augusto anni 1073, a Saxonibus ex episcopatu fugatus Heinrici IV, ut Lamberti a. l. verbis utar, *comes individuus* factus est usque ad excommunicationem in regem a. 1076 prolatam. Tum demum in urbe Openheimensi a contubernio regis a legatis Gregorii segregatus, Benno Alpes transiit; poenitentia in Canusino oppido peracta, ad Heinricum, cum ecclesiae reconciliatus esset, denuo se contulit (vide Lamb. 1076 et 1077) atque cum ipso in Germaniam regressus est. Quae omnia auctor noster alto praeterit silentio. De rebus a Bennone hoc tempore gestis cf. Erhardi Regesta Westphaliae Nr. 1133. 1134. 1136. 1146. 1163. 1169. 1171. 60) Bennonem exeunte anno 1077 iterum ex dioecesi sua disturbatum esse, ex iis coniicere licet quae infra leguntur, quod scilicet post triennale exilium c. 21, paullo post Rodulfi regis mortem (Oct. 1080) domum redierit cap. 23. Legati munere in curia Romana Bennonem mense Martio 1078 functum esse ostendit Stenzel I, 435. 61) Consentiunt Annales Iburgenses a. 1083: *Ea tempestate domnus Benno II. episcopus multis diebus cum rege Heinrico degens ne inani otio torperet, omnium quorum potuit auxilium efflagitavit, ut decimationes aecclesiae suae quae per multorum annorum curricula sub antecessoribus suis iniuste ablatae fuerant restituerentur*, in quibus verba literis latius dispositis expressa, quae abscisa erant, ex Wittio pag. 272 supplevi. Annum tamen 1083, cui haec in Ann. Iburg. adscribuntur, falsum esse, documenta infra n. 63. afferenda docent. 62) Cfr. diploma Heinrici IV de decimis a. 1078. d. 27. Ianuar. Magunciae datum, ap. Möser l. c. IV. *Equidem praefatus Coppo* (comes) *primus usurpator earundem decimarum cum totum occasione bellorum (sub Ludevico II* ut paulo ante legitur) *iniusta dominatione suos in usus raperet, partem Warino fratri suo germano Corbeiensi abbati, partem abbatissae Adelae Herefurdensi germanae suae concessit.* De eodem Cobbone inveniuntur quaedam apud Wittium, quae ni fallor Annalibus Iburgensibus debentur p. 174. *Eodem anno Gozbertus* (Gozwini in episcopatu Osnabrugensi successor) *qui Cobbonis gratia ex Sueonum episcopo Osnabrugensis ecclesiae episcopatum acceperat, mortem obiit nono episcopatus sui anno.*

liores futuros, si huius devotioni digna fuisset praemiorum recompensata largitione, eiusque voluntaria paupertas, cui nunc rex tantis necessitatibus praepeditus pleniter subvenire non potuit, spe aliqua futurae abundantiae recreari expectaret. Deinde, qui eam haberent, essent hostes publici et omnimoda a rege pro suae perfidiae meritis calumnia et clade plectendi, et quicquid ex eadem decimatione emolumenti vel utilitatis acciperent, regiae esset procul dubio maiestatis minutio hostiumque pervicaciae et turpissimae desertionis munitio. Si itaque regiis impensis armandi essent hostes, non sufficere utique regi donativa, unde suos in hostes armaret; postremo qui iam rex pro peccatis suis in tantis miseriis a Deo derelictus esse videretur, omnibus eum iam viribus niti oporteret, ut iuste iudicando reconciliari posset supernae iustitiae, quam plurimis iniquitatibus et saecularium maxime iustitiarum neglectu omni pene vitae suae tempore offendisset. His itaque aliisque perplurimis et idoneis assertionibus regi tandem constat esse persuasum, ut rem episcoporum aliorumque Christi fidelium iudicio permitteret, eorum diffinitivae sententiae se submitteret, licet maiores sui multo iam tempore episcopalium et abbatialium ecclesiarum investituram usurpassent. Communi itaque sententia Ratisbonae[63] conclusum[a] est[b], ecclesiam Osnabrugensem spoliatam publice restituendam. Igitur rex Heinricus decimationem suam Osnabrugensi ecclesiae suoque episcopo Bennoni praesenti omnium, qui aderant, consilio, iudicio et consensu recognovit, et reddidit, et in aeternum omnis conditionis exceptione seposita immobiliter, semper et fixe possidere donavit; nec iam abbati Corbeiensi vel Herfordiensi abbatissae ullam deinceps querimoniam super hac re fore residuam, sed utraque monasteria illa, sua se facultate sustentarent et praediis; Osnabrugensis autem ecclesia decimationem suam caeterarum iure et consuetudine ecclesiarum liberrima semper possessione teneret. Quod ut firmius et ab omni posset semper permanere impiorum praesumptione stabilius, rex huius rei seriem continenter aureis litteris, ipse tamen manu propria signum infigens, chartulam iussit conscribi, regio insignitam sigillo, in huius videlicet negotii testamentum perpes, et memoriam sempiternam, quod chirographum in Osnabrugensi ecclesia cura tanto diligentiore servatur[64], quantum contra omnes irruptiones et temptationes[c] inconvulsus semper et firmissimus murus haberetur.

21. *Quomodo Benno auctoritate apostolica ratificare fecit donationem decimationis ab imperatore concessam et de infatigabili difficultate, qua pro eius recuperatione laboravit.*

Verumtamen episcopus noster omni semper prudentiae circumspectione contectus, uno promoveri scrupulo videbatur, quod videlicet nondum congruenter papae esset auctoritate firmatus[d], et quamvis eo tempore gravis[e] inter regem et apostolicum Hildebrandum, qui alio nomine Gregorius dicebatur, inimicitiae ferebantur, accepta tamen a rege licentia Romam profectus[65], papam illum adiit, ut quicquid super decimationis illius recognitione statuerat apostolici illius assensus et auctoritas[f] Romana firmaret[66]. Tanto enim se toto illo turbine bellorum prudentiae, veritatis et fidei utrobique moderatione librabat[67], ut in utraque semper ei parte sine suspicione et timore conversari[g] liceret; nec rex unquam, quamvis inter hostes suos eum manere videret, de eius fidelitate ambigeret, nec hi, quamvis regi

a) *ita* 1. conclus. Ratisb. 2. b) *add.* 1. c) irruptionum et tentanionum 1. d) firmatum 1. e) *ita correxi ex* 1. f) authoritas 1. g) *ita* 1.

63) die 30. Mart. 1079. Vide chartam apud Möserum IV, p. 45 et Erhardum cod. dipl. Nr. 159 exstantem, quae cum altera die 30. Dec. 1077 Ratisponae data omnino convenit. Hanc manuscriptam in Copiario eccl. cathedr. Osnabr. et in Collectione Strunckiana p. 324 exstare docet Erhardus Reg. Westph. Nro. 1176. 64) Annales Iburgenses ita pergunt: *Rex vero Heinricus ei ad hoc consentiens regia auctoritate reddidit, cirographumque restitutionis conscriptum anulo suo signatum contradidit, quod actenus servatur in ecclesia Osnabrugensi.* Quae aperte noster ante oculos habuit. 65) anno 1078, ut Möserus II, p. 35 et Erhardus Nro. 1177. ex Bertholdo SS. V, 306. et codice Udalriciano p. 153 suspicantur. Quae tamen mihi potius cum ea legatione coniungenda esse videntur, qua Benno, teste eodem Bertholdo l. c. 319. 320, exeunte Martio 1079 Romae functus est. 66) Hac de re audiendi sunt Annales Iburgenses l. c.: *Ipse vero episcopus Benno prudenti oculo se undique circumspiciens, etiam auctoritatem pape Hildebrandi super hoc expetiit. Quique illi litteras sigillo suo signatas cum benedictione apostolica dedit.* Quem locum quamquam noster aperte in suum usum convertit, non tamen disertis verbis tradit, Bennonem confirmationem decimarum a Gregorio VII impetrasse. Ut vero hanc rem in dubium vocemus, facit epistola eiusdem pontificis anni 1081, quam infra c. 22. dabimus. 67) Vide infra notam nostram ad c. 22.

fidelissimum esse non dubitarent, insidias unquam de eius fraude timerent. Porro nos qui haec strictim super decimatione Osnabrugensi retulimus, plurima causa brevitatis praetergressi sumus, id solum in hoc opusculo sufficere arbitrantes, quia — quod tanto temporis spatio, quippe ut fertur ab imperio pii imperatoris Ludovici, episcopatum istum incomparabili dampno et gravissima semper iniquitate vexabat, omnesque huius sedis praesules acerrimo studio iugique labore suae quisque successionis serie repetisse sciuntur, dum gravibus quoque saepissime iniuriis affecti, ab incepto tamen deterreri non possent — solus iste virtute inaestimabili incessabilique labore ad finem usque feliciter perduxit, et sponsam suam proprio privilegio dotis, tanto despoliatam tempore, debito honore pristini decoris ornavit, apud quam absque dubio nomen eius perpetua erit in laude, et memoriale eius
1077–1080. in benedictionibus sempiternis. Si enim inserere cupimus, quantos per triennium pauper et exul labores pertulerit, quotiens iniuriose repulsus non desperaverit, quotiens induciis positis ad locum constitutum frustra perrexerit, quotiens Romam ierit, omnesque de quorum adiutorio praesumebat offensos invenerit, qualiter barba crescente vultus notitiam dissimulando celaverit, quotiens iamiam, ut ipse putabat, omni negotio peracto, domum reverti cogitans, ausus redire non fuerit, qualiter etiam regis curiam miserabili labore turpique egestate pertaesus apud amicos, si quos in exteris regionibus invenire potuit, quasi hospitandi gratia latuerit; si denique haec singula et multa similia, quae eo tempore gessit, referimus, profecto non tam utili haec poterunt, quam longo sermone narrari. Quod ma-
70 nifestius his literis, quas tunc Coloniensi episcopo[70] misit, apparet. *Depositus apposito, eiectus electo salutem, nec iam episcopus Benno archiepiscopo*[a] *utriusque hominis semper felices successus in Domino. Quia rupto regni foedere usque ad naufragium periclitatur navis ecclesiae, vel vos qui Deum timetis, quid regni statum deceat, solerter consulite, ne usque ad internecionem in nos hostilis mucro desaeviat, qui undique gladiis circumfundimur, et non est qui eripiat. Sane propter apostolicae sedis obedientiam volentes patimur tantam persecutionis angustiam in tribulationibus, quae invenerunt nos non deficientes: maluimus enim fugientes in manibus Aegyptiae dominae relinquere pallium, quam emancipati turpiter eidem*[b] *servire usque ad animae interitum. Prosperum faciat iter vestrum Deus salutarium nostrorum.* Sed his ita finitis ad reliqua pergamus.

22. *Quomodo Benno Osnabrugensis episcopus se subtraxerit a quodam concilio, ubi tractabatur de amotione papae, et quomodo in quodam concavo altari latuerit, donec seditio sopiretur.*

Igitur postquam inter regem et apostolicum semel exorta discordia nullo potuit hominum consilio vel ratione sedari, Deo profecto tot hominum offenso sceleribus deserente terras, abundante iniquitate et refrigescente charitate multorum, nullusque ab alterutra parte modus fieret, inde scilicet maledictionum vel excommunicationum, hinc vero bellorum, caedium et rapinorum, eo processum est odii et invidiae, ut nisi rex deponeretur aut
1080. papa, tantae irae et inimicitiarum fomites penitus extingui non possent. Congregata igitur apud Ticinum Italiae civitatem[71] episcoporum multitudine, qui regiae parti favebant et papae eo ferebantur infensi, quia indiscretus nimium dicebatur ab eis, cum de nequitia eorum[c] saepe vera loqueretur, cum eorum consilio et instinctu rex alium papam in sede apostolica sublimare disponeret, interfuit etiam conventui illi episcopus Benno, quamvis
72 invitus, sed eo tamen prudentiae oculo[72], quem secum semper portare solebat. Videns enim in utraque parte plurima magis odio quam ratione tractari, et regi semper fidelis, nunquam autem papae inobediens esse desiderans, sed et quem tanta res finem habitura esset ignorans, diligentissime intendere coepit, quonam rationis exitu fieri posset, ut salva honestatis pristinae integritate neutra in parte posset iure culpari. Forte autem

a) D. archiepiscopo 1. b) *add.* 1. c) eorum nequitia 1.

70) Hermanno? 71) Apertus error; Brixiae potius d. 25. Iun. 1080. Quem Norberti errorem V. Cl. Stenzel I, 474. quamvis suspicatus esset, ita tamen cum vero conciliavit, ut conventum hunc Papiensem circa mens. April. 1081 factum ac Clementem ibi denuo papam collaudatum esse coniiciat. At iniuria. Nam teste Norberto c. 23: Benno, qui huic conventui interesset, iam ante finem a. 1080 in patriam reversus est. 72) Simili termino, ex Iburg. Annal. mutuato, iam supra c. 21. noster usus est.

in ecclesia, ubi ista gerebantur, erat altare, quod retro concavum foramen, quo quis intrare vix posset, panno praependente obtexerat[a], — ad cuius etiam similitudinem hoc nostrum altare postea ipse quasi insensibili materiae gratias reddens iussit exstrui[b. 73] — iuxta quod 73 cum solito more psalmodiae vacans solus sederet, propius accedens aptissimum latibulo locum esse perpendit, et si intro ire valeret, paulatim nullo vidente temptavit. Os itaque foraminis quamvis difficile ingressu, antrum ipsum interius reperit ad sui receptionem corpusculi sufficienter extentum. Magnas itaque divinae dispensationi gratias agens, panno qui praependebat diligentius oppanso foramini, totum diei spatium ibi taliter latitando, nemine prorsus conscio exegit, tanto intentius orationi insistens, quanto se et ipsius loci oportunitate propinquiorem Deo esse cognovit, et tempus, quo totius ecclesiae status quatiebatur, aegre perspexit. Hora, inquam, qua cunctis adunatis coepta esset causa tractari, deprehensum est, Osnabrugensem episcopum non adesse Bennonem; missis itaque a rege et circumquaque discurrentibus, et domo, in qua hospitium habebat, quaerentium incursu saepissime[c] visitata, cum nusquam repiretur locorum, alii fuga elapsum, alii infirmitate detentum, aliqui etiam speciali quadam infidelitate commune colloquium vitasse dicebant. Sed iam die declinata in vesperam, cum papam abdicassent, eiusque in locum constituissent Rawennatem[d] episcopum, qui etiam adhuc nomine Clemens Romanae praesidet ecclesiae, plurimaque alia statuissent, quibus episcopus iste, si praesens esset, minime praeberet assensum, egressus suo, nemine itidem rem considerante, latibulo, iuxta altare, ubi prius sederat, subito residere conspicitur. Stupentibus igitur non minusque mirantibus cunctis et ubi fuisset studiose quaerentibus, se de loco illo per totum diei spatium non recessisse, velle iurare per conscios sanctos spondebat; ad regem quoque statim adductus, plenissime se de omni infidelitate purgavit, qui illum tamen in fide pristina firmiter stare lenitate verborum hortari maluit, quam terrore constringere. Exinde igitur praeclara felicique prosperitate vel animi prudentia, utriusque papae, quod profecto perpaucis ea tempestate possibile fuit, amicitia usus[74], regiam quoque nusquam incurrebat offensam, efficaciter apo- 74 stolum audiens: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Rom. 12,18

23. *Quomodo venerabilis Benno episcopus reliquias sanctorum undecunque et quicquid ad congregationem inchoandam spectat et monachos duodecim de Moguntia adduxerit et de honorifica eius in Osnabruga susceptione et chirographi super decimationis recitatione, et quomodo monachi propter incommoda loci coeperunt irreligiose vivere.*

Per idem tempus victis a rege Saxonibus, interfectoque quem sibi regem posuerant 1080. duce Rudolpho, Oct. 15. cum tota Saxonia coeptam barbarum ferociam graviter humiliata deponeret et profugis

a) *ita* 1. obtexerant 2. b) extrui 2 c) *ita* 1. saepe 2. d) Raven. 2.

73) Cfr. narrationem Iburgensium monachorum de translatione reliqq. SS. Crispini et Crispiniani anno 1110 facta apud Möser sämmtl. Werke VIII. Osnabr. Gesch. IV. p. 71 n. 48: *Sed idem episcopus* (Wido) — — *in hoc nostrum Yburgense castrum — transferendos* (sanctos) *putavit, et in altari S. Clementis quod retro concavum est, diligenter includens* etc.

74) Tam prudenter inter utramque partem se gessit, ut a neutra excommunicationi subiiceretur; vide Möser II. §. 19. not. b. (p. 38). Adhuc anno 1081 Gregorius VII. speravit forent Benno ipsius partes sequeretur, teste epistola ad Altmannum episcopum Pataviensem data. Regg. IX, 10. Jaffé 3932: *Monemus — ut — eos quos adherendo H*(einrico regi) *a proposito veritatis errasse cognoscitis, studiose revocetis, et qui redire voluerint, fraterne suscipiatis, et maxime Osnaburgensem episcopum, quem nobis velle fideliter adhaerere audivimus, benigne suscipiatis et fraterno auxilio contra quamlibet iniuriam inferendam ei occurrere, ubi oportunum fuerit, non haesitetis; et litem quam de decimatione ecclesiae suae habet cum Corbegense abbate vel iuste ante vos terminate, aut absque laesione suae ecclesiae certum tempus ipsius ante nos terminandae ex utraque parte statuite.* Quam epistolam Erhardus perperam cum legatione a. 1078. Romam suscepta coniunxit. Regesta Westph. 1182. At eodem tempore Benno Widonem praepositum, qui ipsi postea in episcopatu Osnabrugensi secundo loco successit, vehementer incitavit, ut pro Wiberto librum contra Gregorium VII ederet (Cod. Udalrici ap. Ecc. II, 184. incipit: *Cum multi aut ignorantiae nube detenti, aut veteris irae face succensi, venerabilis papae Clementis ingressum improbare contendant*) ex quo T. Osniburgensis ecclesiae instructor (ita loco *introductor* legit Pertzius) fragmenta aliqua servavit quae in codicem Udalrici recepta sunt. Qua in re idem T. codice Iburgensi usus esse videtur. Cfr. l. c. p. 184: *In armariolo venerabilium confratrum nostrorum monachorum in fine cuiusdam voluminis quaterniunculam deprehendi, in quo scriptum quoddam de controversia inter Hildebrandum et imperatorem Heinricum reperi. Retulit tamen mihi prior eiusdem coenobii hoc consilio Liemari Bremensis episcopi et Pennonis Osniburgensis episcopi a Widone qui postea episcopus Osniburgensis factus est, collectum esse.*

ex se reditum invita concederet, episcopus noster se iam liberum posse domum redire conspiciens, quid ante egressum Deo devoverit, diligenter intendere coepit. Itaque reliquiis sanctorum undecumque potuit acquisitis, libris quoque vasculis et palliis et quicquid ad congregationem incipiendam necessarium idoneumque esse cognovit; cum redeundo Moguntiam deveniret, in beati Albani monasterio abbatem aggreditur, et quia eius notitiam prius habuerat, quid animo gereret competenter exponens, cum consilio pariter ab eo exposcit auxilium; qui illico cum eo in opus Dei duodecim monachos misit, ut res incepta per eos digna fieri posset, postea per plures augeri. Quos in itinere parumper praecedens, Osnabrugam perexit, ubi ipse nudis pedibus et multis lacrymis ab omnibus honorifice gratissimeque receptus, chirographum super decimatione, quod secum attulerat, publice in ecclesia recitari, populo audiente Deoque super hoc gratias agente[a], praecepit. Sed ibi ordinandis rebus iam tanto tempore miserrime disturbatis aliquamdiu morans, quod con-
75 gregationem in monte locoque destructi castri[75] facere voluisset fidelioribus suis rursum insinuari curavit; quorum ad hoc valde alacrem devotionem attendens, totum se in hunc vigilantissimum laborem contulit, studiumque collegit, recogitans et dolens, se iam nimium diu per innumeras nugas inaniter errasse dispersum. Tanta etiam festinatione opus coeptum aggreditur, ut quadam etiam absurditate argui videretur; necdum videlicet officinas vel domicilia ulla construxerat, ubi fratres quos secum duxerat, congruenter possent recipi aut ulla monasticae disciplinae exercere vestigia; parvissimo itaque iuxta capellam sancti Clementis aedificato tugurio eos inclusit, donec monasterio constructo, officinae monachis pararentur idoneae. Exinde igitur monasterii statuendi fundamenta iacturus, cum locus ipse esset medio quoque asperrimo eminente dorso utrimque praeruptus, difficillimum incipiendi operis experiebatur exordium; sed ipse huius negotii valde peritus, altiora diruens, profundiora iniecta terra sustollens, planitiem, quae pro capacitate loci in monasterii officinarumque eius amplitudinem sufficere posset, ut nunc cernitur, explanasse dignoscitur. Cumque totis viribus ecclesiae parietibus erigendis instaret, nec aliud quicquam taliter occupatus valeret exstruere, monachos prae angustia loci valde compressos minus regulariter conversari et vivere contentiose persensit[b]; unde eis abbatem[76] de monasterio beati
1082 Pantaleonis, illius abbatis auctoritate[c], praefecit reputans sub capite constitutos deinceps concordius esse victuros. Sed ex duobus monasteriis congregati, cum non solum se invicem eadem angustia loci, verum etiam varietate consuetudinum et sui utriusque ordinis defensione turbarent, vehementer contristatus, universos ad loca sua remittendos putavit, donec opere perfecto regulariter conversari valerent, quoscumque adduceret. Itaque de Mindensi monasterio paucis fratribus, quos similiter asciverat, solummodo retentis locum permisit, ut divino operi interim privatim insisterent, ne diurnum sacratis locis deesset officium; ipse autem coeptae aedificationi perseveranter insistens, vigilantissimum prudentiae suae oculum ubique circumtulit, supernum iugiter elemosinis[d] et precibus implorans auxilium, per quod sibi talis deberet locus ostendi, unde queat fratres adducere, in quorum charitatis unitate secure confidere posset, eos iam deinceps morum fore unitate concordes, nullaque manendi instabilitate suspectos.

24. *Benno in choro noviter exstructo, nondum consummato toto templo, altare consecrat.*

Episcopus Benno morae impatiens chorum quam velocissime iubet perfici, et paulatim aliam templi partem urget absolvi. Perfecto itaque utcumque choro, altare in honorem
77 sanctae crucis, beatae Virginis, et sancti Clementis aliorumque sanctorum consecrat[77], multisque impositis reliquiis sanctificat. Huius consecrationis tenorem et sacrorum ossium catalogum altari impositum propono.

Nov. 23. Anno dominicae incarnationis 1070, indictione nona, 9. Kalendas Decembris, haec basilica a venerabili Bennone Osnabrugensi episcopo dedicata est, in honorem domini nostri Iesu Christi et victoriosissimae sanctae crucis et sanctissimae Dei genitricis Mariae, et

a) Deoque — agente *desunt* 2. b) *ita* 1. pertendit 2. c) authoritate 2. d) *ita* 1.

75) Cfr. notam nostram ad cap. 18. 76) Adelhardum; cfr. infra c. 28. 33 et 34 et Annales Iburgenses 1082: *Ordinatio domini Adalhardi abbatis III. Kal. Octobris.* Quae verbis miniatis literis scripta sunt. 77) Tempora confundit noster. Quod enim sequitur diploma clare ostendit, hanc altaris consecrationem minime eo tempore de quo hic agit i. e. 1080 vel 1081, sed iam anno 1070, quo capellam ligneam Benno construxerat, factam esse. Cfr. supra c. 19.

sancti Clementis martyris, et sancti Nicolai confessoris et eorum quorum reliquiae in hoc altari habentur reconditae, id est de ligno Domini, de sepulchro Domini, de monte Oliveti, de veste sanctae Mariae matris Domini, de lectulo eius; item sanctae Mariae, Iohannis baptistae, de vestimento sancti Petri apostoli; item sanctorum Petri et Pauli, apostoli Andreae, Iohannis apostoli et euangelistae, Bartholomaei; item eiusdem et sanctorum martyrum Stephani protomartyris, item eiusdem Stephani, Crispini et Crispiniani, Iohannis et Pauli, Sebastiani et Cyriaci, Urbani, Christophori, Anastasii, Etolfi, Quirini, de costa sancti Pancratii, Sigismundi regis et martyris, Athalberti episcopi[a] et martyris, Bonifacii episcopi et martyris, Lamberti, Eleutherii, de corpore sancti Syxti[b], et sanctorum confessorum Martini, item Martini, Gregorii, Brictii, Benedicti abbatis, de capillis sancti Nicolai et sanctarum virginum Caeciliae, Margarethae, Sophiae, Sabinae, Columbae, Gertrudis, Adelgundis, de capite sanctae Walpurgis, de corpore sanctae Helenae, de corpore sanctae Iuliae virginis.

25. *Quomodo episcopus Benno civitatem Osnabrugensem ab obsidione Saxonum liberavit.*

Sed hoc iterum nova Saxonum tumultuatione differtur; nam quendam sibi Hermannum principem praeponentes cum ingenti exercitu has iterum partes invadunt, urbem [1081. Aug. 9.] hanc[78] undique studiosa obsidione vallantes. Hic equidem breviter referendum videtur, [1082.] quantum ingeniosi viri facundia valuit. Erant in exercitu illo Hildesimensis episcopus Udo, [Mart. 15.] et Ekbertus[c] marchio, summi viri virtute et divitiis pene omnes praeeminentes, qui cum illum antiqua amicitia[79] et privata quadam familiaritate, quamvis hostes viderentur, intime [79] venerarentur et diligerent, eius petiere colloquium pro certo spondentes, se illum ad deditionis assensum facillima persuasione flexuros. Gratanter itaque ab eo recepti, cum secretius cum illo multa conferrent, tandem res in contrarium cedit, ut qui eo venerant, ut ad regem suum Hermannum illum converterent, imperatori potius sese fidelitatem velle iurare eius sunt oratione perducti. Cumque reliquiae sanctorum, super quas sacramenta facerent, a populo viderentur afferri, illum eis consensisse urbemque Saxonibus cum iuramento velle tradere arbitrantes, pene eis iam vim inferentes, illum infidelem et periurum clamitare coeperunt, quos ille artificiose compescuit, ut interim, pavore deposito, rei exitum praestolarentur exhortans. Peracto autem sacramento supradicti viri reversi ad suos omnia prospera pollicentes, urbem obsidione liberant, cum omnibus revertentes in patriam, graviter tamen ab eis prius hac omni regione vastata[80]. Porro in hac fidelitate quam ambo iuraverant, diu ante interfectionem suam[81] marchione deficiente, Udonem episcopum illum [81] firmiter usque hodie permanere videmus; unde etiam locum illum[d] infinitis calamitatibus constat esse oppressum, quod venerabilis viri Adeloldi[e] eiusdem loci praepositi[f] epistola huc delata testatur, quam hic inserere non piguit, cum sit etiam ipsa quaedam huius viri portio meritorum.

26. *Epistola cuiusdam praepositi Hildesheimensis Adeloldi ad Bennonem episcopum Osnabrugensem.*

Vivo exemplari iustitiae domino suo venerabili episcopo Bennoni Adeloldus fidelis suus, quicquid utriusque hominis devotissima valet servitus. Parva munuscula, quae tuae paternitati

a) *ita* 1. regis 2. b) Sixti 2. c) *ita correxi*. Ebbertus 1. d) *add.* 1. e) *ita* 1 *semper*; Adelboldi 2. f) *add.* 1.

78) potius castrum; vide Ann. Iburg. ope Wittii restitutos a. 1182: *Expeditionem* (Herimannus) *movit contra Westfalos ante quadragesimam omnemque regionem incendiis ac preda vastavit et episcopum Bennonem super castrum* (*Iburg* addit Wittius) *obsidere nisus est, nisi instantia Ecberti marchionis*') *et Udonis episcopi Hildenesheimensis ob antiquam amicitiam domni Bennonis desisteret, sicque reversus est.* At c. 38: Norbertus Iburgense castrum iterum *urbem hanc* vocat, quamquam Benno c. 33 diserte tradidit, se abbatiam *in Iburgensi castro* instituisse. quae res etiam documentis a. 1110 et 1117 conscriptis confirmatur; ap. Mös. sämmtl. Werke VIII, Osnab. Gesch. IV, p. 71: *in hoc nostrum Yburgense castrum*; p. 73: *fratribus in coenobio sancti Clementis super castrum constitutis.* Ex quibus locis patet, non Osnabrugensem civitatem, ut Maurus Rost ap. Ecc. II, 2196, Möser sämmtliche Werke VII, 1, Osnab. Gesch. IV, 3o et Erhard Reg. Nro. 1206 volunt, sed Iburgense castrum hoc tempore obsessum esse. 79) verba *antiqua amicitia* ex annalibus Iburgensibus desumpta sunt. 80) ex Annal. Iburg. 81) a. 1090; vide Ann. Saxo.

') Misnie *superscripsit autographo manus saec. XV.*

mitto, ut dignanter[a] *accipias rogo, et quae parva manu offero, pleno corde offert tibi fidelis tui devotio. Certus autem de te domino et patre — quia congaudere et compati loco sanctae Mariae, cui tu quondam praefuisti et servivisti praepositus, animo praescripsisti — adversa et prospera nostrae congregationis, quae intra paucos dies iusto Dei iudicio nos passos esse cognoscimus, in hac brevitate epistolae tibi necessarium duxi transmittere*[b]*. Civitas nostra circumdata est ab inimicis; praedia sanctae Mariae rapina continua consumpsit et ignis; magna haec essent et intolerabilia, nisi quod minora cognoscimus, quam iniquitatis nostrae exigant iustitiae. Positi autem in adversis ad orationes confugimus sanctorum*[c]*, et quantae essent in ecclesia nostra reliquiae diligenter investigavimus. Providentia divina novum nobis et notandum ostendit miraculum: nam cum ad corpus sancti Epiphanii venimus, sanguinem de siccis ossibus exire vidimus. Ego qui vidi et in manu mea tenui, cum aliis canonicis nostrae ecclesiae testimonium perhibeo.*

Sed nos dum in huius patris nostri amore fallimur, singula de eo referre cupientes modum brevitatis excessimus, hoc solummodo si possemus cavere debentes, ne aut ineptae brevitatis compendio nostrae devotionis in eo aliquatenus minuatur obsequium, aut legentibus pariat arrogans longitudo fastidium; praesertim dum totus huius sermunculi contextus nulla per nostram imperitiam[d] allevetur lepida verborum compositione, aut lingua eum politior coloribus suae facultatis[d] exornet. Rogamus autem, ut si qui forte haec legere dignantur, nostrum potius affectum, quam verba considerent; quem enim, si conditio miserae mortalitatis concederet, cuperemus semper habere viventem, de eo saltem mortuo nos verbosos esse non sit onerosum et inde irremediabili dolori solamina quaerere, unde non magna sustinet lector otiosus seriorum dispendia. Sed[e] iam properemus ad alia, quae motu bellico interrupta distulimus.

27. *Quomodo episcopus Benno Spirensi ecclesiae, ne Rheni fluminis illisione ripa laberetur, industriose providit, et quomodo abbati Siburgensi huius monasterii curam commisit.*

Erat igitur architectoriae artis, ut iam supra meminimus, valde peritus. Quod si quis in his nostris aedificiis tantopere non apparere notaverit, sciat haec per eius absentiam maxima ex parte fuisse constructa, in quibus tanti extitit studii, ut ne expulsus quidem et longinquis regionibus morans, per alios, quibus hoc iniunxerat, ab aedificando cessaverit. Unde regis imperio in Spirensem urbem adductus ecclesiam illam amplissime sublimatam et prae magnitudine operis minus caute in Rheni fluminis littus extentam maximo ingenio difficilique paratu egregii operis novitate perfecit, et immensas saxorum moles, ne fluminis illisione subverteretur, obstruxit. Cum itaque hac occasione saepius illuc iter haberet, Sigebergense coenobium, quod eo tempore religionis aestimatione eximium ferebatur, hospitandi gratia divertere solitus erat. Ubi dum semper cum pro sui merito, tum etiam pro reverentia domini Annonis, cui nec defuncto quidem[f] fidelis esse destitit, maximo debitae charitatis susciperetur officio, venerabili viro illius loci abbati Reginhardo, quid in Iburgensi diruto castro inceperit, inter sermocinandum innotuit, gravi dolore conquestus, quod fratrum quos primitus adduxerat, valde esset instabilitate deterritus. Cumque abbas ille intime eum moneret, ne ideo coepto desisteret, sed eo studiosius insisteret, quo difficilius inchoata succederent, diaboli firmans affirmansque fraudibus talia evenire solere, cui nihil magis adversum nihilque odiosius esset, quam divinae aliquem obsequi voluntati, spiritalisque exercitii instrumenta parare animabus salvandis; statim oportunitate talis exhortationis oblata, omni supplicationis genere suggerere coepit abbati, ut in suae paternitatis regimen locum susciperet, et religiosum virum Adelhardum abbatem institueret, fratresque dirigeret irrigationi tam novellae plantationis idoneos, omni se eis studio pollicens corporum necessaria collaturum, pro suis seminatis carnalibus metere cupiens spiritualia eorum. Sed abbas Siburgensis vir prudentis ingenii, quamvis per se cunctos proficere suisque institutis cuperet salvari quam plurimos, non facile eius precibus acquiescere voluit, prius locum illum visere tractans. Valde enim, quae adhuc acquisierat, praedia erant exigua, et tot necessaria[g], ne, si suos in incertum fratres dirigeret, simile quid eis accideret, quod et aliis accidisse compererat. Atque ita rectae[h] voluntati annuens, episcopum praecedentem brevi post sequitur, visu probaturus, quod auditu perceperat. In huius autem consideratione

a) *ita* 1. dignitatem 2. b) transm. nec. duxi 1. c) *ita* 1. sanctarum 2. d) *ita corr. ex* 1. imperitam 2. e) *ita* 1 et 2. f) *addit* 1. g) *ita correxi*, necessariorum 1. h) recte 1

loci cum aliqua displicerent, et pleraque laudasset, maxime ei fertur displicuisse paupertas, reputanti in hoc tempore talis negotii nil stabile futurum, quod rerum mundanarum abundantia nulla firmasset et valde paucos aut nullos cum indigentia corporali monasticum rigorem aequanimiter esse laturos, cum in locupletissimis quoque coenobiis districtio sola multos turbare consuevisset.

28. *Episcopo Bennone regio iussu in Italiam profecto, nonnulli malevoli huic loco insidiabantur, qua occasione quidam fratrum hinc recesserunt, unde dominus Benno praefatum abbatem flebiliter interpellans, eius exposcit auxilium.*

Et sic omnibus rite dispositis iterum regio iussu dominus[a] episcopus in Italiam est 1084. Febr. profectus, ubi anno integro et tribus mensibus in Romanae civitatis obsidione est detentus; 1085. Mai. nilque[a] aliud tanto temporis spatio ibi perhibetur egisse, nisi si forte cum aliis, quorum Deus tetigerat corda, pacem inter eos et concordiam Dei opitulante clementia facere posset[b]. Pene enim quotidie inter regem et papam internuntius currens, plus pene dicitur in pace facienda laborasse, quam in aliqua facere consuevisset expeditione bellorum. Sed cum nullatenus posset obstinatio tanta molliri, tandem civitate tradita proditione civium, 1084. Mart. 21. papa Hildebrandus fuga elapsus, non multo post apud Salernum diem clausit extremum. 1085 Mai. 25. Exinde iam spe quadam securitatis accepta, dominus episcopus ad sedem reversus, reliquum iam tempus aetatis omnino disposuit semotum agere ab omni occupatione et prorsus a regni negotiis alienum. Et quia iam eius penitus desperabatur reversio, praesertim dum senio gravaretur et morbis, aliqui maligni in huius loci destructionem inhiabant, putantes se locupletes futuros, si Dei servis expulsis, bona sibi ecclesiae liceret diripere; unde abbatem in maxima tribulatione et labore reperiens, multosque hoc timore perterritos recessisse ex fratribus, his litterulis iterum Reginhaldi abbatis petit auxilium:

Reverendo abbati viro religiosissimo paternitatis beatitudine sublimato et filiorum circumseptione[c] glorioso, Benno humilis Dei providentia Osnabrugensis episcopus, benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo. Quibus te laudibus efferam nescio, sed quem non latet desiderium meum, tota mentis intentione et sincera devotione[82] committo. Coepisti certe me beare spe filiorum, unde siti meae fervorem auxisti[d] divinum, et nunc, pater sancte, quaeso, ne te gravet crebra mea petitio. Direxisti quippe sponsum idoneum[e] filiae nostrae, si submiseris supplementum aliquod sponsioni eius: recesserunt etenim a nobis, qui non erant ex nobis; quapropter, domine, condole paucitati nostrae et succurre plantationi novellae. Valde diu vale, nostri memor, pater sancte. Iterum ergo fratribus missis omni studio recuperare tantarum morarum dispendia statuit, pleraque eo tempore ex nimia festinatione perpessus impedimenta; sed ipse constantia animi, qua cunctis praestabat, quicquid adversi accideret, in bonum accipiebat, raro solitus in aliqua rerum adversitate esse deiectus, aut nulla unquam prosperitate securus.

29. *De quodam fratre mirabiliter sub muri collisione inter moles illaeso perseverante.*

Forte, cum paries meridianus fieret et iam proxima die beatorum martyrum Crispini et Crispiniani instaret festivitas, certatimque festinaretur ab omnibus, quatenus a praescripto eis operis termino liceret citius absolvi, subito inter operantium manus a fundamento corruit murus, et vix caeteris evadentibus, unum ex omni numero in mediis ruinis oppressit. Quod cum vehementer universos, maxime tamen praecipueque turbaret episcopum, levisque iam iactura parietis aut potius nulla in comparatione putaretur oppressi, cum summa festinatione iam novo inchoato labore quaeri iubetur, qui videbatur extinctus, si saltem inter disiectas moles reperiri possent fragmenta membrorum. Sed iam tantis saxorum aggeribus vix maxima difficultate dimotis, repente inter ferientium ictus clamare coepit, et prout potuit manu protenta, quasi timendo deposcere, ut pro Dei amore capiti suo caveretur ab ictibus, atque ita cunctis, qui aderant, non minus laetitia quam vehementi stupore perculsis, non solum vivus et validus, sed pene eo casu nil laesionis perpessus eruitur.

a) *ita* 1. b) possit 1. c) *ita* 1. circumspectione 2. d) *ita* 1. aux. ferv. 2. e) idoneae 1.

82) intellige *tibi*.

30. *De quodam alio a necessario fratrum infra matutinas collapso ac illaeso permanente cum gaudio recepto.*

Simile quid, licet[a] eventu contrario, et in fratre hic quodam accidit, qui infra matutinas in necessario fratrum dum per tabulas nondum in ordine congrue dispositas incautus incederet, subito in praeceps decidit, sola misericordia Dei sustentante, asperrimis saxis susceptus est. Ubi cum diutius nemine sciente iaceret, nec interim tamen a psalmodia vacaret seu[b] cessaret, tandem fratribus e choro reversis strepitu quodam et gemitu, ne saltem in tanta re nocturnum silentium rumperet, se cecidisse testatus, omnes maximo horrore commovit. Sed a famulis citissime requisitus, et inventus incolumis mox reductus, et quos commoverat, laetissima iterum omnes admiratione implevit, ita ut de eo quoque (Psal 36,24.) secundum litteram videatur impletum, quod de iusto per psalmistam canitur: *Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Sed hoc ideo simile superiori et contrarium diximus, quia illum super quem tantae moles ceciderunt, constat esse non contritum; hunc autem qui in tanti praecipitii profunditatem cecidit, constat non esse confractum.

31. *De quodam puero ex puteo extracto sine laesione.*

Item de puero, qui in puteum monasterii versus occidentem siti cecidit, tale quid accidisse refertur. Cum enim immitterent, qui mortuum extraherent, et nil minus quam vivere putaretur, confestim a tanta tractus voragine, incolumitatem corporis nil eo casu molestiae pertulisse monstravit. Sed et alia quaedam asseri solent hic tunc accidisse miranda, quae ne frivola aut ficta putentur, memorare omisimus, quae tamen episcopus partim martyrum meritis, partim servorum Dei, quos adduxerat, religioni tribuit, et eo coepto operi attentius institit, quo gratius credidit esse dignationi divinae, cum saepius in adversis et diabolicis fortasse[c] insidiis supernum non defuisset auxilium, humiles in omnibus divinae dispensationi gratias agens, per cuius[d] misericordiam se totiens indebite sentiret consolari, qui se pro variis delictis non ignoraret merito debuisse tristari.

32. *De gliribus e dioecesi expulsis.*

Divina ultione hominum vindicante malitiam, tota dioecesi glires maximo non solum frugum dampno, sed et hominum horrore ubique grassabantur; auxilia et humana media nihil omnino proficiebant, unde maxima ubique eiulatio audiebatur, maxime cum timerent omnes, ne plagae Pharaonicae dioecesin universam affligerent. Benno itaque ad spiritualia confugiendum ratus, preces indicebat, supplicationes instituebat, ieiunia ordinabat. Sed cum nec tunc Deus misereri videretur, orationibus eleemosinas tamquam pernices alas iungendas ratus, illas ipse manibus pauperibus elargitus, et nomine totius dioecesis distribuendas ordinavit. Mirum glires e tota dioecesi maximo omnium gaudio et admiratione disparuerunt.

33. *Benno monasterium Iburg capitulo cathedrali commendat.*

Benno pro monasterio maxime sollicitus, ut pium patrem decet, illud capitulo unice commendat, partim ut canonicorum benevolentiam provocaret, partim ut sui in episcopatu successores illud pro virili posse defenderent. Non autem illud Osnabrugi publice et privatim solum egit, sed et proprio chyrographo testatum voluit, cuius tenorem subiicio:

Benno Dei gratia sanctae Osnabrugensis ecclesiae episcopus, omnibus successoribus suis huic sedi praesidentibus aeternam remunerationem a Domino promereri. Notum esse volumus vestrae almitati, dilectissimi, qualiter ego Benno humilis Christi minister, abbatiolam in Iburgensi castro primitus institui, et abbatem primum eiusdem congregationis, nomine Adalhardum ibidem constitui et ordinavi, et cum consilio religiosorum virorum tam clericorum quam et monachorum, eidem abbati et successoribus haec privilegia concessi: scilicet ut nullus successorum meorum abbatem loci istius aliqua gravi necessitate molestari patiatur, non vim inferre, non ad aliquod iter impelli, vel ad supplementum itineris hostilis aliquid ab eo exquirere praesumat[e]; sed magis ob Dei timorem eidem abbati suffragari studeat[f], ut dignam recompensationem percipiat. Census enim istius loci exiguus est, et abbas huius congregationis, non ut alii abbates proprio servitio se sustentare poterit[g], sed veluti alius quilibet fratrum stipendiis

a) *add.* 1. b) vac. seu *desunt* 1. c) *add.* 1. d) *ita* 2. eius 1. e) praesumant 1. f) studeant 1. g) poterint 1.

suis est contentus, unde, ut diximus, liberum eum esse decrevimus ab omnibus negotiis superius digestis, nisi forte eveniat, ut imperator curiam suam in vicinis locis, Monasterio vel Paderborno vel Minden, percelebrem habeat, et episcopus huius ecclesiae praedictum abbatem secum velit assumere, faciat si libuerit, ita duntaxat, ut necessaria sibi suisque, ut caeteris familiaribus suis sufficienter impendat[83]. *Similiter et hoc abbati loci istius*[a] *statuimus, ut dum episco-* 83 *pus synodalia negotia exercuerit, idem abbas eandem synodum more religiosorum observet, et quae ad animarum curam pertineant, cum caeteris fideliter decernat. Haec itaque omnia litteris nostris consignavimus*[b], *et vestrae sanctitati notificavimus, ut esset indicium firmitatis nostrae concessionis, ut et vos causa benevolentiae assensum praebeatis, ut dignam a Domino mercedem percipiatis.*

34. *Quomodo primum huius loci abbatem propter debilitatem et senium remisit Sigeburgum, et de Nortberti secundi huius loci abbatis institutione et origine.*

Interea autem illum et aliud multo molestius urgere coepit incommodum. Abbatem enim, quem acceperat[84], corporis debilitas maximeque oculorum caligo tanto labori et monasticae curae minus habilem imparemque reddebat. Qua necessitate compulsus, cum maxima tristitia eum Sigeburgum remisit, alium in eius locum successorem efflagitans, atque ita unum ex fratribus Nortbertum[c] nomine pro eo recipiens, ordinavit abbatem. De quo, quia adhuc per Dei gratiam vivit et superest, non multa, sed haec tantum referimus, quod Brabantia oriundus patria, et apud Coloniam in ecclesia beati Petri a cognato suo, qui scholas regebat, educatus a puero, postea autem in Bambergensi[d] ecclesia factus canonicus, cognato suo quem plurimum dilexerat Coloniae defuncto, superstes in saeculo esse contempnens, in Sigenbergensi[e] coenobio monachum professus renuntiavit saeculo, ac sic loci huius curam suscipiens, pene per quadriennium ante mortem episcopi, cunctis quibus 1084 debuit, prout potuit, diligenter intendit.

35. *Episcopo Bennoni et abbati Norberto Hildeschwich dat bona sua in Berler.*

Hildeschwich nobilis femina, prosperitati vitae praesentis scilicet et animae futurae 1084. saluti prudenter consulens, curtem in Berler in parochia Glaen ad montem sitam dat sancto 1088 Clementi et Norberto abbati, una cum uno manso, quem tamen pro triginta solidis oppignoratum abbas deberet redimere; at abbas illi in signum gratitudinis decem marcas pro benedictione dat, eamque[f] omnium operum participem seu vivam seu mortuam suscipit. Actum est hoc in comitatu Amelingi[g], in villa Schierlo[h, 85]. Donationem hanc iuxta eius haeredes[i] Friderunes abbatissa in Hertzebrock[k] commendabat, quod bona haec in eiusdem secum ordinis et professionis monasterium converterentur; ita confectae desuper et traditae litterae testantur.

36. *Quomodo episcopus Benno in infirmitate correptus ac ab abbate de eius morte per quandam visionem admonitus, suscepit sacram communionem et unctionem.*

Multo igitur hic tempore in domuncula sua[86] in monte versus occidentem sita solum- 86 modo manens, competentius, ut credidit, cum servis Dei insistens servitio Dei et labori advigilans raro usque exire solitus erat, nisi forte gravi compellente causa, et dominicis diebus Osnabrugi docere populum et missarum celebrare solempnia. Quod cum aliquando ex more fecisset, et iam sumpto cibo huc extra oppidum reverteretur egressus, respexisse fertur et dixisse silenter, se locum illum credere non visurum ulterius, et paulo post febre correptus frigus ex pluvia, quae eo forte extitit die, inter equitandum collegisse se credidit, atque ita medicamentis adhibitis, solito se more speravit declinare posse infirmitatis molestiam. Sed abbas, quia de morte eius per iuniorem fratrem iam, qui eam per visionem imminere praenoverat, diu ante aliquatenus praemonitus fuerat, ingressus ad aegrum, inter visitationis et consolationis officia de singulis monere coepit, quae morituro cuique consideranda putavit. Atque ille ad singula acquiescens, locum quidem sepulturae in abbatis electione permittens, in posterum diem, quo erat beati Iacobi celebranda festivitas, distulit

a) illius 2. b) assignavimus 1. c) *ita* 1. d) *ita correxi; Babergensi codd.* e) *ita* 1. f) *ita* 1. eam 2. g) Amulungi 3. h) Skirlo 3. i) haeres 2. k) *ita* 1. Hertrebrok 2. hersebroke 3.

83) Cfr. Möser II, 29. 84) Adalhardum. 85) Schierloh. 86) Bennonis turris vocata, saeculo demum XVIII destructa est. Möser p. 39.

unctionem; primo itaque surgentis aurorae diluculo, abbate accersito cum fratribus, tam illi quam omnibus, qui aderant, peccatorum confessionem publice faciens, statim ab ipso sacerdotalibus induto dominici corporis viaticum accepit, ac sic pene triduum supervixisse dignoscitur.

37. *Benno litteras fundationis tradit abbati.*

Dum sacramentis instructus Benno animam suam Deo commendaret, sanctumque patronum suum Clementem pro felici obitu imploraret, occurrit quod litteras super conquisitis et oblatis pro monasterio bonis nondum tradidisset. Abbatem igitur fratresque vocat, eosque ad observantiam regulae sancti Benedicti et ad omnem virtutem adhortatur, tandemque abbati litteras sigillo suo confirmatas tradidit, quibus praecipua bona, quae difficili illo temporum statu acquirere potuerat, continentur. Ut vero fundatoris nostri memoria in aeterna sit benedictione, litterarum copiam adscribere volui, ut piissimi et munificentissimi benefactoris et fundatoris, sicut et aliorum liberalium benefactorum memoria numquam oblitteretur:

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Notum sit omnibus Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris, quod haec sunt praedia, quae dominus Benno Osnabrugensis[a] *episcopus, monasterio beati Clementis papae et martyris, quod in Iburg ipse construxit, iusto pretio decimarum, aliorumque concambio praediorum et pecuniae compensatione non modicae, iustis haeredibus consentientibus, iustis advocatis recipientibus, iustis et idoneis testibus praesentibus, et idem monasterium in suam recipiente curam abbate Sigebergensi et ipso praebente fratres idoneos ad eundem locum secundum sui*[b] *monasterii disciplinam regendum, iuste comparavit et contulit:*

Berga in iustam precariam ab Hildesuida nobili foemina eiusque iustis haeredibus.

Helveren ab Aveza[c] *nobili vidua et filiis eius.*

87 *Muskene et Hagen*[87] *a Friderun*[d. 88] *abbatissa et eius iustis haeredibus.*

Versmele[e] *a Waldrico nobili viro eiusque iustis haeredibus.*

In Glana duo forwerk[f]*, unum ab Imma nobili vidua eiusque filio Hecilone*[g]*, alterum ex altera rivuli parte et eiusdem ecclesiolae dimidiam partem — nam altera eius pars ad istum prius episcopatum pertinebat — ab Gisela nobili sanctimoniali, quae postea in Bersene*[89] *abbatissa fuit; ambo cum decimatione.*

In Oistenfelde[h. 90] *ab Eila libera foemina eiusque iustis haeredibus.*

Schwankendorp[i] *ab Reinmoda nobili vidua et eius iustis haeredibus cum decimatione.*

Hittelhuisen[k. 91] *ab Schwankinna*[l] *nobili sanctimoniali et eius*[m] *iustis*[n] *haeredibus.*

93 *Quatuor forwerk Rethe*[92]*, Hartz*[o]*, Birkensehle*[p]*, Herdensehle*[q. 93] *ab Offone nobili viro eiusque haeredibus.*

Item Retha[r] *cum ipsa ecclesia ab Erphone nobili viro eiusque iustis haeredibus cum decimatione.*

Riesenbecke[s] [94] *ab Walone nobili viro et eius iustis haeredibus cum decimatione.*

Forwerk hic iuxta castrum ab episcopatu per concambium Bomwiede[t] *cum decimatione.*

Plerique autem mansi disperse iacentes, quia noti sunt cum decimis suis, nominatim non sunt annotati.

Decimationes autem de Versmele[e] *et Oskendorp, de Oistenfelde*[h. 95]*, de Lina*[96]*, de Aldel-*
97 *dorp, de Westerbecke*[u]*, de Hochsteten*[97]*, de Hone, de Ammath, de Mettinge*[v] *ad Sanctam Mariam.*

(L. S.)

a) *ita corr ex* 1. b) *ita* 1. 3. suam 2. c) Eueza 3 d) Fridericum 2. e) Fersmele 3. f) *ita* 1. vornwerck 2. forwerc 3. g) Hecelone 2. h) Ostenuelt 3. i) Schwanckindorp 1. Suanekindorp 3. k) Huteleshusun 3 l) Suanekinna 3. m) eiusque 1. n) *deest* 1. o) harz 3. p) brikensele 3. q) *add.* 1. Gordensele 3. *deest* 2. r) *ita* 3. s) Risenbeke 3. t) Bomwide 3. u) Westerbike 3. v) Mettinghe 3.

87) Moskau et Hagen. 88) Fretherunda abbatissa (in Hertzebrock cf. supra c. 35) vocatur in charta ap. Möser IV, p. 58 n. 36; Frederun vero in altera a. 1095, ibid. p. 66, n. 43. 89) Bassum. 90) Ostenfelde; idem praedium, ut in praefatione adnotavimus, liberorum baronum de Nagel-Dorneck est, in quorum bibliotheca nunc Wittii autographum asservatur. 91) Hildeshausen, Mösero IX, p. 267. Diversus est hic locus ab *Hitteshusen* quem Azela *Bennoni ad ecclesiam sancti Clementis in Yburg legavit.* Vide chartam ap. Mös. IV, p. 60, not. 38. 92) Rethem? 93) Hardensetten. 94) Cf. chartam ap. Möser sämmtl. Werke VIII, 43. 95) Oitzfelde. 96) Linne. 97) Westerbeck, Hochstätte.

38. *Quomodo cuidam viduae religiose desideranti eum in infirmitate visitare non acquievit et de felici eius obitu.*

Erat autem eo tempore hac in urbe manens vidua quaedam nomine Acela, non minus religiosa quam nobilis, quae huic monasterio multa ex opibus suis contulit, et locum plurima devotione dilexit. Quae per nuntium licentiam petens, ut admitti et visitare sibi liceret aegrotum, tale dicitur ab eo accepisse responsum; eam se videlicet malle in futuro videre saeculo, ubi sincere[a], secure, et iucundius mutuo fruerentur aspectu, quicumque se hic invicem in Christo puritate castae charitatis amassent; ubi nullus gemitus cordis aut corporis dolor et mortis formido videntium sese posset turbare amorem; hanc etsi conciliaret humanitas et dominico esset sancita praecepto, plenissimam tamen esse doloribus, nec tam praesenti charorum cruciatu moestissimam, quam de propriae quoque mortis quandoque recordatione horridissimam; itaque secundum apostolum, dum tempus haberet, bonum Gal 6, 10 operari studeret; at[b] omnes felices esse, qui tali intentioni, dum liceret, operam darent, infelicissimos autem, qui talia in horam mortis usque differrent. Qua exhortatione suscepta, egregia illa mulier valde proficiens ita reliquam egit aetatem, ac si antea boni operis nihil egisset. Ipse autem linguae paulatim destitutus officio, cum[c] iam vitae immineret occasus, abbate item cum fratribus exitum eius Deo commendante litaniis et psalmis, in tapetio deponitur, et circa diei horam nonam inter orantium manus, spiritum Deo reddidit, anno 1088 1088. 6. Kalend. Augusti, indictione undecima[98]. Iul. 27.

39. *Quomodo quidam perversi volebant funus tanti viri Osnabrugum advectare, sed abbate et monachis obnitentibus, abbas accepta virga pastorali locum sepulturae designavit.*

Corporis autem exequias tanto diligentius fratres curare studuerunt, quanto ab omnibus, quos vivus dilexerat, viderunt derelictum miserius. Fratribus enim circa corpus lavandum caeteraque funeri congrua occupatis officia, illi sua, non quae Iesu Christi quaerentes, in varias supellectilis eius rapinas et furta discurrunt, in tantam tandem rapiendi licentiam ducti, ut corpus istud ipsum exanime Osnabrugum deferre et sepelire pararent, ac sic eis liberius loci huius universae facultates in omnimodam possidendi licentiam cederent, et miserum episcopum tota tanti laboris sui mercede privarent. Quod cum iam non secrete inter se, sed aperte forte[d] clamare coeperunt, abbas in varias curas exaestuans, singulos primum aggreditur, de quorum praesumebat fidelitate fidentius, pristinae fidei in dominum suum totque collatorum eis ab eo beneficiorum tunc memores esse deposcens, utque hominum in tali negotio minime curarent offensas[e], dum se cum Deo agere, et plurimum utilitatibus suis apud futurum dominum prospicere non dubitarent. Sed cum vix unum ex omni numero in sua parte fidelem attenderet, instantius fratres per noctis vigilias orationi insistere iubet, multis persuasionibus instigatur a suis, ut si sepeliendi hic corporis licentiam precario obtinere non[f] posset[g], vi[h] illud obtineretur[i] et ianuis clausis, cum nihil monachos in tali certamine dedeceret audacia, ubi iustitia et fides pro eis pugnaret et pietas. Et iam mane erumpente in lucem, pontificali arrepto baculo, locum sepulchri in brachio meridionali ecclesiae populo aspiciente signavit; quo facto videntium animos non parum in sui favorem erexit, ut eius rei iam quodammodo eos reddidit certos, cuius ipse adhuc penitus erat incertus. Adunatis autem optimatibus et clericis, qui ad sepeliendum episcopum partim accersiti, partim sponte convenerant, intimo supplicavit affectu, ut tantam perfidorum obstinaciam frangerent, ne homines nequissimi in loci destructionem praevalerent, dicens se ipsa die absque dubio recessurum cum omnibus, si locus structoris sui mansione careret; et hoc tunc utique honestius sponte facere posset quod postea esset invitos necessitas coactura. Nemine autem eorum contradicente, sed et aliquibus etiam studiose annuentibus voluntati abbatis, unus eorum Liudolfus[k. 99] nomine, dignitate prae- 99 eminens caeteros, et pietate devotior, convocatis universis, prae immanitate flagitii infremuit, et iustitia causae iracundiam instigante, profatus in hunc fere modum:

a) *deest* 1. b) *ita* 1. 2. c) *ita* 1. cui 2. d) *add.* 1. e) *ita* 1. cur. off. min. 2. f) *ita conicio.* ō 1. *deest* 2. g) possent 1. h) *ita* 1. ut 2. i) *ita* 1. teneretur 2 k) *ita coniecit Möser II, p. 40. At etiam Maurus Rost* Lindolfus *legit.*

98) Witt. p. 275: *Demum XVIII pontificatus sui anno 6. Kal. Augusti — carne solutus est ac in Iburgensi coenobio ante altare sanctae Crucis conditus est.* 99) Liudolfus, advocatus Bennonis occurrit in charta Iburgensi anni 1070 ap. Möser IV, 43. Cfr. infra c. 41.

40. *De quadam acerrima cuiusdam Liudolfi piissimi ac disertissimi viri relatione, qua facundissime ac strenue confudit pii praesulis invasores.*

Et quid agitis, inquit, *o infideles et impii in patrem spiritualem dominumque, tantam crudelitatem committentes*[a] *et fraudem, et quia viventi non licuit, mortuo iam infandae conspirationis manus inicitis! Certe ob varias perfidiae vestrae nequitias saepius obiurgati ab illo, nunc vicem rependitis, nunc et nequissimi servi paternae correptionis iniurias vindicatis, et quales erga vivum fueritis, de toto perversitatis vestrae fonte*[b] *aperitis.*

At plures vestrum profecto, qui antea genere et opibus miserrimi fuistis, ipse provexit, ipse inclitos fecit, ipse ditavit, cuius beneficiis nunc tam egregie respondetis, ut sepulturam negetis et de loco, quem ut indiciis datum intelligo, Deo demonstrante elegit, tanto pellatis scelestius, quanto durius ipse propriis manibus construxit et a saevientis turbine mundi fidissimum senectuti praeparavit asylum. Quippe aetatem in palatio educatam et amplissimis prius honoribus usam, pontificali etiam nunc dignitate pollentem, annis invalidam, confectamque morbis et debilem hic confregit, hic trivit, plaustra videlicet minando et asinos, caementa conficiendo et comportando[c] *lapides, denique vilissimi gerendo vicem mancipii, ut miseram senectutem tantis laboribus pro divina retributione fatigans, tanto gloriosius regno Dei in renovationem sui redderet dignam, quanto deformius eam nunc servire compelleret. Sed vos episcopum vestrum, quasi et non noster fuerit, sedi suae restituere, et bono loco sepelire conamini, quod et nos vobiscum agere oporteret, si recte saperemus; bona quidem haec vestra vox, sed sacrilega intentio, et dum vitatis infamiam et pietati consulitis, quae nulla fuit, scelus incurritis, rapinas et dolos honesti nominis colore fucantes. Sed esto, deferte, quo vultis, sane ut condigno praedecessoribus suis honore condatis, quorum nimirum quae urticas et pecorum pascua evadere potuerunt, paucissima sunt nobis monimenta comperta, quorum autem in aperto sunt, veneramur. Numquid cultu et decore suo successores*[d] *alliciunt episcopos, ut sine eis sortiri sepulturas non appetant? Non ita quippe quae tanto iam tempore foedo situ neglecta sordescunt, et horrido quodam vetustatis squalore potius, ut fugiantur, clamant; et quale animabus quae videri non possunt piae recordationis impendatur officium, sepulchra quae apparent et possent sumptu reparari levissimo, neglectus sui foeditate testantur. Multos autem novimus*[d] *pontifices non solum extra sedis suae locum, verum etiam extra dioecesios suae terminos esse sepultos. Quid igitur, hominum pessimi, vestro hunc locum invidetis antistiti? Ubi suae procul dubio animae intercessores praeparavit optimos et ossium suorum fidissimos praevidit cinerumque custodes. Nec ecclesiae suae, ut vestra falsissime cavillatur versutia, se subtrahendo, statum minuisse dignoscitur; sed eius potius cum in multis, tum etiam novam faciendo congregationem, tantillum prius non parum ampliavit honorem. Sed quid vos adstantes et haec audientes optimi, clerus et populus, qui horum iuste dedignamini sceleri praebere assensum, me solum tot canibus oblatrare patimini? tot morsuum patere livoribus, et quasi tacendo notamini sceleratis consentire calumpniis? Reclamate igitur et resistite, repercutite et revincite, et in suis eos sceleribus in sempiternum fidelitatis vestrae memoriale confundite. Quoniam autem nos maiores his sumus et plures, tantae impudentiae et stolidissimae praesumptioni contraire et obviare facillimum erit, si non postea ignorantibus haec questura essent, se armis potius, quam ratione devictos. Verum quid differre credimus, quo pacto revincantur, qui tam perversa moliuntur; at qui possit agi lenius cum his, si solum corpus exanime, et non locum ipsum niterentur aufferre. Quis vero haec, o insanissimae mentis belluae, vestrae concessit potestati, vestro permisit arbitrio? O extremae perversitatis vesaniam! O inauditae machinationis audaciam! O spurcissimam servorum temeritatem! quae ex tali sibi rapina sperat divitias, ex Dei iniuria solatur inopiam, nec funeris quidem abstinens spoliis, dum consulat praedae, et nefariae cupidinis expleat appetitum. Sed quid ego progredior? quid verbis auscultantes detineo, plura replicando quam competit? Enimvero indignitas rei et facinoris magnitudo, quae haec profecto me loquente componunt, digne a nullo hominum explicari poterunt aut facultate ingenii aut prolixitate verborum. At vos abominabiles Deo, factis opus temptatis et manibus, cui lingua omnis ponderis immanitate succumbit. Sed nil agit haec vestra perversitas, nullumque tanti sceleris obtinebit effectum! Nos futuro domino incolumes servabimus tumulum et monachos; eius certe potestatis erit, custodire et venerari, si malus non erit; aut dissipare et*[e] *perdere, si vestrae pravitati consortem se fecerit. Iam vero me plura loquentem prae luctu verba destituunt, et in*

a) *add.* 1   b) fronte 1.   c) comparando 1.   d) *add* 1.   e) aut 2.

talem tandem exclamationis finem impingunt, o infelicissimum praesulem! o in aliquo humanae fragilitatis excessu divinam offendentem clementiam! cui hac in morte licet praedam non esse, nec in cadavere sine seditione putrescere!

41. *De honorifica piae recordationis episcopi sepultura, et de mutua fraternitate Osnabrugensis et Iburgensis ecclesiarum.*

Haec viro supra memorato vultus acredine et concitissimo mentis impetu prosequente, gravissimae rigor indignationis molliri coepit iam in lacrymas, et animos vulgi ignobiles paulatim ad misericordiam flexit, quos timere plurimum asperrimae invectionis nimietate coegerat. Unde tali elogio non[a] minus vero quam minarum et iracundiae pleno, minimeque pro loquentis autoritate[1] spernendo universus statim concidit fragor audaciae, conceptaeque vecordiae consilium disperiit et inane disparuit. Sicque paulatim redditis animis, quos avaritiae furor abstulerat, sanum miseri sapere gestiunt, inhibitique sceleris iam congratulantur autori, atque eius rei, quam tanto antea bacchatu acerrime impugnaverant, devotos imposterum se spondent fautores praebere. In unam itaque cunctis redactis sententiam, sepulturae festinantius insistere decernunt, quia diutius corpus servari nimietas non permisit aestatis. Sed cum super hac re Mindensis expectaretur episcopus[2], et iam minime futurus crederetur ad tempus, eius[3] abbati iniungitur officium, quod tertio eius defunctionis 3 die cum fratribus et clero universoque populo tristissima quidem, sed devotissima exhibitione complevit. Post haec autem abbas stabilitati loci atque utilitati[b] consulere volens, totius multitudinem cleri convocavit seorsum, fraternitatis cum eis et spiritualia societatis foedera concelebrans, ut iam Osnabrugensis ecclesia huic nostrae non tam potestate quam charitate esset mater et domina, ac sic[c] utriusque filii per omne deinceps temporis spatium unanimiter consilio, adiutorio, benevolentia, orationis communione sibi semper invicem sociarentur in pace. Illis autem in sua reversis, abbas item circa animae salutem sollicitus infra triginta dierum spatium continuatim fratribus sibi per vices succedentibus ad sepulchrum psalmodiae orationem esse constituit. Et quia nondum totius templi tecti constante perfectione[d], interdum turbarentur pluviae infestatione psallentes, tuguriolum ex lignis iuxta composuit[e], ut in eius absconsione orationis instantia non interrumperetur a turbine et pluvia. Postea autem procedente tempore mausolaeum ibi, quia metallis non potuit, extructo[f] lapidibus, breve epitaphium sepulti memoriam absolute indicans his inscripsit versiculis:

42. *De epitaphio Bennonis episcopi fundatoris nostri et exhortatione ad orandum pro eo a successoribus.*

Quis sim lecturi, quod sum quandoque futuri,
  Dicite: Praesul have[g], Benno perenne[h] vale.
Quem mea spes struxit, locus hic mea funera luxit,
  Ter Iuli novies tres peragente dies.

Ac sic deinceps divina opitulante clementia consummatis ex parte, quae moriens ille imperfecta reliquerat, paratis tectis et picturis adhibitis, ornamentis etiam pro facultate adauctis et praediis acquisitis non modicis, etsi non continua, frequens tamen et qualiscumque hic sibi non deest oratio. Quoniam successoribus nostris speciali hoc opusculum intentione edidimus, repetere nunc obtestationis nostrae admonitiunculam, quam in prima eius fronte posuimus, et saepius inculcare non piget, ut si ei per nos utique peccatores apud districtum Iudicem minus efficaciter, quam dum viveret, speravit et egit, fortasse succurritur, tanto obnixius pro eius salute divinae pietatis aures pulsare ipsi non desinant, quanto se eius industria solummodo et studio in hoc congregatos habere cognoverint et temporale subsidium et, si religioni studuerint, spirituale instrumentum. Quod nimirum eius exhortatione

a) *ita;* nos 1. 2. b) *ita* 1. stab loci atque util. abbas 2. c) *ita conicio;* si codd. d) perf. const. 1. e) *ita* 1. constituit et composuit 2. f) exstructo 2. g) habe 1. 2. h) perhenne 1.

1) Vide nostram notam ad cap. 39. 2) Folcmarus. 3) sc. sepulturae.

studiosius agent, quam sibi, cum per sermonem loqueretur ad populum et pro se eos orare deposceret, consuetudinariam fecerat et specialem: qui pro alio scilicet orat, se ipsum absolvit. Si igitur pro eo orantes nosmet arbitramur absolvi, absurdum est ei subtrahere, quod nobis ipsis non dubitamus impendi atque manere. In commune igitur ex tunc et tunc pro eo ab omnibus semper ad Deum levetur oratio, ut si in poenis est, citius liberetur, et
Matth. 25, 21 si nondum audire meruit: *Serve fidelis, intra in gaudium Domini tui,* saltem inter eos inve-
Matth. 25, 34. niatur a dextris, quibus est in fine dicendum: *Venite, benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum* per eundem dominum nostrum Iesum Christum, qui cum eodem Deo patre in unitate Spiritus sancti vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

IOCUNDI TRANSLATIO S. SERVATII.

EDIDIT R. KŒPKE PROF.

Sanctus Servatius episcopus Tungrensis, cuius ipsum nomen oblivionis tenebris obrutum esset, nisi eum medio saeculo quarto Arianorum haeresis fortissimum fuisse oppugnatorem unus tradidisset patrum ecclesiasticorum[1]*, ob magnum miraculorum numerum, quae in sepulcro eius facta putabantur, apud posteros est ita celebratus, ut vix alius ex Belgarum viris sanctis maiorem honorem pluresque et copiosiores vitae et miraculorum scriptores adeptus sit. Duo enim saecula post Servatium videntur esse composita, quae dolemus deperdita, gesta sancti Servatii antiquissima*[2]*; quae quo propiora erant viri sancti temporibus, in miraculis enarrandis erant eo modestiora. Ex hoc fonte magnam partem hauserunt quae de eodem viro litteris mandarunt Gregorius Turonensis*[3]*, et post eum saeculo decimo Herigerus*[4]*, rerum Tungrensium scriptor diligentissimus, et cuius librum iam edituri sumus, Iocundus presbyter. Sed iam ante Herigerum miraculorum vix credibilis superstitio veram sancti Servatii historiam ita obscuraverat falsarumque fabularum commentis ita miscuerat, ut Iesu Christi aviam et Servatii proaviam fuisse sorores facillime sibi persuaderent homines superstitiosi, minimeque trecentorum annorum longo spatio offenderentur, quo inter se distant Iesus Christus et sanctus Servatius. Primum, quod equidem sciam, fabulae huius vestigium in sancti Lupi Trecensis occurrit vita posteriori, quae saeculo nono exeunte conscripta est, ubi idem sancti Servatii falsum stemma magna cum credulitate proponitur*[5]*. Ad eundem librum respexisse videtur Herigerus, qui loco laudato haec habet verba:* Licet quidam ferant ex domini Salvatoris cognatorum descendisse familia Servatium *etc. Sed idem Herigerus ab omni critices ingenio minime destitutus, superstitiosam ineptiam illius narrationis sine ullo scrupulo ingenue castigavit, quum, severam in hanc genealogiam criticam exercens, diceret melius esse ignorantiam verecunde fateri quam irreverenter pro pietate mentiri. Itaque coniicere licet fabulosam illam de sancto Servatio opinionem saeculo septimo, octavo vel nono apud Lotharingos emersisse*[6]*; neque unde fluxerit clarius patet. Si fides ha-*

1) Sulpicius Severus II, 44 qui eum anno 359 Ariminensi concilio interfuisse narrat. Vide quae de Servatio annotavimus ad Herigeri c. 20, Mon. Germ. SS. VII, 172. 2) Hanc sine dubio vitam vidit Ruinart Opp. Gregorii Turon. p. 52 in codice antiquissimo litteris Merovingicis exarato, qui cum codicibus Corbeiensibus in Sancti Germani bibliothecam translatus erat. 3) Hist. ecclesiast. II, 5; de gloria confessorum c. 72. Cf. Mon. Germ. l. c. p. 143. 4) c. 21: *sicut in gestis eius legitur antiquioribus.* 5) Act. Sanct. Iul. VII, 77. 6) quod Henschen circa annum 940 demum factum

benda est Iocundo nostro, Alagraecus erat, Hierosolymitanus quidam clericus, qui Traiectum ad Mosam veniens, in sancti Servatii sepulcro divina mentis incitatione abreptus, eius originem sanctam quasi oraculum protulisse dicitur. Idemque eadem in libello conscripsit, quod his verbis testatus est Iocundus: Haec sine mora coram omnibus scripsit, quod profecto apud monumentum eius usque in hodiernum diem repositum esse agnovimus. *Itaque sancti Servatii* 7 *quaedam exstabat genealogia quae ab eodem Alagraeco conscripta putabatur*[7]. *Quae omnia si vera sunt, minime* annos aliquot *ante annum* 1088, *ut vult Iocundus, sed tempore longe priori facta sint necesse est.*

Post Herigerum igitur Iocundus presbyter vitam sancti Servatii, translationem et miracula scribenda sibi sumpsit, ex quibus longe maioris momenti est miraculorum narratio, quam usque ad sua tempora, id est usque ad saeculi undecimi finem, deduxit copiosissimam. Pauca tantum sunt quae de ipso Iocundo auctore proferri possunt, nam praeter ea quae de se ipse in libro litteris mandavit, oblivione sunt tecta reliqua omnia. In epistola dedicatoria ad monachos Traiectenses Iocundum presbyterum se appellat auctor, ultimumque quod narravit miraculum anno 1088 *factum esse sub libri finem aperte indicavit, et haud ita diu post hunc annum scripsisse videtur. Ubi fuerit presbyter non aeque liquet, sed patriam minime silentio texit*[8]. *Non enim Germanus* 9 *sed sine ullo dubio origine erat Francogallus*[9]. *At vix quidem intelligeres quomodo homini alieno ut de viro sancto alieno scriberet in mentem venerit, nisi Iocundum in itinere quodam Traiecti ad Mosam commorantem*[10] *nomen et venerationem sancti viri celeberrimi cognovisse audires. Ipseque testatur se a monachis Sancti Servatii esse invitatum, ut miracula eius litteris mandaret*[11]. *Et in haud paucis locis eosdem monachos habet testes*[12], *qui auctorem in miraculis conscribendis fideliorem et creduliorem vix inter se invenire potuerunt. Nonnulla alia aut vidit ipse*[13] *aut ab illis audivit, qui se res et vidisse et ipsos volebant esse expertos*[14]. *Scriptos libros in auxilium vocavit paucos:* gesta antiquiora *Servatii*[15], *Iordanem* — in libro cuiusdam antistitis nomine Jordanis, qui relator Gallicani exstitit, ut aiunt, fidelissimus excidii[16] — *gesta sanctorum* 19 *Eucharii, Valerii et Materni*[17], *historiam Romanam*[18], *vitam sanctae Agathae*[19], *Herigeri et Anselmi gesta episcoporum Leodiensium, quae* librum Tungrensium

esse vult. Cf. eius exegesis historica de episcopatu Tungrensi et Traiectensi II, 9 in Act. SS. Mai. tom. VII. 7) Paullo post Iocundus mentionem fecit *textus generationis* sancti Servatii, et *quod pater piae recordationis Alagraecus olim scripserat.* Henschen l. c. Alagraecum fraudatorem fuisse vult, qui Traiectensium simplicitatem proterve illuserit. 8) Reiicienda est falsa opinio auctorum Hist. litt. de France VIII, 341 qui eum Tungrensem presbyterum fuisse coniecerunt, quod probari nequit. 9) In epistola ad monachos Traiectenses se ipse *hominem alienum* appellat, ibidemque legitur: *Nos vero aliena qui sumus de terra* etc. Ibid.: *Apud vos aiunt civitatem Magontiam* etc.; c. 5 de *regno nostro* loquitur, in quo Parisius urbem sitam esse innuit; *terra nostra* occurrit in capitibus 4. 5. 17, ubi Karolum magnum sanctum Servatium amasse narrat prae omnibus sanctis *qui etiam in terra nostra;* c. 44: Heinricum tertium opponit *nostris episcopis, nostris principibus;* c. 46. 53. 70. 78. In c. 15 Germaniam suam patriam non esse ita indicavit: *Accurrit Equitania et Hispania, ex vobis Saxonia et omnis Germania. Terra nostra* occurrit in c. 19, *in partibus vestris* in c. 22. In c. 28 haec leguntur: *Ut autem vestri principes artius retinerent Lotharicas res — Oddonem* (primum) *constituerunt regem — quem gradum dignitatis ante eum acceperat nullus ex Theotonicis,* ex quibus verbis satis apparet nostrum se ipsum minime inter Teutonicos habuisse; c. 31. 32 *civitas vestra;* c. 40 *terra vestra* (Lotharingia); c. 57. 70 *in omni regione vestra et nostra.* 10) f. 9: *In eodem Traiectensi oppido — ut ego ipse oculis probavi meis.* 11) c. 77: *Rogatu cuiusdam ex vobis, carissimi, curam huius opusculi suscepi.* Quibuscum coniungenda sunt quae in prologo leguntur: *Isti benigni pastores, isti pii rectores praefati optabant* etc. 12) c. 73: *Per eos innotuit vobis, per vos et nobis* etc.; c. 44: *Quod quibusdam ex vobis narrantibus audivimus* etc. 13) Cf. Epist. dedicat.: *Quae vidimus, quae audivimus — indicare desideramus;* c. 78. 14) c. 10. 47. 56. 62. 63. 65. 68. 78. 15) fol. 8. 16) fol. 9. 17) Epist. dedic. 18) fol. 9. 19) fol. 27.

pontificum[20] *nominavit, et hoc loco ante oculos habuit, quem apponere iuvat:* Quod autem de hoc excellentissimo et serenissimo confessore Christi et antitiste beato Servatio, aliisque duobus confessoribus, beato videlicet Monulpho atque Gundulfo, quae vidistis, quae audistis notavimus, de ceteris pauca aut fere nulla, ideo factum esse recognoscat caritas vestra, quia de quibusdam alias plura sunt scripta, de quibusdam preter quod magni meriti apud Deum esse credimus et novimus, nihil invenire potuimus. *Saepius denique librum miraculorum sancti Servatii laudavit*[21]. *Ex his igitur fabellis, quas undecumque corrasit, librum composuit, qui ob incredibilium multitudinem ipsis Actorum sanctorum editoribus fastidium moveret, ita ut vel hi Iocundum tanquam credulissimum inter omnes mortales castigarent. Verum est, ad credendum est facillimus, multaque miracula, quae fide carent minimique sunt momenti, copiosius quam optes enarravit. Neque minus criticum eius ingenium valde desideres in iis capitibus, ubi de rebus publicis verba fecit. Nam Karolum Martellum et Karolum Magnum falso inter se confudit, neque minus Heinricum primum et Ottones, et quae de Heinrico tertio narrat fabulam sapiunt*[22]*; haud raro vera falsaque mirum in modum ita sunt mixta, ut potius fabellas Milesias quam rerum historiam legere tibi videaris. Nihilo minus totum librum edere minime abs re esse videbatur. Nam non omni caret auctoritate alterum libri dimidium, in quo se Heinrici quarti imperatoris fautorem probat fidissimum. Vix enim apud alium rerum scriptorem infelicissimi imperatoris invenies laudes, quae tam ex imo fluxerunt pectore, quam illae quas plena manu fudit Iocundus*[23]. *Neque sunt contemnenda quae, etsi miraculis involuta, de viginti annis proximis ante annum* 1088 *memoriae prodidit.*

Ex posterioribus auctoribus Sigebertus[24], *quod sciam, et Aegidius Aureaevallis in interpolationibus libri Herigeri*[25] *Iocundum exscripserunt.*

Integrum librum nos primum luci damus, nam Bollandistae neque totum librum ediderunt, neque antiquissimos aut ab interpolationibus vacuos codices secuti sunt. In nostram notitiam venerunt codices septem, quos omnes conferre aut in nostrum usum vertere minime opus erat. Tria enim sunt horum codicum genera, quae haud parvo inter se distant momento.

A) *genus continet codicem unum qui textum exhibet et purum et integrum. Est hic codex antiquissimus Trevirensis LIX membr. s. XII inc. qui est inscriptus:* Codex sancti Eucharii sanctique Mathie apostoli Trever. quem si quis abstulerit anathema sit. Amen[26]. *Quem codicem nitide scriptum contulit et describendum curavit Waitzius. Folio* 6 *continet vitam sancti Servatii quae his incipit verbis:* Igitur cum hic amantissimus *etc. fol.* 40 de translatione gloriosi magni Servatii. *Unus hic est codex qui omnes* 78 *continet miraculorum capita. Quum enim auctor in fine capitis* 77 *Traiectensibus monachis valedixisset, paullo post iterum calamum sumsit, et sequens addidit caput quod incipit verbis:* Compellimur iterum nunc *etc. In hoc capite eadem scribendi ratio ita manifeste deprehenditur, ut nemini sane in mentem venire possit, ab alio quodam scriptore ultimum hoc caput esse adiectum.*

B) *genus duos continet codices in quibus desideratur ultimum caput. Sunt hi*

2) *cod. Sancti Sepulchri Cameracensis* 466 *saec. XII membr.*[27] *quem inspexit, ut reliquos omnes, Bethmannus.*

20) fol. 16; cf. fol. 9. 21) c. 1. 11. 16. 52. 22) c. 1 20. 33. 52. 23) c. 54. 55. 74. 24) Ad a. 399 25) c. 23 in gestis epp. Tungr. ed. Chapeaville I. 26) Archiv VII, 139. VIII, 599 27) Ibid. VIII, 431.

28 3) *Cod. Paris.* 5320 *membr. fol. saec. XIII*[28].

Duplicem itaque quasi textus recensionem in tribus his codicibus servari haud iniuste dicas; ex quibus posteriorem et pleniorem textum exhibet codex Trevirensis, priorem, sed ab ipso auctore minus absolutum, codices habent duo alteri.

C) *Genus tertium eos denique complectitur codices, qui textum habent et excerptum inque compendium redactum et interpolatum, et ab auctoribus posterioribus continuationibus auctum. In his codicibus genuini textus ordo ita est inversus, ut Iocundi librum vix agnoscas. Horum antiquissimus est*

4) *cod. Bruxell. membr. fol. saec. XIII*[29] *qui in Bollandistarum asservatur schedis. Etsi in fine libri Iocundi nomen legitur, tamen omnia sunt inversa et interpolata. Quod multo magis factum est*

5) *in cod. Bruxell.* 18087 *membr. fol. saec. XV*[30], *in quo legitur chronicon episcoporum Tungrensium et Traiectensium, ipsaque miraculorum historia usque ad finem saeculi decimi quinti est deducta. Ex hoc codice videntur fluxisse duo alii*

6) *cod. Bruxell.* 4488 *chart. saec. XVI et*

7) *cod. Bruxell.* 8404—9 *chart. fol. saec. XVI, qui eadem continet quae in codice* 5 *inveniuntur*[31].

Genuinus Iocundi textus nunc primum prelo submittitur. Pauca eius fragmenta dedit Henschen in exegesi historica de episcopatu Tungrensi et Traiectensi[32]. *Quae de Monulfo et Gundulfo scripsit auctor seorsim edidit Cuperus*[33]. *Textus interpolati fragmenta ampliora publici iuris idem fecit Henschen ex co-*
34 *dice, ut videtur, Bruxellensi* 18087[34].

Scribeb. Berolini mense Decemb. 1848.

R. KÖPKE.

Actus Servatii tenet hic exordia sancti,
Presulis eximii, meritorum flore politi;
Quod sit cognatus Domini probat iste libellus.
Qui meritis, moribus, nive virtutum redimitus,
Splenduit in terris, rutilans quasi lucifer ethris.
Celestis preco, pius in terris quoque predo,
Ut iubar emicuit, dum vitae tempora duxit,
Dum mundo tenebris residenti mortis et umbris
Astruit eternae fulgorem premia vitae;
Qui precibus noxis lectorem muniat atris.

Sanctae Traiectensis ecclesiae fratribus homo alienus, presbiter indignus nomine Iocundus, salutem corporis et animae in Christo Ihesu domino nostro.

Quamvis caritatem vestram, dilectissimi, non lateat, quam digne, quam magnifice sancta Dei ecclesia in Christo Ihesu fundata consistat, eiusque filiorum in honore quam decenter, quam gloriose mundo in universo nunc floreat, nunc gaudeat, sacrae tamen devotionis fratribus nec grave videtur nec onerosum vitam illorum diligentius intueri, attentius edoceri, quatenus in oculis omnium Deum timentium, omnium Deum querentium hec semper luceat, hec indesinenter maneat; quia, ut vera confiteamur et confidenter dicamus, debet christianus quilibet eorum iure memorari, eos iure venerari, quos celestibus condignos et probat et iudicat, non solum auctoritate maiorum, verum etiam solidae veritatis ratione. Hoc enim et gratum esse Deo et acceptum nulli fidelium constat ambiguum, nulli incertum, presertim cum inter cetera doctrinae suae saluberrima instituta ille predicator egregius, ille magister gentium precipuus, nostrae per omnia non inmemor salutis edicat, moneat, ut sit discretum, sit rationabile obsequium nostrum. Set cum rationis in dono

28) Archiv VII, 59. 29) Ibid. VIII, 548. 30) Ibid. VIII, 512. 31) Ibid. l. l. 32) II, 10. 11. 12; Act. SS. Mai. VII. 33) Act. SS. Iul. IV, 156. 161. 34) Ibid. Mai. III, 209.

dissimilis non existat superis homo, si ad eorum consortia, quorum nunc recolit beneficia — quod annuente Spiritus sancti clementia querat et diligat — omnis fidelis anima festinare desiderat, perpetuo interesse delectat, cuncta profecto quae agit, maxime in divinis, certa ratione, digna consideratione fieri necessarium est, utile, nec etiam iniustum. Huius itaque, fratres, ut arbitramur, gratia rei, modernorum nonnulli super Traiectensium patrono, illo electo, illo magnifico confessore Christi et antistite, venerabili Servatio, quia ignotus est et incognitus, utpote advena, ut peregrinus, patriam, nomen et genus sollertissime requirunt, et querendo nec inconvenienter, ut videtur, aiunt: *Quanam ratione hunc fidelem Domini beatae Mariae, matris Salvatoris nostri, ut multi etiam periti et religiosi asserunt viri, cognatum esse credamus, consanguineum esse dicamus, presertim cum Elizabeth, Iohannis baptistae mater, nec non Eliud eius frater, avus videlicet huius beati Servatii, ex tribu Levi surrexerint, et illa gloriosa celorum regina ex tribu Iuda processerit, nequaquam videmus nec videre valemus.* Digna quidem, karissimi, nec iniusta horum diligentia. Fatemur enim et fateri gaudemus, quia, sicut unguenta nisi commota latius redolere nesciunt, sicut aromata nisi incensa odorem suavitatis suae non expandunt, ita huius reverentissimi viri magnificentia virtutum, quo eius memoria apud cives sanctorum, apud domesticos Dei minus reticetur, eo magis apud gentes exteras et multiplicatur et augetur. Reticeri enim non decet, immo non debet, cum sit iuxta magnorum auctoritatem virorum eiusdem claritate generis maior omnium terrae nobilium, sit etiam, quemadmodum mira et magnifica, quae per eum et circa eum frequentius fiunt, testantur miracula, dignitate et sanctitate nullo etiam inferior celestium; tametsi non attendant, adtendere et contempnant, quibus nedum humana, ipsa etiam divina eloquia nec sana videntur nec vera. Ipse tamen quasi aura levi, quasi rore celi, illa intima Spiritus sancti aspersione perfusus, illa interna gratiae celestis dulcedine imbutus, sicut rosa in Ihericho, sicut cedrus in Libano, omnibus diebus seculi multiplicabitur in domo Domini gloria et honore, divinae hereditatis quoque benedictione. Divinae inquam hereditatis benedictione, karissimi, quia, quemadmodum vir ille magnus, vir ille gloriosus, qui ad tertium raptus est celum edocet, isti sunt profecto heredes Dei, coheredes autem Christi, qui fideles in ecclesia habentur et fideles haberi merentur. Ipse est revera pontifex prefatus, ut fiducialiter in Christo agamus, cui Dominus inter cetera magnificentiae suae dona benedicens inquit: *Benedicam tibi et multiplicabo te.* Et Isai. 51, 2
rursum: *Tu es sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech.* Gloria igitur eterni Psal. 109, 4.
sacerdotii donatus, dextera quoque Altissimi exaltatus, ab ecclesia iure honoratur, et ut dictum est, iure magnificatur. Viri itaque tam illustris pontificis, tam nobilis habere patrocinia quis non diligat, quis non requirat? Quis eum non veneratur, quis in eo non letatur? Sicut enim cervus desiderat ad fontes aquarum, ita anima mea ad eum, quoniam ipse est honor meus, gloria mea et desiderium animae meae. Hec autem tua opera, o magne Ihesu, o inclite Ihesu, qui levas de terra quod celi splendet in stella, universo mundo et mirabile et venerabile. Esset nimirum nec difficile ad suadendum nec indignum credendum, quod illi querunt, quod illi dicunt de prefata horum cognatione sanctorum, si filiam Aminadab, sororem Naason, quae fuit ex tribu Iuda non duxisset uxorem ille summus pontifex Aaron, ortus et ipse de tribu Levi. Esset etiam, immo et est, facile et videre et credere, cum iuxta scripta Geneseos eundem Iudam et Levi ex matre Lia, ex patre Iacob patriarcha, germanos fratres fuisse ab universa non ignoratur ecclesia. A primis sane diebus, licet aliae tribus filiorum Israel ab invicem disiunctae sint, hae tamen duae semper coherebant sibi, ut dominus Ihesus Christus, qui de stirpe eorum nasciturus erat, esset nobis ex Iuda dux magnus, bonus et rex, ex Levi sacerdos sanctus, summus et pontifex; quod, gratia agente superna, iam factum cernimus, veneramur et diligimus, utpote tanti regis, tanti pontificis morte a magnis, immo et aeternis aeternae mortis magnifice liberati[a] periculis.


Est et in litteris humanis, fratres, quod, si caritas adtendat vestra et fidem astruat, dubietatem quoque hanc removeat. Ante annos quippe aliquot, sed non multos, quidam Hierosolimitanus clericus nomine Alagrecus, homo ille iustus et religiosus, Latinae quoque haut ignarus linguae, ad sepulchrum huius excellentissimi confessoris Christi supra memorati, quibusdam vitae beatissimae cum famulis, Traiectum, Domino ducente, pervenit, et dies plurimos apud eum quievit. Comperto autem quia patronus ille peregrinus est, et de

a) liberari c.

Armenia, Armenia illa inquam, in cuius montibus arca Noe post diluvium remansisse agnoscitur, de qua et se ortum esse aiebat; cognito etiam quia nomen illi Servatius, quisnam sit vehementer mirari cepit. Sed post pusillum quasi de gravi evigilans somno, audacter prosiliit in medio, ipsum in translatione nominis, quem diu quesivit, quem semper optavit, procul dubio se invenisse, exclamavit. Nec amplius moratus, universum convocavit clerum ac populum, et unde vel quis quantusve sit pastor amabilis iste, evidentissimis ostendit inditiis. Generationem quoque eius in medio ponens: *Erant*, inquit, *illis in diebus Iudeorum in partibus iuxta legem sanctam mulieres sanctissimae, Anna videlicet et Esmeria, et hae etiam secundum carnem sorores. De Anna qui descenderint vel qui exorti fuerint, nemo est apud nos, si fidelis, si spiritualis — quae vero sunt Dei, homo non percipit animalis — qui nesciat, quoniam sit eius filia sacratissima virgo Maria. Huius et filius ille magnus, ille fortis et admirabilis angelorum dominus, pius redemptor Ihesus Christus. De Esmeria vero mater beati Iohannis baptistae Elizabeth et Eliud eius frater, cuius filio, scilicet Emui, beata Memelia hunc gloriosum*
35 *peperit Servatium*[35]. Haec dixit, haec sine mora coram omnibus scripsit, quod profecto apud monumentum eius usque in hodiernum diem repositum esse agnovimus. Profecti quippe fuerant ante hos dies quidam ex nobis beatae memoriae fratres, qui eadem scripta viderunt, legerunt et ad nostram transtulerunt noticiam; per omnia benedictus Deus, qui et nos longo terrarum spatio remotos tam pii pastoris, tam gloriosi presulis memoria et benedictione dignatus est illustrare.

Nec illud etiam silentio tegendum videtur, dilectissimi, quod his fere diebus factum esse audivimus, et ab ipsis qui interfuerunt probabilis vitae episcopis cognovimus. Esse namque apud vos aiunt civitatem quandam magni fluvii Rheni in litore sitam, dictam ab antiquis Magontiam. Ad hanc, quasi in medio regni vestri positam, omniumque rerum affluentia plenam, cunctarum pontifices ecclesiarum, principes regionum universarum convenire ille magnus, ille nobilis imperator Ainricus, et ille totius sapientiae, totius sanctitatis homo, beatissimus papa Leo quodam tempore iusserunt, ut quicquid in divinis et humanis institutis antecessorum neglegentia dilapsum esse videretur et deletum, eorum consilio reparatum, omniumque testimonio probatum maneat inviolabile per evum. Devotio quidem, fratres, bona et sancta. Ideoque illo iubente, per quem omnia bona fiunt, ad locum
1049. destinatum quasi vir unus omnes convenerunt, de propositis cura acturi vigilantissima[36]. Quadam autem die inter alia de memoranda beati Servatii genealogia questio orta est eorum in medio, quia uterque et apostolicus et imperator textum eiusdem generationis legerat, sed neuter fidem adhibebat. Ex voluntate vero Omnipotentis aderant tunc quidam Greci, omni sapientia pleni, ipsa etiam qua venerant legatione regia, viri dignissimi; missi
37 quippe fuerant ab imperatore Constantinopolitano[37]. Adducuntur; requisiti super hoc dilecto Domini Servatio, quod pater pie recordationis Alagrecus olim scripserat, idem et alia multa mira ac miranda absque mora referebant, et in magna constantia nec sine auctoritate magnorum confirmabant. Unde apostolica maiestas, unde regalis dignitas Deo altissimo et huic viro sanctissimo condignas agentes gratias, quanto certiores tanto in gloria eius devotiores, quo ibant, quo divertebant, eum magnificabant, eum honorificabant, utpote virum angelicum et totius imperii solatium. Et nisi eos maturius preveniret vitae praesentis exitus, omnis ecclesia et Romana celebraret hodie super mel et favum dulciorem, super ipsas paradisi delicias desiderabiliorem eius natalicii festivitatem. Hoc enim condixerant,
Mai. 13. hoc se Romae facturos promiserant[38]. Agitur autem haec sollempnitas 3. Idus Maias. Quod vero illa tanto cum gaudio, tanta cum devotione a populis etiam ignotis, adoptatur, desideratur, nec iniustum est nec indignum. Nam sicut hoc tempore mundus variis herbarum floribus aliisque novis vestitus decoratur, ita dum redeunt hec festa, ipsa

35 Itaque hoc est fabulosum illud stemma genealogicum sancti Servatii:



36) Vide de hoc concilio Adam. Bremens. III, 29.

37) Constantino X Monomacho, qui erat imperator annis 1042—1054. S. Henschen in exegesi hist. de episcopatu Tungrensi et Traiectensi II, 11 has miras nugas esse vult, et Byzantinorum legatos in Germaniam venisse negat.

38) Vide de hac festivitate minime indicta Henschenii exegesin historicam c. 11.

quae sunt in celo clarius lucere videntur sidera, ipsa si sunt in elementis mundo contraria, quod sepius iam vidimus, transeunt, in aliud mutantur, ipsa quoque civitas Traiectensium, in qua pater hic memorandus est reconditus, multiplicibus signorum virtutibus, uti nobis retulerunt qui hoc etiam presenti anno illic fuerunt, adornatur, illustratur, omnibus revera illum diligentibus, omnibus eum fide non ficta querentibus, perpetuam in consolationem et benedictionem. Hanc itaque gratiam, hanc misericordiam universum ut sentiat regnum, isti benigni pastores, isti pii rectores prefati optabant atque cupiebant, miro modo venerantes eum, toto corde diligentes eum, quia iuxta beati Gregorii pape aliorumque orthodoxorum sententiam, ille revera conscribitur civis virtutum in celis, per quem virtutes et miracula frequentius fiunt in terris. Hec profecto novimus, hec profecto notavimus. At ne fastidio simus nec oneri simplicioribus — gravat enim quandoque etiam benivolos cum excedit modum quod utile videtur et bonum — ad superiora redeamus. Illas igitur generationes Iudae et Levi, Aaron et Naason cum Genesis, Exodus, humana quoque coniungunt testimonia, nec separat angelus, ubi beatae Mariae inter alia: *Et ecce Elizabet*, inquit, *cognata tua*, eiusdem nimirum beatae et gloriosae semperque virginis Dei genitricis Mariae hunc venerandum, hunc desiderandum omnique honore dignissimum Servatium descendisse prosapia, nemo vestrum, nemo nostrum, nisi forte, quod Deus avertat, nec fides nec veritas sacris reperiatur in litteris, contradicere poterit aut negare. Eadem namque oriundus est Davitica ex vitę, immo eiusdem vitis, quemadmodum superius audistis, solida ex radice. Generositatem autem illorum et gloriam quis digne enarrare, quis digne annuntiare suffitiat, sufficere quis valeat, maxime cum universi eorum progenitores extiterint reges, summi sacerdotes atque pontifices? Utique nec ille, in terra si est, qui novit linguas angelorum hominumque universorum. Et tamen in hominibus est, sed ipsis de celestibus, qui tametsi laudare non sufficit, annuntiare tamen non deficit eorum nomina sanctorum in ecclesia, ille videlicet magnus et inclitus euangelista et apostolus sanctus Matheus Abraham patriarcham ponens primum, novissimum omnium ipsum dominum Ihesum Christum, redemptorem seculorum; hinc alius sed habundantius, beatus scilicet Lucas, in opere consimili plurimum desudans, sicut auditur, cum liber eius aperitur. Tantis ergo ex natalibus, tam gloriosis ex parentibus cum iste electus Domini Servatius surrexerit, nec minor nec impar illis nobilitate morum, excellentia meritorum, indigne, iniuste, ut estimamus, postponitur, iniuste neglegitur. Sublata igitur omni occasione non iusta et indigna — invidia enim nedum inferos, iam dudum perdidit superos — quorum consortia desideramus, quorum vitam adoptamus, omni cum devotione diligamus, ne forte sentiamus iudices, quos in celo postmodum possimus habere concives. Hec namque est via aeternam quaerentibus vitam; alioquin errant, qui hoc non observant. Nos vero aliena qui sumus de terra, idem bonum sentimus in hoc Dei famulo glorioso Servatio, idem bonum veneramur in eo, plenissime scientes et indice videntes, quia eius vita ad medium cum deducitur, magnus et incomparabilis iudicabitur.

Quia vero tanti viri memoriam agere cepimus, et benivolentia piorum semper et desideranter requirit vitam sanctorum, licet minus idonei, licet minus edocti simus tantum exsequi opus, eius tamen in benedictionem, omnium fidelium in consolationem, quae vidimus, quae audivimus, prout possumus et valemus, Domino auxiliante, vobis indicare desideramus.

1. Igitur cum hic amantissimus Domini Servatius *etc.*

EXCERPTA.

Huic et illud simile videtur, karissimi, quod apud nos in quodam monachorum cenobio fieri solet. Patre namque monasterii defuncto nec adhuc fratribus suis apposito, quotquot foris sunt et in cellulis monachi omnes conveniunt, luminaria nova nec dum accensa in manibus tollunt. Aperitur devotio, manifestatur oratio, nunc singularis, nunc communis. Itur ad Deum multis modis, praecipue autem in psalmis, plerumque et extensis in celum palmis. Cuius vero cereus accenditur celitus, ille procul dubio eligitur et abbas constituitur . . . . fol. 7

Novimus autem in eodem Traiectensi opido eodem et tempore ecclesiam fuisse constructam non admodum magnam, sed parvam nimisque decoram, habentem pulchrae visionis fol. 9'.

sata et montana ad meridiem, nec minores valles et prata, ut ego ipse oculis probavi meis, ad septentrionem, undique terram incolis omnibusque bonis refertam; et hec basilica sita erat in quadam altitudine, in via quae appellatur Regia. Hanc nimirum viam per universum mundum de regno in regnum iubente Augusto imperatore, nascente in terra Christo salvatore, factam esse audivimus, immo et hoc ipsum in Romana historia scriptum vidimus. Ab ortu autem solis habet illa ecclesia de magnis et nobilioribus terrae vestrae fluviis[a] fluvium Mosam, a latere versus austrum alium sed parvulum. Illa vero euntibus via de regno Francorum in Saxones aliasque in nationes hic transitus erat, unde et hec civitas iure Traiectum appellatur. Hac autem in civitate oratorium, de quo praefati sumus, quis primum fundaverit audiamus. Ad urbem namque trium virorum, quae vulgo Treveris nunc dicitur, misit olim princeps apostolorum Petrus tres mirae sanctitatis viros, beatum scilicet
39 Eucharium, Valerium et Maternum[39], quemadmodum in gestis eorum apertissime videtur, ut per equalis numeri ministros maiestas Trinitatis digne agnosceretur illic, et via veritatis. Ad gloriam ergo Omnipotentis hoc desiderio sollempniter adimpleto, et duobus e medio sublatis, beatus Maternus, qui erat tercius, successit in regimen eiusdem sanctae Treverensis ecclesiae, in qua alii desudaverant, et Domino iubente transit Coloniam, transit Octaviam, quae diebus istis nominatur Tungris[40]. Quibus vero in urbibus cum digne Christum fundasset, et super eum omnia quae sunt vitae, salutis et eternae digne firmasset, Traiectum divertit, omnes quos invenit convertit, et in loco ab incolis postea dicto aggere publico oratorium, de quo iam diximus, construxit, et in honore domini Salvatoris principisque apostolorum consecravit. In hoc beatus Servatius, qui post eum in regimen eiusdem sanctae Tungrensis ecclesiae episcopus successit decimus, etiam athleta Christi fortissimus tunc residebat . . . .

fol. 15'. Possident, quidam ut aiunt, his diebus Hierusalem, illam inquam Hierusalem, in qua crucifixus est ille unicus unicae virginis filius, qui quorundam lingua Perse, quorundam Turci appellantur . . . .

fol. 39'. Hec de synodo Coloniensi dicta sunt, alia praetermisimus, quoniam multa sunt nimis, ne forte oneri simus et bonis et benivolis auditoribus. Placet enim quod succincte narratur, si tamen non caret utilitate atque honestate, quod in hoc, karissimi, nequaquam invenitur opusculo. Ideoque si forte inciderit in manus vestras libellus iste, non quasi novi nova hic argumenta exigatis, non hic verba preciosa et aurea, non hic positiones gloriosas, quibus gratia Dei et vos habundare novimus, queratis, obsecramus, sed cum omni mansuetudine, omni cum bonitate, ut filii, ut fratres, suscipiatis, certissime scientes, hec idcirco esse edita, ut liquido agnoscatis, perfecte videatis, quibus ex parentibus surrexerit, quibus sub imperatoribus vixerit hic nobilis heros iam Traiectensium presul. Agunt enim contentiose super hoc electo Dei maxime qui sunt in terra vestra monachi et canonici[b], quasi ignotus sit celestibus, et non sit nec esse debeat apud homines in gloriam, benedictionis in gratiam, quod cottidie eum mille millenis virtutibus magnificat et glorificat Altissimus, sicut factum esse
41 iuxta Flandriam ante biennium[41] audivimus ab his qui viderunt boni testimonii viri. Erat enim ibi castellum magnum et altam, in quo tres iuvenes nimiae praesumptionis et elationis manebant, cum eis magna manus latronum. Euntibus vero Traiectum in festivitate beati Servatii obstabant, impugnabant, ablatisque omnibus quae habebant redire cogebant, nec longius hinc arrepti a diabolo, gravissima laborabant vesania. Videntes autem qui in regione illa erant parentes eorum timuerunt valde, et assumentes eos duxerunt Traiectum. Ex quo autem loco videbant opidum, nec movebantur nec moveri poterant; reversi cicius perierunt, unde timor eius crevit in universa provincia illa. Ille autem bonus Ihesus, qui est via, veritas et vita, aperuit viam et secure duxit, ducit adhuc et reducit, non solum ad propriam terram, verum ad eternae patriae gloriam omnes revera qui querunt et diligunt eum in veritate. Divina autem operatio, karissimi, ut beatae memoriae papa Gregorius nos edocet, si ratione humana comprehenditur, mirabilis non est, nec fides habet meritum, si
1 Cor 2,11. ratio praebet experimentum. Unde ait apostolus: *Nemo novit quae Dei sunt nisi spiritus*
Philipp 4,7. *Dei.* — *Exsuperat,* inquit rursum, *omnem sensum.* Quare melius convenit reticere quam de secretis celestibus impudenter agere.

a) fluuius c. b) conouici c.

39) Cf. vita Eucharii Valer. et Matern. 40) Cf. Heriger. gest. epp. Leod. c. 7. 41) i. e. anno 1086.

EIUSDEM DE TRANSLATIONE GLORIOSI MAGNI SERVATII.

Revertamur iterum nunc, dilectissimi, ad ipsum et angelicum et apostolicum virum gloriosum Servatium; et quia tempus est, ut aliquid vel breviter de eius veneranda translatione dicamus, adiuvet sacra oratio vestra postulamus. Adiuvari autem oportet de celo, quisquis operatur in Domino. In Deo quippe operatur, eius promissione nec privatur, qui proximo suo in edificationem, Altissimo eiusque dilectis in benedictionem, que novit bona et loquitur, nec loqui moratur nec dedignatur; quia, ut sacra testatur scriptura, utrumque pro maligno iudicatur a Domino. Hoc itaque ferventes animo, hoc accensi desiderio, super illo magno ac glorioso beatae Dei genitricis cognato quae in libro miraculorum eius vidimus, et quae aliis magnae auctoritatis viris narrantibus agnovimus, vobis ut servi, immo servi et devotissimi, annuntiamus, quoniam valde indignum est, ut lingua fidelium taceat, et nec[a] etas temporum deleat que post eius transitum Deus operatus est et cotidie operatur mirabilia in terris.

1. Iacebat autem idem electus Dei in monumento Traiectensium in opido tempore non modico. Placuit vero Altissimo illum levari de terra tempore oportuno nec sine gloria magna. Eius itaque ineffabili misericordia disponente, eius admirabili bonitate agente, Sarraceni quod semper habebant in animo, opere adimplere cupiebant; unde cum exercitu innumerabili regnum Francorum[b] invaserunt illudque vi optinere querebant. Illis nimirum diebus magnus imperator Karolus Deo propicio[c] monarchiam regni tenebat, et digne illud in Christo regebat[42], vir tocius prudentiae, vir mirae virtutis et gloriae. Super innimicis 42 ecclesiae, super adversariis fidei catholicae fama dilapsa est ad eum, rumor ad eius pervenit palatium. Grave accepit ille; congregatis tamen quos potuit habere, illis occurrere disposuit. Videns autem exercitum eorum fortem nimis et validum, vehementer doluit, quia non habebat tempus castra suorum congregandi. Ruit tamen in eos nunc hinc nunc illinc, rugiens quasi leo cum circuit et quem devoret querit. Hortatur milites, iubet convenire principes, custodit angusta viarum, defendit transitus aquarum ne pateat iter in patriam et perdant Christi ecclesiam. Et tamen quod voluit nequaquam obtinere valuit; erat enim vis maior in adversariis.

2. Interea venit exercitus ex omni parte regni collectus, fortis et innumerabilis. Respiciens in eos[d] imperator consolatus est non minimum, eademque hora prosiliens in illos Christi adversarios, contrivit milia eorum. Perstitit, insequitur, ante noctem vix ad castra suorum regreditur. Timens autem illorum insidias ponit custodias, et ipse universum circuit exercitum, confortans iuniores, adhortans seniores, ut sint semper parati, ne ex improviso subrepant inimici, et ipsi quasi imbelles pereant atque ignobiles. Circa auroram vero assunt pagani, nec desunt christiani; illi armis freti, isti misericordia Dei. Fit bellum continuo gravissimum. At pius imperator nec labore victus nec ipsa morte vincendus, utpote Dei adleta fortissimus, ex utroque latere magnum apposuit exercitum; in facie adversariorum ipse cum paucis, a tergo tria milia electorum, ut sit undique quasi murus fortis et inexpugnabilis.

3. Divina vero agente clementia tamquam fumus solis in radio omnis illa adversariorum multitudo deleta est in momento. Pauci ex eis sed fortissimi remanserant in castris. Quibus ut innotuit res gesta, relictis omnibus, a cede suorum revertentibus occurrunt, magis volentes mori quam impudice vivere. Occurrunt, et subito nusquam comparuerunt; percussi enim gladio christianorum ruunt in terram, pedibusque in pulverem atteruntur equorum. Milites vero imperatoris invadunt castra, quae inveniunt diripiunt, bona autem ecclesiarum reddunt, cetera inter[e] se dividunt.

4. Hoc facto cum principe suo glorioso Karolo vadunt Parisius, ipsum, in cuius manu sunt omnia iura regnorum, in cuius misericordia est salus et victoria, benedicentes et glorificantes in muneribus dignis atque orationibus, nec minus et sanctos, quos terra nostra

a) *superscr. c.* b) froneorum *corr.* corum *c.* c) propicius *corr.* propicio *c.* d) *superscr. c.* e) in *corr.* inter *c.*

42) In sancti Servatii miraculis ex Iocundo excerptis in Actis sanct. Mai. T. III, 217, non Karolus Magnus sed Karolus Martellus Sarracenorum victor appellatur, quod ad veritatem propius accedit. De hoc enim esse cogitandum et sancti Huberti Leodiensis probat mentio, qui annis sedebat 708–727; cf. Anselmi gesta epp. Leodiens. c. 16, et quae leguntur apud Fredegarium c. 108 de Sarracenis a Karolo Martello in fugam versis.

gloriatur se habere patronos, in medio omnium hunc virum magnum, hunc pontificem egregium, venerabilem Servatium, quia ea die, qua festivitas eius agitur ab ecclesia, facta est ruina illa paganorum. Et hec magna victoria salusque christianorum, nostri Salvatoris gratia miro modo disponente omnia, qui, ut credimus, idcirco nostram tunc permisit Sarracenos intrare terram, quatenus iste gloriosus pontifex, quem usque in diem illum non multum novimus, gloria virtutis tantae nobis innotesceret.

5. Innotuit quidem et claruit in universo regno nostro. Quapropter imperatori magno placuit eiusque principibus cunctis hunc beatum virum prae ceteris sanctis, quos terra nostra edidit, fovet et colit, glorificare et exaltare. Communi protinus consilio mittitur ad eum magnae vitae episcopus nomine Vulvegisus. Venit ille Traiectum cum multis oblationibus, et ad verbum imperatoris munera preciosa patrono illi donavit. Post haec ipsam regiam, in qua reconditus erat, novis muris et tectis — erat enim[a] nimia ex vetustate dilapsa — sicut decebat reparavit. Super ipsum beatissimum pontificem novum erexit thronum, auro et gemmis adornans eum preciosissimis, in tantum ut in oculis intrantium quasi solis speculum videretur lucidum. Cetera necessaria summo reedificavit studio; iusserat enim bonus imperator, ne quando cessaret, donec ad unguem omnia perduceret.

6. In hac igitur devotione beato viro laboranti sollertissime quadam nocte et media, cum neque ex toto evigilaret neque dormiret, astitit vir quidam canitie venerandus, statura procerus, et hunc electum Domini de terra iussit levari, dicens valde esse indecens et indignum, abscondi sub modio quod celum terramque illustrat mire sanctitatis radio. Episcopus vero evigilans et quod viderat diligenter examinans, mane facto beato Huberto, qui eo tempore huius sanctae Traiectensis ecclesiae regimen tenebat, indicabat. Ille vero a Domino querendum esse iudicavit; itaque per totum episcopatum fieri iussit ieiunium triduanum. Statuta die, id est ieiunii ultima, sicut iussum fuerat, universus provinciae populus venit Traiectum, omnes simul beati Servatii ad monumentum. In altari, quod erat ad caput eius in honorem domini Salvatoris principisque apostolorum, ponitur liber euangeliorum, universi qui aderant genua ponunt in terra. Ab oratione ergo cum se levarent apertoque volumine inspicerent, hunc
Matth. 16, 19. repperiunt versum: *Quodcumque ligaveris super terram* et cetera. Venit in admirationem quod vident in lectione, et quamvis verba dominica semper afferant consolationem, semper habeant benedictionem, magno tamen afficiuntur dolore et timore; ideoque aliam differunt in septimanam. Qua expleta, vadunt
Matth 14, 31. iterum consulere Dominum. Quo annuente, illum inveniunt versiculum: *Modice fidei quare dubitasti.* Continuo gratias agentes Deo suoque benignissimo patrono propius astant, psalmos frequentant, ad sacrum autem locum quociens accedunt, tristes recedunt. Stabat enim iuxta aram, cuius presentiam ferre non poterant, videntes timuerunt valde, eumque alio in loco esse reconditum putabant. Erat in dubio quid agant. Verum ne forte propter astantium peccata hec veniant mala, differunt in noctem; erat enim iam vespera. Populus dimittitur ab ecclesia, et que venerat beati Servatii familia, canonici vero remanent, circa altaria resident, immolant Deo sacrificium laudis corde bono[b] et optimo, si forte adtendat qui in celestibus regnat. Attendit vere; sed quod latet ostendere voluit, quia iam tempus aderat, quod id fieri conveniebat.

7. Pontifex vero, cui haec cura commissa est a Deo, iterum commonitus ab eo, assumpto secum eiusdem civitatis antistite, prefato beato videlicet Huberto paucisque de senioribus, criptam, que respiciebat ad orientem, positam quasi extra basilicam, intravit, orationibus instabat. Noverat per visionem angelicamque demonstrationem subtus oratorium quoddam secretarium in terra haberi a tempore beati Munulfi, qui illam construxerat ecclesiam, nulli cognitum, nulli pervium[43]. In hoc revera, quem diligebat, quem querebat, esse repositum putabat. Noctis vero circa medium fodi precepit murum contra occidentem positum, super quem imminebat tocius sanctuarii machina. Cum ergo aperuissent illud, locus apparuit omni suavitate redolens, omnique ornatu quasi celum stellis refulgens. Intrabant pontifices paucique sacerdotes, et ecce, quasi sedilia in circuitu, in quibus omnis thesaurus Tungrensis ecclesiae omnisque ornatus eius, in excelsiori gradu reliquiae sanctorum, omnium in medio de marmore preciosissimo sarcofagus, in quo quia ipse nobilis presul, ipse maximus heros sit reconditus omnes estimabant[c]. Sed pius antistes beatus Monulphus hoc de loco in superiorem, ut audistis, transtulerat eum, ubi thronum miri artifitii erexerat; quod ille fidelis nuntius regis tunc ad unguem reparaverat. Inventis autem his omnibus et sine lesione — quod nunquam factum est in huiusmodi tanto tempore in terra depositis — gavisi sunt valde. Hinc accedentes ad loculum quo claudebatur, lapidem tulerunt, respicientesque in eum, nichil invenerunt. Quid igitur fratres? Omnes extra se, omnes in terra, nullus in pede, nullus in voce. Transiit hora, transiit et alia. Ubi autem spiritus illos erexit in pedibus[d], levabant vocem et flebant, donec lacrimae deficerent in eis, quia furtim eum sublatum esse timebant. Vultu in terram dimisso stabant universi, et quid eligant ignorant. Ablatis demum quae invenerunt, clauserunt sarcofagum, clauserunt secretarium sicut prius muro, ponentes ante ostium altare, ut signum sit omnium que modo geruntur et certissimum.

8. Universis vero digne compositis, exierunt, portantes in manibus et in humeris omnem gloriam

a) *superscr. c.* b) *superscr. c.* c) estimemabant *corr.* estimamabant *c.* d) impedibus *c.*

43) Cfr. Herigeri gesta epp. Leodiensium. c. 28.

ecclesiarum Tungrensium, insuper et mille sanctorum corpora, thesaurum quidem magnum et incomparabilem. Adest in occursu eorum devotissima turba canonicorum, omnes simul oratorium conscendunt, ante altare ponunt quod afferunt. Nondum enim in ecclesia mos iste adoleverat, ut in altari vel reliquie sanctorum vel aliquid poneretur, quia mensa est Domini exercituum, unde et apostolici viri ante sacrificium vix accedunt. Beatus vero Gregorius papa apostolorum principis in basilica Romae quotiens missam celebraturus erat, ante altare, ut aiunt, tabulam erexit, Christum christo porrexit, iudicans se indignum propius accedere ad eum. Quia vero iuxta vocem Domini se humiliavit mirabiliter, meruit ab eo sublimiter exaltari. Nam die quadam dum offerret sacramenta, inter secreta quidam ex astantibus videbant, quod ex ore eius quasi columpna nubis ascendit in aures regis summi. Placuit itaque, ut credimus, Altissimo hec declarare populo, ne quis accedat, accedere neque presumat, nisi divini et ecclesiastici viri et quibus secundum canonicam conceditur doctrinam. Nunc vero omnis cura altaris homicidis, pro dolor! pro nefas! committitur et iniustis. Ipsi autem qui dicuntur, immo et sunt christi Domini, quia in Christo uncti, omnino repelluntur penitusque abiciuntur. Propter quod qui indigne accedunt, revera traduntur reprobam in mortem, ipsaque sancta sanctorum in conculcationem et desolationem. Ipsi vero principes sanctuarii, quorum avaricia fit hoc anathema in ecclesia, perpetua involvuntur miseria et contumelia.

9. Ubi vero replicant que attulerant, scilicet vestes et alia huiusmodi, nec maculam nec lesionem aliquam nec etiam fetorem cognoscunt in eis, ex toto corde gratias agunt Deo, qui in rebus etiam minimis ostendit gloriam virtutis suae. Sine strepitu noctem peragunt; in ieiuniis et orationibus diei quoque sequentis tempus ut ducant statuunt. Proxima nocte indicant fratribus quod factum est. Placuit illis et hoc quod est in oratorio superiori visitare monumentum; accedunt in spalmis, accedunt in veniis[a], sicut oportet bonos, sicut decet et[b] sanctos. Quid ergo? Piis votis, piis precibus annuit continuo pius Deus, nam circa gallicantum intrant sancta sanctorum. Et ecce, quasi manu hominis aperitur sepulchrum, tanta suavitate ac dulcedine redolens et estuans, acsi omnia genera herbarum in manibus florerant singulorum. Stant omnes expansis manibus in celum, subnixis vocibus precantes Deum, ut qui prestitit affectum, opus hoc perducat prosperum ad effectum. Astant propius, apponunt manus. Quia vero sine intermissione laborabant in oratione, qui numquam deest per maiestatis potentiam nec aliquando deficit per misericordiam, voluntatem eorum protinus adimplevit. Iacet namque in oculis, iacet in manibus omnium hoc nobile, hoc venerabile corpus, quasi astantibus congaudeat, quasi astantium votis annuat ceptis et faveat; iacet inquam, ut dictum est, adhuc involutum pannis lineis et sericis, que iussit haberi cum loqueretur apostolus ei Rome Petrus.

10. Amotis magna cum reverentia illis, de pectore eius levant crucem auream, desub capite auri purissimi quoddam quasi monile, in quo dominicae crucis erat de ligno, a[c] dextris virgam pastoralem, a sinistris miri artificii tamquam clavem, de qua dictum est superius, argenteam, ex utroque latere capsas electri lucidissimi perplurimas; preter quod indutus erat, ad pedes eius pontificale, quo uti solebat in sollempnitatibus, vestimentum. Hinc tollunt et quoddam sericum, in die depositionis eius, astantibus mille fidelibus Christi, angelicis manibus allatum et super eum diligentissime locatum. A facie eius cum tollunt sudarium, quasi a sole irradiatum resplenduit sanctuarium totum. At sacrae materia carnis nec in putredinem nec in pulverem — quod utique suum est immo et proprium — sed quasi in favum mellis resoluta iacebat; quod quidem narrabant qui postea videbant propriisque manibus tractabant. Videbatur tamen his qui astabant nichil in eo lesum, nichil corruptum; omnia quae inventa sunt, ac si hesterna die fuerint posita, apparuerunt splendida et pulchra. Dum ergo ad haec intenderent et se ad invicem respicerent, aiebant: *In tanta gloria, in tanta diligentia quis umquam, fratres karissimi, positus est in terra? Videtur hic sane, agnoscitur plane, quoniam dum vixit iste amantissimus Domini, omnium in te, Ihesu bone, credentium erat ille desiderium, spes, salus et gaudium.* Post hec diligentius intuentes, et que tollant membra primitus querentes attentius, ut ferrum candens, ut prunae ardentes apparuit quicquid erat interius. Iterum dolor, iterum labor, corruunt in terram, arescunt ut in clibano herba; piget incepisse, piget accessisse. Post multas vero lacrimas oculos levant ad celos, si forte veniret auxilium a Deo. Mox unus arrepto psalterio et aperto, hunc repperit versum: *Exurge quare* Ps 43, 23.
obdormis Domine et cetera. Illi continuo ad se reversi, surgunt de terra, et respicientes ad membra pii pastoris, benignissimi salvatoris sui, stabant perfusi faciem nimio lacrimarum imbre, et splendor statim cessavit. Videntes autem, quia iam iamque misericordia Dei operatur in eis, accedunt confidenter, et sicut desiderant, sacras reliquias levant atque in loculo intus deargentato, foris deaurato, magna cum veneratione collocant. Dum ergo hec faciunt, sicut cinamomum et balsamum aromatizans dedit ille suavitatem odoris; quo percepto et infirmi curantur, et qui ingrediuntur manifesta gloria Domini saciuntur. Quamdiu in hoc sacro desudabant studio, circumdedit templum exterius splendor tantus, ut omnes qui in atrio erant hospites et peregrini, ipsi quoque cives, timerent illud incendio perire continuo et deleri. Videbant plane et mirabantur valde, quia non transit sicut fulgur, quod putabant, sed mansit magis ac magis crescens et ad celum usque conscendens. Fit timor magnus et clamor. Perterriti vero et conturbati omnes discurrunt huc atque illuc. Illi querebant aquam, ut extinguant, quidam ferebant scalas, ut tecta conscendant incendiumque hoc grave arceant et repellant, nequaquam attendentes, quia virtute maiestatis suae hunc circa locum operatur ille magnus et excelsus, qui olim Moysi, qui olim apostolis in igne apparuit illis omnibus, in benedictionem nobis et in perpetuam

a) ieiuniis *corr.* veniis c b) *superscr.* c. c) Ad c

consolationem. O magna, o mira salvatoris Dei benignitas, qui etiam arida ossa suorum sine honore, sine gloria non patitur esse in oculis filiorum hominum! Manifeste videtur, fratres, cum hec et huiusmodi opera Dei eveniunt in terra, quia nec angeli de celo pleniter exprimere possunt, quanta sit gloria degentium cum Christo in celestibus.

11. Expletis vero omnibus et cum honore digno, fidelis nuntius imperatoris beatae memoriae Vulvegisus episcopus, quid de clave, quid de pallio inter cetera quae inventa sunt sentiant et dicant, sollicite requirit. Hanc in testimonium visionis a Petro apostolo datam, illud ab angelis dum condiretur allatum beatus Hubertus aiebat, super hoc et fidelium scribta ostendebat. Ille renuit nec fidem adhibere voluit. Ad hec Traiectensium antistes: *Nec mirum est*, inquit, *frater*, *si sensum nostrum divina transcendunt*, *quia precipuus prophetarum David inter alia magnificentiae eius miranda et stupenda ait:* Psal 17, 11. *„Et ascendit super cherubin et volavit.“ Si ergo illi qui interpretantur scientia Dei, attingere ad eum non valent, illi quomodo ad eum, pace inquam tua, carissime, qui vix inter repetilia terrae, quae numquam levant se de terra, computari merentur? Celestia ergo querunt frustra, qui celestia nec esse suspicantur. Habet inter alias infirmitates suas hoc etiam proprium mens humana, ut quod non vult, ipse quoque angelus de celo si ore ad os annuntiet, si manu ad manum demonstret, nec adtendat nec credat.* Sapient 1,4. *Ideo nec indigne scriptum est de talibus: „In malivolam animam non introibit sapientia, nec in corde subdito peccatis habitat Spiritus sanctus,“ cuius gratia perveniente, cuius misericordia annuente, omnis fidelis anima fatetur et confidenter testatur etiam de lapidibus suscitare filios Abrahae Omnipotenti impossibile non esse.* Adquievit his dictis mens prudentissima pontificis.

12. Oritur interea dies gratissima, et ecce, universi cives et peregrini irruunt cum oblationibus in sanctuarium, atque ut extra basilicam, quia tantae multitudini non sufficiebat, eum portarent in atrium, omnes precantur. Defertur sicut dominus, sicut pater, cum magna reverentia. Quo vero animo, quo honore ille excipiatur a populo, non dicam hominum, sed nec angelorum quisquam exprimere valet. Pre gaudio enim fletu omnis oculus repletur, nulla maxilla caret lacrima, nulla manus muneribus, atteritur terra genibus, resonat celum gemitibus, in gloria tanti patris lingua omnis laxatur. Inter hec assunt principes sanctuarii stolam sanctam induti, et hoc suave atque amantissimum onus suis imponentes humeris, ducunt[a] per civitatem in hymnis et canticis iubilationis, quemadmodum servos oportet Christi fidelissimos, locum sanctificantes universum et populum. Regressi vero non sine gaudio magno, super thronum miro modo preparatum iam secundo quasi solem super solem ponunt, ipsi dilecto Domini in gloriam et honorem ceterisque fidelibus in benedictionem et consolationem.

13. Huius igitur translationis memoriam singulis annis in leticia esse agendam placuit omnibus, maxime autem pontificibus, quia multarum virtutum insignibus mirabiliter illustraverat eam Dominus. Iun 7. Facta sunt autem hec, dilectissimi, 7. Idus mensis Iunii, regnante domino nostro Ihesu Christo, cuius regnum in omnes generationes seculorum amen. His feliciter adimpletis, venit ad imperatorem Vulvegisus episcopus, exponens in oculis eius que viderat, magnifici confessoris Christi et antistitis beati Servatii opera mira et gloriosa. Ille ut audivit, gavisus est valde, et confestim alios misit nuntios, qui dilectum Domini multo maioribus honorarent muneribus.

14. Dilapso itaque tempore non minimo, adest veneranda nativitas Ihesu salvatoris nostri, quam idem bonus imperator Aureliae in magna agebat, sicut oportet, gloria. Quadam vero die inter alia ecclesiarum negotia cum tractarent de virtutibus sanctorum, qui sunt in regno Francorum, incidit in medio beati Servatii memoria. Placet omnibus super eius virtutibus et nova referre et nova audire, ipsi pre ceteris magno principi Karolo imperatori. Deinde secretarium ille, ut est consuetudo maiorum, intravit, cum paucis consilium habuit universo tamen profuturum regno. Sine magno enim consilio, sine providentia magna, nedum regna quatuor aut eo plura, quae in manu eius erant, nec domus pauperum stare valet diutius. Gigantes vero ceteris hominibus altitudine, fortitudine maiores atque nobiliores, quia non habebant prudentiam, perierunt propter suam insipientiam. Unde unigenitus Dei iure apellatur magni consilii angelus, quia sine ratione consilii magni et boni nil agit in celo, nichil in terra neque in abysso; eius ad exemplum regere debent qui rectores dicuntur. Hoc pius attendens Karolus, mori pro patria, mori pro ecclesia non timuit; ideo terram circuit universam, et quos Deo repugnare invenit impugnabat, et quos Christo subdere non potuit verbo, subdidit ferro.

15. Venit inter haec Traiectum, amantissimum Domini Servatium multis muneribus magnificavit et honoribus. Ut autem basilicam vidit intus et foris suis resplendere ex donis, nimio repletus est gaudio. Mansit ibi, et quia non longe deerat paschalis festivitas, ibidem 44 placuit eam celebrare[44]. Adest illa, adest imperator, cum eo omnis nobilitas Francorum. Accurrit Equitania et Hispania, ex vobis Saxonia et omnis Germania. alia regna et magna

a) ducuntque *corr.* ducant *c.*

44) Karolum magnum anno 770 pascham apud Sanctum Lambertum in vico Leodico revera celebrasse legimus; cf. Böhmer regest. Carolor. p. 7.

atque multa; illum profecto principem omnis fere terra et timebat et amabat. Licet enim eius gratia illuc omnes convenerint, huius tamen beatissimi Servatii deliciis magis querebant refici quam imperatoris divitiis, quia fama virtutum eius universam repleverat terram; quod pietas quidem divina ostendere nec longius distulit. Ipsius etenim noctis sacratissimae in vigiliis dum lectiones recitantur ad matutinas, presente cum omni exercitu suo benigno imperatore Karolo, duae mulieres ante altare sanantur, altera gipposa, altera contracta, et in hospitali alia paralitica. Pro his cum gratias referrent Domino, adducitur quidam demonio plenus vinctus catenis duabus, dentibus frendens, labia mordens, clamans mirabiliter et ululans. Timent omnes qui vident, amplius autem nobiliores exercitus cum ipso rege suo. Beato vero Servatio interveniente, liberatus est hora eadem, et solutus a vinculis, mitior agno omnium continuo apparuit in oculis. Propter hec enim et huiusmodi beneficia Dei infirmis semper erat monasterium plenum. Aliis diebus duo aut tres sanantur, et quandoque sex; illa vero die quotquot erant sanitati donantur, ut impleatur illud libri Sapientiae: *Magnificavit eum in conspectu regum, et dedit illi benedictionem omnium gentium.* Eccli 44,23 Omnes enim qui aderant hac in operatione Deum benedicebant, ipsumque beatum Servatium omni laude, omni honore dignissimum et canebant et dicebant. Hinc conversi ad se, talia conferebant ad invicem:

Hec est dies profecto illa,
Qua vita salvatur, mors calcatur,
Clauditur infernus, aperitur paradisus;
Redit ad gloriam qui exul erat a patria
Redditur coelo, quod constat perisse Deo.

Hic etiam electus Domini, quo interpellante letantur nunc celi, quia vere vivit in Christo, vere regnat cum Christo, ostendunt magnalia que videmus hodie. Hic nimirum angelorum consors, apostolorum socius, prophetarum concivis et martyrum, hodie triumphat mille milibus virtutum insignibus et multo maioribus quam in terra nostra audierimus. Istis revera principibus, quorum in oculis ut sol et luna resplendet, hodie datur manifeste intelligi, datur aperte videri, quia certissime sedet ille princeps cum principibus, et solium gloriae tenet in celestibus. Istius principis princeps, vere magnus, bonus et potens, cuius milites numquam privantur dignitate, dignitatis nec honore nec aliquo bono minuuntur in secula seculorum. Huiusmodi ob causas multi ex nobilioribus renuntiabant omnibus quae possidebant, et in ministerio divino ibidem amplius manebant.

16. Videns autem pater monasterii gloriam patroni sui mirabiliter augeri et multiplicari, attulit ad imperatorem librum miraculorum eius. Quem cum ille aperuisset, et quae facta sunt a primis diebus vidisset, gavisus est vehementer. Vix erat locus pre turba peregrinorumque confluentia die illa divinum peragere ministerium. Nec minor salus aliis facta est diebus. In omni ergo benedictione illa sacrosancta sollempnitate peracta, ad alia regni negotia tranctanda alium se contulit in locum princeps magnus imperator Karolus, omnium que vidit testis fidelissimus, multisque affirmans modis, quia in diis magnis non est illi similis, et non est secundum opera eius etiam in universa terra.

17. Quamdiu ergo ille vixit in pace et regnum eius conturbatum non est — in novissimis enim illius multa evenerant mala — singulos per annos munera ei transmisit plurima, et super omnes sanctos, qui etiam in terra nostra, amavit illum et vehementer nomen atque gloriam eius ubique dilatavit. At quia humanae creaturae longius stare concessum non est, nec divinae presentiae boni et electi viri permittuntur diutius abesse, presertim cum mundus totus in maligno sit positus, hic gloriosus imperator hominem exuit, et Domino vocante in requiem eternamque beatitudinem transivit. Nec inmerito. Nam neque ante eum neque post eum maior in Christo surrexit imperator, sicut hodie videtur in ecclesiis sanctorum, in edificiis regnorum, universa in terra; sepultusque est Aquisgrani in basilica gloriosae et perpetuae virginis Mariae, sicut oportet fidelem omnium ecclesiarum rectorem, in gloria et honore illius ad laudem atque benedictionem, qui solus rex potens, rex magnus vivit et regnat in secula seculorum[a].

18. Post cuius obitum undique emerserunt in regnum viri iniqui, viri pestilentes, illudque conturbabant vehementer. Unde et gentem Danorum, fortium scilicet virorum, intrasse

a) ea corum *cod.*

881 Lothariam contigit, eamque vastando usque quaque divertisse Traiectum. Audierant enim
45 templum illic haberi auro, argento cunctisque mundi opibus plenum[45]. Populus vero civitatis ut agnovit, confractus est corde, et quia non habebant consilium — respiciebant enim magis tunc ad hominum quam ad patroni sui subsidium, qui semper illis erat scutum inexpugnabile — collectis que habebant fugerunt. At illi intrabant urbem desolatam nimis, et preter claudos et infirmos non invenerunt quemquam; irruunt continuo in eos et occiderunt. Ad templum vero, quod paulo ante toto venerandum erat in regno, cum accederent, quasi fulmine percussi, cicius reiecti sunt. Alia parte aderant, nec aditus illic patebat; machinas parabant, quibus tecta conscendant, ascendunt, ignem afferunt, ponunt in tegulis, sed nichil operatur ignis; ocius namque verbo extinguitur ex toto.

19. Videntes autem nec eo modo impleri quod volunt, alios qui erant in terra vocant in auxilium. Convolant in tecta, ferentes in manibus linum, stipulam aliaque ignis fomenta. Sed Dominus non immemor miserationum suarum que a seculo sunt, retorqueri in eos permisit incendium, pluresque eorum, quia peccatores, flamma combussit. Multi quoque, quasi clavis infixi, manibus et pedibus pendebant in tegulis; opus quidem Dei magnum et admirabile! Cetera vero pars exercitus vota vovent dilecto Dei Servatio, ut salvos recipiant quos virtus eius ligavit in tegulis; eadem vero hora sani descendunt omnes. Porro cives, qui fugerant diversisque in locis latitabant, videntes que facta sunt, surrexerunt, et congregato etiam ex Reno innumerabili exercitu, Mosam transierunt, intrantesque urbem, irruerunt in hostes, et percussis gladio milibus eorum, alios eiecerunt de civitate, persequentes eos usque in fines Lothariae. Nec defuit ibi manus Domini; nam fulmine invasit eos, ita ut ne unus quidem remaneret ex eis. Per omnia benedictus Deus, qui de hac peste terram etiam nunc liberavit vestram! Regressi nec longius post hec cives, intrabant templum videre si quid tulissent adversarii: et videntes omnia salva, non hominis sed virtute sui potentissimi patroni, gavisi sunt valde in Christo Ihesu domino nostro, qui ei tantam concessit gloriam. Ipsi autem perpetuo dolebant, perpetuo merebant, quia in adventu Danorum ab eo fugerant, sine quo nusquam salvari poterant.

20. Erat in Saxonia dux quidam illis diebus nomine Heinricus, et sicut testantur qui vitam eius noverant, inter alios principes terrae generis, personae et scientiae prestantis-
46 simus dignitate. Hic Lothario[46] regi Francorum in die natalis Regis seculorum sacrae
921 Agrippinae Coloniae — huc eum audierat esse venturum — voluit occurrere, ut se invicem, quod ex multo uterque desideraverat, uterque concupierat, viderent et salutarent ac federe sempiterno, utpote consanguinei, se coniungerent. Adveniente vero sacra sollempnitate, venit rex in civitatem, et cum eo omnis nobilitas regni atque potestas. Nec latuit ducem; venit et ille, sed ne minor rege, in omni gloria et in manu forti ac valida intravit. Suscipitur a rege, honoratur a rege, quemadmodum maior Romani imperii et nobilior. Ille vero agebat cum rege sicut fidelis amicus et bonus et cognatus; timebat tamen utriusque principis exercitus, ne forte in dolo convenerint. Sed frustra; in conventu enim iustorum numquam deesse creditur dominus angelorum. Erat quippe illis cor unum et anima una; ideo nec quicquam mali in eis nec quicquam perversi in eis. In veritate autem et caritate ut ostendant se convenisse, donant ad invicem munera digna se et preciosa. Sed dux maiora et miranda; erat enim ditior et opibus atque militibus. Et quamvis tantus, humiliavit tamen se coram eo quasi unus ex minoribus. Sensit hoc exercitus regis et letatus est vehementer.

21. Summi ergo imperatoris sollempnitate ut in tanta civitate et in tanta sanctorum multitudine adimpleta decentissime, idem dux bonus abiit cum rege usque ad fluvium qui
47 vulgo Asna dicitur[47], ferens gladium eius, et Oddo filius ipsius maior natu, tocius generis post pusillum decus et gloria futurus, clipeum. Ibi uterque princeps consedit trium dierum per circulum; dormiebant simul, comedebant simul. Illis tamen ignorantibus, agitur quod Roma dicior et Francia erit deinceps humilior. Tercia namque die, qua discessuri erant, consilio

45) Nordmannos saevissimis expeditionibus anno 881 Godefrido duce Traiectum quoque castrum cremasse testantur Ann. Fuldenses et Regino. 46) Immo Karolo Simplici. Nam quae hic leguntur ex rumore vulgari petita, sine dubio sunt referenda ad foedus, quod ipsi fecerunt reges Karolus et Heinricus in Rheno fluvio apud Bonnam diebus 4 et 7. Nov 921, de quo vide Waitz Iahrbücher des deutsch. Reichs I, 1. p. 51. 47) i. e. Esna, Axona, *Aisne*, apud quem fluvium contra Karolum regem castra metatus est Robertus comes anno 922 teste Flodoardo ad h. a. De colloquio regum in illa regione apud rerum scriptores nihil legitur.

suorum dedit rex nepoti suo eiusque filio in beneficium quod est a Colonia usque ad fluvium 925. illum[48]. Post hec discedebant cum pace et fide non ficta, ut cognati, ut[a] amici et fratres in Christo devotissimi, uterque habundantissimis perfusus lacrimis. Rex vero abiit in terram suam, gaudens et exultans, quia sibi subdiderat, qui maior erat princeps in universo Romano imperio. Ille autem per terram regressus iam suam, venit Traiectum, ibique residens convocavit omnes maiores eiusdem provinciae, et sibi eos regali ex iussione sacramentoque militari coniunxit. Gaudebant omnes, quia non iam militare incipiunt sed regnare, Romano cum asscribuntur imperio.

22. Traiectensium vero civitas eo tempore tanta erat in gloria, ut in partibus vestris nullum principis edictum haberetur ratum, nulla iura terrae legitima, nisi ibi inventa, ibi probata et examinata[b]. Erat enim illo in loco antiquitus hoc statutum, modo vero amplius propter excellentiam meritorum illius incomparabilis viri beatissimi Servatii. Ipse est namque, cuius de sinu exorti sunt, cuius sub ubere alti sunt martires omnes et confessores, qui sunt in universis urbibus et castellis et oppidis fere totius Lothariae. Sed quia longum est fortassis et tediosum de singulis agere, pauca de multis accipiat caritas vestra. Habet enim Deonantum beatum Perpetuum confessorem magnum, Arduenna duos, sanctum Remaclum atque Hubertum, Hoium Iohannem et Domitianum, Legia martirem magnum sanctum Lambertum eiusque antecessorem beatum Theodardum, alius quoque locus[49] sanctum 49 Amandum, alius[50] beatum Evergisum, alia alios. Horum et tempore beatus Trudo nobilis tiro et beata Gerthrudis virgo venerabilis et alii plures Christi coheredes. Quanto[c] igitur dignus est honore, a quo tales procedunt flores? Iure ergo Dei eiusque sacratissimae legis beatus Servatius pater appellatur, ipsius et ecclesia mater dicitur, quia ex his, sicut audistis, orta est vinea Domini Sabaoth, super quam et eius benedictio, regnantis quoque in celo, sicut ros Harmon, qui descendit in montem Syon.

23. Hac itaque ex causa in urbe memorata cum omni exercitu suo principibus terrae consedit dux bonus, nobilis Heinricus, legem dans plebi, in omnibus gloriam Deo caeli. Statuit vocari Lothariam, quam acceperat a rege provinciam, imitatus illum qui Tiberiadem civitatem construxit in honore Tyberii cesaris, pro eo quod tempore illo hic Romano prefuit imperio. Hoc quoque modo Agrippina civitas a quodam principe dicto[d] Agrippa, et Aquisgrani a quodam principe qui Granus dicebatur; sic fere omnes civitates et regiones que sunt in universo orbe terrarum.

24. Huiusmodi in studiis cum evigilaret dux ille, dux magni honoris et probitatis, auditum est, quia Franci eiecissent regem Lotharium de terra sua, eo quod dedisset principi 922 alieno[51], quod est melius in universo regno suo. Surrexit ille continuo et abiit ad regem, ducens secum innumerabilem exercitum[52]. Videntes adversarii regis, quia non poterant 52 resistere eis, cedebant, illumque quasi cum pace reducebant. Amoto vero duce eiusque exercitu, iterum iniecerunt manus in regem, et posuerunt eum in carcerem; ibi periit omni 923. miseria et vinculis, in scandalum et obprobrium sempiternum Francorum populis. Illo 929 mortuo, alium constituerunt regem[53], sed de genere alieno. Audivit dux, et sprevit illum, et factus est inimicus eius persecutorque gravissimus, ita ut amplius rex ille Lothariam intrare non auderet, nec quisquam eius ex principibus in illis finibus remaneret. Et satis iuste, quia occiderant dominum eius et consanguineum eius. Huius rei gratia ipsa cum duce Lotharia principem magnum, qui diebus illis Romano prefuit imperio, adduxit et cum eo fedus iniit, ne deinceps subderentur Francis sed Romanis; et sic factum est usque in diem hodiernum[54]. 54

25. Videns autem dux Henricus, divine religionis amicus, beati Servatii, cui se commendaverat, ex quo terram illam intravit, meritis et precibus omnia sibi prospere evenire quae desideravit, super omnes[e] antecessores suos magnificavit et exaltavit eum, promit-

a) et *corr.* ut *c.* b) exanimata *c.* c) Qanto *c.* d) dicta *corr.* dicto *c.* e) *superscr. c.*

48) De Lotharingia cum Germano imperio iterum coniuncta ab Heinrico rege vid. Widukind. I, 33. et Flodoardum ad a. 925. 49) Elno monasterium. 50) Trutmonia; hos omnes esse episcopos Traiectenses et Leodienses constat; de quibus vide Herigeri et Anselmi gesta epp. Leodiens. Monum. Germ. SS. VII. 51) Roberto comiti. 52) Hoc et ab aliis posterioris temporis rerum scriptoribus falso esse traditum observat Waitz l. l. pag. 57 53) Rudolfum; quod iam factum est anno 923. 54) Vera et falsa hoc loco miro modo mixta esse nemo non videt; praeter Heinricum imperatorem Germaniae nescio quem sibi finxerit Iocundus, ut etiam infra cap. 27.

tens et universorum que habuit in Saxonia illum se facturum et dominum et heredem. Quapropter accessit ad patrem monasterii, sibique de eius sacratissimo corpore[a] aliquid dari summo flagitavit studio. Sed cum hoc ei minime concederetur, ne voti reus efficeretur, in benedictione magnaque gratiarum actione eius stolam et pastoralem virgam accepit, atque in patriam remeavit et sicut promisit fecit. Condidit namque in quodam monte altissimo super fluvium Bodo[55] basilicam dignam et gloriosam, posuitque in ea regulam feminarum, quas in terra repperit illa et maiores genere et nobiliores fide[56], ut hinc in Christo, inde in seculo solida constaret et perpetua. De suo quoque predio dedit 1500 mansos, dedit et omne quod dignum est, proficuum atque necessarium Deo ad honorem, beato quoque Servatio ad laudem et benedictionem in secula seculorum.

26. Huic itaque studio, huiusque studii diligentiae cum omnino animum impenderet, nec aliquando amoveret, addidit manum gratia celestis et omnia quae fecit benedixit. Quia vero ei in universo non sit similis regno, aiunt etiam Romani, ideoque omnium votis optatur, eligitur in regnum et in[b] imperium.

27. Contigit inter hec Romanum imperatorem ex hoc seculo transire. Transiit ille, et iste Deo favente in solium erigitur imperiale. Regnat itaque omnibus in consolationem, maxime autem pauperibus Christi, et ne quasi novus huius dignitatis conscenderit gradus, licet scriptum sit: ***Honores mutant mores***, eundem retinuit habitum, eundem nec mutavit animum, iustus quidem per omnia, bonus et clementissimus. Pro his ergo et aliis beneficiis cum placeret Altissimo, premia digna rependere dispensatori suo fidelissimo, aderat dies 936. vocationis supernae, et magno cum gaudio ex hoc transivit seculo. Sepelitur autem in basi- Iul. 2. lica quam beato Servatio edificaverat, sicut oportet, in magna gloria. Eadem die optulit pro eo regina etiam 1500 mansos de suo predio, et deposito diademate facta est una ex 968. ancillis Christi, quae ibidem erant deputatae in ministerio divino. Defuncta apposita est Mart. 14. regi in eadem basilica[57], et omnis posteritas cum eis[58], excepto Oddone filio primogenito eorum.

28. Ut autem vestri principes artius retinerent Lotharicas res, universum convenit regnum, et eundem Oddonem, quia nemo prestantior illo, nemo illustrior, statura, fortitudine et sapientia[c], constituerunt regem[59]. Surrexit ille quasi leo de cubili suo, induit loricam sicut gigas. Circuivit terram et munivit eam, precipue vero Lothariam. Deinde iter egit Romam. Cives illi ei resistere volebant, at ille in momento devicit eos, intravit, et eis 962. nolentibus factus est imperator, quem gradum dignitatis ante eum acceperat nullus ex Theotonicis[60]. Reconciliatus tandem placuit Romanis supra omnes qui a principio fuerunt reges; erat enim iustus, in sermone verax, humilis, affabilis et omni bonitate refertus. Accessit ad eum mater sua, dum adhuc viveret, deprecans, ut beatum Servatium, cuius in gloria tantam edificaverat basilicam, cui tanta donaverat bona pater eius beate memoriae Heinricus, iuberet transferri in Saxoniam, quatenus et sui presentia sanctificaret populum et patriam, quam ipse dilexerat supra universam terram. Conceditur a rege; fama pervenit Traiectum, universum commovit populum[d]. Tandem quia grave est regiae maiestati contraire, concedunt. Qui vero tantum patronum alias in partes terrarum deferant, magna cum diligentia, summo cum studio querunt. Vadunt clerici, vadunt laici cum eis provinciales, ipsi quoque principes, cetera multitudo plebis copiosa et innumerabilis, alii propter amorem, alii propter honorem, prout celestis gratia voluit et disposuit. In medio eorum, tentorio desuper extento, defertur ille nobilis heros, in auro et gemmis resplendens, sicut sol in virtute sua refulgens. Itur ei obviam ad Renum ab universa Saxonia in himnis et psalmis[e] canticisque spiritualibus. Ea[f] vero die qua montem conscendunt et sua in basilica eum afferunt, ille pius Ihesus Christus, quem nusquam deesse per potentiam maiestatis novimus, quem ubique regnare credimus, mille signorum virtutibus honorificavit eum atque magnificavit. Placet indigenis, quod vident, quod audiunt; suadent advenis, ne reducant nec reducere querant eum amplius in patriam. Precantur et sine intermissione precantur. Die

a) copore c. b) *superscr. c.* c) sapientior *corr.* sapientia c. d) *quaedam erasa c.* e) spalmis *corr.* psalmis c. f) Eadem *corr.* Ea c.

55) Bode. 56) Summae ingenuitatis tiruneulas Mathildam collegisse legimus etiam in annalibus Quedlinburg. 937; vide etiam vitam poster. Mathildis c. 8. 57) Cf. vitam Mathildis c. 10. 27. 28. 58) Falso; Otto secundus Romae, Otto tertius Aquisgrani sepultus est. 59) Et haec verba in memoriam revocant vitam Mathildis c. 9. 60) Ipse retulit in capite praecedente Heinricum I. fuisse imperatorem.

clamant et nocte non cessant, promittunt dona, largiuntur bona. Ostendunt magnificentiam gloriae eius in auro, in argento, in sericis vestibus, in omni ornatu ecclesiastico, foris in iocunditate spectaculi, in habundantia rerum multarum et divitiarum supra quam credi potest variarum, ita ut sit[a] undique quasi paradisus, intus quasi celestium thronus[b]. *Respicite,* inquiunt, *et videte quia hic videtur, hic habetur, que mens humana semper reficiatur, ipsaque fidelis anima in Deo semper pascatur. Ecce locus a plebe longius remotus, et beneplacitum est Deo habitare in eo;* respicientesque in celum: *Beati,* aiunt, *qui habitant in hac domo tua, Domine, in secula.* Hec loquendo et talia prosequendo, de Italia redit imperator Oddo, qui gratia patris mirabiliter locum illum ditavit[61], ipsumque sanctissimum Servatium donis in- 61
numerabilibus usque ad celum exaltavit; suasit et illum utcumque retineri. Inter hec annus alius et alius revolvitur. Adest tercius, et Traiectensium ex civibus viri clarissimi, in tanto spatio super patrono suo, super amantissimo domino suo quid factum sit, diligentissime requirunt.

29. Cognita Saxonum astutia, comperta et principum industria, quia nec longius deerat patris venerandi[c] sollempnitas, pacem et gaudium simulant, ipsumque ut incole vultu serenissimo, habitu mutato — quia venerant in peregrino — et corde letissimo expectant. Adest dies illa, dies leticiae, dies gaudii et exultationis. Ad locum illum omnis populus terrae, aliqui propter benedictionem, aliqui propter admirationem. Splendet enim templum omnibus preciosis, resonat sine intermissione tota nocte et tota die divini frequentia officii. Voluit namque Altissimus quicquid est gloriae, quicquid honoris in terra illa et in remotiori, illic videri, illic delectari, precipue et ea die, quia tantae exultationis dies monte in illo in eternum non videbitur. Stant Traiectenses, et hec videntes, ut inhabitet gloria in terra nostra supplici corde precantur te, Domine. Et protinus ille magni consilii angelus tetigit corda eorum, et consolatus est inestimabili gaudio omnes. Altera enim nocte post festivitatem cum adhuc hesternis gaudiis, hesternis laboribus custodes ecclesiae quasi sepulti iacerent a vino fatigati, nec facile esset huiusmodi evigilare, illi ferventes Spiritu sancto, eiusque gratia preeunte, constanter intrant sanctuarium, dominumque suum omni cum diligentia tollunt, et abscisis funibus de campanis ianuisque ecclesie clausis, earum ablatis et clavibus, equis illum imponunt et festinanter discedunt. Ubi autem perveniunt ad fluvium qui vulgo Wesera vocatur, magna cum securitate transeunt, et in alia parte manent tribus ferme diebus sine timore, reficientes se — erant enim fatigati nimis — quibuscumque poterant consolationibus. Custodes vero ecclesiae, dum hec aguntur, nec sentiunt, nec intelligunt; sopor enim Domini irruerat in eos. Circa auroram expergefacti, cicius surgunt, ad campanas convolant, ut signo dato intrent basilicam, qui matutinas celebrare debeant. Sed cum funes non inveniunt, ad ianuas ruunt, hinc ad altare: extinctis vero lucernis, ibi omnia latent. Accedunt, querunt quid sit actum, omnino videre non possunt; nondum enim sol ascenderat, ut quae sunt in occultis ex integro pateant. Concurrunt, ab invicem querunt, huius rei eventum universi mirantur. Clara autem die redeunt ad portas, et invenientes eas clausas, prosiliunt in turres, deinde in sanctuarium. Abesse cum respiciunt quod sero erat in altario, tamquam in excessu mentis facti sunt omnes, iacent in terra sine sensu, sine spiritu. Accepta autem fortitudine mentis et corporis in Deo, ut surgant de hoc loco, plaudunt manibus, sacras edes replent clamoribus. Auditur vox eorum longius de monte, longius de templo. Attendit quae erat in dormitorio sacra feminarum congregatio, ruit ad aditum, per quod sibi erat introitus, nichil reperit, ad fenestras ruit, respicit, preter luctum et gemitum nil accipit, stupet, heret, et tandem deficit. Inter hec hora et hora transit, et alia imminebat[d] iam fere sexta, et ille post multam miseriam, post multas lacrimas[e] levantes se de terra, queruntur, quod dies illa sicut nox sine divino officio, sine sacrosancto mysterio hoc in templo, hac in domo — quod a principio nec semel factum est — preteribit, sibi quoque in iudicium et supplicium eternum. Hoc secum aiebant, ignorantes adhuc quod actum est interius. Custodes vero perseverant clamando, lugendo. Assunt et pro foribus perplures de ministris, de militibus, qui omni nocte in armis custodiunt civitatem. Cum autem qui in templo erant non cessant, sed amplius clamant, irruunt in sacras ianuas

a) *post add. c.* b) trhonus *c.* c) *add. sed del.* veneranda *c.* d) minebat *c.* e) miserias *corr.* lacrimas *c.*

61) Quod probant Ottonis praecepta apud Böhmerum 85. 123. 134. 206. 216. 247, quibus praedia Quedlinburgensi monasterio donavit.

et deiciunt eas in securi et ascia quasi lignorum in silva, et ecce clamor, luctus et dolor tantaque desolatio, quanta nec erat a principio nec erit in perpetuum. Tamquam apes circumvolant sacras edes intus et foris, quod quidem gravissimum auxit omnibus dolorem, respicientesque ad chorum sacrarum feminarum — cui eo tempore non erat chorus nec etiam virorum similis in universo orbe terrarum — *Currite*, inquiunt, *currite, filiae Syon, et videte si est dolor sicut dolor noster. Translata enim hodie, translata est omnis gloria nostra, salus et vita nostra. Quid ergo faciemus? Quando quidem venit pacifice, venit et honorifice terram visitare nostram; cur mala pro bonis ei rependere voluistis? Quid fecit? Post quem enim intravit ad nos, ipse qui descendit de celo ros, quod terra negavit antea, contulit omnium habundantiam frugum et rerum. Non erat gladius, nec in aliquo contrarius solis radius. Nullum postea elementum nobis generavit impedimentum. Omnia congrua, omnia prospera. Quapropter oporteret, si redire placeret, ne sine magno honore abiret. Si autem manere nequaquam displiceret, quod ab ipso principe celorum, ut aiunt, interdictum est, communi consilio agendum esset et in Deo. Sed nichil horum audivimus, unde indignatio vestra neque digna neque iusta.* Ille autem dilecte Deo filiolae amplius flebant, amplius lugebant, nolentes recipere consolationem. Omnis decor vultus earum immutatus est, vestes deposuere sollempnes, cooperto capite omnes ad altare imbre lacrimarum perfundentes illud habundantissimo. Clauditur interea dies, dies calamitatis et miseriae, dies turbinis et doloris; corda vero earum nec clauduntur, nec malis levioribus aperiuntur, quia tota nocte illa in vigiliis laborabant et lacrimis.

30. Postera die ex omni parte circumiacentis provintiae, ex familia ecclesiae, ex cognatis ipsius nobilissimae congregationis exercitus venit copiosus, qui omnes arma sumentes, illos qui gloriosum confessorem Christi beatum Servatium deferunt, uno animo et totis viribus persequuntur. Nec multo post ad fluvium supra memoratum perveniunt, elevatisque oculis vident alio in littore Traiectenses letantes et quasi festa celebrantes. Grave hoc accipiunt Saxones. Dispersi querunt naves, querunt vada, sed iudex celestis apposuit manum, et cum dies esset clarissima, et hora diei iam septima, fluvium tanta perfudit nebula, ut ne unus quidem videret quo pergeret, ad laudem et gloriam sui dilectissimi Servatii, quem a primis diebus multiplicibus signorum virtutibus semper ornaverat, semper exaltaverat. Hec summa cum diligentia notantes, et hoc nec sine magna consideratione Saxones, quia non est fortitudo, non est sapientia, non est consilium contra Dominum, qua veniunt redeunt via festinanter, dicentes omnibus et ipsis precipue sacrae Syon filiabus, quia Dominus est cum eis et pugnat pro eis, sicut olim pro populo suo in manu Moysi et Aaron. Gratias continuo omnes agunt Deo, quia cum pace redeunt domum.

31. Traiectenses vero patroni sui meritis et precibus confidentes, nec minas adversariorum metuentes, cum electo domino suo levant se et ad patriam magno cum gaudio vadunt, utpote quibus tanta precessit columpna, magnus videlicet atque gloriosus Servatius. Ubi vero auditur Traiecti adventus domini sui, quia ad civitatis suae portum iam pervenit, innumerabilis multitudo virorum ac mulierum, quae illa die convenerat celebrare translationis eius memoriam, olim a venerabili patre Munulfo, deinde a beato Huberto institutam, magna cum devotione occurrit ei, clamantium et dicentium: *Benedictus qui venit in nomine Domini*[a]. (Math 21,9) Hanc vocem cives audientes, quia priores in occursu eius sunt peregrini et hospites, dolebant usque ad mortem. Temptabant sepius exire domum; sed non profuit. Cum ergo iter habere in terra non possent propter multitudinem undique confluentium, convolant in tecta, si forte vel inde videant, quem tanto tempore videre non poterant. Etas gravior paret in foribus, infirmior parentum in manibus. In choro, in foro omnia sunt plena Deo. Quasi cervus exilit claudus, mutus loquitur, stat sanus ydropicus, demone plenus cum aliis exultat in Deo, surdus auditum, cecus recipit visum. Et quia cum eo Deus venit in castra, de celo ostendunt astra, lucent enim clarius quasi mediis noctibus. Omnium mox oculi cum manibus in celum, omnium voluntas pronior in Deum. Maiori animo nec Solima in Christo quatriduani post resurrectionem mortui, nec Roma in Petro post elisionem Symonis magi gaudebat, quam in patrono vestro civitas vestra. Et iuste, quia pastor ille clementissimus quasi mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est. Et quia longius ire pre turba non poterant, ecclesie ad hostium ipse ordo sacerdotum cum levitis ac ceteris

a) dñe c

suscipit eum ut patrem, ut dominum, in himnis et laudibus, in precibus maxime et in fletibus. Vix enim vox auditur pro strepitu, audiri nec permittitur, quia desiderium animae devicit gaudia linguae.

32. Ingrediente autem illo templum sanctum suum, luminaria, quae erant in parietibus, in coronis aureis et argenteis, in manibus quoque astantium, eadem hora accenduntur omnia, ipsius gratia Altissimi sola ministrante et donante lenissimi incendii flammas. Ascendunt protinus in altum ex his qui cum eo venerant probabilis vitae presbiteri et levitae, illaque beneficia divina multa et mira, quae per eum facta sunt in Saxoniam eundo, ibi manendo, inde et redeundo, viva voce omnibus indicabant. In laudem eius omne continuo genu flectitur, in gloriam eius omnis lingua aperitur, ipsa vero civitas exterius, ipsa quoque basilica interius himnis celestibus repletur et benedictionibus. Quia vero iam tercio in hac festivitate, quae est 7. Idus Iunii mensis, facta est salus et gaudium et magnum in Iun. 7.
civitate vestra, placuit omnibus qui aderant, ut eadem dies sit celebris, sit memorialis in omnes generationes seculorum

33. Audite, karissimi, et hoc quod circa idem fere tempus, Domino cooperante, factum audivimus haut procul a vobis, in ripa fluvii Mosellae iuxta Confluentiam castellum. Designant enim illud hoc vocabulo, ut aiunt, eo quod ibi confluat idem fluvius, scilicet Mosella, et Renum. Habet hinc nec longius isdem venerabilis Servatius quasdam possessiones vinearum, agrorum et familiarum. Post obitum vero Ottonis imperatoris, filii illius Ottonis, 983.
qui in Calabria pugnavit cum Grecis, regnum vestrum nimis confusum est et conturbatum. Non enim habebat heredem[62], quia iuvenis moriebatur. At priusquam alius constitueretur qui ei succederet in regnum, principes vestri omnia illicita sibi licere putantes, aliena et maxime eclesiarum sanctorum diripiebant bona. Unde quidam ex his qui circa Renum habitant, potens valde et dives, easdem possessiones beati Servatii invasit, sumenda consumpsit, et quos invenit colonos eiecit, ablatisque omnibus clausisque omnium habitaculis, abiit parvi pendens magni regis celorum potestatem, nec non et viri gloriosi dignitatem et sanctitatem. Traiectum venit qui hoc factum nuntiavit. Tristantur universi, precipue ministri sanctuarii, quia a principio non est auditum aliquem manum impune misisse in hunc electum Domini preter hodie. Sed quia non est in homine qui prestet consilium, prestet et auxilium, ad illum magni consilii angelum tota mente, toto corde itur velocius. More suo protinus annuit votis eorum pius celorum dominus, et suscitavit spiritum iunioris in medio illorum, cuius consilio atque prudentia que agenda sunt digne et convenienter disponuntur universa. Parant feretrum, ad idem predium eum deferunt canonici et laici, omnesque maiores civitatis atque regionis. Ubi perveniunt ad portam manumque ponunt ad postes, omnium quae clausae erant ianuae domorum ultro reserantur, ultro aperiuntur. Ingrediuntur securi ipsumque benedicunt dominum celi, qui et in hac necessitate exaudire dedignatus non est preces clamantium ad se. Novit adversarius, quia venit beatus Servatius. Indigne accepit, et qui eum eicerent misit. At ille rex magnus, rex nobilis, qui Pharaonem, Herodem, regem quoque Assyriorum posuerat in exemplum cunctis filiis superbiae, extendit manum suam in illum superbum divitem, in illum elatissimum principem, et percussit eum plaga insanabili et gravissima, percussum intravit satanas, et non tantum illum, sed et omnes, qui sanctum Domini spoliaverant, et in mensa qua consederant, in epulis habundantissimis suffocabat eos. Alii videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor enim apprehendit eos, ibi dolores ut parturientis, quia in spiritu vehementer contrivit eos dominus Deus noster.

34. Nec multo post ipsa mater familias cum liberis et omnibus quae habebat multis modis cepit periclitari, infirmari, ad mortem usque deficere. Et quia expers non erat consilii, facta est consors et iudicii, ideoque sicut ceteri morte periit gravissima. Fit repente timor et clamor magnus in universa regione illa, et de hoc quod factum est narrabant omnes gentes, in laudem et gloriam illius etiam potentissimi principis, qui custodit diligentes se et omnes peccatores disperdit.

35. Audiens hoc Confluentia iam prefata, sicut erat vicinior loco, ita et esse desiderabat pio benedictionis dono. Cucurrit illuc velocius, et supplicavit obnixius, ut patris tanti presentia illustrari mereretur et sanctificari. Conceditur, atque cum magno honore illo deducitur. Ubi autem ventum est inter castellum et montem, qui est ad meridiem, hii qui[a] eum portabant in terra ponebant, cives vero suos in circuitu addebant patronos. Ipsi undique, sed longius ab eis, per universi latitudinem campi sternebant se cum innumera multitudine plebis, etiam ex Reno confluentis regionibusque ex longinquis. Interea locus ille locus orationis efficitur, ager ille ager benedictionis. In manibus namque astantium, in oculis circumquaque iacentium arca pontificis magni, pontificis videlicet Traiectensis, quasi manu hominis de terra se levavit et ad montem[b] illum meridianum tercio se inclinavit, magnum quidem et hoc divinae circa eum bonitatis et dilectionis indicium. Omnes qui videbant vehementer gaudebant.

a) *post add. c.* b) *rec. manu in margine scriptum:* Nota hic attente hic mons est sancti beati prope Confluentiam, ubi Carthusienses habitant, ut dicitur, et reliquie huius gloriosi Servatii ibi habentur copiose.

62) Vix est quod auctoris errorem notem.

Erat autem monte in eodem, ut multi eorum aiebant, omni fere nocte visio angelorum[a] de celo atque visitatio, unde nec indignum fuit ab invicem gloriari, ab invicem honorari, quorum conversatio simul est in celo et in Deo. Ab illo ergo die circa montem eundem facta est veneratio magna, populi frequentia cotidie premaxima

36. Beato vero Servatio, quem Dominus diverso in loco, tempore et in omni non cessat magnificare[b], non cessat exaltare, multa et preciosa offerebant munera, agros scilicet, vineas, pecuniam, familiam quoque plurimam. Deinde levantes eum cum magno gaudio, introduxerunt castellum; mansit apud illos septimana et alia in omni honore et gloria. Traiectenses vero videntes, quia undique cessant mala, undique multiplicantur bona, ad sedem suam reduxerunt athletam Domini fortissimum in hymnis et confessionibus, laudantes et benedicentes eum, salvatorem quoque omnium seculorum dominum Ihesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto quem condidit miro modo disponit et custodit.

37. Eadem, karissimi, in possessione factum est, nec longius post hec, quod digne narretur in omnes generationes seculorum. Autumpni namque diebus, cum uvae tendunt ad maturitatem, ex incolis villae ipsius iuniores vestri magni et gloriosi patroni venerabilis Servatii frequenter intrabant vineam, et incidendo atque diripiendo vehementer eam vastabant. Erat autem inter alias hec sola absque muro, absque munitionibus et absque custode, utpote terra longius remota et in manu nullius diligentiae virorum commissa, idcirco audacter intrabant quicumque volebant, et in id quod erat melius manum extendere timebat nullus. Nec ibi presentiam deesse suam ostendit, qui regnat omnipotens aula in celesti. Nocte etenim quadam cum eandem vineam non minus 20 intrarent pueri, et magis solito devastarent vastando et distraherent, factum est subito, ut ne unus quidem a loco in quo stetit moveretur usque in crastinum. Venit dies, ivit ad ecclesiam pauper et dives, quia in illa erat celebratio magna in populo. Congregatis omnibus provectis utriusque sexus, ne desint pueri iussum est et parvuli. Nuncii redeunt, quosdam adducunt. De aliis cum queritur, nil certi invenitur. Surgunt patres, surgunt et fratres, vadunt per domos, per plateas, quae observant limina interrogant feminas. Diu vero quesitis et non inventis, alii redeunt ad ecclesiam, alii vadunt in vineam. Occurrit puer; quo tendant querit. Cognita itineris causa: *Ecce*, inquit, *pueri vestri in vinea beati Servatii ad stipitem quasi funibus ligati.*

38. Auditur in ecclesia, currunt omnes in vineam. Agnito quisque filio suo, ruit in eum, et apprehensa manu eius traxit, donec sudore deficeret et labore. Herent illi, quasi terrae radicitus infixi, habent tamen in manibus aliqui botrum, aliqui cultrum. Sicut intrabant, ita stabant, sed inflexibiles, sed immobiles. Requisiti super hoc negotio, ex nimio dicunt esse otio, et incipientes secundum ordinem exponebant omnem visionem et dicebant: *Hesterno meridie sedebamus in bivio, occurrit animo solis post occubitum hunc intrare loculum, quia semper erat sine auctore atque custode. Statuto tempore, vobis dormientibus, quos cernitis omnes huc intravimus in hunc modum: quisquis sibi elegit locum, alius extraxit cultrum, alius apprehendit botrum. Et ecce, senior quidam sole splendidior, luna clarior affuit, et terribilibus oculis nos intuens ait: „Quid ad vos, pueri, nostram vastare vineam? Cur intrastis? Cur nos calcatis? Quid vobis fecimus? Agitis nobiscum, sicut placet, sicut desiderat anima vestra, sed hoc iniuste. En manus nostra in vos, et vere in vos, nisi iuniores, nisi infirmiores; quare et modo parcimus vobis. Ut autem agnoscant parentes vestri, et qui in Reno sunt et qui in Mosella, omnesque longius remoti, quod vestra presumptio meruerit, nostra quoque potentia quid valuerit, stabitis sicut intrastis usque in crastinum, sed sine periculo vite[c] et sine iudicio animae vestre, in testimonium tamen omnium que videtis nunc et illis et omnibus gentibus.“ His dictis pertransiit. Nos vero, filii vestri, patres dilectissimi, sicut iussit, prestolamur hic eius misericordiam vestrique presentiam, hoc de loco nec postea moti nec amplius movendi, nisi forte vestris precibus placatus hanc donaverit noxam.* Vix ista finierant, et in maxillis eorum tamquam flumina decurrunt lacrimae. Ut addant fari nullus valuit, rumpunt enim verba singula suspiria gravissima. Quid igitur? Planxerunt omnes in tantum etiam, ut quidam eorum deficerent in lacrimis, quia timebant, ne forte in lapidem mutati quemadmodum uxor Loth aut aliquod in portentum, maneant ibi perpetuum sibi in scandalum et obprobrium. Erant enim in medio eorum verba et sine ratione perplurima, ut in vulgo, ut in plebe.

39. At cum his nullus finis imponeretur et nox iam iamque immineret, pueri quoque stando, lacrimando mirabiliter laborarent, surrexit quidam maior natu et sensu et ait ad reliquos: *Surgite, fratres, surgite, et eum, cuius indignatione factum est hoc verbum, donis, precibus et votis flectite, ne pereamus simul nos et pueri nostri. Respicite et videte quanta fecit nostris principibus, pro eo quod penitere nolebant, nec reddere que iniuste tulerant; traditi sunt enim[d] satanae in interitum carnis, et utinam carnis! quia tales, ut aiunt sacerdotes nostri, conterere solet duplici contricione dominus Deus noster. Sine custode, sine auctore magno et forti possessiones eius haberi credidistis? Ipse est revera custos, patronus et auctor, sicut sepius audistis et hodie videtis, omnium que sunt iuris eius, fortissimus, invictus atque incomparabilis.* Ad hec verba omnes illi parentes surrexerunt, et quemadmodum docti erant, fecerunt. Sine mora solvuntur pueri et eadem hora. Accepta continuo quilibet manu comparis[e] sui, vadunt Traiectum beatissimi Servatii ad sepulcrum, reddentes cum magna devotione que voverant in magna
Matth. 10,26. afflictione. Quia vero scriptum est: *Nichil opertum quod non sciatur*, quod factum est in terra illa notum fit omnibus qui sunt Traiecti et longe lateque terrarum in partibus. Gaudent noti, letantur et ignoti, quia Dominus, non immemor verborum suorum, semper consolatur corda fidelium suorum in talibus beneficiis et maioribus. Pueri vero oblatis muneribus post triduum regressi sunt, laudantes et

a) anglorum *c.* b) magnifiare *c.* c) v. et s. i. *superscr. c.* d) *superscr. c.* e) compatris *corr* comparis *c.*

benedicentes salutis suae auctorem, venerabilem scilicet Servatium, in eo qui vivit et regnat Deus in secula seculorum amen.

40. Eodem fere tempore in Lotharia surrexit dux quidam nomine Giselbertus, magnis ex natalibus terrae vestrae oriundus, nobilis animo, sed fide et humilitate nobilior in Deo; erat enim tocius prudentiae et pietatis aliarumque virtutum et multarum. Hic accessit ad imperatorem, qui eo tempore Romano prefuit imperio, secundum Ottonem[63] — erant enim 63 tres Ottones regni primores — filiamque petivit eius, et accepit uxorem. Placuit omnibus, 928. quia nobilitas — secundum hominem dico — nobilitati comparata in utroque resplenduit clarissima; in duce vero maior, sed in Domino. Quapropter in universo regno magnificatus est vehementer et honoratus. Quicquid desiderabat, socer suus non denegabat; Traiectum habere voluit et accepit, ut in illa regia sede manens, imperatoris vice digne et libere universam regeret terram. Videns ille tempus nunc oportunum, quo beatum Servatium — quod semper optabat, semper querebat — ad gloriam eius magnifice honoraret et honorifice magnificaret, circa eius monasterium imperatoris et palatium novum construxit murum, quia prior civitas, postquam intravit idem Tungrensium presul, ex toto corruit[a] et periit, ut ipse sit murus inexpugnabilis et firmus nunc et semper omne et in evum. Sed intellegere non valet mens humana quod virtus operatur divina. Ideo dux iste quod cepit, in hoc studiosissime laboravit, laboravit utique[b], nec ut estimem sine salute sui, quia timebat et alios principes, quos ipse prudentia et consilio preibat imperatoris in palatio. Sunt divites in hoc seculo, sed numquam sine periculo, et maxime in domo sua. Graviores enim sunt, ut legitur, domestici quam hostes etiam extranei.

41. In una autem dierum, quibus dux in hoc desudabat edificio, apparuit ei in visione beatus Servatius, et blande illum alloquens, cur aliud quam a se positum est fundamentum locaverit, diligenter quesivit. At ille agnito eo ex imagine, que deformata in auro erat in sanctuario, respondens ait: *Aliud esse positum nec novi, domine, nec vidi. Pro devotione autem accessi, hoc opus coepi, et tuis si placet oculis, devotus perficiam ad tuam, pater sanctissime, gloriam magis quam ad nostram.* Huius humilitatis ad verba pius pater et mirae mansuetudinis verba reddidit dicens: *Quod dextra fundavit Altissimi, dilectissime fili, nisi peccatis populi agentibus, quod quandoque turres excelsas, urbes munitas deicit et destruit, ruat et pereat, in eternum stabit firmum et solidum.* His dictis, iussit desistere ceptis. Ille vero evigilans, post gratiarum actiones multas et condignas, sicut iussus fuerat, fecit, nec unum quidem hinc addidit lapidem. Conversus autem, quod prius expenderat in murum ille dux benignissimus, modo tribuit ad ornandum huius beatissimi viri sanctuarium, id semper postulans, id semper adoptans, ne quando inmemor verborum sit ipse suorum, in quibus ibi habitantibus promiserat perpetuam consolationem et benedictionem. Audivit populus et letatus est nimis, quia civitatem elegit dominus Syon, elegit eam in hereditatem sibi in eternum. Illius autem oculi, beati videlicet Servatii, super eam ut sint semper aperti, et aures eius semper intentae, annuat et concedat ipse qui vivit et regnat omnipotens in secula seculorum amen.

42. Erat diebus et illis universae terre in labiis, beati Servatii erarium opibus multis et preciosissimis esse plenum. Principis memorati uxor[64] audivit, videre desideravit. Accessit ad patrem monasterii, rogavit, vix impetravit. 64 Ubi autem intravit, inter alia mira et miranda vidit vasa aurea, argentea vestesque sacras, quorum non erat numerus. Vidit, revolvit, inter alia preciosa reperit quoddam sericum, quo nichil melius, nichil preciosius viderat prius. Placuit illi, utrum vero tolleret dubia erat. Stetit, circumspexit, sed cum neminem adesse vidit, tulit, abscondit, vertitque se et exivit. Audiunt canonici, contristantur valde, precantur videri de celo, iudicari a Deo. Accipit Deus vota clamantium ad se, nec multo post digna redditurus premia pro meritis, sicut et in proximo audietis. Paratur enim matronae illi eodem de pallio, quo induta splendidior astris appareat populorum in oculis. Id autem fieri optavit, et maxime in festivitate ipsius beati Servatii, quia illa die huc venturum noverat regnum fere universum. Aderat sollempnitas mille votis optata, mille votis quesita. Hora vero diei tercia quasi aurora ad basilicam progreditur illa; omnium oculi in eam, in ducem nullius, quia humilior erat cunctis ingredientibus et egredientibus. Suscipiuntur[c] processione ab ipsa

a) c. et *superscr.* c. b) itaque *corr.* utique c. c) honore *erasum* c.

63) immo Heinricum I. 64) Gerberga.

congregatione, sicut principes et universi regni maiores atque nobiliores. Post orationem uterque suum conscendit in thronum, illa altiorem propter populi favorem; est enim, ut aiunt, feminarum, etiam ignobilium, supra solem videri velle et maioris pulchritudinis atque decoris. Interim epistola legebatur ad missam, et ipsa caput deposuit inter manus et obdormivit. Et subito expergefacta, voce magna clamare cepit: *Parce, domine Servati, parce, et mihi ancillae tuae miserere, pater inclite, pater sancte.* Eadem verba tercio repetebat coram multitudine universa. Factus est timor magnus continuo etiam in choro et in populo, ita ut ne unus quidem in tota videretur mutire basilica. Mirantur omnes, amplius ipse dux, eius et cunctus exercitus. Requisita super hoc eventu, coram omnibus ait ad ducem: *Veni, domine mi, ut sedi in excessu mentis meae, et ecce, hoc ante altare conventus virorum venerabilium, in medio eorum super thronum aureum residens beatus Servatius, refulgens ut sol vultu et vestitu. Cuius ante pedes prosterni cum vellem, quidam horribile aspectu irruit in me, et arreptam per capillos, fortiter percutiebat fuste quem manu tenebat latus et humeros meos, et nisi ipse pater dextram extendisset atque prohibuisset, hoc de corpore animam meam eiecisset. Hanc quoque vestem, quam, pro dolor! tuli in erario eius, auferre voluit et cetera indumenta mea, ut denudaret et ostenderet omnibus ignominiam meam, quia iniuste extenderam manum meam in christum Domini.* Hec nec sine gravi merore dixerat, et vestes easdem deposuit statim, plagasque in humeris suis miro modo impressas omnibus tam peregrinis quam indigenis ostendit. Obstupuit dux et illi omnes vehementer. Sed ne gravius quid accidat sibi amplius pro hac iniusticia — quam iure vocant sacrilegium et rapinam, quia in sacris erat et de sacris translatum — de erario suo uterque princeps, ille et eius uxor, iusserunt afferri munera multa et preciosa pio et glorioso Servatio ad altare in testimonium omnium quae facta sunt contra eum. Omnis vero plebs ut vidit, laudem dedit Deo, qui iuste iudicat et divites et pauperes, nullum propter gloriam respiciens, nullum propter inopiam despiciens; ipsumque sanctum pontificem, cuius gratia venerant, cuius patrocinia et in principibus magna et mira viderant, laudabant, magnificabant in Christo Ihesu domino nostro, cui est honor et gloria in secula seculorum amen. Isti principes quid postea fecerint, in fine huius opusculi manifeste videtur.

43. Est eidem beato Servatio infra Traiectum, Traiectum inquam illud in quo Domino iubente sepultus est, supra Mosam villa antiquitus nuncupata Oia, habens et inter alia bona familiam eius multam nimis. Hoc sane predium, sicut ex auctoritate scriptorum magnorumque relatione virorum agnovimus, rex bonus, rex Cendeboldus quondam donaverat illi cum omnibus que habebat in eo[a] animae filiae suae ob remedium, quam ibi sepelivit, tocius regni et statum[65]. Erant autem in eadem familia qui in aula regia nutriti semper cum rege manebant, et hii viri clarissimi ipsoque rege dignissimi. Consilio enim pollebant, prudentia florebant, ideoque regis presentia numquam carebant. Alii in propriis degebant, diversis agentes in negotiis, sicut placuit preposito palatii. Hoc itaque modo, hac conditione sanctae Traiectensis ecclesiae in palatio ministrabant, alii aliis prelati honore et dignitate sicut prius. Tempore autem Cuonradi[b], imperatoris gloriosi, ex his qui domi et in manu aliorum militabant ortus est quidam, qui contumeliose agens, inter suos consortes quod debuit nequaquam reddere voluit. At quia magnis de natalibus alia ex parte descenderat, et hii maiores in regione illa, gratia eorum pater monasterii sepius differebat et rationem cum eo ponere et gravius eum tractare, quod humana quidem iura exigunt atque divina, ut sacra scriptura testatur et alia. Corripiebat autem eum quasi filium, aliquando solus, aliquando cum binis aut tribus, ne sit alius quam predicat dominus Ihesus. Convenit enim pastoribus ecclesiae ad viam errantes reducere cum omni mansuetudine et pietate, quemadmodum pastor ille magnus et bonus, suo qui nos cruore redemit. Sed miser ille, quae prius pater aliique fideles aiebant, summopere parvi pendebat, restitit quoque cum iuramento et tempore multo. Dum vita presenti licet frui, in propriis dum licet stare pedibus, nec vinci posse nec ceptis desistere velle obiurgando, irascendo atque vociferando coram omnibus dicebat.
Eccl. 1, 15. Sed iuxta vocem Salomonis: *Stultus non facile corrigitur,* ideo hic prudens dispensator verbis paterne mansuetudinis addidit aliquando verba magne asperitatis, nullo tamen modo infelix ille cessat a contentione, cessat ab irrisione. Adducitur tandem contra eum universa fere quae in regione illa erat beati Servatii familia et cunctae aliorum sanctorum, ipsius et miseri tota cognatio, ut essent supra mille in opido eodem congregati. Agit ille, sicut egit, in magna contentione et emulatione. Et quia

a) ea *corr.* eo *c.* b) Cuinradi *c.*

65) Unum quod habemus Zventebaldi regis praeceptum de monasterio S. Servatii Traiectensi vide apud Bòhmer. regest. Carolor. 1168.

ad modum Pharaonis induratus est contra iusticiam, secundum eundem Pharaonem Domino iubente accepit eternae confusionis ignominiam, sicut haut procul hinc videtur liquido. Res itaque differtur in crastinum. In crastino vero cum ille contentiosus surgere vellet de lectulo, magno Dei agente iudicio utrumque amiserat pedem. Et iuste, quia dum staret in pedibus, se numquam cedere, se numquam desistere ceptis, iurando, detestando, etiam priori die in conspectu universae multitudinis, quae convenerat, milies dixerat. Auditur a populo, narratur[a] in placito[b]. Afferunt in medio, videtur sine lesione pars superior corporis tota, et pedes in manibus eius sani et integri. Quomodo hoc factum sit omnes mirantur, quia in neutro agnoscitur vel signum alicuius lesionis. Tandem ille miser fatetur se habere dominum, et reddidit, nec sine magna confusione, quod debuit, paucos scilicet nummulos pro capite. Et qui paulo ante maior erat maximo et primo in cognatione sua, factus est modo minor minimo eorum in medio. Deridetur irrisione supra quam credibile sit, conteritur, confunditur, et hoc signum esse a Deo omnes qui aderant clamabant, quoniam maluit ire ad inferos potius quam ad superos, quo postquam abiectus est princeps superbiae, procul dubio descendunt cum eo quicumque iniquitatem operantur et sine fine peribunt. Post hec magna cum admiratione unusquisque abiit in domum suam, laudans et magnificans eum qui facit mirabilia magna per hos precipue, quos mundus hic miser et infelix adhuc ignorat, et ignorare nequaquam formidat. Vadit ille Traiectum cum muneribus dignis, orationibus si forte mereatur placare sibi, quem se graviter offendisse noverat. Cives audiunt, omnes conveniunt, respicientesque in claudum, beatum Servatium mirabiliter laudant; canonici tamen pro eo hostiam salutarem offerunt Deo. Quid plura? Post multum vero temporis sicut venit miser ille redit, testificans in se magnalia Dei, contra quem erecta cervice incedentes ex ore Altissimi detestantur et dampnantur.

44. Quod quibusdam ex vobis, carissimi, narrantibus audivimus, revera et agnovimus, huic opusculo nunc inserere, hoc in loco nunc apponere, necessarium duximus. Imperator namque piae recordationis Ainricus[66], ille inquam divinae religionis, divinae pacis auctor 66 et amator, ut aiunt, precipuus, hunc sanctum Domini venerabilem Servatium miro modo diligebat et magnificabat; quia frequenter se expertum esse in pace et in bello, illi non esse alterum misericordia ac pietate in universo regno suo, dicebat. Quod etiam nostris episcopis, nostris principibus sepius referre consueverat, illum in basilica, quam in honore apostolorum Symonis et Iudae construxit Goslariae[67], aliis sanctis voluit preponere, sciens 1050 profecto, multis revera probans et modis, eam nec posse deleri nec posse destrui, dum ille tercius presidet in illa, qui licet minor sit apostolatus dignitate, tamen minor non est virtutum insignitate. Tanto ergo munere ceteris cum nosset eum prestare sanctis, eius de sacro corpore habere, ibidem et reponere in firmamentum loci, in fundamentum divini honoris et studiosissime querebat et optabat. Misit itaque, misit semel, misit iterum, sed secreto et in occulto. At cum non proficeret, nec proficere se videret, abiit ipse Traiectum eius ad sepulchrum. Accepto tandem, ut aiunt, quod volebat, Goslariam remeabat. In honore eius caput aureum fieri iussit, quo populus — cuius oculus, nisi presentia, et illa si pulchra, visu si speciosa, vix attendit, vix accipit — in hac preciosa forma agnoscat, diligat et colat illum etiam, qui bona temporalia prestat et eterna; provida consideratione imitatus famulum Domini Moysen, qui in serpente eneo[c] salutem populo paraverat in heremo. Aurum proicitur in ignem, levatum expolitur ad unguem. Ut vidit imperator, doluit. Displicuit enim, quia gemmae, quae erant in oculis, licet eiusdem fuerint qualitatis et quantitatis, tamen dispares altera ab altera quasi puncticulo erant. Retrudi in carcerem iubentur artifices. Qui dum trahuntur et trahendo graviter ceduntur, eum, cuius ad gloriam hoc opus fecerant, multis lacrimis vocant in auxilium, interpellant vitae ad subsidium. Pro eo nimirum ira cesaris erat gravissima, quod nec manu angeli nec hominis expressius atque sua formari posse vel debere promiserant. Beatus vero Servatius, non inmemor tanta in necessitate clamantium ad se, imperatori eadem nocte astitit in visione, et pro omnibus, que ad gloriam, que ad honorem eius diverso in loco, tempore et frequenti expenderat, devotissime agens gratias, hos quoque vinctos de carcere educi sanos et incolumes dimitti, ut concedat et iubeat, humiliter postulavit. Hinc propius astans: *Respice*, inquit, *in me, fili dilectissime, respice et quem diligis agnosce. Hec est enim forma, quam queris, quam respicis, et non alia in auro quam erat in tuo animo. Ideoque quod manus hominis posuit, qui omnia condidit hoc modo formari voluit, eius in nomine, eius in gloria, nostri quoque in memoria. Age parcius cum eis,*

a) *superscr. c.* b) palatio *corr.* placito *c.* c) enea *corr.* eneo *c.*

66) tertius. 67) Consecrata est ecclesia ab Herimanno archiepiscopo Coloniensi anno 1050; cf. Lambertum et Annal. Saxo ad h. a., et Heinrici tabulam anno 1049 scriptam apud Böhmer. 1591, et praeterea 1608. 1628. 1641. 1643. 1648, quae omnes ad SS. Simonis et Iudae monasterium respiciunt.

ut per nos et tecum, rex bone, parcius agat qui in celis regnat. Hec dixit et transiit. Evigilans vero imperator caput hoc aureum sibi presentari iussit. Cumque oblatum fuisset, et in eo signa que viderat diligenter notasset, illi non esse dissimilem reperit hanc imaginem. Flexus continuo ad misericordiam, pollicetur se donare[a] omnia his, pro quibus supplicaverat vir gloriosus beatus Servatius. Inter hec oritur dies carceratis gratissima. Omnes namque educuntur et in palatio presentantur, sed in magno timore nec minori in dolore. Quis enim speraret tanti imperatoris ab indignatione hos liberari posse? Erat utique leone [ferocior[b]], sed iniustis et perversis, mitior autem agnello iustis atque bonis. Tantus ergo cum esset, maiestas eius pię respexit in artifices. Mirantur omnes quidnam sit, quod magis solito videtur in palatio facies regis serena ac splendida sevis, mirantur iure, qui ille cessit naturae. Ut autem in eos levant oculos, omnibus qui aderant a latere secundum ordinem narravit visionem. Omnium in ore continuo laus et honor Deo, nec minor egreio et venerabili Servatio, quia eius ad ingressum in terram et illam pax venit et gaudium. Pueris dehinc ad se vocatis imperator dimisit culpam, donavit vitam. Illi confestim apostolorum ad palatium magno procedunt cum gaudio, venit et ipse cesar post eos. Ascendit in altum continuo qui hec facta nuntiabat populo, repletur protinus basilica laudibus, hoc ubi verbum novit quicumque erat intus et foris. Ex iussu cesaris caput hoc aureum affertur, ipsius et manibus in altare defertur, honoratur precibus, honoratur muneribus, omnium in oculis stat perfusus lacrimis.

45. Magnus Ainricus, divinae pacis amicus, et totus in eum ore et corde, deposuit regem, induit hominem, ac supplici voce hec proferebat verba:

Hoc tibi, Servati pater venerande, paravi;
Cerne tuum famulum, cerne tuum populum!
Quod sumus agnosce, deleri crimina posce!
Posce dari veniam, posce dari patriam.
Per Regem regum, qui solus regnat in evum,
Rex a principio, rex sine principio!
Hec ait et tacuit, et humi se corpore stravit.
Ut sibi hec eadem, plebs aiebat *amen.*

46. Post talia facta ipse imperator obtulit dona, mille quoque millena addidit vota, certissime sciens et confidenter dicens, quia in misericordia et miseratione ipse est revera dives et potens apud regnantem in celis. Vidit populus, et gavisus est valde. Aderant illic pontifices, aderant et proceres de terra nostra perplures, quorum relatione, ut supra dictum est, agnovimus, que super hoc glorioso imperatore dicimus. Stabant artifices in medio, et videntes que fiunt a cesare, a populo, magno repleti sunt gaudio, et pre ceteris referebant beato Servatio gratiam, qui sibi hanc optinuit misericordiam, et dimissi in pace, ubique predicabant gaudium et pacem. Tantis igitur virtutum insignibus illis et in partibus hoc quoque in tempore hunc dilectum suum venerabilem Servatium magnificavit dominus noster Ihesus Christus, qui est benedictus in secula.

47. Alio quoque tempore, sed eodem sub cesare[c] in oppido supra memorato 40 ex impiis in custodia tenentur reclusi. Pro quibus interpellare cum auderet nullus — magnus enim clamor pro eis ascenderet ad aures regis — revoluta est non minima pars anni. Aderat tunc sollempnitas beati Servatii, multis in devotione precipua. Audiunt inclusi et letantur nimis, quia et per eum, quod non prestat homo, prestari sibi credunt a Deo. Clamant ad eum toto corde, toto ore et sine intermissione. Venit ad eos in vespera qui tenebat in custodia, et magis solito multiplicat super illos custodes ac vincula. Timebat enim populum terrae undique confluentem, undique concurrentem ad huius beatissimi patroni festivitatem, quam imperatór ille bonus iusserat nuper celebrari summa cum devotione et in illa civitate. Hoc consilium, hoc opus tortori, sed aliud placuit Christo redemptori. Eius namque ineffabili clementia, eius incomparabili misericordia, supra quam credimus ac intelligimus, etiam pauperum disponente actus, cogitationes et vitam, isti consolantur reclusi. Eadem siquidem nocte et media pater, ille memorandus pastor et custos ille venerandus, cuius in gloriam facta sunt hec gaudia, ad homines in tenebris sedentes sole splendidior, nive candidior venit, et stans in medio: *Pax,* inquit, *omnibus vobis!* In quem cum respexissent, stupefacti nimis, omnes soluti sunt a vinculis. At ille: *Surgite,* inquit, *dilectissimi,*

a) donore *c.* b) *aut simile quod deest in cod.* c) principe *corr.* cesare *c.*

surgite, et quo vultis ite sine timore. Non est qui occurrat, non est qui vobis noceat. Sum etenim vobis custos fidelis, nec deero, donec cum pace perducam vos in domum vestram. Illi vero econtra: *Non est,* inquiunt, *nobis, pater sanctissime, domus vel certa sedes in toto orbe terrae, sumus enim advenae, pauperes et egeni. Habundantia rerum vocavit nos in hanc plebem; huius rei gratia huc venimus, huc intravimus. Sed peccatis nostris exigentibus, vicia in diversa lapsi sumus, et statim capti, multis affligimur malis, numquam autem maioribus quam in hac nocte, pater sanctissime, qua omnes, etiam Sclavi, qui huc convenerunt ad mercatum, letantur nimium propter merita incomparabilia et vere angelica, ut aiunt, cuiusdam Servatii, viri magni et sanctissimi, qui omnibus clamantibus ad se in veritate, ut pater pius et bonus miseretur in hylaritate, maxime autem advenis, quia ipse erat, ut dicunt, advena*[a]*, exul et peregrinus.* Tunc ille: *Ipse,* inquit, *me ad vos misit, ut vestra solvantur vincula, et eatis quo libet cum pace et gaudio, nec sit vobis ipse cesar timori, quia de manu eius liberavit nuper quos destinaverat morti. Quod quidem magnum et admirabile signum audivit Saxonia, et in gloriam eius repleta est leticia magna. Surgite ergo velocius, et securi discedite. Sin autem, ite in medio omnium, non est qui terreat, non est qui respiciat, nec in vos audeat extendere manum. Si vero de imperatore agitur, pro vobis cicius auditur. Nemo est in palatio magis notus, magis familiaris illi atque hic electus Domini; quod placet illi, placet et cesari; quod laudat ille, laudat et iste; est in utroque idem animus eademque voluntas. Nichil est medium, sed solum quod posuit spiritus Domini bonus. Nonne videtis, quanto honore, quanta gloria exaltat eum in ecclesia sanctorum? Nolite solliciti esse, quia propter vestram salutem misit me ad vos in carcerem.* Illi autem diligentissime adtendebant vultum eius staturae et modum, ut si forte in palatio illum aliquando viderent, agnoscerent et pro hac visitatione, quod est utique bonorum, condignas referrent gratias. Inter hec surgit aurora, et nusquam comparuit nuntius ille bonus. Eadem vero hora imperatori pro foribus palatii sedenti idem vir Domini beatus Servatius, quasi nuntius ex longinquis[b] cum pueris fere 12, quorum formae nichil est comparandum in homine — hoc ipse postmodum aiebat, quia sicut rosa florebant et lilium — apparuit eodem vultu, eodem vestitu, quo carceratis noctu, et salutans eum verbis pacificis dixit: *Inter cetera misericordiae tuae opera oportet maiestatem tuam, rex gloriose, imperator optime, dilecti tui Servatii meminisse hodie in pueris in carcere reclusis, et concede illis, sicut et nudius tercius aliis, gratiam tuam, quatenus et eo interpellante tu consequi merearis gaudia eterna in Christo Ihesu domino nostro.* Gratam accepit imperator hanc peticionem, elevatisque oculis, ut agnosceret genus, terram, principem, a quo missi fuerant — tantae enim eligantiae, tantae verecundiae iuvenes nemo vidit mundi ab origine — nullum invenit, et admirans quo devenirent quesivit. Nil certi videtur, nil certi agnoscitur. Cum ergo ad invicem loquerentur de his que acciderant, venit magister carceris, et procidens ante pedes imperatoris: *Vive,* inquit, *rex gloriose, cesar maxime, vive et vale in eternum!* Hinc addidit: *Si inveni gratiam in oculis tuis, domine, loquatur servus tuus in auribus clementiae tuae.* At ille, ut erat cunctis principibus, etiam minimis humilior et minor: *Loquere,* inquit, *fili mi, loquere quod vis, quia pacienter exspecto, desideranter audio.* Magister vero carceris his confortatus in verbis constanter: *Hesterna,* inquit, *die, ut vidi populum regionis undique ad hanc festivitatem confluere, timui, carcerem munivi, ne quis fraude, ne quis violentia intraret qui hostes tuos tolleret, et nos servos tuos de terra deleret, domine. Orto mane cum redirem, inveni custodes ante carcerem universos quasi in morte sepultos, ianuas ipsius apertas. Ingressus compeditos reperi solutos; obstupui, gladium arripui, me ipsum interficere volui. Ex ipsis reclusis continuo prosilivit quidam, apprehendit dexteram meam, et clamans fortiter: „Desiste, inquit, miser, desiste! Salva sunt omnia que posuisti, salva, respice.“ Respexi, domine, et sicut dixit inveni. Cum autem quererem huius rei auctorem, in aureo capite, quod nuper fecisti, domine, illius ostendit imaginem, qui hanc operatus est salutem.* His auditis, gavisus est valde imperator gloriosus, nec moratus surrexit propere, et coram omnibus, quia ipse est revera beatus Servatius, qui in carcere proiectis sibique in foribus palatii residenti apparuit, viva voce asserebat, multis modis dans gloriam Deo, quoniam meruit agnosci, meruit visitari ab eo, et per hunc electum suum, pontificem magnificum, confessorem gloriosissimum. Gratias agebat, nimirum agebat ut servus domino, ut parvus magno, in diversis donis et bonis lacrimisque in patris, in matris presenti funere nequaquam largius, nequaquam gravius effusis, licet enim fortior Mathathia filioque eius Machabeo in adversariis, in afflictione

a) advene *c.* b) logiquis *c.*

tamen positis, devotis quoque et humilibus, et precipue coram Domino eiusque sanctis mollior puerulis, etiam tenerissimis. In hac igitur devotione cum procederet ad basilicam apostolorum, nec sine magno comitatu et procerum militumque innumerabilium, iussit sibi presentari ante ingressum templi omnes qui erant in carcere. Quod cum fuisset impletum, ipsi ore proprio coram imperatore et omnibus astantibus que viderant ex ordine referebant. Eosdem sibi precedere rex bonus precepit. Ingressi vero in templum, manu ipsius cesaris beato Servatio donantur, quia eius misericordia liberati sunt a morte gravissima. Optulit et imperatrix beatae memoriae Agnes munera digna et magna. Accessit quoque filius eorum Heinricus, gloria generis, decus imperii, consecratus per virum apostolicum magnum
68 Leonem, tocius regni et voto, in regem, offerens dona que pater habuit meliora[68]. Hinc et
1056. sponsa eius adducitur[69], nec sine magnis, nec sine condignis muneribus, alia alii, maiores atque minores, prout cuique suppetebat copia rerum. Qui primus erat in donis, factus est et novissimus in omnibus bonis, ille videlicet imperator, quo nec ipse sol nobilior, nec mari nec terrae utilior, scilicet Ainricus, per omnia divini amicus honoris et prestantissimus atque devotissimus, sicut videbitis, cum alia eius beneficia et nostris ceperimus denotare litterulis. Nunc autem quod restat precedenti de narratione paucis si possumus exequemur.

48. Ad magnificum ergo hunc amantissimum Domini Servatium idem bonus imperator, quia in hac festivitate altera dies erat letaniarum, per omnes vicos et plateas fieri processionem iussit, et preferri caput hoc aureum, ut per huius beati viri intercessionem et ipsi mererentur consequi benedictionem et consolationem. Cum autem irent, sicut oportet, in Domino, laus erat cuiusque in ore, honor et iubilatio. Ut autem procul dubio agnoscatur in mundo universo, quia in congregatione iustorum semper presto est Spiritus sanctus, omnes qui aderant quasi uno ore laudabant regem celorum et illum confessorem gloriosum, cuius gratia hec facta sunt gaudia. Pro cymbalis quoque Daviticis, que erant in domibus, que erant in ecclesiis — habundant enim hoc in loco nimis — campanae consonabant, donec redeunt unde digressi fuerant. Reversi que sunt festivitatis peragunt devotissime atque decentissime, gratias agentes magno imperatori benedicto Ainrico, quia adduxerat, quo terra universa letatur, ecclesiae cunctae iocundantur in Christo Ihesu salvatore omnium seculorum.

49. Factum est eiusdem gloriosi imperatoris diebus quod caritati vestrae, dilectissimi, celare et indignum videtur, quia, nisi fallimur, mens devotissima vestra, quemadmodum arida terra pluviam, ita desiderat huius illustrissimi viri beati Servatii et videre gloriam. Habet enim quosdam agellos haut procul a castro Iuliaco, quibus in tanto spatio et in regione illa minus inutiles nemo possidet. Hos, quia vicini erant suis, quidam Coloniensium civis dives valde et nobilis concupivit. Accedens ergo ad patrem monasterii quod est Traiecti — ad hoc enim hii pertinebant agri, adhuc et Deo iuvante pertinent — quesivit atque petivit. Rennuit ille, quia de prebenda canonicorum erat. Instat ille oportune, importune; videns autem, quia nichil proficiebat nec proficere poterat, abiit ad imperatorem predictum, illius ecclesiae patronum — in manu quippe regum hec semper erat — et petiit. Sed quia divites apud principes cicius quod desiderant optinent, accessit ille et continuo accepit quod quesivit, ipso tamen cesare ignorante, quia res ista erat fratrum prebenda, quos ille gratia Dei quasi filios diligebat, omni et in loco digne honorabat. Accepto autem ille quod volebat, festinus rediit Coloniam, convocat familiam, narrat eventum, et quantum auxerit censum. Gaudent universi, in proximo heu! gravi et misera morte perituri. Ipsa autem mater familias filiaque eius, quia unica et adhuc viro incognita, amantissima, inestimabili gaudio replentur super hoc negotio. Asscribunt omnes illud iuvenculae quod tollunt Traiectensi ecclesiae, ipsa quoque mater precipue et pater, quia dulcior vita erat utrique illa. Sic enim, ipsa natura dictante gratiaque Altissimi agente, omnis caro carnem, et maxime suam, etiam supra se diligit. Quod experimento in nobismet ipsis iamdudum agnovimus; quis enim odisset carnem suam? Utique si rite recolimus, nec volatilia celi nec reptilia terrae. Collectis tandem dives ille cognatis et amicis, idem predium intravit, convivium

68) Heinricus quartus natus est anno 1050 et anno 1051 baptizatus ab Hermanno archiepiscopo Coloniensi probante Hermanno Augiensi, annoque 1052 in Germaniam veniens Leo IX papa anno sequenti in Italiam revertit.

69) Bertha filia Ottonis marchionis, quam paullo ante obitum Heinricus filio desponsavit Taregi natalitiis Domini 1055; vid. Bertholdi annales ad a. 1056.

paravit. Cubant in mensa, comedunt, bibunt sine mensura. Inter epulas et pateras, sicut docta fuerat, ad mensam venit filia, de patris accepit dextera, quod ipse de manu regia. Letantur amplius convivae, habundantius fundantur et vina, fecere disertos calices referti, omne os vaniloquio repletur, nulla lingua quod bonum est loquitur. Ut cinis es, mordent principes, principem autem hunc esse solum, qui se invitaverat domum, omnes clamant maiores atque minores. Surgunt post epulas, ludunt post crapulas, ut ipsi mirentur invitati nimis stupefacti. Hec et alia nefanda operando noctem fere totam ducunt insomnem. In matutinis vero volentes nolentesque, quia vincuntur mero, cedunt somno, et ecce, manus Domini, que percussit primogenita Egyptiorum, que in mari rubro cum eis subvertit regem Pharaonem, gravissima super eos, et hinc filiam unicam atque amantissimam suffocavit satanas, iusto quidem iudicio Dei, quia iniuste extenderat manum suam in christum Domini. Accessit ancilla, accendit lucernam. Audierat enim quasi in somno illam fatigari usque ad mortem, et videns eam iam mortuam, magno eiulatu totam replevit domum. Expergefacti universi exiliunt de lectis, et videntes quod factum est, flebant mirabiliterque dolebant. Advenit pater, advenit et mater. Ut vident eam morte tam gravi expirasse, non est spiritus in eis; ubi redit, non est modus in lacrimis, in verbis etiam periculosis. Nam omnia mala hec proiciunt in sanctum Dei, vocantes eum homicidam, iniustum, impium, crudelem et tyrannum, nec esse consortem dicunt celestium, cum illos misericordia, pietas, perpetua benignitas habeat, foveat, istum omnia horum opposita, que miseros deducunt etiam ad inferos. Clamant, lugent, scindunt vestimenta sua, crines lacerant, unguibus faciem vulnerant, et si permitterentur, a se ipsis interimerentur. Audiunt vicini, concurrunt. In luctum hesterna vertuntur gaudia, omnem priorem delectationem consumunt, destruunt et devorant hodierne desolationes. In funere regum erat mutatio rerum vix tanta a principio, quia lugebant noti et ignoti, pro eo et precipue, quod vespere floruit hec gloriosa, hec inclita virgo, in matutinis periit et iam arescit. Si enim sacram attendimus paginam, ab ipso mundi primordio nullus invasit, nullus rapuit, que sunt possessiones sanctorum, pro quo continuo non sit datum a Deo ultionis gravissimae iudicium. Numquid ignoratis, carissimi, quia rex magnus, rex Assiriorum et domus eius tota unius noctis in momento periit, quoniam indigne vasa Domini tractabat, que pater eius de Ierusalem asportaverat? Quid de Heliodoro dicimus, qui a rege Antiocho missus erarium intravit Iherosolimitanum? Intravit sane sine timore, sine religione, sed post pusillum eiectus est ille superbus cum magno dedecore et corporis sui gravissima lesione, sicut in libro Machabeorum legitur. 2 Maccab. 3
Quis umquam extendit manum in dominum celorum et prevaluit? Utique nec ille elatissimus princeps Nicanor, cuius caput, lingua et dextera post paululum suspensa sunt ante sanctuarium Domini in monte Syon. Nec etiam ipse rex Antiochus, qui iusto Dei iudicio consumptus a vermibus periit. Qui vero huius potentissimi regis persequitur milites, qui huius invictissimi principis impugnat fideles, sive aliud quod fecerit malum, nonne illi qui dixit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis?* Nimirum illi. Unde et hec puellula, Matth. 25,40
nec longius hinc mater, ipse quoque pater, qui licet hoc malum fecerit solus, non tamen periit solus, quia non tantum facientes, sed etiam consentientes divino plectuntur iudicio, iuste dampnationis sententiam acceperunt a Domino. At ille aliquantulum superstes ceteris, consilio fidelium suorum disposuit ire Traiectum beati Servatii ad sepulchrum, cuius erat hoc predium, sicut audistis superius, si forte ignoscat et relinquat post se benedictionem. Venit, vidit, sed minime intravit; abiit continuo nimis confusus. Illud autem ad predium nec pervenit, quia spiritu nequam exagitatus in via cecidit de curru, et sublatus est mortuus. Per omnia benedictus Deus, qui tradidit et hunc impium.

50. Hac igitur ex causa in universa regione illa beati Servatii timor excrevit mirabiliter, et omnes qui audierunt timuerunt vehementer. Ipsi autem noti et amici illorum qui defuncti sunt in propria abierunt, non audentes ultra possessionem illam intrare. Audivit imperator gloriosus, et nimio terrore percussus, sub omni celeritate iussit reddi quod consilio impiorum tulerat electo Domini, mittens dona digna et preciosa, multisque modis deprecans, ne et sibi in iudicium atque dampnationem reputetur, quod neglegenter fecerat in eum. Ubi vero innotuit beati Servatii choro quod factum est, gavisi sunt valde, et sicut petierat nobilis cesar, domini sui in persona donaverunt, pro his quoque beneficiis gratias reddentes Altissimo, quia fecit magna per illum etiam nunc in universa terra illa.

51. Adest nunc, dilectissimi, tempus quod supra promisimus, scilicet ut illius magni

imperatoris Ainrici, divinae pacis, divinae religionis devotissimi amici, recolamus beneficia, que fecit precipue et in Traiectensi ecclesia beatissimi confessoris Christi, venerabilis Servatii. Eodem namque anno quo defunctus est pater eius, imperator Chuonradus, per omnia
1039. vir memorandus — erat enim omni bonitate repletus et veritate — venit Traiectum[70], cum eo totius regni principatus. Quidnam sit in animo super imperio, omnes querunt ab eo, at ille omnia ponit in Deo eorum et consilio. Et licet minor ceteris etate omnibus, tamen prestabat virtute sapientiae. Inter alia quoque insignia, que regibus solis asscribuntur, ab humeris et sursum supereminebat universum populum. Addidit Deus, cuius misericordia disponuntur etiam celestia, vehementer magnificare eum, et dedit ei gratiam in conspectu principum universorum, quod ipse quidem cotidiano profectu ostendit, incedens in omnibus iustificationibus eius sine querela. Eodem auctore, eodem presidente, quoddam fecit opus, quod nimis placuit universis principibus. Constituit enim basilicam, quam homo Dei prepositus eiusdem cenobii pater Geldulfus condiderat novam, ad numerum 12 apostolorum dedicari totidem per numerum episcoporum, iuste et digne agens in sacro de sacris, utpote qui erat omnis sapientiae eruditissimus in paginis. Consecrata autem in magna gloria et honore, oblatis et multis muneribus preciosis, ad quodlibet altare eundem qui consecraverat illud missam celebrari iussit pontificem. Interim dum maior celebratur in choro, ita ipse ordinaverat, ut quicquid cantandum erat et legendum omnes simul inciperent, omnes simul finirent et qui essent in choro et qui extra chorum, ipsi quoque pontifices, subdiaconi et levitae. Quod factum omnes mirati sunt, precipue qui erant de Italia, Burgundia et Francia pontifices, atque hunc novum regem nec Moyse nec Salomone in ordinandis rebus humanis atque ecclesiasticis iudicabant inferiorem. Nec enim iniuste, quia sapientia florebat, consilio pollebat super omnes antecessores suos et super principes qui congregati sunt universos. Porro in omnibus que fecit, que dixit, eque maioribus placuit atque minoribus; ideoque idem animus, eadem voluntas omnium in eum. Et
.1 sicut in die dedicationis, ita in die assumptionis beate et gloriosae Dei genitricis Mariae[71] — distant enim duobus ab invicem diebus — illum regalibus et corona indutum in sedem levabant imperialem[72], et patri suo succedere, Romam quoque regere, et in universa terra non esse similem acclamabant omnes uno ore, intimo et corde, laudantes ac benedicantes eum, qui sibi talem elegit et constituit regem, cuius fortitudine et sapientia regnum digne firmari, digne consolari creditur universum.

52. Altera vero die cum esset in medio principum qui convenerant, eorum et consilio disponeret regni negotia, iussit sibi afferri librum miraculorum beati Servatii. Allatum in magna veneratione suscepit. Sed antequam aperiret eum: *Audite*, inquit, *patres, audite huius dilecti domini miram et inauditam benignitatem, pietatem et misericordiam. Nam cum essem iunior, nec quisquam ingenio minor, in quoddam cenobium monachorum iussit me pater meus eici. Hoc cum audissem, grave accepi; ad mortem usque doluit anima mea, eram in hoc tedio tempore multo. Nec mirum. Omnis enim qui accessit nequaquam consolationem, sed attulit confusionem, scilicet imperatorio filium eici de regno servumque alienum regnare pro*
73 *eo*[73]. *Huius desolationis nuntii erant precipue secreti paterni consiliarii fidelissimi. Sed quid ego? Quonam ego? In sensu utique alieno et animo, nimirum amarissimo. Unde plurimas noctes duxi insomnes, multis diebus nec refeci corpus, vigiliis ergo et macie affectus videbar deficere ineptus. Cum autem egrotarem, de lecto surgere nec valerem, quadam nocte apparuit mihi in visione iste magnus, magnae Dei genitricis cognatus, venerabilis Servatius: „Confortare, inquit, fili mi, confortare, noli timere, noli desolari. Non est hominis nec patris tui, quem voluerit in solio erigere imperii; est autem illius, in cuius manu sunt omnia iura regnorum, qui profecto iam dudum elegit te, et in throno paterno nec longius hinc te residere concessit.“ Dixerat, et verbis nimiae mansuetudinis consolatus est me lacrimantem habundantissime. Post hec, quia sollicite quis esset ego querere volui, et nomen et locum habitationis suae ostendit. Tantae ergo pietatis, tantae benignitatis aliquem sanctorum esse, nec in scriptis nec in parabolis agnovi. Ideoque illum nulli postpono, postponere nec volo, quia quod est honoris, quod est*

70) Traiecti, i. e. *Utrecht*, obiit Conradus II, ibique regni gubernaculum suscepit Heinricus, ut probat Wippo. 71) Non hac die (Aug. 15.), sed Iun. 4. 72) Falso; ordinatus est rex Heinricus tertius Aquisgrani die 14. April. 1028, patri succedit 4. Iunii 1039 Traiecti, Romae coronatus est imperator 25. Dec. 1046. 73) Haec mera sunt commenta; Heinricus a Brunone Augustano et Eilberto Frisingensi episcopo educatus est.

glorie meae[a], *Omnipotentis post gratiam, Cunctipotentis post dexteram, illi soli toto corde et intimo, eius et ad gloriam superstes dum fuero, laudem laudisque et benedictionis honorem semper inpendam.* Haec dixit, et librum iam dudum acceptum aperuit. Nec diutius immoratus — erat enim populus qui querebat iudicium, querebat et iusticiam nimis fatigatus — clausit eosque audivit. Quia vero scriptum est: *Ve terrae, cui iuvenis rex imperat, et illud* Eccl. 10,16
cuius principes mane comedunt, ad voluntatem omnium solis ad occasum usque ieiunavit. Placuit universis quod fecit, et magnificatus est vehementer. In libro autem illo tota nocte sequenti laboravit, nec cessavit, donec omnia memoriae commendavit. Septem vero et duobus completis diebus in omni veritate et iusticia, recessit Coloniam, et sicut promisit beato Servatio, fecit, magnificans eum decentissime in universo regno suo, ad laudem et gloriam illius, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita seculorum secula amen.

53. Accidit quoque eiusdem gloriosissimi imperatoris tempore quod dicam nunc caritati vestrae. Nam circa fines terrae nostrae, in campestribus longius remotis ab hominibus erat ecclesia in honore huius beatissimi patroni, ad cuius respectum post salvatorem nostrum Ihesum Christum omnis spes vestra et salus pendet, iure et tendit, antiquitus constructa. Ad quam accessus non erat per annum, nisi forte eiusdem patris in festivitate, eiusdem basilicae et in dedicatione. In hac autem sollempnitate paucissimi venerunt, et hii vicini, quia utrum sit consecrata annon omnes ignorabant, ex consuetudine tamen frequentabant. Contigit autem quodam tempore, celesti gratia agente, multo plures solito etiam ex regione convenire homines. Cum ergo agerentur missarum sollempnia, et magis ac magis undique concurreret populorum turba, assunt duae mulierculae, repletae sanguine et manus et pedes, ipsum etiam vestitum atque caput totum[74]. Omnibus ergo mirantibus, et quidnam sit quod actum est dili- 74
gentissime requirentibus, aiebant ille: *Eramus nos pauperculae quas cernitis in domo una, et manus nostrae, quod est de lana in opere textrino. Aliis vero euntibus ad ecclesiam, peccatis nostris exigentibus, ipsoque nostrae salutis adversario suadente diabolo, ibi remansimus, et ecce, quodlibet filum in tela a summo usque deorsum sanguine stillabat in manus, in vestes nostras, sicut videtis. Pro quo quid dicendum, quidve agendum sit iudicate. Ecce, nos in manibus vestris, sicut placet, vindicate.* At illi respicientes in eas, sub omni celeritate miserunt qui ad se referant telam. Allata defluxit in sanguinem, quemadmodum in habundantia pluviae stillicidium. Dant mulierculis precium telae, et suspenderunt illam ante ostium ecclesiae. Altera die cessavit sanguis, et mirati sunt universi. Ex longinquis protinus venerunt multi videre quod factum est, et annuntiabant hoc etiam in finibus nostris. Pependit autem in oculis omnium usque in tempus fere istud. Propter hanc causam amplius frequentabant ecclesiam illam, et de consecratione dedicationis eius nemo postea dubitavit. Haec autem facta esse credimus, ut dies illa pateret hominibus; et hic beatus Servatius illis amplius honoratur in finibus ipsius quoque in gloriam, ipsius in benedictionis et gratiam, qui inter milia signorum ob incredulitatem principum superborum vertit in sanguinem flumina Egiptiorum, cuius et de latere sacrosanctus sanguis et aqua in redemptionem nostrae salutis.

54. Veniendum est nunc, dilectissimi, ad illum incomparandae probitatis iuvenem, memorati imperatoris heredem, qui erat omnium antecessorum splendor et gloria regum; eiusque in diebus quanta mirabilia per hunc dilectum suum beatissimum Servatium operatus sit Dominus virtutum, pacienter audiamus. Circa Rhenum namque et Mosellam hic sanctus multam habet familiam. Ad defensionem eius erat constitutus de domo palatini comitis nomine Heinrici[75] quidam, ut putabant, magne probitatis et honestatis. Alius au- 75
tem ille, nam ubi matura potitus est libertate, sevit in omnes gravius quam leo atque ursus. Hinc clamor ad regem prefatum, ad comitem quoque palatinum; ille autem quod erat perseveravit. Domino vero agente, placuit maioribus Lothariae hoc circa tempus in eadem regione colloquium habere. Convenerunt itaque in opidum, quod vulgo dicitur Andernacho[76], Coloniensium archiepiscopus domnus Anno, Treverensium pater Everardus[77], dux 1062
Godefridus, idem quoque comes palatinus iam prefatus aliique perplures, agere de statu imperii, quoniam a quibus debuerat edificari in capite omnium platearum, pro dolor! dispersi sunt lapides sanctuarii. Illo autem magno imperatore Ainrico[b] de medio facto, beatae

a) mȩȩ c. b) A. c

74) Tradit Henschèn in Act. SS. Mai. III, 223 exstare huius miraculi antiquam picturam his insignitam versibus:

Stamina sanguineo maduerunt tincta rubore,
Dum tua, Servati, violarunt festa puellae.

75) Idem de quo vide Lambertum 1057 et 1061 et fundat. monasterii Brunwilarens. c. 21. 76) Hic conventus, cuius quod sciam hoc uno loco exstat mentio, si revera est habitus, quod merito in dubium vocari vix posse videtur, anno circiter 1062, antequam Heinricus rex caperetur, habitus sit necesse est. At quidem Heinricus comes palatinus obierat iam anno 1060. 77) Qui obiit 1066.

memoriae Agnes imperatrix una cum filio suo paterne gloriae, paterni nominis successore dignissimo, brachio domini viduatum tenebat sceptrum. Huius partem qui convenerant defendere cupiebant. Cum ergo nulla domus sufficeret illis, sedes paratur in herbis. Omnibus vero pie et fideliter agentibus in Deo, aderat beati Servatii familia, que erat in regione illa, si forte audiatur super advocato suo nequam et pessimo. Auditur autem a Deo, et protinus iudicatur de celo. Venit namque ille in equo et quasi sublimior celo, volat in principes, volat in pauperes, beatum beatae Dei genitricis cognatum blasphemando eiusque familiam gravissime terendo pedibus atque calcando. Et ecce, homo et in manibus eius mirae magnitudinis ursus, qui intuitus illum, erexit se et totus in eum, rapuit, eiectisque visceribus, mortuum deiecit in terram, et statim se avertens, cum omni mansuetudine rediit ad magistrum suum. Quis enim dubitet hoc factum esse a Deo in gloriam et honorem suo dilectissimo Servatio? Sic olim leo prophetam confregit, et postea cadaver eius nec tetigit, nec asinum eius comedit, naturae suae contraire nimirum est potentiae divinae. Proinde divini[a] pre ceteris mirati sunt nimis, timor alios invasit et a ferocitate sua multos, etiam potentes confregit. Ut pro se loquatur, beati viri familia rogatur. Illa autem domini sui intercessione adversarium illum gravissima morte videns cecidisse et in obprobrium sempiternum, surrexit, et gratias agens salvatori post Altissimum suo atque fortissimo, scilicet Servatio, nullo addito verbo, sed principibus digne salutatis in Domino, abiit in sua cum gaudio magno, parvipendens que perpessa fuerat possessionum suarum detrimenta. Ad hanc famam universa contremuit provincia, et omnia que iuris eius erant tam in hominibus quam in ceteris possessionibus, diligenter observabant, nec quicquam molestiae inferebant, in gloriam et illius qui iuste iudicat celum et terram et omnia que in eis sunt.

55. Quia vero peccatis populi exigentibus potentium synagogas iam dudum intravit Satanas, et sibi eos subdidit voluntate et actione, universos transferri permisit Deus in alios, scilicet clericos in laicos, servos in dominos, alia in alia, ita ut nemo in suo proposito atque decreto maneat, et hoc in Romano maxime imperio, tradiditque eos in sensum reprobum, pro eo quod non recte ambulabant ad exemplum Domini et in doctrina apostolorum eius, et faciunt ea que non conveniunt. Unde confusa est omnis ecclesia, conturbata est et terra universa, persequentes, pro nefas! ipsum christum Domini imperatorem Henricum, huius etatis in tempore nullo sene inferiorem, nullo rege infirmiorem, volentesque
78 eum omnino amovere a regno[78]. Hoc itaque malum, hanc confusionem illa beati Servatii familia, cuius memoriam egimus supra, timuit valde, et veniens ad palatinum comitem sepius predictum[b], petiit sibi adiutorem et defensorem. Concessit ille. Venit iuvenis quidam de domo principis illius, valens consilio, corporis valens et viribus. In primis bonus apparuit et iustus, post pusillum quasi vipera et aspis, mordebat, lacerabat omnes. Fugiunt illi miseri, et vix nudi evadunt, clamant in fortitudine ad Deum suumque dominum venerabilem Servatium. Factumque est post triennium, Domino iubente, eosdem principes iam prefatos eundem in locum iterum convenire ad colloquium. Cum ergo sedissent in propatulo, ut esset accessus omni populo, venerunt et illi in magna afflictione clamantes ad eos. Nullus audivit, nullus adtendit, ille autem qui regnat in celis apposuit aures plebi, et gratia dilecti sui Servatii eos liberare cupivit, sed tempore oportuno; nec longius defuit illud. Venit namque iuvenis, qui constitutus erat iudex plebis, ad portum navigio per Rhenum, et videns eos, subrisit, sibique astantibus ait: *Quid sibi volunt isti? Qui sunt vel*[c] *unde veniunt? Cur clamant ad principes?* Solent enim perversi et elati homines nota quasi ignota querere, ut videantur et nobiliores ingenio et subtiliores studio, sicut Saul post percussum Philisteum, quis esset Davit quesivit, cui ante pugnam promiserat filiam et munera magna. Ubi autem iste nequam cognovit, de quo tamquam inscius quesierat, ait inter alia: *Quis ergo Servatius ille, cuius de potestate tantum miseri isti confidunt, gloriantur et exaltantur? Quid dicemus super illo? Estne contra nos ille advena, exul et peregrinus? Quid nobis in homine hoc alieno? Certe regnabimus, certe dominabimus eius sicut volumus et quamdiu desideramus. Sed stultis magnus et excelsus, mihi utique nichil horum videtur in eo. Homo erat ille mortalis, idem et in me agnosco. Supra naturam nostram non habet quicquam, angelus non erat, neque de angelis natus, redactus est in cineres, adnichilatus in pulverem, quapropter*

a) divinę *corr.* divini *c.* b) dictum *corr.* predictum *c.* c) et *corr.* vel *c.*

78) Quum auctor anno 1088 librum ad finem perduxerit, et Rudolfum primum et Hermannum alterum regem Heinrico a. 1081 oppositum vidit.

nec timeo eum nec diligo. Ut sciant autem universi comprovinciales et domestici mei, quia in mea potestate est familia hec, quam cernitis, magis quam in eius, et ego ut libet fruar servitio eorum, ostendam verbis et factis. Hec dixit, et vertens se ad illos, cum equo in impetu gravissimo irruit in eos, et ecce, divino percussus iudicio, deorsum cecidit hora eadem mortuus. Omnes timor invasit. Postquam vero principes audierunt que dixerat et se facturum promiserat, omnes gratias egerunt Deo, quia salvatus est in illa die populus viri Dei de manu filii superbiae per virtutem magnam et incomparabilem domini salvatoris Christi misericordiam. Illud profecto circa tempus infirmari cepit comes palatinus, et nemo illis molestiam intulit multis postea diebus, quia omnes timuerunt, quod factum[a] iam altera vice, iudicium Dei in medio sui magnum et gravissimum. Ipsum quoque beatissimum Servatium, cuius gratia et intercessione tanta prestantur beneficia de celo, universi metuebant, et metuendo ac venerando magnificabant eum vehementer. Huius itaque noticia rei pervenit ipsius etiam ad palatium regis, et timor eius cecidit super omnes qui audierunt, et glorificabant eum valde in Christo Ihesu, qui cum Patre et Spiritu sancto solus operatur mirabilia in celo et in terra magna atque inenarrabilia.

56. Deinde signifer Romanus[79], marchio Italiae[80], dux Lothariae, cuius mentionem 79 supra notavimus, abiit ad regem maior Godefridus, cui fide et virtute militari in toto regno non erat secundus, sicut testantur bella, que gessit perplurima in diversis terrarum provinciis. Illum cum in throno paternae gloriae, multis contradicentibus et precipue pontificibus, firmasset, vitamque eius regios ad mores formari rogasset, accepta licentia abiit in Italiam[81]. Bene operantes, sed maxime imperatoris in gloria, digne remuneravit, honoravit, 1053 sicut decebat, alios invasit bello, vastavit gladio, bona eorum diripuit, castella eorum deiecit, incendit, delevit, et in omnibus voluntatem suam, sed amplius regis in gloriam, adimplevit. Erat autem consilio suorum quandoque gravissimus, etiam pauperibus iudex, et maxime sanctae Traiectensis ecclesiae clericis et laicis. Unde cum nocte quadam in partibus illis somno quiesceret suavissimo, astitit ei beatus Servatius, cum eo elegantissimae formae iuvenis, et in manu eius gladius utraque parte acutus. Ait ille ad iuvenem: *Irrue in hunc hominem, quia in pueris, quos mihi pietas celestis donavit, cor et animam meam vulneravit*[b] *et vehementer conturbavit. Graviter enim desolantur et sine intermissione lacrimantur, clamant in fortitudine ad Deum, precibus eorum aperitur celum, iubemur hoc malum videre, iubemur et illum delere.* Hec dixit, et in eum continuo ruit iuvenis, manuque extenta percussit illum gladio media per viscera. In somno ille mirabiliter exclamavit, et se esse occisum aiebat. Audivit eius coniux gloriosa Beatrix, et admirata est valde, nec tamen excitare illum audebat. Ubi autem evigilavit marchio ille potentissimus, flevit amarissississime, et quod vidit indicavit illi. Flevit et ipsa, mali non ignara futuri, quia gladius ira[c] Dei omnipotentis mersus in viscera, effluere de visceribus qui latet in eo sanguis; quia ut aiunt raro comedebat, nisi unde pauper victurus erat. Haec cum veneranda Beatrix exponeret, sed indicare non auderet ei, tamen surrexit ille cicius de lecto, et quasi torrens tanto cum impetu sanguis fluere cepit ab eo nec cessavit. Audiunt medici, in patriam redire suadent, si forte cibo naturali restringatur, quod medicinali arte negatur. Transivit itaque Lothariam, multoque post tempore, sed in magna penitentia et digna, finivit vitam[82]. Per omnia benedictus 1069. Ihesus noster, qui sero penitenti latroni aperuit regna celorum! Hoc revera cognovimus quorumdam relatione fidelium monachorum, quibus per confessionem filius eius[83], qui 83 nuper in Fresonia[d], sicut audistis, miserabili morte interfectus est, indicavit. Licet et minor corpore ille fuerit, maior tamen omnibus regni principibus virtute ingenii, excellentia omnis probitatis erat, ad laudem et gloriam illius qui non est personarum acceptor, sed in omni gente qui timet eum acceptus est illi[84]. Hec et horum similia, ut diximus, mala permittit

a) factus *c.* b) velneratit *corr.* velneravit *c.* c) irā *c.* d) fresoniam *c.*

79) Quum Heinricus rex armis cingeretur anno 1065, Godefridus dux scutarius eius est electus, ut legimus apud Bertholdum. 80) Ita nominatus ab auctore, quia maritus erat Beatricis Tusciae marchionissae. 81) Godefridus barbatus dux Lotharingiae iam anno 1053 in Italiam ierat, quod coniici licet ex Lamberto ad h. a. 82) Godefridus, quem anno 1067 adhuc in Italia commorantem deprehendimus, mortuus est Virduni exeunte anno 1069 teste Bertholdo. In quibusdam tamen Godefridum patrem, Heinrici tertii adversarium, et Gozelonem filium, Heinrici quarti fautorem, videtur confudisse. 83) Gozelo gibbosus, qui anno 1074, ut refert Lambertus, Antwerpiae a sicario *per secreta natium* confossus est. 84) Vide Gozelonis laudationem apud Lambertum 1076.

Matth. 5, 7. fieri Deus in hominibus, quatenus attendant illud euangelicum: *Beati misericordes*, et non pereant morte illa misera et incomparanda, qua sine fine impii creduntur perire.

57. Quoniam audistis, carissimi, quam gravi, quam magno iudicio in manu beati Servatii princeps iste, regno utique necessarius valde et utilis, perierit, audite, quanta misericordia per eundem dilectum Domini salvata sit quedam sanctimonialis femina, cum duo equites per terram vestram duxerunt eam, ut perdant, in eternum ne compareat. Venit namque illa Traiectum, cum esset crepusculum, die sabbati tempore hiemali. Viri autem, qui comitabantur illam suae perdicionis omnino ignaram, reliquerunt equos et eam in cymiterio templi ipsius beati Servatii. In ostio oravit illa, pulsavit, sed minime intravit, quia clausa erat ianua. Illis vero euntibus ad forum, nec sine magno, ut postea agnovimus, dolo, femina Deo devota, ut intraret, magis ac magis clamavit, pulsavit. Cum autem perseveraret, nec quisquam aperiret, lacrimas fundebat amaras, et ecce, ostium patuit. Ingressa, ut referret gratias, qui aperuit, neminem invenit; procedensque ad criptam occidentalem, in qua sanctus Domini Servatius erat reconditus illis diebus, omni cum festinantia intravit. Processit, et clausam eius secretarii ianuam intravit. Ubi vero prostravit se in oratione, somno, utpote nimio fatigata labore, corripitur suavissimo, et quicquid dispositum erat, ipso beato patrono astante et indicante, didicit. Expergefacta surrexit, circumspexit, non vidit quemquam, obstupuit, ad se reversa, gratias illi dilectissimo Domini agebat. Inter hec custos ecclesiae evigilavit, et portam videns apertam, miratus est valde, surrexit cicius et currens ad criptam, et feminam ante altare stantem respiciens, quidnam sit miro modo cepit estuari animo. At illa: *Noli*, inquit, *mi pater, noli timere, noli perturbari; omnia que posuisti salva. Qui vero ianuis clausis Petrum eduxit de carcere, qui maiestatis suae virtute voluit nasci de virgine, ille magnus, ille bonus rex et dominus seculorum liberavit me miseram, me exulem, me ancillam suam de manu principum magnorum et malorum per hunc electum suum beatissimum Servatium hodie, et hostia*[a] *que vidis aperta reseravit mihi clave pietatis atque ineffabilis misericordiae suae. Pro quibus beneficiis ut mecum gratias referas illi, obsecro te, pater amantissime.* Dum hec loqueretur et infecta quasi facta quereretur, de foro aderant iuvenes, ut eat quantotius cogentes. Illa renuit, nec quoquam ire voluit; pueri vero querentes causam, audierunt traditionis modum et ordinem. Studiosissime illis querentibus quomodo novisset, ait: *Ut primum intravi hunc sanctum locum, et hunc benedictum patronum invocavi mihi in adiutorium, somnus excepit me suavissimus. Et astitit mihi senior quidam, cui similem vidi numquam; erat enim statura excelsus, quasi cristallus perspicuus, omni honore dignus et gloria. Quesivit a me causam itineris mei. Cum ergo non haberem, quid dicerem, quid responderem, cor omnium vestrum posuit in oculis meis, et me vobiscum abire prohibuit. Et post hec aperiens os suum, sicut erat dispositum, omnem ostendit traditionem.* Illi vero nimium confusi, ęquos conscendunt, et que dilecta Domini attulerat sublatis, recedunt. Audiunt fratres ecclesiae, et compatientes eius iniuriae, fovent illam quibus opus habuit dum mansit, sicut boni filii, sicut amici et Deo devotissimi.

58. Interea relatum est notis eius, qui erant in regione illa. Qui uno animo venerunt ad eam et reduxerunt Legiam, hinc ad sedem propriam, magnificantes et glorificantes illum incomparabilis, illum inestimabilis bonitatis virum, venerabilem Servatium, cuius meritis et precibus ancilla Christi salvata est a morte mortisque gravissimae nexibus ad honorem et benedictionem regnanti in secula seculorum. Hec nimirum femina, si rite audita recolimus, si recte agnita perpendimus, Saxonica genere 95 erat, Quidelinburc sacra nutrita religione, et in territorio Mettensi in oppido Herebodesheem[95] mater magnae devotionis feminarum fere vicenarum, dicta Diibur, ut aiunt.

59. Nec minus est memorandum, carissimi, quod cuidam eiusdem patroni de choro evenisse nec longius hinc agnovimus. Erat namque ille pro gloria Christi profecturus peregre ad sepulchrum eius, regis Salomonis olim, nunc beatissimae Helenae, matris Constantini imperatoris, ad urbem. Pro qua re cum magna esset in angustia, circuivit ecclesias sanctorum ibidem positas nocte ac die sine intermissione. Quadam autem nocte cum surgeret ad orationem maturius solito, astaret nec sine magna devotione ut oportet in Domino, in cripta prefata, sanctuarii in ostio, aperta est confestim ianua. Vidit ille, obstupuit. Sed absque mora se prostravit eadem hora cum multis lacrimis in terra, ipso sub lumine, sed dextra. Audivit vocem sibi dicentem: *Surge, fili*[b], *ingredere.* Cum ergo ille timuisset levari, eisdem verbis se iterum iterumque designari audivit. Surrexit tandem et vix limen transivit, transivit tamen, non pedibus, verum genibus. Ubi cum unius horae nec spacio esset in oratorio, sicut rerum eventus probavit postea, que sibi eventura erant novit omnia. Surrexit ille, et exivit, in oculis autem eius ianua continuo est clausa. Hoc sane oraculo ille confortatus in Domino, quod cepit, quod voluit, et sicut voluit, adimplevit, illo ipso adiuvante, qui est benedictus in evum.

60. At in via quid illi evenerit, etiam audiamus. Venit quippe ad mare, navim intravit. Proxima nocte audivit eundem dominum suum canentem et dicentem sibi: *Cras egrediemini et Dominus erit vobiscum; constantes estote, videbitis auxilium Domini super vos.* Mane facto, fratribus indicavit, illi magistro navis. Parvi pendebat ille, quia somniator vilis persona erat, ideoque navis illa non pervenit, quo ire disposuit. Disposuerat enim ire usque dominici sepulchri ad regiam, sanctam videlicet Ḥierosolimam, quod pactum quidem puer ille aliique amplius quam 200 peregrini fecerant cum nautis. Sed cum tardarent nec ire vellent, quendam ex peregrinis obisse contigit; illius substantiam nautae vi habere querebant. Itaque magna dissensio facta est inter eos. Tandem adversus peregrinos convenerunt ex

a) hostia *corr.* ostia *c.* b) filii *c.* c) sepulcrhi *c.*

95) Herbitzheim; cf. Annal. Hincmari ad a. 870.

nautis non minus quadringentis, 16 maiores, illos deglutire parati quasi leones. At Dominus non inmemor pauperum suorum — multis enim lacrimis clamaverant ad eum — in magna fortitudine descendit eos liberare. Et ecce, media malus — erant enim tres in navi — percussa tonitruo in partes dissiliit innumeras, auctor sceleris interiit, socius eius in mare eiectus, ceteri fulmine combusti, non tamen usque ad mortem, ad mortis autem gravissimae afflictionem. De his magnum est et inauditum quod dicitur; vestimentum namque eorum erat inlesum omnino et intactum, crura vero aliorum et brachia adusta, quorumdam pectus atque caput, ceterorum venter et tibiae, nullus itaque ex maioribus illis evasit iudicium Altissimi. Sedata autem hac tempestate gravissima, de latebris suis surgunt peregrini, et exeuntes, post admirationem magnam, post silentia nec minima, gratias Deo in multis agebant in lacrimis, quia sicut Hebreos ita et liberavit eos horum et de gladio maligno Egiptiorum in manu forti et valida, adimpleta sententia, que superius est dicta: *Videbitis auxilium Domini super vos*, scientes quoniam vere secum est Dominus, ille magnus Dominus virtutum.

61. Inter hec aderat nox, nec longius dies, utpote estivo in tempore; surrexit autem clarior ceteris diebus et lucidior. Quia vero propius erant terrae, levant mortuum suum, ad litus deferunt; sepulto illo, in navim redeunt. Iterum peregrinos ad iudicium cogunt, non solum verbis, sed et cum viciis atque iniuriis multis. Assunt miseri, sed in magna contricione spiritus sui, nec celestis virtus moratur diutius. Eodem namque modo, eadem et hora qua pridie, orta est tempestas valida, et quod residuum erat ignibus fulmineis contritum est, quassatum a summo usque in imum. Et nisi pius celorum arbiter peregrinorum fletibus nautis pepercisset, ipsos cum puppi perdidisset penitus. Facta pace, quieverunt. Fideles autem Christi ibant viam suam gaudentes; alii remanserunt, et quo ire volebant, numquam pervenerunt. Cuius autem gratia, karissimi, facta sunt hec gaudia? Illius nimirum pii presulis, illius incomparabilis viri, beati videlicet Servatii, qui unum ex illis, cum esset domi, in suum, ut audistis superius, introduxit secretarium, cum vero in navi: *Videbitis*, inquit, *auxilium Domini super vos* et cetera, in gloriam et honorem regnanti in secula seculorum amen.

62. Quoniam iuxta verbum angeli ad Tobiam opera Dei revelari et confiteri honorificum est, oportet christianum quemlibet quae vidit bona, que audivit bona, eius maiestatis in gloriam nequaquam occultare, nequaquam reticere. Unde puero memorato quod per beatum Servatium divinae miserationis factum est beneficium tempore post hec, verum tamen nec multo, audiamus; sed sine murmuratione, sine contentione, ne forte semen hoc cadens super petram nec habens humorem arescat et pereat, in via, ne volucres celi comedant illud, inter spinas, ne suffocatum ab eis nec in flores proficiat aut in fructum. Adhibeatur quoque diligentia, ne zizania per invidiam diaboli obprimant et deleant, quod plantavit manus et mens hominis devotissima in hac cartula. Licet enim in arido factum est, tamen aridum non est quod factum est. In stercore enim preciosissima quandoque reperitur gemma, levatur, servatur; sic omne quod bonum est, quod dignum est Deo, ad gloriam illi qui bonus condidit omnia bona. Igitur puer idem quodam tempore ivit Romam, uno tantum sed clerico contentus comite. Venerunt ad oppidum quod Vivis[a] appellatur. Orto mane, nec longius a castro consederunt ad fontem, manus suas lavabant, et ecce, iuvenis eligantissimae formae in alia parte, illumque Traiectensem — alter erat Flandrensis — intuitus, ex nomine salutavit eum. Resalutatus, ille ait: *Qui vocabulum tuum indidit mihi, ut hinc usque Romam me pascas, mandavit.* Quia grave hoc verbum accepit ille, addidit verba consolationis, dicens: *Non turbetur cor tuum, dilectissime, non turbetur. Scimus enim inopiam tuam, scimus et devotionem tuam, novimus in voluntate esse tua, quod rerum habundantia non prestat, sed magis hoc querit benignitas salvatoris Dei. Unde quod petimus facito, quia non deerit tibi consolatio de celo.* Post hec tacuit; puer vero Traiectensis annuit continuo peticioni eius, et surgens eadem hora letus processit; ille cum eo. Ibant simul illa die tota, nocte in uno manebant hospicio. Ab illo ergo loco, ab illa et nocte, eundo Romam et redeundo, sine offensione etiam pedis, cum quidam eorum discaltiati essent, in gaudio magno iter agebant, utpote in quibus sancta operabatur Trinitas. Apud civitatem vero Argentinam in osculo sancto, in pace sancta nec sine lacrimis multis discedebant. Attamen quecumque dixerat ita impleta esse, puer Traiectensis nobis retulit postea, ut ne unum quidem verbum remanserit imperfectum. In hoc revera cognoscitur, revera intelligitur, quia beatissimi Servatii meritis et precibus missus est de celo nuntius, qui hunc puerum eius non minori diligentia atque filium Tobiae duxit in Rages civitatem Medorum, illius in gloriam et honorem, cuius angeli spiritus administratorii, missi in mundum propter eos qui capiunt hereditatem salutis, ipsius quoque Ihesu in benedictionem, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat omnipotens in seculorum secula amen.

63. Novimus etiam ex relatione quorumdam fidelium, huic puerulo quid adhuc egerit virtus Domini idemque clementissimus pater gloriosus Servatius. In diebus namque illis, eiusdem coenobii consentientibus canonicis, cuidam marchioni nomine Ottoni[96] eiusque coniugi, nobilissimae matronae, multa que habebat ecclesia hec pro quodam allodio piae recordationis prepositus dederat Humbertus. Quibus vero nulla aut parva erat substantia domi, frequentabant eo tempore chorum, alii quibus rerum suppetebat copia, quo placuit ibant; nullus cogi, quod utique iniustum erat, paciebatur. Tandem una die consilio inito et iuniores, quia nichil habebant, maiorem missam celebrare nolebant. In hac contentione et ille, quia minor erat omnium, recessit domum. Quesivit sicubi repositus esset vel obulus vel denarius, scrutatisque omnibus suppellectilis suae latibulis, nichil invenit. Domino autem iubente, reversus

a) uuif c.

96) Idem videtur de quo paullo infra c. 67, Otto comes de Durachio, de quo uberius narratur in Gestis abbat. Trudon.

ad se, abiit ad chorum, misterium sacrum pauci die illa celebrabant. Peracto decentius tamen quam sperabant, immo quam volebant, domum redibant mestissimi, quia nichil in spe, nichil in re habebant, nec etiam domi. Ille hoc idem et sibi prospiciens incommodum, usque in nonam mansit ante ecclesiae fores. Ubi vero domum redit nimio affectus tedio, ut paululum quiesceret, silentium petiit, graduale arripuit, capiti subponere voluit, et ecce, denarius super librum probatissimus. Extendit manum, et stupefactus supra modum, quia antequam iret ad missam nec folium reliquerat indiscussum, gratias agebat Deo altissimo, prout valuit, et clementissimo domino suo venerabili Servatio. Advocavit puerum, dedit argentum. Ille in forum. Ocius verbo redit domum, afferens piscem, qui ei et qui secum erant pueris septem per tres sufficiebat dies; benedictus per omnia Deus, qui dat iumentis escam ipsorum et pullis corvorum invocantibus eum.

64. Post domini nostri Ihesu Christi nativitatem gloriosam alio tempore idem puer abiit iterum Romam. Circa quinquagesimam venit nec longius ab urbe memorata. Intravit quoddam oppidum, iussit parari sibi prandium. Inter prandendum casu cecidit in quo vinum erat vasculum, effusum est usque ad fundum, tamen alique remanserant guttulae. Eius famulus gravi accepit animo; ipse bono et optimo, domestici amaro, quia apud se hoc malum acciderat peregrino. Dare volebant ex proprio, sed ille recipere nolebat, ne forte gravaret pauperes. Unde et piús ille omnium bonorum largitor tocius consolationis et auctor eodem in vasculo fecit habundare vinum, quod suffecit illa die usque in noctis medium tam ex vicinis quam ex domesticis fere 20, in benedictionem illius optimi dispensatoris, qui in vinum aquas vertit in nuptiis, et qui 5000 hominum saciavit quinque de panibus, qui est rex bonus, rex magnus et gloriosus in secula seculorum. Altera vero die puer surrexit uterque diluculo valde, et iter quod ceperant omni in prosperitate agebant, laudantes et letantes, quia vere contemptibilia mundi respicit Deus et diligit. Regressi Roma, festinabant ad patriam, quia tempestates pluviarum, ut sepius in vere, imminebant gravissimae. Cum autem transissent urbem Argentinam, et que ducit Wicenburch[97] eligissent viam, ibant per silvam et in aqua fere per duo miliaria. Puer vero Traiectensis valde timebat, dominumque suum venerabilem Servatium omni cum devotione invocans sibi in auxilium, ne sonitus aquarum et fluctuum, ire vix poterat pre confusione[a], respiciensque huc atque illuc, si forte adesset villa vel qui ostenderet viam, in arbore iuxta se duos vidit pueros quasi annorum trium et omnino nudos. At ille supra quam credi potest stupefactus, quia loqui non valuit, siluit diutius, tandem salutavit eos, et verbis resalutatus amantissimis, qui sint, unde advenerint sollicite quesivit. Illi vero quasi ore ex uno respondentes dixerunt: *Est ante vos fluvius fortis nimis et validus, cuius de sinu utique profundissimo nunc, quia et suo impetu confluit alius eque magnus, erupit quam videtis abyssus, in qua et sine gravi ut videtur timore laborabitis.* Ille ut hec audivit, timorem super timorem addidit, in tantum ut lacrimas funderet et redire vellet. Redire nimirum voluit, quia in pueris revera tenerrimis sensum plenum, verba perfecta vidit, et ideo se periculo dare timuit usque ad mortem. Stetit, nec movit se. Aiunt illi: *Fili, noli timere, noli flere, te enim consolari venimus, te videre querimus. Noli autem considerare in nobis, noli designare, quod sumus nudi, quod sumus et parvuli. Quanto enim maiora in minoribus eveniunt bona, tanto maiori in gloria venerandus est qui prestat ea.* Hec et alia que etiam ventura erant eadem die, eodem in fluvio et deinceps, annuntiaverunt ei. Ut autem ascenderent equum et transirent secum, studiosissime rogavit ille, sed frustra, quia nullo modo consentiebant. Quid plura? Eorum precibus Deo commendatus abiit. Ventum est nec longius post hec ipsius ad sinum torrentis, et ecce, sonitus eius tamquam tonitrui magni, cursus eius velocior fulguris ictu, quod illum quidem conturbavit usque ad mortem. Quid ageret penitus ignorabat. Tandem memor domini sui Servatii, omni in loco, omni in tempore semper prospere secum agentis, invocato ad subsidium eius fortissimo, eius benigno et inexpugnabili patrocinio, totus fertur in preceps ac transit. Et licet ex habundantia pluviarum, ex concursu aliarum aquarum magis solito latus ac profundus fuerit idem fluvius, in momento transvolavit et sine periculo. Per omnia benedictus et ille consolator magnus et bonus, qui in angustia clamantibus ad se numquam et nusquam deesse creditur dominus noster Ihesus Christus. Mirandum est valde quod ibidem et factum esse audivimus. Uterque enim puer memoratus quo venerat in equo petivit fluvium, sed alter nando vix pervenit ad litus, alter vero ille Traiectensis ubi pervenit et in littore stetit, respexit, et utrum sub pedibus fuerit aqua mirabatur; nec enim cum transit sensit, nec in equo signum vidit aliquod. Ita et populus Hebreorum cum mare transivit, nil periculosum audivit, in manu quippe forti liberavit eos Dominus. Cuius autem in manibus iste puerulus est salvatus, nisi illius incomparabilis viri gloriosi Servatii, cuius laus ab ore eius numquam cessavit? Illius nimirum, qui domini sui ad exemplum diligentes se diligit, et qui mane vigilant ad eum, in periculis etiam sollertissima custodit diligentia. Tanti ergo beneficii ne quando immemor sit eius sanctissima anima, et in nobis concedat qui vivit et regnat princeps magnus, princeps gloriosus in secula seculorum

Psal. 77, 6. 65. Quoniam psalmista testante iubemur a Domino, ut quod per electós suos his operatur diebus altera et futura cognoscat generatio, necessarium duximus et vobis ostendere, prout possumus, que nuper audivimus. Idem namque gloriosus Servatius Traiectensium ab oppido nec longius quoddam habebat praedium, ab his que circumiacebant rura antiquitus divisum, cuius pro parte nec minima contendebat sancta Aquensis ecclesia. Illam

a) pc̄fusio *c.; videtur excidisse verbum*

97) Weissenburg ad Lauteram.

iuvabat, illam defendebat quidem comes Wernerus nomine, utilitatis suae magis quam gratia veritatis, quia per eius patrocinia habere querebat, quod iusticia omnino prohibebat, eodem videlicet de predio portionem et maximam, quia habebat et ipse agros illis adiunctos. Omnia hec simul conveniebant in unum. Placuit interea Aquensibus eidem et principi in aqua probare veritatem rei, sed Altissimi dextera sors cecidit super Traiectensem mathiam. Probabant iterum, sed Deus operabatur in id ipsum. Illi autem magis timentes ignominiam suam quam Dei presentiam, addita iniquitate super iniquitatem, in confinio predii eiusdem sacramentum fecere quidam Aquensis ecclesie advocatus nomine Tybaldus idemque comes Wernerus, consequente eos nec longius post hec iusto Dei iudicio. Ecclesia namque illa quod melius in erario suo habebat eodem anno perdidit, crucem videlicet auream eiusdem et generis turibulum et alia, quibus in Romano imperio nichil erat preciosius, nichil decentius. Ipse presbiter eiusdem ecclesiae canonicus, qui fecit indicium quasi tulisset omnia, captus est, catenatus et multis iniuriis ad mortem usque deductus. Advocatus vero Tybaldus obiit graviter afflictus, post mortem visus, et se contra beatum Servatium fecisse mirabiliter est questus. Comes Wernere quicquid ibi habuit perdidit, iuste et in eo agente celorum principe, quia omnis iniusticia in caput eius, sacra testante scriptura, redundare debet, qui facit illa. Hec revera puer Traiectensium novit, et qualiter factum est indicavit nobis; nam idem circa tempus ipse Romam profectus est. Venit in hoc predium, et quidam ei fit obvius, canicie venerandus et per omnia memorandus, et stans que scripta sunt retulit ei omnia. Illi vero revertenti Roma eodem occurrit in loco, et sicut exitus rerum iam probavit, in ordine demonstravit. Virum autem hunc beatum Servatium fuisse arbitramur, et propterea prefata retulisse suspicamur, ne mens eorum alieni invidia perdat eorum animas.

66. Erat in Brabandia, Lothariae provincia, quidam comes[98] Heinricus nomine eosdem 98 ante dies nobilis genere, sed bellandi nobilior genere. Hic possessiones beati Servatii in regione sua positas invasit, rapuit, et suis in beneficium donavit militibus, familiam eius nimis affligebat. Pater ille sanctus apparuit ei per visionem, iussitque cessare hanc desolationem. Comes amplius instabat et gravius eos premebat. Venit ille iterum et blande leviterque rogavit illum, at cessare cum nollet, sed magis magisque in eos seviret, addidit Domini servus verberibus verbera acrius. Cessavit ille paululum, sed confiteri erubuit, unde gravissime percussus, diebus multis elanguit. Tandem convocatis domus suae maioribus, omnem visionem referebat per ordinem. Mirati sunt universi, rogabant tamen dimitti que erant viri Dei, si forte ignoscat et benedictionem reddat. Distulit ille de die in diem, quia[a] sibi erat dampnum non modicum, si redderet totum. Servi autem metuentes, ne forte sit in iudicium mortis et in supplicium eternae, facto consilio idem in predium atque ad discernendam utriusque, beati videlicet pontificis ipsius et comitis, possessionem, posuerunt palum. Altera die invenerunt eiectum. Et hoc factum est tribus diebus, quoniam nimis progressi fuerant in christum Domini. Hinc principes sui ad mortem usque laborantis ex iussu et servi et vicini ad finem causam deducere convenerunt. Et ecce, homo quasi ex longinquo veniens astitit, et videntibus cunctis palum in terra fixit, ac statim omnis illa controversia cessavit. Comes eadem hora convaluit, et surgens abiit Traiectum beati Servatii ad monumentum cum muneribus dignis et orationibus, et quicquid in eum deliquerat piis actibus delebat, miro modo affirmans, quia per hunc sacrum pontificem correxerat errorem, principem liberaverat a morte dominus Ihesus Christus qui est benedictus in secula.

67. Panditur interea alio ex comite eundem contra pontificem malum, haut minus memorandum, quia diabolicum et non apostolicum. Extendit namque manum in eum, et quod iuxta se eius de predio erat invasit, colonos spoliavit. Ablata omni possessione eorum, amputavit pedes eorum; erant enim tres iuvenes, quartus ipsorum pater, quibus hoc gravissimum acciderat malum. Ipse vero comes dicebatur Otto; habitatio eius a beati Servatii Traiecto[b] nec longius. Audivit populus regionis, doluit, audiri in celo petiit. Auditur, et vindicta sequitur; nam comes Heinricus supra memoratus ut agnovit, multum congregavit exercitum. Et quia illis in partibus et eorum quorum pedes amputaverat ille erat advocatus, ipso per visionem iubente Servatio — hi enim omnes de familia eius exstiterant — irruit in illum malignum comitem et in omnia que eius iuris erant, et vastavit igni atque gladio

a) q̄ c. b) Traiect. c.

98) Lovaniensis; huius nominis ut videtur tertius.

usque ad interitum circiter mille animas. Super hec quoque ipse sanctus Domini Servatius addidit manum suam, et in manus et in pedes illius misit tanti incendii flammam, ut quasi in clibano ignis ardentis positus, torreri videretur ipsam usque in mortem, nec cessavit, donec venit Traiectum, et quod iniuste tulerat reddidit. De ceteris et veniam, ipsis sacrae devotionis canonicis interpellantibus, optinere promeruit. Habet enim hoc fides ecclesiae, ut salventur, pro quibus fideles Christi orare videntur. Alioquin nec esset solida in Christo ipsa que dicit[a] lectio: *Orate pro invicem ut salvemini.* Oblatis ergo votis et precibus nec sine condignis muneribus abiit ille in propria, comitante illum celesti gratia, sanus et incolumis, qui venerat infirmus et debilis, nec addidit ultra eius familiae inferre iniuriam.

68. Erat vir quidam Traiecti aliunde ortus nomine David. Hic anno quodam in diebus passionis Domini mirabiliter fatigari cepit frenesi. Nullus eum ferre potuit, nullus ei resistere valuit. Exclusus per noctem, per diem circumvolavit civium edes, quos repperit invasit, cedit, neque maioribus parcens neque minoribus. Ipsos etiam canonicos apud beatum Servatium — nam[b] ibi sepius servabatur — lacerabat, plerosque laicorum qui se defendere volebant, graviter vulnerabat. Hinc omnibus timor et magnus, ne forte in paschali festivitate, que tunc iminebat, ad ecclesias ire pacifice, sacris misteriis libere interesse concederetur, illius propter incomparabilem insaniam, illius et inportabilem dementiam. Sed his malis clementer providit pius redemptor Deus. Nam circa vesperam illius sacratissimae noctis magis solito estuabat vesaniae spiritu, in tantum ut mansionariis ecclesiae invitis[99] quicquid vellet faceret. Ipsas quoque fores ecclesiae post completorium irrupit, ad fontem qui consecratus erat baptismatis irruit, et se perfudit. Eiectus tandem mansit ante fores. Noctis in medio astitit ei quidam senior, et posita super caput eius dextra, ut ipse referebat postea, in nomine domini Ihesu Christi benedixit eum, et eadem hora redditus est sensus, nec mora, collocavit se in terra et obdormivit. Assunt mansionarii pro foribus, quia non audierant eum sicut prius, videntes autem illum dormientem, non crediderunt. Ad matutinas vero cum nequaquam moveret se, et populus esset in magno timore, ne forte ex improviso irrueret in eos, et cederet, vel aliud more solito inferret malum, relatum est, quia convaluisset et dormisset. Gratias omnes Deo et beato Servatio, quoniam revixit qui erat mortuus, et qui perierat inventus est sanus. Cum autem evigilasset a somno ille, ubi tanto fuerit tempore miratus est vehementer. Interrogatus super auctore salutis suae: *Hac*, inquit, *nocte et media venit in claritate nimia ista de ecclesia quidam senior, ipsis astris splendidior, et me apprehensum posuit in terra deorsum, signaculo sanctae crucis omnia membra mea signans et dicens: „Age gratias, fili mi, beato Servatio, quia per eum vita tibi donavit[c] Deus.“* Post hec vixit ille liber ab hac infirmitate, ut dicunt qui viderant, usque
Matth. 9, 12 ad finem vitae suae in gloriam et illi, qui ait: *Non est opus medico valentibus sed male habentibus.*

69. Alio quoque tempore venit quidam Longobardus Traiectum eadem frenesi laborans usque vitae ad exitum. Quem cum vidissent cives, timuerunt valde, sed tamen quia peregrinus erat, hospicio colligebant, humanitatem exibebant. Ubi autem de infirmitate corporis convaluit, graviori mentis debilitate laborare cepit. In fluvium namque Mosam sepius precipitare se volebat, alia et in pericula sed perplurima. De his omnibus liberavit eum populus, nulli civium nocuit, licet Leodii paulo ante puerum occiderit unum. Quadam vero die cum supra modum fatigari cepisset, irruit in templum beati Servatii et ante altare se prostravit. Quid ergo? Statim obdormivit et post pusillum sanus surrexit, duosque per annos deinde servivit ibidem. Post hec regressus est in patriam, ubi pristina infirmitate captus, magnum dolorem genuit parentibus. Illi omnem sollicitudinem ei impendebant. Cum autem nec proficerent nec illi prodesset, a quo prius sit salvatus recolentes, cum peregrinis Roma venientibus miserunt Traiectum beati Servatii ad monumentum. Quo cum perveniret, convaluit ac si numquam aliquid huiusmodi pateretur.

70. Nostris quoque diebus eadem Brabandia quidam miles degebat, omni leone ferocior, omni belua crudelior. Hic omnia Deo contraria sibi licere putabat atque faciebat; ecclesias namque sanctorum vastabat, sacerdotes Christi mactabat, bonis et modestis numquam pepercit. Tantis ergo malis cum finem imponere noluisset, quadam die in medio populi super eum manus Domini, et graviter percussus cecidit mortuus. Timor magnus super omnes qui aderant; licet enim perversissimus vita et moribus, genere tamen prestantissimus. Propter quam causam accedebant ex astantibus quidam, et mortuum deferebant domum. Die vero altera circa horam terciam ad sepeliendum portabant eum. Cum ergo irent, mortuus erexit se et resedit. Visa autem multitudine, quia nobilis undique confluente, nec multum quia pessimus dolente, visis tamen utcumque multis, obstupuit et graviter suspirans ingemuit. Porro qui eum ferebant continuo deponebant. Defunctus progreditur, ubinam fuerit loquitur. Ait enim: *Ut primum, carissimi, hoc corpusculum exivi, aderant spiritus maligni et ad claustra me rapiebant inferni. Ubi cum mirabiliter essem afflictus omni genere tormentorum, maxime autem ignis flamma inextinguibili, tollebar in aera. Hic erant incendia, ipsius potestatibus aeris importabilia. Cuidam rogo superpositus et maximo, usque in cinerem, ut videbatur, combustus sum et pulverem; deinde ante tribunal Christi. Quid plura, fratres? Accepta continuo dampnationis sententia, expulsus sum et abiectus. Ante portam quasi vultures erant parati demones, me rapere, me deglutire. Ut vidi perii. Et ecce, ille singularis meriti, ille unicae pietatis heros venerabilis Servatius cecidit ante pedes iudicis, et vitam obtinuit mihi,*

a) dič c. b) superscr. c. c) donouit c.

99) i. e. custodibus vel ostiariis.

non illam sed istam, et per septem annos. Hinc conversus ad me: „Consolare, inquit, fili mi, consolare, et que sunt novissima semper considera; horum nec immemor que videris hodie malorum.“ Extendensque manum, omne incendium eiusque maculas, que adhuc in me graviter estuabant, extinxit et extersit. Hoc itaque modo hanc redii ad vitam, karissimi. His dictis, eadem hora surrexit, ipsius beati Servatii ad monumentum cum multis eorum abiit Traiectum. Illi cum gratias referret pro modulo suo condignas, omnem terram circuivit flens et eiulans, atque dignos fructus, penitentiae fructus agens. Completis autem diebus a Domino concessis, ut ipse in articulo vitae aiebat, apparuit ei beatus Servatius, et cum gaudio ad gaudia duxit repromissa. Ex hoc enim nomen beatissimi Servatii magnum et gloriosum enituit in omni regione vestra et nostra.

71. Venit quidam paraliticus, membris in omnibus inutilis, illius gloriosi patroni ad sepulchrum, paucis ex cognatis suis eum ferentibus in curru. Huic nomen erat Walterus. Iacebat ille fere tota hieme extra ecclesiam versus occidentem, excepto quod quidam ex canonicis, beatae memoriae Adelbertus aliquando et propriis humeris eum hospicium portavit in suum; esset revera et mortuus fame et frigore, nisi ille subvenisset. Laborabat autem ille usque beati in festivitatem Servatii gravissima infirmitate ista, porro eadem nocte ita sanus effectus est, quasi prius nichil horum passus fuisset.

72. Venit hinc quidam claudus alio in oppido natus, et tamen multis ibidem positis notus. Hic ut orationem suam ageret secretius, post maiorem missam, post matutinas, remansit eadem in ecclesia frequentius, sed inventus a custodibus, magna cum iniuria sepius est eiectus. Tamen redit, et ante fores ecclesiae frequenter per noctem quievit, in magna ferens patientia que sibi illata sunt incommoda. At pius remunerator virtutum Deus deinceps affligi hunc miserum non passus, per illum amantissimum suum, cuius sub alas confugerat, cicius consolatus est. Quadam namque die, ut moris est in ecclesiis maioribus, hora sacrificii peracta, hora videlicet sexta, iacebat ille ante crucem in medio ecclesiae, et subito exclamare cepit, in tantum ut omnes qui aderant — remanserant enim quidam ex scolaribus, quidam ex custodibus — mirarentur. Accedentes ad eum, in solutione venarum sanguinem multum in terra effusum invenerunt. Unde signo protinus facto, convenerunt quotquot erant ex clericis et laicis, ipsi quoque ex congregatione veneranda venerabilis patris, magni et parvi, atque, ut decet, glorificabant eum in canticis, in lacrimis, illi etiam in laudem et honorem qui regnat in celis.

73. Quidam Flandrensis genere, magnus in Christo fide et devotione, Anglorum in patriam ierat illis diebus orationis. Quarto Idus mensis Decembris, quando pontus meabilis non est, simul ascende- Dec. 10.
runt mare 28 naves. In uno illarum homo ille erat. Circa horam vero terciam orta est valida in mari tempestas. Periclitantibus omnibus, set ad mortem, invitabant sibi ad consolationem suos quique patronos. Ille vero Flandrensis, ut aiebat, Traiectensium patronum venerabilem Servatium sibi in auxilium summa cum devotione vocabat, et subito quasi manu hominis ad terram eiecta est navis, cum esset in medio aliarum, et ceteris omnibus confractis, hec sola sine lesione permansit. Idem qui salvati sunt referre solebant beatum Servatium sibi apparuisse, et que facta sunt omnia sibi indicasse. Hanc igitur ob causam ad sepulchrum eius venerunt quidam, illi condignas referre gratias, et per eos innotuit vobis, per vos et nobis ad laudem et gloriam illius qui regnat in celis.

74. Affuit inter hec imperatori Heinrico memorato quidam Traiectensium antistes Willelmus nomine[1], Flandrensis genere, litteris divinis et humanis eruditissimus, inter amicos regis probatissimus, id sibi committi summopere postulans, ut habeat curam beati Servatii, qui est Traiecti de prepositura, quasi diversi diversę distraherent eius possessiones. Concessit imperator purae simplicitatis amator, ponens hoc semper in medium, quod prestet omnibus remedium. Hoc animo cuncta agebat, alio alii accipiebant, propter quod tradidit eos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea que non conveniunt, sicut ubique videtur hodie, cum nusquam adtenditur Deus, nusquam honoratur Deus. Episcopus vero memoratus, accepto quod desiderabat, quod semper optabat, animum vertit omnino in ipsum prepositum magnae devotionis virum Humbertum, qui sanctuarium beati Servatii muro renovavit, pictura decoravit, et ceteris quibus potuit ditavit bonis, totus in eo voluntate et actione. Illum a negotio dignitatis amovere, amotum et turpiter de patria eicere cupiebat. Erat enim causa huius iniuriae non iusta ipsoque indigna pontifice; nam eius ex cognatis occisus est iuvenis quidam regione in eadem. Hoc autem dum fieret, ex inproviso advenit prepositi illius frater, homo simplex, iustus et bonus. Actores vero homicidii omne crimen proiciunt in hunc famulum Domini. Credidit episcopus, credidit populus. Propter hoc surrexit in prepositum, et tota cognatio simul, nepotis in ultionem effundere sanguinem innocentem. Sed ille, qui novit omnia antequam fiant, eundem pontificem Traiectum euntem prevenit, et ne perveniret restitit; invisibili namque plaga percussus, in medio suorum, ut aiunt, cecidit et expiravit[2]. Mirabile dictu, quia mirabile visu. Sic dilectus Domini beatus 1076.
Servatius liberavit famulum sibi devotissimum, cui sit honor, laus et gloria per infinita seculorum secula amen.

1) Ultraiectensium est episcopus, quem Heinrici regis amicum longe aliter descripserunt Lambertus et Bertholdus. 2) In epularum apparatu eum repente obiisse narrat Bertholdus ad a. 1076.

75. Transactis dehinc annis non multis, in eadem regione nec longe Leodiensium ab
3 urbe, alia parte nec multum Traiectensium a civitate, in loco quid dicitur Dalaheim[a] [3] castellum construere venerunt una palatino cum comite Heremanno eiusdem provinciae plures ex maioribus potentes. Quia contra imperatorem memoratum hoc factum esse vide-
4 batur, comes Namucensis Adelbertus [4] aliique principes animo acceperunt, sed non equo, sed non bono. Unde quandoque armis concurrunt, et hinc atque illinc corruerunt, percussi gladio et mortui.

Ira sevit, furor crevit,   periit patria, confusa est ecclesia;
Nusquam iusticia,   ubique clamor et miseria.
Ponuntur in vinculis senes,   eorum destruuntur edes,
Nulli etati   parcitur, nulli dignitati.

In tanta tempestate, in tanta afflictione, celesti de regia beati Servatii, que ibi vicina erat, respicitur in familiam, et quicumque sive ex maioribus sive ex minoribus illam spoliavit, illam conturbavit, in momento periit. Quorum primi comes Heremannus, cuius erat hereditarium idem Dalaheim, Emmo quidam miles, quo duce exercitus ille intravit, vastavit que pater memoratus ibi possidebat, alius dictus Winandus, de minoribus quorum non est numerus. Omni ergo in loco, omni in tempore qui manum extendit in hunc christum Domini, super eum et suam manum protinus extendit virtus Altissimi, qui est benedictus in secula. Et quamvis malignis maior reverentia timoris exhibetur quam benignis amoris, isti benigno ab omnibus notis et ignotis eo ex tempore laus, honor et gloria condonatur in uni-
Ps. 91, 13 versa regione illa, et iuxta vocem Domini: *Sicut cedrus Libani multiplicabitur gloriosus in secula.*

76. Licet enim mille milia virtutum eius insignia adhuc noverimus, plura dicere timemus, ne forte gravemus vos, huius rei auditores per omnia devotissimos, quia sicut in malivolam animam non introibit sapientia, ita in benivolam omnis virtus introibit omnisque sapientia, quod augere in omni fidele tuo digneris, bone Ihesu Christe, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus per infinita seculorum secula amen.

77. Rogatu cuiusdam ex vobis, carissimi, curam huius opusculi suscepi.

Cor apposui, manum non opposui,   scribere volui, sed scribere timui.
Quid tamen scriberem, quid tamen agerem,   nec vidi nec repperi;
Tamen cogitavi, cogitare nec cessavi,   si forte ad effectum illius perducerem affectum,
Amici quidem mei intimi et unici.
In hoc desiderio, huius desiderii in voto   totus corde, totus eram et ore;
Unde nocte quadam in veste clara   astitit mihi senior omni carne nobilior.
Manum extendit; ego attendi.   Os meum aperuit, in eo posuit
Unum ex digitis quasi carbonem ignis.   Scribere mandavit, quod puer ille rogavit.
Adhibui[b] sensum; aderat inmensus   ille celorum auctor, ille angelorum rector.
Itaque quod nolui posui;   scriptum pro modulo vobis, Traiectenses, offero
Ecce, coram Domino quod non est ab alio.

Si ergo quod, si quod delectat, ei gratias et condignas, apud quem omnes thesauri sapientiae et scientiae, referatis, obsecro, quia, ut dixi, nichil ex me, servo utique vestro devotissimo, preter paucissima, et illa a viris bonis et optimis mihi cognita; sin autem, illi qui iussit. Valete igitur non immemores mei per Ihesum filium Dei, eundemque per beatum pontificem confessorem et magnificum venerabilem Servatium.

78. Compellimur iterum nunc, dilectissimi, compellimur et hoc auribus vestris intimare, et hoc etiam manibus vestris commendare, quod in gloria vestri nostrique beatissimi Servatii nuper fecit manus excelsa, manus Altissimi. Cuius enim lingua reticere poterit, cum superis etiam miranda atque stupenda Christi magnalia audierit? Utique nec illius lingua, illius inquam, fratres, cuius natura, si fas est dicere — revera fas est, revera et

a) delaheim *corr.* dalaheim *c.* b) Ahibui *c.*

3) Dalhem in ripa dextra Mosae. 4) Adalbertus II. qui obiit circa annum 1100

credere — malignitas, cuius voluntas impietas, cuius opera aut raro aut numquam, immo numquam, bona, quanto minus lingua illius, quem sibi ad gloriam formavit Altissimus. Benedictionis superne ergo alienum me esse non arbitror, si gloriam eius sanctorumque ipsius reticeri non patior. Unde quod vidi, quod audivi, licet omnis scientiae ignarus, licet omnis sapientiae alienus, confidenter tamen dicam, dicere nec differam, ne forte hoc infelicitatis eulogium mihi quod illi, qui ait: *Ve mihi quia tacui!* Est namque vestra in regione villa dicta vulgo Etthá, Mosae fluvii in littore sita infra Traiectum, versus septentrionem sinum, distans ab eodem Traiecto non amplius atque 7 et uno, ut dicunt, miliario. In hac siquidem villa idem vir Domini Servatius habet ecclesiam, sibi a quadam matrona dicta Gerberia antiquitus collatam. Illis nimirum a diebus sine aliqua contradictione possidebat eam. Tempore vero Heinrici quarti regis, tercii imperatoris, quidam princeps, Gerhardus nomine, illam vidit, et quia utilis possidenti, dilecto Domini invidit. Accessit latenter, invasit fraudulenter, dicens iure eam pertinere ad se, cum villa, in qua hec ecclesia est sita, dicioni suae sit subiecta. In beneficium namque eandem acceperat villam a Namucensi comite Adelberto, ille imperatoris prefati a filio, eo tempore Lotharico duce, qui anno eodem de duce 1076
translatus est in regem[5]. Audito hoc malo qui illis diebus beati Servatii erat prepositus 1075.
Traiectensium in oppido, ad quem iure Dei, sicut iam dudum audistis, pertinet, Godescalcus nomine et opere, vehementer doluit. Incredulus tamen ab ipso requirere voluit; erant enim antea amici. Misit itaque; audire contempsit ille. Misit iterum atque iterum, nichil ille, quia nec minorem Deo nec inferiorem celo se esse putabat, se esse iudicabat, tum rerum propter affluentiam, tum corporis propter eminentiam. Inter ceteras enim mundi delicias, erat statura procerus, vultu decorus, quod plerosque huius vitae amatores, pro dolor! perdit, quemadmodum Daviticum iuvenem pulcherrimum Absalonem. De his et in spalmis idem David: *Non sic impii*, ait, *non sic, quia vidi impium superexaltatum et elevatum sicut* Ps 36,35.36
cedros Libani, et ecce, non erat. Ut vero hominem salvaret, diabolum dampnaret, qui est ante omnia et super omnia, humiliter de se ipso aiebat: *Ego sum vermis et non homo.* Interroga ergo patrem tuum, et annuntiabit tibi maiores tuos, et dicent tibi, quia perierunt gigantes statura corporis sidera tangentes, cecidit et hominum fortissimus Samson. Qui aliena non rapuit, aliena non commedit sacro testante ewangelio, sepultus est in inferno. Recole etiam, o miser, recole illud apostoli, quia neque raptores possidebunt regnum Dei. 1 Cor. 6, 10
Ceptis igitur huiusmodi pravis revera et pessimus princeps ille desistere cum noluisset, prepositus beatae memoriae Godescalcus predictum adiit imperatorem, illis diebus Aquisgrani residentem, adiit illum utpote regni maiorem, utpote unicum et singularem sanctae Traiectensis ecclesiae beatissimi Servatii patronum et defensorem[6]. Ex quo enim tem- 1087.
pore pontificalis sedes consilio impiorum alio translata est, ipse domnus Servatius et omnia que iuris eius videbantur esse, semper erant in manu regia. Ideo gravi anima hoc verbum imperator accepit, indigne tulit, et omnes cum eo principes. Venit huc etiam Gerhardus princeps memoratus, in parte illius Traiectensium episcopus nomine Cuonradus[7], et quotquot sunt odientes iusticiam et veritatem, omnes adversum te, Domine, o rex iusticiae, et adversus christum tuum clementissimum et quandoque fortissimum, venerabilem Servatium. Verumtamen frustra, quia consilium eorum innotuit multis. Porro illi quibus cordi est veritas et iusticia, adiuvante Spiritus sancti clementia, contra eos toto corde et ore. Interea res ponitur in medio et omnium voluntas in Domino, eius in dilectissime genitricis cognato. Hac ex causa, ut aiunt, et precipue quia senex quidam huius rei noticiam ex ordine regali posuerat in aure: *Erat*, inquit, *domne imperator, matrona quedam dicta Gerberia, imperatoris soror Ottonis, et hec Giselberti uxor, omnium Lotharie*[a] *principum eo tempore nobilioris atque ditioris*[8]. *Illis sane diebus pax erat et concordia universi regni in* 8
partibus, sed non diuturna, quia cicius transitura. Nam multi ex principibus insurgunt in regem, eumque deponere querunt, memoratum Giselbertum elevare in regni solium volunt[9].

a) lothari c.

5) Anno 1076 Heinricus Conradum filium post Gozelonis mortem Lotharingiae fecit ducem, et paullo ante Goslariae natalitiis Domini 1075 a quibusdam principibus iusiurandum accepit, quo se Conradum regem creare velle confirmarunt; vid. Lambert. ad a. 1075. 6) Anno 1087 Heinricus imperator S. Servatii ecclesiae *omne ius beneficialis servitii* remisit, ut legitur in praecepto quodam apud Miraeum IV, 186: dies quo hoc factum sit, desideratur. 7) Wilhelmi successor sedit annis 1076—1099. 8) Vid. supra c. 42. 9) Hoc in mentem revocat locum Liudprandi Antapod. IV, 10. ubi similia leguntur

At ille, ut iustus, ut bonus, eis adquiescere noluit, sed viriliter restitit et fortiter, vehementer abhorrens hoc scelus et nefas. Quid plura? Eius auxilio tandem Otto remansit in regno, ipse mercedis benedictione accepto ducatus Lotharici honore, redit domum, indicat uxori. At illa nimio furore accensa, maritum despexit, nec ultra ad eum accessit, quia eius inscicia, dum fratre minor non esset et genere ingenii et virtute, sibi regnare non licuit. Erat enim illud[a], in-quit[b], *tempus quando regnum Grecorum, quando imperium Romanorum femine tenebant et bene regebant, quemadmodum beata Helena et Eudoxia atque aliae. Idcirco, domine, non iniusta huius matronae indignatio. Dux vero non ferens iniuriam coniugis, non ferens obpropria hominum, invasit regnum, vastavit atque spoliavit. Cognovit rex, et quia non potuit sustinere eum, velociter transivit Renum. In parte illa positus, magnum congregavit exercitum, adversarius autem, paucis secum retentis, venit post eum; occurrunt et speculatores regis, et inventum*
10 *occiderunt*[10]. *Quem enim, fratres, non perdit mens impia, mens perversa mulierum? Utique*
Matth. 11, 11. *fortissimum filiorum Israel Samsonem, utique et illum de quo Salvator seculorum: „Non surrexit, inquit, maior Iohanne baptista". Talibus ergo feminis soror imperatoris ne similis computaretur, ne belua beluis asscriberetur, callide misit, mortuum tulit, Traiecti in magna gloria sepelivit, dans beato Servatio, quasi in reconciliacionem, ecclesiam, pro qua prepositus iste iure clamat ad te, o rex gloriose, o imperator amantissime.* Audiunt legis periti, iudicant reddi. Ut autem ratum sit et inviolabile per evum, ex parte beati beate Dei genitricis cognati statuunt sacramentum fieri, et hoc non a minoribus sed a maioribus provinciae eiusdem septenis. Placuit omnibus. Appropinquante vero die, quo id fieri statutum est, in mille milibus Traiectum confluunt equites et pedites, infirmi et debiles, quotquot sunt fere universa in provincia illa, exercitus videlicet fortis et innumerabilis. Ut ipse domnus Servatius secum descendat, omnes precantur. Feretrum paratur, magna cum devotione, magno cum honore de altari levatur, effertur in pupplicum, post pusillum magnifice consolaturus populum. Egressus transvolat Mosam in multitudine gravi, recto itinere Aquisgrani. Habent enim quasi pro lege universi fere populi terrae, illo consumari in loco, in quo res primitus ventilari ceperit a populo. Quamobrem huc iter agebant, quia et ibi facta est proclamatio et ibi necessario facienda diffinicio questionis. Ad villam autem cum pervenissent unam, nec longius a Traiecto quam miliario positam, quodam in monticulo quasi fessi subsistunt et feretrum deponunt. Et ecce, mulier affertur in sella, que tempore a multo nec semel calcaverat terram, alia ex infirmitate oculi eius caligaverant. Ubi vero populum sensit, illuc se vertit, ad terram corruit, et beati viri intercessione protinus surrexit illa omni dolore, omni languore[c] liberrima. Eadem hora et qui natus est cecus visum recepit infantulus, mutus loquitur, qui erat contractus sanatur. Alii ex aliis infirmitatibus curantur, milia milibus beneficia virtutum prestantur, quo usque perveniatur Grani ad palatium. Precedunt eum in timpano et choro, in cordis et organo; in cimbalis bene sonantibus collaudat eum omnis spiritus. Auditur longius beatae Dei genitricis in choro, qui est Aquensium in throno. Sine mora suspendunt dorsalia, induunt altaria. Accendunt luminaria ubique innumerabilia. Ornant ecclesiam omni in gloria, utpote magnum suscepturi sacerdotem Christi beatum Servatium. Ergo principes quis deesse celestes putat, ubi tantorum agitur memoria sanctorum? Quis putat? Nullus utique fidelium, quia votis huiusmodi semper adesse presentiam celestium dominicum testatur euangelium. Hinc tamquam sponsus de thalamo suo, perpetuae virginis de sanctuario in fimbriis procedunt aureis canonici, cum eis de civibus ad numerum fere millenarium, portantes in manibus dominici triumphi insignia, ferentes in ore divinae laudis preconia. Adest et cum suis intimae caritatis filiis martir gloriosus pontifex Adelbertus, et de monte Pharan venit anachorita Iohannes letus, et intrantem digno suscepit honore. Undique ex opidis populus innumerabilis. Erant pulchra, erant digna, ut aiunt, hec tabernacula non minus tabernaculis illorum, quorum in morte se optavit similem propheta tuus, o[d] Domine dominorum. Respicientibus vero illis Traiectum, ecce,

Dominus Traiectensium, ille inclitus, ille intimus,
Venerabilis Servatius in clipeis aureis aureus,
Cum eo milia milium virorum nobilium.
Fit concursus quasi celestium, se intimo corde respicientium.
Et eorum in medio gaudium et exultatio.

a) illa *c.* b) inqi *c.* c) languare *c.* d) a *corr.* o *c.*
10 De morte Giselberti vid. Iahrbücher I, 2. p. 90

Principem quoque celorum venisse in castra, lacrimae habundantius fusae
Testantur et oscula pia, dulcia ac suavia;
Omnis lingua aperitur in laudem, nullius labia in fraudem.
Celum congaudet, terra resultat.
Hec tibi, Servati, celestis dextra paravit,

ut quorum de stirpe descendisti in terram, eorum et intercessione[a] tibi nunc arrideant et in celo astra. Arrident sane et congaudent non solum celestia verum etiam terrestria. Nobilis igitur hospes nobiliter exceptus, magnae et incomparandae virginis sanctuarium in benedictionem non minus aliorum atque presentium ingreditur. Ingressus vero, per noctem honoratur, per noctem glorificatur in spalmis, in himnis et ceteris divinae laudis melodiis. Altera autem die sacramento completo, egreditur in gloria nec minori quam venerat die priori; circa nonam pervenit Traiectum ad Mosam, et obviam ei milia plebis. Adest et ipsius gloriosi patroni scola, nec illa sola, verum et alia, beatae videlicet Mariae, cum aliis qui remanserant infirmi et parvuli sine numero, eiusque adventum exspectante de longinquis, de vicinis numeroso cum populo; adest et qui presidet celis magnus et excelsus angelorum dominus. Unde suam cum primum ingressus est domum, quidam parvulus, qui numquam ambulaverat, surrexit sanus; erat enim annorum fere duodenorum et multis notus ibidem habitantibus. Eadem quoque die circa solis occasum oritur aliud miraculum. Nam quedam contracta celesti munere tacta, omnium ad salutem et gaudium convaluit, erecta stetit et ambulavit. Ut autem agnoscat generatio altera, quia non est secundum opera eius in terra, claruit signis, innotuit miraculis, presentibus in gaudium, posteris in presidium. Porro in hoc comitatu vice imperatoris erat quidam Theodericus[11], cuius proavus Fresonum in terra regni sceptra gerebat. His vero omnibus feliciter peractis, cum gaudio quisque in propria redit. Contigit autem nec longius post hec eundem Gerardum, beati Servatii adversarium, gravi infirmitate ad mortem usque laborare. Misit ille Traiectum beati viri ad sepulchrum, promisit reddere quod tulerat iniuste, insuper aque guttam petebat, que sacri perfudit ossa patris. Petebat et accipiebat, atque hora eadem consecutus est sanitatem, ut ipse fatebatur, et qui secum erant tunc nobiles et ignobiles. Ut vero matura potitus est felicitate corporis, oblitus quem locutus fuerat sermonis, iterum sumit arma, celestis veritatis impugnare ardua. Sed ille qui superbis semper restitit, ad eius iniuriam commovit ipsum imperatorem regni universi et maiores. Videns ille, qui[b] nil proficeret nec proficere potuisset, cessit et reddidit. Acta sunt autem hec anno dominicae incarnationis 1088 indict. 11, ad laudem et gloriam illius cuius regni erit finis. Valete, amen.

NOMINA PONTIFICUM TUNGRENSIUM

Clari pontifices Tungris ius sceptra regentes:
I. Presulis est primus redimitus honore Maternus.
II. Postea Navitus qui dicitur esse secundus.
III. Tercius hunc sequitur Marcellus vir venerandus,
IIII. V. Metropolus quartus, post hunc quintus Severinus.
VI. Hinc Florentinum circumdedit infula sextum.
VII. Septimus accessit Martinus, ut ille recessit.
VIII. Post subit octavus Maximinus memorandus.
VIIII. Inde Valentinum dicunt succedere nonum.
X Hinc subiit decimus solium Servatius almus

PONTIFICUM TRAIECTENSIUM NOMINA.

Pontifices almi moderantes iura Traiecti:
I. II. Servatius primus fuit Agricolusque secundus,
III. IV. Tercius Ursicinus, Designatus quoque quartus.
V. Hincque Resignatus de claro stemate quintus.

a) intercissione c. b) q̇ c. quia?

11) quintus comes Hollandiae, qui regnabat annis 1061—1091; proavus eius Theodericus tertius occupaverat Frisiam occidentalem.

VI. VII. Sulpicius sextus, Quirillus septimus almus,
VIII. VIIII. Eucherius bonus octavus, Falco quoque nonus.
X. Eucharius decimus meritorum sidere comptus,
XI. Actibus undecimus preclarus Domicianus,
XII. Munulfusque loco qui ponitur in duodeno.
XIII. Tercius hinc decimus Gondulfus in omnia clarus,
XIIII. Perpetuus decimus claro de sanguine quartus,
XV. Quintus Evergisus decimus rutilans quasi sidus.
XVI. Sextus Iohannes decimus quem sunt venerantes,
XVII. Septimus Amandus decimus cunctis adamandus.
XVIII. Octavus decimus redimitus honore Remaclus.
XVIIII. Hinc Domino gratus nonus decimus Theodardus.
XX. Post meritis clarus Faramundus honore vicenus.
XXI. Primus Lambertus qui dicitur esse vicenus,
XXII. Ultimus Hubertus post bis denosque secundus.

Nomina Tungrensium pontificum.

Maternus primus.
Navitus secundus.
Marcellus tertius.
Metropolus quartus.
Severinus quintus.
Florentinus sextus.
Martinus septimus.
Maximinus octavus.
Valentinus nonus.
Servatius decimus.

Nomina Traiectensium pontificum.

Servatius primus.
Agricolus secundus.
Ursicinus tercius.
Designatus quartus.
Resignatus quintus.
Sulpicius sextus.
Quirillus septimus.
Eucherius octavus.
Falco nonus.
Eucharius decimus.
Domicianus undecimus.
Munulfus duodecimus.
Gundulfus tercius decimus.
Perpetuus quartus decimus.
Evergisus quintus decimus.
Iohannes sextus decimus.
Amandus septimus decimus.
Remaclus octavus decimus.
Theodardus nonus decimus.
Faremundus vicesimus.
Lambertus vicesimus primus.
Hubertus vicesimus secundus.

VITA ADALBERONIS EPISCOPI WIRZIBURGENSIS.

EDIDIT D. W. WATTENBACH PH. D.

Adalberoni Wirziburgensi episcopo, qui cum Gebehardo Iuvavensi et Altmanno Pataviensi inter Gregorii VII asseclas primas partes egit, constantia et integritate admodum conspicuo, biographus operi suo idoneus non contigit. Nam auctor eius quam edituri sumus vitae saeculo demum post mortem illius elapso stilum arripuit, monachus quippe Lambacensis, qui fundatoris merita illustraturus, ea quae per ora hominum tradita de eo acceperat, chartae mandavit, pauca quidem et ieiuna, sed quae summae eum de rebus Heinrici IV tempore gestis ignorantiae arguant. Qua de causa illa solummodo alicuius pretii sunt, quae de genere Adalberonis[1] *et de fundatione Lambacensis coenobii tradit,* 1 *documenta praesertim ab eo servata, quorum ope errores ipsius scriptoris corrigere licet. Adiecit seriem abbatum Lambacensium usque ad Waesigrimum productam, qui Kal. Maii* 1197 *electus, d.* 22. *April.* 1209 *mortuus est. Haec enim, quae in codice autographo eadem manu scripta vitae Adalberonis subiungitur, iam a Pezio eidem auctori attributa est. Quodsi hoc minus certum est, Miracula sine dubio ab eo conscripta sunt, quum ipse in praefatione operi praemissa illa se posteris traditurum esse significet; ea scilicet quae ipse praesens viderit. Quorum primum in a. D.* 1181 *incidit, ultimum autem (cap.* 15.*) quod manu paullulum mutata scriptum est, sed cum capite praecedenti arcte cohaeret, in a.* 1204. *Hoc igitur tempore auctor, Lambacensis coenobii monachus, operam suam absolvit; stilo usus verboso et florido, ornatu ex interspersis poetarum versibus quaesito, quorum alii Horatio et Ovidio debentur, alios a sequioris temporis poetis mutuatus est.*

1. *Codex in* Lambacensi *coenobio servatur, autographus teste Pezio. Primo loco continet epitaphia Adalberonis a Pezio SS. Rer. Austr. II,* 42. *publici iuris facta; sed quod ibi medium locum obtinet, saeculi XV manu scriptum est. Sequuntur vita et series abbatum, aliorum opera usque ad finem saeculi XIII. continuata; deinde scriptum:* De revelatione et miraculis beati Virgilii Iuvavensis episcopi, *quod eidem auctori Pezius tribuit. Nihil in eo invenitur quod ad rerum gestarum cognitionem alicuius sit momenti. Extrema huius opusculi iam desiderantur, duobus foliis excisis, in quibus etiam principium*

1) Cf. Moritz, Kurze Geschichte der Grafen von Formbach, Lambach und Pütten. Neue historische Abhandlungen der bayer. Akad. d. W. I. 1804.

Miraculorum beati Adalberonis periit, quae proxime sequuntur. Et his in fine capita aliqua ab auctore non multum recentiore adiecta sunt. Ultimo loco scripti sunt tractatus De tribus temptationibus inimici *et* Sermo de sancta Chunigunde. *Hunc codicem ipse ego non contuli, sed*

1[a]. *copiam eius in Museo Francisco-Carolino* **Linzii** *servatam, recenti tempore factam.*

Praeterea vita, etsi non integra, in duobus codicibus Monacensibus invenitur, quos V. Cl. H. C. Föringer solita benignitate nobis et indigitavit et transmisit. Horum alter est

2. *codex* **Tegernseensis** 526, 2. *chart. in quarto, cui inscriptum est:* Attinet Tegernsee 1493. 1493 illigatus . 23 sexterni. Tractatus b. Ieronimi presbiteri super psalmos *etc.; fol.* 133 Inc. tractatus fratris Thome rempis *(ita in hoc codice constanter scribitur)* professi in monte sanctae Agnetis ord. can. reg. sub capitulo Windeshemensi de disciplina claustralium[2]. *Sequitur Compendium de proprietate religiosorum, quo finito fol.* 176′ *haec verba leguntur:* Prescriptum tractatum Henrici de Hassia obtulit nobis dominus Pyrckhamer prior domus Carthusiensium Nürnbergali civitate regali a. D. 1493. — *fol.* 178 *Aeneae Silvii epistola de miseria curialium. Haec igitur ab initio in uno volumine collecta fuerunt, deinde sub eadem ligatura coniuncta sunt cum vitis Altmanni et Adalberonis item saec. XV. scriptis. Vitae Adalberonis et praefatio deest et miracula; series abbatum in Helmberto finitur. Textus mendis scatet.*

3. *Codex* **Bawaricus** 847 *chart.* 4. *saec. XV. cum utraque Altmanni vita coniungit vitam Adalberonis alia manu scriptam; foliis nonnullis excisis deest alterius vitae pars posterior cum initio vitae Adalberonis; seriem abbatum et miracula scriptor omisit.*

Editionem primus Iohannes abbas Lambacensis paravit a. 1619, *cum vitis Gebehardi et Altmanni, sed mutato stilo. Addidit vitam metrice scriptam, quam Pezius repetiit; nos tanquam recentius monachi cuiusdam Lambacensis opus exigui pretii omisimus. Vitam Adalberonis solam ex illa editione recudi fecit Io. Mabillon in Actis SS. O. S. B. VI,* 2. 661. *Deinde H. Pez ex ipso codice Lambacensi primus genuinum auctoris textum vulgavit, SS. Rer. Austr. II,* 6—50. *Eam editionem repetiit Constantinus Suysken Act. SS. Oct. III,* 451—490 *praemisso copioso et docto commentario de vita Adalberonis episcopi.*

Capitum divisionem a Pezio institutam retinui, quum in codice manu scripto rubricae tantum et paucae et nimis inaequaliter positae inveniantur.

INCIPIT PROLOGUS SEQUENTIS OPUSCULI.

Hebr 13,18 Apoc. 1, 4. Inter[a] cetera rudimenta sua apostolus ait: *Christus heri et hodie ipse et in secula seculorum.* Et Iohannes: *Qui erat, et qui est, et qui venturus est.* Per hec tria distinctionis membra tria intelligimus tempora, preteritum, presens, et futurum; per que mundus partim evolutus est, evolvitur, et evolvetur. In preterito enim tempore post patriarcharum et prophetarum ante legem et sub lege glorificationem Christus apostolos vocavit et iustificavit, martyres sanguine purpuratos coronavit, confessores, heremitas, anachoritas, qui carnem suam crucifixerunt cum viciis et concupiscentiis, in gloria eterna beatificavit, virgines felici consummatione assumpsit, denarioque vitae remuneravit. Hodie autem, id est in presenti

a. *prologum solus* 1. *servavit.*

2. fol. 152′ aliqua de vita auctoris narrantur, et opera eius enumerantur, inter quae etiam liber de imitatione Christi legitur.

tempore usque ad novissimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, cottidie non desinit vocare quem vult, iustificare quem vult, beatificare quem vult, signis clarificare quem vult, ut restaurentur ruinae et edificentur muri Hierusalem, donec impleatur numerus electorum in superna felicitate locandus, qui numerus soli Deo est cognitus, de quo Iohannes ait: *Vidi* [Apoc. 7, 9] *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Et ipse ait: *Reliqui mihi septem milia* [Rom 11, 4] *virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* Finitum pro infinito. Sic, sic

Ludit in humanis divina potentia rebus. [Ov. ex P. IV, 3, 43.]

Mundus in maligno positus est, et [1 Ioh 5, 19.]

Mundus in immundo nequit ullus vivere mundo,

nisi quem Deus elegerit de mundo, et posuerit ut eat et fructum afferat; tamen non minus potest Deus nunc quam tunc, non minus sanctificat quem vult nunc quam tunc, ubi vult et quando vult. Pleraque sanctorum gesta, vitae et passiones eorum inveniuntur in gestis pontificalibus, pleraque in ecclesiasticis hystoriis, pleraque in autenticis cronicis; ibi omissa flores et lucernae ęcclesiarum, qui suo tempore fulgebant in ecclesia ut sol et luna, ut splendor firmamenti, illustri stilo depinxerunt et posteris memoriter et aeternaliter retinenda tradiderunt. Phylosophi ut humanae sapientiae tutius liberiusque studerent, omnia sua quidam ex eis reliquerunt; omnem conatum, omne desiderium suum ad discendam, postea ad docendam sapientiam transtulerunt; cursus, vias, virtutes syderum rimati sunt; terrarum spacia et cetera hominibus incognita sollerti investigatione perdidicerunt.

Sic sua gentiles studuerunt ficta poetae [Sedul. 1, .]
Grandisonis pompare modis tragicoque boatu,

et ritu magistro[a] pulchra mendacia sua, parum posteritati profutura, pulchris enigmatum [cf. Sedul 1, 5] adumbrare et includere figuris. Alii

Res gestas regumque ducumque, et tristia bella [Hor A. P. 73.]

ceterasque mundi vanitates et lenocinia operose conscripserunt, et proinde nil aliud nisi laudes humanas meruerunt; ad postremum vero spes suas fabulis, animas tumulis tribuerunt.

Laudamus veteres, sed nostris utimur annis.

Cur miseri christiani salutem, quam operatur Deus in medio terrae secus eos, immo in eis, gratiasque sanitatum quas in dies et vident et experiuntur, turpi et inerti somno desidiae et incuriae depressi, negligenter eterna moliuntur oblivione tumulare, quas ipse vult ad laudem nominis sui toti mundo radiare? Sed quia generatio preterit et generatio advenit, ne volubilibus annorum curriculis desidiosa quae istius temporis facile subrepit hominibus negligentia, posteritas post successura oblivioni tradat originem Lambacensis cenobii, fundatores eius, quibus summam et aeternam debemus reverentiam, insuper signa et miracula virtutesque sanitatum, quibus misericordia Domini, qua plena est terra, tumulum beati patris nostri episcopi Adelberonis[b] illustravit, dignum posteris conmendare duximus; ne isto terribili multemur elogio: *Qui ignorat, ignorabitur.* Et propheta: *Ve mihi, quia tacui.* [1 Cor. 14, 38. Isai. 6, 5.] Digne enim in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transit angelorum.

INCIPIT DE INSTITUTIONE LAMBACENSIS COENOBII, ET VITA ADALBERONIS[c] EPISCOPI.

1. Igitur sicut veridica veteranorum tradit assertio, erat quidam comes Arnoldus nomine, qui castrum opinatissimum in Lambacensi loco, sicut ipse situs curiosos inspectores edocet, iuxta fluvium cui vocabulum[d] Truna, inhabitabat; ubi vectigalia et tributa secundum antiquam legem a transeuntibus solvebantur, quae et posteris inibi commorantibus legitimo iure, quo ad se transmissa erant, reddenda reliquerat, licet modo per incuriam intermissa sint[3]. Hic ex Regila nobili uxore ex Francia orientali oriunda[4], plures susce- 3

a) magnifico *Ioh. abbas.* b) *ita plerumque* 1; Adalbero 2. 3. *constanter.* c) Adaberonis 1. d) vocabula 2.

3) Telonei huius etiam Heinricus rex meminit in privilegio quod a. 1062 ecclesiae Lambacensi concessit. 4) Cfr. initium vitae metricae:

Stirps antiqua fuit, multas celebrata per oras
De Lambach comitum, quorum alto a sanguine natus,
Felix progenies, divinus Adalbero praesul.
Huic pater Arnoldus, mater Regilla potenti
Francigenum fuerat Weinsberg de gente creata.
Qui Lambach praeter Scherdingam multaque ditis
Oppida Franconiae magna ditione tenebant.

Ubi gens materna recte indicata esse videtur; nam Waltramus Numburg. de Unitate ecclesiae II, 29. de eo dicit: *Latuit enim hic Adelbero in altissima quadam munitione quae dicitur latine Mons vini.* Reginlinda vocatur in charta Heinrici II. imperat a. 1025, Mon. Boic. XXIX, 1, 12.

pisse filios fertur, de quibus nunc non est dicendum per singula, pauca tamen propter seriem narrationis prosequi non contempnenda cogit nos ratio. Habebat filium, nomine Gotfridum, dignitate marchionem, virum strennuum et fortem, virum rebus bellicis aptissimum, crebris preliorum successibus fortunatum; qui, ut decuit iuvenile decus,

Hor. A. P. 162. Gaudet equis, canibus, et aprici gramine[a] campi.

Cuius ditioni cum reditibus circumiacentibus serviebat Putina, urbs inclyta et famosa, quae quasi metropolis et mater civitatum versus Pannoniam ad australem plagam ad arcendos hostiles Pannoniorum incursus et devastationes antiquitus constituta fuit. Magnae etiam nobilitatis et ingenuitatis secundum seculi dignitatem habebat filiam, quae nupsit Ekkeberto comiti, cuius castrum Niwenburc dictum, in hora[b] Eni fluminis est situm. Huic[c] post felicem fratrum excessum, in sortem dotis urbs Putina cum omnibus ad se pertinentibus cecidit.

2. Beata itaque Regila benedictionibus dulcedinis preventa, de benedictionibus concepit, et peperit filium Adelberonem dictum, benedictum a Domino fructum, in quo benedicenda fuit omnis tribus et parentela sua, utpote qui de styrpe beata, radice sancta descendisset. De radice enim bona nascitur omne bonum. Mox mirum in modum filius sapiens gloria coepit esse patris, gradatim de virtute in virtutem ascendens, seculi blandimenta despiciens, Christo rectore, Christo duce sic transiens per bona temporalia, ut non amitteret aeterna. Necdum tamen emensis infantiae annis igne sancti Spiritus spirans, anhelare non desiit ad regnum vitae perpetis, omnia regna mundi et gloriam eorum parvi pendens, spurcicias diaboli inpolluto calle transiens, sacramenta militaria execrans, totum se arbitrio Domini et voluntati mancipans. Pater autem pius considerans piam et irrevocabilem in filio constantiam, veritusque Dei incurrere offensam si eum a bono retraheret proposito, communicato cum suis senioribus et sanioribus consilio, filium suum primae aetatis flore nitentem Herbipolym usque perduxit, eumque secundum quod canonum et decretorum edocent scita, Deo et sanctis ibidem quiescentibus in aeternum militaturum obtulit; addito quo in Franconia habundabat patrimonio, sub pontificis qui tunc kathedrae Herbipolensi prefuit, sub cleri plebisque testimonio. Ad rudimenta literalia dispositus, in brevi spiritu sapientiae et intellectus adeo affatim est imbutus, ut omnes mirarentur super doctrina et responsis eius. Ubi vero annos adolescentiae intravit, cum consilio, conniventia auctoritateque pontificis sui, assumptis aliquibus sodalibus Parisius pervenit, ubi tunc, sicut et nunc, omnium floruit peritia artium[5]; ibique dulcibus habundanter theoryae refectus fructibus, sapientia plenus Herbipolym est regressus.

3. *De Gebehardo arciepiscopo Salzburgensi.* Erat ei comes ac socius itineris Gebehardus, vir venerandus, vir dilectus Deo et hominibus, qui providentia Dei electus et ordinatus Salzburgensis arciepiscopus, monasterium in honore beati Blasii episcopi et martyris, quem sibi speciali prerogativa elegit et prece continua adoptavit patronum, inter montana, unde et ei Admunt vocabulum indidit, fundavit; illud etiam sufficientibus fratribus cumulavit, quibus necessaria tam large administravit, ut terrenis divitiis caelestes adipisci largitate elemosinarum possint: ubi insuper in pulvere mortis feliciter obdormiens, novissimam expectat tubam ad resurgendum. Nam regularis disciplina et antiqua patrum veteranorum[d] scita adeo ibi iugiter exercentur, observantur, ut fratres Dei laudibus insudantes cunctis

Matth. 5, 16. ubique terrarum positis exemplo sint virtutis et salutis, ut merito de eis dicatur: *Videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui est in caelis.*

4. *De Altmanno episcopo Pataviense.* Habuit preterea alium comitem, Altmannum videlicet, virum omni morum honestate dotatum, omni laude dignissimum, virtutibus et signis ditatum; qui nutu Dei kathedra pontificali Pataviensis ęcclesiae sublimatus, tam gloriosam quam relligiosam vitam duxit, et mors eius nihilominus preciosa in conspectu

a) germine 2. *Sed eiusmodi menda manifesta adnotare supersedeo.* b) *id est* ora. c) *hic incipit* 3. d) veteranorum *codices, quod tacite correxit Pezius; cf. cap. 1. initium.*

5) Neque in V. Gebeh. SS. XI, 37. neque in V. Altmanni cap. 7. locus quo illi tres litteris studuerunt, indicatur. Noster, et Martinus abbas Scotorum Vindob. in Senatorio (Pez SS. II, 639.) Parisios illos se contulisse, non dubitaverunt, quum ipsorum tempore studium Parisiense a plurimis frequentaretur. Sed Adalberonis tempori minime convenit; Stenzel V. C. Padebornae eos litteris operam dedisse suspicatus est, Gesch. der Fränk. Kaiser I, 136; ibi enim Altmannus primo canonicus fuit et scholas rexit.

Domini extitit. Hic monasterium in monte Gotewico in Austria sub honore Dei genitricis et perpetuae virginis Mariae constituit, quam sibi unicum pre caeteris sanctis elegit asilum, et patronam clementia et misericordia plenissimam; ibi etiam rogatu ipsius migrans ad Dominum tumulatur[a], cuius sepulchrum frequentibus illustratur signis.

5. *De obitu Wirzburgensis episcopi, et subrogatione episcopi Adalberonis.* Aliquibus vero 1045.
elapsis diebus vel annis, presul Herbipolensis[6] vita ex hac decedens migravit ad Dominum. Mai. 27.[6]
Ordinante itaque eo, cuius providentia in sui dispositione non fallitur, vicinorum presulatuum episcopi, universi ipsius presulatus prelati, principes et primates, patroni regionum, tribuni et optimates, clerus et populus utriusque sexus et aetatis, a minimo usque ad maximum, uno ore, unanimi consensu, pari voto vociferant, clamitant, Adalberonem episcopatu[b] fore dignissimum. Quid multa? Canonice a cunctis eligitur, electus ecclesiasticis iusticiis stabilitur, stabilitus tempore oportuno consecratur, consecratus satis optime sapienterque Iun. 29.
in episcopatu conversatur[c], curam eius in his quae sunt ad Deum et homines[d], decentissime administravit, vitam irreprehensibilem duxit, pater orphanorum, solator[e] et recreator pauperum, iudex viduarum, defensor extitit pupillorum. Adeo enim dilexit iusticiam et odivit iniquitatem tam in spiritalibus quam in secularibus iudiciis, ut putares psalmistam de eo dixisse: *Misericordiam et iudicium cantabo tibi;* ut referas misericordiam ad spiritalia, iu- Psal 100, 1.
dicium ad secularia. De priori enim dicitur: *Estote misericordes, sicut et pater vester mise-* Luc. 6, 36
ricors est; de sequenti vero: *Iuste iudicate, filii hominum.* Duo porro dignitatum insignia Psal. 57, 2.
gerit episcopus Herbipolensis, presulatus videlicet et ducatus, sicut in his versiculis dicitur:

Pontificem pariterque ducem stola signat et ensis.
Iure suo tenet ista duo locus Herbipolensis.

In dextera Dei exaltatus, strennue et gloriose curam episcopalem administravit, usque ad tempora scismatis, quod tunc inter imperatorem Heinricum et filium suum ortum est. Sed de his postea. Nunc vero qualiter institutio Lambacensis coeperit, breviter dicendum.

6. In primitiva ecclesia, cum post apparitionem benignitatis et humanitatis salvatoris nostri Dei christianis aurea et argentea illuxissent secula, plerique fidelium sectatores bonorum operum vitam istam transitoriam et caducam considerantes, de qua dicitur: *Vanitas* Eccl. 1, 2.
vanitatum, et omnia vanitas, mansura et aeterna totis desideriis anhelantes, Christum heredem patrimoniorum suorum constituerunt. Nam ecclesias impendiis suis construxerunt, monasteria fundaverunt, res suas, reditus, possessiones Christo famulantibus contulerunt, pro quibus memorias et glorias aeternas meruerunt, insuper thesauros et divitias caelestes adepti sunt. Nunc vero, quia

Ultima de superis terras Astrea reliquit, Ov. Met. 1, 150

et ferrea secula nimis invaluerunt, invalescendo fere ubique prevaluerunt,

Regnat avaritia, regnant, dominantur avari,

divites egent et esuriunt rapinam, non iusticiam, quorum animi sunt velut

Hamus avarus, edax, et rete capacius orbe,
Omnia cum capiant, insatianter hiant:

casas in honore Dei constructas destruunt, et in dies demoliri nituntur, possessiones, decimationes Deo famulantum invadunt, rapiunt, comminuunt hostiliter, violenter, incessanter, nec Deum nec hominem[f] verentes. Hinc est quod ubiubi ecclesias dirutas videmus[g], ruinas infinitas cernimus; et ubi prius gloriosa claruerant cenobia, nunc qualescunque aspicimus ecclesiolas, et plebeia conventicula pro religiosis conventibus in sanctitate et iusticia Deo servientibus.

7. Arnoldus itaque comes, cuius in primordio narrationis fecimus mentionem, cuius gratia et ista prelibavimus, pro terrenis celestia, pro parvis magna, pro caducis sempiterna adipisci desiderans et anhelans, uxore viduatus, filiis et heredibus excepto Wirzburgense episcopo Adelberone orbatus, castro suo in Lambacensi loco sito destructo, monasterium in honore beatae Dei genitricis Mariae construxit, ut ubi erat domus exactionis, ibi fieret domus orationis, et ubi pridem illicita commercia, Christi deinceps frequentarentur

a) tumulatus 1a. b) episcopatus 1a. episcopatu dignum et dignissimum 3. c) conversatus 1a. d) hominem 2 e) consolator 2. f) homines 3. g) vidimus 1a.

6) Bruno, filius Chunradi iunioris, Carinthiae ducis. Mortem eius d. 6. Kal. Iun. cum Ann. Wirz. (SS. II, 244) adscribunt Necrologia Luneburgense, Trevirense, Salisb. et S. Emmerammi. Diem quo Adalbero constitutus est, indicant Ann. Wirz. l. l. 246 et Annalista Saxo SS. VI, 726.

mysteria. Aggregavit preterea, sicut seniorum percepimus relatibus duodecim clericos, non cenobiali lege in cenobio degentes, sed in vicinia claustri circumquaque in singulis tuguriis conmorantes, deputatis eis, prout cuique opus esset, necessariis. Certis enim et statutis temporibus vel horis ad monasterium divina acturi veniebant, quibus peractis ad sua remeabant, suis inclusi cellulis.

8. *De scismate inter imperatorem Heinricum et filium eius Heinricum orto.* In diebus illis incentor nequitiae et omnium malorum, caput et initium omnis peccati et iurgiorum, hostis pacis et concordiae, disseminator et amator discordiae, dolens et invidens pacis et quietis gratiam imperio Romano et christianis tunc temporis arrisisse, suscitavit rixas et dissensiones odiaque inter imperatorem Heinricum, qui Romanae rei publicae prefuit, et Heinricum filium eius; in tantum ut regnum paternum omnimodis affectaret, eumque[a] omnibus conatibus tum clam tum palam impugnaret, et animum eius, oblitus paternae reverentiae, in dies exacerbaret. Tum vero asciscit sibi arte pestifera patris secretarios, cubicularios, consiliarios, duces, tetrarchas, palatinos, universique regni principes. Et alios quidem emollit blanditiis, alios impetit minis et terroribus, illos nefandis suggestionibus, illos verbis ad deprecandum[b] compositis et muneribus, illis prediorum et beneficiorum copiam, illis urbium et castellorum eminentiam, et quod magis corda sitiunt mortalium, infinitam thesaurorum promittit et offert pecuniam. Nam

Dulci gaza sono citharizat in aure potentum,
Tam suavem nescit musica tota sonum.

Quid enim? Nihil opertum, quod non reveletur, neque absconditum, quod non sciatur. Tum in lucem prodeunt insidiae, regnum invaditur, crematur, spoliatur; pater senior a filio calumniis attenuatur acriter, inhumane, crudeliter. Cerneres ibi impletum, quod Veritas Luc. 21, 10. aliquando predixerat, quia surget gens in gentem, et regnum adversus regnum, et insur- Matth. 10, 21. Luc. 11, 17. gent filii in parentes. Et illud: *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur.* Sic imperator imperatoria maiestate et dignitate privatur; sic filius patrem armis et universis agminibus, non reveritus canos multi temporis, depilavit. Quid plura?

Expulit illatis patrem crudeliter armis.

9. Apostolicus vero, qui tunc Romani culminis pontificium[c] tenuit, audito nefando scismate et scelere, quod posset non solum Romanum imperium, sed etiam[d] totum maculare disturbareque orbem christianum, inito consilio imperatori resistentes, filio inique consentientes et faventes, universosque conplices suos, utpote operarios iniquitatis, dictata super eos sententia excommunicavit. Tum omnis ecclesiastica sublimitas, omnium graduum dignitas, cupientes Domino servire in sanctitate et iusticia, nefas existimantes regiae, immo iniquae subdi clientelae, aut fugam iniere aut diversis se iniuriis sponte obtulere, aut in speluncis et exiguis silvarum uniti tuguriis more bestiarum delituere, ut aliquando Matth. 10, 23. beatus Blasius et sanctus Silvester fecere. Habebant enim preceptum Domini: *Cum persecuti vos fuerint in civitate ista, fugite in aliam.*

10. *De transitu episcopi Adalberonis a Franconia in Noricam regionem.* Fervente itaque persecutionis sevicia, episcopus Adelbero, cum nequiret et nollet nefariae contraire potestati, horrens etiam conmunicare exconmunicatis, magis[e] vero metuens offensam Dei et papae incurrere, si manus parricidis daret et homicidis, collecto cum suis consilio, elegit Psal 83, 11. abiectus esse in domo Domini, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Contempta denique pontificatus dignitate, reversus est in Bawariam, ad terram patrum suorum; inveniensque hereditatem paternam fere exheredatam, et spiritu consilii repente informatus, se ipsum cum omni patrimonio ad cenobium beatae Mariae transtulit, ad locum sibi dilectissimum, qui caros parentum suorum cineres, avi videlicet, patris et matris, fratrum aliorumque consanguineorum felici gremio foveret, et ubi sicut hodie cernitur, requiem sibi in seculum seculi elegit. Videns autem antiquam patris institutionem in Lambacensi loco constare non posse, officia tam nocturna quam diurna negligenter nec suo tempore celebrari, clericos ibi dispositos non tute a casulis suis posse egredi propter timores nocturnos, quia saepenumero arcerent eos et includerent tempestates imbrium, coruscationes fulgurum; brumali vero tempore densitates nivium, sevitia nefandarum bestiarum, pericula latronum, et aliorum quae longum est enarrare genera dispendiorum; asserebat insuper magis congruum fore, cenobitam a secretis cenobii, non rure ad divina peragenda absque

a) cumque 1a. 3. b) precandum 2. c) pontificatum 2. d) et 1a. e) magnam 1a.

periculis corporis et timoribus humanis prodire. Super hac re consuluit episcopum Pataviensem Altmannum, pre caeteris sibi peculiarem et intimum amicum, in cuius diocesi locus ille situs est, ad quem etiam spiritalia spectabant, et quae de transmutatione clericorum animo conceperit, beato aperit viro. Approbat ille et conmendat, dicens hunc animum divinitus sibi inspiratum, bonum hunc cogitatum in acta posse procedere, dummodo apostolici auctoritate ex omni parte roboretur[a]. Tum vero legati ad id negocium idonei et honorati eliguntur, et Romam diriguntur; qui post itionis suae causam expositam, papae Gregorii benivolentiam, conniventiam auctoritatemque sollempniter reportant. Et cum dies oportunus accidisset, beatus presul Adelbero sollempni spiritalium usus consilio, clericos semovit, monasticamque vitam in Lambacensi cenobio instituit; et quicunque ex clericorum ordine ad hoc propositum transire voluissent, non prohibebantur, nolentes non cogebantur; necessaria tamen eis, quoad viverent, providebantur. Prefecit autem fratribus inibi degentibus abbatem Ekkebertum, virum venerabilem, morum honestate Deo complacentem; qui postea occasione accepta, humillimis obtinuit precibus, ut ipse abrogaretur, et unus e fratribus suis, Becemannus[b], subrogaretur[7]. Qui adeptus abbatiae dignitatem, so- 7
brie, iuste et pie vivens, curam eius quamdiu Domino placuit administravit, beatoque fine ex huius incolatu seculi ad auctorem vitae transivit. Caeterum ne quis nos autumet novam elicere[c] fabulam, non sequi veritatis regulam, privilegii presentis auctoritate thema narratiunculae nostrae dignum duximus roborare[d]:

*In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ego Adalbero Dei gratia Wirzburgensis episcopus, notum esse volo omnibus Christi fidelibus, qualiter parentes mei ob salutem animarum suarum in loco Lambach dicto congregationem instituerunt clericorum; et qualiter ego[e] heres eorum factus, licentia domni apostolici papae Gregorii, qui[f] et Hiltiprandus[8], pro hac in eodem loco congregationem substitui monachorum, consensu et consilio parrochiani episcopi, Pataviensis scilicet Altmanni[8]. Et quoniam conmunis vita monachorum plus indiget, quam secularium conventus clericorum, ad subplementum eorum ex nostro adauxi fisco quattuor videlicet silvas; quarum duae iuxta Trunam in parte aquilonari sunt sitae, una mercato Wels inferior, alia superior. Inferioris vero hardis nemorarius erat Enzo; superioris autem hardis nemorarius erat Engizo. Ex altera autem parte eiusdem fluminis Trunae contra meridiem duae silvae; una ad Buchenloch, cuius nemorarius Bero erat; altera ad Eiterwalt[g], cuius nemorarius Ello erat. In his ergo silvis solus abbas absque ulla contradictione pro suo libitu habet potestatem evellendi, domos aedificandi, plantandi, molendinos faciendi, venandi, insuper quidquid ad utilitatem fratrum inde potuerit excogitari. Addidi insuper quantum mihi predii de patruo meo Arbone ad Zuisil[9] contigit, et vicinum mercatum ad Wels; duo quoque[h] mer- 9
cata in Francia, unum ad Onoldesbach[10], ad Geroldeshoven[11] alterum, cum omni utilitate ad ipsa pertinente; et parrochiam quae dicitur Tutensteten. Haec omnia Ekkeberto venerabili abbati conmisi, eo quo ego haec iure habui, monasteriique curam potestative habere feci. Huius rei testes sunt Eberhardus comes, Marchwardus, Gerungus, Ebo, Heinricus, Zeizolf, Arbo, Porn, itemque Porn, Nendingus, Archo, Herrandus, Penno, Wermut, Arbo, Erchenbertus, Adalrammus, Altmannus, Adelbertus. Actum est Ratisponae, anno 1056, indictione 9, episcopatus autem domni Adalberonis 12. Deinde post aliquantum temporis abbatis Ekkeberti coactus piis petitionibus ab hoc onere sibi imposito eum absolvi; sed ex suis ille unum fratrem, nomine Becemannum, in hoc abbatiae onus elegit. Hunc quoque pergens mecum illuc adduxi, eandemque rem, qualiter antecessori suo conmissa erat, conmisi. Cum autem hoc ipsum monasterium instauratum a supra dicto[12] episcopo[i] Altmanno et a me pariter dedicaretur, anno dominicae* 12

a) roboraretur 3. b) heremannus 2. c) edicere 2. d) 2 *addit inscriptionem:* Privilegium. e) *deest* 1[a]
f) qui et H. *desunt* 2. 3 g) citerwalt 2. h) duoque 1[a]. i) *deest* 1[a].

7) Haec omnia ex privilegio sequenti hausta esse apparet, neglecto anni numero, qui totum auctoris calculum evertit. Nam institutionem vitae monasticae revera iam a. 1056, dudum ante exilium Adalberonis et ante Gregorii VII et Altmanni tempora factam esse, privilegium ostendit a. 1061 18. Febr. ecclesiae in Lambach eiusque abbati ab Heinrico rege concessum. Kurz, Beiträge II, 434. Simili modo Adalbero iam a. 1057 in ecclesiam Wirziburgensem S. Stephani monachos introduxit. 8) Nomina haec inepte hoc loco intrusa esse, ni fallor ab ipso vitae huius auctore, iam C. Suysken demonstravit, Acta SS. Oct. III, p. 457. 9) Wieselburg ad fl. Erlaf. 10) Ansbach. 11) Geroldshoven in episcopatu Wirzburgensi. 12) Et hoc verbum interpolatori debetur, nisi totam chartam pro spuria habere velis, quod minus placet Reliqua enim omnia bene procedunt

1089. *incarnationis* 1089, *indictione* 12, *epacta* 6, *concurrente* 6, 18. *Kalend. Octobris, anno ordinationis domni Altmanni* 25, *meique* 45, *iterum et tertio haec quae prius feci renovavi, tradens tunc ad altare sanctae Mariae et sancti Kiliani unam stabulariam curtem ad dotem, simul cum his omnibus, quae a me vel a parentibus meis ante ad illud tradita fuerant. Haec episcopali banno atque huiusmodi anathemate ambo episcopi confirmavimus, ut si quis hanc traditionem destruere presumpserit, ligatis manibus et pedibus mittatur in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium.*

11. Qualiter autem sollempnitas dedicationis sit percelebrata, paucis in sequentibus liquebit. Beatus presul Adalbero, ut effectui manciparet quod pio conceperat animo, litteras episcopo Altmanno amico intimo transmisit, haec continentes[a]: *Altmanno patri sancto et venerabili, sanctae Pataviensis[b] ęcclesiae digno presuli, Adalbero Dei gratia Herbipolensi ęcclesiae prefectus, licet nunc violentorum manu iniuste eiectus, fontem vitae sitire et ad eius* Ierem 18, 6 *haustum pervenire. Quia teste propheta in manu Domini sumus, ut lutum in manu figuli, et figulus noster lutum suum in quamlibet facit transire formam et imaginem, defectivam ta-* Horat. Ars poet. 63. *men, quia debemur morti nos nostraque, et omne quod est genitum, tendit ad interitum; iamque canus enervitatem suam mundus ad deteriora vergendo indicat, quoniam[c] in dies deficiendo labitur, et lapsum defectionis ruina insequitur; vereor affatim, ne nos improvisos et inparatos fluctibus suis ingurgitet. Quoniam autem dispensante Deo quasi postliminio paternae hereditatis solus relictus sum heres, satis multum pertimescendo meditatus sum nocte cum corde meo, ne propter varia rerum dispendia, quae posthac supervenient universo orbi, et propter hominum post futurorum inertiam, consecratio Lambacensis cenobii in longa tempora differatur, et dilata intermittatur — scio enim, pater mi, quia iustis supplicationibus semper presto es, et pia vota intueris — propterea multa confidentia animatus et roboratus peto, rogo, ut intuitu divini timoris per industriam sanctitatis tuae consecratum vertatur in oratorium, quod pia sollicitudo patrum meorum condidit monasterium, ubi divinum iugiter adiutorium invocetur et Deus in sanctis suis laudetur. Quamvis hoc per me fieri liceret, non expedit quidem; vetant etiam decreta falcem mittere in alienam segetem, ne usurpatio et indiscreta invasio alienae rei aususque temeritatis generet offensam, odium aut scisma in contubernio fraternae unitatis. Felicem enim me fore existimo, si me agente, me patrante, me marthante tam sacratum pertractatum fuerit negotium; et tu felicior, si tua beata opera ille quem caeli capere non possunt, locum sibi habitationis cum sanctis suis hac in aede delegerit. Qui te ut pupillam oculi custodiat, et sub umbra alarum suarum protegat, amen.*

12. Pius autem episcopus visis litteris gavisus est, et amico dilecto litteras transmisit dilectione plenas, hunc tenorem continentes[d]: *Adalberoni patri beato et venerando, sanctae Herbipolensis ęcclesiae antistiti per omnia digno, Altmannus Dei gratia Pataviensis sedis pontifex licet indignus, in tribulatione non deficere, in fide stare, viriliter agere.*

cf. Hor A.P. 132 *Ne circa vilem patulumque nimis morer orbem,*

litteris sanctitatis tuae visis, quasi de gravi somno sum suscitatus, et adeo exhilaratus, ut meror qui precordia dudum cinxerat mea, admodum sit mitigatus. Funiculo triplici, quem phylosophya manibus summae discretionis et providentiae tribus fidibus, fide videlicet, spe et karitate contexuit, in tantum nos connexuit, consociavit, counivit sapienter, fortiter, salubriter, ut nullo erroris impulsu rumpatur, etiamsi quovis impetatur periculorum et discriminum turbine. Hunc Eccl 4, 12 *esse funiculum puto, de quo sapiens quidam: „Funiculus, inquit, triplex difficile rumpitur". Cum dicit difficile, innuit suum quoquo modo posse rumpi funiculum; noster autem funiculus nunquam rumpetur, dummodo fervor karitatis non refrigescat aut tepescat. Quid plura? Paratus sum tecum in carcerem et in mortem ire; et quomodo iuste petita negare tibi potero, qui nil negans vultum tuum honorare semper paratus sum et ero? Ego quidem, sicut petis, sollempnitatem dedicationis tecum concelebraturus[e] venio. Sed vereor ne, dum multorum nitimur militare conpendiis, vertatur in contrarium; et hoc a connunibus alis, quae naturali quadam animi feritate etiam insontibus irrogare depilationis moliuntur dispendia, dum nostra opinantur tripudiare presentia[f]. His et aliis carybdium furiis, quae emergere possunt,*

Ov Her. I, 72. *In nostras curas area lata patet.*

Sed eius erit ea mitigare, cui servire est regnare. Prex tua imperium est. Preterea prudenter

a) 2 *addit inscriptionem:* Epistola Adalberonis episcopi ad Altmannum episcopum destinata. b) Patavensis 1[a]. c) *ita emendandum putavi;* quam *codices.* d) Rescriptum Altmanni episcopi ad Adalberonem episcopum *addit* 2. e) celebraturus 1[a]. f) *ita codices.*

fecisti, quod faciem meam honorasti, et legem meam dyocesianam mihi exequendam adiudicasti. Tamen si divinum illud officium aggressus fuisses, parum in me deliquisses, quia tecum sentio, tecum sum et ero, tua facta per me sunt omnia protinus alba. Quia vero iuxta preceptum Domini iubemur afflictis in tribulatione positis condescendere, socios passionum fieri, fluctuantes solari: moneo, suggero, suadeo, ne deficias a disciplina Domini, et ne fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi. Iuxta est etiam his, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit. Gaude, pater mi, et laetare, quia dabit Deus his quoque finem, et dum minime credis,

1089 — Pers. I, 110. — Prov 3,12 — Psal. 33, 19

Grata superveniet, quae non sperabitur hora. Horat I, Ep 4, 14.

Deus pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, consoletur nos in omni tribulatione nostra, amen.

13. *Qualiter dedicatio Lambacensis monasterii a duobus episcopis sit percelebrata.* Paucis perinde evolutis dierum intersticiis, mense octavo, eo videlicet tempore, quo Iudei festum scenopheiae celebrabant hodieque celebrant, tempore illo quo omnis proventus totius anni in unum congregatur, unde et autumnus tempus illud appellatur, nam Sept. 14.

Cornu pleno copia tempus hoc perfudit,
Fugit hoc inopia, quo totus annus ludit,

venit episcopus Altmannus Lambach, sicut citatus erat. Presul vero Albero totus festivus et letabundus occurrit ei, excipiens eum cum laudibus, ymnis et canticis, ac si angelum Dei excepisset, ita in adventu eius iocundatus est; et quod reliquum fuit diei, vicaria et karitativa collatione expensum est. Crepusculo autem alterius diei illucescente, omnia ad diem festum pertinentia parata erant. Iamque procedunt ambo episcopi suo tempore pontificalibus induti, iam quasi deificati, Spiritu sancto preduce, episcopus quidem Altmannus maius et principale altare in honore beatae Dei genitricis et sancti Kyliani martyris sociorumque eius consecrat; et hoc propter geminae devotionis affectum, tum propterea, quia pius pater Albero episcopium Wirzburgense rexit, tum quia filius eiusdem loci extitit. Altare vero, quod secundum a principali locum obtinet, beatus presul Albero in honore sancti Iohannis euangelistae aliorumque sanctorum, quorum reliquiae ibi sunt reconditae, consecrat. Et cum iam gerula, sacra gerens ossicula, loco confessionis imponenda esset, gemma pontificalis anuli elapsa thecam incidit confessionis. Levita autem quasi novo experrectus miraculo, ut gemmam erueret, manum extendit. Episcopus vero clementer eum intuens, et aliquod divinum hac in re presagium intelligens: *Sine*, inquit, *fili, sine!* conversusque ad clerum et circumstantem populum, digito designat locum: *Haec,* inquiens, *requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.* Sept. 15

14. Omnis ergo ęcclesia circumfluae regionis convenerat ad dedicationis diem festum, ad sacri exercitii spectaculum, eratque quadrifidum hac die largitate divina tripudium. Penitentes cuiuscunque criminis rei de absolutione et remissione peccatorum gratulabantur, pauperes de recreatione sua iocundabantur, omnis in conmune aetas verbo salutis et doctrinae salutaris ab ore utriusque pontificis feliciter hausto spiritali gaudio replebatur, de visitatione angelorum in scala Iacob ascendentium et descendentium exhilarata consolabatur, et quasi Dominum summitate scalae innixum cerneret, in sanctitate et iustitia ei famulabatur. Preterea quatuor[a] qui post baptismi sacramentum confirmandi lege christianorum erant, episcopis beatis ad confirmandum offerebantur; iamque signo victoriae frontibus eorum unguine crismatis indito quasi in reges ungebantur, sicut prius in baptismate oleo sancto in sacerdotes uncti sunt; ut adimpleatur, quod Petrus de fidelibus ait: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus adquisitionis.* Hac etenim unctione percelebrata, summa totius christianae religionis in nobis confirmatur, stabilitas fidei prius novella et rudis consolidatur. Est adhuc causa non contempnenda confirmationis fidelium, ut videlicet inveniantur in numero centum quadraginta quatuor milium, qui in apokalypsi ab angelo in frontibus signati, a nocumento quatuor angelorum, quibus datum est nocere terrae et mari, segregantur. Cerneres ibi impletum, quod propheta ait: *Celebra, Iuda, festivitates tuas, et redde Domino vota tua.* Videtur et poeta nobis applaudere iocundando ludens: 1 Petr. 2, 9 — Nahum 1, 15.

Salve festa dies, meliorque revertere semper.

a ita 1ª. deest 2. 3

1089. 15. Sollempnitate itaque sollempniter sollempnizata ab omnibus discessum est. gratia Dei usque ad consummationem seculi ibi perdurante. Acta sunt haec anno dominicae incarnationis 1089, indictione 12, 17. Kalend. Octobris. Secundo deinde anno beatus presul
1090. Adalbero migravit ad Dominum[13], sepultus in eodem quod dedicavit[a] monasterio, in eo
Oct. 6. loco quem demonstraverat digito, patribus et paternis participans sepulchris in pace.
1091. Tertio itidem anno episcopus Altmannus obdormivit in Domino, tumulatus in monte Gote-
Aug. 8. wico, in monasterio quod fundaverat[b].

INCIPIT SERIES ABBATUM QUI LAMBACENSI LOCO USQUE AD HAEC TEMPORA PREFUERUNT.

1056. 1. Ekkebertus primus abbas a beato Adalberone episcopo Lambacensi loco prelatus est, qui postea humillimis obtinuit precibus, ut hoc absolveretur iugo; et absolutus est, parvi pendens ab hominibus vocari Rabbi.

2. Becemannus unus e fratribus suis, auctoritate episcopi Alberonis et votiva fratrum
14 concordia petente eligitur, durans usque ad finem vitae[14].

3. Sigiboldus abbas eo de medio facto successit, qui plures rexisse abbatias fertur,
1116. inter quas et Medeliccam tenuit[15]. Quo ex hac luce migrante, hostis pacis et concordiae
Mart. 20. suscitavit scandala, dissensiones et scismata in congregatione Lambacensi; et dum secundum canonum scita abbatem sibi eligere et creare debuissent, invicem confundebantur et cordibus suis dissecabantur. Pars proinde una quendam elegit Rapotonem, altera quendam Peronem. Et quia autentice per ostium in ovile ovium non intrarant, sed aliunde ascenderant, quod sequitur apud illos inventum est. Videntes itaque divino se destitutos solatio. fratrum erga se aegrotare languescereque karitatis obedienciaeque fervorem, omnem prorsus sibi denegari regularis tramitis iusticiam, ad laicorum se impudenter consilia transtulerunt et auxilia, omnesque res monasterii tam intrinsecas quam forinsecas, quas rapere et sublegere potuerunt, ut per eos regnare, immo tyrannizare possent, illis contulerunt. Quo scismatis laqueo insolubiliter durante, locus ille adeo est depauperatus et attenuatus. ut fratribus servitio Dei insudantibus necessaria penitus deperirent, hospitibus in dies supervenientibus, peregrinis, pauperibus debita humanitatis gratia negaretur. Unde inito unanimi consilio satius ducunt[c] ad tempus a loco elongari, quam ulterius inibi contra salutem animae conversari. Paucis itaque ad servitium Dei peragendum et custodiam loci thesaurique ęcclesiae deputatis custodibus, reliqui Gotewicum pervenerunt, ibique donec transiret iniquitas et scisma quiesceret, duraverunt.

16 4. Erat eodem in loco tunc temporis abbas quidam, Nanzo nomine[16], vir plenus sanctitate, plenus karitate et dilectione, omnium dotatus[d] virtutum munere; qui audito adventu
Ps. 121, 1. fratrum Lambacensium, in Spiritu sancto exultans proclamat: *Letatus sum in his, quae dicta*
Luc. 7, 16. *sunt mihi, quia Deus visitavit plebem suam.* Dein festivam ordinans processionem, benignissime excepit eos cum laudibus, iubilationibus et cantibus, cum infinitis ac devotis gratiarum actionibus, ac si angelos Dei ea hora recepisset; ita in eorum laetabatur et omnes collaetari exorabat adventu. Nam quamdiu ibi conversati sunt, visceribus paternis eos fovit, pietatis affectu ut filios karissimos coluit, caritatis dulcedinem in omnibus eis exhibuit, piam super eos sollicitudinem tenuit; ut eos iam non peregrinari, sed quasi suis in laribus familiarius conversari crederes; et haec tamdiu fideliter non deficiens exercuit, quousque honorifice eos ad sua, tempestate sopita, remisit.

17 5. Ubi vero ad aures episcopi Herbipolensis[17] factio tam gravis, tam infamis permanavit,

a) dedicaverit *Pez.* dedicaverat 2. 3. b) *hac desinit* 3; 2. *ita pergit*: Qualiter fratres Lambacenses ad Gottevicum venerunt. Eo in tempore Sigiboldus abbas, qui duobus abbatibus a beato Adalberone Lambacensi loco prelatis et defunctis successit. Qui videlicet Sigiboldus plures *etc.* c) ductum 1[a]. d) ditatus virtutibus qui 2.

13) Diem obitus 2. Non. Octobris indicant Annales Wirzburg. ad a. 1090 (SS. II, 246.), Annalista Saxo, et Necrologia Admuntense, Florianense; Zwifaltense habet Non. Octobris. Cfr. Ludewig, Geschichtschreiber v. Wirtzburg p. 481. 14) Hic in monumentis coenobii Admuntensis, quod cum Lambacensi rexit, Wecil dicitur, si vera sunt, quae in Chron. Adm. c. 14. (SS. XI, 41.) traduntur. At certe tempora ibi male distinguuntur. 15) Primus abbas Mellicensium a. 1089—1116. Lambacensium curam gessit a. 1106 in conventu Moguntino. Kurz, Beiträge II, 440. 16) a. 1114—1125. 17) Ruggeri, ni fallor, qui per partis pontificiae asseclas sedi Wirzburgensi a. 1122 impositus erat. Nam episcopatus totus eisdem partium studiis vexabatur. Pataviae a. 1121 Reginmarus Udalrico successit.

consilio auctoritateque episcopi Pataviensis, ad quem spiritalia spectant, aprum illum perversum et singularem ferum vineam Domini devastantes eiecit, procul eliminavit, officio et beneficio uterque episcopus utrumque privavit; quia membra symoniae omni ęcclesiae ibi fuisse claruit. Sic dilapidatores infausti et infesti, lege gyrovagorum ubique circumcursantes, ulterius hac in regione non conparuerunt. Ad postremum fratres Lambacenses in 1124 monte Gotewico conmorantes, cum magnae venerationis gratia[a] epistolis et legationibus utriusque episcopi revocati, Spiritu sancto predictante, canonice, concorditer, unanimiter eligunt creantque sibi abbatem Helmbertum[b] nomine, virum a Deo probatum, vigiliis, ieiuniis et orationibus frequentibus attenuatum, pacis et concordiae amatorem, elemosinarum sectatorem omniumque virtutum gemmis adornatum[c].

6. Helmbertus itaque abbas Lambacensi loco prelatus, orationibus apud Dominum obtinuit assiduis, ne diu pastoralitatis onere aut corporeae mole sarcinae in hac vita gravaretur. Nam quarto peracto anno migravit ad Dominum[18]. 1128. Febr. 7

7. Wigandus abbas pro eo eligitur, qui anno 21. ordinationis suae plaga caecitatis sicut beatus Iob percutitur[19], cuius et patientiam eodem in flagello in quantum ei licuit 19 sectatur, nec labiis suis peccavit, nec stultum quid contra Deum locutus est; quadriennio tamen, licet caecus, pastorale tenuit officium. Tandem recognoscens se ipsum, veritusque 1149. ne locus aut oviculae sibi creditae causa sui periclitarentur, sponte abbatiam resignavit. Dein post quinquennium conmunem universae carnis viam intravit. 1153

8. Ne quis autem eum in hoc deliquisse aut contra scita canonum fecisse estimet, quod corporali plaga percussus pastorale tenuit aliquantisper officium, audiat quid Gregorius papa super hac questione in decretis suis decernat, capitulo videlicet[d] 38. Sic enim dicitur: *Sicut nulli clericorum pro infirmitate corporis quartarum subsidia minuebat Gregorius, ita nulli pontificum pro aegritudine qualibet succedendum fore docebat. Unde Anatholio Constantinopolitano suo dyacono rescribens ait*[20]*: „Scripsit mihi dilectio tua, piissimum dominum nostrum* 20 *reverentissimo fratri nostro primae Iustinianae episcopo, pro aegritudine capitis quam*[e] *patitur, precipere succedi; ne fortasse dum episcopi iura eadem civitas non habet, quod absit, ab hostibus pereat. Et quidem nusquam canones precipiunt, ut pro aegritudine episcopo succedatur. Et omnino iniustum est, ut si molestia corporis irruit, honore privetur aegrotus. Atque ideo hoc per nos fieri nullatenus potest, ne peccatum in anima mea ex eius depositione veniat. Sed suggerendum est, ut si is, qui est*[f] *in regimine, aegrotat, dispensator illi talis requiratur, qui possit eius curam omnem agere, et locum illius in regimine ęcclesiae, ipso non deposito, ad custodiam civitatis implere; ut neque Deus omnipotens offendatur, neque civitas inveniatur esse neglecta. Si vero isdem reverentissimus Iohannes fortasse pro molestia sua petierit, ut ab episcopatus honore debeat vacare, eo petitionem scripto dante concedendum est. Aliter autem nos id facere pro omnipotentis Dei timore omnimodis non valemus. Quodsi hoc petere ille noluerit, quod piissimo imperatori complaceat, quidquid iubeat facere, in eius est potestate. Sicut novit, ipse provideat; nos tantum modo in depositione insontis non faciat permisceri. Quod vero ipse fecerit, si canonicum est, sequimur. Si vero canonicum non est, in quantum possumus, sine peccato nostro portamus.“*

9. Bernhardus abbas Wigando abbate abrogato subrogatur, vir strennuus pastoralique 1149 officio aptissimus, qui mox in principio prelaturae legem boni mandritae arripiens, veternosa quaelibet renovavit, dilapsa sagaciter instauravit, instaurata ut fidelis servus et prudens conservavit. Inter caetera vineta, quae hactenus fuerant rara, reditusque ęcclesiae ampliavit, dilatavit, sollerti cura super ea vigilavit, tamque[g] alter Machabeus pro patria, pro gente sibi credita viriliter, in quantum sibi licuit, dimicavit, castra sua gladio constantiae defensavit. Tandem 18. ordinationis suae anno ab impiis circumventus pro defensione 1167 Oct. 1 loci occisus, in pace spiritum reddidit[21].

a) gloria 2. b) Helinbertum 2. c) *hic* 2. *finem facit, hisce additis:* Quarto itaque peracto anno sue pastoralitatis migravit ad Dominum. Quod nobis prestare dignetur qui vivit et regnat in secula seculorum amen. d) *deest* 1[a]. e) qua 1[a]. f) quidem 1[a]. g) *ita scribendum putavi pro* iamque

18) Cf. Annales Mellicenses SS. IX, 502. et Auctarium Lambacense p. 555. 19) A. 21, postquam caecitate diu afflictus est, abbatiam resignavit, siquidem Auctario Lambacensi fides est SS. IX, 555. 20) Sequitur integra epistola Gregorii I papae IX, 41; sed canonum collectionem, ex qua verba quae praecedunt desumpsit, frustra quaesivi. 21) Obitus eius, praeter Auctarium Lambacense, commemoratur in Necrologio Admuntensi.

10. Pabo abbas loco suo substituitur, qui 28. officii sui anno senio iam fessus et imbe-
1193. cillitate corporis pregravatus, regiminis curam sponte resignavit. Demum quinto anno iura naturae ultima solvit.

Dec. 30 11. Suarzmannus abba pro eo eligitur, qui dum triennio et quinque mensibus prefuis-
1197. Apr 28. set, ex hoc emigravit mundo.

Mai. 1. 12. Waesigrimus abba, eo ordinante a quo bona cuncta procedunt, in cuius manu sunt omnium potestates et omnium iura regnorum, ei succedit, vir omni bonitate conspicuus, in consilio providus, in universa morum honestate preclarus, fonte repletus karitatis geminae;
2 Macc. 15, 14. qui bene Onyae sit conparandus, ut de eo dicatur: *Hic est fratrum amator*[22], quia vir iste in populo suo mitissimus apparuit. Hic etiam gladium verbi Dei a Domino consecutus est,
ibid. v. 16. dictumque est ei: *Accipe sanctum gladium, munus a Deo tibi collatum, quo deicias adversarios populi mei*[a].

1209. Apr. 22. Hic 13 anno dispensatione fidelissima expleta, migravit ad Dominum 10. Kal. Mai.

13. Alrammus, unus de consortio fratrum, vir relligiosus ac timens Deum, pari conni-
Sept. 29. ventia universorum eligitur. Electus omni desiderio pastoris officium exequitur[b], oves sibi creditas summo pastori assignare fideli contendit cura et administratione[a]. Qui post quin-
1213. Apr. 21. quennium debitum Deo reddidit spiritum, 11. Kal. Mai[23].

14. Otto de corpore congregationis Lambacensis chori unanimi fratrum concordia, favente clero ac populo, devotissime eligitur; administrationis sibi creditae curam toto corde ac mentis affectu sagaciter prosequitur. Hic 28. ordinationis suae anno viam univer-
1241. Oct. 22. sae carnis 11. Kal. Novembris intravit[24].

15. Wernhardus abba, eiusdem ecclesie alumpnus et confrater, vir omni gratia virtutum insignitus, necnon bone ac discrete dispensationis testimonio fulcitus, unanimi consilio et electione confratrum suorum, illo ordinante qui omnia potest, eligitur[a]. Qui dispensationis
1264. Oct. 27 sibi credite curam fideliter administrans, 22. ordinationis sue anno felici fine obdormivit in Domino.

16. Heinricus, vir providus et honestus, unanimi consensu confratrum de corpore congregationis post hunc eligitur[a]. Qui iniuncti sibi regiminis curam per viginti duos annos
1286? April. 12. provide et honeste ordinans et disponens, ex huius vite erumnis in senectute bona per misericordiam Dei liberatus, ad celica regna, ut gratie Christi confidimus, est vocatus[25].

17. Chunradus, omni morum honestate preclarus, in ordinandis rebus monasterii discretor idoneus, ac ob ferventissimum dilectionis zelum amator fratrum dictus, alumnus ecclesie, post hunc unanimi voto confratrum eligitur ad curam regiminis. Quam per quinquennium et tres menses honestissime administrans, gravi a Domino correptus corporis
1291? infirmitate, caducam vitam exuens, perhennis vite premia adeptus est, ut de Domini confidimus pietate.

INCIPIUNT MIRACULA.

PRAEFATIO.

Antiqua[c] miracula divina clementia circa tumbam beati patris nostri Adalberonis hactenus actitata propter sui pluralitatem omisimus. Nam et pleraque oblivio absorbuit, pleraque incuria abolevit; consulendum etiam tardis et inertibus fore existimavimus, ne congesta copia eis fastidium pareret. Paucula tantum ex his quae vidimus et audivimus, quae manus nostrae tractaverunt, annotare summatim potius quam latius prosequi satagimus; ut modica saltem stilla situlae devotioni posteritatis propinetur, si forte occasione competenti Deus in sanctis suis laudetur. Sacrum ergo pii patris nostri corpusculum, sacrum quietis eius tumulum, sacros eius cineres pio affectu foveamus, diligamus, veneremur fideliter, suppliciter, humiliter. Implumes et imbecilles pulli sub alas gallinae confugiamus, ut ab ea protecti ac defensati, ipsius interventu gratiam et misericordiam consequamur; ne illo euangelico denotemur elogio[26]: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti.*

1. *De paralytico post longam aegritudinem sanato.* Vergente mundi vespere, cum sol iustitiae radiis misericordiae clementioribus stillicidiisque gratiae uberioribus Lambacensem locum visitare dignaretur, paralyticus quidam de parochia quae dicitur Gutowa, in confinio Bohemorum, vehiculo brevi conducto pretio superiectus, ad Iuvaviensem se transportari ecclesiam impetravit. Comitabantur

a) *hinc alia manus pergit.* b) *ita* 1[a]. exequi nititur *Pez.* c) *principium miraculorum in codice Lamb. periit, duobus folus abscissis.*

22) Haec l. l. de Ieremia dicit Onias. 23) Obitum eius ad hunc diem commemorat Necrologium capituli Salisburgensis. 24 Diem 12. Kal. Nov. indicat fragmentum Necrologii Lamb. SS. IX, 559. 25) Diem obitus servavit Necrologium capituli Salisburgensis. 26) Matth. 23, 37.

eum eo plures ex eadem regione illustres viri, divites, mediocres pauperesque, causa orationis limina sanctorum petituri, salutisque quam audierant ibi celebrari, participes effici gestientes. Evolaverat enim fama, quemlibet peccati contagione obvolutum a liminibus oratorii, iustitia dictante divina suspendi et arceri, sicut etiam de Maria legitur Aegyptiaca, nec quemquam nisi bene emendatum sollerterque vitiis emundatum posse ingredi. Ventum est ergo ad Lambacensem locum[27]. Ibi metam itionis suae fixerat, ibi omnium sacra loca invisere cupientium portus et asylum erat, ut confessionis medela mundati, poenitentia et satisfactione purificati, tutius et liberius sancta sanctorum peterent. Comites perinde fidi misericordia moti, paralyticum gestatoriae impositum, monticulique verticem, super quem monasterium beatae Dei genitricis constitutum habetur, fortiter nitendo scandentes, oratorium introeunt, homuncionem illum iuxta sepulchrum beati presulis excutiunt. Videres enim excepta facie humana non iam hominem, sed simulachrum. Nam[28] quasi truncus erat ficulnus, inutile lignum, manibus recurvis, brachiis rigentibus, pedibus innexis natibus. Diurno itaque partim peracto officio, fratres ab oratorio secedentes ad sua rediere. Interim plebecula, quae cum languido venerat, singulis perlustratis altaribus orationi vacant, peccata sua confitentes Deum precibus placant et fletibus. Paralyticus itaque longa vectione quassatus, dolorisque vehementia angariatus, somnum arripuit; quid in somnis viderit, mente excidit: et ecce repente se suberigens clamore ingenti vociferatur, fragor nervorum et compago viscerum se solventium in tota ecclesia personat. Plebs novitate rei perculsa ocyus advolat, plantis firmiter stantem reperiunt, quem pridem solo stratum reliquerunt. Deinde pater monasterii cum omni congregatione supervenit, quid factum sit, inquirit, veritatem rei a comitibus percipit. Illis autem tardius fidem accommodantibus, et aliquantulum super hac re titubantibus, is qui sanatus fuerat, adiuratus per nomen aeterni Dei et salvatoris Iesu Christi, per omnia sacramenta, per omnia iura iurat, confirmat credibiliter et veraciter, civibus suis et comitibus id ipsum contestantibus, in id ipsum consentientibus, *se omni tempore debilem fuisse, omni destitutum officio membrorum; multis non modo diebus, sed annis contractum, solius incoluisse lectuli sentinam, in gemitu laborasse, per singulas noctes lacrimis lectulum suum lavisse, lacrimis stratum suum rigasse. Quid miserum miseriis longis afflictum ulterius quaerendo et sciscitando affligitis? Ecce enim Deus omnium exauditor, intercedentibus beati pontificis istius meritis preces meas exaudivit, et eduxit me de lacu miseriae et de luto faecis, eripuit me de tribulatione, quae circumdedit me, et statuit me supra pedes meos, et direxit, ut ipsi cernitis, gressus meos.* Tunc cedunt, tunc tot ac tantis adstipulationibus edocti credunt; exin gloria in excelsis Deo tollitur, et nomen eius laudibus exaltatur, qui salvos facit sperantes in se, qui neminem vult perire, sed omnes ad cognitionem nominis sui venire. Sic veternosa exutus tunica et aerumnosa, vestimentoque salutis et indumento laetitiae indutus, ad suos quasi novus homo pedes regreditur, qui prius alieno[a] ad vadendum utebatur vehiculo, cunctis civibus, notis et cognatis grande et delectabile spectaculum in se ipso offerens. Acta sunt haec eodem anno, quo beati Virgilii ossa sunt revelata, 1181.
in vigilia sancti Iohannis baptistae; nec ea veterum Iun. 23
relatione cognovimus, quia oculis nostris ea vidimus.

2. *De puero utroque pede claudo.* In vicina[b] claustri iuxta xenodochium in monticulo, cui collateralis est alter mons excelsus satis valde, aediculae pauperum tunc temporis fuerant collocatae, ubi natus est infantulus primo quidem ortu omni forma membrorum, nullam habens eclypsin; sed adeo integer et incolomis habebatur, ut nullum naturalis corruptionis vestigium in eo videretur. Dein procedente tempore sensim coepit aegrotare, aegrotando deficere, deficiendo uterque pes contra se invicem introrsum contrahitur et recurvatur. In radice autem monticuli rivulus blando preterfluit susurro, cuius vocabulum, quia omnibus fere patet, supersilire potius quam adnotare dignum 28
duximus. Mater itaque infantuli exemplo Rachelis filios suos deplorantis, inconsolabiliter flebat et merebat, pectora contundens, lacrimarum flumina fundens, quia tenera pueri aetatula in doloribus et aerumnis dies suos consumptura foret. Dicentibus namque cognatis et notis, vicinis et extraneis, cum penes se haberet montem, in quo oporteret orare, montem in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, cur ibi non expeteret suffragium, ubi etiam exterae nationes divinum sibi non discrederent sanctorum mediantibus meritis affore adiutorium; abiit, infantulum suum sepulchro beati Adalberonis applicuit, orationeque completa et ritu devotionis consummato, infantulum sanum recepit, quem eo aegrotantem detulit. Minus enim necessarium fore putamus, ut haec historiola alieno fulciatur testimonio. Nam et is, de quo nobis sermo est, infantiae meta transcensa, aetatem nunc habet: ipse de se et per se loquatur. Nam et nos vidimus eum claudum; videmus eum etiam nunc exsilientem, ambulantem, et laudantem Deum.

3. *De manu arida vinitoris.* De marchia Pannoniorum vinitor quidam Sclavica gente oriundus, brachium habens dextrum humero quasi inutile dependens lignum, cum iam per omnia inutilis sibi redditus foret, et officia manuum, quibus haec vita regitur, penitus illi auxilium denegarent; pro instanti necessitudine, pro spe recuperandae sospitatis loca sacra peragrare, Domino pro suis supplicare erratibus votum vovit et solvit. Nam brachium ab humero usque ad summas manus cocturis frequentibus adeo ustulaverat, ut modicum quid, exceptis stigmatum maculis, in brachio appareret: et hoc ea de causa, ut pus omne imis emergens visceribus, dolor cederet. Sed minime profuit, immo magis obfuit, quia dolorem dolori apposuit. Nec mirum, si caduca humanaque medicina parum operatur, cum largitor salutis contemnitur. Is ergo perveniens ad Lambacensem locum, clam oratorium ingreditur, sepulchro beati episcopi Adalberonis proximans, solo sternitur, sinistra manu brachium

a) *abhinc servatus est codex, pergitque ea manus, quae et vitam Adalberonis scripsit.* b) vicinia?

27) 1181. Iun. 23. 28) Hor. S. 1, 8, 1.

aridum tumulo imponit, orationem fundit, meritis beati presulis curatur, officio pristino recuperatur. Iam enim quasi tertia instabat hora primae refectionis, et ipse mendicando stipem ut paululum recrearetur petebat. Idioma namque linguae suae idiomati Teutonico inordinate et indiscrete conmiscens, corruptissimos balbutiendo profundebat soloecismos et barbarizando infrendens ridiculosa edit semiverba, quae audientibus cachinnum parerent. Haec ab ipso lacrimosis percepimus vocibus, haec manibus tractavimus. Testis est enim scientiarum Dominus, nos nil fingere: o si possemus ex pluribus modicam saltem veritatis scintillulam elicere!

4. *De muliere cuius palmae colus innexus erat.* Tempore illo quadragesimalis observantiae, quo cuncta per orbem ęcclesia Christi ardens sequi vestigia, corpus vigiliis, ieiuniis affligens, precepto Domini parens, parcius utens verbis, cibis et potibus reliquisque quae convenientia huius temporis exarata tenet, quaeque non est oportunum nunc latius persequi, appropinquante iam die festo redemptionis nostrae, multi non solum ex vicinis, sed etiam ex remotis regionibus ad Lambacensem confluxere locum, plerique causa orationis, plerique ut sacratissimis diebus divinis interesse cultibus valerent, alii ut vulnera animarum intrinseca medicamine confessionis et fomento poenitentiae curarent, se ipsos secundum conscientiae meritum bene
1 Cor. 11,31. diiudicantes, sicut apostolus monet: *Quodsi nosmet ipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur; cum iudicamur, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo dampnemur.* Alii eo tendebant, ut vivificis Christi sacramentis ibi tutius conmunicarent, ubi tutae custodiae secundum Deum vacare valerent. Idcirco enim iuxta antiquam patrum institutionem hoc observat ęcclesia, ut in tribus sacramentalibus festis ad sacramentum Christi accedat ęcclesia, propter diversos casus, qui mortalibus possunt accidere, propter eos qui subitanea et inprovisa morte intereunt; ut his premuniti sacramentis inveniantur tandem in numero iustorum, refrigerii rore per-
Sapient. 4,7 cepto, ut dicitur: *Iustus si morte preoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Nitendum est ergo omnibus viribus, ut illuc repatriemur per parsymoniam, unde cecidimus per castrimariam[a]. Perpendamus, adtendamus, quanta mala, quanta scelera mundo prothoplasti intulerit inobedientia, quid gratiae, quid miserationis contulerit Christi usque ad mortem obedientia. Considerandum pertimescendumque nobis est, quia propter infaustum temerariumque morsum pomi infinita milium milia in ventrem nequitiae suae Leviathan absorbuit, sicut per Iob
Iob 40,18 dicitur: *Absorbebit fluvium, et non mirabitur, et habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius;* fluvio gentiles et Iudeos significans, Iordane baptizatorum numerositatem mysticans. Nunc vero inobedientia obedientia eliminatur, mors morte destruitur, morsus nequitiae gustu fellis et aceti pellitur. Verum quia propter brevitatem historiolae subsequentis parum quod ad rem non pertinuit exorbitavimus, nunc in orbitam convertamur. In quarta feria, quae dominicam antecedit coenam, quam multi reverenter observant, ieiuniis et orationibus insistentes propter Christi traditionem, sicut sextam feriam propter eius passionem, sabbatum propter genitricis eius venerationem; inter ceteros qui propter dies sollempnes Lambach concurrerunt, venit mulier quaedam sinistra manu ferens muliebris exercitii instrumentum, quod nos vulgo colum vocamus, cui mulieres pensis adnexis ad nendum cottidiano insudant labore. Quae dum nocte ferianda, vespere videlicet sabbati, usque ad crepusculum noctis, qua requiescere ab omni opere christianis precipitur, ipsa acrius nendo laboraret, nunc dormitans, nunc evigilans, capite a cervice iam ad cadendum dependente, fusus in terram labitur. Hinc experrecta, colum casum minitantem sinistra, ne penitus rueret, arripuit; arreptum tam stricte tenuit, ut nulla ratione erui potuisset. Conclamant domestici, concurrunt cives et extranei, factum mirabile obstupefacti mirantur. Conicientes autem dolo muliebri id fieri, fortibus fortiores, fortioribus fortissimi ut colum ab ea evellerent succedunt; illa pre doloris nimietate vociferante, ne se lederent, a Domino factum crederent, quia legem prevaricata sit. Venit ergo ad tumulum beati Adalberonis, et multitudine quae hac die convenerat circumstante et inspectante, flens et eiulans procubuit, orationem luctuose satis fudit, et infra ymnos matutinos, cunctis admirantibus, manus divinitus resolvitur, ad terram colus labitur, postea aliquantisper iuxta sepulchrum ob memoriam signi salutaris appenditur, et laus ei ab omnibus concinitur, qui in sanctis suis est gloriosus et mirabilis. Quod si necessitas exposceret, in testimonium non duos vel tres, sed totam illam produceremus ęcclesiam: nam et si illud quid valet, quae retulimus, oculis nostris vidimus.

5. *De muliere curata, cuius manui fusus inheserat.* Consequens videtur, et seriei narratiunculae non contrarium, immo congruum, si precedenti miraculo factum mulieris prevaricatricis subnectamus, ut videlicet colo fusum iungamus: quia aliquam cognatam vicinitatem fusus cum colo habet. Nam et unum sine altero nil valet, sicut ensis absque capulo inutilis est. Muliercula quedam dum nocte sollempni, qua feriandum foret, instantius in ius[b] nendo vexaretur, fusus[c] iam stamine completo, dum eum avellere nititur, manui eius tam firmiter innectitur, ut nullo trahentium nisu, nullo motu erui potuisset. Cognati, vicini, noti et amici, ut eam consolarentur, singuli de loco suo venientes, et circa eam sedentes, divinitus conceptum offerunt ei consilium, sicut amici Iob fecisse leguntur. Sed isti diviniori intentione: *Quid tu,* inquiunt, *salutem tuam negligis? Cur te contempnis? Qui sibi nequam, cui bonus? Age ergo, et nunc tandem aliquando redi prevaricatrix ad cor, iacta cogitatum tuum in Domino, spera in eo, et ipse te enutriet. Transmigra Lambach ad locum Deo dilectum, locum gratia et miseratione repletum, quem longius remoti gratia recuperandae sanitatis expetunt, et petita percipiunt: propiciabitur enim tibi Deus, sicut multis propiciatus est; habebis nos comites, fidos in omnibus cooperatores, devotos salutis tuae fautores.* Illa spebus his animata, fidelibus adquiescens suasionibus, ad locum tendit prefatum, ante sepulchrum beati viri contritione plenissima procubuit, oratione ad

a) i. e. *gastrimargiam.* b) i. e. *illicite, ut et infra cap* 15 c) fusa c.

Dominum fusa, comitibus Deum in veritate invocantibus, manus diu clausa resolvitur, fusus manui adherens et inherens eruitur, et laus in caelum cum gratiarum actionibus attollitur.

6. *De milite sanato.* Miles, cuius nomen[a], quia notissimus est, silentio magis transire, quam paginam onerare maluimus, longa aegritudinis inedia depressus, lectum incidit valitudinis, febribus aliisque incommodis acerrime die noctuque laborans, lacrimis, suspiriis stratum suum in dies rigans. Iam omnia membra quasi emortua officia sua amiserant, iam corpus effetum usque ad internitionem languerat, iam desperatus et ab omnibus neglectus iacebat, vix vitalis halitus in pectusculo saucio spirabat, vix lumina hebentia lucem hauriebant, iam medici omnia quae rodere et emungere quiverant, asportaverant: cum ecce dominica nocte, quae octava a die sacratissimae resurrectionis obvenerat, nocte fere tota luctibus et gemitibus consumpta, ut mos est languentium, crepusculo diei iam proximante, pre nimia fatigatione obdormisceret; veneranda ei apparuit persona, angelica facie nitida, stellantibus oculis dulcis et grata, ore sereno, vultu iocundo, stola pontificali amicta perlucida, et sic eum alloquitur: *Quid tu,* inquit, *homo, somno inertiae depremeris? non intelligis, parum humanum tibi profuturum adiutorium, quamdiu divinum contempnis invocare auxilium? Si propicium cupis tibi fore Deum, si iram mitigare gestis Tonantis, si vincula tribulationis inminentis vis dirumpi, et a presenti languoris angore eripi, versus Lambach, omni submota occasione gressus dirige, sanctorum obnixe efflagita suffragia, et sanaberis.* His dictis, visio que apparuit, oraculo perorato disparuit. Aurora cursum provehente, aeger somno excitus, visionem uxori et filiis retulit. Qui visitatione misericordis Dei animati, in lacrimas solvuntur, moxque vehiculo ascenso, ad locum sibi divinitus demonstratum tendit. Dein manibus servulorum ad tumbam beati pontificis ducitur, orationis devotione rituque oblationis, quam ei predicta revelavit edocuitque visio, percelebrato, miles surrexit incolomis; pedes domum revertitur, qui prius vix alieno fultus adminiculo ad eundum utebatur.

7. *De muliere sola cogitatione salvata.* Parum videtur quod dicturi sumus, sed tamen quia memoriae obviavit, supersedendum non putamus. Lento murmure fluviolus inter duo serpit montana, qui tribus distinguitur nominibus[b]. Duo ex his, quia valde sunt nota, et presenti minus necessaria videntur themati, silentio preterimus; tercium quia nunc ad rem pertinet, ponemus. Tercio, ut predictum est, loco Lambach nuncupatur, unde et locus noster vocabulum est sortitus, a quo et viculi adiacentes nomina acceperunt. Fluviolus enim ille ad irriganda flaccentia diversas in partes derivatur, ex utroque latere amena meatu suo fovens prata; insuper diversis adminiculatur hominum usibus, in circuitu passim conmanentibus; ad postremum vero terra, qua generatus est, absorptus in planicie quadam inmergitur. Est aliquid super rivulos aquarum habitacula hominum constabiliri, et residere iuxta fluenta plenissima. Haec topographya cogente, quae in his et in aliis plerisque locis necessaria probatur, dicta sunt, qua ignorantes ad viam deducuntur, sicut caeci baculis reguntur. Super ripam amnis prelibati casae sunt dispositae, in quarum una materfamilias infirmata[c], ad extrema pene est deducta. Iam corpusculum longa et inveterata tabe olidum, quasi truncus inutilis, vix tenuissimo spiramine vividum, ut exanime putares, iacebat, lumina tetra caligo operuerat, lingua faucibus adherens officii sui penitus impos erat, pulsus venarum pertenuis vel nullus sentiebatur, gelida rigebant omnia membra, aliqua in ea signa mortis clarebant certa, ut humana conicere potuit sagacitas. Maritus eius aberat, in silvam lignorum fascem aggregaturus abierat; conclamat familia, convolat clamore exaudito extera vicinorum turba, solantur flentes, spem lugentibus repromittunt. Mittitur cursim nuncius, vocatur maritus, advolat citatus; viso uxoris periculo domum replet luctuosis eiulatibus, non modo mortem dolens uxoris, sed quia sacramentis Christi minus premunita vita decedere videbatur. Quid plura? Saniorum persuasus consilio Lambach gemebundus gressu titubante currit, et exanimis orat sacerdotem, ut viaticum offerat aegrotanti. Venit sacerdos, cui cura haec credita erat, sedet operiens, si forte aliqua experientia auribus captare queat vitalis halitus spiracula. Aure propius adhibita, officia capitis sunt muta; admonet de confessione, non erat vox neque sensus. Facto autem silentio quasi media hora, cum subito oculi languentis aperiuntur, lingua palpitans ad verba formanda relaxatur, valor corporis emortui recreatur. Quaerunt, qualiter ad vitam redierit. Respondit: *Ego*, inquiens, *cum in meditatione mea exardesceret ignis, meditata sum cum corde meo, si miseratione superni inspectoris vita mihi redderetur, Lambach me ituram, ad sepulchrum beati Adalberonis vota reddituram. Mox mirum in modum, quod dictu incredibile sit, ut cogitatum meum iactavi in Domino, affuit velox miserentis Dei miseratio, affuit solitae pietatis eius propiciatio, mox mihi sum reddita, sensus cum vita rediit, quae usque ad portas mortis appropinquaveram.*. Videsne bene congruere his quae dicta sunt, illud Daviticum: *Cor contritum et humiliatum non spernit Deus?* et item: *Prope est Dominus omnibus se invocantibus.* Tum sacramento vivifico libato, altera die viribus divinitus redintegratis surrexit incolomis, tercia demum die Lambach proficiscitur, ymmolans Deo sacrificium laudis, et reddens Altissimo vota sua, confitens ei, quia ipse sit adiutor in tribulatione, quia ipse solus laborem et dolorem consideret.

Psal. 50, 10
Ps. 144, 18.

Nil refert in conspectu Dei coeli, potius exaudire vocem deprecationis et vociferationis in templo, quam affectum piae devotionis, cordis compunctionem sine strepitu vocis in lecto. Bene ergo pius remunerator remunerat sanctae et inmaculatae cogitationis devotionem, melius bonae exhortationis locutionem, optime Domino placitam operationem. Et e converso perversae cogitationes separant a

a) *in ora codicis M.S. eadem manu adscriptum dicitur* Gebehardus de Hornaren. PEZ. b) *ad marginem codicis MS eadem manus haec annotavit* Tria vocabula fluvii, Wisbach, Cidelbach Lambach. PEZ. c) *in margine eadem manu scriptum legitur:* uxor Heinrici de Cidelaren PEZ.

Deo, probata autem virtus corripit insipientes. Quod luce clarius probatur in Nabuchodonosor, qui tumens superbia corde tenus, iniquitatem superbiae conmixtam meditatus est in cubili suo, astitit omni viae non bonae. maliciam autem non odivit, cornua superbiae in altum extulit, iniquitatem in excelso locutus est. Et quia bestialiter sensit, dum se ut deum adorari imperavit, bestialiter vixit, bestia factus est, ut quidam de eo satyrizando sic carmine ludit:

Qui Iove maior erat, fortunae ludicra flerat.
Tunc homo bos fuerat, qui Iove maior erat.

Lc. 1, 51. De quo suisque complicibus alias dicitur: *Dispersit Deus superbos mente cordis sui: deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* Perversa plerumque multatur locutio, ut in Balaam, qui pecunia corruptus, quod ante vetuit, postea docuit. Perversa operatio in multis milibus, et tamen speciatim in Absalon, qui mortem patris crudeliter sitiens, uxores eius stupravit; quod mox ultio digna ulta est. Hii sunt tres mortui, quos suscitat Dominus: primum in domo, quod significat mortem iniqui cogitatus in cordis cubili latitantem; secundum in porta, mortem designans locutionis contractam peccamine et operationis; tercium in tumba olentem, mortem insinuans usu et consuetudinis delectatione perpetuatam, sub lapide desperationis, ne homo resurgere queat, aggravatam, ut dicitur:

Mens mala, mors intus: malus actus, mors foris, usus
Tumba; puella, puer, Lazarus ista notant.

Lapis enim tegit, premit, occulit.

8 *De uxore militis sanata.* Non impar miraculum pater misericordiarum et Deus totius consolationis operatus est in viculo quodam vicino ęcclesiae beati Georii quae Chustelwanc nuncupatur. Uxor cuiusdam Gotfridi mirabili et miserabili languore diutino ardore excocta, ad extrema est deducta. Luxit et elanguit, nocte ossa eius doloribus perforabantur, die vero sine intermissione cruciabantur. Maritus eius lugubri querimonia caput et manus contorquendo, lectulo languentis adhesit; proximi et noti flentes et dolentes eam circumsteterunt, iam etiam exequiae parabantur, et extrema vitae officia ordinantur. Cum iam vitalis halitus funditus intercipi videretur, incidit ei cogitatio, si Dei donante clementia ad vitam rediret, Lambach se profecturam, tumulumque beati Adalberonis orationibus visitaturam, et suffragium petituram. Et ecce repente oculos caligine fugata aperit, lingua in vocem erumpit, se meritis beati pontificis morte et dolore ereptam, interventu eius se salvatam astruit. Mox stratu spreto erigitur, ad ambulandum fortiter nititur, monasterium beatae Dei genitricis ingreditur, sana cum gratiarum actionibus domum revertitur.

9. *De morbo militis curato.* Quidam ex ordine militantium Scoumbergensis curiae, longa infirmitatis tabe exhaustus, cum diu, ut languorem aut auferret, aut differret, aut pudoris gratia dissimularet, ultra dietam virium suarum peditando laborasset; tandem gressu nutante deceptus, baculi auxilio destitutus, in grabattum corruens ultimum videbatur trahere spiritum. Ossa enim eius diutino febrium ardore excocta extabuerant; omne corpus, pelle desuper ossibus ad instar fidis extensa, livor inmoderatus dissipaverat; vultus, forma penitus humana amissa, omni ex parte follicaverat; fenestras oculorum tumor inmanis adeo obtexerat, ut iam non oculos, sed stigmata bina in facie eius videres:

Nam velut inclusi caeco clauduntur in antro.

Cibi iam desiderati, iam parati, iam oblati, sunt ab eo fastiditi, repudiati, reiecti. Turba parentelae plangens eum quasi unigenitum, venere singuli de mansiunculis suis, ut pariter visitarent eum et consolarentur; videbant enim dolorem esse vehementem. Hortantur eum iugiter ad Deum vigilare, in fide fortiter stare, viriliter agere, insidiarum inimici versutias invocatione sanctorum longe repellere, ad Deum toto corde, toto desiderio, confessione purissima, poenitentiaque Deo placita converti, sacramentis Christi, christianae religioni, immo saluti, a Deo institutis premuniri, opera tenebrarum abicere, armis lucis, satisfactionis medela indui, ut bene de eo iam diceretur[29]: *Confessionem et decorem induisti, amictus lumine gratiae celestis, sicut vestimento.* Ad postremum admonetur, quod primum et ultimum omni curandum est homini, de salute animae oppido cogitare, rebus perituris divitias caelestes conparare, ut post excessum requiem aeternam possideat et lucem perpetuam obtineat.

Bene, inquit ille, *amici, bene sapienterque proceditis, sane suadetis, congrue monetis*[a]. *Nam et dolor gravis urget, angustiarum moles cogit, tribulatio imminens ut ad factorem misericordiaeque auctorem convertar, docet. Sed vae ei, qui fugam suam ad hanc hyemem distulerit, qui preces suas supplicationesque et opera misericordiae euangelica auctoritate elucidata, usque ad horam, cum oculus caligat, lingua palpitat, manus aret, pes gressu caret, neglexerit. Ista est puto nox, ut a doctoribus percepi, in qua nemo potest operari; solius Dei providentia colligit, sive longe sive prope sit infernus, ubi nemo ei confitebitur. Quid enim? omnia mundana gaudia, centum aut pluribus annis ducta, in aestimatione aeternorum sunt tanquam dies hesterna, quae praeteriit. Utinam modo tantum fides mea in Christo roboretur; utinam extrema dies in Christi confessione claudatur. Atqui ne omnino desperemus,*

Spem tribuit nobis confessio sera latronis;
Ne vel in extremis desperet quisque fidelis.

Nam idem, de quo loquimur, eloquentia et subtili scientia pollebat, adeo ut etiam clericorum inscitiam, sicubi in divinis exorbitassent, cate et caute satis reprehenderet. Ne quis hoc non credat, audiat ipsam Sapientiam ex ore Altissimi prodeuntem, in euangelio[30] protestantem: *Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Et conversus ad circumstantes: *Ite*, ait, *quaeso, ite; ossa cruciatibus assiduis terebrata plaustro imponite, Lambach ad sepulchrum beati Adalberonis me perducite. Confido enim in Domino, quia interventu eius et obtentu merear absolvi de durissima angustiae*

a) *hic excisae sunt integrae duae paginae in manuscripto, quarum iacturam ex Iohanne abbate resarcivimus.* PEZ.

29) Psalm. 103, 1. 2. 30) Luc. 16, 8.

instantis catena. Paruerunt, aegrotum vehiculo impositum ad locum prefatum perduxerunt, tumulo beati presulis adhibuerunt, orationum et oblationum lege rite percelebrata, ad sua redierunt. Exin labentibus sensim et resolutis dolorum vinculis, recuperatis corporis viribus convaluit, ad laudem et gloriam Redemptoris nostri.

10. *De patre familias aegrotante sanato.* Ecclesia beati Blasii in aprico constituta habetur loco, fluvio quodam preterfluente, silvaque spatiosa et speciosa eam ambiente, quae ferax bestiarum et ferarum venatui est aptissima, ac pascua pecorum ibi inveniuntur uberrima. In circuitu vero ecclesiae monticuli consurgunt, naturali tumore terrae editi, intrinsecus cryptas nativa exesas lege occulentes, quasi latibula refugiis hominum preparata; ut si forte videres, beatum Blasium persecutionis rabiem declinantem, putares ibi aliquando delituisse, et bestiis ad se causa tuitionis et medelae confluentibus, sicut de eo legitur, benedictionis gratiam obtulisse. Hospes ibi mansitabat, qui ecclesiae iura operose salubriterque procuraret, armenta quoque boum et greges ovium ibi stabilitos, et caetera usui fratrum militantia attentius conservanda gubernaret. Is viribus corporis repente coepit destitui, et nimio febrium ardore fatigari, in tantum ut eo in lectulum corruente, in solo flatus vitalis pectusculo palpitaret. Vox eius intercepta erat, compages membrorum eius, ac si abscissas putares, emarcuerant, et iam de sola sepultura eius agebatur. Appropinquabat autem dies anniversarius depositionis beati pontificis, quo memoria eius sollempniter celebranda foret. Iam dies decessit, et nox aegris nocua accessit, cum iam velut exanimis miser iaceret, et amici frequentes ad observandum eius exitum vigiliis instarent. Paululum post quartam vigiliam noctis, obdormiscentibus prae nimia lassitudine vigilibus, parietes cubiculi, in quo cubabat, tigna, asseres, tegulas aviculae teterrimae in modum vespertilionum, passerum, hirundinum operuerant, parietibus tegulisque adhaerentes et inhaerentes. Phantasmata etiam quaedam horrida, aspectu crudelissima in rimis parietum, nudatis dentibus morsum minitantia apparebant; quorum visio terribilis miseram animam fluctuantem, super quam linguis more canum, nimio solis ardore aestuantium, eiectis anhelabant, cruciabat. Istas puto esse bestias, de quibus psalmista[31]: *Ne tradas,* inquit, *bestiis animas confidentes tibi: et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.* Hae bestiae nefandissimae in obitu cuiusque hominis, ut saepius probatum est, turmatim conglomerantur, si forte quid peccatorum in seculo contractorum, quae minus emundata homo secum sola pertrahit, in anima reperiant, quo eam ad tartara cruciandam rapiant. Sed divina eos vetat miseratio, ne tantum noceant, quantum volunt. Ne quis hoc non credat, manifestius id ipsum liquet in transitu beati Martini; qui dum migraturus esset ad Dominum, bestiam sibi cruentam adstare vidit, quam confutatam a se repulit. Ecce sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior caelis factus, a bestia cruenta temptatur, insidiis et laqueis eius irretiri putatur. Quid de his aestimandum est, qui usque ad finem vitae quasi iumenta in stercoribus putrescunt?

Cumque in hac agonia fluctuans luctando anima laboraret, ecce repente persona adspectu dignissima, quae se cultu vestium pontificem declararet, habitaculum aegrotantis ingreditur, lumine circum amicta immenso, ad cuius praesentiam nox fugit, et lux in habitaculo refulsit; phantasmata etiam avicularum nigerrimarum, quae omne pavimentum caeco horrore obtexerant, reptando et volitando secreta angulorum petebant, occulere se gestientia. Ingressor vero nil cunctatus ad lectulum accedit languentis, caput triste manu blanda permulcet, faciem imbribus lacrimarum perfusam abstergit; nam et reliquam partem corpusculi sudoris violentia adeo irrigaverat, ut linteamina corpori superiecta humectasset. Ad cuius tactum vita, quae recesserat, redit; spiritus faucibus vix inhaerens reviviscit, homo paene emortuus rursus animatur, officia membrorum sensim redintegrantur vigoribus receptis. Ille denique verbi iussione signique salutaris benedictione phalanges tetras, horridas et fuliginosas eliminavit, abegit, effugavit; et sic visio, quae apparuerat, ab oculis eius ablata est.

Cum autem cursus noctis ad terminum properaret, iamque Titan Oceano emergens suo iubare mundum illustraret, vigiles exitum aegrotantis opperientes et observantes, ocyus exciti ad lectulum feruntur languentis, aestimantesque eum mortuum, aure vicinius adhibita sonum aliquem captare gestiebant; dein pulsando, stimulando, saepius ac saepius quaeritando an vivat, nec ne. Ille, ut lumina pandat, omni conamine luctatur, et linguam emortuam ad loquendum qua poterat infringens, visionem paucis, quam viderat, reserat, qualiterque sibi sit redditus expromit; ut fluvio transito ad monasterium Dei genitricis perducatur orat, quo sollempniis missarum eo die celebrandarum interesse mereatur. Illi solito laetiores effecti, utensilia plaustri applicant, aegrotum ad monasterium ferunt. Ibi geminorum manibus exceptus baiulorum, ad sepulchrum beati pontificis perducitur; exin expletis missarum sollempniis, sola Dei dextera sublevante erigitur, omni plebe, quae eo die supervenerat, aspiciente et adstipulante, domum sanus regreditur.

Nec mireris vel dubites, satellites Satanae in varias transformari formas ad decipiendas fidelium animas; quoniam, ut veraciter probatum est, exoticos et alienos permittente Domino audent sibi assumere decores, sicut de capite ipsorum dicitur: *Ipse Satanas* 2 Cor. 11, 4.
transfigurat se in angelum lucis. Nam quia mille habent artes nocendi, mille modis, mille imaginibus, diversis se hominum conformant qualitatibus. Acriter Deo remisse militantes impugnant, acrius studiosiores, acerrime eos, qui contra aereas potestates viriliter dimicant, impetunt: quod evidentissime in vita sancti Antonii probatur. Non autem quisquam autumet, propter assumptivas lucis momentaneae induvias, antiquae et nativae eos amittere horrorem nigredinis; verum sciat tales fore postea, quales fuerunt antea, quia nulla societas luci ad tenebras, nulla conventio Christi ad Belial. Non solum autem spiritaliter, sed et corporaliter fit ista dementatio. Sicut liquet in illis, qui

31) Psal. 73, 19.

magicis artibus et prestigiis argutissimis oculos aspicientium pelliciendo venantur, ut videre tibi videaris eos producere reptantis cuiuspiam ferae genus, integra scindere, scissa resarcire, diversas imagines, diversas fingere rerum species, multiplices bestiarum[a] quasi nova creatione fingere formas, alias fugientes, alias ocius insequentes, utrasque labore continuo deficientes, casas a loco suo dimoveri et alias machinatione inscrutabili transferri. De assumptione, vel potius usurpatione falsaticae demo- 32 num gloriae habes in Registro[32], ubi Iohanni diacono ad lumen lucernae noctu scribenti hostis ille antiquus ad eum acriter deterrendum et lumen extinguendum apparuit. Quem mox pius pater Gregorius, cuius vitae summam iam imposuerat manum, consolatione paterna recreavit, et quem vidisset ei declaravit.

11. *De uxore cuiusdam nemorarii sanata.* Stadiis viginti minus, quam inter Hierusalem et Luc. 24,13. Emaus, ut opinio estimat aliquorum, distat a Lambacensi loco nemus, quod a latitudine nomen mutuavit[b]; cuius compendia si qua esse possunt, redituumque circumiacentium, privilegiato iure altario beati Petri Salzburc[b*] deserviunt. Huic, ut illius iuris est regionis, custos deputatus erat, quem vulgo nemorarium aut foresticum, quasi foresti custodem nuncupamus; qui sollerti curiosaque vigilantia super custodia sibi credita sollicitaretur, ne aut publico violentorum incursu, aut furtiva vulgi strage nemus illud exstirparetur. Huius uxor[c] dum in una dierum staminibus nendis, ut huic sexui natura dictavit, insudaret, quo videlicet nuditatem tam presentis quam futuri temporis adumbraret, quam prothoplasti illi primi legis Dei spretores peryzomatibus de foliis ficus contextis opilare nisi sunt; subito de sedili cui insidebat corruens, colum istac, fusum illac longe abiciens, dolor vehemens et horror inpatiens super eam irruit, sicque inter cruciatus quos patiebatur, os eius mentumque nativam relinquens sedem, sinistrorsum ad aurem usque recurvatur. Exin officium linguae ei adimitur, victus potusque iter intercipitur, et nil nisi suprema dies expectatur. Haec gesta sunt in die Martis, et dolor ille in dies augmentatus est usque ad diem Veneris, Sept. 14. in quo celebris exaltatio sanctae crucis annuo cursu obvenit. In articulo huius diei vir mestitudinis angaria confractus, utensilibus plaustri coadunatis, et uxorem superimpositam Lambach perduxit, omnibus occursantibus casum mulieris lugubrem demonstrans, consilium querit, medicinam qua virtus recuperari queat, expetit; omnibus unanimiter consulentibus, divinae se magnopere dedere clementiae, opem votis intimis celestis efflagitare medicinae, sanctorum patrocinia, sanctorum imploranda auxilia, ut eis mediantibus ostium misericordiae illi aperiat Dominus, adquievit, credit, lacrimis suffusus ad tumbam beati Adalberonis accedit, mulierem morbidam secum adhibuit, votisque rite percelebratis, sacris etiam altaribus orationis affectu sa- Sept. 15. lutatis, ad sua mox rediit. Postero die illucescente post exaltationem sanctae crucis, e vestigio instabat sollempnitas dedicationis templi Lambacensis: et ecce, dum via panditur processioni, hac die nullatenus nisi summa necessitudine omittendae, adest vir non humili repletus tripudio, qui pridie tristitiae absorptus recesserat baratro, cum muliere sanata iam, facie iam redintegrata, et in sede nativae dispositionis relocata. Quae enim paulo ante forma naturali amissa, obliquo ac distorto vultu horrorem aspicientibus incusserat, linguaque quasi trisulcata balbutiendo confusos vix edidit semilatratus, nunc clara voce meritis beati presulis se ereptam, se salvatam vociferat, universis Dei gratiam declarat; omnisque caetus, qui gratia diei festi eo die convenerat, Deum laudibus exaltat.

12. *De quodam paupere post longum languorem sanato.* Pauperculus quidam mirabili et miserabili languore tabescens, vi febrium adeo est excoctus, ut non solum diutino, sed et annuo deficere morbo videretur; utpote cui propter paupertatis sterilitatem nec medicorum peritia, nec cibi lautioris succurrerent suffragia. Nulla sibi certa patria, nulla prorsus propria habitationis aedicula; sed quamdiu sibi licuit, hac et illac vagabundus textrinae artis peritia lucratur vitae transeuntis victualia. Atqui dum deficeret virtus eius, dum sopita fuissent manuum officia, quieverunt pariter temporalis subsidii adminicula. Cumque alienas incoleret aedes, et omnibus tedio super eo affectis iam exosus haberetur, iam fetoris[d] intolerantia omnis homo gravaretur, a notis et exteris spernitur, contempnitur, quasi abhominabilis abicitur. Dein ab aliquibus Deum timentibus Lambach perducitur, in hospitio pauperum colligitur; ibi tenetur, ibi fovetur, ibi humane satis tractatur, donec memoria eius apud suos sepelitur, donec oblivioni tanquam mortuus a corde traditur. Erat ei soror aeque egena, stipem modo labore manuum, modo mendicando conquirens. Quae veniens visitare et consolari fratrem doloribus continuis tabescentem, fletum deduxerunt oculi eius, conmota sunt etiam viscera eius super fratre suo. Exin muliebris oblita levitatis, animumque virilem femineae interserens, immo preponens fragilitati, tota ad Deum convertitur, fratremque sibi paria sentire hortatur. Et quia pedes ei officium assuetum negaverant, gestatoria a quibusdam petita et accepta, ossa fratris lurida et semimortua imposita, baiulis accitis, tumulo beati Adelberonis advecta exponit. Ad postremum, quod unicum estimabat asilum, orationem ad Dominum cum ipso et pro ipso fudit, singula altaria gemitibus inenarrabilibus revisens, celerem salutem videre meruit et virtutem. Nam ad fratrem rediens, misericordia misericordis Dei invenit eum iam melius habentem, baculi solatio se subrigentem, quem nuperrime quasi paralyticum reliquerat iacentem, parum a Lazaro, excepto vitali halitu, distantem. Adhuc tamen quasi novus ambulator gressu titubabat, adhuc membra debilia, longo[e] febrium ardore exhausta, ad instar infantis deambulare

a) *huc usque lacuna codicis pertingit.* b) *Ioh. abbas addit* vulgo Pratenau. PEZ b*) Salzbur *cod.* c) *ad oram manuscripti eadem manu adscriptum legitur* Uxor Eberhardi de Pretenowe. d) fetores *cod.* e) longa *cod.*

32) scil. in Vita Gregorii papae a Iohanne diacono scripta, cap. ultimo. Verum non scribenti, sed somnianti sibi haec accidisse narrat.

gestientis, nunc stantis, nunc labentis, nunc se subrigentis, nutabant; sed sensim de die in diem in melius proficiens, pristinae sanitati meritis beati pontificis redditus est. Nulla haec vetustorum relatione cognovimus, sed quae scripsimus oculis perspeximus, manibus tractavimus; nec operae precium fore putamus, alieno haec fulcienda testimonio, quae nobis coram positis divina evidenter operata est virtus.

13. *De muto divinitus sanato.* A monasterio Lambacensi miliario fere uno, in edito montis loco, ęcclesia[a] beati Laurentii martyris constituta habetur; in circuitu vero prominent montana, in primordio creationis mundanae nativo tumore ex gremio genitricis terrae prolata. Secus hanc etiam viculus non grandis disponitur, dein per agros rarae sparguntur casulae, colonis satis aptissimae. Ex his ergo unus, permittente eo qui possedit et fecit et creavit nos, mutus efficitur; et dum diu verecundia percussus, casualia cęlat facta, dum intrinseca in dies augmentantur cruciamina, dum cor eius ultra quod dictu incredibile sit, anxiatum conturbatur, dum prestolatur, ut peremptum vocis organum vocis gratia rursum ditaretur; spe sua fraudatur, quia nondum venerat hora eius. Permanet itaque mutus, et alter Zacharyas ingrediens aut egrediens, erat innuens populis, et quidquid officio linguae declarare debuisset, quodam rotamine signorum, quae mater artium eum docuerat, portendebat. Alii vix coniciendo ex his quae videbant, modicum quid intelligebant; alii parum adtendebant; alii, sicut ubique claret, sagena Dei malos cum bonis trahit, miserum mirabiliter mutientem deridebant, se ipsos minus considerantes, quia omnes in manu Dei sicut lutum in manu figuli sumus, et ipse fecit nos, et non ipsi nos. Flebat miser in secretis suis, affectuque mentis, voce incondita Dominum, ut de vinculo improperii huius eum absolveret, deprecatur. Tum vero quibusdam amicis suis eum instigantibus toto mentis ac cordis affectu ad Dominum convertitur, iactat cogitatum suum in Domino, assumptisque sociis paucis, ad sepulchrum beati Adelberonis proficiscitur. Clam oratorium ingressus, humiliter humi ante sepulchrum provolvitur; et quia orare minus sibi licuit, intentionem orationis, coniunctionem cordis, votum intimae devotionis cum lacrimarum suspiriis Domino fideliter obtulit. Nec spe frustratur, licet statim effectus orationem non sequeretur; quia nec Paulus mox ut oravit, exauditus est ad voluntatem, exauditus est autem ad utilitatem[34]; nec nos oratione dominica perorata, statim accipiemus regnum Dei, pro quo petimus. Tertia tamen demum die ille, qui meritis baptistae aperuit os Zachariae[35], meritis beati presulis aperuit os muti, et loquebatur recte. Futuro autem die dominico Lambach regreditur, coram fratribus et ęcclesia, quae eo die convenerat, gratiam quesitam et adeptam confitetur, quorum testimonio quod prelibatum est, roboratur. Videsne, quam magnifice Dominus sanctum suum mirificavit, quem etiam hoc in facto baptistae suo ęquiparavit? Nec indignum aut impossibile tibi, quod dictum est,
videatur; cum etiam ore Veritatis omnes ad vitam predestinati non modo angelis aequales, sed et
angelos futuros fore insinuentur; ut ibi: *Angeli* Matth 18,10
eorum semper vident faciem patris mei. Et item:
Aequales angelis erunt, et sunt filii Dei, cum sunt[b] Luc. 20,36
filii resurrectionis. Et Zacharias: *Labia,* inquit, *sa-* Mal 2,7.
cerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore eius; quia angelus Domini exercituum est. Aequipollentiae illi Iohannes consonat: *Scimus,* aiens, 1 Ioh. 3,2.
quoniam cum apparuerit Dominus, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est. Audi adhuc, quid
alias Salvator profiteatur: *Ego dixi, dii estis, et* Psal 81,6
filii Excelsi omnes, eos appellans deos, ad quos sermo Dei factus est. Unde Hieronimus: *Si similitudo,* inquit, *sanctis repromittitur, veritas non negatur.* In primordio descriptionis signorum, si curiosius recolas, invenies paralyticum et claudum meritis beati Adelberonis curatum: nonne haec a Deo sibi collata virtus aequalem eum apostolis fecit et facit? Non enim sancti, quorum consors iam in celestibus est, cum quibus iam fulget sicut sol in regno patris eorum, virtutibus eius invident, immo congaudent; dummodo simultas imprudentium hominum non deroget illi.

14. *De filia viduae in itinere obeunte.* Vidua vitam beatam in castimonia aemulans unicam habuit filiam, cum qua diaria, sine quibus vita ista nequaquam geri potest, labore manuum, ut filiorum Adae lex est, quesivit, rarius quam sibi expediret, aegre conquisivit. Filiam iam adultam, annosque maturos intrantem, ut per se potius assuesceret sine adminiculo materno sibi necessaria providere, mater deseruit; ne, dum pauper pauperi adhereret, utraque periclitaretur, ad instar avium, qui pullos suos ad plenum educatos, ad volandum satis expeditos morsibus et alarum ictibus, quae sunt tela et arma eorum, a se repellunt; ne in aeternum parentum providentia, sed sua discant pasci industria et sollertia. Qui dum parentibus molesti sunt, circa eos volucritando, vociferando, apertis rostris hiando, alis expassis victum mendicando non exaudiuntur; quia si semper exaudirentur, utrique inedia consumerentur. Filia autem paupercula processu temporis vi febrium correpta, viribus corporis repente coepit destitui, et quamdiu licuit ubique vagabunda languorem fallere temptabat, si forte mutato aere dolor eius mitigaretur. Tandem febris infusa medullis, corpus eius excoxerat exhaustum, adeo ut in lectum corruens, per sex menses sine spe recuperandae sanitatis cruciaretur.

Crebro mater venit filiam visitare aegrotantem, sed succurrere ei nequiens ad sua repedabat. Interim dum doloribus continuis terebratur corpus, dum vexatur animus, occurrit ei signorum gratia circa tumbam beati Adelberonis actitata. Et obdormiscens in visione perdocetur, Lambach proficisci, misericordiam petere ut accipiat, querere ut inveniat; et si perseveraverit pulsans, apertionem pollicetur. Haec visio non solum semel, sed secundo et tercio ei apparuit; sed egestas paupertatis ne ad votum perveniret obstitit. Tandem anni spacio fere emenso, mater adest gemebunda, et filia invehitur contra

a) *in margine manuscripti eadem manu* De ęcclesia, quae dicitur Pachmannen b) *leg.* sint.

34) 2 Cor. 12. 35) Luc. 1.

eam iracunda: cur eam sineret in fetoribus vitam finire; cur ope illius illo non perduceretur, ubi sicut plurimi, ita et ipsa misericordiam consequeretur? His compuncta sermonibus, his vulnerata minis et terroribus, ubique anhela discurrit; nunc orando, nunc supplicando, equum et vehiculum prece et brevi merce conquirit; filiam seminecem superimpositam, cursum versus Lambach ad tumbam beati viri, ad quam animus eius flagrabat, cuius aspectum totis desideriis anhelabat, dirigit; et flumine transito, qui in margine montis oratorium beatae Dei genitricis in vertice gestantis preterfluit, mox ut navicula portum attigit, anima languentis carnis absoluta ergastulo, portum salutis et quietis adiit. Nam a cymba in proximam delata tabernam, feliciter expiravit; et mater quae pro viatico et oblatione natae detulerat, exequiis eius impendit; exin in cymiterio beati Iohannis baptistae sepulta, Domino spiritus, terrae carnis materia commendatur. Unde quis ambigat, hanc beato episcopo a Domino prestitam fore virtutem, ut paupercula illa aegritudinis nodis et vinculis mortis erepta, requiem celerem obitumque felicem sit con-
36 secuta[36]. Videres iam impletum, quod propheta
Psal. 33, 19. ait: *Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit.* Tale quid habes de beato Martino, qui dum imperatorio edicto custodiae publicae mandatur conservandus, postero die barbaris pugnaturis obiciendus, Dominus meritis eius exemit pugnae necessitatem, ne vel aliorum nece sancti violarentur obtutus[a].

15. *De muliere arpaginem sinistra ferente et liberata.* Quia bina paria pre manibus habemus miracula, operae precium est, ut sicut tempore et effectu, uno tamen in loco, uno et in sexu actitata, discreta sunt, ita et nos ea cudendo ex amussim distinguamus. Superius enim prelibatum in coena
1204. Domini, sequens vero in capite ieiunii patratum
Mart. 10. est miraculum.

Mulier, genere et rebus pertenuis, de finibus Austriae ex civitate, quae vulgo Wiena nuncupatur, dum ad instar clientularum pro questu anxie laborat cottidiano, vespere sabbati ante purificationem sanctae Mariae, dum sabbatismum sabbatizando observare debuit, prevaricatrix divinae facta est legis, in ius[b] operi ultra solitum incumbens servili. Nam sinistra librans arpaginem, dextera autem circumrotans fusum, ut staminum argute in arpagine conponat fila, utrumque instrumentum utrique manui tam firmiter ac insolubiliter inhesit, ut nulla vi trahentium, nullo argumento sibi invicem succedentium erui quivisset. Ungues enim utriusque palmae pellem et carnem perterebrantes, de stigmatibus vulnerum sanginis eliciebant guttulas; livor etiam vehemens adeo utramque occupaverat manum, ut nil preter gemitum et suspiria agere liceret. Exiit ergo a civitate Wiena, sacra petitura ac peragratura loca, sanctorum imploratura auxilia, quorum opitulationibus inminentia queat evadere discriminum dispendia. Ut autem breviter extrema tangamus acta, in ecclesia beatae Otiliae virginis arpaginem ipsius interventu amisit; fusum acriter adhuc cruenta stringens manu, Lambach ad beati Adelberonis tumbam detulit; et ubi manum lividam sepulchro adhibuit, meritis sancti pontificis perdidit quo gravabatur dispendium, nacta feliciter quod quesiit salutis suffragium. Ipsa hora pater monasterii cum universis supervenit fratribus; probaverant et viderunt opera, quae Dei clementer operata est clementia. Erat autem tunc annus dominicae incarnationis 1204, dies vero dominicus paschae ultimum in katalogo computi elementi[c] punctum obtinuit[37]. Hinc animadvertere potes, ubi caput ieiunii occurrerit, in quo acta sunt que digesta sunt[d].

16. Signis et miraculis beati episcopi longe lateque divina gratia se dilatantibus, et non solum contiguas, sed et exteras regiones illustrantibus, de civitate Ratispona mulier quaedam clausa lumina diu ferens, cum aliis quibus eadem mens erat, Lambacense exiit visitare cenobium. Quo perveniens tumbam beati episcopi fide ac devotione ambiens, orationem ad Deum fudit, sacrificium contriti spiritus obtulit, misericordiam quam quesivit ocius invenit, lumen oculorum amissum recipere meruit, cum gaudio repatriavit, quae tristis pridem supervenit. Nam non longe a monasterio dum iret, illuminata est. Exin aliquanto interiecto tempore cum astipulatoribus veritatis rediit, die dominico gratiam quam percepit, ęcclesiae tunc congregatae lacrimarum imbre perfusa aperuit, gloria in excelsis Deo attollitur, Deus in sanctis suis mirabilis predicatur.

17. Evolutis deinde aliquot diebus, anno videlicet ab incarnatione Domini 1226, Kalendis Octobris[e], ubi annuatim dedicatio Lambacensis occurrit ęcclesiae, venit vir quidam provectae aetatis, de civitate iuxta Anisum fluvium sita, a quo et ipsa civitas nomen Anasus accepit, tumulum beati Alberonis invisere ardenter sitiens. Nam fama virtutum beati viri omnem hanc regionem resperserat, propterea catervatim omnes populi gratia recuperandae sospitatis eo tendebant. Vir ergo ille, de quo nobis sermo est, 20 et eo amplius annis caecus permanserat, et iam fere desperatus hortatu sociorum, qui eum ducebant, cum summa intentionis devotione ad sepulchrum pluribus iam signis clarificatum accessit, preces ad Deum fudit, ut Pater misericordiarum et Deus totius consolationis amissum illi lumen redderet, qui caeco nato oculos aperuit. Oratione conpleta, omni turba, quae ad diem festum convenerat, inspectante, lumen recepit; et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo. Facta sunt haec tempore vespertino, ante noctis crepusculum.

a) *hic manus scriptoris mutatur.* b) *cf. supra cap.* 5. c) *superscriptum est* Q. d) *abhinc manus pergit aliquanto recentior; inscriptiones capitum saeculo XV additas omisi.* e) *ita* 1'. m. cc. xxv. xvi. Kal. Oct. *Pez; sed dedicatio ecclesiae d.* 17. *Kal. Oct. celebrabatur; v. supra cap.* 11.

36) Nolim negare, pauperculae huic fortasse satius fuisse mori quam sanari: ac certe anonymus noster istaec multo rectius omisisset; quid enim in eo miraculi est, quod mulier diuturno morbo contrita, accedentibus etiam vecturae incommodis, moriatur? C. SVYSKEN. — 37) i. e. in diem 25. Aprilis incidit.

18. Eadem nocte fidelibus ad sepulchrum beati episcopi excubantibus, est[a] mulier quaedam clenica et omni corporis parte contracta; utraque enim manus pectori adherebat et inherebat, ac si aenea riguisset, cruraque natibus innexa erant, ut iam non mulier, sed simulacrum videretur. Quarta namque vigilia noctis, ante nocturnalem synaxim, manus et crura cum ingenti fragoris solvuntur crepitu, in tantum ut tota turbaretur ęcclesia. Huius rei veritatem non duo vel tres, sed plurimarum testificatur assertio turbarum, glorificantes Deum, et dicentes: *Gloria tibi, Domine.*

19. Puer quidam de ęcclesia sancti Benedicti quinquennis, incessu pedum carens, alter Zacharias mutus permanens, dum sacros cineres beati pontificis cum comitibus veneratur et honorat, parentes et amici pro sospitate pueri preces fundunt ad Dominum. Ille subito erigitur, ac ambitum sepulcri semel, bis tertioque perlustrat. Clamor ad sydera tollitur, laus illi concinitur, qui erigit elisos, solvit conpeditos, qui linguas infantium facit disertas. Nam ubi puero gressus meritis beati Alberonis redditur, mox apertum est os eius, et loquebatur recte.

20. Aliud miraculum huic simile congrue subnectitur, ut cognoscat universitas fidelium, quanta locus ille gloria sit dignus, quem Dominus tot et tantis illustrat signis et virtutibus. Non multo interiecto tempore inter promiscuas[b] turbas de predicta barrochia venit puer septennis ad tumulum beati presulis visendum, utroque claudus pede. Qui a parentibus, cognatis et notis sepulchro sancti viri applicitus, orationeque fidelium consummata puer surrexit incolomis; et illi gloria concinitur, qui omnes homines vult salvos fieri.

21. Nec hoc silentio pretereundum, quod una sabbati venit multitudo copiosa plebis utriusque sexus et aetatis ad tumbam beati patris nostri venerandam. Inter quos venit quidam caecus a nativitate, a partibus Austriae; et inter nocturnalem synaxim non minima angoris molestia aperti sunt oculi caeci, ad laudem et gloriam Ihesu Christi domini nostri, qui olim inter homines conversans oculos aperuit caeci nati, quod a seculo non est auditum. Nam cum fenestrae oculorum reserantur, sanguis erumpens genas et maxillas eius habundanter rigaverat, ad testimonium veritatis.

22. Non ut paginam vacantem oneremus, sed ut nomen eius, qui facit mirabilia magna solus, per merita sanctorum suorum magnificemus, miraculum silentio non supersedeamus, simile videlicet ut beato Zachariae legimus evenisse, ad noticiam posterorum stilo memoriali transmittamus. Puer quidam septennis de villa ecclesie Lambacensi vicina, Hofarn dicta, proxima nocte que festum sancti Sept. 28. Michaelis antecedit, insomnis officio lingue destitutus subito obmutuit, et usque ad octavum diem Oct. 6. eiusdem festi mutus permanens, non modicam tristicie querelam amicis suis advexit; nonnullis tamen levitate puerili id fieri arbitrantibus, sed per processum temporis de veritate huiusmodi eventus[c] dolentibus. Instabat siquidem anniversarius dies beati confessoris Alberonis episcopi, qui semper octava die angelorum occurrit, quo plurimi causa orationis Lambacensem locum student invisere; cum quibus et parentes dicti pueri, ipsum secum ducentes, divina spe animati et meritis beati presulis confisi iter arripuere. Itinere vero nondum confecto, dum iam adproximarent monasterio, puer subito in verba prorupit, et materteram suam nominatim vocans, solutum esse vinculum lingue sue letabundus affirmavit. Unde magno perfusi gaudio tam parentes, quam alii concomitantes, menia ecclesie subeunt, et sepulchro pii pontificis Alberonis se oraturi prosternunt, gratesque Deo reddiderunt. Exin res ut gesta erat, fratribus monasterii et omni qui supervenerat populo panditur, et Christus gloriosus in sanctis suis predicatur.

23. Puer quidam mendicus ex casu factus mutus, ad monasterium Lambacense causa alimonie erroneus pervenit, et aliquamdiu ibi elemosina sustentatus, tumbam beati presulis gratia devotionis in vigilia apostolorum Philippi et Iacobi ieiunus adiit; et quia lingua non poterat, intimis cordis suspiriis suffragium intentius precabatur. Debilitate vero et mora devotionis aliquantulum fatigatus, fessus in tumbe marmore obdormivit. Cum vero evigilasset, sensit se officium lingue recepisse; et quod prius nutu postulaverat vite egentis subsidium, postmodum solutis lingue vinculis perfecte loquendo, meritis beati presulis, quem in somno sibi apparentem et digitos sibi in os mittentem viderat, ab omnibus requisivit.

a) *deesse videtur* sanata. b) primiscuas *c.* c) eventum *c.*

WIDO EPISCOPUS FERRARIENSIS
DE SCISMATE HILDEBRANDI.

EDIDIT ROGERUS WILMANS PH. D.
TABULARIO REGIO MONASTERIENSI PRAEFECTUS.

Turbulentissimis illis saeculi XI temporibus, quibus pontifices et imperatores Romani de mundi principatu contendebant, non defuere scriptores qui huius vel illius partis ius calamo defendendum susceperint. Gregorii VII inprimis decreta innumeris libellis ansam dederunt, ut in lucem ederentur; qui tamen non omnes ad nostram usque aetatem pervenerunt. Prae caeteris vero ea scripta temporum iniuria periisse videntur, quae imperatorum partem tuebantur. Ita omnino interciderunt Sigeberti Gemblacensis liber adversus epistolam Hildebrandi et Wiberti antipapae epistola adversus Anselmum Lucensem directa; operis a Waltrammo episcopo Nuemburgensi de unitate ecclesiae *conscripti, quod ante* 333 *annos Huttenii cura typis mandatum est, nusquam codex ma-*
1 *nuscriptus reperiri potuit; ex Widonis postea Osnabrugensis episcopi libro*[1] de controversia inter Hildebrandum et imperatorem Heinricum habita, *epitome tantum remansit, quam T. Osnabrugensis ecclesiae puerorum instructor*[2] *inde confecit*[3].

Paucis interpositis annis post Osnabrugensem Italicus Wido in scenam descendit, ut itidem antipapae Clementis III (Wiberti) et Heinrici IV causam adversus hierarchicae partis obiectiones confirmaret. Huius librum quod ex codice manuscripto coaevo, qui felici casu in Pertzii notitiam venit, hic primum sistere possumus, magnopere gaudemus.

Quis ille fuerit, satis clare evinci potest. Wido enim, teste Laurentio Barottio Aretinus origine[4], *vivente Gregorio VII pontificiae parti adhaesit. Quod ex ipsius libello compertum habemus ubi disertis verbis se synodo anno* 1080
5 *Romae a Gregorio VII habitae interfuisse tradit*[5], *quod alio loco confirmatur,*

1) petentibus Liemaro Bremensi et Bennone Osnabrugensi episcopis, ergo ante annum 1088, conscripto. 2) Ita Pertzium loco *introductor* coniecisse, iam supra in praefatione vitae Bennonis monuimus. 3) ap. Ecc. Corp. H. II, 183. — Hoc loco monere velim, etiam pontificiae partis libellum, et gravissimum quidem, ad hunc usque diem editum non esse. Est quidem tractatus Manegoldi de Luotinbach, paparum propugnatoris strenuissimi in Alsatia et Alamannia, contra Winricum scolasticum Trevirensem (cuius epistola exstat apud Martene Thes I, 214; cf. Stenzel I, 498) directus atque Gebehardo archiepiscopo Salzburgensi dicatus. Cuius codex saec. XI vel XII exaratus exstat Carlsruhae in bibliotheca serenissimi Magni Ducis Badensis, unde Pertzio flagitanti transmissus, iam quantum ad historiam saeculi XI pertinet exscriptus est, et una cum vita Gregorii VII luci dabitur. 4) Lor. Barotti Serie de vescovi ed arcivescovi di Ferrara. Ferrara 1781. 4°. 5) infra I, c. 7: *Sed accipiant patienter quod — contra haec veraciter isdem*

unde summum pontificem eum in familiaritatem admississe patet[6]. *Attamen* 6 *demum post annum* 1073 *Romam venisse videtur, quum duobus locis de Alexandri II morte et Gregorii VII electione agens, non ad suum sed ad virorum religiosorum testimonium provocet*[7]; *circa hoc tempus se Cremonae vixisse, alio demum loco prodit*[8].

Quae inter catholicos post Hildebrandi obitum emersere divisiones Widonem nostrum in schismaticorum partem adscivisse, ipseque transfugio episcopatum Ferrariensem meruisse videtur. Nam post Gratiani mortem, qui Gregorio adhaerens inde ab a. 1072 *usque ad a.* 1083 *eidem praefuit*[9], *tribus praeterlapsis annis, Ferrariensium chartae publicae anno* 1086 *in hac sede episcopali Widonem parti Wibertinae faventem ostendunt. Qua dignitate etiam anno* 1092, *Wiberto et Heinrico IV semper fidelissime devotus, fungebatur*[10]. *At post hunc annum de Widone nullum omnino documentum reperiri potuit*[11], *ita ut in dubio relinquatur quando diem supremum obierit. Hoc unum scimus, quod Ferrariensi urbe anno* 1101 *a comitissa Mathilda capta, catholicus denuo episcopus Landulfus a.* 1104 *hanc sedem recepit*[12]. 12

Quo anno Wido librum suum in lucem ediderit, non adeo diiudicatu facile videtur. Quem quidem post a. 1085 *et ante* 1100 *conscriptum esse, obitus Gregorii VII qui in fine primi libri memoratur, et Clementis III tamquam vivi mentio in operis prologo facta probant. Si vero tempus editi libelli accuratius vis circumscribere, nullus in ipso invenitur locus, qui certum praebeat fundamentum. Cum praeterea schismaticae partis monumenta litteris tradita valde exigua supersint, te coniecturae locum dare oportebit. Et magnam veri speciem ea quidem opinio prae se ferre mihi videtur, quae Widonem paullo ante illam schismaticam synodum scripsisse statuat, cuius acta in codice Udalrici servantur*[13]. *Quae enim noster in prologo dicit:* In meditullio quadragesimae nuper exactae, cum apud Ravennam domnus C. apostolicus moraretur, negociis curiae vehementer urguebar. Si quando tantum sinebat tempus et divertendi locus erat, conferebar ad studia litterarum. Cum interea, nescio quo casu, de eo scismate quod nuper emersit orta est inter fratres contentio — — aliis hoc inpugnantibus, aliis defendentibus, unde cum esset aliquandiu disputatum et in longum ratio processisset, ad me ventum est *etc., cum iis quae synodus declaravit, omnino consonant*[14]. *Quae sententia etiam aliis locis* 14

vir multis aliis nobisque praesentibus intimavit. Cum enim quadam die synodum ageret, cumque de Rodulfi electione sermo incidisset etc. 6) I, c. 2: *Lacrimarum praeterea tantam a Domino gratiam fuerat assecutus, sicut ipsi praesentes agnovimus, ut cum cottidie missas faceret* etc.; cf. II, in.: *Cuius exempli* (privilegii Nicolai II) *formam Romae legimus.* 7) I, c. 1: *Nam ut a viris religiosissimis didici et fama ferente recognovi, beatae memoriae Alexandro defuncto* etc.; II, in.: *Testantur quidem qui fuere praesentes, quod Alexandro defuncto, sequenti nocte tesauros eduxerit* etc. 8) I, c. 10: — *ad tantam ignominiam sacerdotalis honor prolapsus est, ut nobis praesentibus et videntibus Cremonae* etc. 9) Frizzi Istoria di Ferrara. 1791. II, p. 98. 10) Barotti loc. cit. p. 15: *Le due sole memorie, che ho potuto trovare di questo vescovo, dimostrano che aderiva all' antipapa Clemente III. Nel archivo dei monaci di S. Benedetto al Registro* H. H. *c'è una carta d'enfiteusi concessa da Guido vescovo di Ferrara a Pagano de' Prandi — — in data del primo di Decembre dell'anno* 1086 *sotto il pontificato di Clemente III l'anno II e dell'imperio d'Enrico l'anno II per rogito di Bonvicino Notajo. L'altra e riposta nell' archivio della cattedrale* (Sc. 3, P. 23, n. 4) *e porta una donazione fatta al* 9 *di Gennaio del* 1092 *da Guido vescovo di Ferrara al capitolo della chiesa di S. Stefano — — — In nomine s. et ind. Trin. Anno dom. nativitatis* 1092 *Clemente in apostolatu anno* 8, *imperante Henrico Henrici filio anno similiter* 8. 11) Quae de Wiberto (Clemente III) antipapa Vir Celeb. Philippus Jaffé Regg. Pontt. Rom. 443 -447 collegit diplomata, spem mihi iniecerunt, fore ut Wido ibidem inter testes inveniretur. Attamen frustra quaesivi. In chartis antipapae inter annos 1085 -1092 datis, apud Jaffé N°. 3997. 3998. 4000. 4001. 4002. 4003. 4007. 4008. 4012, praeterea apud Amedesium Antist. Raven. II, p. 345. 346. nulla Widonis mentio occurrit. 12) Frizzi l. c. p. 103. 106. 13) ap. Eccard Corp. H. II, 177 –183. 14) l. c. p. 177: *Quibus* (episcopis et abbatibus) *Spiritus sancti*

confirmatur. Nam non solum eaedem litigiosae quaestiones, utrum Gregorius iure Teutonicos a sacramento, quod Heinrico IV debebant, absolvere, imperatorem excommunicare et schismaticorum sacramenta non recipienda mandare potuerit, denique an ipse iure munere privatus sit, tam in Widonis libro quam in synodi actis tractantur; sed ambo scripta etiam alia necessitudine coniuncta esse, inde patet. Nam in prologo operis perspicue quidem profitetur, se pe-
15 *tentibus coepiscopis Wiberto adhaerentibus librum scribendum suscepisse*[15], *idemque in primi libri epilogo profert*[16]. *Absoluto vero opere antipapam ipsum alloqui videtur:* Haec, *inquit*, tibi, venerabilis pater, sicut iussisti, composui, in quibus et pro Ildibrando multa volumine primo disserui et contra illum secundo copiosius disputavi, non ausus iussioni tuae quicquam negare, simul certum habens, laborem meum legere volentibus utilem satis fore. *Quae cum ita sint, ego quidem crediderim Widonem iussu Clementis III hunc librum composuisse, eo ductum consilio, ut causam eius iustam esse ostenderet, asseclarum animos titubantes confirmaret et concilio hac de re convocando argumenta ex patribus et decretis pontificum petita suppeditaret*[17], *quibus imperatoris et antipapae ius defendi posse videretur.*

Quae coniectura si rem acu tetigit, annum investigemus necesse est, quo hoc schismaticorum concilium celebratum sit. At hac in re non possumus quin ab sententia Viri eruditissimi Philippi Jaffé recedamus. Hic enim synodum
18 *supra dictam anno* 1089 *adscribendam esse censuit*[18], *quia Clemens III in ecclesia beati Petri, ubi habitam esse acta demonstrant*[19], *die* 8. *Iunii* 1089 *resideret*[20], *teste eiusdem charta a Grandidier edita*[21]. *Attamen actis ipsis plurima insunt, quae cum hac sententia pugnare videntur; inprimis vero epistola, qua Urbanum II Wibertus ad concilium evocat. Quod si circa* 8. *Iun.* 1089 *revera congregaverit, quo modo explicari posset, quod Urbano, die demum* 12. *Mart.* 1088 *electo, hic dicit*[22]*:* Licet synodali audientia vos indignos fecissetis, quia ad synodum sanctae Romanae ecclesiae multociens vocati venire rennuistis[23] et hac de causa excommunicati estis? *Quod vero Urbanus non ad* unam *syno-*
24 *dum saepius*[24], *sed ad plures synodos diversis temporibus habitas vocatus et post primam citationem, cui non obedierit, a Wiberto excommunicatus est, fidem faciunt ea quae litteras ei missas praecedunt:* His et aliis pluribus diversorum patrum sententiis recitatis, illam synagogam Satanae ad reddendam impietatis suae rationem litteris et nuntiis nostris ad synodum vocavimus, non tamen ut ipsi audientiam, in praeteritis conciliis iam prorsus eis exclusam mererentur, sed ut pacem sanctae ecclesiae — in unitatem componeremus.

Cum igitur post electum Urbanum plura schismaticorum concilia contra ipsum habita sint, longius certe praeterlapsum est tempus quam 15 *menses qui inter d.* 12. *Mart.* 1088 *et d.* 8. *Iun.* 1089 *transiere, et ultimum concilium,*

inspiratione congregatis, inter caetera quae synodalis conventus tractanda susceperat, quaestionum impia dogmata ad pernitiem multorum noviter orta, a nonnullis communi audientiae inferuntur — — p. 178: — *constituimus, ut nullus deinceps ad iniuriam domni imperatoris praesumat de hac quaestione disputare.*

15) *ad me ventum est et quesitum est ab omnibus, ut de iam dicto scismate pauca dissererem* — — — — *Licet ergo diu plurimumque renisus sim, vehementer tamen instantibus,* — — — *aliquando tandem post multa consensi.*

16) I, c. 20: *Prius tamen quam promissum fratribus debitum persolvamus* etc.

17) Quod etiam verba praefationis innuere videntur: *Suppositis igitur capitulis diligenter inspectis, lector meus quodlibet quaesierit, statim inveniet.*

18) Regg. Pontt. p. 445. Cfr. infra p. 153.

19) Ecc. II, 177: — *episcopos et abbates* — — *ad synodum in ecclesia beati Petri celebrandam* — — — *convocavimus.*

20) Sed eodem adhuc anno secundum Bernoldum Roma turpiter expulsus est. — Concilium a. 1089 indictum fuisse, nullus est qui tradat scriptor.

21) Hist. d'Alsace II, pièces justif. p. 147.

22) l. c. p. 181.

23) Ita legendum est.

24) Hoc modo Jaffé locum hunc intelligit.

cuius acta in codice Udalrici ad nos pervenerunt, mensi Iunio 1089 minime adnumerari potest. Re autem vera acta haec ad eam synodum referenda esse videntur, quam Annalibus Ottenburanis testantibus[25] Wibertus a. 1092 indixit, sine dubio Romae, quo anno 1091 denuo venerat et ubi prope domum sancti Petri, secundum Bernoldum[26], ita se incastellaverat, ut non facile absque humani sanguinis effusione expelli inde potuerit. Quae coniectura, mea saltem sententia, ex altero actorum loco non parum virium adipiscitur[27]: Unde in erroribus suis perdurantes ex latebris quas serpentino more incolunt, ad decipiendos incautos vel simplices dira sibila emittunt, quae de concilio Beneventano[28] d. 31. Mart. 1091 habito intelligenda esse videntur, in quo Urbanus II primum quod sciam Wibertum sollemni excommunicatione innodavit.

Quae disputavimus si verum assecuta sunt, tempus etiam non parum illustrare videntur, quo Wido librum suum in lucem ediderit. Quae enim in operis capite[29] de conventu quadragesima media in palatio Clementis III Ravennae habito dicit, optime in annum 1090 quadrant. Nam hoc anno, quo dies notatus in 28mum Martii incidit, Wibertus mensibus Martio et Aprili Ravennae morabatur[30]. Contentiones ergo in palatio antipapae initium sumsere circa ineuntem Aprilem 1090; his permotus Wido librum suum composuit anno 1090 vel 1091[31], quo innisum Wibertinorum concilium a. 1092 Romae ad Sanctum Petrum habitum adversam partem damnavit.

Widonis opus inter furentissimas Gregorianorum et Heinricianorum disceptationes, quibus orbis terrarum Romanus saeculo XI exeunte agitabatur, eo celebre est, quod utriusque partis ius aequa lance pensitandum sibi proposuit et disquisitiones suas auctor ita instituit, ut primo libro rationes, quibus Hildebrandi causa defendi posset, colligeret, secundo autem iisdem capitulis eas refutaret. Et certe qui prologum, quo consilium hoc aperit, non legisset, prioris libri auctorem Wiberti asseclam esse minime suspicaretur. Tantum est studium, tantum erga Gregorium obsequium, ut scriptorem huic papae aliquando deditissimum fuisse facile ibidem cognoscas. Attamen in secundo libro non minore vi in tuenda Wiberti parte utitur, et Gregorium propter delicta sua se ipsum pontificatu abdicasse, Wibertum ergo iure electum esse demonstrat. Praecipue vero notatu dignae videntur rationes, quibus investiturarum ab imperatoribus collatarum causam dicit. Praeterea alia multa huic operi insunt, quae inter documenta huius temporis historica ei haud ultimum locum adsignant. Inter quae ea recensemus, quae in utroque libro affert de artibus quibus Gregorius pontificatum adeptus est et dominationem suam in patrimonio sancti Petri confirmavit, de domo papali et de legatis in Germaniam missis ad absolvendos Teutonicos a sacramento quod Heinrico IV debebant. At quae in fine libri primi leguntur res ann. 1084 et 1085 gestas spectantia maximae sunt gravitatis et omnino nova. Neque hoc praetereundum est, quod privilegii illius saeculo XI conficti, quod Adrianus I Karolo magno de summo pontifice et episcopis eligendis concessisse perhibetur, antiquissimum testimonium apud Nostrum invenias.

25) SS. V, 8; addunt: *Quae prorsus contempta est, a catholicis sine dubio, minime vero a schismaticis.* 26) SS. V, 453. 27) Ecc. II, p. 181. 28) Quem conventum Wibertus Romae ad S. Petrum residens cum quadam veri specie *latebras* nominare potuit; anno autem 1089 etiam Urbanus Romae erat. Vide Jaffé p. 451. 29) supra allata p. 149. 30) Vide Jaffé p. 446 et Rubei hist. Ravenn. p. 314: *Multas* (Ravennae) *conficit tabulas, dum renovato iure emphyteutico possessiones multis tribuit, easque tabulas asserit scriptas anno sexto et septimo pontificatus.* Sextus pontificatus Clementis III annus usque ad diem 24. Martii 1090 producebatur. Vide Jaffé p. 444 sq. 31) Non statim post quadragesimam

Disserendi ordinem, qualem sibi in capitulis prologum subsequentibus proposuerat, in exarando opere ubique non retinuit, ita ut in primo libro argumentum capitis 18 *paucis absolveret verbis, in secundo vero disputationem tantum usque ad cap.* 10 *primo libro consonantem, inde autem ab hoc loco diversam institueret. Qui secundus liber etiam eo a priore differt, quod ibi, forsitan ad instar disputationis academicae iam tunc temporis usitatae, more dialogi inter Proponentem et Respondentem quaestiones illatas tractaret. Quibus ex causis numeros capitum*[33] *in secundo libro omittendos esse censuimus.*

Widonis opus eadem, quae caetera caesareae partis scripta, oblivio pressisse videtur; nullum enim scio scriptorem, qui ipsum noverit vel eius mentionem fecerit. Neque hoc quidem certum, cuius monasterii bibliotheca codicem, ex quo hic datur, servaverit. Est quidem membran. 4° *saec. XI exeunte vel XII ineunte in duabus columnis conscriptus, in quo tamen haud ullam notam sive aliud originis vestigium deprehendas. Exstat nunc in bibliotheca Nobilissimi viri de Maffei Monacensis, qui ipsum ex libris beatae memoriae Hoheneicheri, viri in Frisingensi historia versatissimi, sibi comparavit. Anno vero* 1757 *Widonem inter libros Bibliothecae Frisingensis exstitisse, fidem facit catalogus Anselmi Desing hoc tempore confectus*[34]. *Unde veri simile videtur, Meginwardum huius civitatis episcopum* 1078—1098, *qui Heinrico IV et Clementi III fideliter adhaesit*[35], *vel successorem eius Heinricum,* 1098—1137 *itidem, ut passionis sancti Quirini nondum editae verbis utar,* a Wicpertinis episcopum promotum[36], *codicem nostrum ex Italia in dioecesim Frisingensem transtulisse. Quem tamen nihil esse nisi apographum locus quidam mancus ostendit. Nam in libro primo fol.* 7'. *capitis* 11. *initium tantum datur, et spatio unius columnae et dimidiae vacuo relicto, in sequenti folio sermo in ultima capitis* 13. *verba transiit. Quod apographum in Italia exaratum esse probare videntur excerpta ex lectionibus academicis de iure Romano petita, quae manu altera, sed fere coaeva ultimis huius voluminis foliis inscripta inveniuntur. Librarius in transcribendo Widonis libro plerumque negligentissime rem absolvit, ita ut haud unam paginam mendis vacuam habeas. Praecipue vero in exarandis patrum locis tanto taedio affectus fuisse videtur, ut eorum verba fere nusquam incorrupta traderet; quod inprimis ex iis locis*[37] *elucet, quos in Augustino, Ambrosio caeterisque scriptoribus detegere poteram.*

Scribendi ratio haec peculiaria habet, quod litera t *saepissime loco* c *usurpatur, quam in vocibus quales* multiplitius, patificus, fatiam, homitidam, sotium *non ubique retinui, quodque abbreviatio* tm̃ *fere semper* tamen, *non* tantum *legenda est.*

Codicem intercedente Viro Cel. Föringer a Viro Nobilissimo de Maffei benevolentissime nobis Berolinum transmissum ego descripsi.

Praefatio nostra quum iam typis expressa esset, Jaffé noster litteris ad me datis suam sententiam de synodo anni 1089 *in Regestis prolatam argumentis et maximae quidem gravitatis confirmavit, quae Viris doctis hic lubens propono:*

1090 opus scribendum aggressus est, ut ex praefationis verbis supra laudatis patet: *Licet ergo diu plurimumque renisus sim — tandem post multa consensi.* 33) quarum inscriptiones maiore ex parte interciderunt. 34) Arch. VII, 117. 35) Meichelb. I, 1, 280. 36) Cfr. quae de eo Conradus archiepiscopus Salisburgensis in epistola ad canonicos Frisingenses dicit ap. Meich. loc. c. p. 300: *Lupus non per ostium qui Christus est, sed aliunde ut mactet et perdat, in ovile sicut omnibus patet, ingressus.* 37) Non omnes me invenisse ne mireris; hi enim rarissime exhibent nomina propria, quorum ope quaesiti loci facilius inveniuntur.

„Bona Wilmansii V. Cl. venia negaverim, me illam Wiberti in sancti Petri ecclesia actam synodum ea re tantummodo revocasse ad m. Iunium a. 1089, quod Clementem ibidem consedisse die 8. eiusdem mensis doceat bulla ap. Grandidier l. l. Praeterea enim probari res videbatur causis his: 1) quod eandem bullam in synodo effectam esse liquet ex hoc initio: „In nomine sanctae et individuae trinitatis“, quae quidem formula non addi bullis nisi in concilio conscriptis solebat; 2) quod quae die 8. Aprilis 1089 confirmata ab Urbano II fuerat Heinrici imperatoris excommunicatio (v. Reg. pont. n. 4031), ea irrita esse in hac synodo iubetur a Wiberto; 3) quod Wiberti excommunicationem eodem die 8. Aprilis per Urbanum reconcinnatam, in synodo rependit ille Urbano excommunicando. Nec fuit hercle, quare antidotum ad annum 1092 usque seposuerit Wibertus. — At hoc potissimum sententiae opponitur meae, Urbanum, die 12. m. Mart. 1088 electum, non potuisse ante Iunium a. 1089 „multociens vocari“. Quidni potuerit ille? Immo satis longo hoc mensium quindecim intervallo et saepissime vocandi Urbani, et plures celebrandi synodos Wiberto data facultas erat; sicuti Leonem IX scimus uno anno 1049 synodos quatuor egisse, totidemque anno 1050. Quod denique in ipsa urbe Roma Urbanus priore anni 1089 dimidio versatus est, id contrariam in partem iure afferri nequit. Namque Wibertus quum sancti Petri ecclesiam, iustam illam papatus sedem, teneret, haud mirum nobis accidit, Urbani receptum ab eo dictas „latebras“ esse.“

Iudicium igitur apud lectorem esto.

ROGERUS WILMANS.

INCIPIT LIBER WIDONIS FERRARIENSIS EPISCOPI DE SCISMATE[a] HILDIBRANDI. PRO ILLO ET CONTRA ILLUM.

In meditullio quadragesimae nuper exactae, cum apud Ravennam domnus Clemens[b] 1090.
apostolicus moraretur, negociis curiae vehementer urguebar, si quando tamen[c] sinebat Mart. 28.[1]
tempus et divertendi locus erat, conferebar ad studia[d] litterarum: cum interea, nescio quo casu, de eo scismate quod nuper emersit orta est inter fratres contentio quod Iltibrandinum dicunt, aliis hoc inpugnantibus, aliis defendentibus. Unde cum esset aliquamdiu disputatum et in longum ratio processisset, ad me ventum est et quaesitum ab omnibus, ut de iam dicto scismate pauca dissererem, et primo quidem qualiter astruatur absolverem, demum vero quibus refellatur rationibus demonstrarem. Quod ideo necessarium videbatur, quoniam latenter erupit et paulatim invaluit et occulte serpens multas iam provincias occupavit. Licet ergo diu plurimumque renisus sim, vehementer tamen instantibus et caritatem Domini opponentibus, aliquando tandem post multa consensi, quodque rogabant me facturum promisi, si tamen laborem meum suis orationibus levigarent, sciens quod nichil hoc per se possit, si votis eius Dominus non aspiret; maxime rem tantam tamque difficilem non fore leviter attemptandam, ubi opus esset tantum pelagus divinarum scripturarum attingere, tot divinos auctores ad medium ducere et ex eorum ingeniis excellentissima quaeque libare. Nullis igitur meritis fretus, nulla eloquentiae venustate confisus, sed de sola Domini largitate praesumens, altae contentionis profundum ingredior utriusque partis allegationem breviter comprehendens, ut qui pro illo vel contra illud facere voluerint, paratum habeant et in promptu qualiter id astruant vel refellant. Suppositis itaque capitulis diligenter inspectis, lector meus quodlibet[e] quaesierit statim inveniet, et quod in prima parte huius operis didicerit approbatum, sub eadem annotatione capituli in secunda condempnatum reperiet. Ego autem explicitis omnibus et in medio positis quae ad rem necessaria videbuntur, quod potissimum video, in neutram[f] partem propensior explicabo.

EXPLICIT PRAEFACIO LIBRI PRIMI.

a) sismate *cod.* b) C. *cod.* c) tantum *cod.* d) astudia *cod.* e) qdlibet *cod.* f) ineutram *cod.* 1) vide praefationem.

INCIPIUNT CAPITULA.

1.[a] *Quod legitime fuerit Ildebrandus in apostolatum promotus.*
2. *Quod honeste in illo vixerit et recte docuerit.*
3. *De mala dictione quam in regem Heinricum*[b] *intorsit.*
4. *Quare eum excommunicaverit.*
5. *Quod eum non absurde maledicto perculerit, sed autentice.*
6. *Quod simili modo ab aliis apostolicis imperatores fuerint excommunicati et quod absens potuerit excommunicari.*
7. *De creatione Rodulfi regis.*
fol. 1'. *8. *Quod non fuit reprehensibilis in eo quod Teutonicos adversus Heinricum regem pugnare permiserit, quodque eum ad bonum quasi persequendo coegerit.*
9. *De eo quod Teutonicos a sacramento quod regi Heinrico debebant absolvit*[c].
10. *De persecutione quam movit in presbiteros et diaconos sive episcopos adulteros, simoniacos et periuros.*
11. *De praedatione, quam a laicis pertulerunt, quod iusta fuerit.*
12. *Quod scismaticos iure fuerit persecutus.*
13. *Cur eos increpare debuerit.*
14. *Quod de sceleribus clericorum et laicorum tacere eum non oportuerit.*
15. *Quod sanguis Teutonicorum, clades et bella et cetera huiuscemodi*[d] *non fuerint inputandi sibi.*
16. *Quod excusabilis sit in eo quod dicitur restitisse adversariis.*
17. *Qua ratione excommunicatorum et scismaticorum sacramenta non recipienda mandaverit.*
18. *Cur eisdem communicare noluerit et alios ab eorum communione removerit.*
19. *Quod non sit alicuius principis quamlibet ordinare vel investire aecclesiam.*
2 20. *De eodem*[2].

EXPLICIT CAPITULUM.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

Veni, domine Iesu, et ceptis nostris aspira. Da quod loqui possimus et infunde labiis nostris quod recte personent et quod a veritatis regula non discordet. Tu, Domine, librum aperis, tu diceris clavis Davit; claudis, et nemo aperit. Tu linguas infantium absolvis et brutorum animalium vincla disrumpis et iura quodammodo naturae pervertis, ut naturae sit quod a natura videtur poenitus alienum. Esto dux et auctor et comes propositi operis, ut totum quod dixerimus et prosecuti fuerimus et quod gratia tua perfecerimus tuum sit. Quia omne datum optimum et omne donum perfectum a te est; cuius nomen est benedictum in secula.

1.[e] Sunt qui Ildibrandi calumpnientur ingressum, quique eius criminentur introitum. Sed re diligenter inspecta, falsum videbitur omne quod profertur, et quod inpudenter magis quam prudenter opponunt. Nam ut a viris religiosissimis didici et fama ferente recognovi, beatae memoriae Alexandro defuncto necdum humato, clero et populo, omni senatu pariter
1073. collecto, uno omnium voto, pari consensu, summo[f] desiderio violenter attractus et in mille
Apr. 22. partes discerptus a clero eligitur, a populo expetitur, episcoporum et sacerdotum omnium
ep. 52. suffragio confirmatur. Ut enim de eo dicamus quod de Cornelio Ciprianus[g] asseruit, factus est episcopus de Deo, Christi eius iuditio, de clericorum pene omnium — et ut verius dicam, omnino omnium — testimonio, de plebis quae tunc affuit sufragio, de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Alexandri locus et sedes Petri vacaret. Haec regula ordinandorum episcoporum a canonibus statuitur; a patribus
fol. 2. decernitur, *a veteribus praefixa probatur. Quomodo non legitime dicatur promotus, qui tam recta electionis via fuerit ordinatus? Facessat igitur obtrectatio iniquorum et invidorum aemulatio conquiescat. Nichil video in hac parte quod noceat, quia vocatus a Domino tanquam Aaron Romanam aecclesiam, non precio ut praedicant, sed Christi gratia gubernandam suscepit.

2. Hinc iam qualiter vixerit, quam sana docuerit[h] facile videri potest. Mox enim ut

a) *desunt numeri in cod.* b) H. *fere semper codex; interdum vere occurrit* Heinricus *et* Henricus. c) absolvi *c.* d) huiusscemodi *saepius cod.* e) *desunt numeri in cod.* f) sumo *cod.* g) Cipriani *cod.* h) quam — docuerit *eadem manu superscripta sunt.*

2) scilicet Gregorio VII.

episcopus factus est, rerum ecclesiasticarum fidelis minister[3] et providus dispensator civi- 3 tates omnes et vicos, municipia et castella custodiri mandavit, habita servari constituit, amissa vero et violenter ablata recuperari sategit. Fecit sibi militum copiam, non ob inanem ut aestimant gloriam, sed ad propagandam Romanam ecclesiam, quae a Normannis vim passa et a caeteris finitimis conculcata[a], in nichilum videbatur pene redacta. Unde factum est, ut quotquot eam leserant, quicumque bona eius pervaserant, terrerentur. Factique sunt milites[4] domni Ildebrandi omnibus per circuitum gentibus et populis in stuporem; cotidianisque laboribus, bellis, discursibus, paucis non dicam annis, sed mensibus averterunt hostes, receperunt castella et urbes, domuere rebelles, nullusque tam audax et temerarius habebatur, qui bona Petri contingere non timeret. Viduarum interim et pupillorum defensor, orphanorum adiutor, pauperum advocatus, omnia quae habere poterat in egenos et debiles, miseros et inopes erogabat. Ieiuniis intentus, orationibus occupatus, legendi studiis deditus, corpus suum templum fecerat Christi. Nam somni avidus quietem arcebat. Patiebatur loetus esuriem, cum cibis exquisitissimis habundaret. Perferebat sitim, caeteraque incommoda corporis, cum ad nutum cuncta suppeterent[b]. Fugiant alii praesentiam hominum, devitent consortia mulierum, declinent frequentia urbium, solitudines adeant, invia et praerupta requirant, abdant sese specubus montium et cavernis petrarum, alantur herbis, potentur fontibus, feris cohabitent: hic suscepti regiminis necessitate compulsus, quod maioris est meriti, inter seculares et filios tenebrarum singularis meriti praerogativa dignissimus habebatur. Cumque omnes occuparentur negotiis seculi et mundi desideriis et questibus inhiarent, animi virtute cuncta transcendens, vitam istam peregrinationem, non patriam, existimabat. Iam vero quam cunctis affabilis, tractabilis fuerit et communis, quis explicare sufficiat? Legem dabat servis et dominis, principibus et subiectis, parentibus et filiis, coniugibus et viris, et omnes omnium mores sacris alloquiis informabat. Omnium instruebat[c] aetates, aedificabat conditiones, ingenia exercebat, reprimebat motus, impetus cohibebat, inpatientiam refrenabat. Instigabat ad bonum quod poterat, hortabatur ad virtutes, et nemo umquam ieiunus *abscessit, qui ad illum audiendi gratia accessisset. La- fol. 2'. crimarum praeterea tantam a Domino gratiam fuerat assecutus, sicut ipsi praesentes agnovimus, ut cum cotidie missas faceret nec diem aliquem absque dominici corporis et sanguinis immolatione transiret, totum se ipso sacrificii tempore in fletus et lacrimas funderet atque ita duplex Domino sacrificium immolaret. Semel reficiebatur[d] cotidie, ieiuniumque suum in vesperam producebat. Ornabatur mensa preciosissimis ferculis, et cibis esculentioribus complebatur. Habundabat cervis et capreis, lepusculis, apris[e], volatilibus quoque et altilibus omnium generum, sicut apostolica dignitas exigebat. Inter tot igitur delicatissimas epulas, convivantibus aliis, solus herbis agrestibus, cicere infusisque leguminibus vescebatur. Interea cum fama iam sanctitatis eius longe lateque crebesceret, Heinrico tercio imperatoris Henrici filio regnum agente, tanta in partibus Italiae et Galliae[5] simoniacae hereseos pestis emersit, tantusque flagitiorum omnium morbus erupit, ut 5 quisquis vellet episcopus fieri, Gallias peteret distractoque patrimonio, auro et argento episcopatum emeret. Omnis aecclesiastica dignitas precio vendebatur, factusque erat venalis omnis honor ecclesiasticus ut[f] plumbum et ferrum, equus, mancipium, quae passim nundinantur in foro rerum venalium. Ex hoc igitur contagio malorum omnium messis increvit cunctorumque viciorum morbus invaluit. Nam quicumque ad aecclesiasticas dignitates his nefandis commerciis pervenissent, corrupto fidei firmamento semet ipsos adulteriis, sacrilegiis, periuriis ceterisque subdiderunt, nichil pensi habentes iurare et peierare, palam misceri mulieribus et filios procreare. Per omnem quoque Emiliam et Liguriam diaconi et presbiteri publice uxores ducere, nuptias facere, filias nuptui tradere, filiosque ex se genitos nobilioribus et ditioribus coniugibus copulare. Factum est quoddam chaos et quaedam confusio viciorum, quia facti sunt sacerdotes sicut et populus, et dispersi sunt Thren. 4, 1 lapides sanctuarii in capite omnium platearum. Tot ergo malis invalescentibus iam dictus

a) concultata *cod.* b) suppeteret *cod.* c) instruebant *post in cod. correctum* instruebat. d) reficiebat *cod.* e) apis *cod.* f) *ita correxi P.;* in *cod.*

3) Nova haec et a nullo, quoad sciam, scriptore relata. 4) scilicet Landulfus Beneventanus et Richardus Capuanus principes, quorum sacramenta diebus 12. Aug. et 14. Sept. 1073 Gregorio VII dicta exstant in eiusd. Reg. I post epistolas 18 et 21. Cf. Petri Cass. chron. SS. VII, 729; Jaffé Reg. p. 406. 407. 5) Germaniae.

Ildebrandus non mediocriter incitatus et zelo[a] divini amoris impulsus, statuit semet ipsum, ut dicunt, eciam morte corporis tantis iniquitatibus obiectare, symoniacam heresim viva voce confundere, modo lenibus, modo duris remediis providere, sacrilegos et adulteros sacerdotes gladio spiritus et apertissimis contradicionibus confutare. Quid multa? Collegerunt pontifices et principes universi consilium, commotus est adversus illum orbis terrarum, versi sunt omnes fere praeter admodum paucos in seditionem, et quoniam habundavit iniquitas, refriguit caritas multorum. Divisus est populus christianus in duo, aliis dicentibus quia bonus est, aliis autem vocantibus eum impostorem et antimonachum et antichristianum. At vero praefatus vir, inter tot perturbationes immobilis perseverans et instancius nichilominus[b] praedicans ad instar ducis egregii et fortissimi bellatoris, quo acrius hostes insurgere conspicit et bellum ingravari perpendit, eo durius arma corripit. Et modo terga fol. 3. vertit ut feriat, modo 'fugam simulat ut occidat, sicut pugnandi requirit pericia. In nullo recedere, in nullo deficere, modo percutere, modo ferientem fortiter sustinere. Instabat itaque verbo praedicationis, arguendo, obsecrando, increpando, nec declinabat a regula veritatis.

3. Cum vero rex Heinricus in annis adolescentiae constitutus et eiusdem aetatis consiliariis assuetus, nobilium et maiorum contra regiam consuetudinem familiares horrebat, et cum morum gravitas plurimum habeat laudis in rege, — quia decet esse regem constantem, fortem, severum, magnanimum, beneficum, liberalem —, relictis senibus gravibusque, personis levibus delectabatur et pueris tam sensu quam annis; hinc actum est, ut ad vitia propensior haberetur, quia difficile quis quod diligit aspernatur. Coepit ergo pietatem neglegere, questibus inhiare, omnia venalia habere, studere luxuriae, et cum teneretur vinculo matrimonii, matronas tamen plurimas possidebat. Gaudebat multum consortio puerorum et maxime venustorum; sed utrum id vicio fieret, ut aliqui confixerunt, non satis compertum erat. Illud autem manifestum est quod uxore contempta, vagus et lubricus 6 diversis desideriis agebatur, ut susceptae adulterino concubitu soboles attestantur[6]. Quibus rebus ad aures Ildibrandi perlatis, multorumque litteris et indiciis patefactis, cepit animus christianus habere diu incertum quid faceret. Dissimulare siquidem periculi res erat, palam vero corripere, cum clam emendare non posset, insolitum videbatur. Cernebat enim fidei christianae summum instare discrimen, si plus valerent metalla quam gratia, et pluris esset aurum quam meritum. Videbat eciam ad cunctorum perniciem redundare quicquid reprehensibile iudicabatur in rege. Quomodo enim sit criminis vindex, ultor sceleris, qui eisdem erroribus teneatur, aut quo pacto servabit aliis legem, qui in se ipso regulam destruit aequitatis; vel quomodo erit iusticiae minister, qui maliciae auctor et magister efficitur? Talibus sollicitudinibus urgebatur, huiusmodi meditationibus aestuabat, praevidens aut fore luctandum aut pereundum. Quodam eciam praesagio futurorum venturam procul discordiam formidabat, quae regnum sacerdotiumque dirimeret et totius aecclesiasticae pacis federa perturbaret. Sed quoniam timor est in caritate et perfecta caritas foras mittit timorem, primo supra nominatum[c] regem lenibus monitis blandisque convenit, exemplis 7 docuit, scripturarum argumentis instruxit[7], omnesque ei conniventes eisdem adortationibus terruit, et ne domino suo talia suadere deberent, innotuit. Legationibus praeterea frequentibus[8], mandatis et litteris egit, ut mores suos mutaret in melius, ut meminisset se 8 esse regem, praelatumque populis ad aedificationem, non ad destructionem, et magis proprie dici regem, qui imperet motibus animi quam qui populis dominetur; simoniacam heresim imperii sui finibus cohercendam; non esse regiae potestatis quod fuisset omnipotenti fol. 3'. Domino consecratum. Longobardiae quoque episcopos eadem simoniaca 'heresi[d] laborantes aepiscopali dignitate suspendit sedemque apostolicam adire praecepit, ut eius aut 9 firmarentur iudicio aut sententia dampnarentur[9].

At vero saepe nominatus rex, non solum salutaribus consiliis acquiescere noluit, verum etiam malitiam suam multiplicatis iniquitatibus cumulavit. Nam ubi se apostolicis litteris conventum vidit, diminutionem sui imperii suaeque pecuniae veritus, ad

a) czelo *in cod. corr.* zelo. b) nichil ominus *cod.* c) notum *cod.* d) heres *cod.*

6) Quorum natu maior filius se virum fortem in rebus Italicis praebuit inde ab anno 1080 usque ad a. 1092, quo praeliando occubuit. Vide Stenzel I, 463, n. 16; 471, 34. 547, 21. 7) Quae litterae, si re vera a Gregorio scriptae sunt, hodie non supersunt. 8) 1074; vide Lamb. s. a. 9) Synodum Romae diebus 24—28. Febr. 1075 habitam respicere videtur. Vide Jaffé p. 417.

eversionem Ildibrandi mentem intendit, qualiter id fieret exquisivit, et ne alicuius momenti eius excommunicatio haberetur, omnes Galliae et Longobardiae episcopos convenire fecit[10], utque[a] ei maledicerent imperavit. Sed vir ille ad instar montis qui nullis valet tempestatibus concuti, ad omnia permansit inpavidus, et a iusticiae tramite non declinans, durioribus regem convenit alloquiis, comminatus ei apostolicae maledictionis sententiam et imperii destitutionem, si pertinax extitisset[11]. Verum ubi sensit eum infelicius agere et obdurato corde nec monita recipere, nec comminationes[b] curare, vocatum semel et iterum, et ut verum fatear, sepissime Romam venire iussum, diu multumque renitentem et nolentem resipiscere, congregatis episcoporum plurimis excommunicavit et a regni dignitate 1076. Febr. 21. removit, servata tamen[c] spe recuperandae dignitatis et veniae, si digne satisfacere voluisset. Omnes quoque fautores eius qui perversis eius moribus consentirent simili iudicio percullit[d], si nollent ab eius communione et consortio separari.

4. Huc[d*] huc mihi veterum monimenta priorum. Hinc agat Ambrosius, astipuletur Gelasius, loquatur Pascasius. Felix quoque Romanus episcopus testimonium dicat. Quid, inquiunt, sibi causae fuit, ut quod ceteris imperatoribus licuit sub aliis apostolicis, non licuisset et isti? Dic, Ambrosi, quod sentis: *Convenior*[12], inquit, *a militibus et tribunis, imperatorem iure suo iussisse*[e] *ut quae in potestate eius essent omnia*[f] *ei tradi deberent. Respondi, si a me peteret quod meum est*[g], *id est fundum meum, argentum meum, ius huiuscemodi meum me non refragaturum, quamquam omnia quae mea sunt, sint pauperum.* Item post aliqua[13]: *Nec mihi* 13 *fas est tradere, nec tibi, imperator, accipere expedit. Domus privati nullo*[h] *potest iure temerari*[i], *domum Dei existimas auferendam? Allegatur imperatori licere omnia; ipsius esse universa. Respondeo: Noli te*[k] *gravari, imperator, ut putes te in ea quae divina sunt imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere! sed si vis diutius imperare, esto Deo subiectus*[l]. *Scriptum est enim: „Quae Dei Deo, quae caesaris caesari“.* Matth 22,21 *Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotes aecclesiae. Publicorum tibi moenium ius commissum est, non sacrorum. Iterum*[m] *dicitur mihi mandasse imperatorem: debeo et ego unam basilicam habere. Respondeo: Non licet tibi illam habere. Quit tibi cum adultera? est*[n] *enim quae non est legitimo coniugio copulata, veteri*[o] *iure sacerdotibus donata vel dotata, imperatoria vi usurpata.* Item Ciprianus: *Quisquis ab aecclesia segregatus adulterae iungitur, a promissis aecclesiae separatur, nec perveniet ad Christi praemia 'qui Christi relinquit aecclesiam. Alienus est, prophanus est, hostis est. Habere non* fol. 4. *potest Deum patrem, qui aecclesiam non habet matrem.* Item Gelasius: *Ad sacerdotes Deus voluit quae aecclesiae sunt disponenda pertinere, non ad saeculi potestates. Non sibi vendicet imperator alienum ius et ministerium, quod alii deputatum est.* Et paulo post: *Obsequi solent principes christiani decretis aecclesiae, non suam praeponere potestatem.* Ista sunt quae virum religiosum et animum Deo plenum ad maledicendi sententiam impulerunt, ut quia tociens commonitum regem, hisque et aliis territum revocare non potuit, sed medicamento penitentiae sanare non valuit, ferro tamen anathematis membrum putridum amputaret.

5. Verum ne id absurde factum quisquam existimet, quae secuntur sanctorum patrum constitutiones et exempla perspiciat et oculo vigilanti percurrat, nec erit ulterius quod ambigere debeat. Inquit beatus papa Pascasius[13*] inter alia: *Si quis obiecerit non consecraciones sed res ipsas quae ex consecratione proveniunt vendi, videtur quidem aliquid dicere, nichil autem penitus sapere. Nam cum corporalis aecclesiae aut episcopus aut abbas, aut tale aliquid sine rebus corporalibus et exterioribus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore temporaliter vivit, quisquis eorum alterum vendit sine quo alterum habere non provenit, neutrum venditum derelinquit. Quam obiectionem sacer paenitus canon exterminat, cum procuratorem vel defensorem aecclesiae vel aliquem regulae subiectum a Deo per pecunias ordinari prohibeat, ut interventores quoquę tanti sceleris anathematis mucrone succidat.* Si autem obicitur, cur absentem dampnaverit, respondebitur verbis apostoli: *Si quis verbo nostro non obedierit* 2 Thess. 3,14. *per aepistolam, hunc notate et ne commisceamini.* Item isdem: *Scripsi vobis in aepistola, ne* 1 Cor 5, 9. *commisceamini fornicariis: non utique fornicariis huius mundi aut avaris aut rapacibus*[p] *aut*

a) utquę *cod.* b) *sic corr. Ph. Jaffé;* communicationes *cod.* c) tm̄ *saepius pro* tamen *usurpatur in codice.* d) pertulit *cod.* d*) *prima capitis littera hoc loco, ut semper in cod. nostro, omissa est.* e) *ita cod.;* uti *Ambrosius.* f) uti eo quod in potestate eius essent omnia *Ambrosius.* g) esset *Ambros.* h) nulo *cod.* i) domum p. n. potes iure temerare *Ambros.* k) *deest* te *in cod.* l) subditus *Ambros.* m) *ita Ambros.* Imperator *cod.* n) adultera *intellige, quod apud Ambrosium exstat.* o) veteri — usurpata *desunt Ambrosio.* p) rapatibus *cod.*

10) Wormatiae 24. Ian. 1076. 11) Gregorii epistolam, inter dies 24. Ian. et 21. Febr. 1076 ad Heinricum directam, non habemus. 12) Epist. 20, Opera ed. Mab. II, 854. 13) l. c. 857. 13*) Paschalis I; Mansi XII, 378; Ivonis Decr. II, c. 84.

idolis servientibus. Alioquin debueratis de hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri si quis frater nominatur fornicator, aut avarus aut idolis serviens aut maledicus aut ebriosus aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere. Quibus verbis, ut ait beatus Ambrosius, *ostendit non iudicio aut confessione opus esse erga eos quorum crimina publica sunt, quos ipse rumor notus omnibus et communis accusat.* Cui etiam pater concinit Augustinus fratrem nominatum intellegens qui in crimine sit famosus et notus. Quod nisi ita accepisset apostolus, et si neminem absentem crederet iudicari debere, sed semper per praesentem sub accusatoribus certis et testibus, aecclesiastico sive[a] saeculari iudicio, aut confessum aut convictum: numquam Corinthium dampnasset absentem, quem uxore patris abusum fama tantum praedicante didicerat. Non enim quaesivit sinodum facere, accusatores admittere, testes audire, et cetera huiuscemodi quae in iudiciis exquiruntur. Sed his praetermissis fol. 4'. 'convicinis illius Corinthiis ait: 1Cor 5,1-5. *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio qualis nec inter gentes, ut uxorem patris quis habeat. Et vos inflati estis et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio[b] vestrum qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, iam iudicavi ut praesens eum, qui sic operatus est, in nomine domini nostri Ihesu Christi congregatis vobis et[c] meo spiritu cum virtute domini nostri Ihesu tradere huiusmodi hominem Sathanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die domini nostri Ihesu Christi.*

6. Iam vero ad ea quae cotidie velut cum admiratione dicuntur, paucis in Deo respondendum. Nam quod absens potuerit iudicari[d], superioribus sententiis approbatur. Quando, inquiunt, factum legitur, ubi scriptum auditur, quibus reperitur libris, quibus commemoratur historiis, ut quemquam inperatorem[e] quisquam episcopus vel apostolicus condempnarint? Accipiant et de hac obiectione[f] responsum, et veterum, si ita volunt, admirentur exemplum. Xistus Romanae sedis episcopus Valentinianum et Honorium excommunicationis gladio perculit et ab imperii dignitate submovit[15]. Quid ergo? Non licuit Romanae aecclesiae modernis temporibus, christianitatis gloria latius propagata, quod priscis olim tempestatibus valuit? Aut ligandi, solvendi potestatem ad tempus accepit, ad tempus amisit? Absit hoc ab animis christianis. Sicut enim potestatem semel acceptam Petrus extunc semper habuit et habebit, sic eandem potestatem Romana sedes in saeculum possidebit, teste Augustino qui ait: *Petra tenet, petra dimittit, columba tenet, columba dimittit, unitas tenet, unitas dimittit.* Non solum autem Xistus hoc fecisse probatur, verum eciam modernior et quasi iunior papa Stephanus itidem legitur executus. Nam Desiderium Longobardorum regem vehementer Romanam aecclesiam infestantem saepe commonitum semperque renisum prius excommunicavit, post vero latenter profectus in Gallias et apud Carolum super eius iniquitatibus questus, eundem Carolum collecto hoste Romam duxit et abiecto a dignitate regni Desiderio Romanorum imperatorem constituit[16]. Sed cur ista de pontificibus[g] Romanis prosequimur, cum Ambrosius quoque Mediolanensis episcopus, vir praecipuae sanctitatis et urbanitatis egregiae, verum impar apostolicae dignitatis, Theodosium a Thesalonica caede reversum et effusione innoxii sanguinis cruentatum ab aecclesiae ingressu removerit et episcopali autoritate egerit, ut non prius reciperet aecclesiasticam communionem quam humili confessione totum quod deliquerat sanaretur? Legitur enim quod videns isdem imperator a liminibus aecclesiae se prohibitum, totus versus in lacrimas insignia regalia deposuerit et pro purpura cilicio indutus, tantis sese fletibus et lamentis affecerit, ut[h] omnibus qui aderant admirationi fuerit et stupori. Quem vir Domini conpunctum et humiliatum aspiciens, in aecclesiam introduxit, redditaque sibi communionę pro eodem sacrificium fol. 5. 'dominici corporis et sanguinis immolavit. Si talia Romani pontifices quos supra memoravimus potuerunt, nec solum illi, verum alii imparis dignitatis aepiscopi multos imperatorum et regum certis de causis[i] diversis temporibus excommunicaverunt et a regni dignitate vel imperii gloria submoverunt: dicant qui volunt, si tamen recte volunt vel possunt, cur non eadem apostolica auctoritate Yldibrandus Heinricum regem excommunicare potuerit et ab imperii dignitate suspendere.

7. Quia vero superioribus rationibus et exemplis iam eis satisfactum putamus, quibus regem excommunicari videbatur indignum, caetera quae in[k] Ildibrandum obiciunt persequamur. Aiunt enim: Quis hominum aequanimiter ferat[l] rem omnibus saeculis inauditam, ut

a) sine *cod.* b) mediu *corr. in cod.* medio. c) *deest cod.* d) indicari *cod.* e) inperator *cod.* f) abiectione *cod.* g) pontifitibus *cod.* h) et *cod.* i) clausis *cod.* k) iu *cod.* l) ferant *corr. in cod.* ferat.

15) Hoc omnino falsum est et a Pseudo-Isidoro demum confictum. Cf. Jaffé p. 933, N°. CXCII. 16) Stephanum IV 768–772 cum Hadriano I et Leone III Noster confudit.

Rodulfus dux domini sui regnum praeriperet, et multis sacramentis sibi obstrictus ad imperium aspiret. Si nichil aliud Yldibrandus[a] egisset, quo merito reprehendi deberet, hoc tamen tam exiciale fuit, tantumque posteris iniquae praesumptionis et auctoritatis invexit, ut hoc solo iure debuerit condempnari. Hactenus milites sacramenti foedere tenebantur, stupebant iniurias dominorum, vindicabant offensam, potentiam tuebantur, defensabant honores, pro salute quoque servabant excubias, et par sacrilegio videbatur si in honorem quippiam molirentur. Nunc autem versa vice milites armantur in dominos, insurgunt filii in parentes, subditi commoventur in reges, fasque nefasque confunditur, sacramenti religio violatur, humanitatis iura solvuntur, tolluntur vocabula pietatis, fraudare, decipere, fallere, peierare omnes sibi licitum arbitrantur. Quis enim non imitabile existimet[a*], quod sedem apostolicam videat approbasse? Quem pigeat sequi caput orbis, magistram fidei, dominam sanctitatis, principem religionis? Quam facile homines delectantur malis, adhaerent viciis, pascuntur flagiciis, assuescunt iniquitatibus universis! Quam vero difficile est quemquam fieri bonum, nichilque durius naturae mortalium quam boni perceptio. Haec sunt quae in[b] Ildibrandum adversarii proferunt et arcum maliciae intendentes, huiusmodi in illum sagittas emittunt. Sed accipiant patienter quod non quidem fictę pro se protulit[c], sed contra haec veraciter isdem vir multis aliis nobisque praesentibus intimavit[d]. Cum enim quadam die sinodum ageret[17], cumque de Rodulfi electione mentio incidisset, hic[e] regis 17
destitutionem paucis explicuit, quam rationabiliter depositus fuisset innotuit. Post vero quasi satisfacturus, sciens quod de se talia iactarentur, contestatus coelum et terram, quod electioni illius numquam assensum[f] praebuerit, numquam conscius fuerit[18]. Sed faciamus eum errore mentitum et errore delusum. An si ita esset, excusari tamen non posset, cum, Heinrico iam legitime condempnato et a regni dignitate submoto, Rodulfus fuisset promotus in regnum[19]? Si prius quam condempnaretur dominus, miles aspirasset ad regnum, re- 19
prehensibilis merito videretur. Domino vero iam deposito et ex auctoritate Petri dampnato, quid Rodulfus 'ei deberet non video, ut domino suo regnum praeripuisse dicatur. Alioquin fol. 5'.
quotiens legitimo iuditio quilibet deponuntur episcopi et alii subrogantur, iniuste eis priorum episcoporum milites sacramenta fatiunt, si sacramenti vinculo quod prioribus illis deberant obligantur. Sed omnibus omnino gentibus usitatissimum est, ut in quibuslibet episcopatibus, episcopis sinodaliter condempnatis, et alii creentur episcopi et eis aecclesiarum milites absque nota periurii obligentur. Si debent ergo prioribus aepiscopis, culpabiles sunt quod aliis iuraverunt. Si autem nichil debent, nichil delinquunt. Sed tam diu debent, quam diu commissis sibi praesunt aecclesiis. Ubi autem praeesse desistunt, quia esse aepiscopi desierunt, nichil illis a militibus iam debetur. Similiter vir et uxor matrimonii lege teneantur in tantum, ut nisi mortis tempore utroque superstite non separentur. Sed si vir vel uxor inciderit heresim aliquam aut nuper conversus ad gentilitatem recurrat, num cogitur alter eorum ire post alterum, quasi coniugii vinculum non solvatur: et non potius suae potestati relinquitur, ut magis fidem teneat, quam occasione coniugii fidem amittat? Agamus per similitudinem. Sunt quidam qui nichil sibi debent, postea vero casu aliquo datis obsidibus paciscuntur; quam diu ergo habentur obsides, foedus permanet incorruptum. Amissis vero obsidibus vel redditis, iura foederis violantur. Eadem in pignoribus lex. Tam diu enim debet quis foeneratori, quam diu pignus habetur, et tam diu certus est creditor, quousque integrum pignus servatur. Reddito autem pignore vel corrupto[g] vel perdito, nichil amplius iam debebit[h], qui ut deberet pignus dedit. Sic nos quando iuramus, ius nostrae fidei quasi in medio ponimus et velut pro pignore ipsum ius commendamus. Quid autem est illud ius nisi fides nostra, qua[i] in Deum credimus et per quam creditori iuramus, cum tactis sacrosanctis euangeliis nomen Christi offerimus? Tam diu ergo ius nostrum creditori debemus, quam diu fidei nostrae pignus penes eum est. Si autem a fide aberraverit et ius fidei quodam modo violaverit et ita perdiderit pignus per quod ei debemus, debitores illi ultra non

a) Yldibradus *cod.* a*) exstimet *cod.* b) *omissum in cod.* c) pertulit *cod.* d) *ita correxi;* intimant *cod.* e) hoc *cod.* f) assenum *cod.* g) corrupta *post corr. in cod.* corrupto. h) *littera* đ *ante* debebit *superflua in cod.* i) quia *cod.*

17) die 7. Mart. 1080; cf. Mansi XX, 531 et Gregorii epistolam ad universos fideles IX, 28 (1082? Jaffé 3950) *illud — vestrae dilectioni notificari non dedignamur, Deo teste, Rodulphum — non nostro praecepto sive consilio regnum suscepisse.* 18) Cfr. quae hac de re Stenzel acutissime disputavit II, 148—153. 19) Error. Die 15. Mart. 1077, quo Rodulfus electus est, Heinricus iam dudum d. 28. Ian. anathemate solutus erat.

sumus. Cum enim alicui per Deum debitores sumus, quomodo consequens est, ut illum
contra Deum iuvemus? Aut quomodo velit, ut occasione nominis eius venias contra volun-
tatem eius, et quasi servando ius homini perdas illud Deo? Hinc enim periuri dicuntur
quod ius perdiderint. Astipulatur in hoc nobis Hieronimus scribens inter alia: *Sive*, inquit,
fuerit ille pater, sive mater, frater vel soror aut quilibet alius, tam diu noveris copulam carnis,
et debitor eris promissi iuris, quam diu ille suum noverit creatorem, non nomine dico sed opere,
nil omnino debebis. Ex omnibus igitur quae praemisimus[a] certum est, quod nec Rodulfus
abiuraverit, nec Ildibrandus reprehensibilis fuerit, si eciam electioni eius consensit.

8. Reliqua persequamur, et quae in eum obiciunt, sicut Dominus dederit, propulsemus.
Ut taceamus de caeteris, inquiunt: „Sed hoc quis excusabile faciet, quod Teutonicos ad bella
commovit vel saltim cum Heinrico pugnare permisit et, quod viris religiosis minime conve-
nit, persecutionem tantam in iam dictum regem exercuit? Et docere est christianorum viro-
fol 6. rum, non bella movere, *pati aequanimiter iniurias aliorum, non ulcisci. Nichil tale Ihesus,
nichil tale quisquam legitur fecisse sanctorum. Domini et patres nostri ad ista respondeant,
quia satisfacere nostris viribus non valemus.“ Dic, pater Augustine[b], quod sentis. In libro
20 adversus Donatistas[20]: *Si aecclesia*, inquit, *vera ipsa est quae persecutionem patitur, non quae*
facit, querant ab apostolo quam aecclesiam significabat Sara, quando persecutionem fatiebat
Gal. 4, 26. *ancillae. Liberam quippe matrem nostram coelestem Iherusalem, id est veram Dei aecclesiam, in*
illa muliere dicit fuisse figuratam quae affligebat ancillam. Si autem melius discutiamus, ma-
gis illa persequebatur[c] *Saram superbiendo quam illam Sara cohercendo. Illa enim dominae*
faciebat iniuriam, ista imponebat superbae disciplinam. Deinde quero: Si boni et sancti viri
nemini faciunt persecutionem, sed tantummodo patiuntur: cuius putant in psalmo vocem, ubi legi-
Psal. 17, 38. *tur: „Persequar inimicos meos“ et cetera. Si ergo verum dicere vel agnoscere volumus, est perse-*
cutio iniusta quam faciunt impii aecclesiae Christi. Ista namque est beata, quae persecutionem pati-
21 *tur*[d] *propter iusticiam.* Item Augustinus[21]: *Quod autem dicunt, qui contra suas impietates leges*
iustas institui nolunt[e]*: non petisse a regibus terrae apostolos talia, non considerant aliud fuisse*
tunc tempus et omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat imperator,
qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo serviret, quando adhuc illud propheticum
Psal 2, 1. *complebatur: „Quare fremuerunt gentes“ et reliqua? Nondum autem agebatur quod paulo post*
in eodem psalmo subditur: „Servite Domino in timore“. Quo enim modo reges serviunt Domino
in timore, nisi ea, quae contra iussa Domini fiunt, religiosa[f] *severitate prohibendo atque*
plectendo? Idem alibi: *Ubi est quod isti clamare consuerunt? Cui vim Christus intulit? Quem*
coegit? Ecce habent Paulum apostolum. Agnoscant in eo prius cogentem Christum et postea
docentem; prius ferientem et postea consulentem. Item Pelagius papa: *Nos vero hominum va-*
naloquia non retardent, dicentium quia: „persecutionem aecclesia faciat, dum vel ea quae com-
mittuntur reprimit, vel animarum salutem requirit.“ Errant huiuscemodi rumoris fabulatores.
Non persequitur nisi qui ad malum cogit. Qui vero malum vel iam factum punit, vel prohibet
ne fiat, non persequitur iste, sed diligit. Nam si, ut illi putant, nemo nec reprimendus a malo
nec retrahendus ad bonum est, humanas ac divinas leges necesse est evacuari, quae et malis
poenam et bonis praemia iusticia suadente constituunt. Idem alibi: *Non putetis alicuius esse*
peccati, si huiusmodi homines comprimuntur. Nec quicquam maius est unde Deo sacrificium
possitis offerre, quam si competenti debeant vigore compesci. Item Augustinus Donato pres-
bytero: *Displicet*[g] *tibi quod traheris ad salutem, cum tam multos nostrorum ad perniciem*
traxeris. Quid enim volumus, nisi te comprehendi et praesentari ne pereas? Item Augusti-
nus: *Si christiana disciplina omnia bella culparet, praeciperet utique ut abicerent arma, seque*
militiae omnino subtraherent. Dictum est autem eis: „Neminem concusseris, neque calumniam
22 *feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum“.* Item Augustinus ad Bonifatium[22]: *Gravi de pugna*
conquereris, dubites nolo. Utile consilium vel cuiusque dabo. Arripe manibus arma, oratio
fol. 6'. *aures pulset auctoris. Quia quando pugnatur, *Deus apertis coelis spectat et partem quam in-*
spicit iustam defendit et ibi dat palmam. Item: *Noli existimare neminem Deo placere*[h] *qui*
armis bellicis ministrat. In his erat ille centurio qui Domino dixit: „Non sum dignus ut intres
sub[i] *tectum meum“. In his erat sanctus David, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium.*
In his eciam plurimi illius temporis viri. Hoc ergo primum cogita quando armaris ad pugnam,

a) praemissimus *c.* b) Augustinus *c.* c) persebatur *c.* d) patimur *c.* e) *ita correxi ex August.*; volunt *c.* f) reliosa *c.* g) *ita corr. manus rec.; in cod.* dispicet. h) *ita correxit ead. man.* placcere. i) sulb *post corr. eadem man.* sub.

20) August. opera ed. Caillau XL, 448. 21) Aug. l. c. 455. 456. 22) ep. 220. ed. Caillau XLI, 241?

quia virtus tua, etiam ipsa corporalis, donum Dei est. Sic enim cogitabis[a] *de dono Dei non facere contra Deum. Esto bellando pacificus*[b], *ut eos quos expugnas ad pacis utilitatem vincendo perducas.* Astruit haec eciam beatus papa Gregorius[c, 23] scribens Veloci magistro[d] militum inter 23 alia: *Nunc utile visum est, ut aliquanti illuc milites transmittantur, quos gloria tua admonere et hortari, ut parati sint ad laborem, studeat. Et occasione inventa cum gloriosissimis filiis nostris Marciano*[e] *et Vitaliano loquere, et quecumque vobis Deo auctore pro utilitate rei publicae steterint facite. Et si huc vel ad Ravennates partes nec dicendum Arnulfum*[f] *cognoveritis excurrere, vos a dorso eius, sicut viros fortes condecet, laborate.* Item Mauricio[g] et Vitaliano[24]: *Gloriosi filii, estote solliciti, quia quantum comperi, hostem collectum*[h] *habet et in armis*[i] *dicitur residere, ut si cursum huc Deo sibi irato mittere noluerit, vos loca eius, quantum Dominus adiuverit, depraedate.* Satis, ut reor, ex praemissis[k] apparet, quod sive Teutonicos adversus Heinricum regem pugnare permiserit, sive eciam praefatum, ut dicunt, regem persecutus est, nichil omnino commisit, quin fretus tot patrum sententiis optime[l] valeat excusari.

9. Restat nunc, ut de his quae in Gallia per legatos effecit, aliqua disseramus. Habent enim dubitationem. Cum enim plurimi Teutonicorum sacramenti religione[m] solliciti nollent ab Heinrici regis consortio separari, missis in Gallias nunciis[25], saepe dictus Yldebrandus[n] a sacramentis illos absolvit[26], ea videlicet intentione, ne occasione debiti periculum anathematis[o] incurrissent. Nos igitur causam diligentius intuentes, non simpliciter ut plurimi sentiamus, sed utrum iure id fecerit videamus. Non absolvit ergo illos a debito qui nichil iam regi debebant, sed a timore periurii[p] liberavit. Magis enim ius suum perderent, si illius perversitatibus consentirent, si contra divinas leges excommunicato communicarent; sed expedivit eos a suspicione periurii, quia videbantur sibi violatores fidei, si dominum suum quamlibet perditum, quamlibet excommunicatum[27], ut prius fecerant, non iuvarent. Si quid tamen contra praefatum regem inprudenter egissent, eadem apostolica auctoritate per nuntios apostolicos est solutum[q]. Et revera solutum, quia quodcumque Romanus pontifex in terris ligaverit, in coelo ligabitur, et quaecumque solverit in terris, in coelo solventur. Hoc Ihesus Petro praestitit, hoc omnibus successoribus eius in aeternum concessit. Inquit pater Augustinus in libro de agone christiano[28]: *Sacrilegium est credere, Dominum nostrum, cum* 28 *ipse sit veritas, in aliquo fuisse mentitum.* Item in eodem: *Non audiamus eos, qui negant aecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri, dum in Petro petram non intelligunt et nolunt credere datas aecclesiae claves regni coelorum, ipsi eas de manibus amiserunt.* Hac igitur consideratione perspecta, dicimus in hac parte *quod scimus, quia etsi quid[r] in fol. 7. dominum suum inprudenter egerant, per legatos remisit et periurii metum, quod forsitan metuebant, amovit. Multa praeterea de his dici possunt, sed brevitati studentes ad reliqua festinamus, arbitrantes de solutione Teutonicorum[s] ista sufficere.

10. Adiuvet dominus Ihesus, ut caeteris obiectionibus competenter respondere possimus. Solent enim disputantes de talibus ita proponere: Quid necesse fuit, ut in symoniacos presbiteros vel cuiuslibet criminis reos laicorum manus iniceret[t]? Cur fecit eos capi? Cur spoliari facultatibus? Cur caedi[u]? Cur alia multa in eos exercuit, quae non solum a christianis, verum etiam a gentilibus et prophanis ac barbaris videantur extranea? Satis erat, si more decessorum suorum et secundum normam apostolicae institutionis sacrique aeuangelii peccantes argueret; si secretius conveniret, causam ad medium duceret: si nec, sic correctos sicut ethnicos et publicanos haberet. Sed pro dolor! ad tantam ignominiam sacerdotalis honor prolapsus est, ut nobis praesentibus et videntibus Cremonae quidam presbiter in adulterio deprehensus, ab ipsa eadem muliere, cum qua fuit inventus, ad instar equorum[v] per urbis circuitum fuerit, ut ita dixerim, equitatus, utrisque humeris meretricem

a) cogitabilis *cod.* b) patificus *c.* c) G. *cod.* d) magistrum *cod.* e) Maurilio *editt.* f) Ariulfum *ed.* g) inauricio *cod.*; Maurilio *edit.* h) collectu *cod.* i) Narina *ed.* k) praemisit *cod.* l) optive *cod.* m) relione *cod.* n) y yldebrandus *cod.* o) anethematis *cod.* p) periuri *cod.* q) solitum *cod.* r) ꝗ *cod.* s) Teuconicorum *cod.* t) *ita correxi;* inicerent *codex.* u) cedi *cod.* v) ęquorum *cod.*

23) Greg. M. epp. lib. II, 3. Opera ed. Maur. II, 570. 24) ibid. lib. II, 30. pag. 591. 25) Bernhardo abbate Massiliensi et Bernardo cardinali diacono, quos Gregorius die 28. Febr. 1077 in Germaniam misit. Cf. Stenzel I, 418. II, 150. 26) Quae hic et infra de eadem re proponuntur, gravissima sunt. Probant quidem, verba Gregorii supra p. 159 n. 17. ex Reg. IX, 28. allata minime cum vero convenire ipsumque absolutis per legatos Teutonicis a sacramento fidelitatis Heinrico IV debito, non parum Rodulfi electionem adiuvisse. Quod praeter Nostrum a nullo, quod sciam, scriptore traditur. 27) At hoc tempore Heinricus minime excommunicatus erat. 28) ed. Caillau XXVI. p. 179.

ferre compulsus, prosequentibus ut urbem[a] migrare putares per omnes portas, adultera scopis presbiterum feriente, caeteris acclamantibus. Quod cum ita sit, quis super hoc non miretur? Quis tantam aecclesiastici ordinis miseriam non ploret, quam nullis umquam temporibus accidisse meminerit? Stupenda sunt haec et vere omnibus retro generationibus inaudita. Sed sicut a viris fidelibus didici, qui multa cum illo de talibus contulerunt, referre solitus erat, quod tam crudelia et gravia numquam in presbiteros fieri mandavisset; plurimum etiam se dolere[b] solitum, quotiens imperitum vulgus huiusmodi novis iniuriis moveretur; displicuisse semper verbera sacerdotum, caedes et vincula, cippos et carceres, si forte talia a laicis paterentur. Quamquam non multum haec a christianis doctoribus dissonent, si etiam eius consensu fiebant, ut aliqui putaverunt[c]. Ambrosius inquit: *Persequendi sunt lupi, vitandi sunt universi qui ad hoc ut fiant heretici promoventur, qui lepram Giezi cum suis diviciis possident et male quaesita mercede non tam patrimonii facultatem quam thesaurum criminum congregarunt. Item in psalmo* 118 *et in libro regnorum legis, quia* Reg 1, 15. *Saul propterea contraxit offensam quia miseratus est Agag*[d] *regem, quem prohibebat sententia divina servari. Velut si quis latronem, filiis deprecantibus motus et lacrimis coniugis eius inflexus, absolvendum putet, cui latrocinandi adhuc aspiraret affectus.* Item Pelagius: *Malum scisma esse et per exteras eciam potestates huiusmodi opprimi debere, et canonicae scripturae auctoritas et paternarum nos regularum*[e] *veritas docet.* Hieronimus super Iezechielem libro tercio: *Qui malos percutit in eo quod mali sunt et habet vasa interfectionis, minister est Domini.*

11. Illud quoque non minus videbitur excusabile, quod rebus suis a laicis nudabantur, fol. 7'. si patris Augustini verba sollicite perpendamus. *Quicquid*, ait, *a parte Donati possidebatur, christiani imperatores legibus religiosis de ipsis aecclesiis ad catholicam transferri iusserunt. In libro etiam sapientiae scriptum est: „In Deo iusti tulerunt spolia impiorum".* Unde colligitur, non esse querendum, qui habeant res scismaticorum, sed qui sint in societate[f] iustorum.

12. Quid autem iustius, quam ut error scismaticorum refelleretur? Nec solum refellendus, sed etiam oppugnandus erat. Papa Innocentius: *Error*, inquit, *cui non resistitur*[g] *approbatur, et veritas cum minime defensatur, opprimitur.* Item Pius papa: *Quid prodem illum suo errore non pollui*[h], *qui consensum praestat erranti?* Item Gregorius Nazanzenus: *Nemo sane aestimet dicere, quod omnis concordia amplectenda sit. Scio enim, sicut in multis discordiam, ita in aliquantis perniciosam esse concordiam. Sed illam dico pacem tenendam, quae in bonis et pro bono est et Deo nos sotiat. Certum est namquę, quod adversus* fol. 8. *impietatem et ignibus et ferro et potestatibus et legibus pro veritate debemus*[i] *obniti, tantum ne fermento malitiae polluamur et consensum*[k] *praebeamus in malis. Nec ita quicquam pertimescendum, quam ne aliud quid tam timeamus quam Deum, et per timorem perdamus fidem et veritatem.*

13. 14. Cur etiam eosdem[l] scismaticorum increpare debuerit nec laicorum iniquitates debuerit reticere, quis sanum sapiens videre non possit? Comminatur quippe Dominus per prophetam. *Sacerdos*, inquit, *ingrediens et egrediens nisi sonitum dederit morte moriatur.* Item: *Maledictus homo qui prohibet gladium suum a sanguine.* Item papa Innocencius: *Negligere quippe, cum possis deturbare perversos, nichil est aliud quam fovere.* Item Pius papa: *Sine dubio contra mandata dimicat et qui peccat et qui consilium vel consensum praestat peccanti*[m] *vel erranti*[n]. Item Clemens papa: *Certissimum enim est, quod neque amicicia neque propinquitas generis neque regni sublimitas homini debet esse preciosior veritate.* Fabianus: *Qui omnipotentem Deum metuit, nec contra euangelium*[o], *nec contra apostolos, nec contra prophetas vel sanctorum patrum instituta fieri aliquid consentit.* Leo: *Qui alios ab errore non revocat, se ipsum errare demonstrat.* Augustinus: *Quisquis metu alicuius potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem quam Deum.* Item Innocencius: *Non caret scrupulo societatis occultae*[p], *qui manifesto facinori desinit obviare.* Tot igitur sanctorum patrum terroribus, tot quasi tonitruis agitatus[q], necesse habuit, aut Deum offendere aut scismaticorum erroribus non favere. Eadem[r] ratione non praeteriit etiam laicos, quos vidit velut iniquitatum mole sepultos, quia non esset iustitiae de scismaticis agere et per-

a) ŏrbem *cod.* b) dolore *cod.* c) pŏtaverunt *cod.* d) Agág *cod.* e) gularum *ita corr. man. recentior.* f) sotietate *cod.* g) resistilitur *cod.* h) *sic 2. manu corr.* pallui. i) *spatium unius columnae et dimidii vacuum relictum est in codice, nihil tamen excidit.* k) et cons. *bis dantur.* l) *scil.* errores. m) pecccanti *cod.* n) v. err. *superscr. c.* o) evagelium *cod.* p) occulte *cod.* q) agittatus *cod.* r) Cadem *cod.*

iuros et adulteros praeterire. Sic Gregorius Nazanzenus sentire videtur, qui de talibus disputans ait inter alia: *Illud generali intentione observandum puto, ut sicut iis*[a], *quibus per districtos in excelso funes incedere disciplina est, huc vel illuc declinare discrimen est, et deviare aliquantulum, quamvis illud perexiguum videtur, interitus est; omnis autem in eo salus est, sicut temtam vel directam incessus sui lineam teneant, ita in his nostris actibus in quamcumque quis partem, quacumque ex causa, declinaverit, sive hoc malitia, sive inperitia fecerit, ultimi periculi res est.* Igitur via regia incedendum est, et neque his quae a dextris, neque illis quae a sinistris sunt intendendum. Credimus de non fovendis scismaticis et iniquis laicis arguendis ista sufficere.

15. Restat iam nunc illud quod praecipuum videtur et maximum, in quo sibi solent omnes applaudere dicentes: *Quis umquam christianorum tot bella movit, tot homines interemit?* Bis namque terque et sepius inter Saxones et regem commissum est bellum, in quo ad minus quatuor milia vel octo milia hominum occiderunt. Locus omnis acervis corporum et sanguine redundavit. Substitit fluvius a *multitudine occisorum, et relicto prioris fol. 8'. cursus alveo[b] per agros erupit, maiorque visus est rivus sanguinis impetu fluminis. Stupuit terra super hoc et rem insolitam mirabatur, dolebat tot ex se genitos bellis occumbere, quos non naturae terminus sed gladius occidisset. Quid igitur in iuditio dicturus erit, cum tot occisorum adversus eum sanguis clamabit: *Vindica, Domine, sanguinem, sanguinem nostrum, quia, promissam in tuo nomine fidem violare nolentes, pro dominis nostris animas dedimus. Bellum illud iustum fuerit vel iniustum, nos ea intentione pugnavimus, ne proditores tuae fidei videremur.* De rapinis quoque et incendiis aliisque gravibus incommodis et dampnis exinde subortis, quid homo miserabilis responsurus[c] erit? —

Talibus itaque obtrectationibus[d] partem illam lacerant et apud imperitum vulgus iniustam demonstrant. Sed utinam postponerent opinionem suam, nec hominem illum suo iuditio et sensu, sed aequitatis lance pensarent. Revocent oculos cordis ad penetralia scripturarum, audiant ibi quod nesciunt, et discere studeant quod ignorant. Cessabunt rumores huiusmodi, cum divinis scripturis fuerint irrigati, et si ea quae dicuntur non animosę sed studiose audiant et acute perquirant. In talibus enim, ut ait Augustinus: *Praecedat rationem auctoritas.* Veniant igitur et patrem Augustinum diligenter audiant[e] tollentem opiniones huiusmodi et disputationes vel contentiones talium amputantem. Dicat ipse quod sentiat, et quid sentiendum aestimet innotescat. Satius est Augustino credere, quam sensu suo errare. Augustinus inter alia: *Absit*, inquit, *ut ea quae propter bonum et licitum*[f] *facimus*[g] *aut habemus, siquidem per haec praeter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur. Unde nec reus est mortis alienae, si cum suae*[h] *possessioni murum quis circumduxerit, aliquis ex ipso usu*[i] *percussus intereat. Neque reus christianus, si bos eius aliquem feriendo, vel equus calcitrando, aliquem occidat. Aut ideo non debent christiani boves habere cornua, aut equus ungulas, aut dentes canis?* Item post pauca: *At vero, quoniam Paulus apostolus sategit, ut in tribuni notitiam perferretur et ob hoc deductores accepit armatos*[k], *si in illa arma scelerati homines incidissent, Paulus in effusione*[l] *sanguinis eorum suum crimen agnosceret?* Et post aliqua: *Num Christum causam*[m] *perditionis eorum, ad quos missus est et qui*[n] *vocem eius non audierunt, fateri praesumimus? Aut audemus ascribere Paulo stultitiam hominum et scandalum Iudeorum*[o]*? Si templi quisquan tecta sarciret, si muros in altum duceret, vel quomodo libet meliorando mutaret, et ministrorum quispiam interiret, num bono animo hoc agenti illius interitum deputares?* Item Ambrosius: *Qui non ex dispositione sed praeter voluntatem fecerit vel consenserit fieri homicidium, divinae*[p] *minister est ultionis.* Item: *Qui necessitate aliqua coactus occiderit, quasi invitus*[q] *occidit. Etsi quidem quae a nobis sunt, excusationem non habent, quae fol. 9. autem praeter nos sunt, excusabilia sunt.* Item Augustinus[r]: *Non mihi placet*[s], *ut omnes habeant occidendi licenciam, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat*[t], *sed pro aliis vel pro civitate ubi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si eius congruit personae.* Tot ergo scripturarum documentis instructi, tot auctoritatibus eruditi, desinant dicere homicidam, qui non homicidium[u] fecerit, sed ecclesiae pestem amputare quaesierit. Nam ipso docente commotum est bellum, non ipso volente. Stephano disputante Iudei ad

a) is *cod.* b) alvei *cod.* c) responrus *cod.* d) abtr. *cod.* e) audire *cod.* f) lilitum *cod.* g) facinus *cod.* h) sue *cod.* i) *ita codex; casu conicio.* k) armatores *cod.* l) effusionem *cod.* m) *ita conicio;* causa *cod.* n) *supplevi.* o) indeorum *cod.* p) divine *cod.* q) innitus *cod.* r) ağ *cod.* s) *ita corr. in cod.* placent. t) fatiat *c.* u) homitidium *c.*

lapides currerunt, nec solum currerunt, sed etiam miserunt in eum, in tantum, ut viso Ihesu a dextris Dei obdormiret, factique sunt homicidae[a] martiris quotquot saevierunt in martirem. Num culpa Iudeorum imputabitur Stephano, qui non eos lapides iacere voluerit, sed sanare? Simili ratione non submovit Henricum Yldebrandus a regno, quasi sitiret sanguine Teutonicorum; sed ut avaritiam aliquorum reprimeret, quibus gratis dari ecclesias inutile et insolitum videbatur. Nullus siquidem episcopatus, nullus denique ecclesiasticus honor, ut ante iam diximus, absque dominae pecuniae suffragio debebatur. Nec aliquid poterat gratia, si non arriderent metalla. Felix questus, ubi temporalium facultatum census dispergitur et aeternae mortis periculum generatur. Iam vero quanta vitiorum omnium exinde messis increvit, praetereundum putamus, quoniam superius satis de hoc disputatum est.

16. Fateantur ergo necesse est: aut de tot malis non fuisse silentium, quod manifeste verum est, aut de his fuisse locutum, si etiam quippiam inde mali processit, non esse vitii sed virtutis. Nec etiam illud vitiosum videbitur quod adversariis dicitur restitisse, si Augustini verba, quae superius praemisimus, diligenter inspexerint. Quibus ait: *Si ecclesia vera est quae persecutionem patitur, non quae facit* et cetera. Et post pauca: *Si boni et sancti viri nemini faciunt*[b] *persecutionem, sed tantummodo paciuntur* et alia quae subiungit[c]. Quibus omnibus diligenter inspectis nulla super hoc dubitatio remanebit, cum non sit sanctorum virorum quantum ad se resistere adversariis, sed quantum ad tuendam iustitiam; quod mille documentis probari potest.

17. Proponunt deinde, cur excommunicatorum et scismaticorum sacramenta non recipienda mandaverit. Quibus breviter respondemus. Certum est quod, attestantibus[d] patrum[e] consiliis, nemo excommunicato communicat, quin sit excommunicatus. Unde praecipiente
Num 16,26. Domino Moysi dictum est: *Separamini a tabernaculis hominum istorum durissimorum, et nolite tangere omnia quae sunt eis, ne simul pereatis in peccatis eorum.* Quibus Spiritus sanctus
Hos. 9, 4. contestatur per Osaeae prophetiam[f] dicens: *Sacrifitia eorum, tamquam panis luctus, omnes qui manducant ea, contaminabuntur.* De his etiam pater Gregorius in primo Moralium: *Hereti-*
fol. 9'. *corum*, inquit, *sacrifitia accepta Deo esse nequeunt, 'nisi pro eis universalis ecclesiae manibus offerantur.* Item Augustinus: *Sicut videndum est quod offeras et cui offeras, ita etiam considerandum est, ubi offeras, quia veri sacrifitii locus extra catholicam ecclesiam non est.* Quod autem omnes scismatici ab ecclesia divisi sint, papa Gregorius astruit in 18° Moralium, ubi ait: *Alii prava de Deo sentiunt, alii recta de Auctore tenent, sed unitatem cum fratribus non tenent; illi errore fidei, isti scismaticis perpetratione divisi.* Item in eodem post pauca: *Qui*, inquit, *de Deo recta sentiens a sanctae ecclesiae unitate divisus est, constat quia proximum non amat, quem sotium habere recusat. Quisquis ergo ab unitate matris ecclesiae, sive per heresim de Deo male sentiendo, seu errore scismatis, proximum non diligendo dividitur, karitas huius gratia privatur.*

18. His et aliis huiusmodi rationibus scismaticorum sacramenta recipi vetuit, nec solum eis communicare noluit, sed etiam alios ab eorum communione removit.

19. De ordinandis vero ecclesiis et investiendis, quod non sit principum, sed sacerdotum, documenta praemissa sufficerent, si aemulorum error multiplititer refellendus non esset. Sed ne putent nos defecisse, adhuc aliqua subiungamus. Felix Romanae sedis episcopus inter alia: *Si quis*, inquit, *clericus saecularibus potestatibus usus ecclesiasticas dignitates per eas optinuerit, deponatur.* Quamvis ex canone apostolorum aliqui id putent adsumptum, non a Felice decretum. Sanctus praeterea Ambrosius tam vehementer in eos[g] invehitur[h] qui hoc ordine ad ecclesiae dignitatem[i] perveniunt vel qui illos ordinare praesumunt, ut non verba sed tonitrua protulisse putetur. Ait inter alia: *Quid ad aliquem principum pertinet, ea quae Domino sunt consecrata disponere? Et revera omnis ecclesia Deo dicata est. Si ergo non est tibi fas, alterius principis*[k] *iura praeripere, quid ius divinum non metuis attrectare, quod non subiectioni tibi esse debeat, sed venerationi? Si Oziam ultio Domini perculit, quia quae non fuerant contingenda tractavit, tu Dei iuditium non horrescis, qui eius ius ordinare praesumis? Desinant ergo talia principes mundi, sintque contenti suis, quia cuius nutu principantur*[l] *seculo, eius etiam iuditio privabuntur.* Arridet aurum, sed non arridet iuditium. Haec domnus Yldebrandus docuit, haec docenda mandavit, his omnes instruxit, erudivit et imbuit.
Psal. 2, 1. Propterea fremuerunt in eum gentes, et populi meditati sunt inania. Ideo convenerunt

a) homitide *cod.* b) fatiunt *in cod. corr.* faciunt. c) subiingit *cod.* d) atestantibus *cod.* e) patrii *cod.* f) prophām *cod.* g) eos eos *cod.* h) invegitur *cod.* i) dignitatum *cod.* k) *ita corr. in cod.* printipis. l) printipantur *c.*

adversus eum principes, et congregati in unum Italiae et Galliarum episcopi dampnationis in eum sentenciam protulerunt, Heinrico rege iubente et consensum praebente voluntati eorum. Sed quam hoc perversum fuerit, quis vel tenuissimi ingenii videre non possit? Dicit inter alia Iulius papa: *Nullum iuditium nisi ordinabiliter habitum teneatur.* Item in decretis: *Romanus pontifex a nemine iudicabitur.* Item Augustinus de sermone Domini in monte: *Temerarium iuditium plerumque nocet ei, de quo temere iudicatur, ei autem qui temere iudicat, ipsa temeritas necesse est, ut noceat.*

20. Verum quod cepimus prosequamur. *Data ut diximus in Yldebrandum sentencia[a], fol. 10. et quantum in eis[b] erat eodem ab apostolatu deiecto, quem super eum eligerent[c] apostolicum sepe dictus rex et omnes sibi faventes episcopi diu habuere incertum. Metuebant enim sapienciam hominis, stupebant consilium, vivacitatem ingenii mirabantur, et quod maxime curae solet esse mortalibus, pecuniae in illo magnitudinem observabant. Satius enim credebant nil tale incipere, quam ceptum relinquere vel a cepto deficere. Tandem aliquando deliberato consilio apud Brixiam Noricam praefatus Heinricus rex, universis quos habere 1080. potuit adscitis episcopis, Wibertum[d] Ravennatem episcopum in apostolatum promovit, Iun 25. virum nobilem non moribus minus quam genere, urbanitatis egregiae, summae[e] prudenciae, consilio providum, scienciae praerogativa praecipuum, ingenii vivacitate praecelsum. Unde non inmerito dubitatum est, iure id fuerit, an non iure. Solent enim ordinacionem eius exprobrantes proponere: Si Ildebrandus, inquiunt, qui et Gregorius, in apostolatu erat, nec locus Petri vacabat, quia iudex a nullo potuit condempnari; manifestum est Wibertum[d] nichil habere potestatis et iuris. Sicut enim beatus Ciprianus dixit scribens Magno presbitero: *Ecclesia una est, quae intus et foris esse non potest. Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit[f]. Si autem apud Cornelium fuit, qui Fabiano episcopo legitima ordinatione successit, Novatianus in ecclesia non est nec episcopus computari potest.* Talibus argumentis utuntur, huiusmodi de scripturis assertionem assummunt Ildebrandi causam volentes astruere et Wiberti[d] electionem irritam demonstrare.

Sed quia Deo auctore quod promisimus exsecuti sumus, et in defensionem saepe nominati Ildebrandi ex[g] diversis auctoribus multa congessimus, restat, ut ad secundam partem huius operis accingamur.

Prius tamen quam promissum fratribus debitum persolvamus, licet intentionis nostrae non fuerit[h] et procul a proposito videatur, de fine eius aliqua subiungamus, quoniam omnis laus in fine canitur, et quomodo sine pedibus[i] corpus, ita displicet sine fine principium[k]. Igitur cum multa fuisset a rege Heinrico perpessus et in turri quam vocant Crescencii[l] moraretur inclusus, Romanis tum viribus tum precio iam subactis, Robertus dux, a car- 1084. dinalibus rogatus[m] episcopis et Ildebrandi miseriam ingemiscens, quasi pietatis intuitu col- Mart. legit hostem equitum et peditum, congregavit exercitum quasi 30 milia bellatorum[29]. Deinde 29 venturus Romam bellum et pugnae tempus Heinrico regi denunciavit per nuncios, se ad Ildebrandi liberationem intendere, illi vero aut ab obsidione cessandum aut pugnandum fore. Quibus auditis rex vehementer animo consternatus, vel quod imparatus esset ad proelium, vel quod impedimento temporis diucius[n] morari non poterat — siquidem aestus erat[30] —, statuit ab obsidione desistere et novum exercitum omniaque hosti necessaria ad hiemem proximam reparare, quod alii metu pugnae, alii formidine temporis accidisse putarunt. Quo ab obsidione regresso[o] et in partibus Tusciae[31] commorante, Robertus iam dictus dux, sicut coeperat, cum exercitu Romam venit, castra metatus foris muros urbis prope Lateranense palatium in loco qui dicitur ad Arcus. Sequenti vero die latenter urbem ingressus, quibusdam Romanorum *portam reserantibus quam Pintianam dicunt, tecte Ca- fol. 10'. stellum adiit quod alio nomine Turris Crescentii vocatur, indeque sepe nominatum Ildebrandum educens ad castra perduxit[32]. Post haec bello cum Romanis commisso, maximam 32 urbis partem incendit, civium plurimos interfecit, ecclesias subruit, mulieres coniugatas et simplices, vinctis post tergum manibus, violenter prius oppressas ad tabernacula adduci

a) sentenciam *cod.* b) ers *cod.* c) elegerent *cod.* d) W. *cod.* e) summe *cod.* f) non fuit *supplevi.* g) et *cod.* h) *ita in cod. correct.* fuerint. i) *postea in marg. add.* k) printipium *c.* l) Cresencii *cod.* m) rogatis *cod.* n) duucius *cod.* o) *ita corr. in cod.* regresus.

29) Consentit Landulph. IV, 3. Quae subsequuntur maiorem in partem nova sunt. Vide Stenzel I, 487 sq. 30) Ineunte mense Maio haec facta sunt. 31) prope Senam teste Bonizone ap. Oef. II, 818. 32) circa 29. d. Maii. V. Jaffé p. 442.

praecepit. Quibus ludibriis populus Romanus offensus, conflavit in Ildebrandum inexorabile odium, et totum sui animi in regem Heinricum transfudit affectum, tantoque dilectionis vinculo sibi obstrictus est, ut pluris fuisset regi ludibrium Romanorum quam centum milia
33 aureorum[33]. Robertus ergo dux penitencia ductus, quod cum Romanis proelium commisisset, quodque tantis urbem affecisset iniuriis, primo simulans emendationem, et iniuriae vicissitudinem et rerum omnium restitutionem, deinde nichil profitiens, quoniam populi cor obduratum erat, statuit urbem relinquere et cedere finibus Romanorum. Inde Tiburtinos aggressus volens eos cogere ad deditionem, non procul ab urbe fixis tentoriis, maxime ob iniuriam Clementis apostolici, qui tunc temporis morabatur in illa, arbores succidit, depopulatus est messes, incendit domos et quicquid potuit hominum obtruncavit. Sed cum nihil procederet, quoniam civitas freta[a] multitudine bellatorum expugnari non poterat, Salernum redire decrevit, praefatum Ildebrandum deducens in comitatu suo. Qui cum fuisset Salerni aliquamdiu commoratus, duce occupato aliis, cum non multo post moliretur Urbem repetere et in multitudine gravi, Roberto comitante[b], Romanos subicere[c. 34], inter ipsos bellorum et commeatuum apparatus langore correptus et ad extrema perductus, cum iam in
35 ultimis ageret, abbate Montis Cassinensis[35] ad apostolatus successionem impulso, diem
1085. Mai. 25. clausit extremum. Quem spectabilis dux defunctum agnoscens, convocato civitatis archiepiscopo, clero et populo, vigiliarum et psalmodie offitiis ex ordine celebratis et rite peractis, in basilica sancti Mathei apostoli, quae tunc noviter condebatur, corpus eius humavit, exsequias illius honestissime prosecutus. Haec ut supra diximus quasi ex habundanti subiunximus, cum procul a proposito viderentur. Sed nemo inconveniens arbitretur, si cuius vitam breviter pinximus, finem paucis absolvimus. Hic Ildebrandi finis et assertio gestorum eius. Reliqua huius operis, quae in praefatione promisimus, divina largiente[d] gratia, prosequamur.

EXPLICIT LIBER I.

INCIPIT PRAEFACIO LIBRI SECUNDI.

Primam huius operis partem, sicut Dominus aspiravit, pro captu[e] nostro digessimus, in qua sicut promissi ratio exigebat, Ildebrandi causam multis scripturae documentis astruere curae fuit. Memineram enim in praefationę promissum, ut primo quidem partem eius defenderem, et quae dicuntur in illum certis rationibus propulsarem. Quod si non ut volui feci, feci tamen ut potui. Si quid igitur lector meus invenerit praetermissum, si quid incultum, si quid neglectum, inperitiae, non neglegentiae deputabit et inpossibilitatem po-
fol. 11. cius criminabitur 'quam affectum. Non quaerit Deus ab homine maiora quam possit, et ut
2 Cor. 8, 12. ait apostolus: *Si voluntas promta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet.* Parcant ergo mihi auditores mei et semper meminerint, non esse cuiuslibet hominis scire omnia, sed inter omnes homines omnem haberi[f] scienciam. Nam alius fabricandi peritus, scribendi notitiam nullam habet, nec saltim litterarum figuras novit. Alius autem scribendi gnarus, nec malleum novit aliquando nec incudem. Alius vero habilis ad canendum, quid psallat ignorat. Alius vero distinctior ad legendum, quid proferat nescit. Alius vero quae leguntur intelligit, sed legendi peritiam non accepit. Sic diversa
36 diversis natura contulit, non autem uni cuncta concessit, et, ut ait in rethoricis Tullius[36], *tamquam non sit natura habitura quod alii largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alii commodi aliquo adiuncto incommodo muneratur.* Ignoscant itaque parvitati męae quorum iussionibus pareo, et dominum Ihesum[g] in communę precentur, ut qui scribendi[h] dedit affectum, loquendi facultatem indulgeat. Sed iam tempus est, ut errorem longę lateque diffusum et per multas iam provintias propagatum certis auctorum testimoniis inrecuperabiliter condempnemus. Noverit autem quicumque lecturus accesserit, quod quasi morem dialogi retinentes duas personas admittimus: proponentis unam, alteram respondentis, auditorum utilitatibus providentes, ut hoc scribendi genere rei veritas facilius digeratur. Ubique igitur *P.* scriptum invenerit, proponentem intelligat, ubi vero *R.* notatum invenerit, respondentem accipiat.

a) *sic corr. in codice* fretam. b) commitante *cod.* c) subiere *cod.* d) largente *cod.* e) *ita corr.* capto. f) habere *cod.* g) iehesum *c.* h) scribendo *c.*

33) Haec valde diversa sunt ab iis quae caeteri auctores hac de re tradiderunt. Vide Stenzel I, 489. 34) Hoc Gregorii consilium ab omnibus quod sciam scriptoribus ignoratur. 35) Desiderio, post papa Victore III. 36) de Inventione II, 1.

EXPLICIT PRAEFACIO. INCIPIUNT CAPITULA.

1. *Qua[a] ration* . . . . *condempne* . . . . . . *uave* . . . .

2. *Quod in* . . . . *bita post el* . . . . . *meri* . . . .

3. *Q* . . . .

4. *Quod e* . . . . *quod ex* . . . . *debuit*. . . . .

5. *Quod eum per ve* . . . . *contra pat* . . . . *tulerit*. . . . .

6. *Quod ratio* . . . . *reges ali* . . . . *et a regni dign* . . . .

7. *Quod electio vel creatio Rodulfi regis[b] contra Deum et homines fuerit.*

8. *Quod non debuerit Teutonicos adversum regem inmittere ad pugnandum et persecutionem egisse[c] in eundem.*

9. *Quod non[d] debuisset absolvere Teutonicos a vinculo sacramenti, quod regi debebant, et quod non debeat[e] esse perversitas domini militibus suis causa periurii.*

10. *Quod debuerit scismaticos et adulteros et alios huiusmodi corripere, arguere, non in eos persecutionem movere.*

11. *Qualiter defendatur apostolatus domni Clementis et eius eleccio.*

12. *Quod consideratione futurae discordiae et perturbationis silere debuerit de perversitatibus plurimorum clericorum laicorumque.*

13. *Quod omnia bella Teutonicorum et cedes et sanguis[a]*. . . . .

14. ' . . . . *iis non de* . . . . fol. 11'

15. . . . . *namque doct* . . . . *pienda sacra* . . . . *riorum* . . . . *regem* . . . . *rum ecclesi* . . . .

EXPLICIUNT[f] CAPITULA. INCIPIT[f] LIBER[f] SECUNDUS[f].

P. . . . . atione . . . . uerit Ildebrand . . . . adhuc ad . g . . . . u, qui eius electionem arguere moliuntur. Nichil enim apud me cercius fuit vel erit, quam quod ipse legitime Alexandro successit, et hoc tam luculentissimis testimoniis nititur, ut nullus scrupulus relinquatur. Si quid tamen est quod adversus electionem eius dici valeat, si quid est in quo reprehensibilis videatur, ostendere non sit honerosum.

R. Duo in eius electione concurrunt, quae non inmerito ab aliquibus arguuntur[g]. Sed horum alterum certum, alterum incertum est. Aiunt enim quod Nicholaus Romanae sedis 1059. episcopus, congregatis episcoporum plurimis, centum scilicet viginti tribus, mira necessi- Legg. II b. 176 tate compulsus communiter sancxerit et salubriter ordinaverit, ut quicumque deinceps ad apostolatum animum intendisset, vel eleccioni cuiuslibet apostolici prebuisset assensum et operam inpendisset absque consensu et opera christiani principis, Heinrici scilicet imperatoris et successorum eius, perpetui anathematis sentenciam[h] excepisset. Id autem ea necessitate decretum est, quod omnes Romani comites sicut semper fuit avaricia Romanorum, decedente Romanae sedis episcopo, singuli prout ferebat animus singulorum, singulos apostolicos eligebant, ut interdum quatuor et quinque episcopos Romana sedes haberet. Hinc contentiones innumerae, caedes et bella, turbationes et iurgia[i] exoriri. Fretus quisque multitudine militum et suffragio propinquorum, quicquid Romanae ecclesiae poterat rapiebat. Distrahebatur praedium[k] Romanae[l] sedis in partes innumeras, et is novissime omnium probatissimus et melior apostolicus habebatur, qui maiorem Romanis pecuniam contulisset. Hic ab omnibus laudabatur, excipiebatur manibus, aliis extravagantibus, factaque erat sedes Petri in diversorium Simonis, et quod ante fuerat gratiae, iam peccuniae videbatur. Tandem sicut Domino placuit, Gerardus Florentinae sedis episcopus, natione Burgundicus, omnium

a) *superior huius folii pars margini proxima vi avulsa est.* b) *ita coniicio.* c) *ita cod.* d) *deest cod.* e) *sic in cod. corr.* debebat. f) *vocem supplevi.* g) arguitur *c.* h) scenciam *cod.* i) iuria *cod.* k) proelium *ita corr. in margine.* l) *bis cod.*

desiderio et consensu[a] ad[b] apostolatum[c] promotus, ab omni clero et cardinalibus confirmatus, dictus alio nomine Nicholaus, Romanae ecclesiae miseriam ingemiscens et symoniacae hereseos periculum expavescens, volens huiusmodi perversam consuetudinem ex Dei virtute succidere, synodum statuit, in qua confirmantibus omnibus iuxta modum superius comprehensum anathema constituit. Cuius exempli formam Romae legimus, et episcoporum
37 omnium[37] nomina, qui causae intererant, subter[d] notata[e] conspeximus. Decreti ergo huius constitutione neglecta, et[f] anathematis cura postposita, non expectato[g] regis assensu, mentem ad apostolatum Ildebrandus intendit, seque anathematis vinculis et[h] omnes suos complices obligavit. Hinc igitur electionem illius improbant, arguunt et con-
fol. 12. dempnant, *nec eam electionem sed deiectionem vocant: quia aut constitutio illa synodalis Nicholai[i] papae iniusta videbitur, quod dici nefas est, quia nichil iniustum Romana sedes aliquando promulgavit, nec aliquid impium Deo auctore constituit; aut si iusta fuit — et Romanae ecclesiae salva fide novum aliquid condere semper licuit et licebit — constat Ildebrandum non iure electum et maledictionis illius incurrisse periculum.

P. Tu vero quid in hoc sencias dicito.

R. Fateor plane quod sentio et in quo a sacris auctoribus non discordo. In sexta quidem synodo legitur promulgatum, quod in electione pontificis non sit regis expetendus assensus. Qui ergo ita sentit, verum quidem asserit, sed illi constitutioni penitus non occurrit. Primo quidem, si ita tempus sineret, expetendus non esset. Si autem tempus non patitur, si futura turbatio praevideatur, nisi regis praebeatur assensus, melius puto salva pace ecclesiae regis expetendum assensum quam summum scandalum fieri non petito. Multa huiusmodi scripturae loquuntur, nec egemus exemplis. Sepe enim a patribus scriptum traditur, quod ipsis eisdem mutantibus variatur. Et quod ab ipsis prohibitum legitur, ab eisdem factum postea memoratur. Paulus siquidem, vas electionis et gencium advocatus, qui de se dicit: *An experimentum eius quaeritis, qui in me loquitur Christus?* volens evacuare legem et Christi gratiam commendare, ut ostendat ex operibus legis quemquam iustificari non posse, contestatur dicens: *Si circumcidamini, Christus vobis nichil prodest, et circumcisio nichil est, sed observatio mandatorum Dei.* Isdem tamen postea Listris et Yconium transiens,
38 Timotheum gentili patre editum circumcidit, nudipedalia[k. 38] exercuit, crines totondit. De sacerdotibus quoque lapsis in carnis peccatum diversa patres constituisse leguntur, prout temporis qualitas exigebat, in tantum, ut unus idemque auctor a se ipso nonnumquam discrepasse putetur. Nam aliud Calistus loquitur, aliud Hormisda; vero et ceteri omnem restituendi spem[l] et facultatem obtruncant. Quae omnia si quis scire voluerit, ex libris eorum poterit cercius invenire. Gregorius quoque doctor egregius[m] aliter Iohannem episcopum Caralitanum instituit, aliter Secundinum instruxit. Scribens enim Iohanni episcopo ait inter alia: *Pervenit ad nos, quosdam in sacris ordinibus constitutos lapsos in carnis peccatum vel ante actam penitenciam vel post actam ad sacros ordines remeasse, quod omnino fieri prohibemus. Generali igitur sanccione decernimus, ut quisquis in sacro ordine constitutus lapsus fuerit in carnis peccatum, sacro ordine ita careat, ut ad eum ulterius non accedat.* De eodem quoque a Secundino consultus longe aliter respondit[n]. De talibus enim ait inter alia: *Post dignam satisfactionem credimus posse redire ad honorem, propheta dicente: „Numquid qui cadit non adiciet ut resurgat"?* Sunt praeterea innumerabilia quae passim in scripturis invenies iuxta diversitates temporum diverse a patribus tradita; quorum habundamus exemplis. Unde non debet absurdum videri, si quod ab aliis patribus est certa de causa prohibitum, a praedicto summae sedis pontifice fuerit necessario institutum. Demum si in electione pontificis impedimentum affert regis assensus, quid in eleccione Gregorii nocuit
39 assensus Mauritii[39]? Scriptum quippe de eo[o] legitur, quod audita eleccione cleri et populi, quam in Gregorium fecerant, plurimum exultaverit, maxime quod filius eius de sacro fonte
fol. 12'. susceperit, dataque *praeceptione eum praecepit ordinari. Utinam Heinrico rege praebente

a) consensum *cod.* b) *supplevi.* c) epistolatum *cod.* d) supter *cod.* e) notatam *cod.* f) *vox* tanta *post* et *in cod. addita.* g) expectatio *cod.* h) *supplevi.* i) Nicholae *cod.* k) *ita correctum in cod.* nudipedilia. l) ſpēm *cod.* m) egreius *cod.* n) R̸ *cod.* o) dō *cod.*

37) Subscripserunt 113 episcopi; cfr. Stenzel II, 74. Jaffé 385. 38) i. e. sacra. Vide Tertullian. de ieiun. 16. 39) Similiter Waltrammus Naumburg. ep. in tractatu de investituris episcoporum apud Gold. p. 227: *Hic etiam primus Gregorius non est consecratus, donec Mauritii imperatoris interfuit assensus.* Cf. Wido Osnabrug. ap. Ecc. II, 186. Jaffé pag. 92.

consensum fuisset Ildebrandus electus, ut non tanta emersisset[a] tempestas bellorum, et pace sua christiana religio potiretur!

P.[b] Quia de uno satis dictum existimo, quod eius electionem inprobare videatur, alterum sicut proposueras explicato.

R. Diximus duo in eius eleccione concurrere et aliud certum, aliud incertum ęssę. Testantur quidem qui fuere praesentes quod, Alexandro defuncto, sequenti nocte tesauros suos eduxerit, multumque peccuniae per Romanos effuderit, satellitium fecerit, atque ita egerit, ut Alexandro nondum humato eligi quadam violentia omnium debuisset. Quod et factum est. Nam mane facto, calente adhuc Alexandri corpore nec sepulto, sicut nocte provisum fuerat et consultum, concursus factus est populi, Ildebrandus capitur, Yldebrandus discerpitur, Ildebrandus distraitur, Ildebrandus eligitur[40]. Si eius studio, utique vitiosum; si eo 40 nolente, reprehensioni nullus est locus. Ego vero quia rem incertam habeo, absolute de ea iudicare non possum.

P. Interim electione postposita, quia suffitienter de illa dictum est, scire velim, utrum sese apostolatu privaverit, sicut plurimi putaverunt. Aiebant[c] enim, quod vere iudex a nullo iudicari potuerit, nec ipse a quoquam fuerit iudicatus, sed si etiam papa fuit, semet ipsum tamen ipse dampnaverit.

R. Perfacilis patet ad ista responsio. Si enim fides est adhibenda scripturis, sicut revera est, evidenti ratione probabitur, quod[d] sese apostolica dignitate privaverit. Faciamus[e] illum fuisse papam, quamquam non fuerit: sed qui permissa sibi abutitur potestate, teste papa Simplicio, privilegium meretur amittere; et ligandi solvendique potestate[f] se privat, ut sanctus Gregorius nunciat, qui non hanc pro subiectorum meritis, sed pro sua voluntate illam exercet. At ille et permissa sibi abusus est potestate, et non pro subiectorum meritis, sed pro sua voluntate illam exercuit.

P. Velim probari[g] mihi quod proponis, quod permissa[h] sibi abusus fuerit potestate. Quia cum hoc constiterit, papam illum non fuisse vel ęssę desisse[i] constabit.

R. Si contra sanctorum patrum regulam vixit et docuit, si non ea moderatione qua[k] decuit dignitatem apostolicam, si in ligandis[l] aliquibus et solvendis non iustitiam, sed suam voluntatem attendit, permissa[h] sibi potestate[m] abusus fuit. Sed hec ita fuerunt.

P. Paulatim progredere, et ita sicut sunt proposita prosequaris.

R.[n] Et primo quidem contra sanctorum patrum regulam vixisse probatur, post vero contra eandem docuisse, suo loco monstrabitur. Ideo videlicet quoniam a puero terrenae militiae studuit, rebus bellicis semper operam inpendit[41], multimodis sese homicidiis immi- 41 scuit, sacrilegio se polluit, periuriis obligavit. Super haec in parentes filios armavit, milites in reges inmisit, servos in dominos concitavit, pacem ecclesiae toto orbe removit.

P. Vere contra patrum regulam vixit, si haec omnia illum fecisse constiterit. Sed velim mihi notum fieri, quod ista vere fecerit et quid de his patres sancti testati fuerint.

R. Quod terrenae militiae studuerit et bellis semper operam dederit, omnium Romanorum sibi contemporalium testimonio comprobatur. Nam cum adhuc adulescentulus monachus diceretur, magnam sibi peccuniam congregavit et quasi sub spe defendendi et liberandi *Romanam ecclesiam satellitium fecit et, sicut solebat apud Romanos antiquitus fol. 13. fieri, donativa sua singulis militibus erogabat.

P. Si pro liberatione Romanae ecclesiae miliciae studebat, quis divinorum auctorum hoc reprehensibile iudicabit?

R. Audi quid sentiat inde Hieronimus: *Columba*, inquit, *si viderit aliam avem trahere cibum a nido eius, non movet pennam, neque ungulam neque rostrum, neque crocitat*[o]. *Sic ecclesia Dei, quae vera columba est, non repetit*[p] *raptam et sicut ovis tunicam dimittit*

a) emerssisset *cod.* b) P. *omissum in codice.* c) Agebant *corr. in cod.* d) qui *cod.* e) Fatiamus *cod.* f) potestatem *cod.* g) probare *cod.* h) promissa *cod.* i) disisse *cod.* k) quia *cod.* l) ligabis *cod.* m) potestati *cod.* n) *omissum in cod.* o) erocitat *cod.* p) repetàt *cod.*

40) Cf. supra lib. I. c. 1. Solus inter omnes scriptores qui similia tradit, est Benno de vita Hild. ap. Goldast. Apolog. pro Heinr. IV. p. 2.

41) Cfr. Waltram. Nuemb. de unitate eccl. II, c. 2, ap. Gold. p. 90: *Qui etiam in usum belli conduxit milites rei publicae — et propter supplementa stipendiariorum sive mercedis, pro qua mercede eius militaverunt contra regem eundemque patricium Romanorum, spoliavit Romanam ecclesiam oblationibus fidelium, quibus hactenus solebat alere indigentiam pauperum.*

tondenti se[a] *neque aperit os, sic ecclesia raptori extollenti sua non debet repetere, sed cum paciencia dimittere. Quanto*[b] *terrenis ecclesia minuitur, tanto spiritalibus augetur.* Item Iohannes papa ad Angelbergam imperatricem excusans quendam episcopum Reatinum de milicia: *Nimium,* inquit, *veretur et certe iure formidat contra professionem sui ordinis secularem militiam exercere; terram defendere praeliis, tractare de armis terrenae est potestatis.* Item Hieronimus: *Si pro fide qua universalis vivit*[c] *ecclesia, nusquam corripi ferrea arma conceditur*[d], *quomodo pro terrenis ac transitoriis ecclesiae facultatibus loricatae acies in gladios debachantur? Ad hanc formam etiam Petrus, qui ecclesiae personam gerebat, cum cuiusdam inobedientis aurem absciderct*[e], *ferire prohibitus est et gladium iussus est in vaginam recondere.* Item Innocencius: *Idumei quidam et Damasceni sanguinem sitientes ita sunt nimis iniusti atque crudeles, ut etiam sacerdotibus concedant armis ulcisci et praeliorum consiliis immiscere*[f]. Quod vero rebus bellicis danda sibi opera non fuisset, sanctus testatur Ambrosius: *Bellicarum,* inquit, *rerum studium a nostro offitio prorsus videtur alienum, quia animi magis offitio quam corporis intendimus, nec ad arma iam spectat usus noster, sed ad pacis negocia.*

P. Optime mihi video satisfactum, quod nec pro liberandis vel defendendis[g] ecclesiae facultatibus terrenae militiae studere debuerit, nec belli operam inpendisse convenerit. Tantum cetera quae proposuisti prosequere, videlicet quod multimodis sese homicidiis immiscuerit, sacrilegio sese polluerit, periuriis obligaverit.

R. Primo velim mihi respondeas, si possit homicida vel periurus[h] iure vocari, qui ad homicidium vel ad periurium[i] perpetrandum alios impulerit et qui[k] talia perpetrari praeceperit?

P. Ita divinae scripturae sentire videntur et omnium divinorum eloquiorum in hoc sibi testimonia concinunt. Quae cum non adeo in promtu, a te doceri desidero.

R. Pater Augustinus: *Nichil aliud est cum male facientibus*[l] *male facere, quam eorum iniquitatibus consentire et quod male faciunt approbare.* Item Innocencius papa: *Negligere,* inquit, *cum possis devitare vel deturbare perversos, nichil est aliud quam fovere, nec caret scrupulo societatis occultae, qui manifesto facinori desinit obviare.* Pius papa: *Quid prodam*[m], inquit, *illum suo errore non pollui, qui consensum praestat erranti? Sine dubio enim contra mandata dimicat et qui peccat et qui consensum praebet peccanti.*

P. Constat eum et homicidam et periurum posse vocari, qui aliis homicidii, periurii auctor extiterit. Sed quando et ubi et quomodo talium auctor extiterit, nosse velim, et quid fol. 13'. super his auctores divinorum eloquiorum sentiant, exponere non sit honerosum.

R. In eo malorum istorum omnium reatum contraxit, quod Rodulfum in regem creari super hunc[n] dominum suum praecepit, cui sepius multis sacramentis obstrinxit se[o]; quod etiam omnes alios Teutonicorum principes a sacramentis, quae eidem Heinrico domino suo debebant, absolvit et ad pugnam cum illo habendam mandatis et litteris et crebris nunciis incitavit. In eo vero se sacrilegio polluit, quod ecclesiasticam illi peccuniam ab 42 oratoribus Petro missam direxit, et ad conflationem maioris odii sepissime destinavit[42].

P. Ut de homicidiis Teutonicorum et periuriis interim sileas, quis auctorum sacrilegium nominavit peccuniam ecclesiae Teutonicis missam?

R. *Par,* inquit Hieronimus, *sacrilegio est rem pauperum dare non pauperibus. At vero quicquid episcopus habet*[p], *pauperum est.* Item beatus Ambrosius: *Non ausim dicere quicquam meum nec ecclesia profiteri quicquam suum, quia et quod meum est pauperum est et quod habet ecclesia, non ad usum suum, sed ad usus omnium habere debet.* Item Augustinus: *Sicut non licet mitti in corbonam*[q. 42*] *precium sanguinis, ita non licet exire.*

P. De sacrilegio nichil iam dubito, quin sacrilegium dici possit, si quis aecclesiae peccuniam, cum sit pauperum, non pauperibus effudit, ac per hoc[r] iure sacrilegum[s] illum dixerim, si peccuniam, aecclesiae missam ab oratoribus, Teutonicis ducibus direxit. Sed si

a) tondentisse *cod.* b) *ita legendum loco* quando; *post* quando *litt.* a *deletum.* c) *in marg. add.* d) concenditur *cod.* e) obscideret *cod.* f) immisceret *cod.* g) liberandi — defendendi *cod.* h) periuriis *cod.* i) iurium *cod.* k) quia *cod.* l) fatientibus *cod.* m) prodem *cod.* n) *ita correxi,* hec *cod.* o) *supplevi.* p) *excidit.* q) corbonan *cod.* *Locum in Augustino non inveni.* r) ho *cod.* s) sacrilegium *cod.*

42) Cf. locum ex Waltram. Nuemb. supra allatum et II, c. 6, p. 97: *Proinde quomodo ille Hildebrand catholicus extitit, qui non ecclesiae, sed parti praefuit, — — qui etsi apostolicam sedem sibi usurpaverit, nunquam tamen Romana ecclesia illius sponsa fuit, quam pro legitima donatione spiritalis dotis collatis ante beneficiis spoliavit, procidit ac dilaniavit.* 42*) *gazophylacium, ubi pecunia sacerdotum erat.* Papias apud Ducangium s. v.

creatio Rodulfi regis, quam suo praecepto factam dicis, culpabilis fuerit, et si reprehensibilis sit[43] in pugna Teutonicorum, quam fieri mandavit, ex te doceri velim. [43]

R. Audi non mea, sed quae est divinorum eloquiorum auctoritas. Dic de his, Ambrosi, quod sentis. In libro de offitiis de David et Saule rege[44]: *Bonus vir qui dixit: „Si reddidi* [Psal. 7, 5] *retribuentibus mihi mala." Quae enim gloria*[a], *si eum non ledimus qui nos non leserit? Sed illa virtus est, si lesus remittas. Quam honestum, qui cum potuisset inimico regi nocere, maluit parcere! Quam etiam utile, quod successoribus profuit, ut discerent omnes fidem proprio regi servare, nec usurpare imperium sed vereri!*

P. Nulla dubitatio relinquitur, si beati Ambrosii documenta spectemus, quin creationem Rodulfi regis dampnabilem asseramus, ac per hoc[b] etiam militum aliorum pugnam adversus Heinricum dominum suum commissam culpabilem iudicabimus, qui dominum suum non bellis et armis impetere, sed vereri debuerunt. Sed quid, si dicatur Ildebrandus non illa bella mandasse nec fieri voluisse, sed potestatem regi, qua male utebatur, auferre voluisse et transtulisse ad alium, sicut nec Pilatus Christum mori praecepit, ante cuius tamen oculos interfectus fuit? Quid adversus ista poterit responderi?

R. Non ego respondere tam ineptis excusationibus valeo, sed pater Augustinus det ad istam responsum: *Itane*, inquit, *obduruistis, falsi Hisraelitae? ita omnem sensum malitia nimia perdidistis, ut ideo vos a sanguine impollutos esse credatis, quia eum fundendum alteri tradidistis? Numquid et Pilatus illum, qui potestati eius ingeritur occidendus, suis est manibus occisurus? Si non eum voluistis occidi, si non insidiati estis, si non vobis tradendum peccunia comparastis, si non comprehendistis, vincxistis, adduxistis, si non occidendum manibus obtulistis, vocibus poposcitis, non eum a vobis interfectum esse iactate.* Quodsi suisque complicibus aequę dici potest: si non coronam[c] Rodulfo misistis, si non *legatis et litteris pugnam mo- [fol. 14.] vistis, si non insidiati estis, similiter in dominum non armastis, si Romanam illuc peccuniam non misistis[d], si non consuluistis[e] iniustis[f], si haec omnia non fecistis, non eos a vobis interfectos iactate. *Noli*, inquit idem pater Augustinus, *attendere inermes*[g] *manus, sed os armatum unde gladius*[h] *processit, unde Christus occidetur. Filii hominum dentes eorum arma* [Psal. 56, 5.] *et sagittae, et lingua eorum gladius acutus*[i].

P. Constat per haec omnia, quae ex divinis auctoribus protulisti[k], et pugnam illam fuisse culpabilem et Ildebrandum de illo tanto homicidio excusari non posse, si vel illud mandavit fieri vel, cum praesciret futurum, non interdixit. Quocirca velim de periuriis eorumdem Teutonicorum aliqua prosequaris, si divinorum auctorum testimoniis refellantur; quia si divinis auctoritatibus condempnantur, et illa Ildebrandi absolutio, qua per legatos milites regis absolvit, contra divinas leges fuit, et sese profecto periurii illorum vinculis obligavit.

R. Beatus Augustinus: *Nulla iuratio, si contra pietatem non fiat, frangenda*[l] *est, quod maiorum ac veterum sanctorum exemplis probari*[m] *potest. Nonne Abraham regi Gerare Abimelech quod convenerat iuravit, et quod iuraverat reddidit? Nonne Ysaac invidentibus sibi in Palestinis et persequentibus*[n] *sacramento, quo se illis obstrinxerat, satisfecit? Nonne Iacob, patris et avi sequutus exemplum, cum Laban socero idolorum cultorę sub eadem iuramenti securitate in pacem rediit? Similiter actum est cum Rahab, impiae civitatis incola, gentis quae Deum ingnorabat alumna, infamis quaestus nominę denotata. Nam populus Dei secum iuramentum religiose iniit, humiliter recognovit, auctore Iosuę fideliter adimplevit. Dixit enim duobus exploratoribus*[o] *qui missi fuerant: „Ingredimini domum mulieris meretricis et producite eam* [Ios. 6, 22.] *omniaque quae illius sunt, sicut ei iuramento firmastis." Sic Gabaonitis iuramentum arte quaesitum et fraudulenter elicitum populus Domini, etiam comperta eorum fraude, Iosue consulente, servavit. Qui dixit eis: „Non iuravimus eis in ydolis, sed in nomine Dei Israel."* Item Augusti- [Ios. 9, 19.] nus: *Cave tibi a periurio quia principium est, et ideo noli quod iuravimus qualibet occasione violare, quia sicut recedit anima, cum corpus feritur gladio, sic recedit Deus, cum anima feritur periurio; et sicut corpus moritur, cum recedit anima, sic anima moritur, cum recedit Deus.*

P. Nichil cercius esse potest, quam illam solutionem fuisse vanam et stultam, ac per hoc illorum periuriorum Ildebrandum incurrisse reatum et iure dici posse, sicut homicidam, ita quoque periurum. Quapropter, quia praemissis[p] superioribus rationibus constat eum

a) est *addunt. editt.* b) phóó *cod.* c) corona *cod.* d) mistis *cod.* e) *ita coniicio;* c̄suiſtiſ *cod.* f) iniustis *cod.* g) *ita correxi;* inarmis *cod.* h) *ita corr.* gladios *in cod.* i) lingua eorum g. a. *cod.* k) *ita corr.* protulistis *in cod.* l) fragenda *cod.* m) probare *cod.* n) persequaentibus *cod.* o) *ita corr.;* explorationibus *cod.* p) promissis *cod.*

43) supple *Gregorius VII.* 44) De officiis lib. III, cap. 9; edit. Paris. 1632 fol., tom. IV, pag. 74 C.

contra patrum vixisse regulam, alia duo quae simul proposuisti probare non differas, videlicet quod non ea moderatione qua decuit[a] dignitatem apostolicam tenuit, et contra patrum sanctorum regulam docuit, tercium quoque quod in aliquibus ligandis vel solvendis[b] non iustitiam sed voluntatem suam secutus fuit.

R. Vere tria proposui et tertium addidi quorum optime meministi. Auctore itaque Deo curram per singula et de singulis satisfaciam. Primum dico, quod ea moderatione qua decuit[a] apostolicam dignitatem non tenuit, quia et in adversarios ferox nimium et inmitis fuit et beluinam in eos[c] quodammodo feritatem exercuit. In 'corrigendis quoque vitiis modum non tenuit, et in vitiosis quibusdam fovendis mensuram excessit. Memorare possim nonnullos in vincla coniectos et in ergastula inclusos, quibus clavos ferreos circumfigi praecepit, ut, in quamlibet partem se verterent, confixi clavi lateri vulnerarent[44]. Et ut dictum est, cum quosdam increpando mensuram excesserit, Gregorium Vercellensem[45] flagitiosissimum omnium hominum quos terra sustinet, ita molliter habuit et tenere[d] tractavit, ut de celis illum venisse putares. Simili modo delicate nimis Odelricum Pataviensem[46] habuit qui vitiorum omnium sentina[e] fuit, quem aiebant[f] etiam pueris abuti solere in ore, quod dictu sit turpe.

fol. 14'.

P. Quod non ea moderatione qua decuerit dignitatem apostolicam egerit, satis ostensum est. Illud mihi probari velim quod contra sanctorum patrum regulam docuerit, quia sic exigit ordo disputationis.

R. Contra patres novi testamenti docuit, cum scismaticorum et indignorum ministrorum sacramenta[g] non recipienda, sed exsufflanda mandavit, cum excommunicatorum quoque consecraciones sive in oleo, sive in eucharistia, vel in ordinationibus eorum quibus manus inponitur, nullam vim habere nec consecrationes dici debere perhibuit.

P. Ostende, si placet, haec contra sanctorum documenta patrum prolata.

R. Faciam quod hortaris. Et primo quidem de scismaticorum sacramentis agatur, postea vero de ceteris. Augustinus Vincencio Donatistae: *Aecclesiae sunt*, inquit, *omnia sacramenta quae sic habetis et datis, quae modo habebatis et dabatis, priusquam inde exiretis. Non improbamus quod facitis, in quo consuetudinem aecclesiae tenetis. Propterea de talibus dictum est: „Quoniam in multis erant mecum".* Item Augustinus in libro contra Donatistas[47]: *Sicut ficti veraciter conversi recipiuntur, nec eorum babtisma reprobatur[48]: sic ea quae scismatici vel heretici nec aliter habent[h] quam vera ecclesia, cum ad nos veniunt, non improbamus, sed potius approbamus.*

P. Luce mihi clarius constat quod scismaticorum sacramenta non exsufflanda sed veneranda sunt, et ideo qui aliter sentit, sanctorum patrum constitutionibus contradicit. Itaque de ministrorum indignorum sacramentis edissere.

R.[i] Pater Augustinus multa de his loquitur et latissime ista prosequitur, quorum nonnulla[k] proponimus[49]: *An*, inquit, *solis vel etiam lucernae lux, quum per cenosa diffunditur, nichil in se sordidum contrahit, et babtismus Christi potest cuiusquam sceleribus inquinari?* Item ipse: *Quomodo*, inquit, *exaudit Deus homicidam deprecantem super eucharistiam, vel super aquam babtismi, vel super oleum, vel super capita eorum quibus manus inponitur? Quae tamen omnia et fiunt et valent etiam per homicidas, id est per eos qui oderunt fratres in ipsa intus ecclesia.* Item ipse Augustinus[50] contra Parmenianum: *Si primis temporibus non*

a) docuit *cod.* b) ligandi — solvendi *cod.* c) fuit *perperam post* eos *repetiit scriptor cod.* d) tenenere *cod.* e) senti *cod.* f) agebant *cod.* g) sacramenti *cod.* h) non aliter habent, nec aliter agunt, quam *editt. August.* i) R. *excidit.* k) nulla *cod.*

44) Cfr. Bennonis Card. Vita Hildebr. ap. Gold. Apol. p. 5: *Centium filium praefecti Stephani, prius fidelem suum, in carcerem misit, et in vase undique aculeis vestito mille et mille mortibus cruciavit. Qui postquam evasit ipsum Hiltebrandum cepit* (*a.* 1075). Cf. Stenzel I, 374. 45) Cancellarium Italiae a. 1073 Romam ad electionem Gregorii VII examinandam ab Heinrico IV missum (Stenzel I, 282), qui obiit 1. die Mai. 1077 (ibid. II, 270). Cf. praeterea Ugh. IV, 775: *Videtur a Gregorio censuris ecclesiasticis exsolutum pristinum gratiae gradum promeruisse.* 46) Haec non de Udalrico Pataviensis in Germania civitatis (Passau) episcopo intelligenda sunt, quippe qui octavo demum anno post Gregorii VII mortem, ad hanc dignitatem promotus sit (Bern. 1092; SS. V, p. 454), sed potius ad Patavinae Italiae civitatis episcopum Odelricum referri oportet, quem etiam Hugo Flavin. SS. VIII, 450 expresse *Pataviensem* vocat. Et certe, quae tam apud hunc scriptorem quam apud Bertoldum SS. V, 322 et 326 sub annis 1079 et 1080 de hoc Gregorii VII legati inveniuntur (*muneribus corruptus — perfidiosus ypocrita — ad inferna corruptissimus praecipitatus est*) dubitationi nullum locum relinquunt. 47) August. contra Donatist. lib. I, cap. 18; Opera ed. Paris. 1632 fol., tom. IX, p. 89 C, quem tamen locum auctor noster non tam fideliter descripsit quam contraxit. 48) Augustinus contra Donatist. lib. I, cap. 21 (tom. IX, p. 91 A). 49) l. c. lib. III, c. 15 (tom. IX, p. 113 B). 50) August. ed. Caillau XXXI, p. 154.

obfuerunt sacerdotes mali vel collegis bonis, sicut fuit Zacharias, vel popularibus bonis, sicut fuit Nathanael, in quo dolus non erat: quanto magis nichil obest in unitate christiana episcopus malus vel coepiscopis vel laicis bonis, cum iam ille sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech et[a] *pontifex noster sedens ad*[b] *dexteram patris interpellat pro nobis. Sacrifitia ergo impiorum eis ipsis oberunt, qui impię offerunt. Nam unum atque idem*[c] *sacrifitium propter nomen Dei quod ibi invocatur et semper est sanctum. Tale cuique fit, quali corde ad *accipiendum* fol. 15. *accesserit.* Item Augustinus: *Non timeo adulterum, non homicidam*[d], *non timeo ebriosum, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: „Hic est qui baptizat.“ Sacramentum enim tam sanctum est, ut nec*[e] *homicida ministrante polluatur.*

P. Sentio planę verum ęssę quod astruis, quod ministrorum indignorum sacramenta prodesse possint et quod in accipientibus salutis operentur affectum, ac per hoc illum non haberę sensum catholicum, qui tam evidens non approbat documentum. Reliquum est igitur, ut de consecrationibus excommunicatorum, quod recipiendae sint et prodęssę possint, aliqua prosequaris.

R. Fiat quod postulas, quoniam omnes Ildebrandi complices hoc iactant et praedicant, quod excommunicatorum sacramenta nil valeant. Pater Augustinus contra Parmenianum: *Nullo,* inquit, *modo isti expedire se possunt, cum eis proponitur, cur sanctitas sacramenti haberi et dari possit ab eo, quem intus sceleratum iam Deus dampnat, et tunc ab eo incipiat dari non posse, cum ab hominibus dampnatus fuerit: cum tamen nec tunc eam possit amittere. Si quaeris, quomodo baptizent quos dampnavit ecclesia, respondeo, sic eos baptizare quomodo babtizabant quos dampnavit Deus, antequam de illis quicquam iudicaret ecclesia. Non igitur debet se Christo praeponere, ut putet babtizare non posse.* Quod, sicut pater Augustinus asserit, excommunicatus sacramenti sanctitatęm non potest amittere, cur non possit etiam aliis dare? Si enim hereticis ab ecclesia discedentibus ius quod habebant ordinandi, quod in ecclesia acceperint, non detrahitur, quia cum redeunt ad unitatem eis non redditur: quis dixerit excommunicato sacramenti sanctitatem detrahi, cum multo deterius sit ab ecclesia per heresim dividi quam a communione ecclesiae[f] prohiberi? Prohibitio[g] enim ista, sicut asserit Augustinus, medicinalis est, separatio illa mortalis. Et si scismaticorum et hereticorum sacramenta veneratur pia mater ecclesia et praedicat veneranda, cur excommunicatorum consecrationes non recipiat, cum multo inferiores illos et deteriores[h] illos intelligat? Ubi enim maior culpa, maior est dampnationis sentencia, et ubi vita nequior et doctrina pestilentior, ibi illicita praesumptio dampnabilior. Utrique rem illicitam gerunt, et qui per sacrilegium scismatis ab ecclesia dividuntur, et qui a communionę aecclesiae prohibentur, et utrique non bene. Sed ambo utrobique sacramenta, ambo veneranda, ambo per unitatem et aecclesiae communitatem salutis effectum habentia. Quod autem maius sit omni commisso sacrilegium scismatis[i], testatur pater Augustinus in libro contra Donatistas[51]: *Tempore,* inquit, *illo quo Dominus priora delicta recentibus penarum exemplis ca-* 51 *venda monstravit, et ydolum fabricatum atque adoratum est, et propheticus liber ira regis contemptoris incensus, et scisma temptatum*[k]*: ydolatria gladio punita est, exustio libri bellica cedę et peregrina captivitate, scisma hiatu terrae, sepultis auctoribus vivis et ceteris celesti igne consumptis. Quis iam dubitaverit, hoc esse sceleratius commissum, quod est gravius vindicatum?*

P. Manifestis constat rationibus approbatum, quod excommunicatorum sacramenta, quae exsufflanda docuit, recipienda potius praedicare debuerit, et quia convincit eum veritas, dampnat illum certissima falsitas. Hac ergo de causa, quoniam de negotio[l] excommunicatorum dicta suffitiunt, quod restat mihi probari[m] velim[n]: *videlicet quod in ligandis ali- fol. 15'. quibus et solvendis non iustitiam tenuit, sed suae voluntati satisfecit.

R. Ad huius rei comprobationem Heinricum regem adducamus in medium et per eum quod dicimus approbemus.

P. Quomodo?

R. Ordo excommunicationis[o] est, ut qui hoc vel illud fecisse dicuntur quod sit excommunicatione plectendum, prius bis terque vocentur, vocati discutiantur, et priusquam in eos sententia excommunicationis proferatur, convincantur de crimine testibus, aut confiteantur. Nichil autem horum circa regem Heinricum vidimus vel audivimus observatum.

a) *sic ex August. correxi;* et *om. cod.* b) a *cod.* c) *deest cod.* d) homitidam *cod.* e) me *cod.* f) et ccłę *cod.* g) prohibito *cod.* h) et deter. *bis dantur.* i) scismaticis *cod.* k) *sic corr. ex Augustino;* temptaturum *cod.* l) de negatio *cod.* m) probare *cod.* n) velim *in margine inferiore additum.* o) *ita corr. in codice* excommunicationibus.

51) lib. II, cap. 9; ed. Paris. 1632 fol., tom. IX, p. 101 B. C.

P. Quod si aliter fuerit presumptum, quid inde patres nostri senserunt vel sanxerunt?

R.[a] Pater Augustinus: *Plerique*[b], inquit, *boni christiani propterea tacent et sufferunt aliorum peccata, quae noverunt, quia documentis sepe deseruntur, et ea quae ipsi sciunt, iudicibus ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quaedam, non tamen iudici facile credenda sunt, nisi certis indiciis*[c] *demonstrentur. Nos vero a communione quamquam prohibere non possumus, quamquam haec prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive seculari sive ecclesiastico iuditio nominatum atque convictum*[d]. Item post aliqua: *Noluit*[e], inquit, *apostolus hominem ab homine iudicari ex arbitrio suppositionis*[f], *vel etiam extraordinario usurpato iuditio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem aecclesiae, sive ultro confessum, sive accusatum atque convictum.* In Niceno concilio similiter legitur: *Incerta nemo pontificum iudicare praesumat, quia quamvis vera sint, non tamen credenda sunt, nisi quae manifestis indiciis comprobantur, nisi quae manifesto iuditio convincuntur, nisi quae iudiciario ordine publicantur.*

P. Apparet ex his omnibus quae proponis, quod ille in ligando Heinrico rege non iustitiam tenuit, sed arbitrio suo satisfecit. Si quid est tamen, unde hoc multiplitius probari possit, subdere non moreris.

R. Valet ad hoc probandum quod isdem pater Augustinus scripsit Auxilio episcopo, qui quendam[g] Classitianum comitem cum omni domo et familia sua excommunicaverat,
52 sicut etiam Hyldebrandus Heinricum. Unde inquit[52]: *Spectabilis filius noster Classianus comes graviter apud me litteris questus est, quod sit anathematis iniuriis*[h] *a tua sanctitate percussus*[i]. Et post pauca: *Si habes de hac re sententiam certis rationibus vel scripturarum testimoniis exploratam, nos quoque docere digneris, quomodo recte anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro viro uxor, aut pro domino servus, aut quisquam in domo eadem natus*[k]? Et post aliqua: *Audisti*, ait, *fortasse aliquos magni nominis sacerdotes cum tota domo sua quempiam anathematizasse peccantium, et*[l] *forte, si essent interrogati, reperirentur inde idoneam reddere*[m] *rationem. Ego autem, si quis ex me querat, utrum id recte fiat*[n], *quid ei respondeam, non invenio.*

P. Si regem Heinricum cum tota sua domo et cum omni anathematizavit familia, probatur praemissis rationibus, illum non servasse iustitiam, sed fecisse voluntatem suam. Oro tamen ut hoc ipsum adhuc, si potes, inculcare[o] digneris.

R. Possum quidem et fatiam. Pater Augustinus in libro contra Parmenianum post
53 aliqua[53]: *In hac*, inquit, *velut angustia questionis non aliquid novum aut insolitum dicam, sed*
fol. 16. *id quod *sanitas observat aecclesiae, ut cum*[p] *quisque fratrum, id est christianorum intra aecclesiae societatem constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum scismatis nullum est, atque id cum ea dilectione*[q], *de qua*
2 Thessal. 3, 15. *ipse alibi praecepit dicens: „Ut non inimicum eum existimetis, sed corripite ut fratrem“; non enim ad decidendum fiat, sed ad corrigendum. Quod si se non agnoverit, neque penitendo correxerit, ipse foras exiet, et per*[r] *proprias voluntates ab aecclesiae communione dirimetur. Nam et*
Matth. 13, 30. *ipse dominus Ihesus servis volentibus zizania colligere dixit: „Sinite utraque crescere ad messem“*
Matth. 13, 29. *et praemisit causam dicens: „Ne forte, cum velitis colligere zizania, eradicetis et triticum.“ Ubi satis ostendit, cum metus iste non subest, sed omnino de frumentorum stabilitate certa securitas manet — id est, quando cuiusquam crimen ita notum est et omnibus execrabile apparet*[s], *ut vel nullos prorsus vel non tales habeat defensores, per quos possit scisma contingere, — non dormiat severitas disciplinae, in qua tanto est efficatior emendatio pravitatis, quanto diligentior conservatio caritatis. Tunc autem hoc sine labe pacis et unitatis et sine lesione frumentorum fieri potest, cum congregationis aecclesiae multitudo ab eo crimine, quod anathematizatur, aliena est. Tunc enim adiuvat praepositum potius corripientem, quam criminosum resistentem.*
1 Cor. 5, 11. *Tunc se ab eius communione salubriter continet vel coniunctione*[t], *ut nec cibum cum eo quisquam sumat: non rabie inimica sed cohertione fraterna. Tunc etiam ille et timore*[u] *percutitur et pudore sanatur, cum ab universa aecclesia se anathematizatum videns, sociam*[v] *turbam, cum*
54 *qua in peccato suo gaudeat et bonis insultet, non potest invenire*[54]. *Ad hoc enim et ipse apostolus*
1 Cor. 5, 11. *ait: „Si quis frater nominatur“; in eo quippe quod ait: „Si quis frater“*[w], *nichil aliud videtur significare voluisse, nisi eum posse tali modo salubriter corrigi, qui inter dissimiles peccat, id*

a) *falso* P. *cod.* b) Pierique *cod.* c) iudiciis *cod.* d) convinctum *cod.* e) *ita correxi;* Novit *cod.* f) subsilionis *correctum in cod.* supsitionis. g) quaendam *cod.* h) iniurias *cod.* i) iniurias — perpessus *ed.* k) d. etiam nondum *ed.* l) sed *ed.* m) redere *cod.* n) fiant *cod.* o) incultare *cod.* p) tum *cod.* q) dilectionem *cod.* r) per *om. in cod.* s) et omnibus execrabile apparet *bis datur in cod.* t) coniunctionem *cod.* u) amore *cod.* v) sotiam *cod.* w) frater *supplevi.*

52) Aug. ed. Caill. XL, p. 373, n. 250. 53) lib. III, c. 13 (ed. Caill. XXX, p. 209). 54) ib. c. 14 (ed. Caill. XXX, p. 210).

est inter eos, quos peccatorum similium pestilentia non corrumpit. In eo vero quod ait „nominatur“, hoc nimirum intelligi voluit: parum esse ut sit quisque talis, nisi etiam nominetur; id est famosus appareat, ut possit omnibus dignissima videri quae in eum fuerit anathematis prolata sententia. Ita enim et salva pace corrigitur, et non[a] *interfectione percutitur, sed medicinaliter uritur; propterea et de illo dixit, quem tali medicina sanari noluerat: „Satis est huic correptio quae fit a multis;“ neque enim potest esse satis a multis correptio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem. Cum vero idem morbus plurimos occupaverit, nichil aliud bonis restat, quam dolor et gemitus, ut per illud signum quod Iezechieli sancto revelatur, illesi evadere vastationem mereantur*[55]. *Ad eum enim qui errare non potest clamant: „Ne perdas cum impiis,* Psal. 25,9 *Deus*[b], *animam meam et cum viris sanguinum vitam*[c] *meam“. Neque*[d] *cum voluerint*[e] *colligere zizania, eradicent simul et triticum, nec*[f] *per diligentiam segetem dominicam*[g] *purgent, sed per temeritatem ipsi potius inter purgamenta numerentur.*

P. Quum praemissis rationibus mihi video satisfactum, quod vere in ligandis aliquibus et solvendis[h] non iusticiam tenuit ˈsed suo arbitrio satisfecit[i], velim ostendas, quid ad illud fol.16'. responderi oporteat, in quo causam eius quidam excusant. *Non mirum,* inquiunt, *si domnus apostolicus Heinrico regi maledixit, cum ille et ille apostolicus illi vel illi imperatori similiter fecerit.*

R. Non habet vim talis excusatio, nec pondus ista defensio. Astipulatur nobis in hoc Gregorius Nazanzenus: *Qui talibus,* inquit, *excusationibus utuntur, non continuo legem aecclesiis dabunt, si semel aliquando aut raro aliquid tale factum invenerint, quoniam quidem neque si una alicubi hyrundo videatur, veris continuo tempus adduxit, aut si quis semel mare in hyeme transeat, continuo etiam legem navigandi proponet. Ac per hoc quod ex aliqua subreptione raro factum legitur, non statim autenticum et regulare dicetur, et profecto culpabilis iudicabitur, qui contra consuetudinem aecclesiae factum aliquid imitatur.*

P. Gratias Deo, quod excusatio illa refellitur, quae causam illius maxime[k] defendere putabatur[l]. Quocirca properemus ad alia, paucisque mihi digneris explicare quae restant, videlicet quod respectu futurae turbationis ab aecclesia etiam excommunicari dignos non debuerit separare.

R. Testetur pater Augustinus[56] quod sentit et manifestum faciat quod requiris: *Nos,* 56 inquit, *ad sanam doctrinam pertinere arbitramur, ut et canes propter pacem aecclesiae toleremus*[m], *et canibus sanctum, ubi pax aecclesie tuta est, non demus Cum ergo sive per negligentiam*[n] *praepositorum, sive per aliquam excusabilem necessitatem, sive per occultas obreptiones invenimus in aecclesia malos, quos aecclesiastica disciplina corrigere aut coercere non possimus, tunc — ne ascendat in cor nostrum impia et perniciosa praesumptio, qua estimemus nos ab his esse separandos, ut peccatis eorum non inquinemur, atque ita post nos trahere conemur, veluti mundos sanctosque discipulos ab unitatis compage, quasi a malorum consortio, segregatos — veniant in mentem illae*[o] *de scripturis similitudines et divina oracula vel certissima exempla, quibus demonstratum est, malos in aecclesia permixtos bonis usque in finem seculi tempusque iudicii futuros, et nichil bonis in unitate fidei ac participatione sacramentorum, qui eorum factis non consenserint, obfuturos.* Item Augustinus: *Si mali,* inquit, *bonos in unitate contaminant, nullam iam aecclesiam cui sotiaretur Cyprianus invenit. Si autem mali bonos in unitate non maculant, nullam causam separationis sacrilegiis Donatista proponit.* Item Cyprianus: *Si videmus,* inquit, *in aecclesia zizania, non ideo impediri debet fides aut caritas nostra, ut quia ipsi in aecclesia zizania cernimus, ideo de aecclesia recedamus.*

P. Ita quod[p] movebat animum certis est rationibus expeditum, ut nulla dubitatio relinquatur. Sed et illud scire desidero et magnopere concupisco, si stare possit, quod sui defensores dicere consuerunt: *Non abhorret a praeceptis dominicis, si quos a nequicia sua revocare non possumus et corrigere non valemus, viribus resipiscere*[q] *compellamus.* Hac igitur ratione regem viribus et quibus potuit modis compescuit, et quia monitis revocare non valuit, ideo Teutonicos adversus illum in pugnam commovit. Sed utrum iustum id fuerit, certis rationibus mihi monstrari velim.

R. Non mea sunt quae dicuntur[r], sed a patribus prolata probantur, quibus tanta illa vanitas prorsus refellitur. Quid tibi videtur, Ambrosi? Dic ˈmihi sensum tuum, utrum cum adversariis fol. 17.

a) non *om. in cod.* b) Deus *om. in cod.* c) viris s. i. u. t. *cod.* d) ne *cod. Neque August.* e) voluerunt *cod.* f) ne non *cod.* nec *August.* g) dominica *cod.* h) solvendi *cod.* i) satisfacit *cod.* k) maximam *cod.* l) putabat *cod.* m) toleremur *cod.* n) *ita manus s. XV corr.* negentiam. o) ille *cod.* p) *sic corr. K. Pertz;* Itaque movebat animum! certis *cod.* q) respicere *cod.* r) dicuntur, *post correctum in codice* dicimus.

55) Cfr. Ezech. IX, 4. 56) Aug. ex édit. Maurin. a. 1685, VI, p. 168.

sencias an eorum dicta refellas. *Vis*, inquit, *Christi audire censores? Iubentur caedere*[a] *sine virga, nec terrore sed gratia populum querere, recondere gladium, non possidere aurum.* Item Gregorius Nazanzenus: *Non oportet vi aut necessitate constringere, sed ratione et vitae exemplis suadere: quia omne quod extorquetur invitis, cum ei*[b], *cui agitur, tyrannicum videtur, nec perseverare quoque*[c] *potest. Solet enim quicquid violenter attrahitur, sicut arboris si quis vi cacumen inclinet, relaxatum rursus redire in idem. Quod autem ex proposito sit, ex voluntate, tam legitimum quam certum est, validissimis scilicet vinculis propriae voluntatis astrictum.*

P. Si superiores[d] ratiocinationes[e] subtiliter considerare velimus et universa superius comprehensa diligenti vestigatione revolvere, novissime qui voluerit poterit ita concludere, quod et homicidio sese Ildibrandus polluerit et sacrilegii reatum contraxerit et periuriorum multorum crimen incurrerit. Unde tempus ęssę videtur, ut de Wiberti electione, unde plurimum dubitatur, disserere debeas et quibus potes rationibus illam defendas. Sic enim adversarii reprehendunt illam: *Si Ildebrandus in apostolatu erat et sedes apostolica non vacabat, qualiter ille superordinari potuit, qui nulli successit, sed a se ipso principium et initium habuit?*

R. Scio illos ita proponere et apostolatum Clementis quibus possunt argumentationibus condempnare. Nos vero sic solemus ineptias illorum refellere et electionem praefati Clementis astruere. Ut taceamus omnia, quibus superius est probatum, quod apostolatu sese privaverit, eo quod homicidio se polluerit, sacrilegio maculaverit, periuriorum multorum crimen incurrerit: sed unde Vigilius apostolicus dici meruit et in catalogo Romanorum pontificum numerari, qui Silverii Silvestri[f] locum adhuc viventis invasit et in Pontias insulas[52] exilio ipsum[g] relegari[h] fecit, ubi, sicut legitur, pane tribulationis et aqua angustiae cibatus fuit? unde etiam Anatholius Constantinopolitanus episcopus dici debuit, qui Flaviani viri sanctissimi, propter defensionem catholicae veritatis eiecti[i], locum arripuit et ab excommunicatis similiter dampnatis consecrationem accepit? Quem tamen[k] Leo primus Romanorum episcopus rogatu augustae Pulcheriae confirmavit et ad posteritatis memoriam confirmatorias illi litteras misit continentes ita: *Decessore*, inquit, *tuo beatae memoriae Flaviano propter defensionem catholicae veritatis deiecto, non inmerito credebant, quod consecratores tui contra statuta canonum et divinarum legum sui similem consecrassent. Sed affuit misericordia Domini, in hoc te dirigens atque confirmans, ut malis principiis bene utereris, nec te iudicio hominum provectum sed divina miseratione monstrares.* Quod ita accipiendum est: *Si hanc divini muneris gratiam alia offensione non perdas.* Nec ista dicimus quod malum domnus Clemens habuisset inicium, cum Ildibrandus apostolici iam non haberet officium et locum, sed ut contradicentibus de similibus proponamus exemplum. Quod ergo Vigilium confirmavit, qui quasi malum principium habuit, et quod Anatholium male positum et nulli (fol. 17') succedentem episcopali dignitate dignum videri[l] fecit, domnum etiam Clementem dignissimum reddidit, si in suis fortasse primordiis aliquid deliquit. Posterior virtus et meritum diluit, quicquid inprimis culpabile visum fuit. O quotiens in actibus pontificum Romanorum factum legitur, quod duo certatim apostolici simul positi fuerint et magnam utrique partem cleri et populi simul habuerint et ille tamen tandem vicerit, quem Romani principes confirmandum censuerint. Sic de Damaso et Ursino, Bonifatio et Eulalio, Silverio et Vigilio, Simacho et Laurentio in eisdem actibus Romanorum pontificum accidisse probatur.

P. Magnae contentioni video satisfactum et aemulorum obiectionibus sufficienter responsum. Ultimum et extremum est, quod multi ventilant et unde plurimi adversarii disputant, quod imperatores aecclesiasticas dignitates investire non debeant. Ego vero si ita res habeat, vel si ad imperatores aecclesias investire pertineat, doceri desidero.

R. Ius postulas, quoniam divinorum quidam auctorum cum illis sentire videntur, qui ad principum[m] iniuriam ista[n] locuntur, Gelasius praecipue Romanae sedis ępiscopus et noster Ambrosius[53], cuius de hac re verba sunt: *Convenior*, inquit, *a militibus et tribunis*[o] *ut per me fieret basilicae matura traditio*[p], *dicentibus imperatorem iure suo iussisse*[q], *ut quae in potestate eius essent, omnia ei tradi deberent. Respondi, si a me peterent quod meum est, id est fundum meum, argentum meum, ius huiuscemodi meum, non refragaturum, quamquam omnia quae mea sunt, sint pauperum. Verum ea quae divina sunt, imperatoriae potestati non esse*

a) cedere *cod.* b) eo *cod.* c) quod *cod.* d) superiore *cod.* e) ratinationes *cod.* f) *ita cod.* g) *supplevi.* h) religari *cod.* i) eiectio *cod.* k) tam *cod.* l) iuderi *cod.* m) principium *cod.* n) istam *cod.* o) trib^usus *cod.* p) maturatur dicio *cod.* q) uti *ed.*

52) Cf. vita Silverii ap. Vignol. lib. pont. I, 211. 53) XXIII, c. 8. Opera ed. Mabill. II, 854. 857.

subiecta. Et paulo post: *Nec mihi fas est tradere, nec tibi, imperator, ut putes, te in ea quae divina sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est enim: „Quae Dei Deo, quae caesaris caesari". Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem aecclesiae. Publicorum tibi moenium ius commissum est, non sacrorum. Iterum mihi dicitur mandasse imperatorem: „debeo et ego unam basilicam habere". Respondeo*[a]*: non tibi licet illam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera est enim quae non est legitimo Christi coniugio copulata, veteri iure a sacerdotibus donata, imperatoria vi usurpata.* Haec Ambrosius. Gelasius quoque etsi diversis verbis eadem tamen prosequitur. Quae omnia si discrete accipias, nichil imperatorias investitiones impediunt. Duo siquidem iura conceduntur episcopis omnibus, spirituale vel divinum[b] unum, aliud seculare; et aliud quidem coeli, aliud vero fori. Nam omnia quae sunt episcopalis officii spiritualia sunt, divina sunt, quia, licet per ministerium episcopi, tamen a sancto Spiritu conceduntur. At vero iudicia secularia et omnia quae a mundi principibus et secularibus hominibus aecclesiis conceduntur, sicut sunt curtes et praedia omniaque regalia, licet in ius divinum transeant, dicuntur tamen secularia quasi a secularibus concessa. Itaque divina illa a sancto Spiritu tradita imperatoriae potestati constat non esse subiecta. Quae vero sunt ab imperatoribus tradita, quia non sunt aecclesiis perpetuo iure manentia, nisi[c] succedentium imperatorum et regum fuerint iteratione concessa, dicuntur profecto quodammodo regibus et imperatoribus subdita, quia nisi per succedentes imperatores et reges fuerint aecclesiis confirmata, revertuntur ad imperialia iura. Sicut enim imperium et regnum non est successorium, sic iura quoque regnorum et imperatorum successoria non sunt, nec regibus et imperatoribus perpetim manere possunt. Si vero perpetim non manent illis[d], qualiter his quibus *traduntur fol. 18. perpetim manere[e] possunt? Sicut enim regnum et imperium ab homine transit in hominem, sic iura regni manent cum rege manente sibi regno, et cum illo non manent non manente sibi imperio vel regno. Quocirca satis visum est utile, ut imperialia iura et regalia semel aecclesiis tradita, crebra regum et imperatorum investicione firmentur, quae ex concessione alicuius unius imperatoris vel regis perpetim illi manere non possunt. Divina ergo illa a sancto Spiritu per ministrum aliquem tradita ad imperatores et reges non sunt pertinentia; illa vero ab imperatoribus et regibus concessa et eorum confirmationibus indigentia, imperatoribus sunt et regibus subdita eo quod sunt per illos habita et per illos habenda. Unde succedentibus postea temporibus salubriter est a posteris Romanae sedis episcopis institutum et imperatoribus concessum, ut aecclesiarum investituras habeant, non dico parietum sacrorum et altarium quae non sunt eorum, sed aecclesiasticarum rerum; quibus investientibus et priorum confirmatur traditio et affectantium frenatur ambitio et popularis cessat seditio. Hanc[f] concessionem Adrianus apostolicus Karolo[54], Leo tercius 54 Ludoico[55], alii vero Romani pontifices aliis atque aliis imperatoribus confirmaverunt[g], eo videlicet consilio[h], ut defensores christianae rei publicae fierent et in eleccionibus episcoporum turbatio popularium conquiesceret.

P. Quid[i], si dicat aliquis, non licuisse mutare posteris quod sanctitum est ab antiquis, et maiorum decreta praevalere modernis?

R. Huiusmodi calumniam vel obiectionem pater Augustinus exsufflat in libro contra Donatistas, astruens posteriorum concilia semper anterioribus praeponenda[56]: *Ipsa*, inquit, 56 *concilia quae per singulas regiones vel provincias*[k] *fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati quae fiunt ex*[l] *universo orbe christiano constat sine ullis ambagibus cedere, ipsaque plenaria sepe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat et cognoscitur quod latebat.* Hac igitur ratione quae Gelasius sanxit aliique maiores de non ordinandis ab imperatoribus et regibus ecclesiis, sive quod Ambrosius protulit, merito dicunt a posterioribus et iunioribus in melius commutata[m], ut quod videbatur a prioribus prohibitum, mira necessitate et utilitate ecclesiae fuisset illi concessum. Hinc etiam Nicolai papae concilium Romae factum approbant et commendant, in quo congregatis centum et

a) M *cod.* b) v. d. *supra lineam add.* c) *ita correxi;* non *cod.* d) itt *cod.* e) manere non *cod.* f) han *cod.* g) *ita correxi* confirmavit. h) conscilio *cod.* i) quod *cod.* k) pervincias *cod.* l) ex *deest cod.* m) commutatum *cod.*

54) Cfr. praefationem nostram. 55) Leonis VIII cessio iuris investiturae plerumque in codicibus una cum Adriani decreto invenitur. Vide Hirsch de Sigeb. p. 47. 56) Contra Donat. ex ed. Caillau XXXI, p. 268.

octo episcopis, omnibus confirmantibus sancxit, ut nullus deinceps Romae poneretur episcopus, nisi christiano consentiente principe qui regni gubernacula tenuisset pro tempore. Quod enim ignorabatur prius, temporibus illius Deus voluit revelari, quodque fuerat clausum erupit, ut universi cognoscerent, quam multiplices in eligendis episcopis contentiones emergere potuissent, si imperatores et reges ordinati non essent. Nam ante praefati Nicolai pontifitium tres simul invaserant apostolatum et omnes apostolici dicebantur. Sed sicut sepe contigerat temporibus aliorum imperatorum, quod huiusmodi Romanae sedis contentiones per imperatores sublatae sunt, sic etiam tres illi certatim positi et per contentionem[a] electi, regia potentia turpiter eiecti sunt. Illud etiam innotuit, quod secularia iudicia et placita, semel ecclesiis ab imperatoribus tradita, successorum essent investitionibus confirmanda, si omnia regalia et omnia publica iura perpetim ecclesiis manere non fol. 18'. *poterant, nisi succedentium sibi regum frequenti fuissent iteratione concessa. Quod autem omnia placita secularia et iuditia et regalia et publica iura et vectigalia scilicet et tributa Rom 13,1. regum sunt et imperatorum, vel ab illis aliis tradita, apostoli dicentis verba denunciant: *Omnis*, inquit, *anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo.* 1 Petr. 2,13. *Quae autem sunt, Dei ordinatione ordinata sunt.* Item Petrus coapostolus eius: *Subditi estote*, inquit, *omni humanae creaturae propter Deum: sive regi, quasi praecellenti, sive ducibus, tamquam ab eo missis.* Quibus verbis innuitur, quod nullum seculare ius episcopis relinquitur nec potestatem habeant aliquam eciam in colonos et in ecclesiae famulos, decanos et villicos, si non regia auctoritate sit illis[b] concessum. Sed nec ipsi clerici publicis vectigalibus et tributis absolvi possunt, si non eadem[c] auctoritate solvantur. Omnibus enim ab Rom. 13,7. apostolo dicitur: *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem* et cetera. Et ne quisquam sanctam Dei ecclesiam ab his diceret liberam, nec regibus et imperatoribus obnoxiam, ipse dominus Ihesus qui se nobis in omnibus praebuit formam, cuiusque vita nobis debet esse magistra, pro se tributum solvit et solvendum Petro mandavit, quem ecclesiae suae principem fore praevidit.

P. Mire video quod fuit a me quesitum rationibus absolutum, sed si ex veteri consuetudine pertineant ordinationes ecclesiarum ad reges, nosse velim.

R. Si non fuisset vetus mos regum ordinatio ecclesiarum, nequaquam Braulius[d] Galliarum episcopus de ordinatione Terraconensis ecclesiae beatum requisisset Ysidorum dicens: *Terraconensis[e] ecclesia pastorali solatio destituta pastorem alium necessarium habuisset. Unde consule domino nostro regi talem illi praevidere pastorem, qui se corporibus[e*] et animabus subditorum exibeat utilem, quique de grege sibi credito possit idoneam Deo reddere rationem.* Cui rescribit Isidorus[f] in haec verba: *Scio verum esse quod dicis, sed dominus noster rex adhuc habet incertum, quem ecclesiae praeficiat[g], quam pastoris indigere gubernaculo non ignorat. Cum autem illi[h] primo fuerit ociosum, talem ibi curabit ponere, qui dominico gregi digne valeat praeesse.*

P. Ex his quae dicta sunt mihi constat certum, quod ex more veterum pertineat regibus ordinatio ecclesiarum. Sed si qua de his adhuc dici possunt, dicere non sit laboriosum.

R. Qui putant ordinationes ecclesiarum[i] sacerdotibus pertinere, dignentur etiam illud considerare, quod Moyses sacerdos non fuerit, quem tamen Dominus Israhelitico populo praeposuit et tantam illi gratiam contulit, ut per eum legem dederit, per eum sacerdotes ordinandos instituerit, per eum tabernaculum fieri praeceperit, per illum quoque vasa templi et ministros et ministeria et ritus et sacrifitia facienda mandaverit. Et si haec illi nullo sacro functo[k] officio concessa sunt, cur videatur indignum si per imperatores et reges fiant ordinationes ecclesiarum, cum maiorem unctionem et quodammodo digniorem ipsis eciam sacerdotibus habeant? Unde nec debent inter laicos computari, sed per unctionis meritum in sorte sunt Domini deputandi.

Omnia largiente Deo, sicut proposui, percucurri. Restat quod me facturum inicio promisi persolvam, ut, quod mihi de hac re visum fuerit, in neutram partem propensior explifol. 19. cem, postquam utriusque partis allegationes constat a me comprehensas esse. *Duo sunt, quae dampnatione dignum Ildibrandum ostendunt: quod Rodulfum in regem creari fecit, et Teutonicum bellum fieri non prohibuit, in quo sanguis octo milium hominum fusus fuit.

a) *ita in codice corr.* contentiones. b) illi *cod.* c) eandem *cod.* d) *ita cod.* e) Terraconesis *cod.* e*) corporalibus *cod.* f) Isidorum *cod.* g) perfitiat *cod.* h) illo *ita corr. cod.* i) *post* ecclesiarum *additum est superfluum* solet *in cod.* i) functus *cod.*

In eo etiam periurii reatum incurrit, quod iuramenti vinculis obligatos Teutonicos sacramenti religionem violare fecit. In eo etiam scismaticus extitit, quod indignorum ministrorum[a] et excommunicatorum sacramenta polluta docuit, non recipienda mandavit, nec sacramenta quidem dici debere perhibuit[b], in quibus a sanctorum patrum regulis omnino dissensit[c].

Haec tibi, venerabilis pater[57], sicut iussisti composui, in quibus et pro Ildibrando 57
multa volumine primo disserui, et contra illum secundo copiosius disputavi, non ausus iussioni tuae quicquam negare; simul certum habens, laborem meum legere volentibus utilem satis fore.

a) ministorum *cod.* b) praehibuit *cod.* c) discensit *cod.*

57) De hoc loco in praefatione egimus.

EX VITA WOLFHELMI ABBATIS BRUNWILARENSIS

AUCTORE CONRADO.

EDIDIT ROGERUS WILMANS PH. D.

TABULARIO REGIO MONASTERIENSI PRAEFECTUS.

1 *En Brunwilarensis coenobii tertium historicum monumentum*[1], *Wolfhelmi sci-
licet illius abbatis vita, qui cum Annone eiusque successoribus diutinam con-
troversiam de Clotteno praedio habuit et ad felicem tandem exitum perduxit*[2].
*Quod opusculum etsi Germanici imperii res non multum in universum illustret
et litem inter sacerdotium et imperium hoc tempore agitatam ne uno quidem*
3 *verbo tangat*[3], *tamen de Coloniensium archiepiscoporum historia haud spernen-*

1) Annales prodierunt SS. I. p. 99 et II, 216. monasterii fundatio XI. pag. 394. 2) Vide quae capite 12 adnotavimus. 3) Qua in re ratione haud obscura vitae auctor ductus fuisse videtur. Wolfhelmus enim, ni omnia fallunt, anno 1080 in Wibertinorum transivit partem. Quod quidem ex *magistri Manegaldi* (de Luotinbach) *opusculo contra Wolfelmum Coloniensem* directo elucet, a Muratorio ex Ambrosiano codice in Anecdotis Latinis IV, 167—208 edito, in quo ei hoc praecipue dedit crimini (p. 206) quod *epistolam Wirrici Treverensis magistri in eundem sanctum Gregorium compositam, quae in malignantium conventu Treveris habito elaborata est* propagaverit; Wolfhelmum autem re vera Wiberto sive Clementi III antipapae adhaesisse, etiam Annales demonstrant, qui Brunwilari, praeside Wolfhelmo, conscripti, a. 1087. Clementem aperte contra Victorem III patrocinantur. Admirationem igitur quam maximam hoc movere debet, quod ecclesia Romana virum schismaticum inter sanctos vel saltem beatos referre non dubitaverit. Attamen aequum videtur, ut ea non praetermittamus, quae iam Mabillonius, cui Annales Brunwilarenses et Manegaldi opusculum nota erant, hac de re adnotavit Saec. VI, 2. p. 676: *Ceterum cum Wolphelmus nondum publico decreto inter sanctos annumeratus sit, nullaque etiam apud Brunwillerenses nostros, ut quidem scribit Henschenius, officio publico colatur, eum beati titulo donasse satis fuit. Quamvis in catalogo reliquiarum eiusdem monasterii, qui ad nos transmissus est, inter alias recenseatur caput beati Wolphelmi, cuius, inquit catalogi scriptor, ossa reliqua per bella huc illuc distracta et asportata fuerunt violentia militum. Quae sane indicant eius sacras reliquias e terra levatas fuisse ac publicae venerationi expositas; unde Gelenius libro tertio de admirandis Coloniae Agrippinae, inter festa peculiaria monasterii Brunwillerensis, festum sancti Wolphelmi ad diem 22. Aprilis assignat. Quo quidem die memoriam eius recolunt martyrologia Benedictina Arnoldi Wionis, Hugonis Menardi et Benedicti Dorganii, Molanus in additionibus ad Usuardum, Martyrologium Germanicum, Philippus Ferrarius in catalogo sanctorum qui in Martyrologio Romano non habentur, aliique passim eiusmodi auctores.* Cum vero in Manegaldum sermo inciderit, non abs re esse existimo, si ex eius opusculo apud Muratorium exstante, quod plerosque virorum doctorum nostrorum fugit, duos locos affero, ex quibus evincitur, celeberrimum illum Salzburgensem archiepiscopum Gebebardum historiam controversiae inter Heinricum IV et Gregorium VII exortae conscripsisse, quae intercidisse videtur, l. c. p. 203: *Contra quem* (Gregorium VII) *quam impie etiam secundum leges seculi actum sit, totius quoque gestionem negotii, in quo decennio et eo magis in vita sancti papae non sine gravi quassatione sanctae ecclesiae laboratum est, ex historia quae viri in illas partes illustris et*

das affert notitias. Cuius pretium duae etiam epistolae augent eidem insertae, una Gregorii VII a. 1077 *data quae in eius registro desideratur*[4], *altera Wolfhelmi ipsius contra quendam Berengarii Turonensis libellum paullo post annum* 1066 *editum directa*[5].

Auctor est Conradus monachus Brunwilarensis, qui vitam hanc inter annos 1110, *quo Eberhardus abbas Brunwilarensis electus, et* 1123, *quo Herimannus abbas Sancti Pantaleonis defunctus est conscripsit; his enim viris librum suum dedicavit*[6]. *Quo in componendo usque ad annum* 1075 *ea secutus est quae a natu maioribus didicerat; ab hoc vero tempore usque ad obitum Wolfhelmi anno* 1091 *se ea tantum prolaturum esse quae ipse vidisset, diserte profitetur*[7]. *Re etiam vera non uno loco se testem prodit ocularem*[8], *qui sancti Wolfhelmi familiaritate utebatur*[9].

Editionis nostrae subsidia nulla fuere; vitae enim codices manuscripti omnino intercidisse videntur, ita ut et Henschenius[10] *et Mabillonius*[11] *nihil agere potuerint, nisi ut Laurentii Surii editionem*[12] *denuo recudendam curarent. Quae cum ita sint, in medio relinquitur, utrum Surius morem suum secutus mutilatum, an integrum textum in lucem ediderit.*

ROGERUS WILMANS.

PROLOGUS.

1. Dominici gregis pastoribus rectoribusque vigilantissimis, Everhardo[13] videlicet coenobii Brunwillerensis, et Herimanno, in Colonia beati Pantaleonis[14], Conradus infimus omnium sub regulari proposito, coronam vigilantibus repositam a Domino. Hortamini, patres excellentissimi, nos vitam beati Wolfhelmi abbatis scriptis depromere, secundum a Deo vobis collatam praescientiam, non modicam hinc fidelibus providentes aedificationis gratiam. Satagitis enim, ut virtutum eius exempla ad notitiam legentium litteris deducta, bene vivendi piis mentibus pariant instituta. Sed quid, patres illustrissimi, id placuit iniungere nobis, dum nec scientia suppetit, nec facundia sermonis suppeditat? Porro in iubendo vestra tanta est auctoritas, ut licet quod exigitis paveamus, omnino tamen negare vobis, nefas esse ducamus. Liceat autem sub exemplo rei visibilis, plenius vobis declarare qua sumus hactenus suspensi dilatione. Nostis quod absque dubio acies oculorum solis succumbat reverberata splendore; quanto magis scintilla nostrae scientiae, si altiora se praesum-

apprime in eadem re pro iusticia fatigati, Salseburgensis archiepiscopi esse dicitur, manifestius cognoscetur; et p. 206: *Nec in dandis iusticiis de apostolica dignitate quicquam adimeret vita inferior succedentis* (Victoris III), *ubi per catholicam ordinationem adessent et Spiritus sanctus et Petri merita praesidentis. Utrum autem vos eundem reciperitis aliquando summum pontificem, arguit post primam excommunicationem satisfactio regis vestri facta in Italia, quando rerum desperatione compulsus nullus vobis miseriae exitus occurrebat, praeter absolutionem ipsius, quem, licet perfidis mentibus, pastorem tamen et dominum cognovistis. De quibus plura scribere omittimus, quum in praefati viri historia de his omnibus plene lucideque digestum sit.* — Eidem Gebehardo alium prolixiorem libellum, itidem ad Gregorii VII partes tuendas compositum Manegoldus dicavit nondum typis vulgatum, qui ex bibliotheca Carlsruhensi benevolentissime, exeunte anno 1853 Berolinum nobis transmissus fuit, ex quo opere gravissimo Vir eruditissimus W. Giesebrecht nonnulla fragmenta ad calcem vitae Gregorii VII. in lucem editurus est.

4) cap. 14.

5) cap. 11.

6) Vide praefationem.

7) cap. 12.

8) capp. 26 *vidimus;* 30 *nobis redeuntibus — nobis cernentibus;* 32 *vidimus;* 37 *ab ipso fratre qui pertulit agnovimus.*

9) c. 28: *Quam visionem — famulo Dei — suggessimus — Tandem vir Domini nostra victus est instantia.* Cf. prol. *nil aliud prorsus intendimus prosequi, quam quod ab idoneis testibus contigit audiri, seu quod aliquot annis ministrantibus vel adstantibus sibi* (Wolfhelmo) *divina nobis gratia contulit intueri.*

10) Acta SS. 22. April. pag. 76.

11) Saec. VI. II. pag. 675.

12) II. pag. 781.

13) Qui anno 1110 Wicelino in regendo monasterio successit (Ann. Brunw. SS. I. p. 100) et a. 1126 obiit. Ann. Brunw. min. SS. II, 216. vel 1124 secundum editionem Böhmeri, Fontes III, 385.

14) Cui monasterio inde ab anno 1082 usque ad ann. 1123 praeerat. Cfr. Chron. S. Pant. apud Ecc. p. 908 et 927. et Gelen. de adm. mag. Col. p. 365.

serit attentare? Verum ne sanctitatis illius testimonium diutius differendo videamur subtrahere, quamvis mole videamur victi succumbere, vestris tamen votis pro virium nostrarum facultate statuimus obedire. Dat ausum etiam vel fiduciam istud praesumendi, quod cf. Exod. 35, 23 sqq. quisque pro suo modulo in Domini legitur obtulisse tabernaculo; alius aurum et argentum, alius purpuram vel coccum tinctum, alius pelles rubricatas arietum. Bene autem agitur nobiscum, si pilos obtulerimus caprarum. Haec autem omnia cum allegorica sint, ut catholici doctores tradunt, in diversis donariis gratiarum genera distinguentes, in pilis caprarum, quibusdam locis verba exprimi voluere laudationum. Unde quoniam per scientiae donum vel affluentiam meritorum perfectionem illam attingere nequimus auro figuratam et argento, purpura, vel cocco bis tincto, ceterisque donariis, cupimus saltem pilos offerre caprarum, quod est vitulos labiorum nostrorum, quatenus in tabernaculo Domini utcumque nos contingat utiles inveniri, ne vacui prorsus appareamus in conspectu Domini. Itaque virorum illustrium actibus vel triumphis traditis litterarum monimentis triplex inesse commodum reperitur utilitatis, dum studio aemulandae pietatis, tot plerique modis illorum informantur exemplis. Sunt quippe instrumenta bonorum operum, errantium via, poenitentium venia, perseverantium spes et corona. His tribus generibus differentiarum vim profecto patitur regnum caelorum, dum errans corrigi, poenitens iustificari, perseverans contendit salvari. Laudes etiam divinae attolluntur, dum ad exemplum fidelium, sanctorum merita ad memoriam revocantur. Ne vero plura replicando fastidium legenti faciam, per haec omnia ad illud tendit oratio, ut doceam sanctorum merita rediviva fidelium votis semper accipere incrementa; dum superna gratia illorum foecunditatem mentibus praestat, et fructificandi gratiam subministrat. Igitur sancti ac beatissimi Wolphelmi abbatis vitae seriem explicaturi, nil aliud prorsus intendimus prosequi, quam quod ab idoneis testibus contigit audiri, seu quod aliquot annis ministrantibus vel adstantibus sibi divina nobis gratia contulit intueri. De quibus, si ullius haesitaverit fides, tot nobiscum exstant idonei testes, quot ex illius temporis collegio fratres nunc usque manent superstites.

INCIPIT VITA.

2. Igitur gloriosus Domini confessor Wolphelmus in Ribuarensi pago ex illustri prosapia ortus, Dei omnem iustum gratuito illuminantis praeveniente gratia, lineam generosae propaginis ornavit titulo sanctitatis. Qui merito iuxta etymologiam vel idioma linguae regionis illius Wolphelm dignoscitur appellatus, quoniam pro castris Domini contra immanissimum lupum, id est diabolum, galea salutis munitus, erat congressurus; quod quam efficaciter, quam strenue, pro re, pro tempore, nomini contendens gestis congruere, studuerit exercere, loco suo lector plenius poterit invenire. Pater vero ipsius, Frumoldus nomine, ut ex nominis eius liquet expressione, probus modis omnibus floruit actione. Hic genere moribusque sibi competentem, Evezam nomine, sortitur uxorem: quibus, iuxta Hebr. 13, 4. apostolum, *honorabile connubium et torus exstitit immaculatus;* quoniam matrimonium non contraxere causa explendae libidinis, sed gratia procreandae sobolis. Qui genere clari et inter suos quodam innocentiae privilegio insigniti, erant christianae religionis devotissimi Gal. 6, 10. cultores, fidei dote pollentes, caritate ferventes, pietatis amatores, iuxta apostolum, *bonum operantes ad omnes.* Verum domina Eveza, ut illustrem exponam familiam et alti sanguinis 15 decus, ex cuiusdam illustrissimi comitis, Sicconis[15] nomine, stirpe descenderat, quem et ampla praediorum spatia et utriusque sexus numerosa familia, sed et militaris animi commendabat audacia. Hic, quod opibus et nobilitate sit celsius, iustitiam aequitatemque sectatus, qua Deo nil invenitur acceptius, totis elaborabat nisibus, ut sicut propaginem magnificentia generis, ita et illustraret operibus pietatis.

3. Primam itaque humani incrementi beatus Wolphelmus asscendens lineam, auspice Deo, de infantia ad bonae indolis transiit pueritiam. In qua aetate et liberalium artium disciplinam est professus, et suorum instantia Coloniae apud aedem beati Petri[16] apostolorum principis corpori congregationis sociatus. Quo temporis articulo, post iuniorem Ottonem sceptrum imperii Henrico secundo feliciter administrante, rebus quidem bellicis

15) Colonienses chartae ineunte saeculo XI datae nullius, quod sciam, Sicconis mentionem faciunt. Qui vero ibidem inter annos 1051 et 1076 occurrit Sicco (Lacombl. N°. 186. 189. 202. 225 et 228), huius filius vel nepos fuisse videtur.

16) Haec est ecclesia metropolitana Coloniensis.

viro potentissimo, circa ecclesiasticas vero disciplinas sollertissimo, sanctus Heribertus, 1003. toto iam orbi fama sanctitatis notissimus, sanctae Coloniensi ecclesiae praesidebat episco- 1021. pus. Qui beatissimus pontifex iam ultimae aetatis senio fessus, famulum Dei Wolphelmum tam corpore adhuc quam et malitia parvulum, more sibi christianae religionis oblatum, ut euangelicum Dominus parvulum, in medio statutum benedixerat, et per sacri chrismatis unctionem sanctique Spiritus invocationem in filiorum Dei transtulerat sortem. Porro ne inanis aut vacua vel certe fortuita in illo posset aestimari tanti benedictio viri, sancti Spiritus attactus calore, ad contemplativam vitam toto iam mentis desiderio coeperat anhelare, satisque fecisset votis, si immaturitas id non impedisset aetatis. Verum quanto naturali processu augmentum capiebat virium, tanto in dies sancti fervoris illius crescebat desiderium.

4. Fuit autem ut corpore castus, ita mente sobrius, tantam possidens gratiam vultus, ut quodammodo angelicus eius putaretur adspectus. Praeter haec divinae pietatis indicia, in eruditione scripturarum tantam promeruit efficaciam, ut quod semel legendo adverteret, perpetuo retineret. Quod plerumque, ut credimus, occulto Dei agebatur iudicio, ne beatissimo viro in aliquo scientiae deesset plenitudo. Igitur exceptis divinorum voluminum paginis, quicquid poeta cecinit, orator facundus disseruit, philosophus excogitavit, quadam penna altioris sensus penetravit. Quamquam vero tanta iuvenis scientia praeditus claruerit, numquam tamen hinc iactantiae vitio elatus succubuit, memor dicentis apostoli: *Nolite* Eph. 5, 7. *seduci per inanem sapientiam huius mundi.* Tanta autem gravitas, tanta morum illi inerat maturitas, ut palam cunctis daretur intelligi, vas illum electionis exsistere. Nullam vero pro carnali ingenuitate sibi patiebatur reverentiam exhiberi, utilius censens amore Christi se humilem exhibere personam, quam animum habere degenerem. Ineptas etiam fabulas iuvenumque lasciviam declinabat, venenatas adulantium linguas abhorrebat; vaniloquium, levitatem oculorum, totiusque motus corporis anchora cohibebat gravitatis. Considerans itaque et perpendens magister scholarum hunc illius in omnium virtutum disciplinis profectum, gaudebat doctrinae illi impendisse studium, quem perfectionis cernebat attigisse fastigium. Arctius itaque sibi eum eligens annectendum honorificentiusque servandum, assumsit illum consortem participemque laboris, onus cum illo partiens regendae disciplinae scholaris. Fervebat itaque in eo magnifice studium iugi exercitatione scripturarum: et quoniam scientiae illius thesaurus non occultabatur absconditus, fiebat ubique, fama vulgante, celeberrimus. Hinc non minor de longinquo, quam ex proximo, studiosorum illum clericorum expetebat frequentia, praesenti auditu cupientium experiri, quanta in illo veri Salomonis vigeret sapientia. Verum sicuti nulla eum argumentatione concludere, sic nulla tam argutae propositionis valebant documenta proponere, quae concite non solverentur, convenienti historica vel allegorica expositione.

5. Itaque novorum iste ac veterum de bono thesauro sui cordis prolator, animadvertens quantae impossibilitatis sit duobus dominis servire, ut uni Deo, cui servire regnare est, liberiori animo posset inhaerere, saeculo penitus deliberat renuntiare. Iuxta illud ergo Gregorianum pedem, quem quasi in ingressu mundi posuerat, retrahens, ruptis terrena- Dial. II, 1. rum voluptatum catenis, morarum impatiens, fugam iniit, latenter discessit, Sanctumque Maximinum in Treverica urbe expetiit, ubi sub venerabilis patris Bernardi regimine[17] am- 17 plius et perfectius tunc temporis monachicam vitam fervere cognovit. Ibi praeoptati diu voti compos effectus, se monachum est professus, senisque cum Seraphim alis amictus, Deum excelso gloriae solio subnixum tranquilla mentis acie contemplari laetatur. Quod ne abusive videatur prolatum, noverit lector, Romana auctoritate decretum[18], illius ordinis habitu significantiam exprimi sex alarum. Duas alas, illo quo totius corporis velatur altitudo: duas, quo brachiorum tegitur latitudo: duas vero superiores, invicem sibi iunctas, capitis operimento. Quod quia priorum sancta definivit auctoritas, nulla argumentatione refellere habet posteritas; cum videatur et crucis per omnia speciem gerere eiusdem habitus inspecta qualitas. Quam crucem beatus Wolphelmus, ut alter Paulus, vel Antonius, non tantum exterius assumens, sed et interiori homini indissolubiliter adstringens, onere saeculi expeditus, sequebatur Christi vestigia, expansis in suae exaltationis ligno manibus ad se trahentis omnia.

17) annis 1035 -1037. Cf. vitam Popponis abb. Stabul. SS. XI, 309. 18) Illud est decretum Bonifacii papae IV in concilio Romano promulgatum anno 610. MAB. Cf. Jaffé Regg. Rom. Pontt. p. 155. 939.

6. Colonienses interea, quibus non leviter ferendum videbatur tantae sanctitatis viro carere, ubiubi requisitum, tandem audientes Treviris angelicae conversationi studere, in-
19 vicem contulerunt, qualiter eum possent repetere. Hinc Herimannum[19] illis diebus Coloniae currum Dei aurigantem adeunt, quid habeant voti palam faciunt illi, et cur alio translatum insigne urbis suae non repetat, pie severa indignatione in eum conclamant. Erat tunc videre togatae urbis primores iterum Gregorii[20] sui discessum conquerentes; quia non maior illo discedente Romanorum confusio, quam hoc absente Coloniensium agitabatur quaestio. Nec id iniuria. Sicut enim ille, suo nomini bonis operibus congruendo, suae et proximorum saluti invigilabat: ita et iste fidei opera exsequendo, cunctorum dilectione et veneratione dignissimus erat. Archiepiscopus autem iuxta illud sapientis: *Qui a multis timetur, necesse est ut multos timeat*, subiectorum importunitatibus obtemperare festinat: sed suspicatus Trevirenses difficile reddituros virum tam laudabilis vitae, aestimavit eum repetendum, facta in totius ecclesiae auditu vocatione.

7. Eminebat tunc temporis inter praesentis regni caelorum maiores Henricus abbas monasterii sancti Pantaleonis[21], qui memorati et saepius memorandi viri avunculus erat. Iste carissimi sui revocationem gratanter quidem suscipiens, sed illam aequanimiter ferre nequiens, episcopi praesentiam expetiit, quid facto opus sentiret, exposuit. Pontifex sani consilii neglector fugiens apparere, litteras sigilli sui impressione bullatas Treviros maturat dirigere, ad patrem videlicet Bernardum[22], sub cuius conversabatur regimine. Ille perpendens nihil interesse, utrum ovem alienam de manu pastoris sui rapuisset, vel eo invito retinere contenderet, humilem tantae legationi praebuit assensum, quamvis non sine gravi maerore tantum gregis omitteret ornamentum. Talem adolescens monasticae vitae desiderantissimus Coloniensium passus violentiam, in sui pontificis deducitur praesentiam: a quo, ut filius, debito paternae dilectionis affectu recipitur, et propter assumtum angelicae dignitatis habitum, Henrici avunculi sui providentiae commendatur. Qui videns eum assuetae solitudinis inhaerentem studio, frequentiam audiendi et videndi causa undique concurrentium habere fastidio, urbe eductum, praeposuit cuidam sui regiminis abbatiae, no-
23 mine Gladebaco[23]. Cuius utilitatibus quam strenuam suae sagacitatis curam impenderit, nemo eorum, qui praecesserunt, credulus dubitare poterit.

8. Interea isdem vir Dei, cuius animus a terrenorum appetitu peregre erat, et sine corpore velox ad supernorum civium societatem tendebat, dudum praeconceptam aggressus est peregrinationem, Romamque petiit causa solvendi vota precum apud apostolorum confessionem. Quia vero in suis positus, unicam salutis nostrae hostiam singulis diebus assueverat immolare, ab hoc etiam inter eundum noluit desuescere. Neque enim gravis videbatur itineris dilatio, quae fiebat solo amore patriae caelestis. Factum est autem, ut nonnulli peregrinationis illius comites, humano more ad dulcia soli natalis arva suspirantes, eo paucis cum necessariis relicto abirent, quasi ex hoc expeditiorem et viam et
Rom. 9,16. reditum habituri essent. Sed frustra renisi sunt sententiae apostoli, *qui omnem profectum, non volentis neque currentis, sed miserentis*, ait, *esse Dei*. Ita enim occulta Dei voluntate profecit sancti viri dilatio, et ita illorum dilata est acceleratio, ut unius horae una omnium fuerit perventio. Nondum enim illi expediti viatores apostolorum subintrarunt limina, cum vir Dei subsequenti gradu pressit eorum vestigia; non tam verbis ostendens quam rebus, non esse in quoquam hominum viam eius. Qui expertam in hoc rerum eventu Dei omnipotentiam admirati, transacto peregrinationis negotio, in sua sunt reversi, ex illo tempore Dei hominem digno reverentiae loco habituri.

9. Herimanno autem Pelegrini successore cum vita pontificatus infulis exuto, pari
24 Coloniensium assensu substitutus est divae memoriae archiepiscopus Anno[24]. Qui cum, ut sacerdos magnus in diebus suis volens Deo placere, miro religionis ferveret amore, non minimum expendebat in constructione coenobiorum, undeunde legis Dei aemulatores aggregans inhabitationi eorum. Cetera igitur piae sollicitudinis monimenta Sigebergensis coenobii constructione decoravit, virumque saepe dictum, accepta sanctitatis eius notitia,

19) secundus, annis 1035—1056. Cfr. Chr. S. Pantal. ap. Ecc. I, 902 et Ann. Brunw. SS. I, p. 100. 20) Vide sancti Gregorii vitam per Iohannem diaconum lib. I, cap. 6. MAB. 21) annis 1052—1066. Vide Chr. S. Pantal. l. c. p. 904. 906, quae eum Heinricum vocat. 22) Error; nam inter annos 1052 et 1056, quibus haec evenisse oportet, Bernardus iam diu e vivis excesserat. 23) Gladbach in ducatu Iuliacensi. 24) 1056—1075.

loco praeponere curavit. Sed studiosum divinae contemplationis hominem, activae vitae, talibus initiis pernecessariae, videns omnino expertem, eduxit eum ad locum solitudini eius competentiorem. In proximo enim abbatia Brunwilerensis erat, quae quoniam viduata erat pastore, curam eius sancti viri commendavit providentiae[25], quam sine propositi detri- 25 mento facile posset explere.

10. Istis diebus Francia turbabatur per Berengarium Turonensem, qui asserebat eucharistiam, quam sumimus in altari, non esse revera corpus et sanguinem Christi. Unde contra eum et pro eo multum a multis et verbis et scriptis disputatum est. Adversus quem etiam exstat huius beatissimi viri epistola, ad quemdam Meginhardum abbatem Gladebacensem[26] edita, firmiter undique veritatis assertione subnixa: qui quasi filius patrem scriptis consuluit super huius quaestionis definitione. Quam licet attexere sit longum, utilitati tamen prospicientes legentium, non incongruum duximus praesenti inserere opusculo, ut ad notitiam translata posterorum, hinc eius cognita sinceritate fidei, caveant fideles aliquando huiusmodi erroribus implicari. Est autem hic modus vel textus epistolae:

Epistola sancti Wolfhelmi de sacramento eucharistiae, contra errores Berengarii.

11. *Dei gratia Wolfhelmus abbas coabbati Meginhardo salutem. Lac doctrinae spiritualis, quod a me rogasti, de caelo tibi fide et humilitate largius accumulasti. Fide, quoniam quod in me non est, credis in me posse Deum omnipotentem operari; humilitate vero, quia deficientibus meritis et sapientia, canitiem et ordinis dignitatem non abhorres in me venerari. O quam consequens est, ut dum nocet quod inebriat, pro remedio desideres quod debriat. Nocet autem quaedam ebrietas haeresis Berengarii, cuius ebrietatis periculum declinemus, et ad ubera vino meliora appropiemus. Et mox, ut eam assertionem, iuvante Christo, possimus destruere, quae clausis ianuis eum ad discipulos post resurrectionem non intrasse, nititur adstruere*[27]*; ex matris ecclesiae manans mammis lactet nos euangelium Iohannis: „Cum esset,* 27 *inquiens, sero die illo una sabbatorum, et fores essent clausae, ubi erant discipuli congregati,* Ioh. 20,19. 26. *stetit Iesus in medio.“ Et paullo inferius: „Post dies octo iterum erant discipuli eius intus, et Thomas cum eis; et venit Iesus ianuis clausis, et stetit in medio.“ Ecce inter Berengarium, quod non intraverit Dominus ianuis clausis, et inter Iohannem, quod intraverit, cum sit controversia, superat ille, cui, „Scimus“, inquienti, „quia verum est testimonium eius“, omnis applaudit ecclesia. Nam si gentilitas, dum libros claudit, his, quos recipi iudicat, applaudit: multo verius huic euangelio perhibet ecclesia testimonium, pro quo, priusquam scriberetur,* Ioh. 21,24. *praemisit orationes et ieiunium. Norit igitur Berengarius haec sibi sufficere, quibus, cum a Deo sint, non possit homo contradicere. Itaque deinceps ad id quoque, Domino iuvante, veniam, quod in eucharistiae sacramenta loquitur blasphemiam. Sed quia scriptura docet, „stulto iuxta stultitiam suam esse respondendum“: repressis interim ipsis blasphemiae verbis,* Prov. 26,45. *ad fontem eius praecurrendum, ut si Dominus dederit nos eum obstruere, desinat inde sanies huius blasphemiae ad nos defluere. Est autem vena huius scaturiginis, quod non recte sentit de sacramento dominici corporis et sanguinis: et dum ad aspiciendum in eis panem et vinum oculos corporis habet, ad perspiciendum in eisdem carnem et sanguinem oculos mentis non adhibet. Nos autem ut visum acuamus, et acuendo proficiamus, quo haec intuemur, ad obtinendam semel acceptam huius veritatis traditionem nosmet hoc modo cohortemur. Si qui dixit, et facta sunt, et mandavit, et creata sunt omnia: si is, inquam, dixit de hoc pane: „Hoc est corpus meum“, et de vino: „Hic est sanguis meus“, necesse est omnino sic esse. Nam haec sola mysteria non ab aliis sunt separata, quae dicente Deo facta sunt, vel mandante creata. Est autem unus atque idem Deus, primo mundum formans, deinde hoc sacramento suam imaginem reformans. Si enim alius faceret hominem, et alius redimeret; redimens plus honoris sibi assumeret; atque ita et Deus per se redemturus erat, et homo non nisi per se redimi poterat: quia videlicet nil homini iure redimendo proficeret, quicquid aliud quam hominem induendo Deus perficeret; ut ex hoc liquido constet, quod unus atque idem, Deus et homo, redemtor*

25) anno 1065. Cf. Ann. Brunw. SS. I, p. 100; Böhm. Font. III, 382. 26) monasterio praefuit ann. 1066—1090. Vide Eckertz und Növer die Benedict. Abtei Gladbach (Köln 1853) p. 120 sq. et Binterim et Mooren die alte Diöcese Köln III, 54. 27) Similia Guitmundus ep. Aversanus de Berengario tradit Bibl. Max. Lugd. XVIII, p. 460: *Sed quid mirum, si patrum historias Berengarius et sui despiciunt, qui euangelio etiam contradicunt, dicentes nullatenus debere credi, quod ibi legitur intrasse ad discipulos Iesum ianuis clausis.*

hominis exstet. Igitur omnino sic esse necesse est, quod, dicente Deo vel mandante, non esse non potest. Ecce novi et veteris testamenti nos haec auctoritate probamus: quibus Berengarius tertium addit, quod non minus, quam tertium de caelo cecidisse Catonem, reprobamus. Eia ergo, post duo testamenta, tertium hoc; et ideo tertium, quia ab eis alienatur, verbis ipsius au-
28 *ctoris; ita loquitur*[28]*: „Si mures consecratum corpus Christi comederint, non ideo Christus in eis, et ipsi in Christo manebunt, nec vitam aeternam habebunt". O si nunc apud inferos tortor Horatii desideat, dum hostem ecclesiae hunc verbis his derideat,*

Hor. de Arte poet. 139 *„Parturient montes, nascetur ridiculus mus."*

Putavimus[29] *hunc inter montes exaltatum, magnum quid parturire, dum ecce mures in adiutorium eius conspicimus eum de cavernis accire. Iam autem mediam hanc ironiam abrumpentes, contra Berengarium et pro nobis nosmet cohortemur, ita dicentes: Si corpus hoc, unde agitur, ab apostolis et ab omnibus electis comestum, qui soli sic illud comedunt ut Christus in eis maneat et ipsi in Christo: et non Iudas et omnes reprobi, ad quos post buccellam panis Satanas intrat, et fit longe alia conglutinatio intrantis Satanae et reproborum, quam ea, quae est Christi et electorum; — nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit — si, inquam, hoc corpus ita ab electis comestum et eis conglutinatum, illis quoque conglutinatis eidem, se sanum et incolume, vivum et integrum recipit ad Patrem: multo magis a Iuda et reprobis omnibus, plus etiam a muribus et ab aliis mundi spurcitiis, recolligitur in regnum suum sine sui diminutione vel contaminatione. Nam et sol hic visibilis, creatus et non omnipotens, radios suos in cloacas et alias mundi sordes emissos, rursus retrahit ad se sine aliqua pollutione. Hoc autem corpus, post expletam more catholico communionem, sanum et incolume, vivum et*
30 *integrum se recipit ad Patrem. Sic enim testatur ecclesia Achaiae*[30] *beatum Andream apostolum dicere: „Postquam omnis populus credentium agni carnes comederit et sanguinem biberit, agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat et vivus: et cum vere sacrificatus sit, et vere carnes eius comestae sint a populo, et vere sanguis eius sit bibitus; tamen, ut dixi, et integer permanet et immaculatus et vivus". Igitur corpus hoc ab his, quibus ille participibus particeps est, se vivum et integrum et incolume recipiens, multo magis ab his, qui eius gratiae non participant, colligit in regnum suum. Hoc interim caritati tuae puto sufficere, dum videamus, si sit opus his aliquid adiicere. Verumtamen et quod dixi, et si quid dicturus sum, tuis orationibus et omnium pie de me sentientium commendo: quoniam etsi mortui sunt obtrectatores Hieronymi, auctorem obtrectationis huiusmodi vivere perpendo.*

Taliter hic miles emeritus armis iustitiae, fide scilicet, spe et caritate munitus, perfidiam Berengarii, in acie Domini constitutus, suo loco expugnavit invictissimus. Quod quanta fecerit devotione, testantur quas fundebat orationes et lacrimae, quatenus seducti resipiscerent, catholica fides intemerata consisteret, et a recto tramite nulla pravitate infecta deviaret.

12. His ita praelibatis, vertatur stilus ad describendum, quales pro bono ecclesiae suae, Cloteno[31] videlicet nomine, pertulit labores, immo, si dici fas est, persecutiones. Quod qualiter ecclesiae collatum fuerit et ablatum, paucis videtur intimandum, quoniam non pleniter advertitur ratio, cuius ignoratur origo. Domina Richeza[32], cuius genitores[33] Brunwilerense a fundamentis exstruxerunt coenobium, fidei ac devotionis illorum aemulatrix exsistens, terrenarum possessionum suarum ecclesias Dei fecit heredes, ut regni caelestis ipsa com-
31 pos effici mereretur et heres. Tradidit itaque beato Petro in Colonia Comburg et Salevelt[34], cum universis appendiciis suis: Sancto vero Nicolao in Brunwilere villam quae dicitur Cloteno cum omnibus reditibus suis; quam traditionem, sub multarum probabilium personarum testimonio factam, praesens domnus episcopus Anno sua auctoritate corroboravit, auctorizavit, et ut per saecula inconvulsa consisteret, violatores, raptores perpetuo ana-
1063. themate dampnavit. Solvente vero domna Richeza regina mortis debitum, dum deferretur tumulanda in Brunwilerensi coenobio, uti ipsa vivens constituerat, — nam et locum sibi

28) Ex quo Berengarii libro haec desumpta sint, nescio. 29) Haec fidem facere videntur, hunc Berengarii librum paullo ante divulgatum esse; ergo post 1066 quo Meginhardus Gladbacense coenobium regendum suscepit. Quod notatu dignum est. 30) In epistola encyclica de martyrio sancti Andreae. MAB. 31) Clotten in circulo Kochemensi. Litteras hinc inde datas Köpkius noster collegit SS. XI. p. 406. Ex quibus Heinrici III charta data d. 18. Iulii (Böhm. 1620) vel d. 20. Aug. 1051 (Lacombl. N°. 186) certe spuria est. At reliquae etiam maiorem in partem suspicionem movent; qua de re alio loco disputabo. 32) Poloniae regina. 33) Vide SS. XI. p. 394. 34) SS. XI. p. 406, n. 74.

sepulturae ibidem designaverat, — iussu praedicti archiepiscopi Annonis corpus eius vi retinetur, et in ecclesia[35], quam ipse in honorem beatae Dei genitricis semper virginis 35 Mariae a fundamento erexerat, sepelitur. Quo facto, memoratum allodium Cloteno eidem contulit ecclesiae, contradicentibus illis, quibus ardore iustitiae haec erat ad videndum violentia gravis. Adeo tunc vir prudens et sollertissimus pravorum fuerat consiliis circumventus, nec repente poterat animus ab incoepto revocari, quippe cuius nutu etiam tunc disponebantur negotia regni. His ita patratis, imminente iam eius mortis articulo, gravi coepit anxiari infirmitatis incommodo. Tunc vir beatus Wolfhelmus visendi eum gratia adiens, inter consolationis verba huius rei mentionem ingerens, monuit eum pia sollicitudine hoc piaculum expiare, hanc iniustitiam eliminare, addens, nisi emendatione mutasset commissum, perniciosum eius animae imminere periculum. Cuius ille, ut erat vir mentis ingenuae, benigne suscepta admonitione, sciens eum virum iustum et sanctum, humiliter eius se commendat orationi, spondens in proximo aut idem bonum redditurum, aut aliud reciproca vicissitudine pro eodem restituturum. His exhilaratus promissionibus, gaudens remeat ad propria Domini servus. Sed, pro dolor! secus quam promiserat, accidit; nam immatura morte praeventus obiit, et cum vita in medio, quod promiserat, imperfectum de- 1075 reliquit. Igitur quae a maioribus nostris, coaevis videlicet vel discipulis beatissimi viri, comperimus, fideliter stilo percurrente digessimus: nunc quae nostris sunt acta temporibus et ipsi vidimus, in gestorum illius ordinem referamus.

13. Post excessum itaque venerabilis archiepiscopi Annonis domnus Hildolphus[36] 1075. non absque Coloniensium iniuria praesulatus obtinuit insignia. Qui super hac eadem re 1078. saepius est conventus a venerabili patre; qui praemonitus a praedicti loci congregatione respondit se nulla ratione id sanctae Dei genitrici adimere, quod tanti meriti vir pro sua contulerit devotione. Tunc vir Domini apud archiepiscopum minime se cernens proficere, per suos legatos regiam magnificentiam studuit adire, omnemque gestae rei ordinem proclamare. Tunc quartus Heinricus rex, postmodum Romanorum augustus, qui illo tempore regni monarchiam strenue gubernabat, huius rei comperta proclamatione, spondet se omnimodis affuturum iuvamine: factum quidem graviter ferre, numquam vero, quoad viveret, permissurum stabile. Animadvertens etiam famam bonitatis domni archiepiscopi Annonis hac praevaricatione legum vel iustitiae non mediocriter posse obfuscari, memor veteris amicitiae viri — ab illo quippe educatus vel nutritus fuerat — mandat domno Hildolpho eius successori, Cloteno celerius restitui cenobio Brunwilerensi. At illo nil certi ad haec respondente, sed potius de die in diem differendo tempus redimente, non ex voto consulti, sed spe frustrati, rediere legati. Tunc vir Domini, omni humano destitutus consilio, quid ageret, quo se verteret, dubius fluctuabat: sed ab eo sibi opem vel consilium flagitat, qui solus novit in periculis et necessitatibus subvenire.

14. Tunc eius incidit animo, nil praestantius, nil consultius fore, quam pontificem sedis apostolicae super hac re interpellare. Qua inspiratione animaequior factus, destinat velociter legatos ad apostolicum, tunc forte consistentem in confinibus Alpium[37]. Qui ubi 37 coram senatus primoribus et Romanae ecclesiae iudicibus ad liquidum verbis papae exposuere singula, quae ab archiepiscopo Annone de Cloteno saepius memorato gesta fuere, omnium mentes et corda stupor apprehendit cum admiratione non modica. Tunc domnus papa Hildebrandus, qui et Gregorius, ex auctoritate beati Petri apostoli per epistolas[38] suas denuntiat domno Hildolpho eius successori, ne sub specie pietatis defensor exsistens impietatis, Cloteno Brunwilerensi ecclesiae violenter ablatum, diutius patiatur irrevocatum: *Non eget*, inquiens, *o fili, Deus offerri quicquam ex iniustitia sibi: quia, ut legimus, sic ei fiunt* Eccl.34,24. *victimae ex rapina, quomodo si mactet quis filium in patris praesentia. Patratorem quidem multorum bonorum agnovimus fratrem nostrum Annonem archiepiscopum: sed tamen in hac parte minime defendendus est non errasse; dum quod beato Nicolao praeripuit, sanctae genitrici Dei gratum holocaustum aestimavit, dicente Domino per prophetam: „Quia ego Dominus* Isai. 61, 8 *diligens iudicium, et odio habens rapinam in holocausto". Nec fas est a fidelibus credi, matrem discrepare a voluntate filii: dum id prorsus constet utrisque proprium atque commune, eadem velle et eadem nolle. At tu, ne defendendo iniustitiam videaris offendere Deum, tolle de medio,*

35) sanctae Mariae ad Gradus. 36) antea Goslariensis praepositus; de quo vide Lambertum anno 1076. 37) inter Ianuarium et Iunium 1077, teste Jaffé 3786. 38) Hae litterae non reperiuntur inter Gregorianas, quae in eius Registro exstant. MAB. Cf. Jaffé l. c.

quod, alias licet bonus, hic male consultus commisit episcopus Anno: ne et illius detrimentum sit coronae, et tibi occasio culpae.

15. Huiusmodi paternis admonitionibus a sedis apostolicae auctoritate susceptis, praedicti pontificis Hildolphi magis in furorem versus est animus, quam ad iustitiam vel misericordiam provocatus. Denique convocat ecclesiae Coloniensis primores, se diffamatum et accusatum per virum Dei conquerens apud apostolicum. Tunc vir mitissimus, his humiliter renitens obiectionibus: *Proferatur,* inquit, *o domine, in medium, si placet, accusationis testimonium; si nequeo me excusare, de quibus criminor a te, tunc demum digne convincar offensam meruisse.* Episcopus itaque domni apostolici epistolam tenens prae manibus, legendam tradit in publico, aestimans per eius relationem cunctos in servi Dei armari contradictionem. Qua recitata, plures assensere nil actum dignum offensione. Quidam vero Bezelinus, domus beati Petri apostoli custos, cum aliis, quibus erat animus rem potius perturbare, quam ex aequo determinare, cum aliud non invenirent quod obtenderent, non absque suo consultu papam super hac re asserunt licuisse expetere. Dum facili responsione hanc Domini famulus obiectionem quivisset refellere, episcopi magis furentis odio, quam iusto iudicio iniuriatur, calumpniatur, conviciis quoque et contumeliis, secus quam pati dignum fuerat tantae reverentiae virum, attrectato, postremo etiam terribilibus sacramentis pastoralis curae baculum ademturum minatur. Tunc vir beatus in iniuriis patientissimus, virtute constantiae roboratus, timore nudus, adversariorum conatibus respondit intrepidus: — nesciebat quippe mens iusti pavere, quae nulla torquebatur conscientia culpae. — *Divina nos comitante clementia, non hic hodie praeiudicium veremur incurrere, puram gerentes conscientiam, totius prorsus criminationis innoxiam.* Hic sermo videtur completus, ubi dici-
Prov. 28, 1. tur, *ut leo confidere iustus.* Dum haec et his similia vir Deo plenus efficacissime loqueretur, oris gratiam mentisque constantiam omnes aemuli mirabantur: et veluti nox quaedam et tenebrae mentibus eorum infusae quid agerent, quo se verterent, dubii nutabant, dolentes se casso consumtos labore; non invenientes, qua parte eum caperent in opere et sermone.

16. In his perturbationum angustiarumque pressuris ex primoribus praecipue fave-
39 bant beato viro Bertulfus[39], vir probus, ecclesiae beati Andreae apostoli praepositus, et quidam Wigmannus de Heversbach[40], vir militaris et nobilis, sed et eloquentia insignis. Hi duo medium habentes eum, ut olim caelitus directi Machabaeum, pro defensione iustitiae non sunt reveriti iniustitiam oppugnare, adeo ut nec minis nec terroribus concuti, nec a proposito aliquo possent munere frangi. Instabant igitur viriliter ex apostolica auctoritate, precantes iudicium ecclesiae Brunwilerensi fieri iuxta mandatum et legationem apostolici. Quorum vocibus et instantia non mediocriter exacerbatus episcopus, cum gravi indignatione inquit: *Habetote vobis Cloteno: meum erit, tam et iniuriam meam vindicare, quam et utiliora pro Cloteno data recipere.* Itaque raptum ex ore eius verbum, et cum velocitate diriguntur
41 legati, idem bonum vindicaturi[41].

17. His ita patratis, iubet episcopus virum Domini apud Nussiam[42] castrum sibi occurrere, ea omnimodis intentione, ut nullo eius obsistente adiutore vel defensore facilius eum valeret pro voto deponere. Sed non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Quamdiu vero ista incubuit adversitas, tamdiu fratrum non destitit votiva caritas septem psalmorum et litaniae supplicatione Dominum incessanter exorare, ut de maerore gaudium, de tribulatione laetitiam concederet invenire. Vir itaque Domini
Ps. 117, 19. sciens tutam defensionem constare non posse per hominem, psalmista dicente: *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus;* de adiutorio Domini confisus, hilaris et gaudens iter aggreditur, quo fuerat imperatus. Perveniens igitur ad locum, non modica inopum collecta multitudine, per opera pietatis et misericordiae se Deo coepit attentius
43 commendare. Cumque in solario[43] cuiusdam domus resedissent, et vir Domini cum suis

39) Subscripsit chartae Annonis ann. 1068 et Sigewini Sax. ann. 1074—1081 Lacombl. Nº. 211 et 242. 40) Nescio an *Hemmersbach* legendum sit, quod saepius in Coloniensibus actis publicis invenitur; vid. Lacombl. I, Ind. p. 409. 41) Auctor innuere videtur, Cloteno praedium ab Hildolpho fuisse redditum. Quod equidem non crediderim. Nam teste charta anni 1090 apud Lacombl. Nº. 244, cui Wolfhelmus ipse subscripsit secundus demum Hildolphi successor, Herimannus III diuturnam hanc controversiam inter coenobia Brunwilarense et sanctae Mariae in Gradibus agitatam ita diremit, ut Brunwilarenses Cloteno retinerent, canonicis vero sanctae Mariae bona in Unkelebahc, Rigimago, Furendale et aliis locis cederent. 42) Neuss. 43) germ. *Söller.*

necessaria ministrans sollicitus circuiret, ex improviso solarium corruit, totaque illa multitudo cum viro Dei in cellarium subterraneum cadendo devenit. Quos evestigio pars non minima domus subsequens oppressit, sed ex Dei providentia, servi sui meritis, nulli laesionem intulit. Itaque exciti cives tanti sonitus fragore ocius advolant undique et non sine grandi admiratione sospites extrahunt, quos iamiamque periisse crediderunt. Quidam vero prae ceteris lapsus oppressusque periculosius, dum iam ac si mortuus defleretur ab omnibus, eductus, nulla reperitur parte corporis laesus. Sed et pincerna hominis Dei, Godecho nomine, ipsa hora bina vasa testea vino repleta prae manibus tenens, cum ruentibus pariter ruit. Sed, mirum dictu, nec sui vel vasorum vel vini pertulit effusionem. Quod factum mirabile idcirco divinae clementiae placuit demonstrare, ut panderetur mortalibus, quanti apud se meriti vir sanctus iste fuerit. At vero episcopus, qui eo illum advenire compulerat, divinitus, ut creditur, refrenatus, in nullo tunc ei valuit esse contrarius. Egit quippe hoc miro modo circa famulum suum divina provisio, ne mortalis hominis premeretur iudicio, quem tanto magnificare disposuit prodigio. Hinc non sopitum sed acrius accensum est praedicti episcopi furoris incendium; nam quamvis tunc eum siverit abire, rursus tamen Coloniam statuto die ad se iubet redire. Interea fratribus, ut supra meminimus, pro eo sollicitis in vigiliis et orationibus, adest vir Domini improvisus. Quis, quaeso, fluctus eloquentiae, quae lingua potest evolvere gaudium tunc factum in commune? Gloriabatur quippe non immerito humilitas gregis ex praesentia sui pastoris, quem Dominus glorificaverat admirandae protestatione virtutis.

18. Ea tempestate, quidam Hartmannus[44], abbas Tuitiensis[45], dum nocte quadam 44 somno indulsisset, tale vidit somnium, praesagium utique futurorum. Vidit igitur per visum virum quemdam forma egregium, vultu reverendum, episcopalibus infulis decenter ornatum, a Brunwilerensi ecclesia prodeuntem et iter Coloniam dirigentem, quem praecedentem, beatum Wolfhelmum abbatem cum fratrum caterva cernit e vestigio subsequentem, septem psalmos cum litaniis saepius modulatis vocibus iterantes. At ubi ad fores perventum est cubiculi episcopi quiescentis, fores obseratae virga praecedentis impulsae, dictu velocius sunt apertae. Quibus taliter intromissis, dux praevius stratum adiens recubantis, cum gravi requirit animadversione, cur tanta contra se temerarius praesumsisset exercere. Expleto sermone, virga, quam manu gestabat, ad ultionem iniuriae, graviter illum percussit in vertice. Itaque somno excitus abbas prae pavore, virum Domini certum reddit ex divina protectione et beati Nicolai consolatione. Nec falsum prorsus somnium exstitit vel inane, dum quod fratres in psalmis et litaniis constitit egisse, hoc illi Dominus per visum dignatus sit revelare. Adhibet etiam certam fidem visioni exhibitio operis, nam uno eodemque momento, ut hic illum vidit percuti, se sensit episcopus morbo gravari. Tali ergo modo divinitus relisa, nisu frustrata illius adversatrix intentio est: morbo quippe invalescente, post dies paucos obiit, et cathedram praesulatus Seguinus vir pius obtinuit. De his 1078. ita meminisse sufficiat: nunc se ad gestorum eius sequentia describenda articulus vertat. 1079.

19. Hic itaque Domini famulus, quae retro sunt oblitus, in anteriora se extendens totis viribus, exemplo David prophetae, dicentis: *Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum* Psal. 26, 8. *habitationis gloriae tuae*, domum Dei aggressus est adornare omni decoris varietate; quod quia devotissima mente concepit, mirifico effectu consummavit. Denique, ut breviter cuncta perstringam, eius instantia vel tempore, in varios ornatus picturae vel fabricae, seu etiam musivi operis decore, intus et extra se status exstulit Brunwilerensis ecclesiae. Textum praeterea cuiusque operis versibus expressit egregiis, ut liquido pateret inquirenti totius plenitudo materiei. Operae pretium est, illud etiam non reticere, quod singulis annis vir Domini novi ac veteris testamenti paginas ex integro faciebat legendo revolvi: quatuor vero euangeliorum libros, quoniam non eo loco vel ordine, quo reliquos, competebat expleri, statuit quatuor temporibus recurrentibus anni in quatuor plagis claustri singulos a singulis diaconibus recitari. Quod cuius fecerit utilitatis intuitu vel devotionis affectu, ex subiectis eius super utrumque testamentum compositis liquet versibus[46]. In quibus sin- 46 gulis annis, utrisque explendis non parvi pendendam annectit causam utilitatis: plurima etiam necessaria tangens, nunc personas subito decenter immutans, nunc electorum per

44) Inde ab anno 1082 usque ad a. 1090 Sigewini et Herimanni III archiepiscoporum Coloniensium chartis subscripsit. Lacomblet N°. 232. 237. 243. 244. 45) Deutz. 46) Quos omisimus.

verbera salutem denuntians, nunc scripturarum suavem gustum commendans, postremo geminam in Christo naturam generis humani medicinam declarans.

25. Exstiterat huic beatissimo viro frater germanus, Frumoldus nomine, sorores sanctimoniales duae, quarum una, Oswenda nomine, mirae simplicitatis et innocentiae fuit femina: altera vero Berta nuncupata, litterarum plurimum emicuit scientia. Haec vitam 47 beatae Adelheidis, primae Vilecensis[47] abbatissae, eleganti satis admodum stilo conscripsit, et plurimum religionis vel scientiae suae fructum in eodem loco dereliquit. De cuius praedicta sorore, domna videlicet Oswenda, nostris temporibus factum libet referre miraculum, omni sane laude, memoria et veneratione dignissimum. Quidam frater ex coenobio Brunwilerensi, Udo nomine, adeo pessima laborabat infirmitate, ut omnes cogerentur de eius desperare salute. Denique toto miserabiliter intumescente corpore, omnium membrorum amissa sanitate, trunco potius quam humano corpori videbatur similis; quodque maxime mortis indicium solet exsistere, nullum remedium illi adhibitum valuit proficere, volente, ut credimus, Domino demonstrare, quod quanto gravior morbus, tanto potentior omnipotens credendus est medicus. Cumque de solis eius ageretur exsequiis, lento sopore corripitur, videtque per somnium domnam Oswendam, iam immortalitatis luce potitam, sibi assistere, compatientisque affectu, manu totum corpus permulcendo, vim doloris lenire. Inde oratorium, iacentis lecto contiguum, ingressa, tertio flexis genibus adoravit; sicque super aegrotum signum sanctae crucis exprimens, disparuit. Ilico virtus divina est subsecuta, nam post paucos dies convaluit, integra sospitate recepta. Unde nec dubium exstitit, illo visa pandente, ipsius suffragantibus meritis, erutum illum de confinio mortis. Fuerat autem tam immanissimus languor, ut a planta pedum usque ad verticem in eo non esset sanitas: sed tota corporis cute subtracta, ac si vetere homine exutus, recenti corio cum salute est superindutus.

26. At vero praedictus beati Wolfhelmi germanus, domnus videlicet Frumoldus, armis terrenae militiae exutus, se illis implicari recusavit ulterius, ut Deo servire posset expeditius. Studium itaque peregrinationis arripiens, ne exsul caelestis fieret patriae, omni reliquo vitae suae tempore longe lateque ad promerenda sanctorum patrocinia se studuit exsiliare, uno tantum contentus servulo comite, cui tamen versa vice, ut alter Martinus, hic saepius consuevit ministrare. Quod genus divinae propitiationis illo pedibus iugiter exsequente nudis, adeo saepius vidimus eum liventes plantas habere, ut nulla ratione calceamenta valeret admittere. Erat etiam ei sollemnis consuetudo, quamdiu ad divinum in ecclesia assistebat officium, omnimodis alicuius vitare colloquium: sed stans, vel humi prostratus orans, tanta lacrymarum potiebatur ubertate, ut velut imbre perfusum madidum reliquerit pavimentum. Hanc compunctionis gratiam per divinam possidens clementiam, custodem in se reliquarum deputavit esse virtutum: quia nullum penitus ei dominari novit delictum, cuius mens sedulo compungitur ad lamentum. Quis hunc fidelissimum Domini dubitaverit servum, cuius exsecutio mandatorum tam evidens meritis illius praebet testimonium? Quamvis etenim in pace praesentis vitae consummaverit cursum, explevit tamen martyrium, satagens crucifixum habere mundum, dum carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixit, et Dominum fideliter sequens, mundo peregrinus exstitit. Hic coetibus iustorum, ut confidimus, coniunctus, in ecclesia propriae possessionis quiescit sepultus. Haec pauca prolata sufficiant ad sanctitatis testimonium beatissimi patris Wolfhelmi et Frumoldi germanorum.

48 27. Erat tunc temporis vir quidam genere nobilis, sed moribus nobilior, Burchardus[48] nomine, praefectoriae dignitatis, sed et praepotens armis, qui germanus exstitit illustris- Matth 19,21. simi viri Einehardi[49] Wiceburgensis episcopi. Hic euangelii non surdus auditor: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus; et veni, sequere me,* relictis omnibus, quae temporaliter videbatur possidere, Kanerberch, castellum suae munitionis, Domino consecrari fecit locum orationis. Taliter cum dives esse posset in mundo, pauper elegit esse cum Christo, plebeio habitu amictus sanctorum perlustrabat loca, servorum Dei sollerter requirens alloquia. Unde et ad notitiam famuli Dei Wolfhelmi deductus, maximae ab eo loco venerationis est habitus: et ut quondam animae David colligata est anima

47) Vilich. 48) Ni fallor marchio, cuius interventio in charta Heinrici IV d. 10. Febr. 1098 memoratur. Böhm. 1957. Lacomblet N°. 254. 49) Emehardum eum vocant Ann. Wirçib. SS. II, 246 et Annal. Saxo SS. VI, 726.

Ionathae, sic amor Dei confoederavit utrosque. Ex hac itaque mutuae caritatis affectione, frequenter eum solitus invisere, dulcissimos gaudebat verbi divini favos ex ore eius percipere. Mirabatur autem supra modum tantam illi caelitus concessam divini affluentiam verbi, ut quomodo ex supercrescente fluvio rivus, ita ex illius mellito gutture manaret sermo divinus. Sed quid mirum, quod semper animus fixus in caelestibus, de divinis tractare malebat subtilius? Ut ergo rei ordinem prosequamur, volens Dominus pio revelare discipulo, quanta perfectio lateret in magistro, talis ei nocturno silentio divinitus declaratur visio. Vidit igitur illum, quem tremit tartarus, colit abyssus, caelorum adorat exercitus, in quem desiderant prospicere ordines dignitatis angelicae: hunc, inquam, vidit balneo impositum, manibus et officio beatissimi Wolfhelmi reverenter foveri, ablui et detergi; ubi etiam circumstantes duodecim apostoli, adminiculum ferre videbantur ministranti. Ille igitur vir praeclarissimus caelitus sibi ostensam visionem per quemdam, Meginhardum nomine, monachum, fratrem sibi satis familiarem, ad viri Dei properavit transferre notitiam. Qui sagaci animo vim somnii discutiens, coepit diligenter investigare, quid visio haec videretur portendere. Intellexit itaque patenter se commoneri, vigilanter boni servare tenorem propositi, Christo in suis omnimodis membris ministrare, iuxta ipsius dicentis vocem: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Gaudebat autem vir Deo amabilis, summo electorum capiti se operibus placuisse pietatis: sed seriem actibus exsequi cupiens visionis, vice Domini balneum praeparatur egenti, in cuius singula peraguntur obsequia, quae visionis poposcerat ordo; quibus rite completis, toto corpore mundus et sanus egressus, ex integro novis est vestibus ornatus. A quo tempore tantam gratiam meruit obtinere, ut mirabilium quoque patrator operum mereretur exsistere.

Matth. 25, 40

28. Ipso namque tempore fuit quaedam mulier in territorio Brunwillerensi, Golda nomine, quae utrorumque luminum caecitatem se doluit incurrisse. Cumque omnium illuminatori placuisset per famuli sui merita illi subvenire, sub nocturno silentio tali perfruitur visione. Videbatur illi leviter dormienti, viro Dei Wolfhelmo missarum sollempnia celebranti assistere, et post expletionem, manuum eius ablutione oculos suos diluere, extersosque fimbriis vestimentorum eius, diu optatum lumen recepisse. Quam visionem ad nos perlatam, famulo Dei ad divina mysteria properanti humiliter suggessimus, et ut pauperculae mulieri compateretur exoravimus. Qui non assensit, hoc sui non esse referens meriti, et somniis saepe fallentibus fidem non leviter adhibendam: *Sed si est*, inquit, *haec visio ex se, secundo ac tertio Dominus eam dignetur revelare.* Itaque corde contrito et humiliato, in ieiuniis et orationibus eo constituto, eadem visio, quae mulieri primo, apparuit secundo ac tertio. Quid plura? Tandem vir Domini nostra victus est instantia, et secreto admittitur illa, ante fores ecclesiolae iussa consistere: quia non ei usus fuerat facile, nisi certa ex causa, frequentiam mulierum admittere. Itaque rite peractis missarum sollempniis, ut docuit visio, abluit, extersit, mox clare videns remeavit. Tunc vir sanctus, nolens virtute facti huius humanis favoribus attolli, memor dominicae praeceptionis, iubentis discipulis, ne quoadusque tempus compleretur resurrectionis, ordinem cuilibet panderent visionis; interdixit summopere nobis, id, illo in vita superstite, nulla ratione prodere, nulla necessitate detegere.

29. Vir itaque Domini de die in diem virtutum exuberans copia, indesinenter ad vitae caelestis suspirabat gaudia, quae iam promeruisse gaudet felix eius spiritus in Domini sui praesentia. Nam quamdiu in corpore vixit, mundum corpore, non mente, inhabitavit: ibi magis habere fixum appetens animum, ubi gaudium noverat sine fine mansurum. Unde et merito dicere valebat cum apostolo: *Nostra conversatio in caelis est.* Et illud: *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Caelestis ergo patriae incessabili flagranti amore, inter alia atque alia virtutum exercitia, tanta ei erat orationis instantia, ut quamquam omnibus floreret virtutibus, hanc tamen possidere videretur principalius. Ex cuius assiduitate haec etiam ei inolevit devotio, ut singulis annis, dum more sanctae et universalis ecclesiae ieiunium observaretur quadragesimale, non solum circumiacentia, sed et Aggrippinae Coloniae ubique sanctorum orando inviseret loca.

Phil. 3, 20.
Hebr. 13, 14.

30. At quoniam huius rei nunc incidit mentio, libet referre grande periculum, immo miraculum, quod nobis contigit redeuntibus Coloniam e Tuitio. Beati et gloriosi confessoris Heriberti sepulcrum oratum petiveramus: redituri puppim asscendimus: soluti a litore admodum prospere navigabamus. Introrsum nos unda iam longius rapuerat, dum ecce

repente intolerabili exorta tempestate, rupta quies Rheni ab imis sedibus perturbatur, undaeque in se redundantes ad instar prominentium rupium capitibus imminere videbantur in navi residentium. Sicque navis huc illucque vagis dilabitur undis, et nunc summo in fluctu pendens, nunc unda dehiscens terram inter fluctus aperit, turbatisque nautis prae pavore mortis, sonus haesit in gutture vocis. Tanto nobis vallatis periculo, virum Domini in posteriori navis parte residentem, et suo more nescio quid secreti meditantem, et eorum quae nobis evenerant prorsus ignarum, adii, et mortem omnimodis imminere nuntiavi. Qui protinus ad orationem convolans, nota praesidia, sanctorum devotissime implorat suffragia, litaniae supplicatione imposita. Dehinc cum crebra sanctae crucis obiectione, *Salvator mundi, salva nos*, coepit canere; *qui per crucem*, inquiens, *et sanguinem redemisti nos, auxiliare.* Hortatur dehinc resumtis viribus constanter remigare viros, nullo metu mortis concuti, nullum ex eis asserens periturum providentia Dei. Hac exhortatione animati, et quoniam res pro anima fuerat illis, dum fortiter ad litus tendunt, viriliter aequora scindunt. Interea miserabilis clamor utriusque sexus super litus consistentium attollitur in caelum, periculum nostrum eminus intuentium. Quid multis morer? Inter confinia positi mortis et vitae, tandem perlabimur ad locum, ubi multitudo navium latius Rheni occupaverat sinum. Quas attingentes, et ex altera in alteram transmigrantes, iuxta viri Dei vocem praeter spem evasimus omnes. Verumtamen ne dubitaretur ullo modo illius nos salvatos merito, concite id rabies Rheni fluminis divino declaravit indicio. Denique ut ille beatus pedem extra puppim extulit, paullo ante divinitus suspensis fluctibus praedae fuit: et quae prius onusta mergi non potuit, subsistere tanto viduata patrono nequivit, sed protinus, nobis cernentibus, submersa disparuit. Taliter per immensi maeroris praecipitium, meritis servi sui, maximi nobis gaudii Dominus contulit beneficium: dum et virtutum eius gratiam extulit, et quod verebamur avertit.

31. Per idem tempus quadam die cum secretorum suorum consciis oratorium, ut tunc
50 falso credebatur, Brunwillerensis parochiae in villa, Kyrchedorp[a] [50] nomine, oraturus intravit: et ecce solo prostratus carere locum sanctorum patrocinio, Spiritu sancto revelante, didicit. Qui surgens ab oratione, cum secum consistentibus accessit ad altare, et velamine subducto, cum omnia diligenti intuitu perlustrasset, nihil omnino vel sub sigillo vel rimarum fissuris, praeter nidificationes vespertilionum et telas reperit aranearum. Unde nimirum, ut par erat, mente consternatus, absque morarum dilatione Coloniensis ecclesiae praesulem adiit, illi, quae gesta fuerant, ordine exposuit. Cuius mentis dolori ille condolens, datis etiam sanctorum reliquiis, evocatum ad se direxit cum eo quemdam Hezelinum,
51 Scarnensis [51] sedis antistitem, ut sua vice praedictum locum, quia episcopii sui dioecesis erat, Deo consecraret et eius servitiis manciparet. Qui libenti animo eius obtemperans imperio, congregata multitudine fidelium, divinae religioni dedicaverunt idem oratorium: statuentes sibi duo altaria, superius quidem in honore archangeli Michaelis, inferius vero in veneratione habenda beati Martini confessoris. Hoc in facto illi nimirum cum beato Martino similis exstitit proportio virtutis, qui pari modo similiter illustratus divina revelatione, populum absolvit a diabolicae fraudis seductione, ara destructa latronis, qui in vice venerabatur martyris. His ita rite celebratis, redierunt uterque ad propria, Deum collaudantes in iubilo.

32. Illud etiam non reticendum arbitror rei gestae miraculum, quod vidimus fieri sub testimonio omnium fratrum, et est fama vulgante circumquaque notissimum. Mulier quaedam, Adelheidis nomine, variis omnium membrorum languoribus oppressa, ad beati Nicolai in Brunwillerensi coenobio limina recuperandae salutis gratia est perlata. Quae cum

a) *ita conieci;* Kyrchedoro *editt.* *Vide notam* 50.

50) *Kirihdorp, Kirchdorp, Kyrtorp, Kirchtorph,* hodie *Kirdorf* in circulo Bergheimensi, saepius memoratur in chartis Brunwilarensibus. Vide Lacombl. N°. 81. 165. 184. 185. 51) *Scardonensis* restituendum esse putat Henschenius A. SS. 22. Apr. p. 76, eo quod eius nominis sedes episcopalis sit in Dalmatia, cuius forte titulo donatus fuerit ille episcopus, quem chorepiscopum Coloniensem appellat. MAB. Qua in re vir doctus aperte erraverit. Sermo est de Acilino episcopo Scaranensi, hodie *Skara* in Gothia occidentali Sueciae, quod Adamus Brem. SS. VII, p. 378 evincit: *Post quem archiepiscopus ordinavit in illas partes quendam Acilinum, nichil ferentem episcopali nomine dignum praeter ingentem corporis staturam. Et ille quidem diligens carnis requiem, frustra mittentibus legationem Gothis, usque ad obitum suum Coloniae mansit in deliciis.* Cf. ibid. p. 366.

detrimento omnium membrorum, occultis etiam viscerum doloribus ac non ferendis cruciatibus quatiebatur, ita ut omnis generis annonae panem adeo fastidiret, ut non solum gustare, sed et vitaret attingere. Haec quidem beati Nicolai meritis celerem sospitatem recepit in membris. Verumtamen occulto Dei iudicio omnimodis, ut prius, abstinuit edulio. Dum vero post aliquot annos divinae clementiae ab hac illam placuisset infirmitate absolvere, intempestae noctis silentio tali perfruitur visu. Videbatur illi beatissimum virum Wolfhelmum panem benedixisse. et illum susceptum ab eius venerabili manu se avide comedere. Quae fidem adhibens visioni, sciens per eum his maiora posse fieri, flebilibus vocibus panem sibi ab eo obsecrat benedici. Qui renitens totis viribus, indignum se proclamat ministrum operis huius. Tunc videres animum viri Dei anxie perturbari; velle quidem misereri, sed palam id propter iactantiam favoremque nolle fieri. Attamen ne diutius videretur protrahere, quod divinitas per eum disposuerat adimplere, allatum panem benedixit, mulieri porrexit, praesentibus nobis illa comedit. Quae viri Dei meritis ex integro sanitati restituta, omni, quoad vixit, tempore ibidem ecclesiae usibus tanto commodius ac devotius studuit deservire, quanto prae aliis multiplicius ac differentius gratias sanitatum meruit obtinere. Vir autem Domini, quamquam tam praeclaris et eximiis polleret virtutibus, numquam tamen illius elationi succubuit animus, non gloriandum recolens ex virtute signorum, sed ex consortio collegii electorum. Quis vero singulatim queat referre sanitatum genera, in diversis per illum languentibus exhibita miseratione divina? Saepius enim, illo visitante, est indulta aegrotantibus salus, quod tamen ab aliquo sibi imputari prorsus non patiebatur. Sufficiant e pluribus ista fidelibus ex illius memorata virtutibus. Nunc ad referendum, qualis ei fuerit de hac vita transitus, dirigatur articulus.

33. Post innumera divinae per illum operationis patrata beneficia, volens pius Dominus servi sui consolari gemitus et suspiria, crebro dicentis cum propheta: *Quando veniam,* Psal. 42, 3.
et apparebo ante faciem Dei mei? Satiabor, dum manifestabitur gloria eius; placuit ei hoc ordine, dissolutionis suae tempus revelare. Quodam die tempore meridiano, pro consuetudine illo, non iacendo, sed sedendo dormiente, speciosissimus per visum iuvenis ei adstitit, et ut se quantocius sequi festinaret, admonuit. Qui comitatus euntem, angelico ductu ad loca perducitur amoenissima, omni decoris varietate vernantia, incomparabili lucis splendore micantia, totius etiam suavitatis odore redolentia. Ibi ostensis illi diversarum habitaculis mansionum, fidelibus nimirum a Domino promissarum, tandem in quoddam illum angelus magnae venustatis et proceritatis introduxit aedificium, cuius intus et extra contemplari iubetur diligenter ornatum; hunc sibi mansionis locum divinitus esse praenuncians destinatum: *Quem,* inquiens, *quanto studiosius ac venustius exornaveris, tanto iucundius ac felicius in perceptione illo frueris.* Taliter angelico affatu de perennis gloriae felicitate commonitus, evigilans seorsum quibusdam visum indicat fratribus, annectens procul dubio se quantocius dissolvendum. Unde miro modo animo consternati, utpote cuius semper fuerant beneficia pietatis experti, de illius merito amissione intolerabili torquebantur afflictione. Verum certius hinc colligere cupientes, diem signant, eum cum visione notantes: quem anni revoluto circulo ipsa die carnis solvi contigit ergastulo, quo caelitus ei fuerat visio oblata. Unde patuit, non phantasticam illusionem, sed veram fuisse visionem, quae tam evidenter et viri Dei dissolutionem, et caelestem ei designavit mansionem.

34. Per continuum itaque illius anni spatium, non segniter dormiendo, sed sollerter bonis operibus invigilando, Domini sui adventum exspectabat, atque conservis suis talentum sibi creditum erogabat. Tanta autem vis divini amoris cor eius penetraverat, ut etiam si nollet de Deo loqui, silere non posset. Cumque id solito instantius atque ferventius ageret, proinde nonnulli coeperunt fastidire, minusque libenter audire. Quod ille perpendens, non se a bona subtraxit intentione: sed volens eos resipiscere, illud apostoli crebra inculcabat repetitione: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Gal. 4, 19
Haec quippe dicebat, quia quos iam praedicando pepererat, reformando gemens iterum parturiebat, illud subiungens: *Mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.* Dum vero Phil 3, 1
quadam die paterna se minus cerneret admonitione proficere, Spiritum sanctum tota concipiens mente, in haec verba prorupit Amos prophetae; immo, ut potius postmodum rerum probavit eventus, ipse spiritu tactus prophetiae: *Venient,* inquit, *dies, dicit Dominus, et mit-* Amos 8, 11
tam famem in vos: non famem panis, neque sitim aquae, sed audiendi verbum Dei. Noverat procul dubio, quod sicuti fames est carnis, subtractum subsidium corporis: ita fames est

mentis, silentium vel amissio divinae collocutionis. Unde futura eis quasi iam praeterita narrans: *Noveritis*, asserebat, *quod absque dubio in quibus nunc vobis onerosus exsisto, vel fastidium genero, summo ea vobis quandoque, non tamen effectum habituris, futura desiderio.* 2 Tim. 4, 6. *Ego enim iam delibor, et tempus resolutionis meae instat.* Haec idcirco non praetereunda putavi, ne incassum prolata haec verba credantur hominis Dei: dum omne, quod locutus est, verbum aut impletum, aut in futuro non ambigamus implendum.

35. Licet autem iam ultimam duceret aetatem, nullatenus tamen propositi sui passus est infirmare rigorem, indulgentius vivendo, labore remisso. Exiguum quippe reputabat praesentis temporis laborem, ad superventurae gloriae recompensationem. Quapropter nec longaevitatem temporis, nec difficultatem causabatur laboris: sed potius omnimodis apponens labori laborem, angelicam exsequi studebat exhortationem. At vero imminente iam eius migratione, ubi se sensit repente viribus destitui, infirmitate gravari, evocatum reverendissimum abbatem coenobii beati Pantaleonis martyris, nomine Herimannum, totius honestatis et religionis virum, olei sacrati se fecit liquore perungi. Paucis dehinc evolutis diebus, primo lucis crepusculo, decimo Kalendas Maii, viam universae carnis ingressus obiit, et gaudium Domini sui feliciter introivit. Floruit autem temporibus secundi Henrici imperatoris, qui monarchiam regni obtinuit post decessum tertii Ottonis, tempore beati Heriberti, sanctae Coloniensis ecclesiae archiepiscopi, et vixit usque ad tricesimum tertium annum quarti Henrici imperatoris, cuius pater exstitit tertius Henricus, avus imperator Conradus. Transiit autem plenus dierum, omniumque profectibus operum bonorum, 1091. April. 22. anno millesimo nonagesimo primo dominicae incarnationis. Cuius obitu comperto Herimannus, tunc temporis archiepiscopus Coloniensis[52], exsequiis eius summopere satagens devotionis obsequium impendere, ad sepeliendum eum devotus occurrit. Cuius exemplo religiosorum virorum etiam turba confluxit, inter quos praecipui et illustriores habebantur abbates, Herimannus videlicet, supra memorati coenobii sancti Pantaleonis et Reginhardus 53 bonae memoriae Sigebergensis[53]; qui utrique famulum Domini summo semper coluere studio pietatis. Expletis itaque ab archiepiscopo pro eius veneranda memoria missarum sollempniis, ubi sacrosanctum corpusculum deponi debuit in sepulcrum, accedens per se, amictum amovit, quo sacer eius velabatur adspectus: et ecce, mirum dictu! cum esset iam triduanus mortuus, apparuit non defuncti more pallidus, sed roseo colore perfusus, gratia plenus, et veluti roscidulis guttis sudore respersus. Quo praeclaro viso miraculo, plerique flevere prae gaudio. Ad circumstantes vero conversus episcopus: *En*, inquit, *patres dilectissimi, quam devotus hic fuerit Domini servus, quem tanta ac talis commendat gratia vultus.* His a praesule peroratis, cum debita veneratione secus beati Petri apostoli altare decenter traditur sepulturae. Ibi suffragantibus meritis eius, fidelium exaudiuntur vota, infirmis impenduntur beneficia, praestante domino nostro Iesu Christo, cui una cum Patre et Spiritu sancto est honor, potestas et gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.

36. Itaque veluti magno mari emenso praesentis historiae pelago, iam quasi litus cernentes respiramus, dum quaedam solum de miraculis eius referenda superesse videmus. Satagendum est ergo, ut portum teneamus, cursum consummemus: quoniam sicuti solent solem obducere nubes, sic pigri desidesque scriptores, utilium rerum saepe subtrahunt cognitiones. Aggrediamur itaque referre miracula, quae post obitum eius, divina per eum sunt celebrata virtute. In territorio Brunwillerensi mulier quaedam, Wazela nomine, dum quadam die ad opus consedisset textile, tam crudeli ex improviso utrarumque manuum torqueri coepit vexatione, ut clamore dirae vocis cives cogeretur excire. Ex cuius immanitate doloris, paralysis obnoxia credebatur passioni. Subito namque adeo inutilis est reddita manibus, ut ad nullos eas valuerit usus applicare. Quo magis magisque ingravescente morbo, prae nimia doloris contritione inter manus tenentium obdormivit, et huiusmodi lenis vocis sonum dulciter audit: *Quid sopore deprimeris? Si praesenti passione carere volueris, surge velocius, et cum oblatione cerei domini Wolfhelmi adito sepulcrum. Illius enim meritis es gaudio potitura salutis.* Quae alacri fide promtaque devotione iubenti satagens obedire, ardente sepulcrum invisit cereo, nec beati patris diffidens meritis, nec dictis credere cunctata monentis. Quae ubi ad orationem procubuit, post pusillum sana surrexit, et gratias agens Deo, sospes ac laeta recessit.

52) 1088—1089. 53) Memoratur in chartis annor. 1096 et 1102 apud Lacomblet N°. 253 et 260.

37. Frater quidam ex coenobio Brunwilerensi, Heribertus nomine, post obitum beati Wolfhelmi in Daciam provinciam fuerat transmissus cum aliis quibusdam, religionis monasticae gratia, fratribus. Ubi cum aliquantisper commoratus esset, et iam reditum ei persuaderet animus, comitantibus secum viris honestis ac religiosis, iter est aggressus. Cumque ad mare pervenissent, piratis insidiantibus, et die noctuque maris sinum occupantibus, ferme per dies novem negabatur transitus. Unde nimia cordis contritione omnes pariter afflicti, ut propitius adesse dignaretur Dominus se invocantibus, intimis precabantur visceribus. Nec distulit pius Dominus suorum vota fidelium, concite largiendo subsidium. Adest namque praedicto fratri sub noctis silentio beatus Wolfhelmus per visum, in crastinum iubens accelerare transitum, mare pacatum, hostium denuntians impetum refrenatum. In memoriam vero suae liberationis, ter ternis psalmis cultor ille sanctae Trinitatis Domino vota persolvi iussit iubilationis. Taliter hostium sublata formidine, non modicum gaudium sumsere ex divina revelatione; et marinis se laeti ingerunt fluctibus, piratis minime nocere valentibus. Hoc ordine per servi sui merita ab imminentibus malorum procellis eruti, divinae gratias agunt liberationi. Quod et ab ipso fratre, qui pertulit, agnovimus, fideli narratione retulimus.

38. Eodem tempore claudus quidam, Willemannus nomine, ex villa loco Brunwilerensi contigua, Polheim[54] videlicet nuncupata, obtentu beati Wolfhelmi diu negata membrorum 54 recepit officia. Tempore quippe quadragesimali, ad locum accedens sepulcri, quo salutis arderet desiderio, cordis promebat gemitu: quo salutis ducebatur gemitu, cordis illius declarabat afflictio. Denique ad Deum tota intentione conversus, lacrymosis precabatur suspiriis, ut servi sui meritis sospitatem mereretur in membris. Nec spes fefellit, cui fides incitamentum praebuit. Citius enim dictu claruit, cuius sanctitatis vel meriti vir beatus exstiterit. Repente enim diu contracti se coeperunt extendere nervi, et venarum meatus vitalis sanguinis infusione repleri, et membra prius praemortua in pristinum vigorem restitui. Quid longius morer? Sentiens homo divinam in se operari virtutem, lento conamine assurgere nitens, quamquam adhuc nutante gressu, in pedes constitit, et quae circa se acta fuerant praesentibus fideliter disseruit. Quorum manibus sustentatus, et huc illucque deductus, ut res innotuit fratribus, magnifice laudatur et glorificatur Deus, qui in sanctis suis mirabilis est et gloriosus, faciens mirabilia solus. Ad indicium vero tanti miraculi, sustentatorii illius baculi super sepulcrum beatissimi viri multo tempore mansere suspensi.

39. Alio ferme tempore huic miraculo accidit consimile, quod quando qualiterve sit factum, libet referre. De villa Geroldeshoven[55] mulier omnimodis contracta ad saepe me- 55 moratum locum ab amicis est deducta. Haec sedulo ibidem incubans precibus, templi limina frequentabat attentius: exsistente autem sacratissima beati Petri apostolorum principis sollempnitate, et hanc cum reliquo vulgo tantis contigit interesse sollempniis. Quae largiter flens, et longa suspiria trahens, ante sepulcrum beati viri prosternitur, miseram se ac infelicem nimium conqueritur; cuius nec preces mererentur admitti, nec corporis incommoda solvi. Sed qui quondam mulieris Chananaeae, et huius voluit preces differre, ut importunum illius desiderium fidei esset experimentum. At vero quoniam beati viri meritis salvari posse non haesitavit, sed in fide postulans perseveravit, effectum meruit. Erecta quippe divinitus, exclamavit, omniumque silentium clamoribus rupit. Ubi enim ossibus ossa se coniunxere disiuncta, et nervorum contractio iuncturarum fiebat connexio, non est mirandum, quod fragilior mulieris sexus expavit animus. Exsurgens itaque a pavimento, recepto vigore, incolumis praevaluit ad propria remeare. Talibus miraculorum effectibus veraciter cum Christo se vivere mundo testatur vir iste beatus. Amen.

54) Pulheim. Cf. Lacombl. N°. 209. 241. 249.

55) Num Geroldshofen in oriente Wirciburgensis civitatis?

VITA
BENEDICTI ABBATIS CLUSENSIS.

EDENTE LUDOVICO BETHMANN,
BIBLIOTHECAE WELFERBYTANAE PRAEFECTO.

Vallis Segusina a radice montis Cenisii decurrens ubi in vastam Pedemontium planitiem sese aperit, latera eius duobus montibus terminantur praeruptis, quorum qui vallem descendenti ad dextram surgit, Pyrchirianus vocatur, qui ad sinistram, Caprasius. In hoc Iohannes quidam Ravennas cognomento Vincentius vitam solitariam degens, visione aliquando per somnia monitus in opposito monte Pyrchiriano archangelo Michaeli aediculam exstruxit, quam ipso flagitante Amizo episcopus Taurinensis consecravit constituitque „ut a suo successorumque suorum saeculari dominatu vel impedimento liber sit per saecula locus." Postmodum Ottone imperante, Hugo quidam nobilis de Arverhensium comitatu cum uxore sua ex itinere Romano huc deflectens, apud aediculam illam in summo monte coenobium construxit, idque a. 966 *monachis sancti Benedicti regulam professis tradidit. Quod monasterium, sancti Michaelis de Clusa vulgo dictum — montes siquidem illi radicibus fere iuncti Clusas istas efformant, in quibus Desiderius Carolo Magno per triduum restitit — sub primis quatuor abbatibus Aduerto* 1002, *Benedicto* 1046, *Petro* 1066, *Benedicto iuniore* 1091, *adeo effloruit, ut inter prima illo aevo merito haberetur. Sed temporum decursu cum tot aliis et hoc ruinam subiit, per abbates maxime commendatarios, inter quos et magnus ille princeps Eugenius, domitor Gallorum Turcarumque, annis* 1688 —1736 *abbatiam tenuit. Iam de tanta gloria nil superest nisi ecclesia vetustissima, mirandae audaciae, at semidiruta; claustri quod non disiecit Gallicae vastationis vesania, iam pauci religiosi ordinis de caritate dicti inhabitant.*

Fundationis historiam atque vitas abbatum Benedicti I et II sub abbate Ermengaudo conscripsit Willelmus monachus Clusanus, Benedicti II alumnus. E quibus vita Benedicti I iam intercidisse videtur; alia duo opuscula servavit codex quantum scimus unicus Vaticanus Christinae 173, *olim Petavianus, membranaceus formae minimae, ex plurium codicum fragmentis collectus, inter quae fol.* 9—62 *una manu saec. XII in. exarata continent primo Historiam fundationis monasterii Clusani, quam in Historiae Patriae Monumentis iussu Caroli Alberti editis primus emisit doctissimeque illustravit Ludovicus Provana nobilissimus eques Taurinensis. Initium operis lacerum, primo folio fere toto absciso. Sequitur in codice privilegium Paschalis II Hermengaudo abbati concessum; tunc hymni duo, quorum alter incipit* Insignis Dei famulus *alter* Aureus decor

monachorum honor; *denique Vita Benedicti II cum tribus eiusdem epitaphiis, quam primus ex hoc ipso codice edidit Mabillon Acta SS. Ben. VI*, 2, 697, *nos codice denuo excusso iterum proponimus.*

INCIPIT PROLOGUS IN VITA VENERABILIS BENEDICTI PATRIS CLUSINI CENOBII.

Willelmus famulorum Christi minimus Geraldo armario. Meminit bene fraternitas tua, Geralde karissime, quotiens fratres mei quam plurimi invitaverint parvitatem meam suis crebris ortatibus, ut de vita et actibus Benedicti iunioris quondam abbatis nostri meus aliquanta percurreret calamus: *Quare*, inquiunt, *noctes diesque stertendo*[a], *cum accommissa tibi pecunia ligata in sudario sic marces otio? Cur pateris, ut acta patris nostri egregia, sub tuis etiam oculis patrata, temporis longevitate fiant oblita, quae non ignoramus, si scriberentur, multis profutura?* Ad quos ego: *Nolite*, inquam, *fratres mei et domini, nolite me sic illudere. Ego solus novi, mei »quid valeant humeri, quid ferre recusent*[1]«. *Novi certe vires ingenioli mei, tenues satis et exiguas, cui utique parum sit eloquentiae atque minus sapientiae. Sunt complures eius alumpni in Clusino coenobio, qui me precellant peritia seu vitae merito; quorum pervigili studio hoc opus committendum non ambigo. Et tu*, inquiunt, *doctrinae illius lacte et fortium actuum solido cibo ab ipso ferme pueritiae tempore educatus, in virile iam robur evaseras; instituta disciplinae eius, sicut et nos omnes, sitibundus hauseras. Nec te patiemur aliquatenus de isto tanto duce nostro, qui nos omnes collegit, aluit, instar piae nutricis misericordiae*[b] *gremio fovit, ceu mutum et penitus elinguem reticere, qui dudum veteris Benedicti huius loci quoque abbatis studuisti gesta quaedam stilo commendare. Age igitur, age, incipe omnimoda occasione seposita; quia etsi imperitus es sermone, non tamen scientia.* His et huiuscemodi excitus rationum flatibus, dum in portu silentii et quietis securus navigo, ad subeunda honera quae mihi caritas de fraternis cordibus imperat, cui reluctari fas non est, obedientiae humerum subdo. Spero equidem ipsius obedientiae remo cymbam nostri operis sic gubernari, ut tuta et illesa transeat inter Scyllam et Caribdim seva maris pericula, vitando Circeos ac Syrenarum illices cantus aure surdissima. Tuum quoque nichilominus, o Geralde, studium appulit animum meum ad scribendum, qui multos annos ceu apes prudentissima circumvolitando loca quaeque ac monasteria, non cessas deflorare melleas patrum sententias ac volumina, unde nostra compleas armaria, potioribus videlicet thesauris Cressi opibus seu gaziis opulentis Arabum, quibus augendis incubas, et sedulo custodis quasi cellas aromatum. Inter quos, domno Ermengaudo abbate iubente, placeat tibi hoc nostri libelli munusculum, licet pauperculum, admittere, quod ego in tabernaculo Domini, qui non spernit caprinos humilis confessionis pilos, studui offerre, perfuso iam vertice florida mitique canicie. Sed ne iam videar „delfinum silvis appingere, fluctibus aprum" ad ea quae de viro proposuimus accingamur; quae, tametsi abiecta videri poterunt pro dictorum inurbanitate, erunt tamen, ni fallor, accepta et cara suis discipulis, pro ipsorum factorum et materiae notissima qualitate. EXPLICIT PROLOGUS. Horat. Ep. ad Pison. 39

Contigit ex equo nomen tibi, qui Benedictus
Moribus implesti nominis officium.
Tu gregis et plebis doctor bonus ac moderator,
Iustitiae limes ac pietatis eras.
Grex tibi commissus patris exequias celebravit,
Mai postrema praetereunte die. 1091.

INCIPIT TEXTUS VITAE IPSIUS.

1. Benedictus itaque Dei famulus, patria Tolosanus, parentibus nobilitatis titulo non obscuris fuit progenitus, quos tamen ipse magis insignibus sanctae conversationis praeconiis nobilitavit, dum velut lucifer matutinus ac sydus aureum noctis umbras decutiens, astra quaeque suis loculentis radiis exuperavit. Hic cum adhuc bonae indolis esset puerulus, a patre Bernardo nomine, viro bono et christianissimo, regulari norma informandus in monasterio sancti Hylarii[2] est traditus: ubi pueritiae et adolescentiae caste et sobrie vivendo annos exegit, intentusque divinis necnon et secularis litteraturae studiis, sub patris custodia iuvenilia corporis desideria frangendo edomuit. Sed cum tandem idem cenobium a regulari tramite aliquantisper exorbitare animadverteret, timens ne forte ordinis dissolutio remorantem paulatim in praeceps traheret, simulque accensus spiritualis profectus desiderio, ad Italiam venit: ubi ab abbate[3] monasterii sancti Michaelis, quod in ipsis Italiae faucibus summus vertex Pyrchiriani montis specie ac religione venerandum cunctis ostendit gentibus, benigne susceptus est. Cepit itaque in dies virtutum exercitio magis magisque in Deum proficere, morum lenitate et affabilitate in amorem sui cunctorum animos mirum in modum accendere, divinae philosophiae rivulos inhianter haurire; certare cum adolescentibus de subiectione, cum iuvenibus ipse iuvenis de fortitudine, cum senibus ipse maturus de[c] gravitate; et cum forte omnes honestatis et utilitatis gratia anteiret, eque tamen omnibus carus, nulli invidiae fomitem ministrare. Unde factum est, ut merito fratribus cunctis annitentibus et abbate iubente, ad sacerdotium promoveretur: cuius officii dignitate ita humiliter et reverenter functus est, ut sese indignum mentis iudicio semper clamitans, ratio vel post aliquot dies ad altare oblaturus accederet. Nonnumquam vero sicut postea eo praedicante didicimus, cum se missas agere in die proposuisset, exspectabat, si forte a priore illud ei

a) sternendo *cod.* b) mīc̄ę *cod.* c) *ita Mab.;* ipse uiue et grav. *cod.*

1) Horat. Ep. ad Pis. 39 sq. 2) Carcassone. MAB. 3) Petro, a. 1046–1066.

iuberetur, indubitanter credens, oblationem suam virtute obedientiae apud Deum commendari, quae scripturae testimonio holocaustomatibus iure praefertur et victimis.

1066. 2. Defuncto denique illo abbate, et adhuc manente insepulto, ne forte improba lues Taurinensis praesulis sese contra canonum et regulae sancta decreta ex more interponeret, pie et unanimiter, praesente Airaldo Bremetensi abbate, viro religionis ac sapientiae titulo id temporis famosissimo, omnium fratrum conclusit coetus de patris electione sub aspectu archangeli sui pii tutoris simpliciter acturus. Tunc lecto in abbatis ordinatione regulae capitulo et a praefato abbate clare aperteque exposito, alii alium, ut assolet, acclamare, alii alium. Quidam quidem Bertramnum quendam Cumiliacensem, qui et satis homo humanus, et benignus erat, plurimum quoque habens religionis zelum, et secularem scientiam. Plerique vero Aicium priorem monastici ordinis eruditissimum et disciplinae severitate insignem. Stabat autem Benedictus noster de morte patris defuncti motus, et quasi pro eius funere sollicitus. Fuerat quippe illi genere propinquus, omnes superiores sibi fratres humiliter existimans, nichilque minus quam de sui promotione animo pertractans: cum subito vota ac iudicia omnium hinc inde reducta in hunc unum conveniunt, ut ne unius quidem favor ab eo dissentiret. Una omnium voce, una sententia, quamvis clamans multumque renitens capitur, et electus ad ecclesiam cum laudibus ducitur. Haec de eius electione, quam puro intuitu iustoque ordine Dei nutu acta fuerit, paucis absolvere curavi, ut evidenter pateat lectori, vivum lapidem Dei Benedictum, et columpnam veritatis tali fundamento et base sui introitus innitentem, merito non potuisse ullis futuris tribulationum turbinibus concuti aut perturbari. Antehac enim in Italia per aliquot annos vix alicuius praelati electio audita fuerat, cui vel regia manus vel quaelibet perniciosa et secularis ambitio non surriperet. Non tamen tunc defuit solitus antiqui hostis livor et invidia. Cum enim huius tam iustae electionis non modo ecclesiae filii, verum totius Italiae marchiones et duces populique applauderent universi: solus Taurinensis pontifex Cunibertus, qui ex bonis initiis malos eventus habuit, superbiae typo intumuit. Et cum fratres electi sui consecrationem ab eo postularent, bestiali fremitu indignans, in haec verba contumeliosa et blasphemiae plena erupit: *Quis est*, ait, *iste Benedictus, quibusve ortus maioribus? qua audacia seu auctoritate vel a quibus me absente electus?* Ad haec cum fratres canonum ac regulae suae auctoritatem praetendentes dicerent, huiusmodi electionem illi non deberi, nisi forte monachi vitiosam pravamque personam ex consensu sibi praetulerint, consecrationem autem dumtaxat boni electi suam fore, tum vero satis superque confusa bile efferatus efferbuit, tumensque iurgio inquit: *Absit hoc, absit illud ius detestandum, ut per vos seu per regulam vestram, ut asseritis, iste, mihi praesertim ignotus, introeat. Mea est electio, meus erit abbas meique iuris, michi uni optemperans, familiaris, domesticus ac subditus. Sicut enim accipiter dum molles urget columbas, quam sibi voluerit, unguibus rapit; haut aliter ego repentinus inter vos expectantes superveniens, illum qui animo tantum sederit meo, quique michi cordi fuerit, accipiam, et cunctis vobis praeficiam.* Nonne his tibi paucissimis et sesquipedalibus verbis dixisse videtur: *Per me abbas intrabit, non per Christum, aliunde ascendet sicut fur et latro, ut mactet et perdat; non per hostium?* O similitudinem argutam et episcopo dignam! Insanisti tunc impos[a] mentis tuae, Chuniberte episcope, talia fando, insanisti re vera tali coturno. Apparuit his dictis qua pollebas, immo qua ampullabaris, tua crassa pinguisve Minerva. Cum enim tuam ingluviem specie et nomine accipitris figurasti, simplicium te insectatorem insontumque raptorem tali forma depinxisti. Patet igitur luce clarius, quod non aperuerit tibi hostium veritatis hostiarius, qui et Spiritus sanctus, et ideo compressus defluxit tumidus prudentiae tuae fastus, quod sermo declarabit subiectus.

3. Servus itaque Domini Benedictus, cognita episcopi vecordia et exactione irrationabili ac durissima, primo quidem tanto furori locum dare delitescendo, et honorem declinando decreverat humilitatis gratia: sed iterum atque iterum a fratribus, ut constanter ageret, et ex adverso ascendens murum pro domo Israhel opponeret, neve irruenti lupo ac diabolo cederet, utque sui misereretur admonitus, tandem diu multumque ab illis fatigatus et virtute constantiae et obedientiae animatus viriliter stetit, et quendam fratrem Bosonem nomine, qui sedem apostolicam appellet, Taurinum mittit. Qui iussa perficiens, vix inter lapides et furentis populi fustes vivus evasit. Tunc Benedictus paucis secum assumptis fratribus Romam contendit, quem episcopus cum suo quodam exercitu pro viribus persequiturus subsequitur. Quid plura? Fit conventus sacrorum pontificum et cardinalium ante dompnum Alexandrum, tunc temporis pontificem Romanum, atque Gregorium archidiaconum, posteo apostolicum. Repplicat episcopus praedicta superbiae verba, magis rethorica facundia fretus quam veritatis causa subnixus. Ad cuius orationem sacer praesulum coetus maximeque archidiaconus Gregorius vehementer admiratus sic fatur: *Quid est, episcope, quod loqueris? Ubi est sapientia tua? Tuumne dicis abbatem, tuque solius fore iuris? Qua auctoritate quaeso, aut qua ratione tuum asseris? Num possessio tua aut servus tuus est? Itane sacri canones animo exciderunt tuo? An putas nos ignorare illius loci tutelam ad Romanae ecclesiae sedem solummodo pertinere? Fundator nimirum ipsius monasterii, Hugo nomine, eiusdem loci curam beato Petro apostolo eiusque vicariis in aeternum commisit, et apostolicis privilegiis locus inde muniri promeruit.* Ipse quoque pius papa Alexander, cognita episcopi iniustitia, sic eum mitis alloquitur: *Esto pacificus, fili Cuniberte, esto benignus. Compesce mentem; turbatus est enim prae furore oculus tuus. Revoca animum ab indignatione, quam non decet aliquatenus residere in sacerdotis pectore. Iniustum certe nobis videtur et intolerabile, locum illum nostro tantum commissum praesidio ac dictioni, quamvis tuae sit diocesis, tam inique vexari.*

a) *ita Mab.*; impios *cod.*

Quapropter monemus, ut abbati iure ac regulariter electo paternum animum et affectum, ut te decet, exhibeas, atque consecrationem benigne impertias. Quod cum se facere nulla ratione, nisi alteri a se electo, durus assereret, contempta eius protervia, ne longum faciam, ex sententia et iudicio totius venerandi coetus qui aderat, Benedictus noster ab ipso Romano pontifice benedicitur et consecratur; episcopo vero interminando imperatur, ut nullam deinceps abbati seu rebus monasterii molestiam inferre audeat, nichil nisi quod canonicum et regulare est inde ulterius exigat, nisi forte ab ordinis sui statu periclitari non timeat. Qui malignae suae mentis callidus dissimulator, benigne quidem tunc respondit prout pater, illaturus plurima adversa, quae in suo versabat pectore; quae nos ad Benedicti cumulum patientiae in rerum quandoque ponemus serie.

4. Pastoris igitur suscepto regimine, quanta vigilantia illud administraverit, quam sancte et religiose quae iusta sunt faciendo et docendo vixerit, quamvis nostrae facultatis non sit evolvere, aliquo tamen pro modulo nostrae scientiae ammodo referre temptabimus, sicut audivimus et vidimus in civitate Dei nostri, in monte sancto eius. Primum itaque cum cognovisset quam plurimos congregationis fratres quibusdam novellis usibus et regulae contrariis gaudere institutionibus; ut supra firmam petram aedificaret, nisus est hanc arenam postmodum nocituram eruere, et agrum his sentibus expurgare: *Nostis,* inquit, *fratres et filii mei amantissimi, quomodo sermo divinus eos increpet, qui humanas adinventiones divinis praeferunt mandatis ac iudiciis. Unde canit propheta psalmographus*[3]: *„Et irritaverunt Deum in adinventionibus suis, et ideo multiplicata est in eis ruina: et ulciscens erat in omnes adinventiones eorum“ Ipse quoque Dominus in euangelio*[4]: *„Vae vobis, ait, pharisei, qui dereliquistis mandata Dei propter traditiones vestras;“ et Paulus*[5]: *„Qui deserentes iustitiam Dei, et suam volentes statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti.“ Itemque scriptura*[6]: *„Sine causa, ait, colunt me mandatis et doctrinis hominum.“ Quamobrem hortor fraternitatem vestram, ut postpositis quibusdam superstitionibus et humanis institutis, quae ad rem non pertinent, et a vera religione abhorrent, regulae sancti patris nostri Benedicti studiis, in qua omnis euangelica et apostolica perfectio constat, animum ad purum intendatis. Neque enim ego a Romano pontifice consecratore meo aliud nisi eandem regulam, quod praedicarem suscepi in manibus; nec michi praeceptum memini, ut diversos docerem et sectarer monasteriorum usus. In eadem quoque regula audio michi eundem patrem et ducem intonantem, et quodammodo inculcantem, et praecipue ut praesentem regulam in omnibus conservem. Et alibi quasi comminando infert: „In omnibus igitur magistram sequantur regulam, neque ab ea temere declinetur a quoquam.“ Nam si quid videtur in regula deesse, aut minus dictum, unicuique abbati iubetur temperando complendum atque ordinandum, cum ab eo dicitur: „Nos autem providemus propter pacis caritatisque custodiam, in abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterii sui“, quod etiam perfacile est in plerisque eiusdem regulae capitulis animadvertere. Non est ergo necesse in scribendis multorum monasteriorum consuetudinibus, regula quam quisque professus est neglecta, multum insudare. De hac quippe scriptum potest intelligi: „Haec via, ambulate in ea; non declinetis ab ea, neque ad dexteram, neque ad sinistram.“* Dixit, et a quibusdam ipsi regulae adiectis et quasi superfluis, in victu videlicet et vestitu ac lectis, abstinendum et parcius agendum mandavit. Quae cum quibusdam dura et importabilia viderentur, eo quod in mente veteri cogerentur nova meditari, non tamen eos omnimodo aspernatus est: sed paucis, quibus ista observanda placebant secum retentis, reliquos in cellis esse praecepit. Opinatus nempe, eos aliquando resipiscere et salutaribus institutis diuturnitate consilii assuefieri. Ipsis autem in noxio tepore perseverantibus, et quod prius tantum didicerant sacrosanctum iudicantibus, dum sese, invitati ad cenam dominicam, quodammodo conantur excusare, statuit quoslibet divites seu pauperes colligere, maximeque pueros nobilium filios enutrire, ut iacturam legionis quodammodo diminutae, ceu bonus dux, novo milite instauraret, et novello recentique iuvenum examine inventum ovium numerum non modo supplendo redintegraret, verum etiam augendo multiplicaret. His denique informandis, et ad meliora provehendis sedulus instabat praedicando, legendo et orando, opus quodlibet, ne per otium torperent, exercendo, dignas boni pastoris excubias gregi suo exhibebat. Duodecim praesertim gradus humilitatis ut unusquisque memoriae commendaret persuadebat, dicens ibidem virtutum summam constare, unde quis facile queat ad celsitudinem caelestem scandere. Sancti Serapionis collationem de octo vitiis principalibus singulos scriptam habere et imitari cogebat. Confitenti aliquod facinus tanto affectu et non sine fletu condescendebat, ac si ipse eiusdem criminis particeps esset: cui statim pro canonum auctoritate poenitentiae legem indicebat. Nec multo post, si compunctum, si humilem et quietum, et verbera Domini trementem explorando animadverteret; temperata et indulta censura canonum, sacris altaribus reconciliabat, ita tamen, ut memor sui delicti numquam plangendo fore desisteret. Vidimus fratrem fragilem, et peracta poenitentia labilem et pronum in crimine, quem ut animam suam pro ove poneret, in ecclesiam beati Benedicti quae secretior est secum duxit, ibique aliquot diebus cum eo pariter contentus pane et aqua ieiunando, psalterium devote non sine fletibus, et per singulos versus invicem flagris affectus complevit, oblationemque pro peccatis illius demum obtulit, et sic per Dei gratiam fratri non solum delicti praeteriti indulgentiam obtinuit, set — quod satius est — affectum et voluntatem peccandi ademit. Excessus ipse suos fratribus spiritualibus, aut bene notis sibi episcopis ac sacerdotibus Romam pergentibus, frequentissime humi prostratus confitebatur; et eorum iudicio elemosinarum largitionibus diluebat, cum ipse proprio corpusculo creberrime duris loris ac nodosis usque ad sanguinem non parceret. Tribus per annum quadrinis totum corpus usque ad pedes cilicio

3) Psal. 105, 29. 4) Matth. 3, 6. 5) Rom. 10, 3. 6 Isai. 29, 13.

ambibat, ieiuniis edomabat. Vestitus omni tempore cuculla et tunica et duro cingulo supercincta, velud in acie positus, nocte dormiebat. Corporis infirmitatibus magis orationum ac ieiuniorum antidoto, quam carnalis medicinae aliquo medebatur electuario, ducens indignum cuiusquam corpus Gallieni observare catarticum, quod sacramentorum potius decet esse vasculum. Sanguine vero minutus, lectione assidua carere non poterat. Peculiaribus orationibus ita operam dabat, ut raro umquam post matutinos, vel etiam in aestate, quando ocellis gratus sopor solet irrepere, quieti indulgeret; sed omnia oratorii circuiens altaria, quaesitum nocturnis vigiliis mentis vigorem ac puritatem studebat
Psal. 100, 8 custodire et augere, spiritu canens: *In matutino interficiebam omnes peccatores terrae.* Post completorium vero diu solebat orare et legere dicendo:
Psal. 131, 4. *Si dedero somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domino.* Cum adhuc essem imberbis, et adolescens sequerer eius cum lucerna vestigia, laborem tantum orationum ac vigilarium eius propter infirmam aetatem ferre nequibam; illum tamen indefessos singultus et suspiria imo latere petita emittere audiebam. Quis umquam senum aut iuvenum tam fervens fuit atque robustus in religione, quem si secum aliquandiu duceret, quodammodo victum et exhaustum suo spirituali exercitio non redderet? Oratoria monasterii, et necessaria quaeque fratribus habitacula aedificare et amplificare decreverat. Ad quod opus frequentissime, sequente fratrum et iuvenum caterva, cum silentio psallendo incurvo dorso non sine sudore lapides et cementa ferebat. Nemo aliquando ducum aut militum tantum gloriatus est in speciosis armis et fortibus equis, quantum ipse gaudebat librorum copia, immortalibus utpote animae thesauris, quibus scribendis et emendandis instabat laboribus inexhaustis et assiduis. Balneis, nisi superfundendo, non est lotus; carne et adipe, caseo et ovis non est usus; quamvis ipsius carnis edulium concederet, et ipsemet propriis manibus praepararet et incideret debilibus. Cotidianam in cibis frugalitatem huiusmodi omni tempore inconcussam tenere studuit, ut vilibus et minus esculentioribus atque insulsis cibis refectus, satietatem usquequaque caveret, vinum forte et austerum quasi venenum fugeret. Benignus et humillimus erat subditis et obedientibus, terribilis ac velud fulgur apparebat superbis et resistentibus. Memini certe, nec umquam aliqua dies hanc memoriam meo eximet animo, quam benignus michimet more pii patris occurrit revertenti ac miserrimo filio, et me fugitivum et inutilem servum, prodigumque filium et famelicum stola vestiri atque calciamentis pedes muniri iussit. Nec me inter mercenarios passus haberi, in numerum filiorum qui secum semper fuerant, quamvis inmeritum, semper ascivit, et vituli saginati epulis et gaudiis non discrevit. Unde non inmerito illi ingens a me debetur gratia; et optavi, semperque optabo, ut eius anima sedibus sublimata aethereis, nectarea suavitate et regni potiatur auctoritate, ubi me suis sanctis meritis impetret sibi sociari perhenni tempore.

5. In celebrandis vero sollempnitatibus, quam festivum se ac strenuum, ac spirituali gaudio alacrem vel ylarem ostendebat, quis digne referre sufficiat? Pridie quidem in vigiliis illorum admodum sibi in cibo et potu parcus erat, dicens primum sanctis martyribus esse compatiendum, cum quibus postmodum semper sit letandum. Exin modico sompno indulgebat, et maturius celeris a lectulo surgens, in oratione aliquantisper pernoctabat. Tunc denuo cum fratribus laudum officia ita strenue persolvere, ut inter angelos positus divinae maiestati crederetur astare. Videres illum ad psallendum et canendum sua liquida et clara voce reliquos excitare, ne quis eorum somno marceret, sedilia cum lucerna circuire; delectos et humiles cantores, quibus vox esset modulatior ad canendum, et ad legendum doctiores praeponere, adeo ut chorus eo praesente non egeret alio duce seu praecentore. Egomet hisce oculis notavi, cum peracuta et altisona voce in processionibus cantando iubilaret, lacrimas per eius ora fluere, quod paucis et nisi spiritualibus reor posse contingere. Observabat autem lectiones terminando, processionesque protrahendo, ut ad diem usque divinum opus procederet, ne quid post matutinos ad lectum revertentibus invida hostis fraude surriperet, quod castitatis flosculos suaveolentes adureret; et ita sollempne gaudium fedando a sacra communione absterreret. Iam vero in capitulo quaeque erant dicenda in crastinum differendo, non permittebat fratres vacare multiloquio: sed peracto puro et hortatorio sermone de euangelio, et mentibus auditorum sufficienter impresso, monebat ut pariter secum ante sanctam crucem sese cuncti prosternerent, et indulgentiam sibi interventu sancti festi, quod agebatur, a Deo attentius postularent. Quod unanimiter et cum lacrimosis suspiriis illis adimplentibus, primus ipse surgebat, et absolvendo eos, quantum poterat, ut ad missas agendas devote et humiliter praepararentur, et sacrosanctae reverenter eucharistiae participarent, hortabatur; sacerdotum autem nullus ante communem oblationem, ut privatam missam ageret, a choro secederet, sed uno eodemque tempore in conspectum summi Dei oblaturi in hodorem suavitatis accederent. Elemosinario quoque pauperes omnes et hospites largius solito ea die recreare imperabat, cum ipsemet nichilo minus inter ipsa missarum sollempnia gregi pauperum ad se confluenti pecuniae largiretur munera. Itaque omnibus exstructis et ordinatis ex sententia, qualiter et quam reverentissime ad sancti archangeli Michaelis venerandum altare, cui non puto in orbe reperiri simile, procedebat et astabat cum electo ministrorum ordine, cuius quantumlibet diserti eloquentia valeat exprimere? Ego nimirum — liceat concedere veris — obstupefactus in hac parte deficio. Set ne reatum incurram, si de tanta re penitus siluero, non totum, prout vidi et sentio, sed utcumque quod possum, eloquor. Cum enim divina tremebundus ageret mysteria, et in modum crucis ex more tentis brachiis in caelum defixis staret obtutibus, perfusus lacrimis ipsam divinitatem videbatur contemplari vicinius: et totus ardens amore, imis funditus concussis visceribus, inter angelos mente translatus, si fas est dici, non iam homo credi poterat, sed spiritus, et — ut pace sanctorum dicam — quodammodo alter angelus. Ita verus Dei minister semet ipsum

totum per cordis contritionem Deo incendebat in holocaustum, ipse ara, ipse sacerdos erat et sacrificium. Recolebat siquidem sepenumero quod ait beatus Gregorius de hoc tanto mysterio[7]: *Pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti filii Dei semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem caelos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena caelestibus iungi, unum quid ex visiblibus atque invisibilibus fieri? Sed necesse est, ut cum haec agimus nosmet ipsos Deo in cordis contritione mactemus: quia qui passionis dominicae mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo vere pro nobis Deo hostia erit, cum nos ipsos hostiam fecerit. Et fidenter dico, quia salutari hostia post mortem non indigebimus, si ante Deo hostia ipsi fuerimus.* Benedictus ergo quibus dominici corporis portionem tradebat, vultus eorum et mentes, prout erat possibile, inspiciebat: et si quos minime compunctos aut indignos animadvertebat, a sacramenti participio continuo arcebat. Quis denique potens aut saecularis quaelibet persona festo die virum Deo deditum et lectioni vacantem, nisi grande et inevitabile urgeret negotium, extrahere a claustris poterat? In hunc igitur modum sollempnes dies, ac potissimum ipsius Domini et intemeratae genitricis eius festa colebat, quamvis in profestis ac cotidianis diebus a missarum celebratione cessare minime noverat. Dominicae quoque annuntiationis, nativitatis, circumcisionis, apparitionis, in templum praesentationis, parentibus exhibitae subiectionis, baptismi, ieiunii, sanctae temptationis, et angelicae ministrationis, necnon et praedicationis ac miraculorum, transfigurationis itidem, passionis et mortis, resurrectionis, ascensionis, advocationisque et secundum adsumptam totius nostrae salutiferae dispensationis memoriam, cotidie pura devotione recolebat, et quinquaginta psalmos inter ista apte partiendo cum antiphonis congruis et collectis intercinebat.

6. De hospitalitate autem illius plurima dicere supervacaneum duximus, cuius re atque experientia ita factus est inclitus, ut singularem palmam illius suis obtineret temporibus, fieretque per eam cunctis in Romano fere orbe degentibus celebris ac notissimus. Nam quoniam ylarem datorem diligit Deus[8], multam animi ac vultus in adventu hospitum alacritatem praeferebat; et tunc permaxime divinitus sese visitari et quodammodo beatificari crederet, quotiens non unus tantum hospes, sed multi simul supervenissent. Hanc itaque tam liberalem humanitatis gratiam cum nullis cuiuslibet generis hominibus denegaret, domesticis fidei praesertim ac peregrinis, sicut praecipitur, speciali et humillimo affectu, sicut ipsi Christo, cum omni reverentia deserviebat: quorum frequenter multitudo, quoniam locus in Romano itinere est positus, oppido fessa et lassabunda ad eum confluebat. His nimirum quotquot erant episcopi seu cardinales Romani, canonici quoque, abbates et monachi, postquam de more cum fratribus omni officio caritatis occurrisset, praeparata habitacula et tapetibus sufficienter strata singulis apte distribuebat, et ministros lectos ac strenuos, qui ad nutum semper astando servirent, illis deputabat. Ipse vero velut succinctus hospes, huc illucque cursitando, tempore prandii omnium manibus aquam infundere festinat. Dehinc pulmentaria, prout cuiusque propositum est, copiose administrari iubet. Ipse, ne cui aliquid desit, ministros hortatur, ac circuiendo providet omnia, cupiens varia, ut dicitur, fastidia vincere coena. Hor. Sat. II, 6, 86. Procurat etiam ne turpe toral, ne sordida mappa Hor. Epist. I, 5, 22 corruget nares. Splendeat ut focus, sciphorum, ibid. I, 5, 7. lancis, et cantari esset munda suppellex. Postremo qui pridem sibi asper erat et parcus, participando mensae hospitum benigne solvebat hospitiis animum, et praesente sponso, ineptum putabat et iniustum servare solitum rigorem ieiuniorum; post eorum discessum recompensans in districtione continentiae, quicquid minus solito ipsorum causa fuerat actitatum, secundum quod scriptum est: *Non possunt* Marc. 2, 19. *ieiunare filii sponsi, quamdiu cum illis est sponsus; venient autem dies, quando auferetur ab eis sponsus et tunc ieiunabunt.* Inter epulas ipsas, amoto procul omni strepitu, aut lectio sola resonare, aut ut laetum ageret convivam, iocundum de rebus spiritualibus colloquium fieri. Quid plura? Large illis per omnia suppeditando indigentia, credere se reficere Christum, secundum illud propheticum: *Haec* Isai. 28, 12 *requies mea, reficite lassum.* Enimvero videntur quidam implere caritatis officium serviendo hospitibus per biduum aut triduum; Benedictus cum eos secum haberet per aliquot menses seu tempus annuum, quin ut verum fatear, biennium vel triennium, exhibendo tam ipsis quam equis eorum ac famulis ad usum quaeque erant necessaria, non mutabatur nec minuebatur erga eos prior benevolentia; sed inconcussum et eundem gerens animum, qualem caritatis affectum monstraverat in primordio, talem et ferventiorem gerebat in extremo. Et ne tantum videretur illis prodesse in alimentis, quosdam vestibus valde bonis, quasi suis usibus praeparatis, vestire, quibusdam equos donare, aliorum loculos nummis implere; nonnullis vero, qui omnibus his carebant, aut suis rebus nudati depraedatique in itinere fuerant, haec omnia simul largiebatur; et ita denuo laeti ac Deum benedicentes, atque eius famulo grates agentes, domum regrediebantur. Debiles quoque et diutinis per viam languoribus affecti enitebantur, quantum poterant, ut ad monasterium pertingerent quantocius, quod certi erant esse quasi asilum ac commune receptaculum omnium miserorum. Quos pater sanctus benignius refocillabat, corpusque eorum, plurima valitudine attenuatum, delicatioribus cibis atque usu balneorum usque recreabat, donec ad pristinum incolumitatis statum eos reduceret; et sic eos suo viatico et benedictione suffultos dimitteret, praecipue illos, a quibus praesentis saeculi retributionem nullam speraret. Praesens aderam, cum frater quidam, cuius nomen prudens praetereo, ante patrem Benedictum venit, et maligno mentis suae spiritu inflatus super hospitum frequentia, eo quod viderentur sibi monasterii bona quaeque absumere, ita audacter apud eum conquestus est: *Quid est hoc quod vos agitis? Quam ob rem omnium rerum*

7) Dial. IV, 58. 8) 2 Cor. 9, 7.

nostrarum copiam ignotis et advenis tam affluenter ac per multa tempora dilapidando dispergitis? Aequumne vobis videtur et integrum, ut ipsis optime ac splendide epulantibus, nos per rerum utendarum inopiam deficientes ceu famelici esuriamus? Sicut a veridicis certe accepimus, et ipsi experimento probavimus, non habent aliorum monasteriorum abbates huiuscemodi usus: sed si quis ad eos Hor Sat II, 4, 17 *vespertinus hospes advenerit, aut discedit in crastinum, aut, ut multum, forte moratur per biduum. Vos autem nil credendo hospitibus actum, cum quid supersit agendum, quicquid undecumque corradere potestis, eisdem nimis prono favore semper largiri non cessatis.* Cumque talia verba nesciens ac pusillanimis murmuratione turgidus diffidenter evomeret; vir bonus, ut erat mitis atque placidus, ad singula eius mordacia dicta nichil aliud quam 1 Petr. 4, 9. illam apostoli auctoritatem studuit opponere: *Hospitales invicem sine murmuratione.* Unde contigit, ut tam sancti apostoli auctoritate quam patientiae ipsius lenitate frater devictus, numquam deinceps prorumperet in tantos diffidentiae vel impatientiae ausus.

7. Praescriptis itaque pietatis et misericordiae operibus, quorum odore ubique flagrabat, sicut ager plenus cui benedixit Dominus, dilectus factus est Deo et hominibus: adeo ut beatae memoriae papa Gregorius, sanctorum canonum suscitator et custos integerrimus, qui pro legis Dei veritate ab Henrico perfido rege et simoniaco, et Guiberto haeresiarcha apostolicae sedis invasore innumeros perpessus est persecutionum impetus, suis eum sic attolleret ac foveret litterarum consolationibus: *Viscera sanctorum requieverunt per te, frater.* Haec de eius hospitalitate dicta sufficiant; nunc de pauperum cura et elemosinis eius paucis agamus, cuius tam vehemens illi erat studium, ut cum nefas putaret, si penes se alterius pecuniae aliquid in loculis haberet reconditum, ferebat tamen super se semper helemosinae censum, ne quando vacuus ab eo redire posset aliquis pauperum. Et quamvis a suo monasterio, ut alter Martinus, facile erui non posset; si quando tamen existentibus causis de monte descenderet, elemosyna, sicut scriptum est, quocumque ibat in manu illius sudabat; quatenus eius assidua largitione cotidianos mundaret excessus, qui frequenter solent irrepere curis familiaris rei ac negotiis secularibus. Iam vero extra monasterium positus, tutelam et curam viduarum pupillorumque et horphanorum, qui suae ecclesiae iuris erant, ad se potissimum pertinere aiebat; et ne alicuius violentia opprimerentur, anxie providebat. Vidimus sepe cum inter iudices compelleretur sedere, ipsique causidici linguas acuerent litibus, tacitum finem rei expectantem, et librum, quo carere non poterat, prae manibus habentem, lectioni magis operam dare, donec in placiti exitu necessario aliquid decerneret aut determinaret. Quis mortalium in eius praesentia nugari aut inepte ludere discinctus ut nepos praesumeret, excusso risu dissolutus aut turpi scurrilitate? Adeo integritas et severitas animi in eius venusto et gratia pleno vultu, signis decentibus erumpendo apparebat, et formosae egregiaeque personae speciosa proceritas imperiose semper et ubique eminebat, ut aspicientium oculos ad honestatis reverentiam et Dei cultum non solum invitaret, sed etiam traheret.

8. Fratres autem qui in cellis monasterii longius degebant, et quorum illi cura erat maxima, visitaturus, in primis summopere providebat tantam librorum copiam secum deferre, quae usque ad reditum sufficere posset sibi comitibusque ad pastum animae; positus vero in itinere, per aliquot horas; priusquam ab hospitio exiret, cum suis lectioni vacare. Ad quod si forte saecularium tumultus officeret, in pomeriis domus seu vineis locum amicum quieti seligere, praestolantibus ceteris, consilii agendi vel cuiuslibet rei occasione. At ubi ventum erat ad loca, quorum gratia exierat, fratrum vitam et actiones, secundum prophetam [9], fodiendo parietem inquirere et subtilissime examinare satagebat, et instructionem correctionemque necessariam subministrare. Claustra seu ceteras regulares officinas facere eos compellebat, quibusdam pauperioribus ad hoc opus sumptus praebendo, se ipsum pauperare voluit, aut per se aedificando moratus est, quoad illud opere complevit. Hortabatur magnopere, ne bini tantum aut terni, aut certe singuli manentes more Sarabaitarum vellent vivere: sed semper huiusmodi, si fieri posset, numerum excedentes, et ad monasterium seu ad cellas, in quibus maiori ordo servabatur diligentia, crebro recurrentes animarum suarum saluti sollicite consulerent. Obtestabatur per Christum, ne symoniaca aliquatenus heresi polluerentur, summaque detestatione eos abhorrebat, qui pro decimis vel ecclesiis adipiscendis, sicut moris esse solebat quibusdam monachis, vel unius oboli pretium largirentur. Cum autem causis aliquando emergentibus, ultra promissum statutumque temporis terminum moraretur, sic eum fratrum fidelibus ictus desideriis ac votis revocabat conventus: *O pie pastor et patrum maxime, iam nimium abes, maturum reditum pollicitus, iam nimis ingrata tuae sanctitatis absentia nostra plena tuae dilectionis sollicitat pectora.* Quos ipse apostoli dicto sic noverat refovere [10]: *Si qua consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem caritatem habentes, unanimes, id ipsum sitientes. Itaque, karissimi mei, sicut semper obeditis, non ut in praesentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram ipsorum salutem operamini.* Iam vero in reditu, cum adventus illius fama fratrum aures percelleret, quanto gaudio omnium corda hylarescebant, testabantur lacrimae fusae prae nimia exultatione. Taceo de pauperibus, quorum multitudine adeo tunc densabantur montis anfractus, ut vix per eos fieret transitus. Hi ergo audito nomine eius, ingenti tripudio huiusmodi dabant voces ad caelum cum lacrimis et plausibus: *Advenis tandem, pater desiderabilis, advenis. Iam reddis lucem patriae, unicum solamen dulceque praesidium, et spes tuis orphanis, contractis atque viduis.* Alii quoque applaudentes succinebant: *O utinam, pater optime et rerum tutela* [10*] *nostrarum, tibi longaeva vita donetur divinitus, quo tuis alamur elemosinis multis temporibus!* Tunc illo per montis clivos ascendente, alii prodeuntes de suis tuguriis

9) Ezech. 8, 9. 10) Philipp. 2, 1. 2. 10*) Hor. Epist. I, 1, 103.

ac mapalibus, alii infirmi suis latentes in antris seu cubilibus, nonnulli orphani sive pupilli praeeuntes ac subsequentes, velut alter Christi exercitus suo duci, omnes triumphali voce concinebant: *Benedictus qui venit pater benedictus.* At ille psallens et incedens nonnumquam pedibus discalceatis, ceu bonus opilio, prudenter discernens vultum proprii gregis, per se ipsum largiori manu dabat cunctis egenis, maxime curam gerens super caecis, debilibus atque contractis. Haec, quotiens ascendebat, operari non negligebat, ut maculas curae familiaris dilueret Domini praecepto dicentis[11]: *Date elemosinam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Forte aliquis mihi succenseat, et hoc quod texo opus, quasi vile ac sterile nulliusque momenti, eo quod signa atque miracula nulla complectatur, pronuntiet: non intelligens quemlibet sanctorum magis vera virtute animi et optimis moribus metiendum, quam miraculis, quae bonis atque malis communia esse possunt, praedicandum. Sed immerito. Haec enim quae de Dei famulo retulimus, sanctitatem efficiunt, illa tantum loquuntur: ista legentibus aedificationem, illa plerumque solam admirationem reddunt. Est quoque satius magnaeque virtutis documentum praestantius, vitia et pravae delectationis fomenta quemque ab animo pellere; et sic baiulando cotidie crucem, quodammodo semper martirem esse, quam immundorum spirituum catervas ab hominibus eicere, quod etiam multos pseudo non ignoramus posse patrare: et in aliena carne morbos diversique generis febrium cohortes extinguere, quod per herbarum etiam vires et medicinae antidota fieri liquet esse possibile. Timeat autem miraculorum appetitor et amator, quod in euangelio suis calumpniatoribus exprobrat salvator[12]: *Generatio mala adultera signum quaerit.* Idemque discipulis super miraculorum effectu gloriantibus ac dicentibus[13]: *Domine, etiam daemonia subiciuntur nobis in nomine tuo,* ait: *Nolite gloriari, quia daemonia vobis subiciuntur: sed gaudete potius et exultate, quia nomina vestra scripta sunt in caelis.* Quod autem divina miracula cessare quorumdam aliquando peccatorum enormitas faciat, exinde perpendimus, quod eadem Domino nostro, cum sit re vera omnipotens, impotentia quaedam adscribatur, cum de eo ab euangelista[14] dicitur: *Et non poterat ibi*, id est Capharnaum, *aliqua facere miracula propter incredulitatem illorum.* Et beatus papa Gregorius in suo dialogo: *Plerique*, inquit, *hodie signa non faciunt, et tamen signa facientibus dispares non sunt.* Item ipse in quadam homelia: *Signa haec in exordia ecclesiae necessaria fuerunt. Ut enim fides credentium cresceret, signis et virtutibus fuit nutrienda: quia nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam fundimus, quousque ea in terra convaluisse videamus: at si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.* Nos ergo metuentes illud unde praeco veritatis Paulus, in quo Christus loquitur, Iudeorum perfidiam causatur[15]: *Quoniam Iudei signa petunt*, et: *Signa non sunt data fidelibus, sed infidelibus;* ad perfectionem feramur, et in isto Dei famulo non signorum efficaciam quaeramus, sed robur animi, veraeque dilectionis Dei ac proximi, qua egregie insignitus est, et per quam tota lex adimpletur, decus et constantiam admiremur: quamvis et nos paramus pleraque de eo scribere, quae non usquequaque indigna ferantur admiratione.

9. Operae pretium est iam nunc adversitates illas multiplices, quas a symoniacis et scismaticis, maximeque a Chuniberto Taurinensi perpessus est, inserere, ut quoniam scriptum est: *Vasa figuli probat fornax, et homines iustos temptatio tribulationis,* Eccli. 27, 6. iste quoque diversis malorum angustiis pressus, instar auri probati ac lapidis pretiosi, ad coronam aeterni regis aptus appareat; et passus ad modicum cum sanctis, perhenni cum eis luce splendescat. Ab eo namque tempore, quo, sicut initio praefatus sum, idem Chunibertus ab Alexandro papa in mandatis accepit, quatenus, si Romanae sedis amicitiam vellet colere, Clusino monasterio solius beati Petri patrocinio olim commisso, atque eidem abbati Benedicto minime infestus esset; iniquae mentis lividus dissimulator curia digressus, dolos quos ruminabat, per rerum monstravit exitus. Cepit quippe multis oblocutionibus et abusivis iniustisque exactionibus abbatem vexando lacessere: interdum tamen, ne Romani pontificis imperium offenderet, ab iniuriis temperare. At vero praedicto papa Alexandro ex hac luce subtracto, et Gregorio archidiacono apostolatus culmen adepto, cum inter eum et regem Henricum propter simoniacam heresim excommunicatum magnum fieret discidium; tunc et Chunibertus cum aliis plerisque Italiae pontificibus, occasione scismatis reperta, regem suum secutus, et cum eo pariter anathematis vinculo innodatus, a Romanae ecclesiae communione stolidus dissiluit: et sic demum effrenatus, ad persequendam Clusinam ecclesiam, et abbatem, pro viribus animum intendit. Et prius quidem fratrum animos diversis pollicitationibus ac blandimentis suasoriis temptat corrumpere, si forte eos ab abbatis sui obedientia sive subiectione circumveniendo aliquatenus posset subvertere. Quod cum minime dolis procedit, alia via aggreditur eos expugnare, et mala quae poterat inferendo, ac messes eorum se ablaturum minitando, effecit, ut quidam e fratribus, patre Benedicto non approbante, ad eum venirent, si forte hornarum frugum ab eo usum impetrarent. Quos ubi vidit vir ventosus, ut erat mirum in modum humanae laudis avarus, signorum classe ipse karitatis expers cimbalum tinniens, mox urbem totam commovet, cunctos cives et populares suos convocat super fratrum illorum poenitentia, eo quod Benedicto quasi a se excommunicato communicaverint, illis nolentibus ad populum concionatur. Denique facit verba plena sui laude et Benedicti abiectione, subiciens canendo: *Venite, filii, audite me.* At illi fratres taliter illusi, ad monasterium sunt regressi, non sine poenitudine, quod eius participio sic fuerant taminati. Tunc Chunibertus, alter Herodes, videns quod ab illis ludibrio sit habitus, maiori indignationis et irae face succensus, suas vires exerit, hostili manu monasterii agros populatur, villas et ecclesias igni concremat, factaque multa praeda, sed non absque suorum grandi iactura, redit militum agmine lacerato ad propria. Sed Benedicto haec intrepido aspiciente, et super eius vecordia magis flente et orante,

11) Luc. 11, 41. 12) Matth. 12, 39. 13) Luc. 10, 17. 14) Marc. 6, 6. 15) 1 Cor. 1, 22. 14, 22.

Chunibertus nichilo minus cum Petro marchione coniurat, ut saepe dicto abbate a monasterio eiecto, alium sibi, pro nephas! ibidem praeponere liceat. Nec mora, et ecce uterque multo milite stipatus ad sanctum locum properat. Portae effringuntur, famulo Dei Benedicto, ut quam cito exeat, imperatur. Sed affuit plane virtus divina. Nocte enim iam imminente, dum vir Domini impavidus in oratione et Dei laudibus pernoctat, ipsi eius hostes per totum noctis spatium epulantes plus nimio sese mero ingurgitant. Mane autem facto, impulsi, credo, virtute angelica, ob quam rem venerant obliti, citato gressu exeunt, et infecto negotio nemini quicquam loquentes dilabuntur.

10. Nec multo post Chunibertus ille ad se reversus, sed divino miraculo minime conversus, marchionem adit, eumque pactis funestis impetendo, quod Benedictum a loco non pepulerit, periurii arguit. Ad quem ille: *Quid est, cerebrose, quod loqueris? Satisne sanae mentis es? Numquid locum et abbatem tuae potestati, prout pepigi, non deliberavi? Nil iam mea interest. Actum*, inquiunt, *ne agas.* Quid plura? Senex inveteratus impellit iuvenem cereum in vitium flecti multis circumventionibus; et sepe insibilando venenata consilia eius patulis auribus, urget ad facinus, per quod non dimidiando dies suos periturus erat ipse maturius. Venitur ergo quantocius ad monasterium; pellitur pater Benedictus, complurimis suorum lacrimoso suspirio comitari illum cupientibus. Et quamvis posset hostibus facile resistere Pyrchiriani montis tutela satis natura muniti et arte; maluit tamen humiliter adversario cedere, praecepto Domini di-
Matth 10,23 centis: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam;* simulque dedit locum irae, imitatus vestigia summi patris Benedicti, monachorum omnium ducis eximii, qui locum suum deseruit, circumactus similiter insidiis cuiusdam sacerdotis impii. Mansit ergo pauper et exul aliquantum temporis extra possessionem monasterii in vico qui dicitur sancti Antonini: ad quem tamen totius congregationis intendebant oculi, et de illius nutu seu dispositione pendebant, quamvis illius scelesti et sacrilegi custodes ac famuli in monte residentes, sacri altaris oblationibus diripiendis inhianter insisterent.

11. Sub eodem tempore, cum mundani strepitus quam maxime securus amicae quieti et lectionis studio operam daret, et ad intelligendas regulae quasdam sententias, quarum scrupulo non parum movebatur, ad hostium amici pulsaret, sanctus Benedictus monachorum legislator et signifer in sompnis illi apparuit. Videbatur autem illi, quod ad mensam tantus pater sederet, sibique assistenti ac ministranti vini pocula ad bibendum porrigeret. Deinde ab illa mensa surgens dicebat illi: *Fili mi, sequere me.* Cumque iussus pedetemptim praeeuntis vestigia sequeretur: *Mi pater*, aiebat, *utinam super sententiis quibusdam in regula tua positis, quas minus evidenter intelligo, me certificare digneris.* Ad quem maior Benedictus: *Si vis*, inquit, *karissime, de quibus ambigis plenius informari, et monastici ordinis perfectionem desideras adipisci, quaere tibi librum Iohannis Cassiani, qui patrum instituta ac collationes stilo prosequitur latiori.* Hac igitur visione potitus, et satis superque gavisus, quam vehemens studium postea habuit illum librum legendi, nostri testificantur oculi. Aliquantum fluxerat temporis, et cum huius visionis seriem Hugoni venerabili abbati Cluniacensi retulisset, haec ab eo audivit: *Poculum a patre nostro, cui ministrabas illum, statim secuturus accepisti; quia necesse est te, frater, calicis et passionis sanctorum compatiendo participem fieri.* Quod ita significatum, sicut tantus interpres dixit, rerum probavit exitus. Sed prius dicendum est, qualiter absque humano adminiculo idem pastor noster monasterio per Dei voluntatem sit restitutus. Quadam namque die fratrum diutinis lacrymis admonitus, solis iam abeunte curru, montis verticem paucis comitatus subiit. Cuius mox audito famoso nomine, omnis illa sacrilega manus, quae sua indigna statione et rapina locum polluebat, ingenti horrore perculsa ilico fugiendo defluxit. Petrus autem marchio, pro eo quod sanctum locum violavit, nec non et virum Deo plenum sua temeritate contristavit, post trium mensium spatium, angelica, ut credimus, ultione percussus, vitam male finivit. Chunibertus quoque super nequitiae suae ausibus non diu gloriatus est. Nam qui prius pollere videbatur sapientia et episcopali dignitate, involutus tandem Henrici superbi regis errore, ac per hoc ab apostolica dampnatus sede, quanto de celsiori gradu proruit, tanto graviori casu elisus est. Porro quoniam in reprobum sensum meritis exigentibus traditus, locum quem princeps angelorum Michael superbiae ultor promptissimus elegit, ipse irreverenter temeravit, extimplo vita privatus, nec in sepulcris patrum suorum, hoc est in sede sua[a], utpote excommunicatus, sepulturam promeruit.

12. Longum est enarrare, et lectionis prolixitas forsitan aures minus purgatas honeret, si velim explicare per singula, quot et quanta pertulit acerba bonus doctor noster ab Henrico rege eiusque complicibus simoniacis pro veritatis ac religionis constantia. Sed, ut verum paucis absolvam, quia ipse catholicam veritatem adprime colebat, et beato papae Gregorio eiusque sequacibus favebat, et caritatis largitionumque copia, ut iam pridem diximus, complacebat: propterea regiam aulam symoniaci canes videlicet paulatim hac fama atque latratibus compleverant, solum esse Benedictum, qui faceret ut suum regi detraheretur diadema, et in monasterio sancti Michaelis, quo pacto vita et regno pariter privaretur, crebra fieri conciliabula. Unde regali non parum infensus curiae, cum a dompno papa Gregorio, cui ob merita sua erat karissimus, Romam quodam tempore fuisset invitatus, eiusque colloquio fruitus ad Casinum montem properaret, idque regi post biduum compertum foret; tanto studio iussit illum persequi, ut eius impias manus nullatenus posset effugere. Multo quippe militum equorumve sudore, antequam illo perveniret capitur, trahitur, nec sine calumpnia ad regem reducitur. O qui tunc plausus, et gaudia quanta fuere! Iniquorum nempe sacerdotum, non caelestis sed terreni regis palatio excubantium, alii cruce dignum, alii ultricibus flammis concremandum,

a) tua *cod.*

nonnulli ferventissimum ferrum per eius tempora penetrando adigendum, plerique oculis caecatum in longum exilium detrudendum, ut regnum tanta sorde purgetur, adiudicant. Fit prorsus quasi insigne tropheum, communem hostem esse captum, monstruum magnumque osorem regiae salutis et suorum omnium. Has igitur verborum cruces, et plurimas id generis contumelias dirae custodiae mancipatus, suisque rebus expoliatus iam dudum mansuete tolerabat, nichilque aliud quam suprema mortis pericula ac corporis sui ludibria manebat: sed Dei nutu et archangeli providentia affuit illi praesidio Adaleidis marchisia, mulier in Dei rebus tunc bene devota, et in rerum administratione constantissima, de cuius morte multis facta praeda nostra usque hodie gemuit patria. Haec itaque, quoniam apud regem tunc temporis multum poterat, constanter ad eum intrat, et ut illum Dei famulum, qui etiam secum venerat, sibi pro sua reddat clementia humiliter supplicat. Hunc suae decus patriae, columpnam et quasi solem affirmat esse Italiae, seque reverti, nisi eo recepto, impossibile. Visum est ergo regi quod petebat durum; hanc tamen offendere ratus non esse sibi integrum, eo quod regni quodammodo claves et Longobardiae teneret aditum, quamvis invitus multumque renitens, patrem reddit Benedictum. Ereptus itaque sicut ovis a luporum sevis faucibus, et ad monasterium regressus, tanto in ieiuniis et elemosinis se in Dei rebus astrinxit, quanto extra cellam evagatus, seculi rebus atque sceleratis admixtus extitit: *Qui*[16] *tetigerit*, inquiens, *picem, coinquinabitur ab ea*; et: *Nemo*[17] *militans Deo implicat se negotiis secularibus.*

13. Mortuo autem, ut superius dictum est, Taurinensi Chuniberto, successit ei quidam Witelmus, qui, quamvis omnium quos terra sustinet moribus esset turpissimus, potuit tamen obtinere ab Henrico rege protervo copia auri, ut possideret, immo pollueret nomen episcopi. Usurpata vero episcopi dignitate, ipsa fex terrae et fruges consumere natus[18], qui prius fuerat stoicus sive ut aiunt paterinus, gaudens sorte mutata, quicquid undecumque compilare poterat ventri donabat avaro[19]. Verum nil satis erat; quippe cum quater in nocte, si bene memini, totiensque in die blaterando pastum peteret, tribus ursis quod satis esset. Is ubi bona episcopatus in fumum cineremque verterat, pauperum nostrorum rapinis gula arpiis digna rapacibus exestuabat. Talis ergo pernicies et tempestas baratrumque macelli[20] annis plurimis sanctum Dei virum, nostrumque monasterium admodum vexavit, ventrisque omasum nostrarum rerum sacrilegio et raptu farciendo, tandem ad instar utris tumidus medius crepuit, atque ita sua fece et sordibus supernas infernasque auras polluit.

14. Venerat ad monasterium et Vercellensis episcopus, aeque ipse pestis ac symoniacus; iamque presbyter illius super venerandum sancti Michaelis altare missas acturus calicem posuerat, cum iussu patris Benedicti fratres supervenientes calicem ad terram reiciunt, episcopum illum una cum suo presbitero ab altari retrahunt, et ab ęcclesia non absque iniuria eliminant. Quam rabidis tunc ille potens minis simul cum marchisia, ad cuius curiam venerat, intonuit! quae rerum dampna, vel iniurias ab illis ob hanc causam non pertulimus? Haec ideo dixi, ut ostenderem, quanta constantia vir Domini atque eius alumpni semper symoniacorum fugerint consortia, et vitaverint cautius sanguine viperino, tametsi multa Hor. Od. I, 8, 9.
ferrent incommoda hoc amore veritatis et zelo.

15. Frater quidam, quem hodie reor superstitem, plurima infirmitate laborans, in extremis positus linguae officium amiserat: sed viro Dei Benedicto cito adveniente, et illum suo nomine paterno affectu vocitante, cum minime respondisset: *Praecipio*, inquit, *tibi per obedientiam, fili Petre* — hoc enim erat ėius nomen —, *ut michi loquaris.* Ad hanc vocem oculos mox aperiens, delictorum confessionem egit, perceptisque divinis sacramentis, orante tanto patre, ocius convaluit.

16. Novimus alium mei nominis fratrem, qui dum nimis incautus super solarium mirae altitudinis temerarius incederet, lapsus est, et tanto casu omnibus pene attritis ossibus, in domum infirmorum delatus, multis quamvis balneorum usibus seu epythimorum fotus medicaminibus, iacebat desperatus. Huic iacenti quasi exanimi et dissoluto senex canicie et albis vestibus decorus in somnis visus est, dicens illi: *Surgens sequere me.* Cumque frater propter defectum suum, cuius erat sibi conscius, hesitando moram faceret, rursum senior ingeminans: *Surge*, aiebat, *surge; et hunc quo membra debilia sustentes baculum accipe.* Mane igitur facto, cum isdem aeger patri Benedicto sibi assidenti visionis huius ordinem panderet, contigit ut bonus Teutthonicus baculum fabrefactum abbati offerret. Quem idem pater infirmo baiulans: *Hic est*, inquit, *baculus tibi, fili karissime, in sompnis traditus; accipe, nichil addubites, surge.* Qui statim mirabile dictu ita erectus est, ut pedes ceterique artus sua deinceps officia strenue facerent. Tempore quodam communi utilitate fratrum admonitus in Longabardiam exierat; sed quoniam gregis sibi commissi absens etiam sollicitudinem gerebat, cum more solito post completorium lacrimosas preces quasi pro filiis holocausta Domino obtulisset, positus in cubili, coepit fratrum mores ac vitam animo secum revolvere. Tali igitur cura, ut assolet, exaestuanti, sompnus obrepsit, viditque angelum quasi succinctum et ad iter agendum praeparatum, quem interrogans: *Quid tu*, inquit, *o beate, sic intendis pergere?* Cui angelus: *Ad monasterium vado, iussu Domini correpturus quemdam fratrem impenitentem; et immemorem factum sui delicti*[a]. Simulque designat illi et nomen fratris et acti facinoris. Nec multo post tempore vir Dei ad montem regressus, invenit monachum illum angelica visione notatum, lecto gravi aegritudine decubantem; qui mox adventu eius, quem anxius opperiebatur, exultans, ut se visitaret oravit: et confessus peccatum illud, pro quo divino flagello multabatur, inditae poenitentiae et orationum eius salutari antidoto, non solum animae, sed etiam corporis cito salutem promeruit.

17. Longobardus quidam causa orationis ad Sanctum Michaelem venerat cum proprio filio; qui dum attentius agens curam orationis, cuncta oratorii circuiret altaria, accidit filium licentius vagari patris

a) dilecti *cod.*

16) Eccli. 13, 1. 17) 2 Tim. 2, 4. 18) Hor. Epist. I, 2, 27. 19) Hor. Epist. I, 15, 32. 20) Hor. Epist. I, 15, 31.

solutum custodia. Qui licet puerili rerum victus concupiscentia, de pascali cereo ante sanctum altare, ut moris est, sito, furtim portiunculas compilavit. Quod tametsi videri poterat non grande piaculum, virtus tamen archangeli istud non dimisit inultum: ut postmodum, credo, evidenter claresceret, quid faceret per fidelem suum Benedictum. Nam cum paulo post vir ille cum puero suo de monte descenderet, coepit idem puer gravi dolore illius manus, quae furti conscia erat, vexatus, totus tremere, patremque his vocibus interpellare: *Accurre, pater, accurre citus, en morior, nisi subvenis quantocius.* Cumque homo ille manum filii, totumque iam brachium valde intumescere cerneret, nimia doloris anxietate turbatus, hos ad celum displosis manibus ferebat eiulatus: *Me miserum! quid agam? Sancte angele, quid facere voluisti, ut unicum meum, quem tibi praesentaveram, sic tolleres mihi?* Recepto tamen sensu et sedatis lacrymis, sciscitatur puerum sermonibus blandis: *Care filiole, quid fecisti? Num in sanctuariis aliquid tetigisti, unde sancti archangeli celsitudinem forte offenderes?* Tum ille: *Ita est,* inquid, *de sancto eius cereo particulas quasdam mihi surripui.* Ad haec hanc causam intelligens morbi, ad sancta regressus, petendo veniam nati reatibus, lacrimosis complebat monasterium clamoribus. Quibus excitus adveniens cum fratribus vir Domini, vehementer condoluit misero homini: et facta oratione, aqua, quam mox benedixit, membra pueri dolentia ac tumida aspergit; et ita patri sanum et bene se habere clamantem filium restituit. Quanto illo bonus vir gaudio descendens tripudiavit, ex laude archangeli atque eius famuli Benedicti, et cantu, quo totum nemus resonabat, intelligi potuit.

18. Neque illud miraculum reticendum[a], quod multi qui videre, magno stupore attoniti solent enarrare. Quidam cismontanorum nobilium, dum cellas ultra montes aliquando reviseret, filium suum parvulum, qui Guigo vocabatur, tanto patri ad monasticum ordinem educandum tradiderat. Quem dum in equo effrenando nimis ac feroci a fratre sibi dato secum duceret, unus ex promptis famulis Morestinus — notus est homo — videns puerulum equi impatientis instabilitate iactatum laborare, imposuit illum in mula, ut mansuetioris animalis dorso suavius iactaretur. Ventum erat ad locum cuiusdam magnae vallis, quae Gumiasia dicitur, ubi Beza violentus amnis, exesis utrimque suis ripis, viam iter agentibus iuxta se habere non patitur. Hac igitur cogente necessitate, ascendentibus illis per arctam semitam montis secus positi, unde transeuntium per ardua oculos hyans abyssus sua altitudine potest offendere, accidit ut infans ille timore equi praeeuntis et huc atque illuc terga versantis, frenum nimis trahens, cum eadem mula, cui insidebat, in praeceps rueret, multaque harena atque lapidibus in dorso montis iacentibus secum devolutis, ad ima dilaberetur. Tunc patre Benedicto, qui non longe subsequebatur, signum crucis super cadentem frequenter faciente et orante, illuc aliunde curritur; et puer quidem mula eminus excussus, quamvis mole terrae ac saxorum obrutus et sepultus, nulla tamen alicuius lesionis signa habens invenitur, cum in sella mulae toto corpore dilaceratae ne una particula integra repериretur. Multis itaque prae gaudio flentibus, sospes omnino et incolumis abbati redditur. Quem interrogans: *Si,* inquit, *fili, aliquid doloris in aliquo membrorum sentis, dicito, confitere, vide ne mihi celes.* Cui puer: *Ego*[b] *quippe nil mali patior; quia, cum caderem, videbatur michi, quod me pater tu ipse per pannum capae meae teneres, et ut consisterem admoneres.* Talibus nimirum verbis pueruli innocentis satis compertum est, meritis tanti patris et crucis signo salutifero illum tunc fuisse salvatum. Istud itaque ingentis fuisse miraculi, si praeruptam illam abyssum cerneres, fidem tibi ipsi tui facerent oculi.

19. Venit aliquando ad conversionem miles quidam Allobros, Willelmus nomine, moribus et genere haud ignobilis; quem gratanter suo more suscepit pater insignis, reminiscens nempe illius dominici dicti[21]: *Omnis qui venit ad me, non eiciam eum foras,* omnibus saeculum fugere cupientibus laetus occurrebat, et absque divitiarum personarumve praeiudicio, cunctis misericordiae sinus pandebat. Frater igitur ille conversus instituta sanctae disciplinae sitibundo hausit pectore, et saeculi prorsus despecta vanitate, ac spiritu Domino serviens, infirmitate correptus ad extrema deductus est. Qui ab eodem patre, necnon et Herimanno cardinali, sancti praeconii viro et eruditissimo, visitatus, post sacram unctionem sanctaeque eucharistiae perceptionem, cum esset laicus et litterarum penitus ignarus, coepit tamen cum illis ita agere verbis Latinis, ac si doctus fuisset inter grammaticos tempore ineuntis aetatis. Sicque mirum in modum de spiritualibus disputando, et multorum fratrum, qui eodem anno morituri erant, finem instare praedixit, et asserens se sanctam Trinitatem e vicino contemplari, felix illa anima feliciter hominem suum exuit. Qua de re pater sanctus quam plurimum letus, non cessabat grates Deo agere, praemittens ante se ad Dominum tales animarum fructus et primitias ex suo labore.

20. Adolescens quoque fuit eius alumpnus, nomine Lantelmus, — nota res est — qui ad diaconatus ordinem nuper promotus, simplicitatis et castitatis virtute pollebat. Is etiam gravi infirmitatis molestia correptus mortis vicinae, linguae officio privatus iam dudum fuerat: et ecce subito quosdam fratres ad custodiam sibi deputatos suo indice ad se accedere significavit. Quibus propinquantibus ait[22]: *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Instantibus vero illis, quare haec dixerit ut aperiret, omnino conticuit. Transactis autem paucis horis, cum illi quasi dissoluti nescio quid garrirent, simili signo eis innuens, dixit: *O vos sacerdotes Domini facilius possetis salvari, si semper cerneretis eum quem praesentem habetis.* His dictis eodem modo siluit. Die autem iam advesperascente, Benedictus pater visere eum cupiens accurrit. Moris enim illi fuerat fratres infirmos ante omnia et super omnia, id est mane et sero, curam eorum agens visitare; et alloquens iuvenem: *Fili mi,* inquit, *moriens quare mihi nichil dicis?* Tunc adolescens oculos iam morte gravatos aperiens: *Quid vis,* ait, *pater, dicam? Morior equidem, sed mirum*

a) *deest cod., supplevit Mab.* b) ergo *cod.*

21) Ioh. 6, 37. 22) Psal. 28, 7.

valde non est, quia senex ille qui illic sedet, post triduum me sequetur. Dixit, et clausis ocellis somno piae mortis resolutus est. Senex vero ille, cuius finem prophetiae spiritu praedixit, secundum carnem pater ipsius Benedicti abbatis erat, sancta conversatione et mira simplicitate egregius, qui in crastinum cum reliquis ad monachi illius exequias ac sepulturam processit incolumis: sed mox valida febre correptus, in die tertio iuvenem suae dissolutionis praeconem ad beatam requiem, ut creditur, prosecutus est. Patri nimirum sancto, intermisso pauci temporis spatio, puer ille defunctus candida amictus dalmatica apparuit, sibique bene esse dixit. Haec non ab re scripta esse intelligit, quisquis discipulorum laudem ad magistrum referendam censens, illorum fratrum merita patri eorum etiam et doctori Benedicto non immerito ascripsit.

21. Loquebatur aliquando idem pater sepe nominatus mutuo ac familiariter, ut assolet fieri, cum quibusdam fratribus, quorum unus alacrior: *Domine, inquit, iam inalbescit caput vestrum canis.* Cui pater Benedictus: *Deo gratias. Aequum igitur est, ut Domino miserante floribus erumpentibus sui fructus succedant maturius. Sed quidni, frater, fieret? Iam equidem sum ego ferme sexagenarius. Verum unum est quod recolo, per quod Dei misericordiam me consecuturum spero. Trium namque eram annorum, quando baptismi gratiam percepi: et cum in salutari lavacro mergerer, visum est mihi non inferius ire, sed quamdiu in ipso sacro fonte fui*[a], *in alto montis*[b] *statu constitisse, unde mundum totum infra situm esset aspicere.* Haec verba habuit non multo post e saeculo migraturus, quibus forte finem vitae sibi propinquum eius quodammodo coniciebat spiritus, cuius qualitatem noster iam perstringat calamus.

22. Ante exitum vitae suae toto fere anno gravi ac dubia pulsatus est infirmitate. Cui cum medicorum alii aliter consulerent, obediebat quidem illis praesentibus: at ubi se submoverant, prae spiritus fervore quietis impatiens, et ad solitum disciplinae atque abstinentiae rigorem recurrens, corporeae necessitati minime indulgere noverat, ac per hoc recidivam molestiam facile incurrebat. Et cum paulo post meliuscule habens sublevaretur; suae item debilitatis immemor ac securus ad nocturnas conventus vigilias conabatur ascendere, subnixus trium fratrum auxilio, a dorso videlicet et utroque latere. Novissime vero cum regio morbo gravius afficeretur, quod ex hicterico et citrino colore palam fiebat, a consueta victus parcitate et qualitate corpusculo ignorabat parcere, tametsi morbus ille ob hoc, ut aiebant sibi, diceretur regius, quod regalibus cibis et delicatis ferculis asseratur curabilis. Multis autem illi succensentibus et dicentibus, adhuc illum carnis edulio posse relaxari, sic respondit: *En ego morior, et comedam carnes?* Voluit autem Dominus servum suum circa finem vitae iugi et diutina debilitate tabescere; ut si qua forte vel levioris culpae vulnera in illo manebant incurata, duro atque amaro transitu fierent medicata atque sanata. Hoc namque beatus Gregorius comprobat fieri historiae regum auctoritate, ubi leo prophetam interfecisse dicitur peccato inobedientiae, sed minime gustasse de sancto cadavere. De termino autem vitae suae, sic per visum longe ante certificatum accepimus. Videbatur videre se ipsum nudatum per mare nando ad litus pervenire, ibique inventis quibusdam paucis arborum surculis satis infirme radicatis utcumque illis haesisse. Quam visionem mihi sedulo illi excubanti per se ipsum interpretans dixit: *Per mare huius saeculi laboriosa, ut cernis, frater, infirmitate natando nudus et pauper ad finem vitae pertrahor: surculorum vero, quibus vix innitebar, radix infirma, in successoribus meis debilitatem et inconstantiam fore praesignat.* Hanc utique revelationem suum auctorem et interpretem nequaquam fefellisse nos attestamur, quicumque eius mortem heu! non bene superstites aspeximus, et navem ecclesiae nostrae paene dissolutam instabilitate ac pusillanimitate succedentium, ceu ventorum turbine, non ignoramus. His igitur et aliis huiuscemodi revelationibus edoctus, post trium ebdomadarum spatium, hora diei sexta dissolutionem corporis sui praedixit affuturam. Super qua iam non incertus, postpositis ex tunc omnino carnis suae necessitatibus, totum se erigit et obligat studiis spiritualibus. Manant cotidie ex eius ocellis lacrimarum rivuli; confitetur Aurasiaco episcopo, qui tunc nutu Dei aderat, et fratribus sua delicta. Fiunt crebrae visitationes ac missarum pro eo actiones, necnon et elemosinarum cotidianae largitiones. Personant ante eum nocte dieque psalmi seu divinae lectiones. Ipse quoque, quamvis corpore iam praemortuo ac viribus cunctis effeto, psalmos qui dicendi sunt incipit, et sepe associatur psallentibus. Postremo peracta unctione sacra, et dominica munitus eucharistia, ter illam beati Andreae antiphonam largo fletu ora rigatus prout potuit cantavit: *Domine Iesu Christe, magister bone, suscipe spiritum meum in pace, quia iam tempus est ut veniens desiderem te videre.* His et similibus piis exercitatus operibus pastor noster egregius, in vigilia sancti pentecostes tradidit Domino spiritum. Ad cuius exequias per Mai. 31.
triduum rite ac devote celebratas convenere frequentes episcopi et abbates, vicini fere omnes clerici ac monachi, catervatim quoque concurrunt laici, militum atque pagensium utriusque sexus cunei: alii fama sanctitatis acciti, plerique caritatis eius viscera et dulcedinem experti. Fletus in commune; praecipue eius alumpni rigant solum lacrimis. Cuius vel saxea pectora non moverent ad pietatem viduarum et pauperum lacrimae, quos ipse benigne solebat alere? Tantus quippe tamque uberrimus fuit omnium luctus, maximeque sanctimonialium, de morte sui patroni insolabiliter merentium, quas idem pater pro Christi amore congregaverat, ut vix in illa die funus pro densitate vulgi flentis et sese superingerentis compleri potuerit. Obiit anno vitae suae quinquagesimo octavo, pastoralis curae vicesimo quinto, ab incarnatione Domini millesimo 1091.
nonagesimo primo.

Beata plane, beata es, Clusina fratrum concio, quae tanto meruisti decorari patrono. Habes quippe prae oculis, cuius fidei sinceritatem et probos mores si digne excolueris, perhennis eius gaudii consors esse poteris. Ad sepulchrum vero illius quique languentes frequenter sanctitatis eius experiuntur

a) tui *cod. corr Mab.* b) *ita correxi* PERTZ. mentis *cod. et ed.*

insignia, si mente fideli per eius merita a Christo implorent sibi suffragia. Cuius rei testes existunt numerosi, per eum in suis valetudinibus medelam consecuti: quos certe possem introducere, nisi debito fine opus vellem claudere. Opportunius quippe est, ut tantae materiae molem plenius insinuet tuta taciturnitas, quam pinguis ingenii enervet atque extenuet procax loquacitas.

EXPLICIT.

VERSUS SUPER TUMULUM EIUS. VOX QUASI PRECANTIS.

Quisquis ad hoc nostrum te vertis forte sepulchrum,
Quis modo sim tracta, quis fuerimque nota.
Sum pulvis, factus fueram qui nomine magnus.
Tu fies similis, sis licet en viridis.
Conditio carnis mortalibus est data talis
Pro vetito pomo. . . . .
Unde roga Dominum. . . . .
Ut mihi sit requies. . . . . . .

ALIUD.

Clauderis en pulcro . . . . . . Benedicte sepulchro.
Iunctus pro meritis civibus angelicis,
Misterioque crucis te munit . . . . . . ensis
Quo spernis cunctas daemonis insidias.

Fratribus hic multis bis denis praefuit annis,
Firmavit monitis, actibus atque piis.
Postera lux Mai nostro fuit ultima patri,
Hanc sibi praevidit tutus et hac obiit.
Felix et letus in pace quietat, adeptus
Lucis solamen. Succine lector, Amen.

ITEM VERSUS DE OBITU EIUS.

Montibus in summis nituit mons celsior ipsis,
Mons nimis erectus, nimia bonitate refertus,
Ad caelum tendens, caeli de lumine splendens;
Excellens montes, emittens undique fontes.
Ut dicam verum, gestabat culmine cedrum;
Hanc vidi cedrum penetrantem vertice caelum:
Fructu pascebat cunctos, et odore replebat.
Heu miser et tristis, referam quid nunc super istis!
Mons ruit et cedrus monachorum dux Benedictus;
Montibus excelsis cecidit pater ipse Clusensis,
Non totus cecidit, quia spiritus alta petivit,
Terre terra . . . . aratur
Hunc fratres . . . . olere
Sed simul or . . . .
Ut locet he . . . . Michaelis
Sanctum sanctorum vo . . . . . suorum.
Hoc pater hoc f . . . . filius amen.

VITA WILLIHELMI ABBATIS HIRSAUGIENSIS

AUCTORE HAIMONE.

EDIDIT W. WATTENBACH PH. D.
TABULARIUS REGIUS WRATISLAVIENSIS.

Auctoritati pontificum Romanorum contra Heinricum imperatorem vires sedulo ministrabant ordines monastici, praecipue Cluniacenses, quibus intime coniuncti erant monachi coenobiorum in Alamannia constructorum. Ibi Willihelmus, Sancti Emmerammi monachus, a. 1069 *factus est abbas Hirsaugiensis, qui a.* 1077, *Bertholdo teste, Bernhardum abbatem Massiliensem in monasterio suo suscepit et per totum fere annum fovit. Eo suadente consuetudines Cluniacenses didicit et recepit, unde mox in alia multa monasteria manaverunt, quae ad normam Hirsaugiensium instituebantur. Magna sane Willihelmi abbatis, a.* 1091 *defuncti, auctoritas fuit, multumque in rebus agendis valuit. Sed de his quae summam rerum eius temporis attinent, qui vitam ipsius scripsit parum memoriae tradidit, unice casibus monasterii sui, miraculis aliisque huiuscemodi intentus. Scripsit autem mox post abbatis sui mortem, quam ipse vidit (cap.* 24); *etiam cap.* 11 *miraculosam Argentinensis canonici sanationem se ipsum vidisse affirmat. Hunc canonicum Gebehardum, Willihelmi successorem, fuisse ait Trithemius; quod si verum est, auctor multa erga hunc reverentia usus esse videtur; de eodem etiam cap.* 25 *modeste et reverenter loquitur. Putes igitur, vivente Gebehardo auctorem scripsisse, et postea demum additum esse cap.* 28. *quo idem, episcopus factus et mox defunctus, acriter vituperatur. Refert autem Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad a.* 1091 *de Haymone, quem ab hoc Gebehardo sui ipsius loco priorem constitutum esse ait, haec quae sequuntur:* Scripsit inter cetera ingenii sui opuscula vitam et miracula beati Wilhelmi supradicti abbatis: quam tamen quidam alius frater postea volens ampliare breviorem reddidit. *Et in altera Chronici editione:* Scripsit inter cetera ingenii sui opuscula vitam, conversationem et miracula sanctissimi abbatis Wilhelmi bino volumine, quod postea frater quidam abbreviavit. *Ea igitur solius Trithemii fide nituntur; habent autem speciem veritatis. Nam, ut iam dixi, caput illud* 28. *non a primo vitae scriptore manavisse videtur; immo tota illa pars quae post finem capitis* 25. *sequitur, a proprio vitae corpore commode separari potest. Praecedens autem narratio tam arida est, ut vix tibi persuadeas*

Haimonem illum, Willihelmi aequalem, ita eam scripsisse. De Friderico abbate ante eius adventum exauctorato, ne verbum quidem ibi invenimus. Tota vero narratio ita comparata est, ut praelectionis usui accommodata appareat.

Ceterum vitae auctor, quisquis is fuit, capite primo locum Bernoldi recepit; hic enim, teste ipsius autographo, res statim ut acciderunt in scripta retulit. Sub finem saeculi XII. codex Hirsaugiensis scriptus est, cuius auctor de Willihelmo dicit: De quo plura quidem possent enarrari, sed libellus de vita eius descriptus satis de his instruit lectorem. Postremo Trithemius in scribendo Chronico Hirsaugiensi et vita ea usus est et codice illo praestantissimo, multaque hinc desumpta vitae commentatoribus praebuit Iam vero ea ex ipso fonte haurire licet, quum codex Hirsaugiensis a. 1843 publici iuris factus sit[1].

Libris manuscriptis ad hanc editionem usi sumus quatuor. Sunt autem hi:

1) Monacensis Lat. 14473. olim Sancti Emmerammi E XCVI in fol. min. saec. XV. e diversis partibus compactus. Primo loco continet Passionem sancti Georgii et Vitam sancti Malachiae, auctore Bernhardo, saec. XII. scriptas; II. saec. XIV. Vitas Herhardi (Acta SS. Ian. I, 535.), Albarti (Pez Thes. II, 3, 187), Otiliae (Mab. Acta SS. III, 2. 488); III. Passionem sanctorum Eustachii et sociorum eius, Vitam sanctae Marthae, Passionem sanctae Katherinae, Vitam beati Willihelmi, Passionem beati Thomae Cantuariensis, Vitam beati Leonhardi, cum miraculis, Passionem sanctae Priscae. Haec igitur saeculo XII exeunte scripta sunt, et nostra quidem vita fol. 108—126 tam diligenter et nitide, ut hunc codicem, Monaco ex bibliotheca regia benignissime nobis transmissum, prae ceteris exprimendum duxerim, exceptis locis ubi aliorum librorum consensus contra eius auctoritatem praevaleret. Sed versus finem capitis 24. in media pagina librarium priorem alius excepit, qui partes suas multo negligentius executus est; ibi praeferendus erat codex, qui etiam in prioribus huic non multo inferior censendus est,

2) Admuntensis 712 saec. XII (Archiv X, 643). Admuntenses enim cum Gisilberto, olim Reinhersbrunnensium abbate, ordinem Hirsaugiensem susceperant, et in cod. 497. consuetudinum Cluniacensium Willihelmi iussu scriptarum exemplar servant. Uterque liber ex ipsis illis restaurati per Thiemonem archiepiscopum monasterii temporibus superesse videtur, vel saltem non multo post scriptus est, saeculo XII, quo plurimi codices Admuntensium et monachorum et sanctimonialium opera pulcherrime et accurate descripti sunt. Praestat tamen Monacensis ille, quo noster propius accedit ad textum aliquanto depravatum in Legendario Austriaco servatum.

3) Sancrucensis 13 saec. XII. exeuntis (Archiv X, 645). Hic vitiis sat multis scatet, quorum pauca tantum adnotavi; praesertim verba frequenter sunt omissa. Codicem Campoliliensem proxima cum illo affinitate coniunctum non inspexi; alium Scotorum Vindobonensium, quem Stengelius commemoravit, in splendido hoc monasterio non inveni.

4) Mellicensis M. 6. saec. XV. Hic ad Sancrucensem prope accedit, quare paucis tantum locis collatus est, pauciora inter varias lectiones commemorata.

5) Carolus Stengelius primus hanc Vitam edidit cum Vita Wilhelmi Gellonensis, Aug. Vind. 1611. 4. Usus est collectaneis Wilhelmi Wittweri, monachi SS. Udalrici et Afrae, mortui a. 1512, qui multa de sui nominis sanctis congesserat. Haec impudenter Stengelius expilavit, nulla illius mentione facta.

1) Bibliothek des Literarischen Vereins in Stuttgart. Vol. I.

Codicis, quem Wittwerus inter collectanea sua recepit, subscriptionem damus ex Placidi Braun Notitia Bibliothecae SS. Udalrici et Afrae III, 38: Explicit vita Wilhelmi abbatis Hirsaugiensis cenobii ordinis divi Benedicti, qui licet ab ecclesia nondum sit canonisatus, tamen nulli dubium quin coram Deo sanctissimus existat, quemadmodum ex supra dictis perpendi potest. Scripta finitaque per me fratrem Silvestrum diaconum et conventualem in Blauburen 1492 sabbato post festum Bartholomei apostoli. *Hunc igitur codicem Stengelius expressit, minime quidem mendorum immunem, sed qui propius ad cod.* 1. *quam ad Austriacos accedat, et frequenter illius auctoritatem confirmet.*

Stengelii editionem a. 1701 *Mabillonius repetiit, Act. SS. O. S. B. VI,* 2. 717—741, *et post eum a.* 1721 *Io. Pinius in Actis SS. Iul. II,* 148—165, *qui etiam doctis eam ornaverunt commentariis, sed ex Trithemio maximam partem haustis, quum nobis ipse codex Hirsaugiensis certiora ministraverit. Capitum divisionem, quae in libris manuscriptis desideratur, a Mabillonio institutam retinendam duximus.*

Ceterum V. Cl. Mone vulgavit (Anzeiger f. Kunde des Mittelalters 1833 *p.* 70) *fragmenta quaedam vitae Willihelmi metrice scriptae, saeculi ut videtur XII, quae artem quidem ostendunt non spernendam, sed ex hac nostra vita derivata sunt.*

INCIPIT VITA BEATI[a] WILLIHELMI ABBATIS.

1. Reverentissimus abbas Willihelmus Bawariorum prosapia, religiosis parentibus exortus[2], Christi aspirante gratia, pia indole mentis accrescebat, quae eum cunctis[b] amabilem efficiebat. 2 Puerili vero in aetate[3] ab eisdem honestis parentibus oblatus Deo[c] in monasterio sancti Emmerammi martiris, ceu prudens apis flores virtutum ex divinis scripturis et ab exemplis spiritalium seniorum carpebat, et in pectoris sui alveario recondebat. Et quamvis monasticae religionis vigor in eodem cenobio aliquantulum tepesceret[d], ipse tamen per gratiam Dei in eadem religione semper in melius proficiebat. Unde etiam ab incautis et neglegentibus oppido timebatur, a probis vero et piis ob sinceritatem et puritatem vitae nimium diligebatur. Denique divina clementia illum comitante, tanta ingenii excellentia pollebat, ut cum eminentia honestorum morum simul emineret studio variarum artium. De quibus multa monimenta sui naturalis ingenii nobis reliquit. Nam naturale horologium ad exemplum caelestis hemisperii excogitavit, naturalia solstitia sive aequinoctia et statum mundi certis experimentis invenire monstravit, quae omnia etiam[e] litteris mandare curavit[4]. Multas etiam quaestiones de compoto probatissimis rationibus enodavit. Hic in musica peritissimus fuit, multaque illius artis subtilia antiquis doctoribus incognita elucidavit[5]. Multos etiam[f] 5 errores cantibus[g] deprehensos satis rationabiliter ad artem correxit. In quadruvio sane omnibus paene antiquis videbatur praeeminere.

Bernold a. 1091.

a) venerabilis 2. b) *deest* 3. c) est deo 1. d) tabesceret 2. e) quidam eius familiaris etiam *Bern.* f) *deest* 2. g) in cantibus *Bern.*

2) Anno aetatis 65. a. d. i. 1091 defunctum tradit Trithemius. Quo pacto eum a. 1026 natum esse dicas. 3) Haimo in praefatione *ad venerabilem patrem Willelmum, in librum de amore caelestis patriae* (Mart. Coll. I, 510.) ita eum alloquitur: *postquam a mundanis et palatinis vinculis absolutus es, terrena et peritura reliquisti et ad paupertatem Christi feliciter advolasti.* His verbis, quod primus Wilthemius animadvertit, probatur, Wilhelmum iam adultum ex palatio in monasterium se recepisse. Verumtamen ipse in prologo libri de Consuetudinibus Cluniacensibus, *in primis,* inquit, *eis tradideram, quas a puero didiceram in monasterio sancti Emmerammi regularis vitae consuetudines.* Et *a puero notus et amicissimus* erat Udalrico Cellensi, patria Ratisponensi, ut hic testatur in prologo libri sui de Consuetudinibus Cluniacensibus. Putes eum apud S. Emmerammum educatum in palatium venisse, sed mox reversum, tum primum votis sollennibus sese astrinxisse. Illas S. Emmerammi consuetudines Mabillonius invenit in codice monasterii Einsidlensis, unde a. 1065 monachi Hirsaugiam venerunt. Cod. Hirsaug. p. 3. Prioris dignitate functus traditur Wilhelmus in Vita Erminoldi abb. Pruvening. sed sub Ramuoldo abbate, qui iam a. 1001 obiit. 4) De libro *Philosophia Willihelmi magistri* inscripto v. Stälin, Wirtembergische Geschichte II, 687. Editus est Basileae 1531. 4. Praefationem in Astronomica eius dedit B. Pez in Thes. VI, 1, 259. Scripta est sub figura dialogi cum O. quodam vel Otocho, quem Bernoldus ut Wilhelmi familiarem designavit. 5) Musicam eius edidit Gerbert, SS. eccles. de musica II, 154

2. Soli autem Deo placere[a] cupidus, et carnem suam cum vitiis et concupiscentiis
crucifigere aggressus, ieiuniis, vigiliis, asperitate etiam cilicii macerabat corpus. Sic ergo
fide firmatum, spe roboratum, caritate radicatum et fundatum, omnique morum probitate
1069. decoratum, providentia[b] Dei omnipotentis Hirsaugiensi[c] cenobio provisorem destinavit ad
solatium multorum. Denique fratres in eodem cenobio[d] Deo servientes, cum iam fuissent
6 rectore[e] destituti[6], dulci eius rumore delectati, honestos legatos ad eum evocandum dire-
xerunt. At ille causa cognita non se in superbiam extulit, sed ieiuniis et orationibus vacans,
iunctis aliis[f] secum spiritalibus hominibus, Domini voluntatem hac in re quaerendam
statuit. Demum accepta licentia, licet boni quique ei congratularentur de honoris praela-
tione, sibi tamen dolebant, quod carerent eius familiaritatis et affaminis praedulci solamine.
Ille vero non quaerens quae sua sunt, sed quae Domini, professus est se non aliter omnino
consensurum electioni[g], nisi prius idem cenobium integrae redderetur libertati[7]. Igitur
quia in ius proprium hoc idem monasterium Adelbertus[h] comes et advocatus eiusdem loci[i]
cum suis parentibus redegerat, et pene destruxerat, comperta viri Dei constantia et magna-
nimitate, in omnibus se[k] ei obtemperaturum simulabat. Cum eodem namque beato viro
curtem regiam adiit, ac saeculari astutia cyrographum infideliter[l] composuit, illo nil sinistri[m]
prae columbina simplicitate suspicante, regioque sigillo illud firmari impetravit. Adveniente
1071. igitur dominica ascensione, quae illo anno evenit 4. Nonas Iunii[n], convocata clericorum et
Iun. 2. laicorum multitudine, omnium communi voto hic venerandus pater electus, laudatus, et
cum nimia inundatione fletuum in sedem abbatis est collocatus. Qua dignitate suscepta,
coepit caelestis studii fervore tantómagis inardescere, quantô se cognoscebat ceteris ex-
empli gratia praelatum esse, suumque sagax studium super omnia convertit ad observatio-
nem monasticae religionis. Alacer erat in exhortando, severus in corripiendo. Nulli invi-
dus, karitate diffusus, et largitate exstitit[o] munificus. Cum gravitate dulcis ei affabilitas
inerat, per quam cordibus humanis suaviter influebat. Negotium singulorum ac si pro-
prium aestimabat[p], peregrinos et pauperes paterno affectu fovebat, saepissime exutus pro-
pria camisia aliisque vestimentis miseri artus contegebat[q].

3. Inter haec ergo[r] virtutum exercitia quadam temptatione probatus est potius quam
pulsatus. Quae probatio sibi quidem[s] ad coronam, Hirsaugiensi vero cenobio ad stabili-
mentum et munimentum profuit. Nam supradictum libertatis cyrographum infideliter con-
8 positum, secrete sibi insinuante[t] coniuge praedicti comitis[8] rescivit, et sub obtentu prae-
dictae libertatis de pristina violentia ac subiectione iniusta Hirsaugiensis claustri nichil
minutum, sed potius auctum et roboratum. Tali autem perturbatione aliquantulum motus[u]
propter statum loci, assiduis precibus et lacrimis interpellabat Dominum, ut de terrenae
potestatis iugo eriperet locum, quem pro suo amore susceperat regendum. Itaque miseri-
Ps 144, 18. cors Dominus, qui iuxta vocem psalmistae prope est omnibus invocantibus eum in veritate,
ex improviso eundem comitem tanta circumdedit adversitate, ut pene desperaret ullum
evadendi aditum se posse reperire. Ita constrictus, omni devotione consilium et auxilium
spiritalium[v] virorum expetivit. Qui dixerunt, illum[w] non aliter evasurum tanta discrimina,
nisi cum omni fide libertati redderet Hirsaugiensem[x] locum, quem iniuste possederat.
1075. Quorum consiliis acquiescens, fide integra se abdicavit omni iure proprietatis eiusdem loci;
et cyrographum cum omni diligentia secundum consilium timentium Deum componi fecit,
priori cyrógrapho penitus deleto atque abiecto[y]. Postquam autem venerandus pater Willi-
helmus proprio labore et industria novum cyrographum studiosissime composuit, ipsemet
Oct. 9. illud[z] regi Heinrico[*] regio sigillo roborandum obtulit[9].

a) placendi 3. 4. 5.? b) p. d. o. *desunt* 2. c) Hirsoug. 2. 3. *plus semel.* d) fr. ibidem 2. e) *deest* 2. f) *deest* 5. g) *deest* 2. h) adlbertus 2. i) *deest* 1. k) *deest* 3. l) *deest* 2. 3. m) *deest* 2. n) *ita* 5. Iulii *rell.* o) *deest* 2. p) estimat 2. q) *ita* 1. tegebat *rell.* r) *deest* 1. s) p. siquidem 3. s. ad c. q. 1. t) insinuandum 3. u) commotus 5. v) *deest* 3. w) eum 5. x) *ita* 5. H. 1. hunc *rell.* y) deleto 1. z) *deest* 3. *) Hainrico 1.

6) Altum silentium hic de exauctorato abbate Friderico. Hunc 1065, Dec. 4. de Einsidelen venisse, et tribus annis praefuisse, traditur in Cod. Hirs. p. 3. Wilhelmum 1069, Mai. 28. Hirsaugiam venisse, auctor est Trithemius. Consilio abbatissae cuiusdam in Norico electum, habemus infra cap. 26. 7) Alia causa protelatae ordinationis narratur in Cod. Hirs., scil. iniusta Friderici abbatis deiectio, quo mortuo demum Wilhelmus abbatiae dignitatem suscepisse traditur. De Adelberto comite cf. ibid. pag. 2. 8) cui nomen Wieldruda vel Wielicha, filiae Godefridi ducis Lotharingiae; v. Stälin l. l. I, 567. Cod. Hirsaug. p. 32. 9) Wormatiae. Novissime hoc ex autographo edidit Stälin, Wirtemberg. Urkundenbuch p. 276. Cf. Bertholdum anno 1075. SS. V, 281.

4. Quo ad votum completo, statuit etiam apostolicam sedem adire, et privilegium Hirsaugiensi cenobio secundum scita canonum acquirere. Deinde[a] iter aggressus, prospero cursu Romam venit. Ibi a domno apostolico beatae memoriae Gregorio benigne susceptus, cognitis causis quarum gratia illo advenerat, libentissime prout competebat annuit. Nam privilegium apostolica auctoritate plenum sibi contradidit, et ob munimentum Hirsaugiensis[b] cenobii cyrographum unum ab eodem receptum in scrinio Sancti Petri recondidit. Aliquamdiu ergo ibi demoratus, gravissimam infirmitatem incidit. Horribili enim ventris inflatione tenebatur oppressus, adeo ut nusquam posset gressum movere. Cumque diu hac infirmitate laboraret, et eius recuperatio desperaretur etiam a peritissimis medicis, quodam die se duci praecepit ad altare sanctae Mariae semper virginis, reclinatoque[c] ventre sauciato ad altare, intimis precibus flagitabat remedium piissimae Dei genitricis. Tantam spem atque fidem gratia Dei amore dulcissimae genitricis suae[d] consecuta est. Subito namque contra spem omnium coepit convalescere ac se cibo reficere, et non post longum tempus in suum locum cunctis gratulantibus reversus est[10]. 10

5. Eo tempore ecclesia catholica miserabili et detestabili scismate ab inimicis christianae unitatis scindebatur. Sed quia hic vere Deo dignus igne divini amoris totus incanduerat ac zelo animarum aestuabat, salubri consilio quosque ad unitatem ecclesiae tenendam servandamque animabat[11]. Et quia simplici ac puro oculo tali insistebat negotio, quicquid 11 agebat, cunctorum religiosorum animis complacebat; quicquid dicebat, omnium bonorum corda intimo amoris affectu[e] delectabat. Cum columbina simplicitate tantum viguit in eo serpentina astutia, ut ab huius saeculi prudentibus videretur omnes praecedere in prudentia, et a[f] divina sapientibus mire coleretur pro purae mentis innocentia.

6. Tanta karitatis affluebat benignitate, ut neminem perfecte divino servitio cupientem se mancipare pro paupertate sua despiceret, neminem ob imperitiam refutaret. Nobiles et ignobiles, divites et pauperes, viros et mulieres, ad contemptum mundi incitabat, ac singulos ad amorem caelestis vitae verbo et exemplo accendebat. Multa hospitibus, multa pauperibus distribuebat; nec tamen commissorum sibi curam postponebat, sed cum paterna sollicitudine et cum magna karitatis affectione omnibus necessaria administrabat. Si qua vero rei familiaris penuria ingruebat, hanc non solum tolerabilem, sed etiam gratam sibi suisque blanda et virili commonitione faciebat, asserens hanc esse dilectorum Christi probationem, et si patientia cum gratiarum actione ac precum frequentatione adesset, procul dubio mox manifestam a Deo venturam consolationem. Quod utique est evidentibus saepe declaratum indiciis, dum ei in omni angustia Dominus hostium misericordiae suae, fide et precibus pulsanti, aperire dignatus est. Fama ergo vulgante eius laudabiles actus, undique ad eum quasi ad bonum odorem Christi fideles confluebant; quidam utique cupientes uti eius saluberrimis consiliis, alii vero eius orationibus se[g] commendantes, plurimi etiam abiecta saeculi[h] sarcina magisterium ipsius[i] delegebant[k].

7. Ad ministerium divini officii pro humilitate nolebat paratura indui, quae aurifrigio vel alicuius preciosi metalli intextura esset ornata. Detestabatur etiam[l] osculationem manus[m] et genuum abbatis, et omnino talem consuetudinem abscidisset, nisi eum seniores hanc reverentiam ab eis suscipere vix[n] compulissent. Quolibet loco praeeuntem conventum fratrum subsequens et diligenter inspiciens, gemendo et plorando oculosque cum corde ad caelum levando pro eis attentius orabat. Ad mensam siquid accuratius apparatum illi offerebatur, innuit offerenti, si communiter omnibus apponeretur. Si annuit, aliquantulum inde gustavit[o]; sin autem, statim infirmioribus distribuebat. Deliciarum et epularum diversitatem, quae sunt fomenta luxuriae, contempnebat, parvis ac mediocribus contentus erat. Siquidem quocumque sibi eundum necessitas exigebat, non superbo equo delectabatur, sed equa aut vilis aselli dorso vehebatur. Vestes nitidas preciosique velleris horrebat, maxime tunicas[p] vel cucullas, quas etiam sub interminatione excommunicationis abscidebat, varia-

a) Deinde — venit *desunt* 1. b) H. 1. huius 3. c) *ita* 5. reclinato *rell.* d) MARIE *add.* 1. *ubi* sue *superscriptum est.* e) *deest* 2. 3. 4. f) ad 1. g) *deest* 1. h) *ita* 1. seculari *rell.* i) *ita* 1. eius *rell.* k) deligebant 5. diligebant 1. *pr. m.* l) *ita* 5. enim *rell.* m) manuum 1. n) *deest* 3. o) gustabat 2. 3. 4. p) manicas 5.

10) cf. Bertholdum l. l. Privilegium Gregorii VII. Jaffé 3979 temporum notis caret. 11) v. Gregorii VII epistolas Jaffé 3891, 3925[a], et Wilhelmi epistolam ad Herimannum regem, cum rescripto cleri Saxonici, apud Sudendorf. Registr. I, 50. Anselmi Cant. ep. I, 56. ad Wilhelmum abbatem, quo iure ad nostrum referatur ignoro.

rumque rerum utensilia superfluo et pompatico ornatu decorari, acerrima execratione prohibebat. Quisquis obedientiarius vel alius quis temptatus et maesticia gravatus ad eum accessit, non spernendo vel detestando illum contristavit, sed mulcendo et blandiendo verbis consolatoriis dolorem ipsius delinivit, laetumque ac gaudentem a se dimisit. Lucerna enim ardens et lucens non sub modio latebat, sed super candelabrum prominebat; ideoque omnibus exemplum bene vivendi fieri studebat.

8. Inter has ergo[a] aliasque virtutes, quam sincera et perfecta fide polleret, nullus sermo ad integrum explicare valet. Hac enim virtute veluti lorica indutus, virili animo quaeque adversa[a] devicit ac saepius nonnulla difficilia ac multis pene impossibilia aggressus, Domino adiuvante felici effectu terminavit. Ut enim de pluribus pauca commemorem, dum die quodam[b] sanctus pater de re familiari tractaret cum fratribus exteriora providentibus, inter cetera quae conferebantur, denuntiaverunt pro quadam inevitabili necessitate necessarias esse quinque libras argenti. Cum vero nec in promptu eas haberent[c], nec usquam cita saltem mutuatione[d] acquirere valerent, et imminens necessitas urgeret sine ulla dilatione persolvere ipsam pecuniam, tali perturbatione coangustati ignorabant quomodo se possent expedire. Pius autem pater in Domino confidens, verbis consolatoriis pusillanimitatem illorum studuit animare, dicens nullomodo de Dei misericordia diffidendum esse. Illis vero prae anxietate tepidius excipientibus eius consolationem, et affirmantibus non pro se, sed pro communi detrimento angustatos fuisse, e consessu surrexit, et illis eius reditum praestolantibus exiit foras, implorans auxilium Domini. Nec mora, benignus pater[e] Dominus affuit fideli famulo suo. Ex inproviso namque quidam ignotus superveniens, contulit ei omnem quantitatem pecuniae. Mox ergo rediens, protulit de manu sua quinque libras argenti, et fratres caritative corripiens ait: *En adest pecunia, pro qua pusillanimes facti estis. Discite ergo nil[f] iam ulterius de multiplici bonitate Dei omnipotentis desperare.*

9. Item Deo amabilis pater quadam die diluculo profectus de monasterio, non longe obviam habuit quendam pauperculum, cum uxore et undecim filiis parvulis obnixe eius elemosinam postulantem. Fratres autem qui comitabantur eum, de cellario paucos panes, qui vix ad unum prandium paucis sufficere possent, secum tulerant; nam in quodam prato pransuri erant. Ergo vir Domini invitavit pauperculum cum uxore et filiis ad prandium. Residentibus vero omnibus, ex inproviso aderat non modica multitudo equitum popularium, necnon et pauperum. Itaque pro parvitate alimoniae sociis beati viri turbatis, simulque rubore diffusis, vir Deo plenus hilari vultu ait ad eos: *Quinque panes, quibus Dominus quinque milia hominum pavit, quamdiu integri remanserunt nec multiplicati sunt, nec ullus ex illis pastus est; quando vero a Domino fracti sunt, utique tunc sunt multiplicati, et plures ex illis pasti.* Haec dicens prompto animo et larga manu distribuebat multitudini quae aderat parva alimenta; quae fide eius et meritis mirabiliter a Deo ad sufficientiam omnium sunt multiplicata. Sane multis admirantibus eius fidem atque liberalitatem, de paucis cibariis sunt omnes habunde refecti. Singulis ergo[g] cum gaudio in sua redeuntibus, vir Deo karus[h] supradictum pauperculum cum uxore et filiis retinuit, ac longo tempore victui necessaria impendendo usque ad messem novarum frugum perduxit.

10. Quodam etiam tempore dum transiret super pontem fluvii Nagalta vocati, obviavit ei pauper, Hazo[i] nomine, qui per multos annos in elemosinaria domo decumbens, non aliter quoquam gressum movebat[k], nisi duobus baculis sub ascellis sustentaretur. Cum ergo occurreret eidem pauperi in medio pontis, venerabilis pater vi abstulit ei unum baculum, et ultra paululum progressus cum eodem baculo, fixoque gradu subsistens, egeno ut ad se veniret praecepit. At ille negavit se posse incedere sine sustentaculo[l] alterius baculi. Econtra[m] senior: *Certe* inquit, *hinc non recedam donec venias ad me.* Pauper vero obtemperans iussioni eius, pedetemptim se trahendo quo valuit annisu venit ad eum; deinde reiecto omni sustentaculo, sospes et incolomis toto corpore firmis pedibus incedebat.

11. Sed neque hoc silentio contegi dignum ducimus, quod propriis oculis vidimus et
12 perspeximus. Quidam Argentinensis ecclesiae canonicus[12], nobilissimis ortus natalibus, ad

a) *deest* 2. b) quadam 2. 3. 4. c) haberet 2. 5. d) mutatione 1. 2. 3. *et* 4: *pr. m.* e) *deest* 1. 5. f) nil ergo 5. nil *post* omnipotentis *collocat* 1. g) vero 1. h) plenus 2. 3. 4. i) H. n. *desunt* 5. k) movere potuit 3. l) sustentatione 3. m) Et contra 5. Contra hec s. 3.

12) Hunc Gebehardum fuisse, Wilhelmi postea successorem, ait Trithemius, inductus Cod. Hirsaug. p. 5, probabiliter sane, etsi non plane congruunt, quae utroque loco narrantur. Auctor vitae metricae fatetur, nomen eius sibi ignotum esse.

monasterium viri Dei venit, et devote susceptus devotius vixit. Qui mox in initio conversionis suae paralisi dissolvitur toto corpore, ita ut excepta lingua nullum membrum remaneret in coniunctione sua. Erat enim idem vir praepollens quadam acri ingenii et animi constantia, scientiae et eloquentiae praerogativa; et necesse erat ut pio Domini flagello refrenaretur, ne forte ut est mens hominis prona semper ad malum, aliquo vento elationis elevaretur, et mox in inmane praecipitium laberetur. Qua infirmitate ita plus anno egrotavit, ut manum ad os non porrigeret, latus nisi aliorum adminiculo non mutaret, sed ut praedictum[a] est omni membrorum officio careret. Iam tempus miserendi eius advenerat, iam Dominus ex alto prospiciebat, et ecce cepit virium valitudo redire, manducandi et legendi gratia sedere, gressum reptando frequentare: sed manuum officium omnino negabatur, quoniam hoc ad maiorem Domini gloriam servabatur. Quadam die vir Domini Willihelmus cellam eius visitandi gratia ingreditur, et ut a Domino usum dexterae precibus obtineret adhortatur. Abnuit ille cum summa detestatione, confirmans omnino salutem corporis se parvipendere. Sed pius pater totus[b] compassionis et misericordiae visceribus plenus apprehendens illam, benedicit, deosculatur, et cappellam sanctae Dei genitricis semperque virginis Mariae ingreditur; ubi paululum in oratione prostratus, infirmum iterum visitat, et dextera eius recuperata invenitur. Post paucos dies uxor fratris sui monasterium et ipsum visendi gratia advenit, et ipse sella gestatoria ad eam deportatur. Ubi inter aedificationis et familiaritatis colloquia, sanatae[c] dexterae suae incidit memoria. Quam illa muliebri affectu deosculatur, sed mox in rigiditatem pristinam vertitur. Quod mox ut sensit, salutata illa et dissimulato infortunio suo[d] in cellam suam se recepit, maerens aliquantulum de hoc quod accidit. Quem vir Domini mox evestigio subsecutus, et spiritu Domini edoctus quod evenerat, causam quaerit tristiciae. Quam ille satis humili et simplici prodidit[e] confessione. Cui vir Deo plenus consolationis reddidit verba, et apprehensam dexteram benedixit, et saluti pristinae restituit.

12. Alio itidem[f] tempore fratrum quorundam in inferiori heremo illius permissu quasi heremitarum more victitantium cellam visitavit, quibus tamen adventum suum pridie praenuntiavit. Unde ultra quam credi potest laetificati, utpote patris amantissimi et quasi angeli Dei visitatione digni, praeparaverunt omnia quae tanto patri erant necessaria, et eum comitantibus congrua. Erat idem locus piscibus capiendis aptus, et adolescentior quidam in eorum commanentia, huiusmodi opera[g] exercitatus. Huic fratres summopere supplicant, ut sibi et illis praestaret et in capiendis piscibus omnem industriam suam impenderet. Laudavit, fecit quod potuit; sed res processum non habuit. Nam cum tota nocte[g] laboraret, et secundum votum suum nichil omnino proficeret, promisso suo simul et verecundia victus, furtum in sociorum suorum praesumpsit piscibus, et insolitae magnitudinis truttam mane fratribus retulit, et eos non parva in admiratione discedens reliquit. Erat inter fratres unus altioris et perspicatioris ingenii, qui insuetam piscis magnitudinem admirans, cepit diligentius de eo perscrutari. Primum ut huiusmodi hominum genus solet, furtum cum summa detestatione negat[h] et abhominatur; sed cum dulcibus verbis et veri ratione et re ipsa convincitur, culpam suam simpliciter fatetur. Tunc videres fratres illos non modice contristatos et in ambiguo positos, quia furtum piscem abhominabilem fecerat, et[i] quid[k] iam adventanti patri apponerent[l] in promptu non erat. Tunc palliante karitate piscem patri apponere communi consilio decreverunt, et excessum illum ieiuniis et orationibus apud se in occulto abolendum esse statuerunt. Limitem iustitiae excesserunt, quando modum in dilectione non servaverunt. Iam advesperascente die pater desiderabilis advenit, occurritur, suscipitur, ad orationem ducitur. Tunc dilectissimus pater karissimis filiis plena iocunditate quia insolita esurie laboraret aperuit, et siquid pulmentarii haberent citius apponere[m] praemonuit. Tunc recumbitur, et piscis ille apponitur, et cum summa diligentia quid facturus sit vir Deo plenus observatur. Ille homo Deo hospite edocetur interiori, et quamvis ut praedictum est non parvam famem pateretur, tamen mira abhominatione apposita sibi execratur, et nichil omnino gustando, quasi[n] in excessu mentis rapitur. Nemo discipulorum vel advenientium vel ibi manentium audet subitam viri mutationem interrogare; sed advenientes in summa erant admiratione, habitantes in maximo timore. Postera

a) supra dictum 2. b) totius 1. c) sanitate 2. 3. 4. d) *deest* 1. e) prodit 2. 3. 4. f) idem 2. 3. 4. inde 5. g) *deest* 1. h) negat — ratione *desunt* 1. i) *deest* 1. k) quod 5. l) apponeretur 2. 5. m) apponerent 2. 3. 4. n) *deest* 2. 3. 4.

die maxima contriti cordis devotione culpam suam fatentur, et a piissimo patre clementer suscepti, ne deinceps aliquid[a] huiusmodi praesumerent sub districta interminatione admonentur.

13. Per idem tempus misit vir Dei de monasterio unum fratrem, nomine Bennonem, cum quibusdam rusticis mercede conductis, ut undecim carradas vini adveherent cum 13 plaustris, quod vinum quidam civis Mogontinus, nomine[b] Wignandus[c. 13], officio karitatis transmisit Hirsaugiensibus. In via autem qua cum eodem vino veniebant, latrones noctu irruentes pro spoliis vim eis intulerunt; sed illi Deo protegente illaesi cum rebus suis evaserunt, excepto quod fratris praenominati dextrum brachium percutientibus adversariis adeo est[d] debilitatum, ut fasciolis illud ad collum ligaret, et ulterius usum eius recipere desperaret. Post hoc et aliud infortunium inciderunt. Nam unum de doliis plenum vino quod specialiter ad elemosinam fuit deputatum, vergente plaustro in foveam cecidit, et vinum effusum in foveam fere totum defluxit. Quo a rusticanis exhausto, dolioque vacuo super plaustrum levato, qui damnum sustinuerunt cum tristicia magna iter ceptum tenuerunt. At frater praedictus relictis sociis ad monasterium praecucurrit, et viro Dei brachii sui laesionem cum damno vini quod acciderat lamentando exposuit. Cui ille verbis beati Iob. 1, 21. Iob hilariter et constanter respondit dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Et consequenter brachium eius benedicendo consignans, pristinae sanitati restituit. Deinde praecepit eidem ut omnia dolia vini advecticii levatis operculis diligenter inspiceret, et quod ceteris plenius inveniret, hoc totum pauperibus impertiret[e]. Quo citius iussa implente, cunctis qui aderant videntibus, obstupescentibus[f] simul et gaudentibus, dolium antea vacuum, ut credimus per merita viri[g] Dei, ita vino redundabat, ut nullum de ceteris tam plenum inveniri posset. Cumque et hoc praedictus frater viro Dei gaudens et exultans referret, protinus mandatum ab eo accepit, ut nulli hoc revelaret. Quod tamen ab aliis qui intererant usquequaque divulgatum est. Rusticis vero qui prius pro perdito ex sua negligentia vino libram unam argenti sponte persolvere volebant, iussit solidum unum super condictam laboris sui mercedem addi, ciboque ac potu laute curatos cum gaudio ad sua remitti.

14 14. Sancto viro quodam tempore apud villam quae dicitur Wile[h. 14], constituto saepe dictus frater Benno qui ibidem[i] procurator rerum monasterii fuit, in hora refectionis paucos pisciculos ei optulit, dicens pro adventu eius se diu multumque in piscando laborasse, et nichil amplius praeter illos se capere potuisse. Qui statim praecepit ei piscandi gratia ad gurgitem redire, et nichil de misericordia Dei diffidere. Quod cum ille mature implere properaret, laxato reti[k] in aquam in verbo viri Dei, statim octo lucios admodum grandes cepit, et cum eisdem adhuc retis lino involutis ad virum Dei laetus repedavit. Tunc benignissimus pater iussit omnes pauperes qui in eadem villa possent inveniri, ad prandium invitari, et eosdem pisces eis ad refectionem paratos apponi.

15. Item dum quadam die vir Dei elemosinario praeciperet, ut stipendia pauperibus solito largius praepararet, audivit ab eo ad conficiendos panes valde parum superesse de frumento. Qui iussus ab eo diligentius intueri quantum remansisset frumenti, aperta archa curiose cum alio fratre inspexit, mensuravit, vix unum modium invenit, et viro Dei veritatem rei indicavit. Mane autem facto cum elemosinarius iussa patris impleturus eandem archam aperiret, manifesta Dei virtute fidem et merita fidelis famuli sui declarante, summótenus frumento plenam invenit, quae tam grandis erat, quod viginti modios capere solebat. Quia enim vir sanctus semper ad hoc studiosus et intentus erat, ut in omnibus[l] voluntatem Domini perficeret, et ut magis proximis quam sibimet utilia provideret, ideo misericors et iustus Dominus piae eius peticioni in omni necessitate et angustia clementer et efficaciter affuit.

16. His quae ad miraculum pertinent de sancto viro partim commemoratis ob testimonium tantae eius fidei et sanctitatis, nunc de eo alia quaedam sunt narranda[m], non tam mira quam iocunda ad audiendum, et[n] utilia et humanae fragilitati ad imitandum possibilia.

a) *deest* 1. b) cuius nomen 1. c) Wichnandus 1. Wigandus 2. 3. 4. d) *deest* 1. e) erogaret 1. f) et obst. 1. g) beati viri ita 1. h) Wille 2. Wile 3. i) ibidem morabatur procurator 1. k) rete 1. l) semper *add.* 1. m) enarranda 2. 3. 4. n) *deest* 1.

13) Hic sub Gebehardo abbate officinas claustri aedificavit, teste Cod. Hirs. p. 6, et ad aedificationem monasterii Cambergensis sumptus dedit, v. infra c. 22. 14) *Weil*, postea civitas imperialis.

Non enim in sanctis Dei signa et mirabilia[a] iubemur imitari, sed bonorum operum exercitia, et[b] testante sacrae auctoritatis scriptura, misericordia, compassio miserorum et zelus animarum plus placent Deo quam sacrificia, et scientia Dei plus quam holocausta. (cf. Marc. 12, 33.) Itaque hic amicus Dei iugiter, ut saepe[c] dictum est, misericordiae operibus insistens, quodam die de monasterio Hasunga[d] nuncupato[15] fratres plus quam septuaginta suscepit ad se confugientes, et eius salubre consilium atque fidum solatium implorantes. Denique episcopus Mogontinus a scismaticis electus atque ordinatus[16], quia idem cenobium ecclesiae Mogon- 16 tinae iure proprietatis subiectum erat, eosdem fratres minis, suasionibus atque blanditiis conabatur suae ditioni subdere, ac participatione illicitae communicationis contaminare. Illi vero econtra fixa sententia unitati ecclesiae fidem servantes, velut surdis auribus blandientem spreverunt, ac iuxta consilium et mandatum pii patris Willihelmi relictis omnibus ad ipsum se contulerunt. Hoc autem evenit circa mensem Augustum ante messem[e] novarum frugum; et quamvis eodem anno et insequenti maxima ex parte frumentum pecunia coemptum cottidiano victui fratrum administraretur, tamen in Deo fiducia magna praesumens et pro adventu illorum Dominum glorificans, veluti cuncta horrea frumento plena essent, praecepit solitam quantitatem panis augeri dicens: *Quia Dominus auxit numerum servorum suorum*[f], *debemus etiam nos augere annonam illorum.* Aliquamdiu ergo[g] retentis secum eisdem[h] fratribus, atque omni humanitate eis exhibita, postea dimisit eis cellam sancti Gregorii cum omnibus quae ad eam pertinebant[i], quanto tempore voluerunt.

17. Alio quoque tempore ad quandam cellam iter agebat, quam rogatu cuiusdam comitis iuxta Danubium construxerat. Iamque illuc appropinquare ceperat, et ecce in confinio silvarum quoddam tugurium conspicatur, assumptoque secum uno ex commeantibus, ceteris ceptum iter exequentibus illuc tendere non moratur. Veniens itaque ad ipsam domunculam, reperit mulierem valde pauperculam; ingressusque et[k] oblitus suae dignitatis, oblitus assueti rigoris, iuxta ignem sedit ipsamque sedere fecit. Tunc inter sacrae aedificationis colloquia oculos huc illucque circumferens, sciscitatur ab ea quonam modo ipsa cum viro suo viveret, quae nichil omnino in domo unde temporalis vitae stipendia consequerentur haberet. Illa nil praeter miseram vitam reliquum sibi esse[k] fatetur, pane et aqua se victitare, et haec vix cottidiano manuum suarum labore parare. Marito interim de agro regresso[l], quaerit ab eis, fidemne sciant katholicam, sine qua nemo potest consequi salutem aeternam. Qui simpliciter quidnam sit fides penitus se ignorare fatentur. At ille altius ingemiscens, et geminae eorum inopiae ex intimis visceribus condolens: *Quid mirum,* ait, *si ab exterioribus rebus videmini inopes, qui intus miserabile dictu a Deo qui praestat nobis omnia habunde ad fruendum estis inanes?* Haec dicens fidem prout capere poterant breviter eis exponit, et pro tempore instructi quatenus ad eandem cellam se sequerentur iniunxit. Postero die illo venientes benigne suscepit, aliquamdiu[m] pie retinuit, necessitates eorum non modice sublevavit. Sicque factum est, ut et mentis eorum inopiam verbo sacrae eruditionis inescaret, et corporalem penuriam munifice[n] alleviaret.

18. Cum[o] quodam hiemali tempore iter ageret per fines Bawariae, obviam habuit duos pauperes, contra frigoris asperitatem vestitus ab eo postulantes subsidium. Qui mox recordatus sancti Martini qui dimidium clamidis suae largitus est algenti pauperi, cum uno famulo digressus est seorsum a commeantibus, et sagum quod ei tam equitanti quam dormienti solebat substerni, in duas partes divisit, ac singulis pauperibus singulas partes quibus se a frigore protegerent impendit.

19. Quiddam de beato viro referam quod respicit ad animi sui puritatem et simplicitatem comprobandam et amandam, et multorum sui nominis vanitatem detestandam et damnandam. Quidam abbas preciosis vestibus plus quam talem personam et tam arduum propositum deceret deditus erat; quem vir Domini pro multis aliis bonis a Deo sibi concessis diligebat, sed in hoc secundum zelum Domini acriter eum sepius corripuit, quamvis parum profuerit. Quodam tempore quasi pro benedictione idem abbas valde preciosum lectisternium ei obtulit, et ut ob memoriam mutuae dilectionis susciperet rogavit. Quod vir Deo plenus multa simplicitate suscepit, et ad offerentis duplicitatem non attendit. Offerens

a) miracula 2. b) *deest* 1. c) *deest* 2. d) Hasunge 1. e) mensem 2. 3. 4. f) *deest* 1. g) *deest* 2. 5. h) *deest* 1. i) pertinent 2. k) *deest* 1. l) reuerso 1. m) a. p. r. *desunt* 1. n) *deest* 2. 3. 4. o) Dum 1.

15) in Hassia, a. 1081 fundato, v. Ann. Ottenbur. SS. V, 7; cf. Cod. Hirsaug. p. 22 et infra cap. 22.
16) scil. Wezilo, m. Oct. a. 1084 ordinatus, mortuus a. 1088. Aug. 6.

quidem id intendebat, ut in hoc vanitatem suam in studio preciosarum vestium aliquantulum tegeret: scilicet si tam laudabilis et in omni monachica professione perfectus huiusmodi uteretur, ille in alio simili non admodum notaretur. Ille namque abbas olim viri Dei erat professus, et ab eodem ad talem honorem provectus. Una autem nocte tantum vir Dei illo lectisternio utitur. Postera die[a] quidam fratrum obsequio illius devotior, secreto illum adiit, se esse circumventum admonuit. Quo audito, incredibile dictu, factum suum expavit et exhorruit, et mox in decem pauperum subsidium illud male susceptum divisit lectisternium. Habuit et hoc omni laude dignum cum aliis bonis suis ille dilectus Domini. Nam si a quocumque hominum aliquid boni in admonendo audivit, ac si de celo missum omni devotione suscepit. Cogor multorum sui nominis altum[b] supercilium et singulare cornu deflere; cogor exclamare: *O tempora, o mores!* (Cic. or. in Cat. I, 1) Hic vir virtutum, hic totius honestatis speculum, ab omni homine elegit correptionis iudicium[c], et veritatem in quocumque homine honoravit.

20. Compassio vero tam naturalis et vehemens ei inerat, ut non solum erga homines, sed etiam erga bruta animalia hanc[d] ostenderet. Hinc est quod quadam hieme cum ex habundantia nivium vis algoris plus solito ingrueret, idem pater visceribus pietatis motus, accito praeposito, querula voce dixit ei: *Volatilia frigore et fame pereunt. Sume manipulos avenae, et defige circa sepes, ut inveniant quo pascantur.* At ille respondit: *Domine, defecerunt nobis manipuli avenarum.* Cui ille: *Habesne*, inquit, *siligineos manipulos aut triticeos?* *Habeo*, inquit. Tunc pius pater: *Ergo*, ait, *illos vende et eme avenarios.* Ille iussioni obtemperans, adiutori suo iniunxit, ut mane ad curtem exiens opere iussa impleret. Eadem nocte quando subsequente mane iturus erat, gratia Domini benignitatem sui servi remunerante, asperitas glaciei emollita est leni aeris temperie. Sane pauperes in elemosinaria sive rusticos in villulis infirmos iacentes humiliter visitavit, ac piis consolationibus fovit; postremo obeuntes diligenti cura sepulturae tradidit. Eorum vero qui insaniam mentis patiebantur nullum suscipere dedignatus est. Aut enim cum toto fratrum conventu psalmos[e] et benedictiones recitavit super illos, aut cum quibusdam fratribus quae tali negotio congruebant explevit; et misericordia Domini subsequente cum sanitate mentis et corporis laeti ad propria redierunt.

21. Religio quoque monastica, quae paene in provinciis Teutonicis refrixerat in eis qui habitum religionis praetendebant, huius beati patris studio cepit recalescere et recuperari. Non solum autem monastica institutio eius aemulatione profecit, sed et singuli gradus ecclesiastici ordinis illius exemplis erudiebantur. Monachos namque humilitate, caritate, fervore ac religione instruebat; episcopos, presbyteros, seu quoslibet clericos doctrina et auctoritate promovebat; laicos conversione et subiectione docebat; virgines, viduas, ac mulieres munditia et castitate informabat; pauperes Christi et peregrinos parvo esse contentos, ac mundum sub pedibus habere et omnem gloriam eius, verbis et operibus suadebat. Singuli fideles Christi ad illum quasi ad sinum matris confugiebant, multumque per eum in Deo proficiebant.

22. Nunc tandem veniam ad enarrandum id quod erat inter omnia opera sua praecipuum, et usque ad finem saeculi multorum animabus per cenobialem vitam salvandis profuturum. Erat enim studiosissimus cenobiorum novorum fundator, ac veterum instaurator[f]. Denique septem cenobia tam per se quam per suos discipulos variis in locis a fundamentis
17 construxit[17]. Quorum primum fuit cella sancti Gregorii[18], quae proprie ad Hirsaugiam pertinet; secundum sancti Georgii[g] martyris[19], utrumque in Nigra silva; tercium in Bawa-
21 ria in honore sancti Martini[20]; quartum in Turingia quod dicitur Erphesfurth[h. 21]; quintum

a) Postea q. 1. b) super altum 1. c) inditium 1. d) *deest* 2. 3. 4. e) responsoria *add.* 1. f) instaurator *superscr.* vel rest. 1. g) Georii 1. h) Erbesfurth 1. Erpheffurth 2. Erpesfurth 3. Erphesfurth 4. Erphefurch 5.

17) Cf. Bernoldum SS. V, 451. 18) Reichenbach d. Constant. a. 1082 inchoatum. Cod. Hirs. p. 94. Stälin Wirt. Gesch. II, 702. Hic suscepti sunt Hasungenses cum abbate Gisilberto, qui deinde Reinhardsbrunnensibus et S. Petro Erfordiae, postremo Admuntensibus praefuit. 19) sub abbate Heinrico. Cod. Hirs. p. 22. 20) Fischbachau, ad orientem lacus Schliersee; consecr. a. 1087. Cod. Hirs. p. 42. Conr. Schir. apud Böhmer. Font. III, 501. Stälin l. l. p. 695. 21) Mons S. Petri, quo loco iam a Dagoberto coenobium fundatum esse, recentiores asseruerunt. Monasterio per Sigefridum Moguntinum vel restaurato vel de novo condito, ex Hirsaugiensibus primus praefuit Gisilbertus, deinde Wernherus. Cod. Hirs. p. 22. 23.

ad Duplicem aquam in honore sanctae Mariae[22]; sextum in villa Wielheim[a] [23], quod postea 22 mutatum est in Montem sancti Petri[24]; septimum[b] in provincia Carentinorum[25]. Alia vero tria, id est Scapheshusense[c] [26], Petrishusense[27], Kampergense[28], paene iam destructa 25 restauravit. In quorum gubernatione haec erat ei cum sollicitudine cottidiana non parva difficultas, tales videlicet in congregatione fratrum invenire personas, quae essent utiles et idoneae ad lucrandas animas. Nam secundum dominicum sermonem messis quidem multa, operarii autem pauci, dum eos qui aliis debent praeesse, et opere et sermone oportet esse probatos, ac non minus saeculari scientia quam spiritali eruditos. Sed quia paucissimi inveniuntur qui utroque polleant, plures tamen sunt qui unum sine altero possideant, id est aut vitam bonam sine scientia vel eloquentia doctrinae, aut verbum doctrinae sine religiosa conversatione: eos ille sapiens architectus studuit quasi quadratos lapides ubi apparerent in aedificio spiritali promovere, quos novit expolitis moribus laudabiliter vivere, etiam si cetera necessaria minus suppeterent; in hoc sequens memorabile factum Gregorii VII papae. Huic enim cuiusdam ecclesiae clerus et populos duos electos ad episcopatum praesentavit, et unum quemlibet ex duobus episcopum sibi ordinari petiit. Sed papa unum ex his sciens esse bonum doctorem nec tamen religiosum, alterum econtrario religiosum nec tamen necessariae eruditionis peritum; quem ex duobus praeeligeret dubitavit, atque id divinitus sibi manifestari orationibus cuiusdam servi Dei hoc modo impetravit. Nam idem vir spiritalis cum hoc sibi a papa iniunctum vigilanter Deo commendaret, et per interventum sanctae Dei genitricis Mariae sibi voluntatem Dei in hoc revelari intente supplicaret, per visum ei beata virgo Maria apparuit, duosque anulos quorum unus purum aurum, alter perlucida[d] gemma esse videbatur ostendit; eique[e] interroganti quem ex duobus eligeret: *Gemmam,* inquit. Qui evigilans papae visum suum narravit[f], incertus tamen quid ad causam praetaxatam vel aurum vel gemma innueret. Confestim papa quia erat perspicacis[g] ingenii: *Non dubium est,* inquit, *quod testante sacro eloquio, per aurum sapientia, per gemmam vero simplex et pura vita hominis signatur; ideoque ex ipso iudicio castissimae Dei genitricis semperque virginis Mariae ille qui caste, iuste et pie vivit*[h], *etiamsi ei aurum sapientiae vel eloquentiae desit, ad exemplum bene vivendi populis praeesse meretur. Huius enim etsi lingua tacet, vita docet.* Oportet tamen in huiusmodi electione summopere canonum sanctiones observari, semperque ad regimen animarum non quoslibet populares, sed regulares dumtaxat personas promoveri.

23. Hoc ergo informatus exemplo fidelis servus Domini et prudens, quibusdam ex praedictis cenobiis statutis abbatibus, in quibusdam prioribus, religiosos monachos simul cum conversis laicis deputavit. Enimvero amabilis pater zelo animarum fervens primus instituit, ut monachi ministerio fideli laicorum conversorum in exterioribus administrandis uterentur, et versa vice idem laici a monachis quod ad curam animarum pertinet consequerentur, eorumque claustralem disciplinam pro posse suo extra claustrum in corrigendis moribus imitarentur. De quorum conversione secundum quod saepe dictus pater Deo inspirante ordinavit, opere pretium est aliqua commemorare, de quibus certi sumus sicut praesenti in tempore, ita et in futuro multos posse[i] proficere. Ad nocturnas vigilias omnes in ecclesiam conveniunt, quibus tamen propter diurnum iniuncti operis laborem breviter matutini decantantur. Postea qui volunt ad lectos revertuntur, alii in ecclesia perseverant donec nocturni a monachis finiantur. Summo mane[k] missam audiunt; deinde ad capitulum conveniunt, ibi[l] pro diversis excessibus veniam petunt, et congruam a magistro disci-

a) Willeheim 2. 4. Wilheim 5. b) ad sanctum Lampertum *superscr. m. s. XIV.* 2. c) Scaphusense 2. 3. 4. Schaffhusen 5. d) prelucida 1. e) ei 1. f) enarrauit 1. g) perspicax 1. h) uixit 1. i) *deest* 1. k) Summô missam audiunt. manê d. 1. l) veniunt. ibique 1.

22) Zwifalten, fund. 1089. Stälin l. l. p. 704. Ortlieb c. 10. Mon. SS. X, 78. Pfaff, Wirtemb. Iahrbücher 1851. p. 65 ff. 23) Weilheim prope castrum Teck. Stälin I, 589. 24) prope Friburgam, a. 1093; cf. Mone, Quellensammlung zur Bad. Landesgesch. Praef. p. 60. 25) Est monasterium S. Pauli in valle Lavantina, quo Wezilo missus est, Cod. Hirs. p. 22, a. 1083 secundum Tr. Neugart in historia eius monasterii II, 2. 26) v. Greg. VII litteras d. 8. Maii 1080. Bernold a. 1083. Mon. SS. V, 439 Eo Sigefridus abbas missus est. Cod. Hirs. p. 22. 27) iuxta Constantiam, quo, post Ottonem, a. 1086. Dietricus abbas missus est. Cod. Hirs. p. 22. Casus mon. Petersh. apud Mone, Quellensammlug p. 140. 28) Komberg, dioec. Wirziburgensis, ope Wignandi supradicti constructum, a. 1088 dedicatum; vide Michaelem de Leone apud Boehmer Font. I, 453. Sed nihil ibi de Hirsaugiensibus reperimus. Guntherus abbas eo missus esse dicitur in Cod. Hirsaug. p. 22. Cf. Stälin l. l. II, 700.

plinam accipiunt. Quo peracto et subsequente quibus necesse est peccatorum confessione, unusquisque ad opus sibi iniunctum divertit. Nam illis iniuncta sunt singula quaeque officia intra vel extra cellam gerenda, quae tam fideliter, honeste ac diligenter tractant et administrant ac si a Deo sibi commissa. Nichil proprium possident, sed sicut in actibus aposto-
Act ap 4,32. lorum legitur, omnia in medium conferuntur[a], et unicuique prout opus habet distribuitur. In agendis negotiis non solum lites et iurgia devitant, sed etiam ab otioso sermone se continent; praelatis suis obtemperant, sine quorum permissione nec etiam extra cellam longius iter agunt. Semper in dominico die communicant, ita ut dimidia pars illorum in una, altera pars in alia die dominica corpus et sanguinem Domini reverenter accipiant; sed in summis festivitatibus omnes simul. Qui iter acturus est ipsa die communicat, si tamen ante proximam diem dominicam se rediturum non sperat. Revertentes de via veniam petunt pro excessibus in via commissis. In coquina serviendo et tam sibi quam monachis et hospitibus cibum parando septimanas suas vicissim peragunt; cibum una capiunt, quem sibi invicem apponunt. Ad diurnas horas non veniunt ad ecclesiam nisi quibus ad hoc vacat. Ad completorium sicut ad nocturnos omnes sive paene omnes assunt; postea cum silentio ad lectos suos divertunt. Ad huius spiritalis vitae observantiam sanctus pater Willihelmus[b] congruam in eodem loco Hirsaugiae[c] construxit habitationem, videlicet novum monasterium in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli sanctique Aurelii confessoris ad australem plagam per manus sub obedientia sua militantium. Quod infra annos
1091 novem consummatum, in decimo[d] est dedicatum[29]. Denique ipsum templum antequam
Mai. 2. dedicaretur, pauperibus per girum replevit, a superiori parte usque ad valvas, clausisque ianuis per se ipsum eis ministravit. Ipso tempore et deinceps usque ad obitum suum plus solito egenis stipendia erogavit.

24. Post praedictam dedicationem novem ebdomadibus supervixit, iamque instante
Iun. 29. natali apostolorum Petri et Pauli languor eum invasit. Nocturnis vigiliis et diurno ministe-
Iun. 30. rio licet debilis interfuit, crastino[e] privatam missam ad principale altare celebravit. In sequenti nocte cum prae molestia corporis surgere non posset, per visionem divinitus consolationem accepit; dictumque est ei quod sancti[f] Petrus et Paulus in eius iuvamine
Iul. 1. prompti adessent. Diluculo cum gressum vix movere posset, deduci se iussit in oratorium et parari ad celebrandam missam. Et inter manus utroque latere sustentatus super altare apostolorum Petri et Pauli sacrificium vivae hostiae immolavit, ac velut profecturus ad Dominum verba sancti Pauli quae iam imminente eius resolutione dicebat, quaeque etiam
2 Tim. 1,12. suae causae optime congruebant, in eius[g] festivitate decantabat. Quae ita se habent: *Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem[h] iustus iudex.*
Iul. 2. Ista fuit eius ultima celebratio missae. Quarto die ad visendos et commonendos fratres in capitulum venit. Quicquid autem hactenus eos instituebat[i], hoc cepit singillatim replicare et exhortari ut de die in diem melius proficerent; in primis de continuo amore Dei, de fervore[k] monasticae religionis, de observantia mutuae dilectionis, de sectanda hospitalitate et cum omni sollicitudine impendenda, de diligenda[l] elemosina et voluntarie eroganda, multaque[m] his similia suadebat. Postea querelosa voce intulit: *Unum fuit quod valde me exacerbavit et gravavit, quod lamentando Deo et vobis promam*[n]. Cumque omnes attoniti essemus dixit: *Quidam fratres vobiscum conversati sunt secundum prudentiam carnis magis quam iuxta simplicitatem spiritalem, suisque sermonibus seu consiliis saepius me perturbabant, ac simplicitati propositae obsistebant. Sed Deus omnipotens viritim eos a nobis separavit et de claustro elongavit.* His dictis statim subiunxit: *Amodo karissimi nullum capitulum vobiscum habiturus sum. Idcirco filioli ultimam patris sententiam audite, et memoriter retinete quae vidistis et audistis.* Finito capitulo in suo humili habitaculo se recepit, et solito more omnibus eum adire
Iul. 4. volentibus concessit. Dehinc[o] tertio die iussit portari se in oratorium sanctae Mariae, ibique conventu fratrum pro eo missam celebrante, unctione olei infirmorum et perceptione corporis et sanguinis Domini exitum suum munivit, ab omnibus indulgentiam petens, et ipse indulgentiam omnibus faciens, ac singulos deosculans et amplexans, paterno affectu praesentibus ultimum vale fecit, absentibus demandans suam intimam caritatem: simul omnes obsecrans

a) proferunt u. 1. b) Willihalmus 2. c) Hirsaugae 2. d) $\overline{xpo}$ 1. e) crastino — celebravit *desunt* 1. f) apostoli *addit* 2. g) inscius 1. h) illa die 1. i) instituebat *superscr.* instruebat 1. k) *deest* 1. l) diligenti 1. diligentia 2. m) et multa 1. n) prodam 1. o) Deinde 2.

29) a Gebehardo episcopo Constantiensi, adiuvante Adalberto Wormatiensi, Cod. Hirs. p. 21. 25.

et contestans, ut in unitate ecclesiae et subiectione sedis apostolicae, quomodo sibi ab eo[a] 1091. traditum fuerat, usque ad mortem inviolabiliter permanerent. Ad extremum elevatis manibus coram omnibus brevi sermone sic conclusit: *Testem invoco Deum, quod semper usque nunc fideliter ac benigne erga vos egi.* Quo de oratorio reportato, singillatim quique cum gemitibus[b] et suspiriis ad eum confluebant, ad quos dignum memoria verbum dicebat: *Iusti hominis obitus non est mors dicenda sed potius mutatio; quia mutatur de mortalitate ad immortalitatem, de terrenis ad caelestia.* Postera[c] die eo in domum infirmorum deportato, Iul. 5. et conventu fratrum illic congregato, infra meridiem[d] cunctis miserabiliter flentibus ac lugentibus 4. Non. Iulii[30] beato fine perfunctus, animam felicibus meritis plenam Deo red- 30 didit, atque de Egypto huius mundi ereptus, terram viventium[e] perenniter habitaturus adiit. Convenientibus ergo duobus episcopis et quinque abbatibus, clericis etiam non paucis cum multitudine utriusque sexus[f], post exequias per quinque dies studiosissime celebratas, in medio ecclesiae apostolorum quam ipse condidit, debita veneratione sepultus est

25. Non longe autem post eius obitum quasi post noctem tristitiae quae cunctos oppresserat, illuxit nobis dies consolatoriae exultationis, de adventu domni Gebehardi tunc prioris, sed postmodum defuncti patris[g] in regendo monasterio successoris, apportantis reliquias sancti Petri apostoli[h], scilicet quosdam eius capillos, a reverentissimo Hugone abbate Cluniacensi transmissos, pro quibus eum pater Willihelmus ante obitum suum direxerat. Hos capillos super omne aurum et lapidem pretiosum multum Hirsaugienses intimo affectu amplecti debent et venerari, pro eo quod vere capillos principis apostolorum Petri esse didicimus. Nam antiquo tempore ante quam corpora apostolorum Petri et Pauli ab invicem tunc separata in locis tutissimis ubi nunc simul sunt condita ponerentur, erat custos Romanae ecclesiae vir religiosus nomine Odo[i], qui renuntians saeculo Cluniacense cenobium in quo postea factus est abbas petiit, et inter alias reliquias sanctorum[k] nonnullos sancti Petri apostoli capillos secum attulit. Ex quibus hos sumptos esse quos nobis transmisit, certissima astipulatione testatus est cum grandaevis senioribus praedictus abbas Cluniacensis, ardentissimus amator nostrae congregationis, pro eo quod ab eo monasterii construendi et regulariter vivendi ordinem suscepimus[31]. Hoc ideo necessarium duximus 31 hic annotare, ne quis super eisdem capillis possit aliquo dubitationis scrupulo permoveri, quin verum sit quod a tantis et talibus constat testibus[k] confirmari. Praedictas vero reliquias qui attulerunt ante quam Hirsaugiam pervenirent, cuidam religioso presbytero in vicina villa commoranti, provido usi consilio commendaverunt servandas usque ad festum quod dicitur sancti Petri ad Vincula. Ipsa itaque[l] die collectis abbatibus et aliis religiosis Aug. 1. viris, memoratae reliquiae in monasterio Hirsaugiensi susceptae sunt cum maximo[k] monachorum plebisque[m] tripudio, ac primo super sepulchrum beati patris Willihelmi depositae, ipsi cui specialiter transmissae fuerant, hoc modo pio filiorum affectu quasi praesentabantur. Denique inter iocunda divinae laudis praeconia, supplici veneratione ab omnibus qui aderant deosculatae, in scriniolo argenteo ubi nunc usque reservantur sunt reconditae.

26. Legitur de sancto Gregorio sanctoque Gallo, multis post transitum eorum de hac vita claruisse indiciis[n], quod monasteria quae in honore Dei construxerant, suis contra multas adversitates defensarent patrociniis. Nonnulla etiam huiusmodi nostris gesta temporibus de hoc sancto Dei[o] a notis et probatis personis comperimus, quae ad commendationem sanctitatis eius, stili officio annotare curavimus. Erat quaedam abbatissa in Norica provincia piis operibus dedita, cuius consilio praedictus vir Dei olim Hirsaugiae praelatus fuerat, quia eum pro vitae meritis multum dilexerat. Huic post decessum[p] eius[q] per

a) ab eo *desunt* 1. b) gemitu 2. et susp. *desunt* 1. c) Postero 1. d) meridie 2. i. m. *desunt* 1. e) *deest* 1. f) *hic in cod. 1. librario priori successit alter, qui multo neglegentius scripsit.* g) defuncto patre 1. h) *deest* 2. i) Otto 2. 3. Oddo 5. k) *deest* 1. l) *ita* 1. utique *rell.* m) *ita* 5. monachorum plebis 1. 3. m. ac pl. 2 n) miraculis 1 o) *deest* 1. p) discessum 1. 5. q) ei 1.

30) Ex ipsius auctoris verbis computatur dies 3. Non. nisi cum cod. 1. verba *crastino — celebravit* delere malis. Sed diem 3. Non. tuentur cum Cod. Hirsaug. Bernoldus, Ortliebus, et Necrologia Sancti Mich. Babenbergense, S. Emmerammi, Ottoburanum, Admuntense, Salisburgense, Zwifaltense; praecedentem solum Florianense.

31) Suaserat hoc *venerabilis vir ac bonorum omnium memoria dignus Bernhardus abbas Massiliensis qui apostolicae sedis legatione functus ad nos devenit, integrumque fere annum difficultate conficiendi itineris quod volebat inhibitus, nobiscum exegit,* ut ipse Wilhelmus testatur in prologo Consuetudinum Cluniacensium, quem Mabillonius edidit Anal. 154; integras edidit Herrgott, Vetus disciplina monastica p. 375. Cf. Vitam Udalrici Cell. c. 34 Stälin Wirtemb. Gesch. II, 685.

famam innotuit, multos sinistrae partis homines in hoc facinus conspirasse, ut funditus
destruerent cenobium Hirsaugiense[a]. Unde ipsa continuis affecta doloribus, propitiam
divinitatem assiduis interpellabat precibus, ut suae protectionis auxilio tantum nefas aver-
teret, ac sui fidelis famuli novellam plantationem ad incrementum perduceret. Cumque
tam piis angustiis cor eius angeretur, et pro imminente periculo Dominum instanter de-
precaretur, quadam nocte quiescenti vir Domini Willihelmus insomnis apparuit, maestam-
que hilari vultu intuens laetificavit, dicens quidem multos fuisse qui tantum nefas gestie-
bant perpetrare, sed ut non fiat omnino prohibitum esse. Tunc illa sollicite inquirente
quis hoc fieri prohibuisset, respondit: *Angelus Domini bonus.* Et confestim visio colloquen-
Psal 33, 8 tis disparuit. Vere etenim ut ait psalmista, immittit angelus Domini in circuitu timentium
Psal. 90, 1 eum et eripit[b] eos. Sed quamvis eodem attestante iustus quisque[c] in protectione Domini[d]
commoretur, evidentius tamen et severius vindictam Dei experti sunt, qui iussu regis
1077. Heinrici eiusdem nominis quarti Hirsaugienses exterminare moliti sunt, pro eo quod
haeresi eius contra Romanam ecclesiam noluerunt consentire, nec aliquatenus eius com-
munione se contaminare: quippe qui erat sceleratissimus et omnium quos terra sustinuit
flagitiosissimus. Ipso itaque annitente[d*], quidam episcopus Argentinensis nomine Weren-
herus[e], militari manu aggressus est devastare Hirsaugiam; sed eadem die qua tantum
facinus commissurus equum loricatus ascendit, subitanea morte ante quam loricam exue-
Num. 16, 33 ret[f] praeoccupatus expiravit, et vivens in infernum descendit[32]. Vivens inquam ut scriptum
est in infernum descendit, qui sciens et prudens ut inique ageret laboravit; qui innocentes
Dei famulos perdere affectavit: quod ipsis etiam militibus qui inviti ad auxilium eius coge-
bantur, adeo visum est abhominabile ut ei dissuaderent, et ad tale facinus auxiliari recusa-
rent. Hoc autem longe ante obitum viri Dei contigit; sed deinceps tale aliquid contra
locum sanctum et eius habitatores praesumendi omnibus usquequaque metum incussit.

27. Opere pretium est hic consequenter subiungere aliud quiddam huic non multum
dissimile, quod etiam valet ad terrendos[g] et reprimendos invasores Hirsaugiensis substan-
33 tiae. Vir quidam nomine Winthere[h] de villa Almendingin[i] nuncupata[33], renuntians saeculo,
sanctae conversationis habitum sumpsit sub abbate Willihelmo[k], ac de propriis rebus quod-
dam praedium in praedicta villa situm ad usum fratrum Hirsaugiensium legitima donatione
delegavit. Postquam autem uterque, scilicet abbas Willihelmus et vir praedictus, ex hac
vita migravit, iuvenis quidam praedictum praedium ausu temerario quasi hereditario iure
ad se transmissum usurpavit. Cumque una die duas karradas vini et alia huiusmodi vio-
lenter de eadem possessione abduceret, in ipso itinere pes unius boum[l] qui rapinam trahe-
bant[m] confractus est; ipse etiam iuvenis de equo cui insedit, quasi letargum patiens prae-
ceps corruit, atque amens factus etiam usum loquendi perdidit[n]. Inde alienis manibus
sublevatus, sed processu temporis paulatim recuperatis viribus mentis et corporis ad se
reversus, coepit secum considerare tale flagellum quale numquam antea expertus est, se
non sine iusto iudicio Dei tolerasse, habitaque[o] secum deliberatione, ad monasterium Hirs-
augiense[p] se deferri fecit, ibique simul mutato cum mente saeculari habitu, Deo se fideli-
ter mancipavit, et post paucos annos in sancta conversatione feliciter praesentem vitam
finivit. Ecce nos haec audientes, et tam terribile tamque[q] tremendum Dei iudicium super
his duobus malefactoribus considerantes, quorum alter repente praecipitatus est in mortem,
alter vero misericorditer[r] reservatus est ad vitam meliorem, competenter cum psal-
Psal 65, 5. migrapho possumus admirari et dicere: *Venite et videte opera Dei, quam terribilis in consi-
liis super filios hominum.* Ex eadem etiam[r] consideratione cogimur cum apostolo clamare:
Rom 11, 33. *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et
investigabiles viae eius!* Quis enim cognovit sensum Domini? Quare cui vult miseretur et
Eccl 9, 1. quare alium obdurat ut non salvetur? Quo circa quia secundum Salemonis eloquium nemo
scit utrum odio an amore dignus sit, sed omnia in futurum reservantur incerta, timendo
veneremur, et venerando timeamus occulta Dei iudicia; dumque sumus in hoc corpore
Psal. 2, 11 secundum psalmistam serviamus Domino in timore, et exultemus ei cum tremore.

a) Hirsaugie 1. Hirsauge 2. b) eripiet 1. c) quippe 1. d) dei 3. dei celi commorabitur 1. *textum Vulgatae retinens, et ut videtur scriptori obtrudens.* d*) amittente 1. e) *ita* 4. Werneaherus 1. Wernherus 2. 3. f) indueret 1. g) terrendos homines 1. h) Winithere 1. i) Almendingen 3. k) Willihalmo 2. l) bovis 1. m) trahebat 1. n) amisit 1. o) habita 1. p) Hyrsaugie 1. q) atque 1. quam 3. r) *deest* 1

32) cf. Bertholdum a. 1077. Mon. SS. V, 301. 33) iuxta civ. Ebingen.

28. Quantam ut diximus curam sui gerat monasterii sanctus pater Willihelmus iam regnans cum Deo, per aliam etiam visionem satis manifeste ostensum est. Quam sicut referente quodam seniore innocente[a] et simplici viro, cui eadem caelitus facta est visio didicimus, scribendo posteris transmittere necessarium duximus, quia per eam admonentur Hirsaugienses tam futuri quam praesentes, ut statuta saepe dicti patris diligenter[b] observent, maxime in dispositione domus pauperum et hospitum, et in observatione claustralis disciplinae. Statutum erat ab ipso communi seniorum consilio, ut aliqui ex laicis fratribus qui ad conversionem veniunt, in domo pauperum sub laicali habitu servirent, et tamen non de elemosina sed de communi fratrum victu et vestitu sustentarentur. Hanc consuetudinem successor eius ita mutavit, ut praedicti fratres de elemosina quam administrabant[c] corporis necessaria ex toto consequerentur. Ex qua occasione contigit res multum dolenda, ut peregrinis et aliis[d] pauperibus solita misericordia subtraheretur, in tantum ut egeni per gelidas noctes hiemis hospicio exclusi, prae fame et frigore miserabili clamore in platea perstreperent, ita ut saepius quiescentes noctu fratres inquietarent. Super qua molestia abbas frequenter a fratribus commonitus, cum emendare[e] negligeret haec et alia multa huiusmodi, nocte quadam in qua dominica ascensio celebrabatur[f], unus senior de eodem monasterio vita et moribus probatus, per nocturnam visionem vidit se sublevari et quasi super montem incomparabiliter sublimem constitui, ubi omnia plena erant inmensae lucis splendore, mira insoliti odoris fraglantia[g], et beatorum ibi manentium concentu dulcissimo. Quibus ipse nimium delectatus, ac iugiter interesse desiderans, inter cetera quae ibi vidit etiam abbatem Willihelmum sibi olim familiarissimum recognovit, niveo aspectu et habitu fulgentem. Cum quo etiam duos viros pontificali habitu decoratos sed sibi incognitos videns, quaesivit ab eo qui essent, et audivit unum esse sanctum Oudalricum[h] Augustensem pontificem, alterum vero Counradum Constantiensem[i] aeque virum sanctum et olim episcopum. Cumque et de aliis ibi[k] visis inquirenti abbas Willihelmus respondendo[l] satis faceret, ad ultimum ei haec Hirsaugiensibus notificanda iniunxit: *Ex parte*, inquiens, *summae maiestatis Dei tibi praecipio, ut*[m] *dicas abbati et priori ceterisque fratribus Hirsaugiae, quatenus secundum quod a nobis acceperunt, egenis et hospitibus cum omni karitatis affectu serviant, mores et vitam suam secundum regulam sancti Benedicti corrigant; ante omnia iram et indignationem, odium et detractionem quibus assidue Deum offendunt, cum omni malitia abicientes, sinceram et continuam dilectionem invicem custodiant; quod nisi observent, divinam procul dubio ultionem se experturos sciant.* His dictis relicto eo cui haec dixit, ipse cum aliis qui aderant altiora quaedam caeli secreta penetravit. Ille vero senior cui haec revelata sunt, cum per se ipsum non auderet, per alium quendam seniorem abbati cuncta[n] intimavit. Qui pristinam quidem Willihelmi abbatis constitutionem de elemosina observari[o] iussit, cetera tamen quibus monasterium perturbaverat incorrecta dimisit. Quapropter secundum praedictam comminationem beati patris Willihelmi, fere nil ei prosperum[p] accidit. Nam 1105. parvo post tempore monasterii regimine exutus[q], et pontificali infula apud Spiram indutus, odia omnium adversum se ineptis moribus concitavit, sed mors mature[r] interveniens eum 1107 de medio amputavit[34]. 34

29. Non est autem negligenter praetereundum sed diligenter considerandum, quanta sanctissimus pater Willihelmus veneratione dignus sit in terris, qui tantorum[s] praesulum consortio secundum praedictam visionem fruitur in caelis, quorum scilicet gloriosam memoriam annua devotione celebriter[t] recolit sanctae ecclesiae plebs fidelis. Si quis vero ob incredulitatem suam dubitans dicat, huiusmodi visionem non esse observandam, sed inter vana somnia reputandam, hic talis indubitanter sciat, nusquam in aiographis scriptum esse, sed nec aliquando auditum fuisse, quod ullus[u] umquam homo demonum suggestione vel palam[v] vel occulte praemonitus sit ut[w] declinaret a malo et faceret bonum, sicut hic

a) s. et inn. 1. b) *deest* 1. c) administrauit 1. d) *deest* 1. e) emendare — huiusmodi *desunt* 1. f) celebratur 1. g) *ita* 2. flagrantia 1. h) esse Uod. 1. i) Constanciensem Cuonr. 1. k) *deest* 1. l) respondebo 1. m) ut dicas *desunt* 2. 3. n) *deest* 1. o) servari 1. p) nichil prosperum ei 2. q) executus et pontificalem infulam 1. r) naturae 1. 5. s) tantum 1. t) *deest* 1. u) nullus 2. 5. v) passa 1. w) *deest* 1

34) Gebehardus Kal. Nov. a. 1105 episc. Spirensis factus est. Ann. Hild. Ekkeh. Cod. Hirs. p. 7. Ibi praefuisse dicitur a. 1. m. 4. obiisse Kal. Martiis, i. e. anno 1107. In Cod. Lauresham. I, 229. huic abbatiae, quam simul cum episcopatu suscepit, duobus annis praefuisse dicitur, suffragante Annalista Saxone, qui anno 1107 eum defunctum esse tradit. De gente eius v. Stälin Wirt Gesch. II, 451.

factum est per benignissimum patrem Willihelmum. Constat quoque[a] praeclaros et praecipuos ecclesiae doctores beatum Gregorium et Augustinum, nonnulla etiam saecularium[b] visa personarum suis inseruisse opusculis ob aedificationem fidelium, quibus tamen non aliud adhibent testimonium, nisi quod nominatim quosdam testati sunt ea vidisse per somnium[c]. Denique ut haec omnia quae de sancto viro digessimus, purissimae[d] veritatis sigillo concludamus, unum adhuc testimonium proferamus[e], quo eum probamus[f] in opus ministerii, quo in domo Domini tam fidelis servus et prudens laboravit, divina auctoritate assumptum, et vere secundum propositum vocari sanctum, cui diligenti Deum omnia cooperata sunt in bonum.

30. Pater sanctus cum gravi infirmitate vexaretur, ea scilicet in qua Adae debitum solvisse dinoscitur, a multis comprovincialium maioribus personis visitatur, ut et devotioni suae qua virum Dei mirabiliter semper coluerunt, bono fine perseverantiae satis facerent, et tam sanctae animae egredienti animas suas commendarent. Igitur[g] inter primos prae- 35 cipuus et devotissimus amator beati viri visitator affuit Wormatiensis episcopus[35], qui tam simplici animae semper familiarissimus erat[h], et cui dilectus Domini saepius sua secreta nimia episcopi familiaritate cogente pandebat. Huic itaque tam excellenti atque probatae in ecclesia personae inter alia familiaritatis colloquia aperiebat, et sub divini nominis attestatione confirmabat: *Cum[i] adhuc essem,* inquit, *Ratisponae in monasterio sancti Emmerammi, quadam nocte apparuit michi vir[k] plenae aetatis, mirificae ultra humanum modum pulchritudinis, hilari vultu me compellans et uvas speciosissimas manu praeferens, quas etiam michi obtulit dicens: „Accipe, dilecte mi." Cuius muneris novitate et tanti viri affabilitate perculsus, diu fateor mecum admirans permansi stupidus. Tum ille: „Scolam instituere curavi, cui te praeficere ante omnia saecula praedestinavi, quam si secundum placitum meum rexeris, bona mercede in aeternum remuneraberis. Nichil, amice, dubites, idem ero cooperator qui et remunerator." Ad haec verba evigilans multa mecum tractavi, eademque saepius retractavi. Cumque multis meditationibus distenderetur animus meus, tandem ad portum tutissimum magnae misericordiae Dei[k] confugi, et domino Deo meo omnia mea quam intime poteram commisi[l]. Et ecce ipso die fratres nostri de hoc monasterio assunt[m], litteras cum multimodis precibus afferunt, et vi quadam validissima de quiete monastica me abripientes parvitatem meam sibi praeesse compellunt, ac cum obtestatione divini nominis ne abnuerem postulata cogunt. Suscepi fateor invitus iugum Domini, devictus prece tam unanimi. In quo officio siquid profeci, siquid Deo placitum feci, ipsi sine quo nichil validum, nichil sanctum, ipsi inquam a quo bona cuncta procedunt, sit pro his et pro universis miserationibus et beneficiis suis laus, honor et omnimoda gratiarum actio, per omnia secula seculorum. Amen[n].*

EXPLICIT ABBATIS WILLELMI VITA BEATI.

SANCTE PATER VITAM SCRIPTORI POSCE BEATAM. AMEN.

Hac in scriptura Willelme patet[o] tua vita.
Cunctis ut speculum praelucet[p] vita bonorum,
Ut quivis doctus proprios hinc corrigat actus,
Quid sit vitandum discernens quidve gerendum.
More quidem speculi radiat pia vita beati
Patris Willelmi virtutum lumine clari.
Exultet talis genitrix Bawaria prolis,
Suevia se tantum letetur habere patronum.
Norica quem prolem, tulit hunc[q] Hirsaugia patrem,
Felix per talem pastorem spiritualem,
Patrem multorum per doctrinam genitorum.
Moribus egregius fuit et virtutibus almus,
Perfectam plebem Domino sacravit et aedem

a) ergo 1. b) *deest* 1. c) somnum 2. d) purissimo 1 e) proferemus 1. 5 f) probemus 1. g) Item 1. h) affuit 1. i) Cumque 1. k) *deest* 1. l) commendavi 1. m) m. egressi l. 1. n) *hic desinit* 1. *Versus duos proxime sequentes omittit* 5; *reliquis inscribit:* Epitaphium Wilhelmi pendens apud eius sepulchrum. *Istud enim, ut ait Pl. Braun, Willwerus Hirsaugiae dum balneo Wildbad dicto uteretur descripsit.* o) pater 5. p) preluce 2. q) tulerat Hi. 3.

35 Adalbertus, vide supra cap. 23. n. 29.

Vobis, Aureli, Petre, Paule, patres venerandi.
Cellam Gregori tibi fundans atque Georgi,
Pluraque sanctorum loca disponens aliorum,
Struxit et instruxit, quia recto tramite duxit,
Collapsam dudum vitam reparans monachorum.
Quadruvii priscos transcendit et ipse[a] magistros,
Cantibus errorem varium correxit ad[b] artem.
Terrarum metas scrutans et temporis horas.
Ac numeros abaci vidit tam mente sagaci,
Artibus his illi queat ut vix quis similari.
Quod verbis docuit operum virtute probavit.
Pauperibus, viduis, claudis, caecis, peregrinis,
Infirmis, sanis, quocumque dolore gravatis
Prospera providit, contraria quaeque removit.
Simplex et rectus, simul omnibus omnia factus,
Christe tibi vivus, mundo vere crucifixus,
Postquam per plures pro te sudavit agones,
Defunctus, tecum iam[c] vivit semper in evum.

YMNUS

de quolibet confessore vel martyre excepto tercio versu, qui solis fundatoribus cenobiorum congruit, sicut sancto Pirminio, Annoni, Willehelmo. Constat iambico dimetro, unde Iam lucis et maior[d] pars ymnorum, unde et melodiis cani potest.

Audi, Deus, ymnizantum
Preces tuorum supplicum,
Sancti confessoris tui[e]
Sollemnia colentium.

Insignis miris actibus
Hic fulsit et virtutibus,
Lucerna lucens omnibus
Domo Dei manentibus.

Fundans in Christo plurima
Monachorum cenobia,
Muros erexit caelitus,
Vivis utens lapidibus.

Hic fuit vivens hostia
Per cuncta vitae spacia,
Mactavit in se vicia
Crucis ferendo stigmata.

Huius, o Christe, gloria
Iam factus et victoria,
Ipsius per suffragia
Da nobis vitae gaudia.

Laudamus te Patrem Deum,
Unicum simul Filium,
Spiritumque paraclytum,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

a) in arte 5. *In 2 verba* et ipse *in textu omissa, in margine supplevit manus coaeva, recepit* 3 *et Ms. Scotorum a Stengelio inspectum.* b) et 3 *et Ms. Scotorum.* c) t. vivitque beatus in euum. Amen. 3 *et Ms. Scotorum. Stengelius, omisso hoc versu, hos versus incomptos subiungit ex epitaphio isto, quos sequioris aevi esse, ipse iam vidit*

Anno milleno complevit et nonageno,
Quarto Nonas Iulii, hic petens defossa sepulcri,
Sic defunctus tecum iam felix vivit in aevum
Pater is venerandus, et vir cuncta laude precandus.
Inclyte Wilhelme, pater virtutibus redimite,
Alma fac nunc prece, liberemur ut a tristi nece
Corporis et animae, hic Deo famulantes devote,
Obambulando tumbam, tibi patri colendo paratam.
Bona illic dentur, unde nostrae mentes purgentur,
Ubi es nobiscum, dulci somno exspectans Christum
Supreme venturum, et iustis bona vitae daturum.
Wilhelmi abbatis ah! nos vita iungat beatis
Soli me post tui autem, dans videre claritati,
Chorum cum turma, qui caelica sunt super astra,
More Deum laudantes, et dulci sono iubilantes,
Per paradisi prata volvendo carmina lata,
Regi regum Domino qui throno illic sedet in alto,
Valeat vox laudis, in aevum sic semper mansuris. Amen.

d) minor *codd.* e) vel preclari martyris tui *add.* 2.

VITA
ALTMANNI EPISCOPI PATAVIENSIS.

EDIDIT W. WATTENBACH,
TABULARIUS REG. WRATISLAV.

Altmannus episcopus, strenuus in Germaniae partibus Romanae ecclesiae propugnator, iam diu erat ex quo in Gotwicensi quod fundaverat monasterio sepulturae locum acceperat (*a.* 1091), *quum Chadalhohus abbas* (*a.* 1125—1141) *ad praelaturae honorem promoveretur. Hic cuidam de monachis suis fundatoris vitam scribendam iniunxit, brevi ut arbitror post susceptum coenobii regimen; nam superstites erant adhuc, qui Altmannum noverant, qui familiaritate eius usi fuerant. Eorum consilio adiutus auctor opus suum aggressus, quae intra parochiae suae limites Altmannus egit, satis perspicue, etsi minus quam vellemus copiose et accurate, exposuit. Episcopus tunc erat Reginmarus, qui male apud monachos audiebat*[1]*; eo mortuo*[2] *noster caput* 36. *addidisse videtur; nam quae ibi de destructa in episcopatu Pataviensi religione ait, non bene conveniunt cum capite* 17, *quod multo ante scriptum esse existimo.*

De reliquis Altmanni gestis, de partibus quas inter acerrimos Heinrici IV adversarios egit[3], *auctor pauca tantum comperit, et temporum ordinem in his misere turbavit; sed tamen de rebus in Austria gestis quaedam memoriae mandavit, quae in tanta scriptorum penuria ei grato animo accepta referimus.*

Antiquitatis et etymologiarum studiosus Gesta Saxonum *evolvit* (*cap.* 1.) *et fortasse Iordanis librum de rebus Geticis inspexit* (*cap.* 26)*; fabellam postea vulgatam de Norice Herculis filio primus quantum scio protulit. Pontificum Romanorum epistolas, quas laudabili studio opusculo suo inseruit, descriptoris antiqui socordia periisse dolemus. In fine brevem monasterii historiam addidit, quam alii postea continuaverunt, fortasse extremis narrationis verbis mutatis, ut locus quo primus scriptor stilum deposuerit, iam non appareat.*

Anonymi huius opus aliquanto post retractavit Rubertus[4] *abbas. Hic enim quum sub finem saeculi XII in monasterio Gotwicensi moraretur*[5], *precibus monachorum inductus novam Altmanni vitam scripsit, qua de re in prologo ei*

1) Annales Mell. a. 1136. SS. IX, 502.

2) anno 1138, die 30. Sept. secundum Necrol. Florian. et Admuntense.

3) Novissime de eo egit V. C. Jod. Stülz, Denkschriften der kais. Akad. d. W. Vol. IV, Wien 1853.

4) Ita nomen eius scriptum est in codicis Campoliliensis inscriptione: *Prologus Ruberti abbatis in vitam sancti Altmanni Pataviensis episcopi.* Rupertus vocatur in codice Pataviensi quo Boschius usus est. Lazius Commentar. Rom. Reip. p. 1104 vitam antiquiorem Roberto abbati tribuit.

5) Alterius scriptoris aequalis fuit, si cap. 11 recte dixit: *annuente pio principe marchione Liupoldo, huius Liupoldi qui hodie principatur avo*; sed aperte fallitur, eum intelligens qui a posteris proprie Pius dictus est, avum Liupoldi V, qui a. 1177—1194 sedit. Aliter enim de vita priore loquens, antiquiorum quorundam scriptorum designatione uti non potuisset.

praemisso ita loquitur: Conabor quamobrem vestris victus et adiutus precibus, reverendi domini et fratres, scribere aliquid de vita et miraculis tanti pontificis, non in persuabilibus humanae sapientiae verbis, quae michi nulla est, et quam ego cum apostolo stulticiam novi fore apud Deum, sed sermone simplici et pio proponam lectori, quicquid ex antiquioribus quibusdam scriptis recentique memoria vos, filii veritatis, indicaveritis et astruxeritis. *Et capite apud Pezium sexto:* Sed redeundum iam ad narrationem est; non enim doctoris apud vos vicem gero, sed narratoris, earum tamen rerum quas vos scriptis docueritis aut viva voce. *Satis ex his locis apparet, Rubertum Gotwicensis coenobii abbatem non fuisse; praeerat tunc, post Iohannem, Rudmarus abbas c. a.* 1176—1202. *Neque vero mirum videtur, si illo tempore alius quidam abbas, ex suo monasterio fortasse depulsus, apud Gotwicenses refugii locum invenit; quem diutius cum illis moratum esse, ex eo concludas, quod de Altmanni tumba locutus ait:* Multo magis nos arguendi et incredulitatis atque ingratitudinis peccato erimus notandi, si ecclesiae Christi tantas Dei laudes, tanta huius sancti preconia, tantum apud nos repositum thesaurum invideamus vel abscondamus. *Hic igitur Rubertus, quisquis fuit, vitam antiquiorem multis omissis, magna locorum communium mole oneravit; novi praeter miracula aliquot nihil attulit. Quare opusculum eius hic recudere, superfluum existimavi, sed quaecumque alicuius momenti videbantur, corollarii loco vitae priori adieci; ex miraculis prolixe narratis, sola locorum et hominum nomina excerpsi. Codice usus sum praestantissimo saec. XII ex. vel XIII inc. bibl. caes.* 602, *olim hist. eccl.* 152, *ex quo primus Seb. Tengnagel hanc vitam edidit*[6]. *Hieronymus Pez qui eam in SS. Rer. Austr. I, p.* 134 *repetiit, codicem adhibuit Campoliliensem aliumque Vindobonensem Scotorum*[7], *utrumque saec. XIII. Postremus Petrus Boschius in Actis SS. Aug. II,* 378 *codicem quendam Sancti Nicolai Pataviensis subsidio habuit.* 6

Inter vitae antiquioris codices optimus, sed mutilus, est, quem V. D. H. C. Foeringer nobis indicavit, cum ceteris codicibus Monacensibus solita benignitate nobis transmissus,

A. *Ratisbonensis Dominic.* 101, *iam Monac. Lat.* 13501 *fol. In eo enim duo folia postrema desumpta sunt ex codice vitae Altmanni saec. XII scripto, sed qui numquam perfectus fuit; nam folium ultimum, ligaturae conglutinatum, altera facie vacuum est, vitae textu tantum usque ad capitis* 23 *finem perducto. Scripturae perquam nitidae et accuratae specimen tabula praebet; corrector aequalis pauca quaedam emendavit.*

B. *Secundo loco ponimus Legendarium illud Austriacum, cuius exemplaria sat bene exarata sunt, omisso tamen prologo et subinde quibusdam ex arbitrio leviter mutatis, quod etiam in aliis vitis ibi servatis accidit. Contuli*

1. *Codicem Sancrucensem n.* 13 *saec. XII exeuntis.*
2. *Codex Campoliliensis saec. XIII a Pezio inspectus est, qui aliquot eius lectiones adnotavit.*
3. *Mellicensem saec. XV ex. a.* 1847 *in eximio illo monasterio contuli.*

C. *Alio ex fonte manarunt codices duo Monacenses, sed prologo et hi destituti sunt.*

1. *Bawaricus* 847 *saec. XV ch. q. olim ut videtur Pataviensis*[8], *fol.* 3 8

6) Vetera Monumenta adversus Schismaticos. Ingolst. 1612. 4. Repetita inter Gretseri Opera VI, 446. 7) Archiv VI, 185. X, 593. 8) fol. 2. Martinus Hueber Beneficiarius sancti Sixti Reverendique Capituli Pataviensis oblaigarius a. 1538 quaedam scripsit de fundatione monasteriorum sancti Nicolai et Nidernburg.

—16 *continet vitam priorem a.* 1478 *scriptam. Sequuntur vitae alterius capita* 22 *priora, deinde vita Adalberonis. Hic bonae notae est; multo mendosior alter*

2. *Tegernseensis* 526. 2, *ch. qu.ᵒ saec. XV, quem supra p.* 128 *accuratius descripsimus. Uterque codex passim textum genuinum servavit, ubi* B. *et* D. *a vero discedunt.*

D. *Quarto loco veniunt libri, qui vitam in fine truncatam exhibent, subiunctis post vitae antiquioris caput* 41. *miraculis ex altera petitis; sed et ipse vitae textus in his libris minime purus est et integer. Horum princeps est*

1. *Codex Sancti Nicolai Pataviensis* 112, *iam Monac. Lat.* 16112, *mbr. fol. max. saec. XV. In folii primi pagina altera praecipua Altmanni gesta manu satis rudi delineata sunt; deinde post vitam eius fol.* 18 *et iterum* 19 *dies iudicii pictus est, fol.* 20′. 21 *tumba magna eleganter constructa, patronorum figuris ornata; marginem inferiorem Agnes imperatrix et Altmannus occupant. Sequuntur privilegia monasterii, praemissis benefactorum figuris non infelici manu pictis. Postremo loco urbarium Sancti Nicolai scriptum est*[9]. *Vitae textus mendis scatet, quorum multa etiam in* 2 *et* 3 *reprimus, alia vero non; derivati sunt igitur non ex hoc codice, sed ex antiquiore quodam, ex quo et ipse descriptus est.*
2. *Gotwicensis, quem Georgius Mueth, Augustino ad Sanctum Nicolaum praeposito a secretis, a.* 1571 *descripsit. Hoc codice, in quo multa mendose scripta vel ex arbitrio mutata sunt, Petrus Boschius usus est.*
3. *Vindobonensis* 8993, *olim hist. eccl.* 58, *chart. fol. saec. XVII, nullius pretii.*

Primus vitam hanc edidit Iohannes abbas Lambacensis cum vitis Adalberonis et Gebehardi a. 1619, *sed ibi quum alia multa, tum extrema vitae pars inde a cap.* 32. *omissa est; in reliquis stilum mutatum esse apparet. Deinde Hieronymus Pez in Scriptorum Rerum Austr. Vol. I, p.* 115 *dedit editionem bonam et accuratam ad fidem codicum* B 2. 3. *quam Petrus Boschius in Actis SS. Aug. II,* 366, *codice usus* D 2, *corrupit et pervertit. Commentarium autem de vita Altmanni praemisit, docte et diligenter scriptum.*

Nobis igitur quum tanta librorum copia praesto fuerit, non solum id contigit, ut genuina auctoris verba, paucis locis exceptis, nullo labore agnoscere potuerimus, verum etiam magnam variarum lectionum molem prorsus abiicere licuit, quum aliorum codicum consensus ostenderet, singulorum varietatem tantum scriptorum vel negligentiae vel licentiae deberi.

Capitum divisionem a Pezio institutam servavi, quia codices in rubricis ponendis inter se non consentiunt, et divisio, quae in eis invenitur, neque ab auctore profecta esse videtur, neque ulla utilitate commendatur.

INCIPIT PROLOGUS[a].

Domno[b] *Chadalhoho*[c] *illustri patri Gotwicensis*[d] *coenobii quidam suorum ultimus, utriusque hominis in Domino famulatus*[e]. *Laudabile admodum opus, sed sudore plenum, iubes me*

a) *hunc praebent soli* A *et* D, *sed* D 2. 3 *plurimis locis ex arbitrio, ut apparet, mutatum, qualem ex* D 2 *expressum legere est apud Boschium.* D 3 *ad hunc proxime accedit. Pezius editionem Lamb. expressit, quae a codice* D 1 *in paucissimis tantum recedit. Inscriptio in* A *nulla est, in* D 1: Incipit vita beati et Deo digni Altmanni episcopi Pataviensis, monasteriorum insignium sancte Dei genitricis virginis Marie Gottwicensis in Austria et sancti Nicolai piissimi extra muros Patavie fundatoris largifici et magnifici. b) *deest* A. Domino D. c) Cholhocho D. d) *ita cum* D. *scribendum suadet cap.* 16. Kotwiensis A. e) famulatu D 1. famulatum D 2. 3.

9) Hoc codice iam olim Hundius usus est, deinde Monumentorum Boicorum editores Vol. IV. Lectionis varietatem, sed quae summam legentis inscitiam prodat, dedit Th. Wiedemann in libro: Altmann, Bischof zu Passau. Augsb. 1851. 8.

venerande pater, aggredi et materiam disertis merito viris committendam a me praecipis depromi, videlicet vitam praeclari antistitis Altmanni stilo illustrare, ac lucernam iam diu sub modio tectam, ad illuminationem futuris saeculis ostentare: summum nefas aestimans, hunc virum silentio contegi, cuius vita multis virtutibus probata, cunctis simul imitabilis[a], *et praecipue in loco nostro*[b], *cuius ipse fundator extitit, semper sit praedicabilis. Iussioni tuae iuste*[c] *parendum censeo, sed onus impositum*[d] *vires meas excedere video, dum sermone et scientia me imperitum considero. Tamen*[e] *loris obedientiae constrictus*[f] *iniunctum munus*[g] *experiar pro viribus, ut illustris vir diu*[h] *latens in tenebris, producatur in lucem videndus ab omnibus. Ab his itaque qui eum*[h] *praesentes viderunt, et eius obsequio familiarius adhaeserunt, quaelibet eius gesta studiose investigabo, et haec posteris diligenter transmittere*[i] *curabo, videlicet unde ortus, quo loco conversatus sit, qualiter ad episcopatum pervenerit*[k], *quae et quanta adversa in eo pertulerit, qualiter locum nostrum construxerit in quo post obitum sepultus requiescit, qualiter canonica religio in monachicam professionem permutata sit, qualiter idem locus per patrum successiones*[l] *in Dei servitio succreverit. Opto te, pater sanctissime, in Domino semper bene*[m] *valere. Amen.*

INCIPIT VITA ALTMANNI EPISCOPI[n].

1. Scripturus vitam et actus venerandi praesulis Altmanni, non ingratum reor lectoribus fore, prius ortum Saxonicae[o] gentis breviter praelibare, de qua idem vir Domini cognoscitur originem duxisse. Gens itaque Saxonica de exercitu magni Alexandri traditur oriunda; post cuius mortem Ptolomeus et Antiochus et alii quamplures regnum inter se diviserunt, ac diuturnis bellis orbem longe lateque oppresserunt[p]. Quaedam vero pars exercitus de gregariis militibus, quae superstes remansit, ingressa mare piraticam exercuit. Haec classi armis instructa cum valida manu ad Albim[q] fluvium perveniens applicuit, terram Turingorum hostiliter invasit, habitatoribus occisis cuncta illorum bona diripuit, et omnia loca eorum usque ad montem, qui Ramisberc[r] dicitur, usque in hodiernum diem perpetuo iure possedit. Hi homines longis cultellis ut hodie Sclavi[s] pro gladiis utebantur, qui lingua eorum sáhs[t] dicebantur, a quibus Sahsônes, non Sáxones[u] appellantur. Qui viri strennui, nimis[v] bellicosi, viribus et opibus inclyti, circumfusis gentibus saepius bellum intulerunt, suosque terminos usquequaque dilataverunt. Horum audaciam tandem Iulii Caesaris virtus armis perdomuit, ac Romanis tributarios fecit. Post cuius excessum ad pristinam ferociam reversi, Francorum regibus congressi, victores extiterunt, finesque eorum longo tempore gravi dominatione tenuerunt, usque quo magni Karoli[w] strennuitas eos multis praeliis victos subegit, atque ad christianae religionis professionem coegit. Qui Karolus plures episcopatus in diversis locis per totam Saxoniam[x] constituit; de quibus Parderbrunnen[y] in Wesfalia[z], quae est tertia pars Saxoniae[x], instituit. Ut enim totus orbis in tres partes dividitur, scilicet in Asiam, Affricam et Europam, ita Saxonia, immo Sahsonia[*], in tres partes dividitur, ut in gestis eorum scribitur[10]. Ea pars quae eurum respicit, et Poloniae vel Poemiae[a] confinis est, Orientalis Saxonia vocatur; ea vero quae septentrionem contuetur, et Daniam attingit, Aquilonaris Saxonia appellatur[b]; quae autem versus Rhenum occidentem intendit, Wesfalia[z] nuncupatur.

2. In hac igitur Wesfalia[z] Altmannus claris parentibus editus, divinis et saecularibus litteris adprime eruditus, apud Parderbrunnen canonicus fuit, in quo loco multis annis scolas rexit; deinde Aquisgrani canonicis praepositus praefuit[c], quo tempore etiam in palatio tertii Heinrici regis capellanus claruit. Qui Heinricus, cognomento Pius, filius Counradi[d]

a) mirabilis D1 *et Io. abbas*; 2. 3. *totum locum mutaverunt.* b) *deest* D1. c) igitur D. d) quod imponitur D1. e) Inde D1. f) obedire et strictus D1. obedientiae adstrictus *Io. abbas.* g) opus D1. h) *deest* D. i) posteris insinuare D. k) pervenit D1. l) s. usque ad nostra tempora in Dei laudibus succrevit D. m) *deest* D. n) *ita* A. Inc. vita beati Altm. ep. Patav. C2. *desunt rell.* o) Sachson. D1. *constanter, scilicet secundum ipsius auctoris doctrinam, quam ab hoc non observatam fuisse, concludo ex verbis* Saxoniae immo Sahsoniae. p) *ita* A. presserunt *rell.* q) Album B3. C2. Albimi D1. Albinum 2. 3. r) *ita* B2. C1. Rammisberc A. *sed infra* Ramsberc. Kamisberch B1. Camisberc B3. Kamisberc C2. Kamisbere D1. s) Slavi B2. t) *ita* A. sax C2. sachs D1. sahs *rell.* u) *ita* A. q. Saxones nunc app. C2. sachsones non Sachsones D1. Sachsŏnes et non Saxŏnes D3. Sahsones non Saxones *rell.* v) et nimis C1. w) Karoli magni B. C. D. x) Sahs. C1. Sachson. D1. y) Sarderbr. B. C. D. Saderbr. C3. z) Westfalia B1. D. *) Saxonia immo *desunt* B. immo Sahs. *desunt* C. D3. ita Sachs. in D1. a) et Boh. C1. D. b) nominatur A. c) *ita* A. fuit *rell.*; *cf. infra p.* 230, *lin.* 16. d) *ita* A. Cuonr. B1, *sed infra* Counr.; Conr. *vel* Chunr. *rell.*

10) apud Widukindum I, 14; sed pro aquilonari Saxonia hic Angariam ponit.

imperatoris, palatium Goselariae ad radicem montis Ramisberc[a], de quo argentum
tollitur, construxit, et basilicam ibidem apostolorum Symonis et Iudae aedificavit. Quo
1056. defuncto Altmannus reginae Agneti fideli obsequio adhaesit; cum qua Pataviam[b] venit, quo
tunc temporis Egilbertus episcopatus infulam tenuit.

1065. 3. Eo tempore multi nobiles ibant Ierosolimam, invisere sepulchrum Domini, quadam
vulgari opinione decepti, quasi instaret dies iudicii, eo quod pascha illo anno evenisset sexto
11 Kalend. Aprilis, quo scribitur resurrectio Christi[11]. Quo terrore permoti non solum vulgares, sed et populorum primores, genere et dignitate insignes, et ipsi diversarum civitatum episcopi, magna gloria et summo honore fulti, patriam, cognatos et divitias reliquerunt, et per artam viam crucem baiolantes Christum secuti sunt.* Quorum praevius dux et incentor fuit Guntherus Babinbergensis[b] episcopus, vir tam corporis elegantia quam animi sapientia conspicuus; in cuius comitatu multi nominati viri et clerici et laici, tam de Orientali Francia quam de Bawaria fuerunt. Inter quos praecipui duo canonici extiterunt; videlicet Ezzo scolasticus, vir omni sapientia et eloquentia praeditus, qui in eodem itinere cantile-
12 nam de miraculis Christi patria lingua nobiliter[c] composuit[12]; et Counradus, omni scientia et facundia ornatus, qui postea in nostro loco canonicis praelatus praepositus fuit. Quibus Altmannus ex latere reginae cum multis viris de palatio honoratis, factus est comes itineris et socius laboris.

4. Igitur difficile iter peregrinationis aggressi, multas insidias in via a paganis perpessi sunt, et multos ex sociis cum rebus amiserunt. Proh nefas! hostes Christi ipsorum sacerdotum Christi dorso insilientes, eos per campum agitaverunt equitando, calcaribus ut equos urgentes. In hoc itinere contigit quiddam memorabile, quod exempli gratia intersero; ut per hoc illi terreantur, qui sapientum consiliis obstinata mente renituntur. Erat in eadem profectione quaedam nobilis abbatissa, corpore speciosa, mente religiosa: quae postposita cura commissarum sororum, contra omnium sapientum consilium, tantae peregrinationis subiit periculum. Quae a paganis capta, in conspectu omnium tam diu est ab inpudicis stuprata, donec ad opprobrium omnium christianorum ultimum efflaret spiritum. His et aliis multis probris pro Christo ab inimicis Christi affecti, et in omni loco spectaculum et angelis et hominibus effecti, quia per multas tribulationes regnum Dei se intraturos elegerunt[d], tandem per multas tribulationes Ierosolimam pervenerunt. Ibi vota sua persolventes, et hostiam laudis Deo offerentes, ad patriam revertuntur gaudentes.

5. Dum in Pannoniam perveniunt, et in Wizenburc[e] laetos dies ducunt, Guntherus,
Iul. 23. Deo amabilis episcopus, de hoc saeculo migravit, et gaudium Domini sui super omnia
13 bona[f] constituendus intravit[13]. Eodem tempore etiam[g] Egilbertus Pataviensis[h] episcopus
Mai. 17. defungitur[14], atque in caelesti gloria beatis pro dignis[i] meritis coniungitur. Post cuius mortem Agnes regina regnique optimates consilium ineunt, omnes Altmannum in loco defuncti episcopi eligunt. Clerus collaudat, populus conclamat, omnes consona voce dicentes, Altmannum episcopali honore dignissimum, quem doctrina et bonitate scirent plenissimum. Mox mittuntur in obviam viri ex honoratis in Pannoniam, qui virgam pastoralem et anulum sponsalem electo deferant[k], eumque decenti honore ad sedem sibi a Deo praeparatum deducant. Quo adveniente infinita multitudo utriusque sexus obviam ruit[l], pastorem electum cum magno tripudio excipit. Deinde a Gebehardo[m] Iuvavensi venerabili archiepiscopo consecratur, et benedictione percepta ad Pataviam reversus, denuo cum ymnis et canticis susceptus, in episcopali cathedra intronizatur; et quia hunc honorem a Deo promeruerit[n],

* Fuerunt in hac multitudine viri praecipui Sifridus Mogontinus archiepiscopus et Guntherus Babenbergensis episcopus. *Vita altera.*

a) *ita* B 2. 3. C 2. Ramsberc A. Kamsberch B 1. Kamsberckg C 1. Ramsberg D 1. Ramsperg D 3. b) *ita* A. Babenb. B. C. Wirtzburg. D. c) nobilem B 1. d) legerunt A. e) Wizenburch B 1. Wisenburc 2. Wisenburckg C 1. Weissenpurg 2. Wirtzburg D. f) bona sua B 1. g) et A. D 3. h) *ita in* A *scribitur;* Pattav. B 1 *et reliquorum nonnulli.* i) uiuis A. k) *hic desinit primum fragmentum codicis* A. l) venit C 2. iuit D. m) Gebh. B *et alii passim.* n) promerueral B 1. promeruit C 2.

11) scil. in antiquis kalendariis. 12) quam nuper, ut sibi et aliis nonnullis videtur, invenit V. D. Ios. Diemer, qui de Ezzone egit in libro suo: Deutsche Gedichte des 11. u. 12. Jahrh. p. XLVIII et Sitzungsberichte der Kais. Akademie der Wissenschaften VI, 336. 13) Diem obitus adnotaverunt, praeter Lambertum, qui de his omnibus conferendus est, Necrologium Trevirense, Salisburgense, S. Emmerammi, Gladbacense. 14) v. Annales Mellicenses, SS. IX, 499. Etiam in Necrologio S. Emmerammi obitum eius hoc die relatum invenimus.

eius laudabilis vita declaravit. Erat enim[a] doctor veritatis, amator castitatis, bonis ornatus moribus, et ideo acceptus erat Deo et hominibus. Clerum monebat ad pudicitiae amorem, populum docebat Dei timorem, dissidentes revocabat ad pacis concordiam, largis elemosinis pauperum relevabat inopiam. Corpus vigiliis et ieiuniis castigavit, spiritum fletibus et precibus humiliavit, et quod alios docuit, in hoc se ipsum exemplum vivis operibus praebuit. His et talibus fulgens virtutibus, factus est Deo karissimus, quod ipse huiusmodi miraculo dignatus est declarare omnibus.

6. Erat in eodem oppido Pataviensi quaedam femina, cuius filia unica erat leprosa; cui saepius oranti, et salutem filiae a Domino instanter poscenti, in somnis est revelatum, si ablutionem manuum Altmanni episcopi post sacramenta missarum acciperet, et filiam ea[b] perungeret, sanitatem corporis exciperet. Quod dum illa fideliter fecisset, et filiam aqua ablutionis perunxisset, ita a lepra est sanata, quasi numquam fuerit a lepra perfusa.

7. Et quia superius mentio facta est Gebehardi episcopi, non est silentio praetereundum[c] de eo et sociis eius, scilicet Altmanno Pataviensi et Adalberone Wirzeburgensi[d] episcopis praesagium. Cum adhuc scolares essent, et quadam die ad cuiusdam fontis fluenta forte panem comessuri, sed non saturandi, resedissent[e]; ad invicem conludebant, et se episcopos futuros pronuntiabant. Gebehardus dixit, se in Salzburgensi ecclesia episcopum futurum; Adalbero Wirzeburgensis ecclesiae sedem se adepturum; Altmannus vero, Pataviensem cathedram se possessurum: quod totum ita probavit eventus. Nam et[f] Gebehardus in Salzburgensi ecclesia est pontifex infulatus, et Adalbero in Wirzeburgensi sede antistes sublimatus; Altmannus vero in Pataviensi cathedra praesul ordinatus. Sed et[g] hoc notandum, quod quisque eorum in loco, quem ipse construxit, requiescit. Gebehardus namque coenobium quod Admunt[h] dicitur construxit, in hoc ipse sepultus requiescit; monasterium Lambach ab Adalberone aedificatur, in hoc et ipse nunc tumulatur; coenobialis vero ecclesia in monte Gotewich[i] ab Altmanno construitur; in hac et ipse sepelitur[15].* 15

8. Quae autem in episcopatu praeconiis digna fecerit, quas persecutiones propter iustitiam a membris diaboli pertulerit, sequens sermo explicabit. Quia noverat se ad hoc a Deo super familiam Dei constitutum, ut destrueret et dissiparet, et aedificaret et plantaret; in quibusdam locis servitium diaboli destruxit, in quibusdam servitium Christi instruxit. Inprimis namque in suburbio Pataviensi ecclesiam in honore sancti Nicolai super ripam Eni fluminis constituit, quam multis praediis et vineis dotavit[16]; et huic loco praefecit Hartmannum praepositum, virum omni sapientia et facundia praeditum, qui Ruodolfi regis capellanus floruit, et Urbano papae suisque successoribus notissimus fuit. Hic religiosos et clericos et laicos sibi ascivit, quos communem vitam sub regula beati Augustini ducere docuit. Hoc modo aedificavit; qualiter autem destruxerit, dicemus. 16

9. Est locus in Norico Ripensi, dictus ad domum sancti Floriani. In hoc loco erant clerici coniugiis et lucris[k] saecularibus intenti, negligentes servitium Dei. Hos providentia episcopi inde eliminavit, et religiosas personas ad serviendum ibi Deo congregavit. Porro ipse locus fertur quondam a monachis inhabitatus, sed ab Ungaris destructus; denuo ab Egilberto episcopo reparatus, clericis est mancipatus. In alio coenobio, scilicet sancti Ypoliti, erant clerici ebrietati, voracitati, libidini et usuris impliciti. Quos episcopus Altmannus canonica censura de loco expulit, et religiosos viros pro eis restituit; quibus praefecit Engilbertum praepositum, virum omni prudentia et eloquentia praeditum**. Porro clerici expulsi furiis

* Attendite quaeso, pontifices nostri saeculi, quae vobis memoria succedat: non de constructione ecclesiarum, sed castellorum, quae vos in excelsis et praeruptis montibus pauperum sudore et viduarum minutis instauratis. Ad quid autem nisi ut abinde pellantur homines, non demones: inibi vincti gemant in ergastulis, deficiant in suppliciis; ut ibi peccatores non convertantur, sed puniantur: puniantur non ad peccatorum veniam, sed ad vestrae iniuriae vindictam? *Vita altera.*

** Coenobium sancti Yppoliti scholarum studiis usque nunc insigne. *V. altera, ubi quae de perversis illis clericis hic referuntur, omissa sunt; leviter tantum collapsa in his locis disciplina*

a) Etenim B 1. b) eius B 1. c) pretermittendum B 1. d) Wirzenburg. B 1. Wizzenb. C 2 *et hic et infra.* e) sedissent B 1. f) *deest* B 1. g) ad D. h) Admunt. *corr.* Agmunt. B 1. i) Kůtewich B 1. Gotewic B 2. Kotewic B 3. Kottewic C 1. Gotwick 2. Kotewig D 1. Gottwich 2. Kettweih 3. *Ego in scribendo hoc nomine, quod in unoquoque loco codices admodum diverse scriptum praebent, auctoris etymologiam cap.* 16 *propositam secutus sum.* k) curis B 2. *deest* C 2.

15) Cf. de his vitam Gebehardi SS. XI, 37 et Adalberonis supra p. 129. 16) Coeptum est a. 1066, secundum Annales Altahenses, ed. Giesebrecht p. 108, confirmatum 8. Kal. Iun. 1074 per Heinricum IV,

comprehensi, aegre ferentes expulsionis suae opprobrium, sumptis armis audacter ingressi sunt monasterium; fugatis omnibus cellarium fratrum fregerunt, et vinum in terram fuderunt. Quod facinus statim ultio divina secuta est; nam omnes in amentiam versi, avia petierunt deserti.

10. Praeterea sancti Agapiti monasterium, quod Cremesmunster[a] dicitur, erat tunc temporis satis magna infamia respersum. Nam monachi illi, iugo regulae abiecto ac monastico ordine relicto, longe prae saecularibus saeculariter viventes, proprietatem habentes, per omnia vitiorum crimina erant insanientes: detractores, murmuratores, rebelles, protervi, ventri et luxui[b] tantum dediti, et ad omne opus bonum reprobi. Horum praelati erant voluptatum amatores, religionis spretores, lucris inhiantes, subditos in flagitiis superantes. Hi viri pestiferi substantiam monasterii luxuriose vivendo dissipaverunt, demum sanctuarium Dei igni incenderunt. Hos solertia episcopi cum magno labore de loco eiecit, et venerabilem virum Theodericum abbatem ibi praefecit; qui monastici tramitis sectatores
17 de Goize[c] adduxit[17], quos sub magisterio beati Benedicti per normam regularis vitae verbis et exemplis instruxit. Unde et magnam persecutionem a rebellibus regulae sustinuit,
2 Tim 3,12. quam ipse patienter tulit, sciens scriptum[d]: *Omnes qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutionem a malis patiuntur.* Sed is locus postmodum per Adalrammum, virum generosum et abbatem praedicandum, tanta religione et honestate est immutatus, ut ceteris circumquaque abbatiis, praediis, aedificiis, libris, picturis et aliis ornamentis sit praelatus, insuper et viris litteris eruditis et artibus egregie peritis insigniter usque hodie fulgeat exornatus. Post hanc destructionem inchoavit meliorem aedificationem. In monte quippe excelso, qui vocatur Gotewich[e], condidit sanctae Dei genitricis Mariae decorum habitaculum, in quo ipse postmodum sepultus, receptus est in aeternum Dei tabernaculum. Sed qualiter hoc sit factum, suo loco plenius explicabimus.

11. Cum itaque bonus agricola vineam summi patrisfamilias excoleret, videlicet sterilia sarmenta amputando, botriferos palmites propagando; Pataviensis ecclesia, immo totum Teutonicum[f] regnum sacerdotum[g] vita commaculabatur: quia paene omnes publicis
1074. coniugiis, ut populares, ubique infames tenebantur. Unde et apostolica censura digne indignata, decreta quaqueversum per ecclesias direxit, viros divinis officiis mancipatos a contubernio feminarum retraxit. Cui cum omnes prono animo obedirent, et suos canonicos et per villas presbyteros monitis et minis a coniugibus[h] prohiberent; Altmannus collecto undique fratrum concilio, in ipso Pataviensis ecclesiae gremio epistolas ab apostolico missas coram omnibus recitari praecepit, canonica iura proposuit, consecratos viros ab uxoribus abstinere censuit. Qui graviter dolentes, se assueta relinquere et insuetis colla submittere, responderunt se nec velle nec posse hanc consuetudinem deserere, quam ab antiquis temtoribus constaret eos sub[i] omnibus antecessoribus episcopis habuisse. Quibus ipse e diverso[k] respondit, nec se velle nec posse eis consentire ad hoc flagitium; unde et ipse haberet periculum, et illi aeternum subirent supplicium, praesertim cum scirent scriptum:
Rom. 1,32. *Non solum qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus, digni sunt morte.* Sed cum ei nulla ratione assensum praeberent, magis autem pravo consilio de interitu eius tractarent; ut sapiens medicus interim conticuit, et secretum consilium cum sapientibus super hac re
Dec. 26. habuit. Adveniente autem festo sancti Stephani,* cum plurimi convenirent primates et populi; fortis praeliator Christi accensus zelo Dei, tota arma iustitiae convertit in ipsam arcem[l] iniquitatis, et fortiter aggressus est debellare impugnatores castitatis. Nam coram omni frequentia cleri et populi ascendit in ambonem, et publice recitavit apostolicae epistolae tenorem, gravi interminationis auctoritate interdicens canonicis et presbyteris coniugia, secundum canonum[m] et apostolici[n] instituta. Qui omnes unanimiter furore repleti, iam

attingitur his verbis: Igitur pestilentes quosque et corruptos et abominabiles factos in studiis suis de sanctis locis undique proturbat, providens vice illorum religiosos tam prelatos quam discipulos. Inde iam reflorere religio *etc.*

* quem illa ecclesia patronum veneratur. *Vita altera.*

a) *ita* B 1. Cremsmunster 2. 3. D 1. Chremesmunster C 1. Chremsmůnster 2. Khrembßmunster D 3. b) luxuriae *Pez.* C. c) Goyze B 1. d) apostoli *add.* D *et secunda manu* C 1. e) Cotwich B 1. Kotwich *Pez.* C 1. Gotwick 2. Rottwich D 1. Gottwih 3. f) Theotunicum C. D. g) scelerata *add.* D 3. h) coniugiis C 1. D. i) ab D. k) converso C 2. l) arcem C 1. artem *rell.* m) ea nova C 2. n) apostolica B. D.

17) Gotsawe dioec. Spirensis, Hirsaugiensium colonia, secundum historicos Cremifanenses.

tunc in praesentiarum Dei famulum furibundis manibus discerpsissent, nisi divinum auxilium et optimatum praesentium praesidium furentibus obstitisset.

12. Ea tempestate quartus Heinricus, filius Heinrici pii imperatoris, admodum puer in regnum electus, absque frenis disciplinae pro libitu delicate enutritus, fuit omnium seditiosorum[a] fautor, omnium bonorum acerrimus impugnator. Qui vix adolescentiae metas transgressus, totus fertur in praeceps ut equus et mulus; curam regni negligens, gulae et Psal 31, 9. luxui serviens, regiam mansuetudinem in tyrannidem commutavit; liberam dominam, scilicet ecclesiam, ut ancillam servituti subiugavit, dum omnia iura ecclesiastica more Iezi vendidit, omnia loca replevit luxuria; regnum totum permiscuit sanguine, incendio, rapina; praesules venerandi de sedibus suis eiciuntur; homines abominandi ecclesiis Christi praeficiuntur; principes odiis et inimicitiis exardescunt; milites agricolis omnia sua diripiunt; oritur undique luctus et clamor; regnat ubique metus et maeror.

13. Quo ululatu[b] excitatus[c] papa Gregorius vita et doctrina vere apostolicus, eundem Heinricum, non regentem, sed omnia perdentem, ad audientiam sui vocavit; renitentem venire excommunicavit. Hunc talem virum, ab ecclesia alienum, Patavienses clerici, immo 1076 iam haeretici, adeunt; horrenda crimina episcopo suo impingunt, et totis viribus laborant, ut eum de honore episcopatus deiciant. Quorum querimonia Heinricus flexus, hostiliter Pataviam ingressus, cuncta loca adulteriis polluit, expulsos ab episcopo bonis suis restituit[18]. Quo recedente fratres de Sancto Nicolao omnia loca polluta scopis et aqua benedicta 1077. emundaverunt, et incestos de loco pepulerunt. Quod factum dolentes fautores Heinrici, servos Dei violenter extrahunt de ecclesia sancti Nicolai, ac virgis publice caesos, ut Pharisaei apostolos, de finibus suis eiciunt, haereticos et incestuosos sancto loco praeficiunt. Pastoribus igitur a furibus et latronibus fugatis, confestim dominicus grex a saevis lupis invaditur, ovile Christi in diversa dispergitur, substantia servorum Dei a raptoribus dividitur. Sed illi rapinam bonorum suorum cum gaudio susceperunt, et pro persecutoribus suis oraverunt. Sic episcopalis sedes Pataviae facta est sedes Sathanae, et ecclesia fidelium facat est ecclesia[d] malignantium, et locus ubi prius erat habitatio Christi servorum, factus est prostibulum scortatorum.

14. Altmannus itaque Deo dignus, sic praevalente iniquitate de sede sua propter iustitiam[e] eiectus, in Saxoniam[f], scilicet patriam suam, revertitur; et ibi quasi in exilio inopia et egestate afficitur, sciens se hic non habere manentem civitatem, et ideo futuram patienter inquisivit per multam tribulationem. Post haec adiit apostolorum limina, exponens 1079. papae Gregorio cuncta suae tribulationis discrimina; cui etiam pontificium reddidit, eo quod illud a laica manu susceperit. Apostolicus vero eius condolens casibus, retinuit eum secum per aliquod tempus. Et cum quadam die in ecclesia positus Altmannum restituendum cum cardinalibus disponeret, et ipse humiliter onus episcopatus rennueret; subito columba volitans per cuncta loca oratorii, quasi errabunda venit super caput Altmanni. Quod dum omnes mirati, divino nutu factum crederent, et eum dignum officio pontificali proclamarent; papa nil cunctatus, mitram de capite suo tollens, capiti Altmanni imposuit, eumque episcopum et Romanae sedis legatum constituit, et auctum benedictione in propriam sedem cum gaudio remisit[19]. 19

15. Dum Romae haec geruntur, interim fautores Heinrici Mogontiae contrahunt con- 1085. cilium malignantium; in quo proferunt inauditum omnibus retro saeculis iudicium, papam Gregorium per omnia catholicum, ipsi ab ecclesia abdicati abdicantes, omnesque sequaces eius ipsi damnati sub anathemate[g] damnantes[20]. Quo facto Gregorius pervigil pastor 20 ecclesiae ab Urbe violenter armis fugatur, ovile Christi a saevis lupis dissipatur, Wicpertus[h]

a) *ita correxi;* seditiorum B. C. D 1. seditionum *quod in* B 1. *manu secunda scriptum est, Pez.* D 3. b) eiulatu B 2. c) excitus B 2. *et* C 1. *ubi correctum est.* d) synagoga B 1. e) iniusticiam B 1. f) Sahson. B 1. Sachs. D 1. g) d. anathematizate d. D. h) Wibertus B 2. Wicbertus 3. C 1. D. Wichbertus C 2.

18) cf. Bertholdi Annales a. 1077. Sed rerum ordo hic magnopere turbatus est. Altmannus enim iam m. Oct. a. 1076 Triburiae Gregorii legatione functus erat, teste Lamberto cum Bertholdo; Mart. 1077 a Mariano Scoto inter electores Rudolfi tyranni commemoratur, quem deinde, Bertholdo teste, in Saxoniam secutus est. 19) Altmannum, quem legati munere iam a. 1076 functum supra vidimus, a. 1079 ad concilium Romanum venisse, testatur Bertholdus SS. V, 316; postea apud papam moratum, ipse Gregorius apud Brunonem de bello Saxon. c. 120. 20) Hoc Wormatiae a. 1076 factum constat, sed Maguntiae in concilio mense Maio 1085 habito episcopi Gregoriani damnati sunt, aliique eis substituti.

haereticus, vir omni spurcitia plenus, apostolicam sedem invadit, qui sacerdotium profana-
21 vit, totum populum et regnum foedavit[21]. O facinus! Electi ecclesiae pastores de sedibus suis perturbantur[a], lupi rapaces subrogantur: quorum factione praesul Altmannus sede sua privatur, Herimannus frater ducis[22] Liutoldi[b], pontificali infula sublimatur. Super quo facto quale gaudium diabolus in suis membris habuerit, audire licebit.

Psal. 123, 7. 16. In expulsione sui pastoris cantavit clerus exultans: *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus.* In susceptione Herimanni invasoris cecinit laetus: *Advenisti desiderabilis, quem expectabamus*[c] *in tenebris.* Quid hic dicendum vel scribendum? Hoc utique quod Dyonisius Ariopagita scribit ad Iohannem apostolum in Pathmos exilio relegatum dicens: *Ut quid ab impiis Christus crudelis*[d], *quia in iudicio separabit malos a bonis? Nonne multum dolent in eorum cohabitatione, et nimium exultant in eorum separatione? Graves sunt eis etiam ad videndum, quos timent eis pessimis viis fore impedimentum. Iuste ergo iustus iudex eos in iudicio ab invicem separabit, dum illos supplicio, istos aeterno gaudio mancipabit.* Heriman- nus autem vix[e] per biennium [oves alienas totondit et mulsit[f]], et sic iudicio Dei vitam
1087. cum infula amisit: qui tamen dicitur in extremis poenituisse, et induvias[g] suas Altmanno
23 episcopo pro absolutione anathematis misisse[23]. Quo defuncto, quidam Wirziburgensis canonicus, Tiemo[h] nomine, indignus cidari sedem Altmanni pecunia invasit, et episcopatum tantum usque ad Anasim[i] fluvium magis oppressit, quam rexit. Altmannus vero in orientali provincia* clerum et populum canonice gubernavit, et coepto operi in monte Gotewich[k]
*24 toto annisu[l] instabat[24]. In quo loco dum quadam die missarum sollemnia celebraret, et quidam diaconus adventitius, sinistrae famae, euangelium lecturus benedictionem ab eo peteret; episcopus eum diutius intuens, stolam de collo eius abstulit, et alium legere praecepit. Unde patet, venerando viro aliquid de eo revelatum, quod aliis fuit celatum. Qui verecundia compulsus, de monte ad Heinricum fugit, pessimum crimen episcopo et omnibus fratribus imposuit; sed ab eo confutatus, pessima morte periit.

17. Nunc operae pretium est evolvere, ad quam uberem fructum terram sterilem vomere sani dogmatis praesul Altmannus perduxerit, quam incultam et sentibus plenam suscepit. Ante eius adventum omnes paene ecclesiae in illo episcopatu erant ligneae et nullo ornatu decoratae; immo ipsi earum presbyteri, ut ita dicam, lignei erant, quia coniugiis et terrenis negotiis dediti, divinis officiis penitus ignari, *Miserere mei Deus* pro canone, *Attendite* pro passione legebant. Nunc autem ex eius industria omnes paene ecclesiae in episcopatu sunt lapideae, libris, picturis et aliis ornamentis decoratae, et quod maximum est, castis et eruditis viris bene munitae. Insuper tota illa patria crebris[m] coenobiis monachorum et canonicorum[n] refulget, in quibus nocte ac die magna diligentia divinum officium fervet. Fama quippe eius opinionis adtraxit ex omni climate ad eum viros summae religionis, quos per diversa collocans monasteria, providit eis vitae necessaria**.

18. Erat namque in domo Domini columna marmorea, de qua fertur praedixisse Sibilla, cum distinxisset saecula per diversa metalla, scribens domum magnam erigendam, septem generibus columnarum fulciendam: quarum primae essent aureae, secundae argenteae, tertiae aereae, quartae ferreae, quintae marmoreae, sextae ligneae, septimae, quae[o] et ultimae, harundineae. Hoc ipsa quidem in spiritu praevidit futurum, sed nos iam cernimus

25 * annuente pio principe[p] marchione Liupoldo[25], huius Liupoldi qui hodie principatur avo, cuius nobilitas, pietas et fidelitas ditissima usque nunc constat hereditate. *Vita altera.*

** *De his ita scribit Rubertus:* Porro quantum ecclesia Pataviensis eius praesulatus tempore in constructionibus et correctionibus monasteriorum, et structuris et ornamentis ecclesiarum, et honestate ministrorum profecerit, dicerem si non contradiceret ex magna parte status immo casus rerum praesentium.

a) proturbantur C 1. b) Lupoldi B 1. Luitolfi C 2. Luidoldi D 1. c) *ita* C 2. expectamus *rell.* d) reputatur *additur in ed. Ioh. abbatis. In allegata ab auctore epistola haec verba non inveni.* e) vixit D. f) *haec verba ex Vita altera supplevi, quum aliquid excidisse pateat.* g) inducias D. h) Dyemo C 2. Thyemo D 1. i) Anesum B 2. C 2. Anesim B 3. C 1. D. k) *ita hic, ut supra, scripsi; diversas huius nominis lectiones unoquoque loco adnotare omisi.* l) nisu C 1. D. m) plena B 1. n) et can. *desunt* B 1. o) septimeque et B 3. C 2. p) pr. *et* huius - hereditate *in codd. Campolil. et Vindob. Scotorum desunt.*

21) Wiceperto mense Martio a. 1084 ordinato, Gregorius mense Maio Urbem reliquit. 22) Carinthiae, a. 1077 1090, filii Marcwardi de Epstein. 23) Cf. Bernoldum a. 1087. 24) Iterum ordo rerum turbatus est; nam fundationem Gotwicensem Altmannus perfecit, postquam a. 1080 e Saxonia rediit. 25) Liutpoldo II, 1075—1095; cf. Praef. p. 226.

factum. Magna etenim domus erecta est ecclesia de vivis lapidibus constructa, per latitudinem totius orbis diffusa. Cuius primum aureae columnae erant apostoli[a]; deinde[a] apostolorum successores, castitate et eloquentia ut argentum nitentes; aereae vero columnae erant doctores, doctrinae boatu[b] dulciter ut aes sonantes. Porro ferreae columnae erant martyres, in tribulatione patientes, omnia adversa ut ferrum vincentes. Marmoreae autem columnae erant episcopi, in fide recti, in operibus firmi: ex quibus Altmannus episcopus, ut varium marmor, diversis virtutibus domum Domini suffulsit, et tempora usque ad finem vitae verbo et exemplo ornavit. Ligneae vero columnae sunt[c] carnales praelati, terrenis tantum studiis impliciti, qui a vitiis, ut lignum a vermibus, facile corrumpuntur, et adversis leviter franguntur. Harundineae vero columnae sunt symoniaci, qui non intrant per ostium Christum[d], sed per pecuniam quasi per murum ascendunt; oves mactant et perdunt: non gregem Christi, sed se ipsos pascunt; lac et lanam sumunt, et omnia spiritualia cum Symone emunt, cum Iezi vendunt, et ideo sub aedificio domus Dei ut harundo[e] subsidunt. Episcopus autem Altmannus machinam domus Dei quatuor principalibus virtutibus quasi quatuor fulchris sustentavit, quibus sibi commissos quasi in quadriga de terrenis ad caelestia sublevavit. Prudentia quippe floruit, dum sibi in futurum vivis operibus providit; fortitudo hunc roboravit, dum minas terreni imperii non formidavit; iustitia se induit, dum errantes ab errore ad viam veritatis reduxit; temperantiae adhaesit, dum in his singulis modum non excessit. O virum omni laude praedicandum, omni praeconio commendandum! Qui exemplo Christi convertit naturam aquae in saporem vini. Quod[f] hoc modo traditur factum.

19. Quadam die praecepit pincernae, ut sibi in mensa poculum aquae secreto apponeret, et ne hoc sibi assidentes sentirent, spuma[g] cervisiae superfunderet. At ille fecit sibi ut fuerat imperatum, apponens episcopo aquae poculum. Sed cum vir Dei ori admovisset[h] aquae liquorem, invenit optimi sed insoliti[i] vini saporem. Qui putans, pincernam sibi illusisse, et vinum pro aqua sibi propinasse, mandati sui transgressorem duriter increpavit; sed ipse maximis iuramentis se aquam, ut sibi iussum fuerat, apposuisse affirmavit. Episcopus autem divinae gratiae opus sentiens, et celare cupiens, conticuit. Sed caeleste munus celari non potuit; nam pincerna sublatum de mensa poculum invenit optimum vinum. Qui postmodum in loco nostro factus monachus, rem ex ordine retulit omnibus. Benedictus Dominus, qui facit mirabilia solus, qui famulum suum hoc facto mirificavit, qui omnes iustos ab initio signis et miraculis glorificavit.

20. Alio[k] tempore dum sacro altari missas celebraturus astaret, contigit ut quidam daemoniosus horribiliter in ecclesia clamaret. Interrogavit vir Dei, quidnam hoc esset? Responderunt astantes, hominem ibi atrociter a daemone vexari, et vix a multis ligatum teneri. Quem praesul Deo dilectus iussit ad hospitium pauperum duci, et cibum ei in nomine Domini dari; a quo confestim spiritus nequam recessit, et homo sanus ad propria rediit.

21. Mira mirandis succedunt, et virum mirandum futuris saeculis ostendunt. Quidam clericus daemone plenus est ad eum adductus. Quem homo Dei continua oratione expulso daemone curavit; peccatum, pro quo diabolo permissus[l] erat, abdicare imperavit, praedicens ei, si peccatum iteraret, dominium diaboli non evaderet, iussitque ut in claustro cum fratribus communem vitam duceret. Pro quo fratres petebant episcopum, ut eum promoveret ad presbyterii gradum. Sed venerandus praesul eis praedixit, quia ei ordinari non expedit; tandem victus precibus fratrum, ordinavit eum presbyterum, praenuntians ei terribile Dei iudicium, si nollet vitare horribile peccatum. Qui per aliquot annos missas celebrans, et interim interdictum scelus devitans[m], deinde quasi oblitus episcopi admonitionem, ut canis reversus[n] ad vomitum, ad pristinam rediit consuetudinem; sed eodem momento in se ut prius saevum sensit daemonem. A quo iterum sanctus vir inmundum spiritum expulit, et penitus eum ab officio altaris submovit, et iterum atque iterum de nefando opere admonens prohibuit. Qui terrore episcopi et recentis supplicii[o] aliquanto tempore a peccato abstinuit; sed quia heu longa consuetudo carnalis concupiscentiae vertitur[p] in legem

a) *deest* B1. b) beati B4. inebriati D1. c) erant et sunt D. d) *deest* B1. Christi C2. D3. e) hirundo B3. D. f) Q. h. m. t. f. *desunt* B3. g) spumam C1. D. h) admisisset B1. i) o. scilicet melliti C2. k) *hic incipit alterum fragmentum codicis* A. l) dimissus C1. D. dyabolus admissus C2. m) evitans C1. D. n) r. est ad pr. c. A. *nescio an recte;* ad pr. r. *desunt* B1. ad v. *desunt* D1. reversus *deest* D3. redit *Pez.* C1. o) r. timore s. *Pez* C2. D. p) convertitur A.

naturae, defuncto episcopo ad stultitiam suam rediit. Quam dum saepius iterat, diabolus, ut scribitur, assumens alios septem nequam spiritus, eum intrat[a], crudeliter nocte ac die vexat, omnia turpia et nefaria ab eo gesta per os eius propalat. Quid plura? Impurus homo, qui blandis verbis episcopi a peccato non vincitur, duris vinculis stringitur; custodia hominum artatur, qui custodiam angelorum aspernabatur. Tandem in festo sanctae Mariae, in quadragesimali tempore, precibus fratrum a maligno spiritu eripitur, et post triduum oleo unctus et corpore Christi munitus defungitur.

22. Alius clericus erat pessimo daemone pervasus, ut vix aliquis sanus insani manus evaderet. Quem episcopus benedicens, daemonem ab eo exire compulit, et hominem sanitati restituit. Unus ex fratribus[b] orationi et veniis[c] valde deditus fuit, unde et periculosum fluxum sanguinis incidit; qui missus ad episcopum, ab eo meruit benedici, et mox est redditus sospitati[d]. Item alius frater precibus et veniis[c] magno studio intentus, interius totus est confractus; qui simili modo curatus episcopi benedictione, revertitur cum exultatione.

23. Amabilis Deo praesul exemplo Christi pro suis quidem inimicis oravit, sed Deus omnes adversarios eius[e] ut hostes David prostravit. Quidam comes partis Heinrici[f] venit ad episcopum, promittens ei cum iuramento fidelitatis obsequium. Qui forte agmen cornicum conspiciens, sibi imprecatus est, dicens, ut quot cornices cerneret, tot daemones animam eius possiderent, si fidem Altmanno episcopo promissam non servaret. Sed non multo post rupto foedere pacis, ad Heinricum convertitur, et hostis ecclesiae efficitur; quem vinculis anathematis innectit[g] episcopi animadversio, et continuo sequitur divina ultio. Nam inopinate circumfusus ab hostibus, multis sauciatur vulneribus, et paene detruncato femore claudicat ut Iacob, immo ut Aeneas omni tempore[h].

24. Quanta autem constantia Altmannus episcopus Deo dilectus potentes saeculi represserit, quos pertinaciter iura ecclesiastica calcare sensit, cum nullum de suis propinquis secum habuerit, hoc uno exemplo cognosci poterit. Erat ibi quidam praedives nobilis homo, qui defuncti fratris sui beneficium, quod de episcopatu habuit, quasi hereditario iure obtinere voluit; sed episcopus iure illius terrae contradicente, ei praestare noluit. Unde ipse magnam iniuriam saepe episcopo intulit, quam Dei servus diu patienter tulit; sed iustitia exigente compulsus a suis, eum demum mucrone anathematis perculit. Cuius communionem cum quique religiosi declinarent, et primi Orientalis provinciae eius consortium devitarent; verecundia cogente, in loco Sancti Ypoliti episcopum adiit, ante cuius pedes diutissime in profunda nive nudis pedibus iacuit. Qui prius non meruit habere locum reconciliationis, donec villam, quae Ratolfisdorf[i] dicitur, tradidit in ius episcopalis dominationis; et sic tandem multis nobilibus petentibus vix praesul exoratus absolvit eum a vinculo excommunicationis. Acceptam autem villam mox delegavit super altare sanctae Mariae in Gotwicensi coenobio.

1081. 25. Interea marchio Liupaldus[k] coadunatis primoribus sui regiminis in villa, quae
26 Tulna dicitur, dominium Heinrici tyranni iureiurando abnegat[26], Altmannum praesulem
magnis laudibus praedicat, omnes fautores Heinrici de sua potestate expellit, omnes apostolicae sedi et eius legato obedientes totis armis defendit. Unde Heinricus ira succensus,
27 marchiam Liupaldi tradidit duci Poemiorum[27], instigans eum ad odium Christi bellatorum.
Dux vero animo crudelis, collectis Sclavis et Bawaris, fines Altmanni et Liupaldi hostiliter
1082 Mai. 12. intrat, cuncta igne et ferro vastat; cui Liupaldus cum omni populo suo in loco, qui Mouriberch[l] dicitur, occurrit, eum ultra progredi non sinit. Ibi instructa acie, utrimque tubis clangentibus, primitus cum telis et pilis concurrunt, deinde gladios cominus stringunt. Ingens ibi certamen magnis viribus geritur, multus utrimque populus saucius sternitur, tandem occulto Dei iudicio hostis victoria potitur. Nostrates victi fugam ineunt; quos adversarii insequentes, passim per campos caedentes sternunt, alios captivos cum praeda

a) intrant . . vexant . . propalant B 1. b) Unus fratrum B 1. c) *i. e. genuflexionibus;* ieiuniis D 3. d) sanitati *corr.* sosp. A. sanitati *superscr.* al. sospitati B 3. san. D. e) suos B 1. f) *deest* B 1. *ubi litterae aliquot hic erasae sunt.* Heinricianae *Pez* C 2. Heinrici N. D 1. Heinr. IV. D 3. g) nectit B 1. h) *hic desinit alterum fragmentum codicis* A. i) Radolfsdorf B 1. Rattolsisdorff C 1. Ratalsisdorff D. k) Liupoldus B 2. Lewpoldus, *infra* Luipaldi, Luipoldi C 1. Limpald. C 2. Leopold. D. l) Moriberch B 2. Mouriberch 3. Muriberg C 1. Nidiberg 2. Müribergk D 1. Miriberg 3. *nunc Mailberg*

26) cf. Ann. Mell. a. 1081: *Altmannus antistes marchioque Lupoldus aliique principes iurabant contra regem Heinricum* 27) Wratizlao.

abducunt, totam terram illam in solitudinem redigunt. Hac infelici strage patrata, magna fames est secuta, quae reliquias populi consumpsit, qui manus hostium vix evasit. Qua necessitate compulsi, omnes Altmannum adeunt, alimoniae auxilium petunt. Quibus fidelis dispensator ex intimo corde compatiens, cunctam supellectilem episcopii sui usque ad ipsum linteamen vendidit, et indigentibus cuncta distribuit; unde pater pauperum est dictus. In monte quoque Gotwicensi multa milia pauperum pavit, in quo monte saepius cum dilectis spiritalia tractavit. Unde autem tracta sit ethimologia vocabuli huius montis, paucis pandam lectori, ut a maioribus accepi.

26. Terra quae nunc Orientalis dicitur, quondam a Gothis inhabitata fertur. Quae gens Martem prae ceteris diis colebat, eo quod ipsa prae ceteris gentibus bellicosa erat, et ipsa Martem de sua gente originem duxisse memorabat. Hic gladium habuit longe aliis dissimilem, nostrae aetatis inexpertem[a] arte fabricatum, incredibili calibis duritia limatum; cui nulla ferri materia obstaret, quin eam ut fragile lignum secaret. Hunc gladium Vulcanus, Graecorum in fabrili arte peritissimus, fertur fabricasse, et Marti duci Gothorum[b] pro munere obtulisse. Unde fabulose dicitur Mars Vulcani coniugem amasse, et Vulcanus aeneis cathenis Martem colligasse; quia et Mars artem Vulcani amavit, et ipse Marti bellica arma subministravit. Qui uterque post mortem in deum relatus est a sua gente. Hic gladius post multa milia annorum inventus, Attilae[c] regi Hunorum traditur, cuius terrore tota paene Europa eius ditioni subditur[28]. Ab hoc gladio dux Gothorum primitus Mors est dictus, postmodum o littera in a mutata, Mars est appellatus. Mars autem lingua eorum dicitur Wich[d]; ergo a Gothis et Wich[e] mons vocatur Gotewich[f], non ut vulgus dicit, Kotewich[g]. In hoc monte fertur quidam dux eiusdem gentis, nomine Gotefrit, habitasse, et ibi Wich[h], id est Martem deum coluisse; quod adhuc fossae et valli testantur, et antiqua aedificia vel idola ibi reperta.

27. Hic mons ab aliis montibus aliquo spatio disiunctus, excelso vertice nubibus paene coniunctus, situ oblongus, forma rotundus; prius silva nemorosus, nunc vineis et pomiferis arboribus consitus; prius lacis[i], nunc puteis irriguus; prius pascuis, nunc aedificiis inclytus, septem ecclesiis decoratur, quia septem donis Spiritus sancti sublimatur. In uno quippe iugo caelo contiguo gestat ecclesiam sancti Georgii martyris honore constructam, cui inclusa cum aedificiis suis coniungitur; aliam in excelsa rupe in honore sanctae Erindrudis[k] virginis erectam, cui habitaculum hospitum copulatur. Tertia in planitie sui in honore sanctae Mariae perpetuae virginis sustollitur, quae et principalis cernitur, et octo altaribus insignitur; cui claustrum fratrum connectitur. Quartam[l] in honore sancti Benedicti erigit, cui domum infirmorum subicit. Quinta est peribolus in honore sancti Iohannis baptistae constructus, capitulo fratrum coniunctus. Sexta item est peribolus in honore sancti Nicolai consecratus, praecelsae turri innixus. Septima in radice montis in honore sancti Blasii dedicata, iuxta rivulum praeterfluentem posita; ubi et est habitatio sororum, et mansio fratrum in pistrino servientium. Et quia nostra congregatio ad octo beatitudines festinat, nunc octavam in honore sancti Gotehardi aedificat.

28. Hic mons in Norico Ripensi situs, primatum tenet inter montes circumiacentes amoenitate, iocunditate, fertilitate, salubritate. Et quia Noricum nominavimus, ethimologiam eius, si placet, exprimamus. Bawari traduntur ab Armenia oriundi. Qui cum magna multitudine de finibus suis egressi, hanc terram sunt ingressi; et expulsis aboriginibus, pro eis habitaverunt, et terram de nomine ducis sui Bawaro, Bawariam nominaverunt. Hanc post multos dies Norix filius Herculis expugnans, Noricum ex suo nomine vocavit; in qua et civitatem Tiburtinam, quae nunc Ratispona dicitur, aedificavit[29]. Ripensis autem, quae nunc Orientalis dicitur, ideo vocatur, quia subductis montibus ripa Danubii undique vineis et arvis foecundatur. Sed qualiter hic mons ad tantam profecerit gloriam, paucis expediam.

29. Cum praesul iam saepe dictus et adhuc saepius dicendus Altmannus quadam die

a) inexparte D1. inexperte D3. *f.* inexperta *ut Ioh. abbas* PEZ. *Ita cum Cupero scribendum, vel cum* C2. *post* incredibili *interpungendum est. Sed in re dubia a melioribus codicibus recedere ausus non sum. Vereor ne quid exciderit.* b) d. G. *desunt* B1. c) Attale B1. D. d) Wickh C1. Wick D2. *ter.* e) Wückh C1. f) Gottewickh C1. Gothweich C2. Gottwick D2. g) *ita* B1. Kŏtewich *ut adhuc vulgo vocatur,* B3; *sed e postea adscriptum esse videtur* Kottewic C1. Gothwic 2. Gotewic D1. Gottwic 2. 3. h) Wic B3. D1. wickh C1. wik 2. i) locis B1. D1. lucis D3. k) Gerdrudis C2. D. l) Quarta . . erigitur B1.

28) Gladii huius meminit Iordanis, Hist. Get. c. 35. 29) Tiburniae nomen desumptum est ex Vita S. Severini c. 22; cf. SS. XI. p. 347; Rettberg Kirchengeschichte Deutschlands I, 219.

in villa Mutar[a] dicta resedisset, et amoenum montem eminus vidisset, inquisivit ab illius loci incolis qualitatem huius montis. Qui cum ei quaedam et paene incredibilia narrarent, mulam suam sterni iussit, et multa turba comitatus, stricto et praerupto calle laetus montem ascendit; quodam ut reor praesagio, quia nimirum per artam viam et angustam erant coelum ascensuri, qui ibidem erant Deo servituri. Itaque toto monte lustrato, cernens locum spatiosum, aptum ad construendum monasterium, statim fixit ibi tentorium; et succisa silva, quae tunc temporis ibi densa succreverat, inchoaverat aedificare oratorium. Cumque in ambiguo esset, cuius sancti honore[b] potissimum attitulari debuisset — aliis consiliantibus hoc in honore sancti Michaelis dedicari, quia ipse sit praepositus paradisi; aliis consiliantibus econtra hoc nomini sancti Petri attitulari, eo quod ipse sit ianitor caeli — repente et inopinate venit quidam nuntius a ducibus Poemiorum[c] missus, afferens episcopo tabulam egregia caelatura pretiosam, in qua imago sanctae Dei genitricis Mariae Graeco opere formabatur; quae adhuc in eadem ecclesia pro reverentia servatur. Hanc Deo amabilis pontifex deosculans quasi missam divino oraculo, incipiens *Te Deum laudamus*, locum protinus assignavit sanctae Mariae titulo. Tabulam vero in quercum, quae adhuc ante
1083 altare stabat, suspendit, quoadusque totum opus basilicae perfecit. Quae sublimiter per
30 fecta et celebriter dedicata, multis allodiis est ab eo dotata, multis ornamentis ditata[30]. His ita rite celebratis, undique religiosis fratribus congregatis, communem vitam sub regula sancti Augustini instituit, locum cuidam prudenti viro Outtoni[d] commisit: qui strennue iniunctum sibi officium implevit. Post hunc suscepit regimen Counradus praepositus cuius superius mentionem fecimus, vir morum gravitate valde honorabilis, et omni morum probitate laudabilis. Huius et sapientia locus aedificiis et divitiis crevit, praediis, beneficiis, honestis viris eximie profecit.

30. Extant plures epistolae a Romano pontifice Altmanno episcopo missae, ex quibus aliquas huic operi inserimus, alias propter fastidium praeterimus. Saxones parti beati Petri faventes, Ruodolfum ducem regem constituerunt, per quem vesaniam Heinrici represserunt. Ruodolfo autem interfecto, festinabant principes alium regem pro eo constituere, quo possent gladium Heinrici cervicibus suis impendentem repellere. Quos papa monet, ne improvide, sed consulte idoneum regem eligant, qui sibi debito iure obediat, scribens episcopo Altmanno hoc modo: *Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri et coepiscopo Pataviensi Altmanno, et venerabili Hirsaugiensi abbati Wilhelmo salutem et apostolicam benedictionem. Prudentiae vestrae ex hoc satis gratulamur, quia sicut oportebat, nuntiare*
31 *nobis vera studuistis*[31]. Item aliam epistolam eidem mittit, in qua ei hanc potestatem concedit, ut presbyteros in fornicationem[e] lapsos, si vere penituerint, in pristinum gradum restituat; si negligentes et inutiles fuerint, eos penitus abiciat. Cuius textus talis est: *Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri Altmanno Pataviensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem. Interrogavit nos religio vestra de sacerdotibus in fornicationem[e] lapsis aliisque criminibus irretitis, consulens quidnam de illorum gradu foret cen-*
32 *sendum*[32]? Item aliam epistolam eidem pro tuenda ecclesiae libertate mittit, cuius textus est: *Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri Altmanno Pataviensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem. Quia te credo sincero corde amare pro Deo sanctae ecclesiae honorem et libertatem, volo et praecipio, ut summopere cum clericis his vel laicis, qui ad hoc apti videntur, procures, ut sponsa Christi amplius non habeatur ancilla.* Item aliam epistolam ei mittit, in qua ei rigorem canonum pro tempore flecti permittit, cuius hic textus est: *Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri Altmanno Pataviensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem. Ex quo a nobis discessisti, frater karissime, aliquotiens legatos ex tuo nomine ad nos venisse meminimus.* Item Urbanus papa mittit ei epistolam, in qua mittit ei et pallium Tyemoni archiepiscopo deferendum,

a) Mûtam C2. Mauttarn D. *hodie Mautern.* b) *simili modo supra dixit:* sancti Georgii honore; honori *Pez.* D1. c) Poemorum B1. d) *ita* B1. C2. Outoni *Vita altera;* Ottoni *rell.* e) fornicatione B. C2.

30) Iam a. 1072 ecclesiam sanctae Erindrudis et altare primum sanctae Mariae consecravit; deinde a. 1083 monasterium sanctae Mariae. Ita Annal. Gottw. SS. IX, 601; cf. Claustroneob. p. 609. Dotem ecclesiae ab eo collatam habes in Mon. Boicis XXIX, 2, 52. 31) Integra extat in Registro Gregorii VII. l. IX, 3. In Regestis Jaffei est Nr. 3925[a], data m. Martio a. 1081. 32) Haec epistola nec non sequentes perierunt; in Jaffei Regestis signatae sunt Nr. 3974. 3975. 3989. 4061.

suis[33] manibus consecrato, cuius textus hic est: *Urbanus episcopus, servus servorum Dei, karissimo fratri Altmanno Pataviensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem. Strennuitatem tuam in Dei rebus et ecclesiae laboribus audientes, in Domino gaudemus; et ideo preces vestras*[a] *in his, quae contra morem nostrae videntur ecclesiae, audivimus* etc.

31. Nunc quem finem vitae sortitus sit Altmannus episcopus, breviter explicabimus ut accepimus. Transactis in episcopatu 26 annis, examinatus ut aurum in camino tribulationis, in villa quae Zeizenmure[b] dicitur, febre corripitur*, a religiosis viris oleo consecrato perungitur, et sic dominicis sacramentis munitus, omnes sibi subditos benedicens, vinculis carnis laetus absolvitur[c]; [1091 Aug. 8.] mundo flente, caelo gaudente, ab angelis susceptus, in praeparatam sibi a Deo mansionem inducitur[34]. Mox rumor circumquaque volitat, obitum amabilis pastoris ovibus nuntiat. Quae lingua explicare poterit, quantus[d] populus ad eius exequias confluxerit? Accurrit ad extinctum praesulem paene tota patria, luctu et planctu replentur omnia. Vix tandem a maestis Christi sacerdotibus venerandum corpus tollitur, ac multa turba nobilium et plebium[e] comitante, cum magna gloria in montem Gotewich defertur. Ibi occurrit eiulans caterva fratrum, cum magno fletu dans mugitum et ululatum, karissimum patrem cum lugubri cantu excipit, turbam pauperum ob memoriam eius abunde reficit. Fama mox per populos volat, pauperes et divites ad obsequium episcopi vocat. Omnes dolore percussi certatim ruunt, proceres cum plebibus cursim veniunt. Inter quos reverendae memoriae archiepiscopus Tyemo ab ipso Altmanno consecratus, postea Ierosolimam petens, a paganis martyrio coronatus, ad dilecti amici corpus venit anhelus, lacrimas ubertim cum omni clero et populo fudit, hostiam laudis pro anima eius cum omni devotione Deo obtulit; corpus vero cum debito honore in ecclesia sanctae Dei genitricis terrae tradit[f]. Cuius sepulchrum dignatus est Dominus miraculis honorare, per quae voluit merita eius populis declarare.

* *De his fusius agens Rubertus abbas ita loquitur:* Unde ait: *Michi autem adhaesisse Deo bonum est, et posuisse in Domino meo spem meam.* Hac nostra aetate hoc idem vir nobilis et praedives Otto de Lengenbach sensit et confessus est. Qui cum in extremis ageret, raptus — sed quomodo nescio, Deus scit — multaque rediens ad se narrans ostensa et intellecta, quorum relata tunc plurimi mirati et compuncti sunt; tandem singula quae multa sibi fuerant denominans castra: *Quid nunc,* inquit, *opis ferunt castra mea, praepotentes domini mei, karissimi amici mei?* Et sic de omnium desperans auxilio, religiosis quibusque multa se commendabat contritione. Intellexit namque tunc vere quam difficile dives intrat in regnum caelorum. Unde ingemiscens clamabat: *Heu me miserum! quod plus umquam possedi divitiarum, quam simplicem victum et vestitum.* Agente itaque in extremis huius mortalis vitae venerando antistite, non opus erat ut de providendo exitu suo quis eum commoneret; ipse enim sibi providerat toto tempore vitae suae, et quia bene vixerat feliciter moriebatur. Alioquin si tunc primo commoneri eum necesse fuisset, recte respondisset quod venerabilis vir Chuono Ratisponensis ecclesiae episcopus[35], ante vero Sigbergensis abbas, astantibus et tunc demum morituro consulentibus fertur respondisse. Ait enim: *Bene quidem me monetis, o filii, ut in hora hac metuenda meae prospiciam saluti. Numquid hoc salutis proponebatis consilium, quando placuit vobis ut munera libenter acciperem? ut spiritalia symoniace venderem? ut iudicia perverterem? ut peccata subditorum dissimularem? Sero providerem modo si huc usque minime providissem.* Sic beatus Dei famulus mature sibi prospexerat, et ideo expeditus transmigrabat. Igitur a religiosis viris oleo sancto inunctus, et dominicis sacramentis refectus, benedicens filiis suis et eos caelesti patri obnixius commendans, viam universae carnis laetus ingreditur anno ab incarnatione Domini 1091, 6. Idus Augusti, flentibus cunctis, et planctu miserabili lugentibus se tanto patre orbatos, se tanto pontifice destitutos. Non quidem invidebant eius gloriae, sed suae magnae dolebant miseriae. Illum gaudebant ab angelis suscipi et in beatas mansiones angelorum adduci; pro se gemebant in hac lacrimarum valle sine consolatore misere conversari, et in hoc mari magno sine gubernatore conquassari. Ubi enim his diebus, qui in filios suos patris gerant affectum et pastoris execuntur officium? More struthionum indurantur ad filios quasi non sint sui, et consuetudine mercenariorum pro lucris temporalibus astant in prosperitate, a quibus ipsi primi fugam petunt in adversitate.

a) *ita* C 1. nostras B 1. 3. C 2. D 1. 3. b) *ita* B 1. Zeizinmure 3. Zeissenmaure C 1. Czewsselmawr 2. Zeilsermūr D 1. Zeilsermaur 3. c) *in margine cod.* C 1. *scriptum est:* Anno Domini MXCI, sexto Ydus Augusti, obiit et Altmannus venerabilis ac beatus. *Quae inter ipsa contextus verba recepta sunt* C 2. D. d) quantum B 1. C. D 1. *nescio an recte.* e) plebis C 1. plebeium D 3. f) tradidit B 1. traditur D 3.

33) scil. Altmanni, a. 1090, teste Bernoldo Mon. Germ. SS. V, 450. 34) Memoria eius habetur in Necrol. Mell., Claustron., Florian., Adm., Salisburg., Ottobur. et Zwifalt.; cf. Bernoldum SS. V, 452. Diei 7. Id. Aug. adscribitur in Necr. Patav. ap. Dümmler. Piligrim v. Passau p. 102. 35) a. 1126—1132.

32. Quidam namque clericus a daemone obsessus, multis trahentibus vix ligatus ad eius tumulum est perductus. Qui dum omnia clamore et diro foetore repleret, et fratres obnixe pro eo orarent, subito obsessus corruit, videntibus omnibus scarabeum nigerrimum ex ore evomuit, qui protinus nusquam comparuit; et cunctis fratribus Deum laudantibus, qui advenerat ligatus et insanus, recessit a nexibus corporis solutus et mente sanissimus. Item quaedam puella inmundo spiritu invasa, a parentibus est ad tumulum beati viri adducta. Quae sine mora daemone liberata, recessit cum gaudio sana. Item alia puella per aliquot annos lumine privata, ad sepulchrum episcopi est illuminata.

33. Quaedam mulier habuit filium parvulum a nativitate mutum et claudum. Quem illuc deferens, iuxta sepulchrum episcopi posuit, ipsa cum fletu de templo exiit. Post pusillum puer loquelam et gressum recepit, et post matrem incolumis clamando cucurrit. At illa laudavit[a] Dominum in excelsis, qui in sanctis suis est mirabilis.

34. Quidam miles per sex annos mente captus, ad sepulchrum eius nesciens advenit; sed mente recepta sanus et sciens recessit. Alius homo curvus, scabellulis innixus, venit illuc repens; sed incolumis factus, abiit erectus et gaudens. Item quidam toto corpore debilis, vix baculo sustentatus, tumbam antistitis adiit; sed infirmitate per beatum virum depulsa, baculum deposuit, laetus et sanus abiit.

35. Quodam tempore magna et[b] saeva tempestas venti et turbinis orta montes concussit, tecta domorum, ecclesiarum et turrium excussit. Qua graviter tonante et omnia perturbante, quidam frater mente captus in oratorium sancti Michaelis, 20 pedum paene altum, ascendit nobis nescientibus, sed interim nocturnales laudes canentibus; de alto lapsus in pavimentum decidit, sed vivus est sublatus, licet non diu post victurus. Nam eadem die post olei unctionem et sacri corporis Christi communionem vitam finivit. Quis dubitet, hoc meritis beati viri adscribendum? qui cadenti supposuit intercessionis manum, ne sanguine collapsi hominis pavimentum violaretur, et sic necessitate cogente ecclesia denuo dedicaretur.

36. Visionem cuidam fratri spirituali divinitus revelatam de Altmanno episcopo et Regimaro eiusdem sedis praelato, silentio non praeteribo. Qui Regimarus tertius post eum episcopus, vir admodum in saecularibus peritus, in spiritualibus minus eruditus, terrenis inhians, pecuniam undecumque congregans, subito reliquit alienis divitias suas, et nichil invenit nisi miseriam et tenebras. Visio autem erat talis. Videbatur sibi quod Romae esset in concilio, et episcopus Altmannus cum coepiscopis sedisset infulatus cultu eximio. Qui consurgens stetit in medio, petens[c] prolocutorem ab apostolico. Cui cum esset data copia fandi, protulit coram omnibus verba sceleris infandi, dicens Altmannum Pataviensem episcopatum in coenobiis et parrochiis bene dispositum reliquisse, sed Regimarum sedis suae invasorem, omnem religionem in eo destruxisse. Ipse autem Regimarus stabat a longe timore perterritus, tristis et pallidus, pannosis vestibus indutus. Itaque apostolicus super hac re interrogans episcopos iustitiam, accepit ab omnibus damnationis sententiam. Qui
36 eodem anno incidit in infirmitatem, in qua duravit usque ad mortem[36].

37. Aliam visionem de eo nullo[d] modo silebo, quam multis profuturam spero. Quidam habitu saecularis, sed fide et actione spiritualis — sive in corpore sive extra corpus nescio — raptus est ad inferni loca. Ubi vidit multa intolerabilia supplicia, in quibus multos principes et mediocres, quos hic cognovit, vidit; a quibus multa audivit, quae nobis postea retulit, scilicet pro qua culpa essent ibi. Deinde ductus est in campum florum odore et luce clarissimum, milibus laetantium plenum. Erat mons marmoreus, omni amoenitate conspicuus, in quo affirmabat se vidisse Gotewigense monasterium, permaximo splendore coruscum. In quo vidit [Altmannum episcopum[e]] cum fratribus, quos hic cognovit, summa vultus et habitus honestate fulgidum, multa cum eo locutum. Eodem scemate et Sigiberch cum Annone episcopo et suis fratribus vidit, a quibus multa mandata accepit, quae postea reversus retulit.

38. Iam videtur tempus esse, ut suspensis auditoribus promissum solvam, et qualiter canonica vita in monachicam professionem permutata sit evolvam. Tempore venerandi praesulis Altmanni venit in montem Gotewich quidam presbyter religiosus, natione Scottus,

a) laudabat B 1. D 1. b) *ita* D 3. m. 1. s. v. *rell.* c) querens B 1. d) eo non tacebo B 1. e) A. e. *quae in codicibus desiderantur, hic supplenda esse vidit Pezius.*

36) a. 1138; cf. praefationem supra p. 226 not. 2.

professione monachus, nomine Iohannes; quem episcopus ob religionem vitae valde dilexit, et eum iuxta ecclesiam sanctae Mariae inclusum fecit[37]. Hic verbo et exemplo multum 37 loco profuit. Defuncto episcopo venit inimicus homo, qui super bonum triticum ab Altmanno seminatum seminavit zizania, et bonam famam fugavit de monte infami infamia. Viri namque impudici, de locis suis aut expulsi aut fugitivi, in Gotewich propter rerum inopiam confluxerunt; qui sub obtentu religionis, quam specietenus praetulerunt, suscepti sunt. Horum infandis actibus coepit locus infamari, et a gloria prioris status valde obfuscari. Cumque in dies infamia longius et latius crebresceret, et non modo claustralis religio, sed ipsum vulgus montem abhorreret; eidem Iohanni incluso Altmannus episcopus in somnis infulatus apparuit, ut locum de coeno purgaret, et ut foetorem stercoris de monte extergeret admonuit. At ille visionem intelligens, et praeposito fratrum rem aperiens, iussit turpes de monte eici; deceptos vero ab eis praecepit poenitentiae subici. Qui cum infamiae notam non possent effugere, cogitaverunt omnes locum relinquere. Quo comperto Iohannes dedit consilium, ut mutarent habitum, et sic evaderent tam infamis facti opprobrium. Fit consensus omnium, eligitur professio monachorum. Mox Counradus praepositus 1094. huius rei gratia mittitur Romam, ut ab apostolico impetraret[a] huius permutationis licentiam. Qua impetrata cum gaudio remeat, Oudalrico bonae memoriae episcopo, Altmanni successori[b], consensum Romani pontificis nuntiat, consilium suum super hoc negotio postulat. Cuius consilio Hartmannus, cuius superius mentionem fecimus[38], abbas eligitur, 38 cuius religionis et eloquentiae fama ubique divulgabatur; qui tunc temporis in monasterio sancti Blasii prioratus officio fungebatur. Huic Hartmanno, ut ipse post fratribus retulit, episcopus Altmannus in eodem loco sancti Blasii in somnis apparuit, virgam pastoralem ei tradidit, locum Gotwicensem commendavit.

39. Igitur Hartmannus cunctis flentibus de Sancto Blasio cum religiosis viris Gotewich[c] proficiscitur; ibi ab omnibus favorabiliter excipitur, ab Oudalrico episcopo abbas praeficitur; sub quo omnes monachicum habitum sumunt, sancti Benedicti regulae[d] colla devoti submittunt. Fit magna laetitia in populo, dicentes quia haec est mutatio dexterae Excelsi.

40. Hartmanni exhortatione multi nobiles relicto saeculo ad Deum convertuntur, multa praedia et beneficia per eum monasterio conferuntur. Hic honorem loci aedificiis, libris, picturis, palliis et religiosis viris ampliavit, et tempora sua honestate et probitate perornavit. Erat enim summo religionis studio deditus, prudentia tam saeculari quam spirituali eximie praeditus, copiosa disertus eloquentia, morum exuberans elegantia. Unde principibus totius regni erat acceptissimus, et ipsi regi Heinrico V familiarissimus, qui et eum in archiepiscopatu Iuvavensi sublimare disposuit[39]; sed zelus Oudalrici Pataviensis episcopi 39 eum prohibuit, qui eum sibi in dignitate praeferri doluit. Rex tamen eum in regali abbatia Campedonensi praefecit, et episcopus Augustensis eum abbatiae sancti Oudalrici praetulit[40], nec non et dux Karinthiae[41] abbatiam sancti Lamperti ei commisit. Praeterea papa Urba- 41 nus eum valde familiarem habuit, eumque Gebehardo Constantiensi venerabili episcopo in apostolica legatione adiutorem constituit, cui et hanc epistolam misit: *Urbanus episcopus* etc. Sed et ipsi Hartmanno hanc epistolam misit: *Urbanus episcopus servus servorum* etc. Item Paschalis[e] papa litteras ei mittit, in quibus eum et sibi subditos a communione excommunicatorum prohibet, quarum textus hic est: *Paschalis episcopus servus servorum Dei, karissimis fratribus Hartmanno abbati Gotwigensi et eius congregationi salutem et*

a) impetrat B 1. impetrarent *Pez.* b) successore *codd. excepto* C 1. c) ad Gotwik C. d) *deest* B 1. C. D. *fort.* sancto Benedicto. e) Paschasius *bis* B 3. C. D.

37) Socius fuerat Mariani Scotti, in cuius vitae (Acta SS. Febr. II, 365.) cap. 3. commemoratur. 38) cap. 8. Eadem narrat Bernoldus a. 1094, SS. V, 460. *Ordo monachorum coepit in monte Kotewich.* Auctar. Garst., Ann. Adm. et Salzb. SS. IX, 568. 576. 774. 39) scil. principio regni, quum adhuc Gregorianis totus deditus esset; nam a. 1106 in conventu Moguntino Chunradum Thiemonis successorem designavit. , 40) scil. Herimannus, post obitum Sigehardi, qui a. 1094 mortuus fertur. Hartmannus autem brevi post »in sua rediit,« et anno 1109 abbatiam in Eginonis gratiam resignavit, teste Udalscalco in Canisii Antt. Lectt. III, 2. pag. 7. 11. 41) Heinricus, Liutoldi frater et successor a. 1090—1122, qui fundationem Sancti Lamberti a patre Marcwardo coeptam perfecit, eiusque confirmationem a. 1096 Verouae ab Heinrico IV, d. 17. Ian. 1114 in curia Moguntina ab Heinrico V imperatore impetravit, siquidem documentis illis fides habenda est. Paschalis papa a. 1109, Mart. 25. protectionem monasterii suscepit; vide V. C. de Ankershofen in Archiv für Kunde Oestr. Gesch. Quellen II, 357. V, 185. 187.

apostolicam benedictionem. Caelum et terra transibunt, verba autem Dei non praeteribunt. Ipse enim praedixit, quod cernimus, quod quotidie experimur: Quoniam abundavit iniquitas, refri-
42 *gescet caritas multorum*[42]. Uterque autem papa dedit ad Gotwicum privilegia[43], quae usque hodie servantur in ipsa ecclesia: quae etiam imperator Heinricus suo cyrographo firmavit;
44 qui et ipse quandam insulam ob Hartmanni petitionem sanctae Mariae delegavit[44].

41. Ex huius discipulatu sunt multi abbates in diversis locis constituti, qui omnes vestigia magistri in virtutibus eius[a] sunt secuti. Inter quos discipulos regis Heinrici filius claruit, qui ad episcopatum Spirensem electus fuit; sed morte praeventus apicem regiminis minime obtinuit. Erant sub eo et alii viri praedicandi, ingenio et artibus praediti, scriptores, pictores, sculptores, fusores, et aliis artibus praeclari. Hic abbas quodam tempore passus est gravem capitis dolorem, cui Altmannus episcopus in somnis apparuit, quid pateretur inquisivit. Qui caput sibi dolere respondit. Episcopus vero blanda manu caput eius tetigit, et continuo dolorem depulit; abbas autem ut evigilavit, nullum dolorem sensit. Cum domnus Hartmannus regimen Campedonensis monasterii tenebat, interim nobilis frater, Erchinfridus nomine, abbatiam in Gotewich ex consensu Hartmanni et Oudalrici episcopi et electione fratrum regebat. Hic primitus laicus in armis vivens, deinde saeculum relin-
45 quens, litteras studiose didicit, et usque ad nomen abbatis pervenit[45]; qui[b] et ipse bona monasterii in multis auxit[c] *.

1114. Ian. 1. 42. Hartmanno autem obeunte[46], quidam ex fratribus, Nanzo nomine, regimen abbatiae suscepit, qui prius per plures annos prioratum tenuit; vir admodum providus, gravis moribus, in saecularibus et spiritualibus peritus. Hic etiam locum pluribus libris et aedificiis honestavit, et gregem commissum bonis exemplis illustravit[47].

* *Omissa abbatum successione Rubertus abbas miracula quaedam adiungit, quorum excerpta hic damus:* His ita explicitis redeundum arbitror ad ea miracula memoriae hominum commendanda quibus usque in hodiernum diem sub oculis nostris merita famuli sui Dominus attestatur, atque ad eius conversationem imitandam praesules nostrorum dierum suscitat et invitat . . . . . . Puella quaedam de vicina villa quae Murlíngen appellatur, filia cuiusdam honesti et noti militis cui nomen erat Wolfkerus, repentina paralysi a media parte corporis correpta est; vocabatur autem illa Perhta . . . . Mulier quaedam de villa quae Huntesheim dicitur . . . . Item puella parvula de villa cui vocabulum est Panse . . . . Puer etiam quidam de villa alia dicta Marquartesdorf . . . . Matrona quaedam nobilis atque devota de castro suo quod Hofstetin[d] appellatur adveniens, et puellam quandam caecam secum afferens, cum ad sepulchrum sancti viri instantius orarent, quo diu caruerat recuperato lumine puella illa gavisa est. Ob cuius signi tripudium et testimonium éadem matrona praedictam puellam ac si filiam propriam assumpsit, ac iugiter secum retinuit; erat autem nomen puellae Truta. Eodem tempore alia mulier quaedam de villa quae dicta est Beheimchirchen, cum fuisset caeca, interveniente sancto Altmanno vidit et gavisa est; et[e] illa Alheidis dicebatur. Altera item mulier de villa vocabulo Mounich, nomen habens Heilka . . . . Heinricus quidam nomine et ipse civis forensis villae quae dicitur Heinvelde[f] . . . . Quaedam mulier paupercula de partibus Bawariae cum prole nuper genita venerat, et necessariorum causa in servitium cuiusdam matronae in Chremesensi civitate se contulerat . . . . Erat mulier quaedam demonium habens tantae importunitatis et tanti furoris, ut vix aliquis quiret habitare cum illa. Clamor et furor ubicumque fuisset, omnia enim membra spiritu furoris agitabantur. Interdum etiam isdem demon, quia *sciens* interpretatur, organum hominis obsessi ad proferendam litteraturam movebat, quasi eadem mulier litteraturae scientiam et modum urbanae pronuntiationis ab ipsis studiis consecuta fuisset. Et certe, quod quibusdam mirum videbatur, symbolum per omnia, ut fides katholica habet pronuntiabat. Neque tamen id mirum cum auctoritas dicat demones habere fidem, sed non opera. Haec cum sollempni processione plebis plebesanae parrochiae quae Tuln vocatur, ad memoriam beati viri ducta venisset, meritis sancti praesulis invasorem pessimum propellentibus, liberata fuit . . . . Is in longinquo positus in villa quae Lô[g] dicitur . . . .

a) *deest* B 1. C. b) qui — auxit *desunt* B 1. c) *hic finem faciunt codices* D, *adiectis miraculis ex vita altera.* d) Hofstein 1. e) et i. A. d. *desunt* 1. f) Heimvede *Campil.* g) Loh *Campil. Scott. Pat.*

42) Epistolae illae perierunt; in Jaffei Regestis signatae sunt Nr. 4286. 4858. 43) Paschalis d. 24. Oct. 1104 (Nr. 4463[a]); Urbani privilegium (4287) periisse videtur. 44) Utrumque in privilegio d. 6. Sept. 1108 dato. Hormayr, Archiv für Geogr. 1828 p. 550. 45) Erchenfridus quidam abbas Mellicensis fuit a. 1121 — 1163; sed hunc a nostro diversum fuisse, annorum computatio docet. Neque vero verbis illis aliud quid significari existimo, quam ipsum illum abbatis vicarii honorem, quem in Gotwicensi coenobio Erchenfridus sortitus est. 46) Annum docent Auctarium Garstense et Annales Admuntenses, SS. IX, 568. 577; diem Necrol. Florian. et Zwifaltense. 47) Obiit a. 1125. Annal. Mellic.,

43. Post hunc custos ecclesiae, Cadehoch[a] nomine, ex liberiori genere natus, omnium 1125.
fratrum electione et Regimari episcopi, Oudalrici successoris, consecratione est abbas Febr. 5.
ordinatus. Qui et ipse nichilominus ecclesiam libris et velis et aliis ornamentis venustavit,
praediis, vineis, possessionibus satis locum sublimavit[48]. 48

44. Quo decedente successit Gerhohus, vir nimiae mansuetudinis et humilitatis, genere 1141.
clarus, scientia praeditus, moribus gratus. Huius temporibus in expeditione Ierosolimitana
obiit domnus Reginbertus Pattaviensis episcopus; cui successit in episcopatu filius Liutpaldi 1148.
marchionis Cuonradus. Hic secundo ordinationis suae anno, suggestione quorundam fra- Nov. 10.
trum, nomen et locum abbatis appetentium, multis eundem abbatem iniuriarum molestiis
afflixit, regimenque susceptum deponere coegit. Videns enim ipse abbas episcopum sibi 1151.
nimis infensum et infestum, quia erat ut[b] diximus vir magnae humilitatis et mansuetudinis,
maiori cessit, nomenque abbatis et curam episcopo resignavit. Obiit autem eodem depositionis suae anno, fratribus quorum instinctu depositus fuerat, multis tribulationum et infirmitatum doloribus et aerumnis, Domino illis vicem reddente, post mortem suam afflictis.
Episcopus vero ex ministerialibus Ratisponensis ecclesiae Wernherum constituit abbatem,
aetate[c] iuvenem, scientia clarum, morum honestate et probitate decoratum. Hic quorun-
dam malivolorum diabolicis consiliis occisus[49], quia immatura morte praeventus est, nichil 1156.
dignum memoria facere potuit, nisi quod regularis tramitis normam in aliquibus dilapsam Nov. 19.
reformavit quantum valuit.

a) *ita* B1. Chadehoch *Pez.* C1. Cadoch C2. b) ut d. *in solo cod.* B1. c) etati B1.

Gotwic. SS. IX, 501. 601. Diem addit Cont. Claustroneob. p. 613. Vel hic vel in sequenti capite auctor vitae finem fecit, quum ipsi Chadalhoho abbati eam inscripserit. 48) *Chalhochus abbas annis* 16. *Gerhochus abbas a.* 9. *Wernherus abbas a.* 5. Vetus abbatum catalogus. 49) *Domnus Iohannes ex Admuntensi monacho Chotewigensium abbas efficitur.* Ann. Admunt. a. 1157. SS. IX, 582. Praedecessoris eius memoria habetur in utroque Necrologio Admuntensi, et praeterea in Claustroneob. Altah. Bamberg. et Ratisbon. Sancti Emmerammi.

VITA
WERNHERI EP. MERSEBURGENSIS.

EDIDIT ROGERUS WILMANS PH. D.
TABULARIO REGIO MONASTERIENSI PRAEFECTUS.

Wernheri Merseburgensis episcopi, non minimam partem in bello Heinrici IV et Saxonum habentis, quis vitam sequentem scripserit, incertum est. Auctorem 1 *Merseburgensem quendam fuisse, ex ipsius verbis facile coniicias*[1]. *Attamen, quis fuerit, neque ex ipso, neque ex illius temporis scriptoribus enucleari licuit. Ipse vero non obscure indicat, se tempore non adeo multo post obitum Wernheri praeterlapso scripsisse, cum ad testimonium virorum eidem aequalium provocet*[2]. *Igitur auctorem ante medium saeculum duodecimum opus exarasse credam. Huic autem sententiae obstare videtur, quod et Chronicon episcoporum Merseburgensium anno* 1136 *exaratum, ni fallor, in partes suas vocavit*[3], *et vitam* 5 *sanctae Paulinae non ante annum* 1150 *conscriptam*[4] *ipse laudat*[5].

Sed utut est, quae de Wernhero narrat, non omnino spernenda sunt, inter quae ea potissimum scitu digna mihi videntur, quae de episcopi arte qua Sclavis euangelium traderet, litteris mandavit[6]; *neque minoris momenti existimo, quod nomen Sigebotonis, qui vitam sanctae Paulinae conscripsit, ex ipso nunc primum nobis innotescit.*

Huius libelli 1) *unicum codicem integrum reperit Pertzius in bibliotheca Univers. Prag.*[7] *(XIV. G.* 52. *chart. in* 4° *saec. XV. ex. sive XVI. in.) atque transscripsit Wattenbachius.*

2) *Alterum exemplar haud paucis locis correctius ante oculos habuit chronici* 8 *Merseburgensis compilator, qui ineunte saeculo XVI. eidem operi*[8] *hanc vitam maiore ex parte inseruit, hoc addito titulo:* Alia chronica de eodem Wernhero episcopo. *Hoc ipse in usus nostros converti.*

Scribendi rationem, qualis saeculo XII medio invaluit, restituimus.

ROGERUS WILMANS.

1) Cap. 1: *et de domno Wernhero Merseburgensi episcopo nostro gesta ponamus.* 2) cap. 2: *Sicut autem attestantur qui ei in ministerio celestium sacramentorum semper aderant*, etc. 3) Confer ea quae idem chronicon cap. 11. de Wernhero refert: *Talibus amplificationibus ecclesia nostra ab hoc patre nostro exaltato, fama eius late crescebat, quippe civitas in monte posita abscondi non poterat*, cum iis quibus noster eundem episcopum effert laudibus cap. 1. *Erat enim idem episcopus Christi sacerdos vir magnae sanctitatis et prudentiae, civitas in monte posita quae non potest abscondi.* 4) Circa hoc enim tempus inter sanctas relata est. 5) cap. 1. 6) ibidem. 7) Cf. Arch. IX, 472. 8) Cod. chron. Merseb. 2. fol. 26 29; de quo supra disputavimus pag. 000. Ex huius apographo recentiori Ludewig etiam hanc vitam edidit in chron. epp. Merseb. IV, 378 sq.

INCIPIT VITA DOMINI WERNHERI EPISCOPI MERSEBURGENSIS.

1. Temporibus Heinrici[a] IV imperatoris erat Wernherus Marsinopoli[b] pontifex, qui suo tempore quasi coeleste sydus[c] totam illustravit ecclesiam, vir excellentis in Deum meriti et sui vigilantissimus executor officii. Hic igitur[d] illustrissimis[e] ortus natalibus gentis Thuringorum, quidquid[f] ex parentibus vel retro maiorum generosa linea ad se deducta suscepit, nec moribus nec actibus perversis obscuravit; set omni generi praecedentis vel subsequentis prosapiae suae, sicut meritorum eius effectus probavit, quendam ut ita dixerim radium virtutis suae ac probitatis adiecit.

Frater eius Moricho[9] nomine primum quidem in curia Ekkehardi marchionis, dein in 9 primaevo pubertatis[g] flore in curia Heinrici[a] IV imperatoris enutritus, multam fiduciam, multam familiaritatis gratiam, utpote liber et splendidae administrationis homo, apud imperatorem obtinuit et ab ipso plurima beneficia exequendo quae iusta sunt accepit. Erat enim optimus moribus, iusticiae tenax, providus consilio, fidus auxilio, liberalis admodum et integerrimae famae, civilis in moribus, florentis adhuc aetatis[h], regalis mensae dapifer et cunctis in ministerialibus acceptissimus. Hic namque Moricho regis et regalis munificenciae[i] piissimam duxit uxorem Uodam[10] nomine, in qua dignitas nobilitatis cum morum disci- 10 plina, divitiarum gloria cum forma speciosa concordabant, cuiusque genus et aetas libertasque cum marito fere concordabant. Ambo igitur matrimoniali fide coniugali societate coniuncti, quae cesaris erant cesari et quae Dei Deo reddebant, sic rotatum instabile percurrentes temporalium, ut memoriae non excederet quod haberent in expectatione futurorum. Praedicta itaque Uoda, licet nexu coniugali vel curis domesticis obstricta videretur, Christum tamen in membris suis suscipiendo, Christum in interiori homine abscondendo officium Marthae indefessa gerebat, nec propter maritalis thori custodiam vel causas temporalium negotiorum oblita est interioris sponsi sui vel gratiae bonorum aeternorum. Quae dum quadam[k] nocte dormiret et corpus quiete relevaret, vocem cuiusdam secum loquentis et an dormiret sciscitantis audire sibi visa est. Porro illa dum se indubitanter vigilare responderet, ille subiunxit: *Filiam*, inquid, *in utero concepisti. Cui nomen Paula erit; quae fidei merito atque gloriae excellentia quidquid de retro maioribus tuis fulsit in gloria generis ipsa superabit. Ipsa omnem*[l] *illustris prosapiae generationem virtutum processibus exornabit, et quasi flos quidam de stirpe nobilis parentelae prorumpens, fructum salutis et gratiae et proventum multorum germinabit.* Evigilans itaque Deo devota femina, et licet inpraegnata conceptus sui tamen prorsus nescia, in laude Dei visione congratulatur, et quodam divini timoris vel amoris stimulo ad cursum bonorum operum excitata, rebus et animo sanctis meritis invigilabat, activaeque vitae studia inpigre[m] exequens, quod divinitus acceperat in promissione ut effectum mereretur ardentissima depoposcit oratione. Natam itaque filiam parentes eius fonte sacri baptismatis ecclesiae consignant, Paulinae vero nomen non Paula suadente abbatissa ipsius[n] virginis amica inposuerunt. Haec Paulina quam[o] sanctae vitae ac conversationis fuerit, quantisque miraculis claruerit, et qualiter cellam sanctae Mariae[11] in pago qui Lancwitz dicitur fundaverit[p], qualiterque matrem suam facto[q] divinitus miraculo salvatam cognoverit, in libro quem Sigeboto, eiusdem ecclesiae monachus, eleganti[r] stilo conscripsit[12] plenius continetur. Pater vero eius Moricho defuncta uxore facto inter 12 filios et filias de rebus testamento, in cenobio Hyrsaugiensi Swevie[s] sito iugum Domini suscepit, et consummato sub regulari disciplina felici cursu patribus suis additus[t] quievit in

a) Henrici 1. b) Marsipoli 2. c) sidus coeleste 2. d) ergo 2. e) *ita* 2. illustrissimus 1. f) quidquid — gesta ponamus *omisit* 2. g) d. impmens pub. 1. h) *ita conicio*, decus 1. i) regine munificencia *legendum proponit Wattenbachius.* k) quedam 1. l) omne 1. m) inpigere 1. n) ɉpɼ9 1. o) *addidi.* p) fundavit 1. q) facte 1. r) elegēto 1. s) *ita* 1.. t) addita 1.

9) Confer chartam Heinrici IV inter annos 1066 et 1069 datam, qua *per interventum fidelis nostri Werenharii Mersburgensis episcopi — Morichon militi 24 mansos* — dedit, apud Hesse, Geschichte von Paulinzelle, in appendice. 10) Haec igitur non soror Wernheri erat, ut Hesse l. c. p. 3 statuit. 11) hodie Paulinzelle in principatu Schwarzburg-Rudolstadt. 12) Nomine auctoris omisso laudant hanc vitam Trithemius Chron. Hirsaugiensis I, 342. anno 1107: *eius vita luculento sermone conscripta in eodem cenobio* S. Paulinae) *habetur* et Nicolaus de Syghen in chronico Thuringiae nondum typis mandato. Cf. Hesse, Beiträge zur teutschen Gesch. des Mittelalters fasc. II. p. 4.

pace. Sed omissa[a] repetamus, et de domno Wernhero Merseburgensi episcopo nostro gesta ponamus.

Erat enim idem episcopus Christi sacerdos vir magnae sanctitatis et prudentiae, civitas in monte posita quae non potest abscondi, et lucerna in candelabro unde domum ecclesiae oportuit illustrari, ut vere apostolorum assecla cathedram episcopalem possidens, moribus et vita veri summi sacerdotis vicem gerens in terris, Christum sanctae mercedis suae testamentum ratum praefigens[b] in coelis, Christo nichil praeponens, quae[c] non sua sed quae Iesu Christi per omnia quaerens. Quem tantus divini verbi seminandi fervor accenderat, ut studio praedicationis episcopalia plerumque negotia postponeret, et lucrandis animabus omni virtute quasi providus pastor intenderet. Verum quia[d] Sclavonicae[e] linguae admodum ignarus erat, et eum[f] cura pastoralis Sclavorum genti[g], quorum multitudinem copiosam 13 error adhuc ydolatriae detinebat, verbum salutis credere[13] cogebat, libros Sclavonicae linguae sibi fieri iussit, ut Latinae linguae caracter, quem intelligebat, ydiomata linguae Sclavorum exprimeret[h], et quod non intelligebat[i], verbis stridentibus intelligendum aliis[k] infunderet. Erat autem potens in sermone, quia doctrina eius concordabat in opere, id est fecit quod docuit, et studens[l] omni munditiae, aliorum conscientias inmundas exemplo vel dogmate lavit. Ovium sibi commissarum, non ut avarus pastor aut mercenarius, lac vel lanam numquam[m] expetiit, sed magis sua tribuendo[n] curam[o] dominico gregi quam debebat hilaris impendit.

2. *De persecutione suis temporibus illata*[p] *ecclesiae*[q].

Eo igitur[r] tempore, quo Heinricum IV. imperatorem apostolicae sententiae censura 14 ecclesiastico iudicio dampnaverat[s, 14], validissima per totum orbem, maxime tamen in finibus Galliae vel Germaniae, heresium[t] vel scismatum[u] ecclesiae naviculam perturbabat: aliis quidem ab unitate divisis, et quasi regis iniuriae condolentibus nec iusticiae locum fore apud apostolicam cathedram clamantibus, praeiudicium[v] causae regis, quasi innocentiam eius defendendo, omnibus modis detestantibus; aliis vero altioris consilii et cautelae communionem universae ecclesiae fixa non ficta pace retinentibus, et ecclesiastica iudicia dominum apostolicum aequi ponderis statera librare[w] iuxta fata[x] canonum approbantibus. Itaque partium dissidentia[y] Christi vestimenta scinduntur, gratia pacis rumpitur, membrorum uniformium compago dissolvitur, et grata omnibus seculis ecclesiasticae unitatis societas perturbatur. Multi igitur[r] pastorum spiritualium sede sua edictis perturbantur imperialibus, oves Christi lupinis dentibus lacerandae a palatinis[z] canibus exponuntur. Quidquid favet iniusticiae, regali gratia confortatur[*]: quod[a] vero catholicae regulae privilegio quasi forma[b] et splendore quodam veritatis insignitur, quod tenaci anchora[c] inter procellas diversa sentientium[d] apostolicae cathedrae nexu indivisae caritatis configitur, persecutionum vento furente[e] affigitur[f] et frequens hostia Christi scismaticorum et ecclesiastica communione privatorum calcibus abicitur. Hac igitur de causa quadam vice a regis ministerialibus conprehensus episcopus[g] multis illatis iniuriis incarceratur, et ut excommunicatis communicare[h] non differat, terroribus acriter pulsantibus perurgetur. Verum pontifex sui non inmemor cursus et officii, hostilis malitiae minas exsufflavit, eligens[i] in unitate catholicae regulae fortiter mori, quam communione praecisorum[k] ab ecclesia con-

a) emissa 1. b) perfingens 2. c) quia 2. d) qz *saepius loco* qz 1. e) Schlavonice 2. *ita deinceps.* f) *ita* 2. cum 1. g) Schlavorum gente 2. h) *ita Pertzius emendavit locum corruptissimum, qui in* 1. *sic habetur*. Libros Slavonice lingue sibi fieri iussit, ut latine lingue caracter ydiomata intelligebat lingua Sclavorum exprimeret, *in* 2 *vero* latine libros Schlavonicae linguae sibi fieri iussit ut latine lingue charactere ydeomata lingue Schlavorum exprimeret. i) intelligeret 2. k) *ita* 2. intelligentium aliis 1. *Pertzius coniecit* intelligentium auribus. l) et studens — inmundas *desunt* 2. m) unquam 2. n) retribuendo 2. o) coram 2. p) illate 1. q) *capitum inscriptiones desunt* 2. r) ergo 2. s) dominaverat *edit. Ludew.* t) heresim 1. u) schismatum 2. v) et in prei. 2. w) liberare 1. 2. x) scita 2. y) disscencia 1. diffidentia 2. z) palentinis 2. *) confovetur 2. a) quid 2. b) *ita* 2. fortuna 1. c) ancora 2. d) *ita* 2. sendencium 1. sitientium *edit. Ludew.* e) fruente 2. f) ventilatur 2. g) Wernherus *addit* 2. h) excommunicare 1. i) quod sufflavit eligens 1. k) q. a com. pretiosorum 2.

13) id est *tradere.* 14) Haec igitur non ad ea referenda sunt, quae Lambertus a. 1073. 1075. 1076 (SS. V, p. 196. 229. 248) et Bruno a. 1076 (ib. p. 363) de Wernhero litteris mandaverunt. Spectant potius ad ultimos episcopi annos, scilicet ad id tempus, quo ipse ex pugna apud Methelrikestad commissa, fuga lapsus Merseburgum reversus est (Bruno a. 1078 p. 367) regi denuo rebellaturus. Sed haec pars Merseburgensis historiae multis obvoluta est tenebris. Vide Chron. epp. Mers. c. 11 et infra not. 7.

taminari. Igitur aulici canes tam constantia antistitis quam terrore summi iudicis devicti, quem ceperant illaesum dimittunt[a]. Quos enim furor vel calliditas tyranni gratia vel beneficiis flectere non potuit, potentia vincere contendit; leo factus est contrariae parti tyrannide, quam[b] inficere venenum draconis non poterat insanabile. Denique copiis undecumque contractis Saxoniam furibundus[c] invasurus[d] ingreditur, cuncta suis obviantia conatibus caede et incendio vastando, in sacerdotes Domini firmissima auctoritate vesano errori[e] obviantes armatur, primum in eos rebellionis suae quasi materiam expetit, quos fautores iusticiae, quos vicarios Romanae cathedrae intellexit[f].

Ubi ad tempus hostibus cedit, sed divina revelatione edoctus rediit.

Porro supra dictus Christi pontifex Wernherus, licet extrema pati pro Christi nomine paratus esset, non inmemor tamen[g] euangelicae doctrinae ubi dicitur: *Cum persequentur* Matth. 10, 23 *vos in civitate ista, fugite in aliam,* ad tempus sedem mutavit, et locum adversariae parti nullo territus[h] incursu dare non distulit: ratus, id quod iure[i] erat, nubeculam istam radio serenitatis citius esse tollendam, et pacem ecclesiae sublato persecutore quantocius[k] esse reddendam. Profectus igitur cum suis, oves suae custodiae pastorales[l] iure[m] mancipatas[n] summo omnium pastori commendat et sedem non mentem pro tempore mutavit[o]. Iam vix unius diei vel biduani moestus[p] iter loco cesserat, cum Saxones gravi multitudine collecta finibus suis hostilem[q] manum perturbant[r], expellunt et pacis conditionem[s] ferro potius quam deditione componere curant[t]. Hanc igitur subitam rerum mutationem divina revelatione edoctus antistes comitatum suum stare coegit, profectioni[u] metam ponit, et mirantibus cunctis qui aderant susceptae viae longioris subito lora reflexit. Nam sero quidem crepusculo ante revelationem istam suis comitibus summo diluculo profectionem indixit. et mane cum vellent proficisci sententiam suam praesul mutavit. Sublato igitur, immo fuga vix lapso veritatis impugnatore, ad sedem suam rediit episcopus, ubique sive cedendo sive manendo divina clementia comitatus. Verum reliquum tempus vitae suae in ecclesiasticis providus divinorum talentorum dispensator[v] exegit, semper ad altiora virtutum incrementa mentem intentans, officii vocabulum rebus probans, quippe qui adeo sui contemptu et infirmae carnis cruciatu ultra se processit et quendam ut ita dicam florentibus meritis suis superlativum gradum adiecit, ut de eo humana diceretur aestimatione, se magis Deum offendisse in virtutum profectibus[w] ultra vires suas procedens, quam placasse, nec ullum ei[x] nevum[y] criminis ante summum iudicem meritorum ponderationem efficere[z], si se constiterit iudicium divinum ex nimia[*] corporis afflictione posse evadere. Dignum prorsus sancti viri praeconium cuius sanctitas sanctitatem praecedere[a] quodam modo videbatur[b], quod Christi ductus amore, quia[c] Christi ungentorum currens in odore, supra homines affectuosissimo Christi cultu ferebatur. Sicut autem attestantur qui ei in ministerio coelestium sacramentorum semper aderant, numquam misteria sacrosanctae oblationis sine[d] lacrimarum gratia celebravit, ut eo[e] divinis obtutibus sacrificium eius acceptabile fieret, quo se hostiam vivam in cordis contritione mactasset[f].

3. *De miraculo ex sanguine Domini consecrato etc.*

Contigit aliquando regem Marsipolim venire et festum aliquod edicto[g] regalis curiae celebrare. Habebat enim eo tempore communionem et pacem ecclesiae. Porro ipso die sancto solito more Wernherus antistes infulatus processit, missarum[h] sollempnia celebravit et in praesentia regis tantae congruens sollempnitati officium omne pontificali ritu consummavit. Quo peracto ministri altaris calicem susceperunt, eumque negligentius ablutum vino ut fieri solet in secretario reposuerunt[i]. Erat autem calix idem artificiosiori diligentia fabrefactus, et ideo regi ipso iubente allatus est. Quo interius perspecto, quia repositus erat illotus ut dictum est et cruor ita recens in eo apparuit, ac si[k] hora eadem a latere Christi calici videretur infusus[15], stupefactus rex et omnes qui aderant, maxime tamen 15

a) dimittant 1. b) quem 2. c) furabundus 1. d) invasor 2. e) errore 2. f) etc. *add.* 1. g) tñc 1. h) reatus 1. i) in re 2. k) quanto citius 2. l) pastorali 2. m) cum 1. n) mancipitatas 1. o) mutat 2. p) *ita* 2. mensis 1. *forte legendum* mensus. q) hostile 1. r) perturbantem 2. s) conditioni 1. t) curavit 1. u) profectionum 1. v) dispensatorem 1. w) prosectibus 2. x) et 2. y) nenum 1. z) officere 1. *) minima 1. a) precere 1. b) videbat 2. c) qꝫ *saepius in* 1 *loco* quia; qui 2. d) fiue 1. e) deo 2. f) etc. *add.* 1. g) edocto 1. h) *deest* 1. i) posuerunt 1. k) hac si 1.

15) Idem, ni fallor, miraculum, sed aliter narrat Bruno (SS. p. 343) s. a. 1074: *Werinherus Merseburgensis episcopus, dum sacra missarum celebraret, et more solito sanguini dominico partem corporis*

episcopus, mox linteo quidem[a] candidissimo sanguinem qui apparuit cum magno tremore detersit eumque in crucem quae[b] pro reliquiis sacris modicum quid dominici sanguinis retinebat inmisit dicens, hunc sanguinem qui remanserat in calice nichil ab illo distare qui effusus est dum pendebat in cruce, nisi quod illum sacrilega[c] non credentis fundebat insania[d], et istum in sacramento ecclesiastico dextera et credentis et amantis consecrabat[e]. Itaque iste ministrantium excessus maioris fidei patebat occasio, et tam praesentibus quam futuris diligentiam et sollicitudinem[f] vigilantiorem in administratione coelestium sacramentorum indixit.

4. *De obitu eiusdem pontificis.*

Cum igitur recto[g] fidei tramite ea quae Iesu Christi sunt totus quaereret, totus aeternis deliciis suspiria fundens intenderet, praeventus infirmitatis molestia spiritum quidem coelo reddidit, corpus vero in monasterio quod Aldenburg[h] dicitur tumulari ante quam migraret praecepit. Erat autem idem locus, id est Aldenburg[i], longe ante eius tempora canonicis institutis[k] et mansionibus attributus et per multa tempora regularis vitae norma floribundus, sed iam crebris quae provinciam vexabant[l] pressuris desolatus vix rarum habitatorem admiserat, quia praedia unde incolae victitare debuerant, diverso modo diversus[m] hostis et praedo distraxerant[n]. Quem locum praefatus antistes magnis sumptibus in aedificiis vetustate
16 dilapsis reparavit[o, 16], magno labore praedia annuum censum vel reditum solventia recollegit et institutis coenobialis disciplinae, ordine mutato, rursus insignivit et suae requiei
1093. locum eundem futurum praescivit[p]. Obiit autem idem Christi pontifex[q] pridie Idus Ianuarii[17], tam felix in accepto praemio quam studiosus propter Deum in labore peracto. Cui sit laus et gloria per inmortalia secula seculorum. Amen.

a) quodam 2. b) quem *c.* c) sacrilegam 1. d) *deest* 1. e) consecrarat 2. f) solitudinem 1. g) rectae 2. h) Aldinburg 2. i) Aldemburg 2. k) *ita* 2. institutus 1. l) vexabat 1. 2. m) *ita conucio*, diversis 1. 2. n) distraxerat 2. o) preparavit 2. p) et suae — praescivit *desunt* 1. q) pont. id. Chr. 2.

Christi imponeret, fundum calicis pars illa petebat, ac si caro Christi in plumbum versa fuisset. 16) Cfr. Chron. epp. Mers. c. 11. 17) Conf. Bernoldi Chron. s. a. 1093 (SS. V, pag. 455). *Venerabilis Wernherus Merseburgensis aecclesiae episcopus, post multas conflictationes contra scismaticorum tergiversationes, tandem in fidelitate sancti Petri diem extremum clausit, qui solus tunc in Saxonia catholicae communionis episcopus remansit — — obiit satis feliciter 3. Idus Ianuarii.*

EX VITA SANCTI UDALRICI PRIORIS CELLENSIS.

EDIDIT ROGERUS WILMANS PH. D.
TABULARIO REGIO MONASTERIENSI PRAEFECTUS.

Quam intimam necessitudinem Gregorius VII cum Cluniacensi ordine habuerit, quantopere in consiliis perpetrandis ab ipso adiutus fuerit, nemo non ignorat. Qui ergo monachi consuetudines et disciplinam Cluniacensium in Germania propagaverunt, quales Willelmus Hirsaugiensis abbas et Udalricus Cellae in Silva-Nigra prior, eorum vitae, si litteris tradita exstat, hic certe non denegabitur locus.

At Udalrici vita etiam eo notatu digna videtur, quod in gentem Nitgeri episcopi Frisingensis, qui in curia Heinrici III summa aliquamdiu utebatur auctoritate et tandem Leoni IX papae locum cedere compulsus est, novum spargit lumen, quodque ea quae Aventinus de ipso eiusque fratribus Bernulfo et Macthuno refert, ex antiquo quodam scriptore, Othocho scilicet Frisingensi desumpta esse probat[1].

Cuius vitae duplex olim legebatur textus; unus antiquior a quodam sancti Udalrici discipulo paullo post ipsius obitum conscriptus, alter recentior quidem, sed etiam infra tricesimum exinde annum compositus et super antiquiore vita, *ut Bollandistarum*[2] *verbis utar,* tamquam basi superstructus. *Quorum priorem Mabillonio et Bollandistis tantum ex praefatione posterioris*[3] *notum omnino deperditum esse dolebam, cum in vitae Udalricianae compendium inciderem, quod Gerbertus in historia Silvae-Nigrae*[4] *ex lectionario Sanblasiano membr. saec. XIII conscripto edidit. Quo cum editis collato, statim liquebat, antiquioris vitae haud spernendas reliquias hic servatas esse. Quas quidem non vitam integram esse, sed potius fragmenta eo consilio ex vita petita et per octo lectiones disposita, ut in officio divino vel in refectorio per prandii tempus legerentur, duo loci*[5] *demonstrant in quibus ad res provocatur vel infra vel supra dictas, quarum mentio ibidem non occurrit. Prioris igitur vitae specimen, quod hic proponimus, mancum est praecipue post caput* 6, *et res ab Udalrico post annum* 1063,

1) Vide infra not. 10 ad vitam priorem. 2) A. SS. Iul. III, 153. 3) Vide infra not. 4) III, p. 29—33. 5) Vita prior. c. 6: — *ita — implevit, ut — ipse ante tempus oculos amiserit, uti clarius in sequentibus liquebit;* c. 7: *Obiit autem pridianis Idibus Iulii et apparens supradicto Kunoni priori de Cella sancti Pauli dixit* etc.; c. 8: *abba Cluniacensis saepe dictus Hugo* etc.

quo Cluniacum se contulit, gestas, inprimis vero historiam monasteriorum ab eo in Germania conditorum frustra ibidem quaeres.

Quod damnum non ubique reparat secundus auctor. Queritur quidem multa ab antecessore in vita sancti Udalrici conscribenda praetermissa 6 *esse*[6], *et alio loco etiam suum veri amorem praedicat*[7]. *Attamen si antiquiorum relationem cum iis confers, quae de iisdem rebus apud ipsum inveniuntur, haud ibis infitias, secundum auctorem vel res gravioris momenti omnino omisisse*[8], *vel in transcribendo fonte suo satis negligenter egisse*[9]. *Qui, ut prior, monachus Cellensis*[10], *eidem aetate fuit suppar eo quidem modo, ut ii, quos infantes sanctus Udalricus sanaverat, tempore quo scripsit, ad robustam pervenissent aetatem*[11]. *Praeterea non uno loco eorum testimonium affert, qui Udalrici familiares exstiterant*[12].

Prioris vitae codex integer nullus in notitiam nostram venit. Attamen talem adhuc post annum 1656, *quo Bucelini Menologium Benedictinum in lucem prodiit, ergo etiam post* diluvium illud Suecicum, *ut bellum tricennale monasticis bibliothecis superioris Germaniae quam maxime exitiabile vocat, exstitisse, ex epitome Udalricianae vitae apud eum p.* 485 *videmus. Qua in concinnanda* 13 *a priore vita, ad quam etiam diserte provocat*[13], *nonnulla ita mutuatus est, ut Sanblasiana fragmenta exinde amplificari possent.*

Posterioris vero operis codices duo vel tres ab editoribus in partes vocati sunt. 1) *Unus quidem ex Mabillonii sententia*[14], *in ipso* Cellensi *monasterio circa annum* 1550 *exaratus est, quem suspicor eundem esse atque illum, qui nunc in Parisiensi bibliotheca (Résidu de St. Germain N°.* 224) *adservatur*[15], *quique teste Bethmanno anno* 1561 *iubente decano monasterii* Paterniacensis[16] *conscriptus est. Hunc Mabillonius l. c. p.* 781—804 *ubique tam presso pede secutus est, ut* 2) *codicem* Willengensem, *quem abbas Georgius Geisserus anno* 1680 *ipsi transmisit, rarissime consuleret.*

Quem tamen multo maioris fecerunt viri docti societatis Iesu qui ex eodem codice, Papebrochio a. 1687 *ab eodem abbate communicato, editionem* 17 *paraverunt*[17]. *Hi quidem adnotare non praetermiserunt, quod Mabillonius neglexerat, praefationem et multa alia loca in codice Willingensi desiderari. Quae tamen minime, ut ipsi sentiunt, amplificationes sunt a quodam tertio scriptore additae, cum fere ubique ad sensum ita necessaria sint, ut omitti nequeant.*

Nostram editionem ex Gerberti, Mabillonii et Bollandistarum libris concinnavimus.

6) V. praef. post. vit. c. 2: *Ante nos quidem vitam beati patris quidam ex discipulis ipsius pro suo ingenio scriptam edidit, sed multas et praeclaras virtutes, quas apud nos vivens egisse cognoscitur, sibi fortasse non notas praeteriit, quae postea a studiosis fratribus sparsimque paginis insertae, proprio loco nequaquam sunt innexae.* 7) Post. vit. c. 16: *Hoc autem lectorem nostrum volumus cognoscere, nulla nos huic operi inserere velle, nisi quae veritatis radice subnixa, eius sanctitatis praeconio specialiter sint attribuenda. Cum enim praeclaris gestis eius personae singulariter adscribendis abundemus, cur sanctum virum velut alienis faleramentis exornare attemptemus?* 8) Cfr. quae c. 1 in utraque vita de Udalrici genere dicuntur. 9) Cfr. cap. 6 post. vitae cum 4 prioris, cap. 10 et 11 post. cum c. 6 prioris. 10) c. 10: *Namque — non eget noster Udalricus* etc. 11) De filio Basileensis civis qui tempore sancti Udalrici eius erat aetatis, ut firmis gressibus uti deberet locutus addit auctor c. 43: *Is nunc robustae aetatis vir perpetrati in se miraculi — testis - exsistit;* cf. c. 32: *Hoc — matris sanatae virginis — — — testimonio ad nos constat esse perlatum.* 12) c. 28: *Hoc miraculum praedicto fratre Warinhero referente cognovimus, qui adhuc superstes vivit in domo Dei;* c. 46: De Widone monacho qui morienti Udalrico adsistebat dicit: *adhuc in carne vivens.* 13) l. c. p. 486 addit: *Ex variis manuscriptis Trudpertinis, sancti Petri et vita eiusdem quam penes nos retinemus.* 14) A. SS. O. S. B. VI, II, p. 779: *ut quidem nobis videtur.* 15) Cf. Arch. VIII, 321. 16) cui sanctus Udalricus per aliquod tempus praefuit. Vita post. c. 25. 17) A. SS. Iul. III, p. 152 sq.

VITA PRIOR.

1. Beatus Udalricus[1], sancti Udalrici quondam Augustensis episcopi genere[2] et nomine 1
decoratus, patrem habuit natione Bavarum, nomine Bernaldum[3], matrem natione Suevam, nomine Buccam, quos coniunxerat matrimonio secundus Gebehardus, ex Augustensi canonico Ratisponae civitatis episcopus[4] et ipse parentela Suevus, Buccae patruus. Haec cum aliquot vitae brevissimae soboles genuisset, et heredis spem uterque parens perdidissent, fecerunt ambo votum Deo sanctoque Magno, beatorum abbatum Columbani et Galli quondam discipulo, ut si vitalis sibi filius nasceretur, divinis altaribus ut alter Samuel sisteretur. Quo divinitus impetrato plurimum laetati, non solum filium, sicut voverant, clericum fecerunt, sed etiam corporalem sancti Magni requietionem[5] pretiosis cum muneribus honoraverunt.

2. Prima vestis, qua beatum infantulum religiosa mater induit, clericalis fuit; adeo velox ad exhibendum votum extitit. Praesignatus est ei in somnis futurus episcopus, cum nonnisi presbyter fuerit effectus: forsitan ad rememorandum, quod in primitiva ecclesia iidem fuerunt officio et vocabulo episcopi qui propter aetatem dicebantur presbyteri. Poterat etiam mentis habitus episcopatu dignus praesignari, secundum quem beata quoque Dei genitrix Maria et Iohannes euangelista martyres meruerunt, praenuntiari. Nam beatae Mariae praedictum est: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*; Iohanni cum Iacobo: *Calicem quidem meum bibetis.* Luc 2,35. Matth 20,30 Verumtamen sicut dominus Iesus quadam vice rex constitutus esset, nisi fugisset: ita credibile est de beato Odalrico, quod nisi citius imperialem curiam deseruisset, et ipse sicut alii multi pro sua consuetudine pontificalem honorem ab imperatore consecutus fuisset. Tertius enim Heinricus in regali dignitate, idemque secundus in augustali sublimitate, pro multa parentum eius caritate[6] susceperat eum de baptismate non sine magna donatione: ideoque adultus in curiam venit et patrino[7] suo aliquamdiu servivit.

3. Sicut sane transmigratus Daniel sustinuit magis quam dilexit Nabuchodonosor, ita et iste Christi eunuchus[8] quasi captivatus magis toleravit quam amavit Heinricianam cu- 9
riam, ideoque saepius inveniebatur in sanctuario quam in palatio. Denique ipse augustus, quoties necessario quaerendus erat, in choro sanctorum inveniendum monebat: adeo sanctam eius consuetudinem denotaverat. Nimirum gravitati eius minime conveniebat levitas concapellanorum, ne dicam caeterorum aulicorum, ideoque ab inordinate ambulantibus se- 2 Thess. 3,6.
cundum apostolum se quantum poterat subtrahebat, et tales iuxta beatum Hieronymum sponsos potius existimabat quam clericos. Sed quid mirum, quod hoc fecit iuvenis eruditus? Nam cum adhuc parvulus catechizaretur in scholis, etiam data ludendi licentia, noluit colludere sociis, sed secretum petens locum aliquid meditabatur et agebat utilitatis: unde quidam venerabilis senior, cum eum quadam vice sic remotum a caeteris et scribentem reperisset in tabulis, admiratus senile cor in puero, pronuntiavit aliquid magnum futurum de illo.

4. Cum pubertatis ingrederetur bivium, in quo maximum est castitatis periculum, suscitavit Deus spiritum praenominati episcopi, licet sibimet ipsi, ut aiunt, non valde boni,

1) Cf. Bucelini Menol. Benedictinum Aug. Vind. 1656 fol. p. 485: *Udalricus illustri admodum familia e Dilingae et Kyburgi comitibus cognatisque Zaringiae ducibus genus ducens celebrem illum Augustensem pontificem sanctum Udalricum et proxima generis cognatione sic nomine retulit et sanctitate.* Quamvis Bucelinus, ut supra monuimus, priorem consuluerit vitam, facile crediderim eum hoc loco ex suo aliqua addidisse. 2) Quae hic de eodem cum sancti Udalrici Augustani genere dicuntur, forte Buccam, matrem Suevam respiciunt. GERBERTUS. 3) De cuius genere infra plura dabimus. 4) secundus, 1023—1036. 5) Videtur esse ecclesia sancti Magni in suburbio Ratisbonae, ubi hic sanctus coenobium deinceps construere meditabatur, quod demum post seculum ab aliis effectui datum est (Hund II, p. 310). GERBERT. 6) Secunda vita c. 3: *Pater siquidem Bernoldus nomine, Ratisponensium civium non infimus fuit in genere. Nam et Heinrico tertio Romanorum imperatori augusto valde carus et acceptus fuerat, inter cuius regni praepotentes divitiis fama et gloria potenter eminebat.* 7) germ. *Gevatter*, scilicet Heinrico III. 8) Quae qualiter intelligenda sint, explicat vita posterior c. 17: *Hoc itaque eximium Christi membrum, licet corpus suum vigiliis edomaret et ieiuniis, acriter tamen stimulari coepit ex libidinum incentivis, in tenui et exhausto corpore contrariae delectationis voluptas pullulabat. — — Tali igitur molestia laborans, cum artissima corporis afflictione et abstinentia ardorem carnis mitigare non posset, iratus sibi, quod tam infima temptatione diutius fatigari deberet, genitalibus locis candente ferro perforatis et fune inmisso, vulnus vulnere sanavit, et voluptatem in dolorem traxit.*

quatenus diligentissime iuberet custodiri corpus electi Dei a contactu muliebri, donec proficiente exercitio castimoniali voluntas succederet necessitati et in similitudinem rubi ardere disceret et non comburi, hoc est temptari et in temptationem non induci. Sic factum est, ut inter timorem et amorem perpetuae virginitatis conservaverit honorem. Postquam igitur imperatoris curiam deseruit, eo quod omnia quae ibidem vidit, secundum Ecclesiasten vanitatem iudicavit, patruus[9] eum, quemadmodum decens fuit, benigne recepit, praepositura Frisingensi simulque archidiaconatu donavit. Quibus quam columbina mente usus fuerit, spirituum dominator Dominus in hac re ostendit. Mulier quaedam magnis criminibus impetita, in omni examine, quod consuetudo exercet ecclesiae, patuit ruinae. Cumque deberet vel excoriari vel cauteriari[a], vir beatus misericordia, non superbia, sacerdotale praesumens officium, quoddam nefandum et ignotum per confessionem elicuit flagitium, indictaque poenitentia absolutionem pro impositis criminibus reddidit iudicium. Sic novus Daniel novam Susannam mirabiliter liberavit.

5. Beatus igitur Odalricus aliquanto tempore domi transacto gravari coepit animo, labores sibi impositos a patruo non satis credens placere Deo. Cupiens igitur exonerari et bene levis pro Christo peregrinari, beneficia reddidit, Hierosolymam pergere coepit, uno famulo eodemque eleemosynario, uno etiam contentus equo. A die vero exitus Frisingae usque in diem introitus Hierosolymae nulla die sedit super caballum, priusquam ex integro decentasset psalterium, interim iubens equitare servum, magnum forsitans meditatus cum suo sociali famulo Martinum. Iam vero cum sancta loca vir sanctus attigisset, inpossibile dictu est, quantis affectionibus monimenta nativitatis, passionis, resurrectionis ascensionisque dominicae salutaverit, quantis geniculationibus adoraverit, quantis lacrymarum fluminibus irrigaverit, cum etiam domestica virtus orationis et compunctionis eius virtutem dicendi superaverit. Re enim vera illud psalmistae: (Psal. 6, 7.) *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*, ita secundum litteram implevit, ut et familiaribus suis stuporem incusserit, et ipse ante tempus oculos amiserit, uti clarius in sequentibus liquebit[10]. Dederat ei Deus irriguum superius et irriguum inferius, hoc est compunctionem de amore coelestis regni et de timore gehennalis tormenti: sed iam perfecta caritas foras miserat timorem. Denique interrogatus a quodam familiari, quare tam immaniter plangeret singulis noctibus et neminem circa se quiescere permitteret, quare etiam deficientibus oculis non parceret, respondit, se longae peregrinationis taedere in hoc seculo, cupientem dissolvi et esse cum Christo, nec multum curare de lumine caduco[11].

6. Cum a Hierosolymis per Dei auxilium repatriasset, Nizonem episcopum reperit mortuum[12], abdicatisque prorsus Frisingensis ecclesiae beneficiis, contulit se ad hereditatem

a) cauterizari *legendum esse puto, id est* aduri. *Vide Ducangium s. v.*

9) Nitgerus sive Nizo episcopus Frisingensis annis 1039—1052 (cf. Meichelbeck I, 1. p. 235 et infra cap. 6 et notam nostram), quem prioris vitae auctor supra in loco ab lectionarii Sanblasiani epitomatore omisso sine dubio nominaverat. 10) Quod tamen in fragmentis, quae ex priore vita lectionarium Sanblasianum servavit, non invenitur. Cf. secunda vita c. 20. 11) Bucelinus ex vita priore hunc locum prolixiorem exhibet. Menol. Ben. p. 486': *Rogatus perpetui et inconsolabilis fletus causam: „Primo", inquit, „delictorum meorum maculas eluere cupio; secundo exilii mei aerumnas ac labores defleo; tertio nos qui monachi censemur, multos numero, paucos merito esse lachrymando perdoleo".* 12) Qui exul Ravennae obiit a. 1052. De cuius morte praeter Hermannum Augiensem inprimis Wibertus in Leonis IX vita plura refert scitu digna: *Cui nonnulli favebant palatini, gloriae invidentes domni apostolici. Quorum caput in fomento discordiarum erat Nizo episcopus Frisingensis, super quem divina virtus huiusmodi horrendam ultionem dignata est ostendere.* Quibus si hoc addimus quod Nizo a Nostro patruus sancti Udalrici, ergo frater Bernoldi vocatur, facile mihi persuadeo, valde antiqui scriptoris esse fragmentum quod de his fratribus eorumque in curia Heinrici III potentia apud Aventinum legitur, Annal. Boior. edit. 1554, pag. 524: *Erant duo germani fratres Bernulfus ac Macthunus obscuris crepundiis apud Boios occidentales Reginoburgi — orti* (etiam secundae vitae auctor Bernoldum *Ratisponensium civium non infimum* vocat) *verum per fas nefasque ditati ingentes cumulaverant opes in aulamque freti authoritate Nithgeri episcopi Fruxinensis fratris sui irrepserant.* Tunc fuse narrat, eos postea cum Ungarorum rege Ovone coniurationem fecisse atque Reginoburgum se ei tradituros spopondisse; Heinricum III vero in expeditione Ungarica anni 1044 apud Nanonem scribam Ovonis intercepisse Bernulfi et Machthuni litteras, et tunc demum eos crucifigi praecepisse. Quibus p. 537 subiungit: *Imperator Nitgerum episcopum Fruxinensem ob necem fratrum ignominiosam nimis protervum Ravennam relegat, ubi subito interut.* Quae omnia mea saltem sententia ex Othocho, scriptore Frisingensi nunc deperdito, qui regnante Heinrico IV floruit, desumpsisse Aventinus videtur.

suam praebendamque Ratisponae, coepitque de salute animae suae magis ac magis in dies tractare iuxta illud psalmistae: *Ibunt de virtute in virtutem;* et illud: *Iustus ut palma florebit,* Psal. 83, 8. 91, 13 *ut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini.* Cogitabat coenobium facere apud Sanctum Magnum, sed metuebat sibi adversaturum tertium, qui tunc praesul erat, Gebehardum, dumque speravit successurum fore meliorem, derepente doluit surrepsisse peiorem[13]. 1063. Omissa igitur hac voluntate, divisaque inter proximos hereditate, statuit patriam relinquere. Assumpto igitur Geraldo tunc temporis Ratisponensi magistro, postmodum Ostiensi episcopo, visitavit limina apostolorum Petri et Pauli, indeque Lugdunensem Galliam adiens monachus efficitur Cluniaci[14]. Geraldus quibusdam vaticiniis et praemonstrationibus crediderat, quod in eodem anno moriturus esset[15], et hoc metuens, dum suscepit monachismum, beatae mortis implevit praesagium.

7. Interea magis ac magis dissolvi et esse cum Christo cupiebat; sed acerbum mortis transitum valde metuebat. Hinc etiam saepe auditus est optare, quod et obtinuit apud divinam propitiationem, quo videlicet sibi daret tolerabilem carnis absolutionem. Nam cum matutinas laudes devote cum fratribus exegisset, usque ad primam in lecto decumbens breve et lentum cum morte luctamen habuit et sic cum felici triumpho ad Christum migravit. Hoc enim testificari videntur non solum merita et miracula, sed etiam ultima verba. Nam cum eum in ipso mortis articulo venerabilis prior Eberhardus[16] interrogaret, quomodo 16 se haberet: *Audior*, inquit, *audiris.* Quae nimirum verba nos ita intelligimus, ut quia fuerunt ambo boni viri, ambo meruerunt pro beato fine divinitus audiri. Obiit autem pridianis Idibus Iulii, et apparens supradicto Kunoni priori de Cella sancti Pauli[17] dixit, se quidem Iul. 14. bene receptum esse, aemulis autem suis eadem mensura, qua sibi mensi fuissent, reme- 1093. tiendum fore. Hoc utique, sicut idem Kuno lacrymando protestatus est, valde timere poterant, qui ei aliquam iniuriam fecerant.

8. Audita fama transitus eius, abba Cluniacensis saepe dictus Hugo, et quod sepultus esset in claustro, impense mandavit Gebehardo episcopo[18], quatenus eum cum digna veneratione per semet ipsum transferret in oratorium, asserens eum nequaquam fuisse de monachis sui temporis[19]. Testimonium hoc verum esse non ignorans episcopus, ipse quidem 13 gravi occupatione praepeditus venire non poterat; sed haec per idoneas personas exhiberi devote praecepit. Positus est ergo amator crucis ante aram crucis et non multo post commendatus divinitus hoc signo salvus. Debilis quidam pedibus et cruribus et omnino gradiendi facultate destitutus, admonitus est in somnis semel et iterum, ut quomodo posset, offerret se pro certo curandum ad hominis Dei sepulcrum. Quod cum primo neglexisset, secundo correptus, tandem venit in vigiliis sanctae Agathae martyris, et excubans ad tum- Febr. 4 bam confessoris invenit gratiam Salvatoris. Nam cum in matutinis laudibus illud breve responsorium cantaretur: *Specie tua et pulcritudine tua*, repente nervorum contractione soluta, optata recepit ambulandi munia.

EX VITA POSTERIORE.

2. Itaque, si non ut volo, loquar tamen de sanctissimo viro prout possum et sentio. Nam ad hoc opus assumendum non aliqua propria prosilio temeritate, sed venerabilium

Cf. W. Giesebrecht Annales Altahenses p. 2 et 72 not. 4. Frisingensium chronicorum auctores apud Deutinger Beiträge z. Gesch. von Freysing, München III, 496. I, p. 42. 68. 169 aut nihil his de rebus habent aut Aventinum exscribunt. 13) Ottonem, qui Gebehardo III anno 1063 in episcopatu Ratisponensi successit. Vide Hugon. Ratispon. chron. ap. Böhm. Font. III, 489. Igitur post hunc demum annum Udalricus Cluniacum abiit. 14) Cf. vit. poster. c. 14: *Talibus magnificum exercitiis sanctus abbas* (Cluniacensis Hugo) *ad sacerdotale promoveri fecit officium, sibique constituit capellanum et consiliarium. Et quia sciebat eum virtute ac sapientia totum esse compositum suo etiam gregi apud illum confessionis praeparavit aditum.* 15) Quum, teste Bernoldo, Geraldus anno 1077 mortuus sit, equidem nescio quid sibi velit noster. Cfr. infra vitae posterioris cap. 11. 16) Cellae sancti Udalrici prior (cfr. vit. post. c. 46), qui secundum Gerbertum Hist. Nig. Silv. III, 32, not. *m*, vitae posterioris auctor esse creditur, quod mihi parum compertum videtur. 17) Cella haec sanctorum Petri et Pauli eadem est, quae deinceps sancti Udalrici a primo conditore dicta fuit. GERB. Cf. vit. post. c. 29. 18) tertio episcopo Constantiensi ann. 1082 1116. 19) Consentit Bucelinus l. c.: *De cuius morte inaudiens sanctus Hugo abbas corpus eius per beatum Gebehardum — in locum digniorem, basilicae nimirum medium transferri voluit, cum nequaquam, inquit, de monachis fuerit sui temporis; tanti iam tunc magnus ille abbas Udalricum suum fecerat.*

virorum sancta et auctorabili ad hoc provocor petitione, quorum siquidem id quod maxime intendit postulatio, ut litteris inserta humilem lectorem tanti patris aedificet conversatio. Quapropter moneo curiosos huius operis inspectores, ne dulces simplicium animorum dapes, licet vili descriptionis testa sibi appositas, a palato cordis sui fastidiendo velint reicere, utpote nullo sapore conditas. Liquet enim quod et de parva mensa delectabilia sumuntur cibaria, et de rusticano vasculo nectarei poculi plerumque hauritur dulcedo. Sed et hoc inferimus, quod prudens lector nequaquam verborum folia in descriptis sanctorum patrum gestis perquirere soleat; verum multo magis fructum salutiferae eruditionis attendat. Ad profectum igitur omnium monachorum, immo cunctorum fidelium, huius fidelissimi monachi vitam a primaeva aetate pro meo describens modulo, miracula quoque, quae per eum superna potestas operata est, partim intimabo, cum certe tot sanitates in hac vita manens et post mortem cum Christo vivens petentium necessitati exhibuisse probatur, ut magnum volumen complerem, si omnes conscriberentur. Ante nos quidem vitam beati patris quidam ex discipulis ipsius pro suo ingenio scriptam edidit, sed multas et praeclaras virtutes, quas apud nos vivens egisse cognoscitur, sibi fortasse non notas praeteriit, quae postea a studiosis fratribus scriptae sparsimque paginis insertae, proprio loco nequaquam sunt innexae. Sed et nostro tempore quam plurima signorum praeconia ad tumulum ipsius cognovimus patrata fore, quae nondum scribentis studio recondita sunt in sinum memoriae. At ego, ut iussus sum, per antiquioris libri campum passim gradiens, pulcrioresque actus quasi quosdam flores caute decerpens, minus necessaria succidere, omissa supplere, brevitatique, quam lucidius potero, conabor insistere.

5. Regia quoque sublimitas suas venerabili viro non negabat amicitias, et quoniam eum honestius ceteris conspexit vivere, sua dilectione digniorem iudicavit fore. Honorabat in eo religiosi habitus compositionem, et innocentis vitae laudabilem puritatem. Quid vero de gloriosae reginae dicam devotione, quae famulum Christi speciali dilexit affectione. Illius etenim delectabilium morum conventa suavitate, suis eum obsequiis voluit adhaerere: felicem se credens fieri, si talis personae aspectu, auditu et servitio mereretur perfrui. Nec dubium est nobilissimam imperii consortem, videlicet Agnem, multum ex assidua illius familiaritate profecisse, in cuius vita et admonitione recte vivendi formam poterat invenire. Nam vir Deo carus, officio reginae instans devotus, solitam animi sui servabat constantiam, curialis incontinentiae omnino fugiens et exsecrans lasciviam. Studebat magis religiosae gravitati, quam vanae curiositati; plus volens humiliari, quam aliquo superbiae vento inflari. Curabat et amplius mentem suam sanctarum virtutum ornamentis decorare, quam corporis sui marcessibilem florem immoderato pretiosarum vestium luxu foris dealbare. Cum vero, ut solebat, in regio comitatu iter agebat, psalmis et orationi frequenter vacabat, quoties opportunitas loci se ullatenus obtulit. Die noctuque ecclesiae limina infatigabiliter frequentavit; nec corporis lassitudini voluit aliquando parcere, dummodo caelesti suo imperatori debitae servitutis pensum vigilando, psallendo et orando non tardaret reddere. Multa praeterea in palatio consistens purae innocentiae et sanctae simplicitatis demonstravit exempla, quibus cunctos tam ad suae venerationis amorem, quam ad melioris vitae provocavit instituta.

6. Post haec autem patruus praecellentissimi viri, Nizo[a] nomine, qui pontificatum Frisingensis rexit ecclesiae, hunc beatum ad suae dioeceseos urbem invitavit, ac in diaconatus[20] gradum sollempniter eum promovens, fidelem Christo ministrum constituit. Quo in loco positus, quae sapientiae suae, quaeve piae miserationis ostenderit indicia, subsequens aperiet pagina. Quaedam femina Ratisponensium partibus oriunda, detestabili quodam crimine, licet falso, est accusata; quae dum se de impositi facinoris noxa deberet expurgare, peccatis suis impedientibus, invenitur tamquam rea in iudicii probatione. Tantam igitur confusionem non ferens, patrios fines clam deseruit, et Frisingarum partes fugae suae latibula delegit. Sed nec ibi diu latere poterat, quam fama vulgante suus,

a) Nilo *edd. Cum in scriptura saec. XII* l *et* z *similem habeant formam,* Nilo *sine dubio in apographo male lectum est loco* Nizo. *Qui error Mabillonium eo induxit, ut crederet, Nilonem forsitan Nitgeri (sive* Nizonis) *absentis ecclesiam rexisse. Codex Wilingensis eodem viro summo S. VI. II, 783 et Bollandistis Iul. III,* 152 *testibus exhibet nomen* Nitgeri *et supra paullulum ad unam partem eadem ut videtur manu positum.* *Nilo *eodem errore legentis vel scribentis.*

20) potius in archidiaconi gradum, uti ex priore vita c. 4 discimus.

Ratisponensium scilicet, praesul illic abscondi cognoverat. Suscepit itaque Frisingarum pontifex coepiscopi sui litteras, pro infamata et adhuc negante muliere examinanda sibi directas, qui quomodo de incognitis sibi causis praesumptuosum erat diffinitam proferre sententiam, culpam vel innocentiam illius iudicio statuit esse manifestandam. Rursus ergo miserabilis femina examinationi subiicitur, subiecta labitur, lapsa pallet, trepidat et angustiatur. Verum quia propria conscientia eam excusabat, iterum negationibus perseveranti animo instat. Quid enim faceret, quidve consilii caperet penitus ignorabat. Cuius discussioni cum noster Udalricus interesset, videretque infelicem illam fluctuantem gravi metu anxietatis, tenerrime compatiebatur eius miseriis, motusque est super illam, ut Salvator Ioh 8 quondam super mulierem pro stupri reatu lapidandam, vel ut Daniel super Susannam. Dan 13 Quapropter evocans eam seorsum a ceteris, hortatur ut Domino puram confessionem faciat de peccatis suis, ne qua apud eam culpa indiscussa lateat, quae ad comprobandam innocentiam ipsius obsistat. Cui confitenti quaedam commissa, quae nondum alicui detexerat, minister Christi, licet minime adhuc functus presbyterii officio, remedium poenitentiae indixit, et sic ad iudicium remisit. Illa vero secura intrepidaque accedens, libere se expiavit; ac sic consilio et auxilio viri Dei patriam, domum maritumque laeta revisit. In hoc facto beati illius consiliarii pietas collaudatur, meritum extollitur, fama magis ac magis augetur.

7. Perpendens itaque antistes sapientia et spiritus discretione suum pollere nepotem, curam illi commisit praepositurae, ut qui se ipsum sapienter et honeste videbatur regere, aliis iam digne posset et sciret praeesse. Sed ille beatus, cuius honor fuerat Christus, huiuscemodi praelationis regimine suscepto, tantum in se est humiliatus, quantum super alios exaltatus. Scriptum namque scivit: *Quanto maior es, humilia te in omnibus.* Et, ut Eccli 3, 20 certius demonstraret non proprium honorem, sed commissi sibi gregis utilitatem sollicite se per omnia quaerere, canonicam disciplinam, prout melius potuit, firmare, sapienterque coepit disponere. Fratribus suis necessaria vitae providebat, et sicut corporis fragilitati carnalem, ita spiritalem cibum languori animarum eorum bene vivendo et recte docendo administrabat. Quodam etiam tempore, cum acerrimae famis incumbente periculo multarum habitatores regionum gravissime premerentur, augusto Longobardiam indeque Italiam hoc comite proficiscente, fratres ipsius, communibus rebus pro relevanda penuria distractis, non modice tribulabantur. Quo cognito, vix post multas preces, impetrata ab imperatore licentia, festinanter redit, et praediis suis in pignore positis, non solum sui gregis, sed et aliorum necessitates promto animo relevavit. O virum benignissimum! o patrem familias liberalissimum! qui idcirco terrenas divitias membris Christi sine cunctatione hilariter erogabat, quia aeternorum copias thesaurorum sitienter affectabat.

8. Tandem aliquando propulsa famis inclementia, famulus Dei, qui quotidie bonorum operum gressibus caelestis Ierusalem curiam festinabat intrare, collecta non modica pecunia, terrestrem Ierusalem dominicae passionis triumpho insignitam disponebat adire. Anxietates ac labores, quos in eadem via pertulit, videlicet in asperitatibus itinerum, in periculis hominum, in procellis fluminum compendiose praetereo, ne prolixitas narrationis lectori fiat fastidio. Verum hoc minime tacere debeo, quod omni die priusquam equi dorsum sederit, Davidici carminis dulcedinem ex ordine recitaverit. Confecto igitur itinere, ubi sanctae civitatis portam attigit, tamquam sibi, velut alteri Moysi, Dominum dicentem audiret: *Solve calceamentum tuum, locus in quo stas sanctus est,* dominicae dormitionis Exod 3, 5. sepulcrum humiliter discalciatus adiit. Quae ibi lacrymarum flumina, quas preces, quae suspiria dilectissima Deo anima ex intimo profuderit corde, cuius facundia valeret edicere? Num se a fletus continere posset effusione, cum loca Christi vestigiis consecrata, signis ac virtutibus illustrata, passione glorificata oculis conspiceret, pedibus calcaret, mente delectabiliter consideraret. Ibi quippe sincerissimo lacrymarum fonte maculas suae mentis satagebat abluere; de praeteritis ac praesentibus delictis veniam, de futuris poscens cautelam. Ibi, inquam, orationum suarum aromatibus vulnera Salvatoris nostri flebiliter inunxit, non dissimili devotione sanctarum mulierum, quarum fides. comparatis unguentis, corpus domini Iesu in sepulcro requisivit. Inde verus noster Israelita, corpore quidem, non animo deserens civitatem gloriosam, Bethleem petiit, Christi nativitate dedicatam. Illic ad praesepe Domini thesauris ditissimi sui pectoris apertis, tria Magorum mystica munera, etsi non re, obtulit tamen typice, Dei filium regem regum, verum sacerdotem, ex assumpta carne confitens mortalem, summo Patri coaeternum per ineffabilem Deitatis maiestatem.

9. Deinde ad Iordanis pergens fluenta, in quibus Salvator mundi delictorum nostrorum lavit crimina, exutus vestem purum descendit in amnem. Cumque pro sui desiderio ablutus, litoris teneret soliditatem, vix iam vestitus, videt eminus profanam quamdam gentilium turmam ad se suosque volantem, armis, vultu et clamore truculenter minitantem. Quibus super se ruentibus servus Christi, licet palmam martyrii desideraret in mente, fugae tamen se cum sociis credidit, carnis fragilitate impellente. Unus autem ex hostibus violentius imminens fugientibus, in Udalricum nostrum magni molem lapidis in dorsum proiecit, et in cuiusdam foveae profunditatem, quae forte inibi fuerat, simul cum equo praecipitem dedit. Quid tum Dei athleta faceret? Solus remanserat, nullus ei ex suis comitibus aderat, quippe quos hostilis furor longius abegerat. Verum ille totam spem suam divinae protectioni committens, illis iamiam appropinquantibus, timorem passionis, quam sibi imminere non dubitavit, abiecit, et[a] ad toleranda mortis supplicia viriliter se accinxit. In tali discrimine posito tu, fortissime Deus, mature subvenisti famulo tuo: tu qui Iudaeos ad te capiendum venientes unius vocis terrore retro cadere fecisti, istos nunc potentia tuae fortitudinis ab amici tui perditione prohibuisti. Subito enim perterriti rediere, et tuo imperio ab eius persecutione cessavere. Servasti[b], Domine, militem tuum, adhuc altioris vitae gradum asscensurum; servasti eum legem mandatorum tuorum adhuc perfectius completurum; servasti, inquam, illum ad multorum salutem, qui postea doctrina eius, exemplo eius, moribus eius ad tuam fuerant convertendi servitutem. Gentilibus igitur redeuntibus, conviatores reverendi viri celerius repedantes, de fovea eum extraxerunt, coeptumque iter perrexerunt. Verum quia castus amor sanctorum Deo satiari nescit, beatus iste religiosae mentis desiderio nondum satisfactum existimans, asscensionis Christi montem adiit, ibique in convalle plorationis asscendens, venturo iudici se totum commendavit.

10. Peragratis itaque quam plurimis locis, quae corporalis redemptoris nostri praesentia consecraverat, ad suae habitationis solum remeat; quo perveniens patruum suum Frisingensem pontificem defunctum reperit, et non solum episcopali curae, verum etiam suae praepositurae alium praeesse cognovit. De morte episcopi, etsi secundum spiritum contristari nollet, secundum carnem tamen se imperare non potuit quin doleret. De munere autem dignitatis, quo absens est privatus, ideo non est conturbatus, quia quod habitu non magnopere dilexit, id sibi ablatum fuisse aequanimiter tulit. In magno siquidem mentis vertice stabat, qui, ut praefati sumus, sui iuris praedia in illorum fratrum necessitatibus dispensando, sibimet inopiam cognoscitur induxisse; nec subtractam sibi praeposituræ utilitatem, vel ob id maxime nisus est repetere. Quam eius patientiam superna pietas respiciens, solita benignitatis suae gratia suum fidelem consolari citius voluit, quem in adversitate iustum invenit. Nam quidam beati viri consanguineus in Ratisponensi ecclesia officio praepositurae functus, benigne eum in sua suscepit, et quoad usque praedia sua
21 redimeret, secum detinuit[21].

11. Interea animo eius insedit consilium, in sua possessione construere monasterium, ubi monachorum coetu adunato, divinae laudis quotidie resonaret celebratio. Sed cum tam
22 pium desiderium statu temporis, nec non episcoporum irreligiositate[22] qui tunc ecclesiae praeerant impediente, ad effectum non ita apte ut vellet posset perducere, se ipsum cum suis decrevit Domino vovere et reddere. Considerans siquidem inter fluctuantes saeculi procellas vix quemquam vitae suae cursum ad tutae stationis sinum posse dirigere; quodque inter varios eius strepitus, quantumlibet quietae, mentis saepius concuteretur status,
* a Domino pennas columbae optavit accipere, cupiens advolando in solitudine requiescere. Quapropter res suas pauperibus Christi coepit erogare, volens euangelicum praeceptum
Matth. 19, 21. complere, quo dicitur: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus, et veni, sequere me.* In eisdem vero Ratisponensium partibus quaedam feminae Deo consecratae sub monasteriali cohabitabant disciplina, quas grandis rerum oppresserat inopia. Nam, ut fertur, utriusque panis, candidi videlicet et nigri, dimidiam mensuram paupertate cogente singulae accipiebant. Quarum miserans penuriam tam largi dispensatoris benignitas, tantum illis contulit arabilis terrae, ut albi panis plenam libram sumerent,

a) et ad — prohibuisti *desunt* 2. b) Servasti — redeuntibus *desunt* 2.

21) Haec minime cum iis conveniunt, quae c. 6 vitae prioris leguntur. 22) Multo clarius haec exponit prior auctor c. 6.

ac insuper pro ipsius largitoris salute septem pauperes exinde, sicut ipse constituerat, annuatim nutrirent. Facultatibus itaque suis partim egenis, partim cognatis suis large distributis, partim etiam suo desiderio commodius perficiendo reservatis; ubi mundialium rerum impedimenta a se proiecit, de huius mundi naufragio liber evasit. Sed quia totus Dei ac proximi dilectione intus fuerat accensus, alios secum de fluctibus saeculi eripere affectabat, quoniam solus ad Deum venire nolebat. Quapropter eiusdem civitatis scholasticum. nomine Geraldum[23], adiit, suam ei voluntatem pandit, et ut mundi incerta secum pariter relinque- 23 ret, monuit, suasit et obtinuit. Venerabiles ergo viri, sancti Spiritus gratia cooperante, in una eademque voluntate coadunati, coenobitarum quidem vitae sociari quam maxime eligebant; sed quo in loco suave iugum Christi, et onus eius leve suis humeris securius imponere possent, anxie inter se conferebant. Salubri tandem consilio invento, in Cluniacensi coenobio, cuius religionem longe lateque praedicari audierant, sanctae conversationis schema suscipere decernebant.

12. De huius igitur mundi labyrintho per sacrae scripturae ducatum egressuri, primitus adeunt limina sanctorum apostolorum Petri et Pauli; quibus quoniam Redemtoris nostri clementia ligandi atque solvendi tradidit potestatem, ipsorum meritis et intercessione peccatorum suorum a Domino sibi condonari flagitabant absolutionem. Ipsis etiam votum suum intentissime commendabant, deprecantes ut arduum regularis vitae tramitem, per quem ad caelestem patriam desiderabant pervenire, eorum patrocinio beato fine mererentur consummare. Votiva vero oratione completa, de apostolica sede redeunt, et ad desideratum Cluniacensis ecclesiae locum e vestigio veniunt; ubi voluntatis suae secretum eiusdem monasterii reverendissimo abbati, videlicet domno Hugoni, aperientes, devotissime ab eo suscipiuntur; et firmata, ut moris est, stabilitate sua, corpori congregationis tamquam pulcherrima membra inseruntur. O quam delectabile erat oves Christi exutas vellere pristinae conversationis aspicere, ultimas quidem in ordine, sed non paucis superiores in ordinata morum qualitate! O quam imitabile virtutis exemplum, viros omni peritia imbutos, humilem Christi philosophiam humiliter discere, alienae voluntati se obedientissime subdere, se ipsos sibi per omnia fideliter abnegare! Vere enim quae retro fuerant obliviscentes, et in anteriora toto nisu mentis sese extendentes, velut bonae arbores in altum crescebant, dulcesque virtutum fructus proferebant. Verum nos de prudentissimo viro Geraldo tractare minime proposuimus, sed vitam beati Udalrici enarrandam suscepimus. Ut tamen de illo aliquid succincte loquamur, sapientia, consilio ac morum gravitate insigniter praepollens, non post multos annos maior prior constituitur, ac postmodum, iubente apostolicae sedis praesule Gregorio VII, Ostiensis ecclesiae pontificatu sublimatur. Cuius sedis curam cum summa rexit sollicitudine, creditaeque sibi negotiationis talentum Domino suo cum duplicata reportans usura, meruit audire: *Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25, 21. His ita de illo summatim explicitis, qualis patroni nostri conversatio fuerit, adiuvante Domino, pro posse nostro dicamus.

13. In hoc congressu cernens invidus temptator suam astutiam superatam fore, ad alia calliditatis suae argumenta conversus, in amicum caritatis fraterna odia non cessavit excitare. Nam quidam fratres abbatis obsequio inhaerentes, simplicitatem et innocentis vitae puritatem, quam in se non habebant, in beato viro invidiose carpebant; cum magis, si saperent, bono virtutum eius odore ad morum suorum condimentum delectabiliter uti deberent: nec mirum in monachos quoque invidiam cadere posse, cum nec astra in conspectu Dei munda sunt. Praecipue tamen exarsit, et alios contra eum inflammavit monachus quidam, Hunaldus nomine, velut[a] ex subsequenti narratione liquido possumus advertere. Venerabilis pater Hugo iter agens, cum ad quamdam basilicam venisset, et hunc, quem propter sanctitatem ac morum gravitatem in comitatu suo frequenter habebat, missarum sollempnia celebrare iussisset, extraneum quemdam abbatem suscepit, qui collocutionis gratia ad eum divertit; cumque mutuae confabulationi diutius inhaererent, et horarum spatia defluerent, reverendus pater praefatum Hunaldum ad suum sacerdotem misit, quatenus celebrationem mysterii differre deberet, quoad usque peracto colloquio ipse adesse potuisset. Qui veniens ad hominem sanctum, amari cordis asperitatem, qua intus

a) velut — advertere *desunt* 2.

23) V. supra vitam priorem cap. 6.

contra eum tumuit, foris ostendit, illi durum ac turbulentum signum, quod discerni non poterat, cum nimia indignatione faciens. Vir autem Dei, ut erat simplicis naturae, quia signum non intellexit, indutus veste sacerdotali missam exorsus est celebrare, existimans videlicet quod abbas aliis occupatus negotiis non posset interesse. Quo viso reversus nuntius, eum coram extraneis quasi paternae iussionis contemtorem accusat, verba multiplicat, causam nimis exaggerat, patremque spiritalem, si possit, ad gravem indignationem commovere laborat. Sed prudens magister discipuli innocentiam secum considerans, animo lenis, vultu tamquam iratus apparuit; et qualiter et ignotos qui aderant in illo aedificaret et suis patientiae eius exemplum proponeret, sollerter intra se tractare coepit. Veniens itaque ad subiectum suum, iam divinis obsequiis instantem, ab altari eum repulit, casulam ei abstraxit, et sic missam, quam usque ad consecrandam oblationem perduxerat, finire coegit. At ille, quoniam signum monachi in temptationibus apparet, qualis semper fuerit in tranquillitate palam ostendit imminente temptatione. Nam reliquis indumentis cum tanta mansuetudinis lenitate se ipsum spoliavit, ut nec vultum quidem pro illata sibi contumelia mutaverit. Asscensis[a] igitur equis coeptum iter accelerant. Tunc prudens pater, ut demonstraret quod tam severa discipuli correptio non irascentis furor, sed amantis esset probatio, rursus eum mysteria iussit celebrare, quod et ille cum omni mentis explevit devotione. O magnae humilitatis indicium! O invictae patientiae salutare documentum! Talis tantaque tolerantia discipuli gloria est magistri, aliorum aedificatio, delatoris confusio, et ipsius meritorum non parva augmentatio.

20. Cumque his aliisque tribulationum aculeis, superno opifice ordinante, diligenter examinatus fidelisque fuisset inventus, caelestis agricola, qui suos palmites ut fructum plus afferant, paterno verbere purgat, hunc electum suum palmitem iam virentem iamque fructificantem artificiosus purgare disponebat. Missus etenim ad locum qui dicitur Marci-
24 gniacus[24], ut ibi praeesset sacris Christi virginibus, quas felicis memoriae pater Hugo in eodem coenobio sub iugum Domini coadunaverat, per longas vigilias noctium, per scribendi laborem continuum, gravissimum capitis dolorem incurrebat. Ipse autem non hoc divinitus pro sua examinatione, sed casu existimans sibi accidisse, aliquoties caput lavit absinthio, ut a tali liberaretur incommodo. Contigit itaque, ut aiunt, festucam absinthii eius oculo infigi, quae exinde quia nullo consilio erui potuit, oculus sancti viri per sex mensium spatia guttatim effluxit. Sed monachus Dei tam exemplo fortium virorum, quam etiam divinarum consolationibus scripturarum roboratus, ut Iob vel Tobias, virtutem patientiae est assequu-
Iob 5, 17. tus. Et[b] quia scriptum scivit: *Beatus homo qui corripitur a Domino*, non est contristatus pro exterioris luminis detrimento: quia quanto carnalis visus obscurior, tanto mentis acies ad contemplandum superni luminis claritatem fuerat perspicacior. Infirmitate igitur compellente, Cluniacum revertitur, et misericordiam petens a commisso sanctimonialium regimine absolvitur. Cui clementissimus pater Hugo quam benignus exstiterit, qua caritate eum foverit, quam pie, quam prudenter eius infirmitatem consolatus fuerit, cuius sermo explicare poterit? Praecipuo etenim illius congregationis membro infirmante, merito compatiebatur ipse pater, qui quasi caput omnium cognoscebatur esse.

21. Eodem tempore praepotens quidam, nomine Lutoldus, de castello quod dicitur Rumelingen[c], lata quidem praediorum aliarumque divitiarum locupletatus possessione, sed dulci filiorum carens successione, ex consensu suae coniugis ad Cluniacense coenobium perrexit, et praediis suis ad altare beatorum apostolorum Petri et Pauli liberaliter traditis, filium virginis pro aeterna hereditate adipiscenda suum heredem constituit. Quo petente monachos secum dirigi, beatus Udalricus, incolumitate iam recepta, et vir venerabilis nomine Cuno[25], a patre monasterii cum eo mittuntur, quatenus per eorum industriam congrua monachis habitacula construerentur. Postquam perventum est, considerato locorum
26 situ, elegerunt Montem Rotgeri[d] [26], in quo aedificia coenobitarum mansioni idonea perspexerunt aptius posse fieri. Sed quoniam hiemalis inclementia aedificationem impediebat, reverendi seniores saecularium hominum cohabitationem declinantes, in speluncam quamdam, a praedicto monte duobus miliaribus distantem, sese contraxere; ibique instantis

a) Asscensis — accelerant *desunt* 2. b) Et — perspicacior *desunt* 2. c) Limlingen 2. d) Montem Lotgeri 2. *monente Mabillonio in praef., quod tamen Bollandistae non adnotaverunt p.* 161.

24) *Marcenay* dioec. Augustodun.; vide Mabill. Annal. V, 94. 25) Prior de Cella S. Pauli, cfr. supra vit. prior. c. 7. 26) Neque Rumelingen sive Limlingen, neque Montem Rotgeri sive Lotgeri invenire potui.

quadragesimae dies, pane et aqua solummodo contenti, cum spirituali gaudio deduxere. Ibi ergo dum vellent secretius latitare, ut divinae contemplationi artius possent inhaerere, in abdita solitudine turbam patiuntur, dum a multis frequentantur. Nam primo quidem paucis, magis novos homines videndi admiratione, quam suae salutis causa ad se venientibus, beatus Udalricus praedicavit verbum vitae; et exinde innumerabiles hominum turbae ad eos certatim confluxere. Sed prudentissimus vir sibi solerter prospexit, missarum sollempnia, psalmos et hymnos ex monastica traditione constitutos, necnon psalterium ex ordine decantans. Post haec tamquam sibi animae suae sponsum dicentem audiret: *Surge, sonet vox tua in auribus meis*, (Cant. 2, 14.) de dulcissimo quietis suae thalamo foras processit, et erroneo populo adhuc rudi, adhuc animali, et solo nomine Christum confitenti viam salutis ostendit. Sic acuto praedicationis suae vomere agrestium hominum corda scindens, ac peccatorum spinas audita eorum confessione eruens, remedia poenitentiae illis indixit: sicque per eius eruditionem plebi eatenus in umbra mortis habitanti lumen veritatis oriri coepit.

24. Ut ergo ad id unde paullulum digressi sumus manum reducamus, ubi iam tristi algoris asperitate discedente, laeta vernalis temporis amoenitas blande coepit arridere, venerandi patres ad propositum opus redierunt, et officinas monasticae quieti competentes, pro loco ac rerum facultate, construere curarunt. Quorum operi perficiendo, dum promto animo circumpositarum plebium devotio auxilium praeberet, eosque cum magno venerationis amore coleret; duo presbyteri in vicinitate positi, sui quaestus iacturam metuentes fieri, contra famulos Dei gravissimis invidiae facibus sunt accensi. Quorum unus dum in cuiusdam Dei sollempnitate ad populum sibi commissum sermonem faceret, quasi in aenigmate loquens, ait inter alia, herbam quamdam pestiferam in illis regionibus germinare, quae suae perditionis veneno omnem illam terram infunderet, si contigisset eam fructum proferre. Cuncta plebs quae aderat, his auditis pavore et admiratione vehementi concutitur, et si tam periculosi germinis herba ostendi vel eradicari posset, sollicite sciscitatur. Rursus perversus praedicator, virulenta suae malitiae seminaria cordibus illorum infundens: *Monachi*, inquit, *isti a Cluniacensi coenobio in has partes venientes, simulatione, avaritia et invidia pleni, vestrae saluti omnino sunt contrarii; qui si inter vos coaluerint, suaeque praedicationis nociva semina in cordibus vestris crescere fecerint, quidquid boni operis mea sollicitudo in vobis plantavit, citius perdetis, nec ullarum virtutum fructus proferre poteritis. Fusis ergo ad Deum precibus, ut eos divina bonitas a vobis alienare dignetur, supplicate attentius, ne eorum subdola doctrina et ficta sanctitas vestrum sensum decipiat, et, quod absit, vestrae salutis statum pervertat.* Haec et his similia cum dixisset, quibusdam minus peritis abominabiles preces pro illorum alienatione fundentibus, prudentioribus vero rem tacite secum considerantibus, praecurrens fama servos Dei edocuit, quae et quanta malignus presbyter adversus eos rabido ore protulerit. Contigit exinde, ut idem sacerdos iter per praedictum montem ageret, et diei circulo terminante, superveniens caligo noctis reditum ad sua prohiberet; unde nimis anxius quid agere posset, quia caecitas noctis tenebrosae viaeque dispendium reversionem eius impediunt, animo inter spem et metum posito, ad monachos Dei, quibus invidiose detraxerat, coactus divertit. Beatus vero Udalricus cum aemuli sui adventum cognovisset, ne malum pro malo redderet, obviam ei processit, hilari vultu eum suscepit, susceptum, ut monasticae religionis consuetudo deposcit, primum ad orationem duxit. Cui post impensa orationis suffragia, ut filius pacis pacem obtulit in amplexu et osculo caritatis, dulci illum demulcens alloquio, omnique humanitatis refovens obsequio. In crastinum vero caritative dimissus, divina compunctus inspiratione pertractare secum presbyter coepit, quam benigne quamque officiose ab his susceptus fuerat, quos ipse gravissimis verborum iaculis impugnare non timuerat. Pro tanto igitur reatu poenitentiam intra se agens, odium dilectione, detractationes laude, inimicitias pace commutavit. Ad propria etenim reversus, cum in proximo dominicae diei festo missarum sollempnia in conventu plebis celebraret, monachos Christi, quos publica voce prius diffamaverat, magnis laudum praeconiis extollebat, sese in eorum detractatione reum protestans, culpaeque suae vinculum populi oratione relaxari sibi a Domino humiliter deprecans. Deinceps itaque firma ac sincera dilectione benignissimo suo susceptori ipsiusque fratribus connexus, patientiae caritatisque eorum constantiam suis omnibus commendavit; ipseque cum parochianis suis ad cellae[27] opus consummandum prompto animo illis auxilium praebere studuit. 27

27) Hoc ad Montis Rotgeri, non ad S. Udalrici cellam referendum est.

Sic hominis Dei pietas, sic patientia eius et humilitas meruit remunerari, qui inimicum propter Dominum diligens, melius illum amando quam adversando superavit, cui etiam cum oportunitas se obtulit benefacere non distulit.

25. Constructo igitur coenobio, cunctisque rite dispositis, sanctus pater, relinquens cum fratribus qui iam illic coadunati fuerant saepe nominatum Cunonem, Cluniacum revertitur, ibique in grata mentis suae solitudine aliquamdiu quiescens secum commorabatur. Sed quia fluvius iste magnus, qui iam plurimorum arentia corda irrigaverat virtutumque fructus proferre fecerat, intra ripam sui alvei diu non fuerat includendus, ad alia rursus 28 terrarum spatia infundenda est emissus. Nam Paterniacensium[28] monachorum curam iubente suo abbate suscepit, quos suae eruditionis fonte perfusos perfectaeque vitae exemplo informatos in bonis operibus florere fecit. Et quia non solum illos, sed et cunctos homines, quantum in ipso erat, salvos fieri cupiebat, Burchardum Lausannensem praesu- 29 lem[29], in cuius dioecesi praefatus locus est situs, Salvatori suo laborabat lucrifacere, quem omnem viam carnis ingressum, nec ad Iesu Christi, sed ad sua lucra cognovit prona mente intendere. Cuius opera dulci ac salubri litterarum suarum admonitione saepius conveniens, adhortabatur eum, ut religiosae vitae instituto demonstraret, quid saluti, quid officio, quidve dignitati suae congrueret: cuius correctioni tanto instantius imminebat, quanto in personarum acceptione minime iudicabat. Sed episcopus suae saluti inimicus, quia Spiritus sancti unctio cor eius non docuit, admonitiones pii patris non attendit, auditum a veritate avertendo, et spatiosas mundi vias ambulando. Susceptum interea in eodem coenobio clericum quemdam pontifici notum beatus Udalricus convenit, eumque si suus antistes resipiscere vellet sciscitatus, multa super illius aversione est conquestus. Clericus vero pie simpliciterque loquentem patienter quidem sed non simpliciter audivit, reversusque ad episcopum dulcia viri Dei verba pervertens, ac aspera quaeque de suis commentis adiiciens, graviter illum accusavit. Dumque homini per pravam adulationem studuit placere, Deum in suo famulo non veritus est offendere. Nam ad maiorem suae iniquitatis cumulum, animum pontificis ad tam immane commovit furorem, ut milites suos praemiorum pollicitatione ad servi Dei accenderet persecutionem. Qui pecuniae cupiditatem innocentiae praeferentes, diu innocentiae iustitiaeque amatori insidias moliuntur, domnum Cunonem, cuius iam saepe meminimus, Cluniacum pergentem comprehenderunt: hunc episcopi sui reprehensorem existimantes, in quo ob satiandam crudelem domini sui voluntatem nimiam impietatis suae saevitiam exercuere, rebusque omnibus denudatum reliquere. Ille vero, ut vir timens Deum, flagellantis Domini iudicium patienter sustinuit, ipsiusque provinciae defensorem expetens, quis sit, quid pertulerit, quove pergere velit innotuit. Cuius adiutorio recepit sua, suisque persecutoribus pro sceleris sui erratu veniam postulantibus, promta affuit indulgentia. Videns itaque memorabilis pater antistitem ad tam apertas tamque crudeles inimicitias erupisse, cessit locumque dedit irae, ne iniuriae quae sibi accessurae erant ad gloriam meritorum, persecutori suo fierent ad perpetuae confusionis opprobrium. Reversus etenim ad Cluniacensis coenobii arcem, diversis munitam virtutibus, protegente Deo insidiatorum suorum evasit manus. Quid[a] illi eo tempore ad suae sanctitatis indicium et abbatis sui tutelam divinitus sit concessum, breviter puto intimandum.

26. Illis etenim diebus beatus Hugo pro monasterii sui utilitate, communi fratrum decreto, exteras nationes decreverat expetere. Quod ne fieret, beatus iste sancto Spiritu edoctus, beato magistro humiliter suasit; nec illum, licet aliorum votis contrarium esset, ad consentiendum sibi difficilem habuit. Ea nocte cum dormitum esset, vidit in somnis sanctus abbas reiectis vestibus totum se denudari, et hoc superveniente nuditatem ipsius honeste cooperiri. Mane itaque facto, consiliarium suum accersiri iussit, illique visionem ex ordine narravit, gaudens se per eius prudentiae consilium periculum evasisse, quod se incursurum non dubitabat, si aliorum suasionibus voluisset acquiescere.

27. Qualiter vero beatum virum ad Alamannorum, Brisgaugiae videlicet, partes ad multorum salutem per divinam providentiam contigerit pervenisse, cum omni gaudio et exsultatione mentis libet commemorare. Degebat in Brisacensi provincia miles quidam

a) Quid — intimandum *desunt* 2.

28) in pago Lausanensi, hodie Peterlingen, *Payerne*. Vide Mabill. Ann. III, 321. 563. IV, 534. 29) Heinrici IV. fidelem; vide Lamb. a. 1077.

gloriosus, Hesso nomine, genere nobilis, sed nobilior fide, moribus animique devotione. Hic, divina gratia inspirante, verae religionis amator effectus, praedia sua sanctae Cluniacensi ecclesiae delegavit, atque in ipsis divinae servitutis scholam ad congregandos inibi theoricae vitae sectatores construi postulavit. Susceptis itaque in sua possessione[30] monachis, 1072 cum habitatio monastico proposito minus idonea videretur, aliorsum vertit religiosam intentionem mentis. Locus igitur quidam in eadem regione situs, qui etymologiam sui nominis ex adiacentium camporum silvarumque virenti amoenitate ostendens, Gruningen[31] dicitur, legitimo concambio facto cum duce Bertholdo[32], cuius ditione subiacebat, studio 32 et industria clarissimi viri Hessonis monachorum iuris efficitur. Qui[a] quomodo regulari custodiae aliquantulum aptior videbatur, constructis mansionibus, monachi illuc sunt translati; nec ibi, ut postea clarebit, stabiliter mansuri. Sed fit plerumque ut sacrorum locorum stabilitas et religio, quae in sui primordio paullisper retardari videtur, procedente tempore per Dei gratiam et prudentium virorum industriam, in suo statu stabilius perfectiusque solidetur. Quod manifestius probabimus, cum sequentium rerum effectus descripserimus. Nam tandem post aliquot annorum curricula venerabilis pater Udalricus in omni norma coenobialis vitae ad unguem edoctus, a sancto Hugone ad praefatum locum dirigitur, quatenus per eius studium atque laborem vinea caelestis agricolae inibi plantaretur. Qui commissi gregis curam sollicite coepit agere, monitis et exemplis oves Christi instruens, qualiter se ab invisibilis lupi rabie possent defendere.

28. Non post multos itaque dies felicissimi adventus eius, bono virtutum illius odore iam se per regionem diffundente, offertur ei inter filiorum suorum manus matrona quaedam nobilis, vexata furore saevissimi daemonis. Qua sub ipsis vinculorum nexibus, quibus ob immanitatem furoris stringebatur, in conspectu viri Dei pavendo fremitu variisque conatibus perstrepente, ut patenter intelligeres inimicum eius praesentiam expavescere, frater quidam, Warinherus nomine, de meritis sancti patris pie praesumens, suas preces adstantium votis simpliciter adiunxit, ita inquiens: *O pater sancte, qui omnibus in afflictione positis auxilium orationis tuae clementi compassione impendis, cur super gravissima huius miserrimae mulieris vexatione solita pietate non moveris? Huic vel benedictionis tuae munus largire, quatenus ab infestantis inimici liberari valeat invasione.* Quibus auditis vir humillimus vehementer obstupuit, fratremque quasi simpliciter locutum, quod talia de ipso praesumeret, gravi indignatione coarguit, dicens, se hominem peccatorem, nullius meriti dignum esse, per quem divina miseratio sospitatem illi dignaretur conferre. Salutem tamen illi a vero medico Iesu Christo, sed non in sua praesentia adipiscendam, imprecatus abscessit: ac secreto ingressus ecclesiam, corde contrito, spiritu humiliato, lacrimis uberrimis Domino pro illa supplicavit. Nec diu distulit superna clementia vota supplicantis amici, quem ob suae humilitatis custodiam declinare vidit laudem favoris humani. Comitibus etenim miserandae mulieris cum maerore eam reducentibus, ipsa subito de manibus eorum in terram corruit, ac quasi per unius horae spatium, usu loquendi substracto, moribunda iacuit. Ibi itaque superbo hoste per humilitatem servi Dei adhuc precibus incumbentis de vase quod possederat eiecto, matrona surrexit incolumis, ac reversa cum suis gratias egit Deo eiusque fideli famulo, per cuius meritum receperat gaudia optatae sanitatis. Hoc miraculum praedicto fratre Warinhero referente cognovimus, qui adhuc superstes vivit in domo Dei, sanctae simplicitatis et innocentiae monachus.

29. Cum ergo in praefato loco servus Dei aliquo tempore mansisset, anxiari coepit, quod ovium suarum caulas nequaquam in tuta mansione sed quasi in mediis luporum faucibus vidit constitutas. Idem etenim locus, licet sui amoenitate spectantium oculis grate arrideret, licet ubertate fructuum labori cultoris respondeat, patet tamen undique accessibus viarum, circumfunditur frequentia saecularium hominum, artatur penuria multarum rerum monasticae quieti necessariarum. Quae omnia vir altioris ingenii sollicite perpendens plurimum obsistere spirituali professioni, filios adoptionis, quos a carnalium hominum vita et moribus alienos voluit exsistere, etiam loco ab illorum visu et auditu satagebat

a) qui — descripserimus *desunt* 2.

30) sc. *Rimesingun*, quam teste charta Heinrici IV data d. 27. Iulii 1072, Hesso monasterio Cluniacensi dono dederat, ut *monachi de Cluniaco de rebus ibi pertinentibus vivant.* Marrier Bibl. Cluniac. p. 526. Böhmer 1849. 31) hodie Grieningen, vide Mon. Germ. SS. X, 115.40. 122.20. 32) secundo, ann. 1077—1111.

segregare. Cuius rei cura, diversos anfractus eremi Brisacensi pago adiacentis perlustrans,
33 invenit tandem locum ex antiquiorum traditione, Cella nuncupatum[33], a saecularium turbine
longe remotum, nemorosa arborum densitate consertum, irriguum aquarum fluentis, florigeris amoenum pratis, et per omnia opportunum cautelae vitae monachilis. Hunc igitur omni desiderio amplexatur, Burchardum[34] Basiliensem antistitem, ad cuius ius spectabat, cum nobilibus viris convenit, et sub multorum testimonio probabili recompensatione facta,
35 fratribus suis eorumque successoribus perpetuo iure habitandum acquisivit[35]. Transferens
igitur athleta Christi vineam de Aegypto, et velut alter Moyses ducatum praebens Dei populo, introduxit eum in eamdem solitudinem, ut per duros et asperos labores patienter exercitatus, intraret tandem terram lacte et melle manantem.

30. Constructurus autem monasterium cum religiosis fratribus, praelato sanctae crucis signaculo, locum futurae fabricae perlustrat, ac precum vota suppliciter persolvens, ipsum aqua sanctificationis consecrat. Ipse quoque ad fundamentum ponendum primus sarculo terram aperit; deinde exemplum magistri discipulorum devotio subsecuta terram certatim egerit. Haec[a] idcirco commemoravimus, ut praesentes et subsequentes semper habeant in memoria, a quanta sanctitate et religione praefati loci surrexerint primordia. Cum tandem sub magna rerum penuria eiusdem ecclesiae aedificium esset consummatum, in honore summorum apostolorum Petri et Pauli constat esse dedicatum.

31. Huius igitur sanctissimi patris studio atque meritis post Deum praecipue est adscribendum, quod primum in ea eremo militiae caelestis regis quoddam gymnasium noscitur esse constructum, vel quod inibi Deo serviens fidelium populus merito et numero est adauctus. Accensa etenim hac splendidissima lucerna, et bonorum operum exercitiis super candelabrum eminenter posita, multi in tenebrarum caligine constituti gaudebant se illius claritate illustrari. Nonnulli etenim de magno et spatioso hoc mari cupientes emergere, eius sanctitatis consilium non dubitabant expetere. Sed vir beatus, licet ad fratrum suorum sustentationem terrenarum rerum valde indigeret supplemento, nullum tamen sibi attraxit sermone composito. Nam magnis quoque viris divitiarum gloria fultis, gratia conversionis eum adeuntibus, proposuit loci paupertatem, districtionem regulae, propositi laborem; suadens ut alia expeterent monasteria, ubi non constringerentur tam grandi rerum inopia. Qui Deum non ficte sed veraciter quaesierunt, sponte[b] se dura quaeque et aspera propter spem vitae aeternae patienter subituros promittentes, sub tali magistro iugum Christi susceperunt. Hi non solum rebus quas reliquerant loci indigentiam plurimum supplevere, verum etiam se ipsos relinquentes, per religiosae vitae conversationem nominis sui professionem ornavere. Venerandi etenim patris monitis instructi, moribus aedificati, meritis adiuti, de peccatoribus iusti, de carnalibus spirituales, de[c] terrenis caelestes sunt effecti.

32. Cum itaque totius religionis amator lucrandis animabus propensius invigilaret,
sollicitus fuit, ut etiam muliebrem sexum faucibus antiqui hostis subriperet. Unde in villa
36 quae Boleswiler[36] dicitur, distans a monasterio fere miliario uno, non solum eas collegit
quae maritales delicias postponerent, verum etiam quae virginali decore candentes, caelestis regis sponsae vocarentur et essent. Hae sub utraque conditione saeculo renuntiantes, cum nitore castitatis accensisque lampadibus in adventum sponsi sui sese satagebant praeparare, quatenus cum eo caelestis aulae thalamum mererentur intrare. Ad[d] quas, quia secundum narrationis seriem pervenimus, miraculum quoddam quod apud illas vir Dei, dum in eadem villa consisterent, perpetravit, silere non debemus. Quadam etenim vice spiritualis pater easdem filias suas, quas Christo genuerat, more suo exhortationis gratia visitabat: cui una ex ancillis Dei, Vinnecha[e] nomine, filiam suam virginem sacram, quam

a) Haec — primordia *desunt* 2. b) sponte — subituros *desunt* 2. c) de terrenis caelestes *desunt* 2. d) Ad — debemus *desunt* 2. e) Wancha 2.

33) Ad fluvium Wiesen in Brisgowia situs haud multum a S. Blasii cella distat. Vide supra not. 17 ad priorem vitam. 34) Is anno 1103 sancto Hugoni monasterium sancti Albani in Basileensi suburbio concessit. MAB 35) Charta concambii qua Burcardus ep. Basileensis locum Cella concedit S. Udalrico a. 1087 ind. X. ex tabulario Cluniacensi prodiit in Schoepflini hist. Zaringo-Badensis V. p. 27: *Noverit omnium — universitas, qualiter Udalricus monachus Cluniacensis et prior de Gruningun — impetravit a Basileensi episcopo — Burcardo, ut locus ille qui Cella dicitur, qui situs est in Nigra Silva in pago Brisgowe in comitatu Herimanni comitis — per legitimum concambium ad Cluniacum traderetur. — Actum in loco qui dicitur Rendelimsum.* 36) hodie Boleschweil.

secum de mundi naufragio ad monasticae quietis portum adduxerat, benedicendam offerebat. Nam invaserat faciem illius cancer, morbus letalis, iamque miserando modo nares corroserat usque ad confinium labii superioris. Super cuius plagam cum ea vice secundoque adveniens medicinalem Omnipotentis misericordiam suppliciter invocasset, ut in tertio adventu suo malum morbi latius crevisse conspexit, solita pietate commotus, erumpentibus lacrymis, puellae inquit: *Quid est, filia, quod antiqui hostis invidiam adeo tibi praevalere video, ut orationibus servorum Dei non valeas liberari de huius passionis incommodo: nam in virtute Iesu Christi confidebam te iam incolumitati esse restitutam.* Haec dicens, locum vulneris ex omni parte sanctis manibus ambiendo, apposito simul orationis antidoto contrectat, ac sic eam dimittens, in nomine sanctae et individuae Trinitatis imperat, ne amplius ex illa infirmitate ullam molestiam sustineat. Quod viri Dei praeceptum celer effectus subsequitur. Nam eadem hora puella cum naris purgatione vermem ad instar parvissimae testudinis proiecit, cunctisque qui aderant gaudentibus, sanata[a] Dei magnalia ac beati viri merita non tacuit. Hoc gestum eiusdem venerabilis feminae, matris videlicet sanatae virginis, aliorumque testimonio ad nos constat esse perlatum, quorum fides et devotio virtutis praebet incitamentum.

33. Operae pretium esse existimo, praeconiis signorum illius paullisper intermissis, laudabilem vitae eius conversationem texere, ut[b] posito fundamento, miraculorum aedificationem aptius postmodum videamur exigere. In primordio quidem conversionis eius pauca de morum illius qualitate perstrinximus; hic vero qualiter suscepto huius loci regimine vixerit, qualiter docuerit, ob multorum utilitatem pro nostris viribus breviter evolvendum putamus. Nam in huius nostrae fragilis iamque ad occasum vergentis aetatis tempore, deficiente iam sancto, ut ita dicam, mirabilius est sancte et innocenter vivere, quam exteriora miracula quae cum electis et reprobis communia sunt perpetrare. Erat igitur beatus iste fide firmus, spe certus, gemina caritate refertus, mundus corde, pius voluntate, discretus in simplicitate. Erat etiam in consilio circumspectus, in sermone disertus, in omni actione sua compositus; constans in adversis, humilis in prosperis, nec nimis in severitate rigidus, nec in hilaritate remissus: sed honesta gravitate temperatus, iustitiam dilexit, iniquitatem odio habuit, supernique arbitri voluntatem in omnibus sectari studuit. Misericordiae pietatisque visceribus plenus, mira mansuetudine et invicta patientia praeditus, egregiis[c] quoque studiis floruit, velut sequentis series narrationis declarabit. Nam circa salutem fratrum suae providentiae commissorum valde fuerat sollicitus, omnimodis ad hoc invigilans, ut sub ipsius magisterio nullus vel religionis vel animarum utilitatis subreperet defectus. Unde ipse primus ordinem regularis disciplinae in eodem coenobio servandum statuit[37], 37
qui ipso auctore ac doctore in augmentum religionis excrescens, hodie quoque, Dei gratia meritisque ipsius opitulantibus, salvus consistit. Nam cum adhuc pauci numero essent fratres, qui sub ipsius regimine Domino serviebant, tam exemplo eius et admonitione, quam propria voluntate perfectiorisque vitae desiderio traditiones Cluniacensium patrum ordinisque districtionem observare satagebant: in tali namque tantoque magistro sese quasi in lucidissimo speculo considerantes, formamque cui imprimerentur ante oculos habentes, de virtute in virtutem studebant proficere, ut tandem Deum deorum in Sion mererentur videre. Ipse quoque secundum apostolicae institutionis regulam, prout cuique competebat, in omni patientia et doctrina arguebat et obsecrabat, non piger in sollicitudine, ne remissio ullum in propositi fervore negligentiae torporem posset generare.

34. Ipse primum, petente Willelmo Hirsaugiensis coenobii reverendissimo abbate, Alamanniae monasteriis consuetudines Cluniacensis ecclesiae invexit, quas plerique monasticae religionis amatores, tanto studio tantaque veneratione observant et amplectuntur, ac si opes regias se habere gratulentur. De quibus duos libellos[38] luculento sermone com- 38
posuit, quorum conscriptio tam per Alemanniae, quam et aliarum regionum monasteria longe lateque pervolavit; quos si forte leges, quasdam divinae servitutis aliorumque officiorum nec non obedientiae, humilitatis fraternaeque caritatis leges conscriptas in eis reperire, studium, ingenium quoque sapientiamque viri inibi manifeste poteris cognoscere.

a) sancta 2 b) ut — perpetrare *desunt* 2. c) egregiis — declarabit *desunt* 2.

37) Constitutiones Cluniacenses a sancto Udalrico conscriptas edidit d'Achery Spicil. II[da] editio tom. I, 641, quas praecedit epistola quam *Wldalricus Cluniacensis ecclesiae qualiscumque monachus* misit *patri Willelmo Hirsaugiensi abbati.*

38) Quibus post tertium addidit.

Erat enim homo iste doctus paterfamilias in regno caelorum, proferens de thesauro suo nova et vetera, unde multos ad scientiam erudivit; ideoque sicut stella in perpetuas aeternitates fulgebit. Quoties ad circumpositorum abbatum, sive monachorum coenobia visitationis gratia veniebat, non ut hominem, sed ut revera magni consilii angelum, cunctorum devotio cum omni eum reverentia et alacritate suscipiebat. Cuius dilectio illorum cordibus adeo insedit, ut eum ordinis sui patrem ac doctorem appellarent, hodieque nomen et sanctitatis eius merita in benedictione commemorent.

39 39. In vico qui Amparingen[39] dicitur, plebeius quidam carnium utens edulio, infixo gutturi suo osse praegrandi, intolerabili addictus est supplicio. Cumque dolor adeo vehemens esset, ut sibi huius vitae spiraculum intercipi putaret; remedium quod medicinali arte consequi non potuit, per beati Udalrici orationes sibi a Domino conferri posse non dubitans, eius consilium simul et auxilium expetiit. Cui cum calamitatis suae miseriam lamentabiliter aperuisset, vir misericordiae afflictioni eius ex intimis visceribus compassus, dulcibus eum verbis consolans, monet ut habeat patientiam, et flagellum corripientis Domini peccatis suis attribuat. Deinde locum doloris consignat sanctorum reliquiis, potatque eum aqua sanctificationis. Consilium quoque dedit infirmo Romanae urbis moenia, summorum apostolorum gloriosissimo triumpho insignita, cum primum opportunitas accidisset, adire, ipsorumque patrocinia pro corporis et animae incolumitate devote expetere. Cuius consilio voluntarie acquiescens, redit ad propria, iniunctum sibi negotium exsequi cupiens promta obedientia. Ea nocte cum sese miserabilis homo sopori dedisset, prorumpente sanguine, saevissimus ille gutturis aculeus quadam vi evellitur, quia dolor ibi locum diu habere non potuit, super quem homo Dei sanctorum pignora, adiuncto pariter suae orationis medicamento, tetendit[a]. Ereptus igitur de faucibus mortis, inopinata sua sanitate amicos et affines suos laetificat, remeansque ad beatum Udalricum suae salutis patronum, gratiarum actiones pro adepta sospitate referre non cessat. Vir autem Domini, ob suae humilitatis custodiam non suis meritis, sed sanctorum apostolorum potestati sanitatem ipsius docens adscribendam fore, ad quorum limina eum destinabat dirigere, monet illum sollicite, ne iniuncti itineris laborem negligat assumere.

40. Beatus pater egressus est aliquando pro monasterii utilitate, quodam fratre viro
40 nobili, cui nomen erat Egeno[b, 40], qui eius ductu mundum vicerat, quique haec quae subscribenda sunt retulit, secum pariter comitante. Erant tunc frigoris asperitas nimia, solitoque gravius inhorruerat hyemalis inclementia. Sanctus autem Domini psalmis et canticis spiritualibus, quoties erat in itinere, semper intendebat, nec umquam gravitatem silentii nisi magna urgente necessitate solvebat. Dum ergo psalmis et orationi more suo vacaret, intusque in amore Dei totus flagraret, frigore foris contra se invalescente, in corpore adeo obriguit, quod vix vel vocem edere vel labia movere potuit. Quod videntes qui in comitatu eius aderant, ilico mente consternati, qui ne id fieret praevidere inertes fuerant et incauti, festinato cursu quamdam villam intrabant, eiusque necessitati copiosum ignem praeparabant, quos praeeuntes, senior uno cliente secum comitante subsequitur, ac domum intrans, ab obsequentibus sibi iuxta foci incendia collocatur. Cumque tacitus sedens psalmos secum ruminaret, et seniles artus ad igneum calorem refoveret, flamma sursum evolans ligni fasciculos supra ignem ad siccandum positos raptim invasit, altiusque consurgens tecti altitudinem apprehendit. Hinc familiae clamor attollitur, a vicinis ad extinguendum ignem undique concurritur, domus substantia certatim eicitur, iamque acrius saeviente flamma, venerabilis pater domum exire rogatus, ne ab ignis violentia laederetur, immobilis perstitit, expansisque ad caelum manibus, huiusmodi precem ad Dominum fudit. *Domine,* inquit, *Iesu, domine Iesu, adiuva nos.* Quo dicto, signum sanctae crucis flammis opposuit, manus intra vestem reduxit, ipsamque supra focum cui adstabat expandit. Dum ergo orat, dum sanctos Dei suppliciter invocat, non solum ignis quem veste cooperuerat in carbones redigitur, verum etiam flamma totam domum iam devastans, ac si valida imbrium abundantia perfusa subito extinguitur. Ipse ab incendio nec corpore nec vestimento laesus

a) collocavit 2. b) Egino 2.

39) Huningen vicinus fuisse videtur, ut ex charta ap. Schoepflin. hist. Zar. Bad. V, 99 coniicio. Idem vicus occurrit etiam in privilegio Burcardi episc. Basil. supra laudato. 40) In Suevicae historiae monumentis ab Ottone Abel editis (SS. X) varii hoc tempore occurrunt Eginones, de Achalm duo, de Urabe, de Sunimoutingin et de Zobre. Vide Ind.

liberatur. Quis[a], Deus aeterne, omnipotentatus tui magnalia dignis laudum praeconiis valet extollere? Ecce iterum antiqua magnitudinis tuae miracula non dedignaris renovare: sicut quondam tres Hebraeos iuvenes, Chaldaeis incendiis pro tui nominis confessione deputatos, illaesos eripuisti; ita nunc famulum tuum, velut in aestuanti fornace stantem, teque invocantem, in mediis flammis ita intactum conservasti, ut nec fimbria vestimenti eius ulli pateret laesioni. Sicut tunc medium fornacis quasi roris flantem[b], angelo in eam descendente, fecisti; ita nunc per merita fidelis tui, voracem flammam omne illud aedificium destruentem caelesti virtute compressisti. His ita gestis, sanctus pater populares, qui ad extinguendum ignem convenerant, dulci sanctaque praedicatione recreat, monens, ut omnem spem suam in summo rerum ordinatore constituentes, sic vivere studerent, quatenus ab aeternis gehennae incendiis, Deo propitio, liberari valerent. Qui omnes laeti et alacres, Deumque in mirabilibus quae viderant glorificantes, ad propria sunt reversi.

41. Inter haec tacendum non est, quantam Deus temptationem famulo suo ipsiusque discipulis immiserit, et quam mira clementia eum cum suis de imminenti angustia liberaverit. Enimvero cum quidam in Brisgaugiae finibus stuprum cum noverca sua illicite commisisset, et scelere diffamato, oculos civium suorum prae contumelia ferre non potuisset; adiit venerabilem Constantiensis ecclesiae pontificem Gebehardum[c], ab illo pro commisso crimine poenitentiae accepturus remedium. Qui misit eum ad cognitam sibi beati patris sanctitatem, petens ut in numero fratrum, qui vulgo barbati[41] dicuntur, susciperetur: quatenus sub eius regimine per duros obedientiae labores delicti sui veniam adipisci mereretur. Suscepta legatione pontificis, vir Dei rem ad fratres detulit. Sed quia locus in proximo erat, ubi idem vir tam nefandam rem commiserat, voluntati eius minus annuendum putabant, verentes ne aut culpam ex loci propinquitate iteraret, aut opprobria hominum sustinere non posset. Quapropter miserabilis ille, incertus quo se vertere posset, invento tandem consilio, suis ignorantibus, Hirsaugense coenobium expetiit, saeculo renuntiavit, correctioris vitae disciplinam assumsit. Hinc igitur callidus omnium bonorum adversarius, materiam saeviendi in Dei famulum eiusque discipulos se invenisse gavisus, qui proprios conatus in eosdem diu frustra exercuerat, novos hostes in eorum persecutionem excitabat. Ipsius etenim, ut putatur, instinctu miraque Dei permissione huiuscemodi fama totam subito pervolat regionem, cunctis[d] dicentibus, hominem illum suis oculis subtractum, ad illius loci monachos conversionis gratia pervenisse, et arundine ori eius imposita, subterraneo specu quasi pro poenitentia obrutum fuisse, arundine veru casu remota, inventum post triduum mortis subisse supplicia. Hinc furor totius populi contra eos accenditur, hinc servi Dei spectaculum et opprobrium cunctis habentur. Erat tunc tempus messis triticeae, quando haec infortunia viro Dei sociisque ipsius obviavere. Adduntur suspicionibus suspiciones, blasphemiis blasphemiae, maledictiones maledictionibus. Nam ea tempestate ex occultis terrae finibus imbrifera nubes circa coenobium asscendens, paullatimque sese per totam regionem spargens, pluviarum inundationes comprovincialibus ingerebat; unde nec meti, nec foenum colligi poterat. Cum vero filii tenebrarum filios lucis multo acrius maledictis et blasphemiis insectantes, aiebant: *Ecce quanta mala, quantas calamitates a pestiferis illis patimur. Ecce enim, ecce nubium densitas et imbrium tempestas de exsecrabili illo consurgit loco, ubi defuncti cadaveris obruta iacet corruptio. Istos non monachos, sed simulatores, homicidas et perversores, cur sinimus inter nos vivere, quorum nefas nec caelestis indignatio sustinet inultum esse. Istos de nostris finibus studeamus expellere, ut nos cum nostris salvi possimus consistere.* Inter hos turbines spiritualis pater, super quem praecipue totum pondus tribulationis incumbebat, oves suas, quas a luporum dentibus lacerari vidit, fortissima patientiae arma assumere monebat, dicens, omnes in Christo Iesu pie volentes vivere oportere persecutionem ab iniquis sustinere. Singulos quoque nunc publice, nunc privatim monebat obnixius insistere orationi; quatenus per summi Patris consolationem ab imminentibus anxietatum fluctibus citius mererentur liberari. Hinc ergo preces multiplicant, psalmos cum gemitu cordis decantant, pauperes reficiunt, Dominumque, quasi in navi dormientem, ut imperet ventis, et tranquillitatem faciat, excitare contendunt. Cum vero inter haec nullatenus sedari posset tumultuantis populi fremitus, nec ulli monachorum liber e cella concederetur egressus, beatus pater legatum suum misit ad ducem Bertolfum[e],

a) Quis — compressisti *desunt* 2. b) fontem *Mab. correxit.* c) Gebehaldum 1. Gebhardum 2. d) cunctis dicentibus *desunt* 2. e) Bertoldum de Zäringen 2.

41) id est conversi.

statuens, ut si ipsius iudicio placeret, monachum suum per exstructi ignis rogum ad comprobandam ipsorum innocentiam transire iuberet. Constituitur itaque dies, et examinis sententia adhuc suspensa, ille, pro quo tota tempestatis procella fervebat, Dei nutu ex insperato supervenit, et viva adventus sui praesentia monachos de impositi criminis obprobrio exemit. Sic omnipotens Deus, qui est adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, famulos suos quos utiliter ad tempus probavit, probatos misericorditer liberavit, et apud omnes apud quos diffamati fuerant magnifice glorificavit.

42. Adhuc[a] aliqua de miraculis beati viri paginis sunt inserenda, quae sanctitatis eius praeclara quaedam sunt indicia. Quodam tempore contigit beatum Udalricum ad villam,
12 quae Waltchirecha[b. 42] dicitur, devenire, uno monachorum secum pariter comitante. Ubi dum ob sanctae opinionis reverentiam a quorundam devotione in hospitium honorifice fuisset susceptus, monachus eius valida infirmitate subito est praegravatus. Mane itaque discessurus, cum infirmus eius comitatui nulla virtute posset adiungi, sequestratus ab aliis, cum gemitu et lacrymis Dominum pro fratris incolumitate precabatur; ac venerandam virginem Margaretam, cuius in eadem villa memoria est, inter alias sic affatur: *Num*, inquit, *tibi placet, Margareta, quod monachus meus, quem ad tuae ditionis locum incolumem adduxi, tanta debeat infirmitate detineri. Redde eum, redde sospitati, quem sanum in tuo loco suscepisti.* His dictis ad infirmum fratrem festinanter regreditur, sciensque omnia possibilia credenti: *Surge*, ait, *in nomine Domini, ut quemadmodum simul huc venimus, ita pariter hinc discedamus.* Nec mora, ad vocem iubentis monachus, ac si divinitus imperatus, nulla debilitatis vestigia in se ostendens, sanus surrexit, iter senis comitatur, Deus in his glorificatur.

43. Cum[c] passim fama sancti patris percrebuisset, Basilea quoque civitas populosa a miraculorum eius gloria nequaquam exstitit aliena, quam vice quadam ingressus, a praedivite quodam, cui nomen erat Anno, devotissime est susceptus. Cui postea quam idem paterfamilias hospitalitatis iura cum omni caritatis officio impenderat, filium suum egregiae indolis flore adornatum, benedicendum sanandumque illi offerebat. Qui cum iam id aetatis esset, ut naturali pedum officio firmis gressibus uti deberet, sine incessu tamen remanserat, omnemque spem ambulandi parentibus suis abstulerat. Quod cum pater ipsius servo Dei maesto sermone retulisset, nihil diffidens de meritorum eius dignitate, dulce pignus gremio reverendi senis imponens, una cum matre infantis affatur eum supplici voce: *Rogamus pietatem tuam, pater venerande, quatenus pro hoc infante divinam misericordiam digneris exorare, ut omnipotens Deus, qui nobis eum concedere dignatus est ipse, ei naturale gradiendi munus largiendo, corda nostra laetificet.* Quorum precibus vir Dei commotus, ut erat misericordiae visceribus plenus, ad infantem adhuc in gremio suo sedentem mitissimos dirigens obtutus: *Almae*, inquit, *Mariae virginis filius clementer annuere dignetur, ut in tuo profectu parentum tuorum animus laetificetur.* His dictis, parvulum in terram statuit, statimque ille longiuscule deambulans, post paucos dies firmis vestigiis innitendo, quo voluntas tulit incedens, nullius egebat adminiculo. Is nunc robustae vir aetatis, perpetrati in se miraculi causa testisque exsistit, in quo homine pulcra manus Omnipotentis pulcrae excellentisque staturae plasma confinxit.

44. Haec de beati viri vita sive[d] gestis, multis, quae scribi possent, brevitatis studio omissis, fidelium memoriae tradidimus. Hinc qualiter ad aeterni regis palatium, velut miles emeritus immarcescibilis gloriae diademate coronandus, intraverit commemoremus. Cum ergo Dominus electum suum, post decursa huius vitae stadia, bravio aeternae beatitudinis remunerare decerneret, ad labores et temptationes eius labores addidit et temptationes, ut et gloriam meritorum eius copiosius augeret, patientiaeque eius exemplum posteris proponeret. Nam ademit illi usum alterius luminis, quo solo utebatur per spatium longi temporis.
1 Cor 4, 9. Ipse vero viriliter agens, ac Dominum patienter sustinens, cum apostolo dicebat: *Spectaculum facti sumus mundo et angelis et hominibus.* Tunc ergo orationi psalmorumque decantationi, necnon auditioni sacrarum lectionum tanto studiosius ac liberius adhaerebat, quanto nullius alterius administrationis cura occupari poterat, talibus studiis facile consolans damna ablati luminis.

a) Adhuc — indicia *desunt* 2. b) waltchiretha 1. Swaldhiers 2. c) Cum — aliena *desunt* 2. d) sive — omissis *desunt* 2.

42) Waldkirch in Brisgowia.

45. Taceri hic non debet, quam dilectionem quamque compassionem beatus abbas Hugo beato discipulo exhibuerit, ubi illum tali flagello a Domino visitatum cognovit. Quem[a] enim sibi eadem sanctitatis conscientia, eodem spiritus amore indissolubiliter coniunctum vidit, num illum non diligere, num illi non compati debuit? Prosequente etenim fratrum suorum pio voto, misit venerabilem virum Cunonem ad eum revocandum: quatenus et misericordiam et caritatem, quam apud eum sancte vivendo promeruerat, illi impenderet, suamque ecclesiam tanti meriti viro, ac defuncti corporis pretio adornaret. Sed quia Dei nostri clementia pie disponens omnia, idem coenobium tali patrocinio privare noluit, vir sanctus locum quem regendum susceperat, quem vivens diligebat, quem et miraculorum gloria post mortem illustraturus erat, deserere humiliter recusavit. Reverso ad se nuntio, cum cognovisset venerabilis abbas votum suum circa sanctum virum impleri non posse, indulgens illi si quid in eum, ut est humana fragilitas, deliquisset, veniam coram praefato Cunone prostratus humiliter accepit, pro se apud beatum Udalricum accipiendam, si vel ipse eum quoquo modo offendisset; quod et ita factum est.

46. Beatus itaque Udalricus in loci regimine succedi sibi postulans, cum per bina annorum curricula et amplius, flagello caecitatis probatus fuisset, tactus est infirmitate valida, qua et huius vitae conclusit extrema. Cui ad cantandas regulares horas vir vitae venerabilis Wido est deputatus, qui adhuc in carne degens eiusdem patris vestigia sanctis operibus sequitur, utile vas in domo Domini positus, consummataeque religionis monachus. Hunc aliquando vir Dei rogaverat, ut cum ad extrema veniens in agone laboraret, lectionem apostolicam: *Sancti per fidem vicerunt regna*, in excessu eius legi faceret. Laborante Hebr. 11, 33. itaque in agone sancto patre, vir prudentiae totiusque religionis dote adornatus Eberhardus, qui tunc super eiusdem congregationis custodias sollicite vigilabat, ad eum accessit, et an se cognosceret vel audiret interrogans, tale ab eo responsum accepit: *Audior, audiris.* Quae verba Spiritus sancti instinctu prolata, et amborum sanctitati testimonium reddentia, sapientium virorum notavit intelligentia; dumque se pro carnis solutione, pro aeternorum gaudiorum perceptione, ut semper optaverat, in proximo audiri a[b] Domino laetabatur, et illius opera summo Iudici accepta esse in spiritu contemplabatur. Praefatus ergo venerabilis monachus Wido, sancto patri per tres dies in infirmitate posito custos assistens diligentissimus, quarto die post primae horae celebrationem ad eum more suo intravit, illumque extremum spiritum trahentem reperit. Recitatur itaque super eum praefata apostoli lectio, inter cuius verba sanctus Dei, qui fide regnum mundi vicerat, qui dum vixit iustitiam est operatus, fratribus cum lacrymis et oratione adstantibus, caelo spiritum reddens, aeternae beatitudinis repromissionem est adeptus. Migravit autem venerabilis pater 2. Idus Iulii[43], plenus senectute, plenus sanctitate, relinquens filiis suis dolorem de morte, exemplum de conversatione, spem de interventione.

47. Celebrantes itaque eius exsequias, peractis his quae rite pro defunctorum requie agi consueverant, sanctissimi corporis glebam in claustri saeptis tumulavere, incongruum ducentes tanti patris membra inter aliorum fratrum cadavera collocare. Infra tricesimum vero obitus sui diem domno Cunoni, cuius ante meminimus, probatae conversationis monacho, vir Dei apparuit, ipsoque requirente an quietis gaudio frueretur, respondit: *Summae et inaestimabilis vitae gaudia optime possedi, donante Dei clementia.* Quidquid vero de hac visione iudicetur, indutum illum a Christo aeternae claritatis stola tam praeteritae vitae conversatio, quam miracula, quae ad tumulum eius creberrime fiunt, diffidere nequaquam patiuntur. Tuam[c] ergo pietatem obnixe petimus, pater beatissime, quatenus tuis suffragantibus meritis, post terras caelum, post exsilii nostri labores et aerumnas supernae patriae quietem mereamur possidere.

a) Quem — debuit *desunt* 2. b) a Domino *deest* 2. c) Tuam — possidere *desunt* 2.

43) Annus obitus omnino non constat. Quae vero Mabillonius, S. VI. II. p. 780 et Bolland. Iul. 3. p. 251 hac de re disputaverunt, verisimillimum faciunt, S. Udalricum a. 1093 mortuum esse.

VITA HEINRICI IV. IMPERATORIS.

EDIDIT W. WATTENBACH PH. D.
TABULARIUS REGIUS WRATISLAVIENSIS.

Vitam Heinrici IV imperatoris primus ex codice Sancti Emmerammi eruit publicique iuris fecit Aventinus, quem multi deinde editores secuti sunt, quum propter raram libelli praestantiam, tum partium studio permoti, quod auctor eius inter acerrimos caesarianae partis fautores numerandus, contra Romanos pontifices arma praeberet. Sed inter eos, qui de ipso quod ederet opusculo bene mereretur, fere solus fuit Melchior Goldast, accurata de eius auctore instituta inquisitione.

Est autem haec vita sine dubio maximi aestimanda, et inter fontes rerum Germanicarum locum insignem merito obtinet. En quae de ea volumini Scriptorum Reuberiano, teste Caveo, inscripsit vir summus, Isaac Casaubonus: Ex omnibus scriptoribus qui hoc volumine continentur, nullus conferendus ulla ex parte cum eo qui vitam maximi principis imperatoris Heinrici IV descripsit. Quo in libello quid prius admirer nescio: elegantiam sermonis illis temporibus stupendam, an sententiarum gravitatem, an pietatem, quae patet fuisse ingens in eo authore. Quem equidem si foelicioribus saeculis vixisset, putem nemini veterum, aut Latinorum, aut Graecorum, postponendum, nec illud opusculum postposuerim Taciti libello de vita Agricolae. *Cui praeconio sane magnifico cum libenter subscribam, hoc tamen non possum quin moneam, auctorem vel illa quam Casaubonus commendat pietate inductum, laudatorem potius egisse quam severum rerum gestarum censorem, et quum proximo post imperatoris mortem tempore scriberet, de rebus multo ante gestis, nullo ut videtur librorum adminiculo usum, nonnulla minus accurate enarrasse, quae suis in locis singula notavi. Sed in rerum dispositione tam egregium se ostendit, diuturnum illud tantisque casibus turbatum Heinrici regnum tanta arte uno sub conspectu oculis subiecit, ut hac ex parte certe nemini cedat. Sermonis elegantiam post Casaubonum laudare inutile est; Horatii et Terentii locos auctor ad verborum ornatum adhibuit, sed multo magis toto orationis colore bonorum scriptorum intimam cognitionem prodit, qualem ex praeclara Leodiensi disciplina venisse suspiceris.*

Porro his in partibus auctorem vixisse ostendit accuratissima de extremis Heinrici narratio; quin admodum familiarem eius amicum probare videntur, quae de ultima imperatoris confessione retulit. Qui quum ab omnibus fere tunc derelictus esset, non sine causa Goldastus virum, qui inconcussam ei fidem ser-

Miracula S. Servatii. Cod. Trever. 59. fol. 70'.

dũ q̃a diabolicũ & ñ aplicũ ſtrendit náq; manũ ĩ eũ & q̃ d iuxta ſe eius
de pdio erat ĩualit. colonos ſpoliauit. Ablata omĩ poſſeſſione eoꝝ ampu
tauit pedeſ eoꝝ. erant eni tres iuuenes quartus ipſoꝝ pat̃. q̃b; hoc gra
uiſſimũ acciderat malũ. Ipſe ũ comes dicebat̃ otto. habitatio eius. abea
ti ſeruatij traiect̃. nec longius. Audiuit popłs regionis. doluit. audeti

G. Waitz scripsit

Wido Ferrariensis.

portã reſerantib; d̃m pintianã dicunt. / cũ multo p̃ moliret̃ urbẽ repetere. &cũ
tere caſtelliũ adiit. q alio nõe triſce / multitudine ğui roberto comitant̃.
ſcentũ uocat̃. inq; ſepe noatũ ildebran / romanos ſubiere. int̃ ipſos belloꝝ & comeã
dũ educens. ad caſtra pduc. Pᷓ hec bello / tuũ apparat᷒. langore correpty. & adex

R. Wilmans scripsit

Vita Altmanni. Cod. Monac. Lat. 13501.

miſſas celebrans. & uiteri interdictũ ſecluſ deuitans. deinde quaſi obliᵗ᷒
epĩ admonitionẽ ĩcauuſ reuerſꝰ ẽ ad p̃ſtinã c̃ſuetudinẽ. ſ; eodẽ mo
mento inſe ut p̃us ſeuũ demonẽ (ſenſit) a quo iterũ ſc̃s uir imundũ ſp̃m ra
put & penitus eũ ab officio altari ſub mou̇. & iterũ atq; iterũ de nefando

W. Wattenbach scripsit

Vita Heinrici IV. Cod. Monac. fol. 20.

His ita transactis. finitaq; curia rex superiores
reni regiones & urbes ptranſiit. & ut res poſtu
labat. hos beneficio. illos iniuria ſibi ſubiecit.
Cũ autẽ intraſſet alſaciã. ibi fortuna eı᷒ aliq̃ntu
lũ heſit. ibi pugnã rã infelici euentu. quã im

G. H. Pertz scripsit

Vita Karoli Flandrensis. Cod. S. Donatiani

extra uillam eiciendos. & eos ibi
diligentius reponendos eſſe decre
uerunt. Neq; enim á tormentis
uel mortuoꝝ & irriſionib; abſti
nere poterant quoꝝ pfidia tali
retribuit. ipſe eorum celſitudinẽ
deicere. & potentiam ad nichilum
redigere. quando & quomodo uo
luit singulariter potens fuit.

L. C. Bethmann scripsit

Vita Ottonis ep. Babenbergensis.

1 Cod. S. Crucis. Ecclesiam in honore ſc̃i andree apli in
epatu pattauienſi. itẽq; unũ in caſtro
arnoldeſtein dicto. qd̃ ẽ in epatu aquil

2 Cod. Vindobon fol. 404. duſtros ad paulũ comitẽ ꝫutocha
nũ ẽ debita facẽt ueneratiõe deduci
ab ipõ uchomuꝰ uſq; ad ip̃m ducẽ
pomeranie bratiſlaũ honorifice de
ducendũ. Suſceptũ itaq; ep̃m paulꝰ
ad ducẽ ip̃m q̃ cũ. lx. militib; ſub
om̃i celeritate deduc̃. q̃ ẽ ipſe fama
aduentꝰ eius audita iux̃ fluuiũ wrt
tã cũ ñ minꝰ trecentis armatis ue

W. Wattenbach scipsit

Mon. Germ. SS. T. XII. Tab. IV. ad pag. 269.

vavit, pro vitae auctore habuit, Otbertum scilicet Leodiensem episcopum, virum insignem, cuius fama a pontificiis scriptoribus admodum obscurata est, quum ab aliis laudibus attolleretur[1]*, quemadmodum e. g. etiam de Herimanno Augustensi episcopo sententiae quam maxime sibi oppositae a diversarum partium scriptoribus prolatae sunt. Is igitur Otbertus in vita Heinrici nominatur quidem, sed nulla laude ornatur, quam ita fideli caesaris fautori vix invidere potuerit vitae scriptor, nisi hic ipse ille fuit Otbertus. Accedit quod scriptor cap.* 7. *Romae se fuisse significat; Otbertum autem Leodio in Italiam ad regem se contulisse, et in eius capella degisse, donec a.* 1091 *episcopatum Leodiensem ab eo acciperet, Rupertus abbas in historia Sancti Laurentii auctor est*[2]*. Denique quod in fine vitae narratur, fautores imperatoris defuncti, omni spe destitutos, quo modo quisque posset regis gratiam quaesivisse, et hoc in Otbertum cadere et velut pro excusatione positum esse, iam Goldastus animadvertit. Qua re ingeniosam hanc eius coniecturam vix addubitandam esse censeo. Scripsit autem Otbertus ad alium quendam imperatoris amicum, quem Goldastus fuisse putavit Walcherum Cameracensium episcopum, qui propter fidem imperatori servatam multa mala sustinuit et Otberto intima amicitia coniunctus erat. Sed nullum praeterea indicium extat, et Walcherus tunc ipse Leodii fuisse videtur (SS. VII,* 518.*); epistola autem illa ad absentem missa est. Codex coaevus opusculi, cuius certe non multa exemplaria facta sunt, quod periculo plenum erat*[3]*, repertus est in coenobio sancti Emmerammi, nec deerant Ratisponae fautores imperatoris. Certius autem aliquid hac de re reperiri posse non videtur.*

Codex igitur manuscriptus superest unicus, olim Sancti Emmerammi 95, *iam regius Monacensis inter codices Latinos* 14095, *memb. in quarto. Compactus est saec. XV. et continet quae tunc quidam paginae primae inscripsit:* Hystoria Heinrici imperatoris tercii huius nominis. Vita sancti Alexii confessoris. De translacione sancti Nicolay. Passio sancte Margarethe virginis et martiris. De assumpcione gloriose virginis Marie. Passio Cristine virginis et martiris. Passio sancti Achacii et sociorum eius. *Sed haec inde a vita nostra saec. XIV. scripta sunt. Sequitur fol.* 143 Passio sanctorum martirum Romuli Marchiciani Crescencii Carissimi Dulcissimi *saec. XII. scripta. Deinde indicis illius versus unus erasus est; postremo loco, et in indice et in codice, venit* Vita sancte Radegunde virginis conposita a Fortunato episcopo *saec. XII scripta, sed primus tantum liber cum prologo adest. — Vita nostra, cuius specimen tabella praebet, ita scripta est, ut saeculo praecedenti eam tribuere malis, Ratisbonae ni fallor descripta, quum semper fere scriptores in his partibus positi occidentalibus antiquiores appareant et priscam consuetudinem diutius servaverint. Sunt quaterniones tres cum duernione, non una quidem manu, sed eodem tempore scripti, admodum accurate ut paucissimis locis emendatione opus sit. Interpunctio quoque solis quidem punctorum signis, sed diligentissime facta est, et ubique servanda fuit. Prima pagina vacua relicta est, in altera vita incipit, nulla inscriptione praemissa.*

Collationem codicis huius in usum nostrum instituit Neumannus[4]*, sed neglігentius; accuratiorem a.* 1833 *Boehmerus. Sed ne in tam pretiosi opusculi nova editione quidquam desideraretur, ipsius codicis transmissionem solita benignitate concessam obtinuimus.*

1) vide versus infra edendos de episcopis Leodiensibus. 2) Mon. Germ. SS. VIII, 277. 3) vide cap. 1. in fine. 4) Archiv III, 539. IV, 260.

Primus igitur hunc codicem invenit, vitamque Heinrici edidit Aventinus, Augustae Vind. 1518. 4. *satis diligenter, sed tamen nonnullis locis mendosam vel pro arbitrio mutatam, ut v. g. cap.* 9. *scripsit* flumen cui Regino nomen. *Quae quum editores reliqui omnia servaverint, solam Aventini editionem ab iis expressam esse patet, etsi unus ex eis, Ortuinus Gratius, tacito Aventini nomine, codicem se invenisse mentitus sit, qui omnia in volumine a se edito contenta praebuerit. Cuius collectio primum anonyma s. a. et l. in fol. prodiit, titulo Commentariorum Aeneae Sylvii Piccolominei Senensis de concilio Basileensi; repetita a.* 1535 *inscriptione Fasciculi rerum expetendarum et fugiendarum; hunc recudit Edw. Brown Lond.* 1690. *Sed meliore fide Aventini editionem repetierunt Martinus Frecht in collectione Basileae* 1532 *apud Io. Hervagium impressa, Reineccius cum Helmoldo a.* 1581, *Reuberus a.* 1584, *Urstisius anno* 1585 *(ed. II.* 1670*), Goldastus in Apologia Heinrici imperatoris* 1611, *Ioannis* 1726 *in nova Reuberianae collectionis editione.*

Verum ex tanto editorum numero nemo codicem manuscriptum adhibuit, et plerique nihil omnino ad libelli huius crisim contulerunt; solus Goldastus de auctore diligenter quaesivit, et ultimus Ioannis alia quaedam adnotavit. Nos autem codicem Monacensem accurate secuti, etiam capitum divisionem ita instituimus, ut decisiones a scriptoribus litteris quas quadratas vocant, indicatas observaremus.

1. Quis dabit aquam capiti meo, et fontem lacrimarum oculis meis, ut lugeam, non excidia captae urbis, non captivitatem vilis vulgi, non damna rerum mearum, sed mortem Heinrici imperatoris augusti, qui spes mea et unicum solacium fuit, immo ut de me taceam, qui gloria Romae, decus imperii, lucerna mundi extitit? Erit posthac mihi vita iocunda? Erit absque lacrimis dies aut hora? Aut tecum, o dulcissime, potero illius mentionem habere sine fletu? Ecce dum scribo, quod dictavit impatientia doloris, cadunt lacrimae, madent fletu litterae, et quod notat manus, diluit oculus. Sed forsan impatientiam doloris mei redarguis, et ut fletum meum reprimam, ne forte his qui de morte imperatoris gaudent, innotescat, instruis. Recte me doces, fateor; sed non possum imperare mihi quin doleam, non possum me continere quin lugeam, licet in me furorem suum exacuant, licet me per membra discerpere cupiant; dolor timere nescit, dolor illatas poenas non sentit. Nec ego solus mortem eius lamentor; hanc Roma plangit, hanc omne Romanum imperium deflet, hanc in commune divites et pauperes, praeter insidiatores potentiae vitaeque eius, lugent. Nec mihi privata doloris causa est; publicam lamentari cladem pietas me cogit. Nam illo recedente, iusticia terras reliquit, pax abiit, fraus in locum fidei subintravit. Chorus laudantium Deum conticuit, solemnitas officii divini siluit, vox exultationis et salutis in tabernaculis iustorum non auditur; quia qui haec omnia solemniter ordinavit, non invenitur. Monasteria patronum suum, claustra patrem amiserunt, quibus quid commodi, quid honoris ipse conferret, nunc demum agnoscitur, cum extinctus non tenetur. Ergo claustris omnibus vera dolendi causa subest, nam cum illo sepulto gloria eorum sepulta est. Heu Mogontia, quantum decus perdidisti, quae ad reparandam monasterii tui ruinam talem artificem amisisti! Si superstes esset, dum operi monasterii tui, quod inceperat, extremam manum imponeret, nimirum illud illi famoso Spirensi monasterio contenderet, quod ille a fundo fundatum usque mira mole et sculptili opere complevit, ut hoc opus super omnia regum antiquorum opera laude et admiratione dignum sit. Qualem etiam ornatum ex auro, argento, lapidibus preciosis et sericis vestibus illi monasterio contulerit, difficile est credere, nisi cui contingit et videre. Vobis quoque, o pauperes, vel maxima causa dolendi est; nam nunc demum pauperes facti estis, cum paupertatis vestrae consolatorem amisistis. Ille vos pavit, ille manibus suis lavit, ille nuditatem vestram texit. Non ante ianuam, sed ante mensam eius Lazarus iacuit; nec micas, sed regias delicias expectavit. In ipsa mensa saniem et foetorem ulcerosi non abhorruit, cum minister mensae contra foetentem nares in rugam contraheret, aut obstupparet. In cubiculo eius caeci, claudi, et diversis morbis

confecti iacebant; hos ipsemet excalciabat, hos collocabat, hos de nocte consurgens tegebat, nec abhorrebat vel eius tactum, quem aegritudo compulerat usque ad sordidandum lectum. Iter eius pauperes praecedebant, comitabantur, sequebantur; quorum curam tametsi suis intimis commendasset, ipsemet tamen eos tamquam nulli commendatos curabat. Sed et per curtes suas usquequaque stipendia pauperibus disposuerat, quorum numerum et obitum ipse scire voluit, ut et defuncti memoriam ageret, et in eius locum alterum subrogatum nosset. Si quando sterilitas anni famem indixit, multa milia pavenda suscepit, vere memor verbi Domini praecipientis: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum* Luc 16, 9
defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula. Quid putamus quo dolore se pauperes afficiant, cum haec bona quae enumeravimus, et multo plura quam enumeravimus, se habuisse, et nunc non habere recogitant? Quis enim illis hanc humanitatis curam impendit? quis querit, ubi aeger cubet, vel quid alimenti postulet? quis amplius his misericordiae officiis inservit, quibus Heinricus imperator inservivit? O virum pietatis et humilitatis laude insignem! Imperavit mundo, pauperes illi. Mundus illi, pauperibus ipse ministravit. Haec de bono misericordiae in pauperes, quod multum amavit et quod ab hominibus abscondere non potuit, non pro dignitate facti, sed pro facultate ingenii primo locuti — quis enim scire posset, quae solo Deo teste peregit? — de aliis quoque virtutibus quibus claruit, aliqua dicamus, nam omnia dicere non sufficimus. Nemo miretur, si luctui mortis eius vitae quoque eius laeta gesta inmisceam, cum hic mos dolentium sit, ut cum extinctum amicum lugent, totam eius retro vitam et mores in augmentum doloris sui edisserant. Itaque iuvat me de eo scribere, iuvat indulgere dolori, et mortuum flere, qui dum viveret gaudium meum fuit. Ille modo personam imperatoris, modo tamquam militis gerebat: ex uno gerendae dignitatis, ex altero documentum praebens humilitatis. Tam subtilis ingenii tamque magni consilii fuit, ut dum sententia principum, vel in causa decernendi iuris, vel in tractandis regni negotiis hesitaret, ipse cito nodum solveret, et quid aequius, quid utilius esset, tamquam ab ipsius archano sapientiae sumptum, edoceret. Intendebat aliorum verbis, ipsemet pauca loquebatur; nec prior ad sententiam erumpebat, sed aliorum expectabat. In cuius vultum aciem oculorum suorum fixisset, eius animi motus perspiciebat, videbatque tamquam linceis oculis, sive adversum se cor odii, seu gereret amoris. Nec illud á laude vacat, quod in turba procerum caeteris eminentior, et maior se ipso videbatur, et quod in vultu terribile quoddam decus praeferebat, unde intuitus aspicientium tamquam fulmine reverberaret, cum inter domesticos suos, et raram turbam, vultu placidus et statura aequalis appareret. Non solum potentes imperii sui metuebant eum, sed et reges orientis et occidentis ádeo fama eius perterruit, ut ante tributarii sint facti, quam victi. Ipse rex Greciae, ut metum dissimularet, amicitiam eius expetebat, et quem futurum hostem timuit, muneribus, ne fieret hostis, praevenit. Testatur hoc aurea tabula Spirensis altaris, tam artis novitate quam metalli pondere miranda, quam rex Greciae dum imperatoris votum et studium circa Spirense monasterium fervere cognosceret, nobile donum, et tam ei qui misit, quam cui mittebatur, dignissimum transmisit. Sed et rex Affricae, quia potentiam imperatoris multum timuit, eius fisco multum addidit. Oppressores pauperum oppressit, raptores in direptionem dedit, contra se contumaces, contraque suam potentiam se levantes adeo retundit, ut in posteris eorum regiae vindictae vestigia hodieque compareant. Quo nimirum facto et suis in praesenti, et imperii rebus in futurum providit, ut discant non disturbare pacem, non armis imperium vexare. Hic velim abrumpere stilum; nam ventum est ad factiones, ad fraudes et scelera, de quibus vera scribere periculum, falsa crimen est. Hac lupus, hac canis urguet[5]. Quid igitur faciam? Eloquar, an sileam? Manus incipit et dubitat, scribit et rennuit, notat et delet, ut pene ignorem, quid velim. Sed turpe est, incoeptam materiam mutilatam relinquere, et caput absque membris pinxisse. Pergam igitur ut coepi, constans et securus inde, quod fides tua ea mihi spectata est, ut haec scripta nulli detegas, aut siqua foras exierint, auctorem non prodas.

2. Cum imperator Heinricus, de quo nobis sermo est, patri suo, gloriosissimo imperatori, tertio Heinrico, adhuc puer succederet in regnum; nam illo parvulo pater naturae concessit, regno priorem statum adhuc tenente, non bella pacem disturbabant, non classica quietem rumpebant, non rapina grassabatur, non fides mentiebatur. Adhuc iusticia sui

5) Hor. Serm. II, 2, 64.

vigoris, adhuc potestas sui iuris erat. Hunc beatum regni statum Agnes imperatrix serenissima, virilis ingenii femina, multum iuvit, quae una cum filio rem publicam pari iure gubernavit. Sed quoniam aetas inmatura parum timori est, et dum metus languet, audacia crescit, pueriles anni regis multis suggerebant animum sceleris. Igitur quisque nitebatur, maiori se aequalis, aut etiam maior fieri; multorumque potentia scelere crevit, nec legis metus ullus erat, quae sub rege parvulo parvam auctoritatem habebat. Et ut omnia licen-
1062. tius facere possent, primo puerum matre spoliabant, cuius maturam sapientiam gravesque mores metuebant, illud habentes in causa, non decere regnum administrari á femina, cum multae reginae legantur administrasse regna virili sapientia. Sed postquam rex puer de sinu matris abstractus, in manus principum nutriendus venit, quicquid illi praescribebant faciendum, ut puer fecit: quem volebant, exaltavit, quem volebant, deposuit, ut regi suo non tam ministrasse, quam imperasse merito dicantur. Cum regni causam tractabant, non tam regni quam suae causae consulebant; idque praecipuum eis fuit in omnibus quae agerent, ante omnia suum questum facere. Fuit haec perfidia vel maxima, quod eum quasi sub sigillo servandum, in puerilibus actis suae potestati relinquebant, ut et sic elicerent ab eo quod affectabant. Sed cum in eam aetatis et ingenii metam evasisset, ut quid hone-
6 stum, quid turpe, quid utile, quid non[6], discernere posset, retractans quae suggestione principum inductus gessisset, multa quae gesserat, damnavit; et ipse iudex sui factus, ex his mutanda mutavit. Prohibebat quoque bella, violentiam et rapinas; nitebatur pulsam pacem et iusticiam revocare, neglectas leges restituere, et sceleris licentiam resecare. Quos assuetos sceleri per edictum cohercere non potuit, per censuram legis et ius curiae, mitius tamen quam culpa exigeret, correxit. Quod illi non iusticiam sed iniuriam reputantes, et qui legem abiecerant, lege constringi, et qui per omne nefas ruebant, frena pati respuentes, qualiter eum vel extinguerent, vel privatum facerent, consiliis incumbebant; non recolentes se debere civibus suis pacem, regno iusticiam, regi fidem.

1073. 3. Igitur Saxones, gens dura, bellis aspera, tam praeceps ad arma quam audax, vendicans sibi praerogativam laudis ex incepto furoris, repente super regem armis ruebant. Qui cum paucis contra innumeros armatos confligere periculosum estimans, vix elapsus
1074. vitam laudi, salutem fortunae praetulit. Itaque videntes inceptum suum votis suis non
Aug. 8 respondisse, ossa filii regis — nec dum enim imperator factus erat — ó inhumanam men-
1075. tem, ó probrosam vindictam! effodere. Qua utraque iniuria gravissima rex commotus,
Iun. 19. exercitum contra gentem illam duxit, conflixit, vicit; vicit inquam aciem contra se instructam, non obstinationem erectam. Nam licet eos in pugna congressos vinceret, victos fugaret, fugatos persequeretur; licet bona eorum devastaret, munitiones everteret, et omnia quae victorem libet, faceret, non tamen ad deditionem cogi potuerunt. Iterum cum inde digressus, reparato in brevi exercitu eos invaderet, diffidentes viribus suis, utpote in
Oct. 25. priori bello gravissime contusis, quod saluti proximum erat, se dedidere, sperantes regem sola deditione contentum, gratiam suam facile donaturum. Sed longe praeter spem evenit; nam rex eos exilio addictos, in alienas terras misit, ubi dura custodia constricti, relaxationis edictum expectarent. De quo exilio alii fuga elapsi, alii propter pecuniam á custodibus
1076. dimissi, dum ad patriam et domum suam repedassent, recenti coniuratione se invicem obligabant, ut parati essent ante mori, quam denuo deditione subici. Sed et validior eorum coniuratio facta est, quia nonnulli Longobardorum, Francorum, Bawariorum, Suevorum, data et accepta fide, illis conglutinati sunt, qui regem bellis undique pulsarent. Videntes autem regem bellis tangi posse, non deici, vexari, non superari: quippe cuius robur adhuc erat inexpugnabile: ut vires eius extenuarent, confictis conscriptisque super eo criminibus, quae pessima et inmundissima potuit odium et livor excogitare, et quae mihi scribenti tibique legenti nausiam parerent, si ea ponerem, vera falsis miscentes, apud Romanum pontificem Gregorium eum deferebant: non decere tam flagitiosum, plus notum crimine quam nomine, regnare, maxime cum sibi regiam dignitatem Roma non contulerit; oportere Romae suum ius in constituendis regibus reddi; provideret apostolicus et Roma regem ex consilio principum, cuius vita et sapientia tanto congrueret honori. Qua surreptione delusus apostolicus, simul et honore creandi regis, quem sibi fallaciter obtulerant,
Febr. 22. impulsus, regem banno innodavit, et episcopis aliisque regni principibus ut á communione

6) Hor. Ep. I, 2, 3

excommunicati regis se retraherent, denunciavit; se cito venturum in Teutonicas partes, ubi de negotiis aecclesiastis et potissimum de regno tractaretur. Quin et hoc addidit: absolvit omnes a iuramento, qui fidem regi iuraverant, ut contra eum impelleret absolutio, quos fidei tenuit obligatio. Quod factum multis displicuit — si cui displicere licet, quod apostolicus fecit — et asserebant tam inefficaciter quam illicite factum, quod factum est. Sed non ausim assertiones eorum ponere, ne videar cum eis apostolici factum refellere. Mox episcopi, tam illi quos amor quam quos timor in partem regis traxerat, metuentes ordini suo, ab eius auxilio plerique se retrahebant; quod et maior pars procerum factitabat. Tum vero videns rem suam in arto sitam, inito tam occulto quam astuto consilio, subitum et 1077. Ian. 25. inopinatum iter in occursum apostolici arripuit, unoque facto duo peregit, scilicet et banni solutionem accepit, et suspectum sibi colloquium apostolici cum adversariis suis ipse medius intercepit. Pro imposito sibi crimine parum respondit, quia ad accusationem inimicorum suorum, etsi vera fuisset, non sibi respondendum asseruit. Quid vobis profuit hoc egisse, ut banno illigaretur, cum de banno solutus potentia sua potenter utatur? Quid vobis profuit, eum fictis criminibus accusasse, cum accusationem vestram facili responso, ut ventus pulverem, dissipaverit? Immo quae dementia vos contra regem vestrum et orbis rectorem armavit? Nihil coniurata vestra malignitas proficit, nihil peragit. Quem Dei manus in regno firmavit, vestra deicere non poterit. Ubi fides, quam illi iurastis? Quare beneficiorum, quae regia liberalitate contulit in vos, obliti estis? Utimini vel adhuc sano consilio, non furore; poeniteat vos incepti, ne forte fortior vobis superveniens vincat, vos et pedibus suis conculcet vos, et ea vindicta feriat, quae futuris saeculis demonstret, quid regia manus valeat. Saltem vos ó episcopi videte ne pereatis de via iusta, videte ne transgressores promissae fidei fiatis; alioquin quid consequatur vos, ipsi nostis.

4. Igitur rex ab apostolico regressus, benedictione pro maledictione accepta, Roudol- Mart. 15. fum ducem super se regem creatum invenit; qui audita regressionis eius fama, ante paratus ad fugam quam ad pugnam, ante pulsus quam victus, in Saxoniam fugit. Facile est regnum accipere, difficile tueri. Sed nulli mirum sit, virum in rebus bellicis exercitatum et strennuum nunc fugisse, quia sepe iustior et victrix causa fortes in metum mittit et in fugam. O avariciam pestem pessimam, quae bonos mores transvertit, et sepe ipsas virtutes ad vicia trahit. Iste Roudolfus dux eximius, vir magnae auctoritatis et laudis in toto regno, veri rectique tenax, fortis in armis, denique spectatus in omni genere virtutum, iste inquam, avaricia quae vincit omnia victus, et supplantator domini sui factus, fidem incerto postposuit honori. Fuere tamen, qui dicerent ab apostolico eum inmissum, nec umquam tantae virtutis virum magis avariciae quam consilio cessisse; et hoc in argumentum sibi sumebant, quod apostolicus tacuit, dum post absolutionem regis Roudolfus regnum invasit, iuxta illud comici: *Qui tacet, satis laudat.* Itaque rex cedente Roudolfo, cuius caput, si Ter. Eun. III, 2, 23 deprehensus esset, vindex gladius digne rotaret, Bawariam, Sueviam invasit, et coniurationis adversum se sotios vastavit, munitiones eorum fregit; nec tamen pro iniuriae suae materia se vindicabat, sed sciens in ultione freno uti, longe infra metam culpae cohibebat Aug habenas vindictae. Sed Roudolfus ut dedecus fugae virtutis facto recompensaret, Wirziburgensem civitatem obsedit, ubi tamen fraude magis quam virtute pugnatum est. Nam cum rex ad propellendum hostem exercitum convocasset, instructa ambarum partium acie, et primis inter se praelia miscentibus, quidam equites regiae partis, mercede conducti, qui se regis lateri quasi fidi clientes applicuerant, subito in ipsum arma verterunt; sed aere munito corpori livorem, non vulnus inflixerunt. Heu miserrimi, quibus pretium et sceleris causa fuit et necis, quos uno in loco et crimen involvit et vindicta; nam eos tot vindices dextrae in frusta concidebant, ut in eis humani cadaveris figura periret. Fit tumultus, exoritur clamor, spargitur verbum, regem interfectum; quo verbo perterritus exercitus fugit, hostis insequitur, et quoniam in equis equitum salus praeter paucos constabat, solis peditibus miserabile fatum incubuit; ideoque victoria quanto maioris sceleris, tanto minoris tituli fuit. Sic hostis urbe capta, impositoque praesidio, in Saxoniam regressus est[7]. Quid improbe tibi profuit, vel indiscreta caedes fugientis vulgi, vel fortuna captae urbis,

7) Haec inaccurate narrata sunt; auctor enim bellum cum Rudolfo a. 1077 et 1078 gestum et proelium apud Mellerichstadt commissum confudit cum pugna Bleichfeldensi a. 1086, post quam urbs Wirziburgensis a. 1086 primo ab imperatoris adversariis occupata, nec multo post ab Heinrico recepta est; cf. Ann. August SS. III, 132.

cum nec urbe diu, numquam autem regno potiaris? Rex enim brevi post tempore cum exercitu reversus, ereptam urbem recepit; nam hi quibus provincia tuendae urbis tradita fuerat, ex urbe profugerant. Postea Saxoniam sepius cum exercitu ingressus, aut victor aut aequa manu recessit; sed ad ultimum reversus, tam notanda quam felici victoria vicit, magnumque mundo documentum datum est, ut nemo contra dominum suum consurgat.
1080. Ian. 27. Nam abscisa Roudolfus dextera dignissimam periurii vindictam demonstravit, qui fidem domino suo regi iuratam violare non timuit; et tamquam alia vulnera non sufficerent ad mortem, accessit etiam huius membri poena, ut per poenam agnosceretur et culpa. Sed et aliud notandum in illa victoria contigit, videlicet quod tam victor, quam victus exercitus fugit; nimirum hoc ordinante desuper divina clementia, ut post ruinam capitis, ex alterna fuga tolleretur nefas alternae caedis. Sed gens dura nec damno monita est, nec signo;
1081. Aug. quin potius ut obstinatione vinceret, quod manu non poterat, Herimannum novum sibi regem constituit, qui et ipse novo modo periit. Nam cum Saxones eum de terra sua proturbarent, quicquid illud fuerit, quod eis in illo displicuit, reversus in patriam suam, portans
1088. inane nomen regis, ad Herimannum Trevirensem[8] episcopum se contulit, quem etiam ad ausum sentiendi contra regem inexpugnabilis munitionum firmitas impulerat. Quanta potentia regis, qui alendus fuerat, non ex suis, sed ex opibus alienis! Quadam die cum iter ageret, incidit animo suo iocus ille, ut ad castellum quo ituri erant, sub specie hostium ruerent, et quae audacia, quae virtus animis defendentium inesset, temptarent. Quam mirabilem viam, quam inopinam sepe invenit quod futurum est, ut fiat! Cumque portam absque claustris et absque custode repertam irrumperent, aliis qui intus erant, raptis armis viriliter contra procurrentibus, aliis latebras enerviter queritantibus, femina, sexu femina non animo, quae in turrim evaserat, molarem in caput regis demisit. Et sic ille manu feminea, ut mors eius turpior esset, occubuit. Sed ut hoc dedecus dealbarent, feminae factum in virilem personam ex composito transtulerunt.

5. Post hanc regum fortunam in creatione regum diu haesitatum est, et casus praeteriti metus erat futuri. Vicit tandem cupiditas, et Ekkibertum marchionem ad ambitum regni forti manu impulit. Qui tamen in morte sero didicit, quod alter ex alterius damnis instrui possit. Urbs erat in Saxonia, quae quia fortunam regis prospero ire cursu videbat, in partes eius se converterat, praesumens fiduciam et ex loci sui firmitate, et ex regia subventione. Quod indigne ferentes Saxonum proceres, urbem obsidione vallabant. Marchio vero Ekkibertus, qui spe potiundi regni intumuerat, ut se accommodaret ad id quod affectabat, maiori super omnes robore ad obsidionem illam ibat, praemissaque multitudine cum
9 paucis ipse sequebatur[9]. Quem deviantem a publica via, ne forte incideret in hostes —
1090. quis enim tam potens qui hoste careat, aut qui hostiles insidias non metuat? — latens semita per quoddam arbustum duxit. Quam occulta iudicia tua Deus, quam miro ordine et abscondis quae facturus es, et aperis quae abscondisti! Iam meridianus ardor solis equos equorumque sessores urebat, et ut fit, sitim aestus accendebat. Praeterea tam gravis sopor fessis obrepit, ut colla somno languida penderent, et equi frenis non flexi liberam viam carperent. Haut procul in recessu saltus solitarium molendinum conspexere, quo divertentes sopori se dedere, misso interim molendinario, qui de villa potum sitientibus afferret. Qui dum imposito scapulis suis utre festinaret, aliquos scutatos ad praedictam obsidionem tendentes obvios habuit, qui erant occulte fideles regis, licet adversae partis. A quibus interrogatus, unde prodiret, quo tenderet, cur tam anhelus properaret, nesciens celare quod sciebat, hospitem suum et causam itineris indicavit. Qui stupefacti, seu metu, seu potius gaudio, versantes inter se quid agerent, quid periculi, quid contra premii, quid virtutis, quid laudis, quid fidelitatis inesset, si tam magnum hostem regis ferirent: occasionem illam non frustra sibi oblatam, maximam virtutem per maxima discrimina probari: incitatis alternatim animis, inmissis equis ad molendinum properabant, sed pervenerunt ante votis quam equis. Incepta est pugna, quae diu dura fuit et dubia, quia virtute pares et numero congressi, hi pro laude, illi pro vita pugnabant. Regis tamen fortuna vicit, et hostis ferocissimus, non in acie sed in molendino peremptus, turpiter iacuit. Felix nimium es, et multi semper nominis mola, ad quam trahit homines non tam tuum volubile officium, quam

8) imo Metensem. 9) Et hic erasse nostrum oportet, quoniam tunc plerique Saxonum ad Heinricum se converterant, Ekbertus autem omnibus fere infestus erat. Regnum iam vivente Herimanno affectaverat.

fama; quae et molendo pugnam illam narras, et narrando molis. Sic ille conventus procerum confusus, procinctum solvit, sic ab obsidione infecto negotio recessit. Itaque res regis in altiorem et feliciorem statum se cottidie promovebant; adversariorum autem eius deorsum vergebant, et omne eorum inceptum in turpem exitum desinebat.

6. Cum ergo cernerent nullum se habere successum, nec in armis, nec in electione
regum, iterum se conviciis armaverunt, et eum apud apostolicum praeter alia multa et
nefanda criminati sunt, quod reges christianissimos, quos ipsi non sine auctoritate apostolici
creassent, ille ob crimen suum extorris a regno factus, occidisset, sanguine regnum
usurpasset, igne, praeda, ferro cuncta vastasset, et tyrannidem suam adversus aecclesiam
et regnum omnibus modis exercuisset. Ad quorum criminationem apostolicus eum iterum 1080.
banno, ut ipsi iactabant, illigavit. Sed non magni ponderis ille bannus habebatur, eo quod
non rationis sed arbitrii, non amoris sed odii esse videretur. Cernens autem rex, apostolicum
ad hoc tendere, ut se regno privaret, nec alia sui oboedientia contentum, nisi ut
regno renunciaret, ex oboedientia in rebellionem, ex humilitate in tumorem relabi coactus,
hoc apostolico facere parabat, quod apostolicus sibi faciendum intenderat. Cessa obsecro,
rex gloriose, cessa ab hoc molimine, ut aecclesiasticum caput de suo culmine deicias, et in
reddenda iniuria te reum facias. Iniuriam pati, felicitatis est; reddere, criminis. Querebat
itaque rex causas et occasiones, qualiter eum eiceret; inventumque est, eum Romanam
sedem olim abiuratam insedisse, quam iccirco abiuraverit, quia ad eam, dum archidiaconus
esset, adhuc vivente domino suo per ambitionem aspirare voluerit. Utrum haec vera sint
an falsa, parum comperi. Alii asserebant, alii figmentum esse dicebant; utrisque Roma
fuit in argumentum: his, quod Roma mundi domina nunquam pateretur tale nefas; illis,
quod ea cupiditatis ancilla facile permitteret ob precium omne nefas. Mihi autem in medio
res relinquenda est, cum incerta nec possim defendere, nec ausim affirmare. Igitur cum 1081.
exercitu rex Romam pergebat, proterens in via quicquid obstabat. Oppida fregit, tumida
pressit, ardua curvavit, factiones dissipavit. In cuius adventu Roma persuasa, quae debuerat Mai.
honores, arma, tamquam Poenus Hannibal Alpes transcendisset, parabat, et regi suo
velut hosti portas praecludebat. Unde rex iusta commotus indignatione, Urbem obsidione,
qua res postulabat, occlusit, et qui sibi aditum, illis exitum negavit. Missi circumquaque,
qui castella frangerent, villas everterent, bona diriperent; provinciaeque nocuit exterius,
quod Roma se clauserat interius. Foris bella, intus metus erat. Undique machinae surgebant;
hinc murum aries pulsabat, inde miles scalis ascendere parabat. Econtra qui in Urbe
erant, tela, saxa, praeustas sudes, ignemque iactabant; interdum egressi, comminus committebant.
Utrimque fortiter pugnatum est; hos causa, illos periculum audaces fecit. Quadam
die, cum exercitus uterque pugna aestuque fessus, circa meridiem sopori se dedisset, 1083.
et nec speculator, ut fortuna voluit, vigilaret, unus ex scutariis propius ad murum, ut pila Iun.
legeret, accessit. Cumque erectis et intentis auribus explorasset, intus neminem adesse —
nam murum et propugnacula vacua cernebat — adiutus et animi confidentia, et corporis
levitate, manibus et pedibus sursum enitebatur, donec tandem muri summitatem apprehendit.
Tum vero, cum iactatis circumquaque oculis neminem videret, inter spem et
metum positus, toto corporis motu sociis innuebat, vixque se a clamore, cum tardius innuentem
attenderent, abstinebat. Qui raptis armis et scalis properantes, citius, ut aiunt,
dicto murum superantes, captam Urbem sero defendentes interficiunt, capiunt, fugant. Dedignabatur
iam rex reclusum portarum aditum, ubi et sequens a praeeunte tardaretur, et
praecedens a sequente premeretur; sed in ultionem temerariae praeclusionis iussit, ut
fracto muro tam latum ingressum sibi panderent, qua totus exercitus aequato iunctoque
latere se simul inmergeret. Igitur ubique mors, ubique luctus erat; Roma contremuit, dum
impulsa turrium altitudo corruit. Fugit apostolicus[10], et qui omnes in periculum impulerat, 1084.
omnes in periculo deseruit. Tandem Romam praesumptionis suae poenituit, et quae prius Mai.
meruisse poterat, ut a rege donis honoraretur[a], nunc ingenti pecunia apud regem vix optinuit,
ne tota subverteretur. Mox sedatis omnibus, rex causam cur venisset, in publicum

a) honoretur *c.*

10) Gregorium cum Roberto Wiscardo, depulso Heinrico, Urbem exiisse, satis notum est. Verum haec omnia quantum a veritate recedant, iam annorum numeri ostendunt. Civitatem Leoninam Heinricus vi cepit; Urbem ipsam anno post Romani ei tradiderunt. Gregorius autem in mole Hadriani inclusus manebat.

protulit; quod de apostolico crimen accepisset, retulit, multisque hoc ita factum confessis, Mart. 24. Clementem papam ad electionem omnium instituit; a quo ipse communi omnium favore Mart. 31. consecratus imperator, et patricius factus, Romae se per aliquod tempus, dum omnia in solidam reformaret concordiam, continuit.

7. Nec praetereundum, quod et relatio fidelium personarum in Teutonicas partes diffamavit, et ipsa Roma asserit. Imperator consueverat quoddam oratorium orationis causa frequentare, et nullum diem, quin veniret, praetermittere. Elegerat autem sibi in eodem oratorio locum orationi familiarem, ubi tanto intentius, quanto secretius orationi vacaret. Hanc eius consuetudinem dum quidam profanae mentis attenderet, seu propria seu potius aliena instimulatus nequitia, grande saxum super trabem ad feriendum desuper caput imperatoris posuit, sublataque de laqueari tabula, quae caput imperatoris recte despiciebat, mittendo ponderi foramen aperuit, dimisso fune sepius explorans, ne saxum in cadendo falleret. Postquam satis exploratum est, minister doli sursum in nocte scandens, desuper observabat, dum imperator staret ad orandum in loco quo consueverat. Tum ille alieni avidus exicii, sed nescius sui, cum pondus in caput imperatoris libraret — imperator autem parum se de loco moverat — cum pondere infelix ipse pondus, illeso imperatore cecidit. Per totam Romam cito res innotuit, et pleps quae non facile sedari potest, dum mota fuerit, invito imperatore semianime corpus, per rupes, per saxa tractum, in frusta discerpsit. Tum vero cuncti rem signo non eventui assignantes, fide et animis imperatori devinctiores facti sunt; et inimicum consilium non solum illi fideles firmavit, sed et multos ex inimicis fideles fecit; sicque dum nocere studuit, profuit. Denique imperator omnibus Romae compositis, impositoque Urbi praesidio, ne ea fidem mutaret, novae dignitatis apicem gerens, in Teutonicum regnum reversus est. Sed nulla fortuna longa est; nam hi quos imperator Romae praesidium imposuerat, aegritudine correpti, quam et locus et tempus intulerat — erat enim aestas — ne uno quidem superstite mortui sunt. Tunc Roma iugo praesidii sublato, compos arbitrii sui facta, ad ingenium rediit, et resumptis adversus 1085. imperatorem armis, pulso apostolico alium constituit; nam ille prior Gregorius a vita de- 1090. cesserat[11]. Quod ubi imperatori compertum est, iterum adversus Romam exercitum promovit; sed in Italiam veniens, cum legati a Roma pactum pacis ferentes ocurrerent, et eum inimici retro moliminis fama sequeretur, relicto in Italia filio Chounrado, iam tum 1093. regni sui herede designato, regressus est, scilicet qui se grassanti Mahthildae, et pene totam Italiam sibi vendicanti, opponeret, et regnum, quod futurum erat suum, de manu feminae tolleret. Quid facient inimici, cum insurgant in parentes ipsi filii? Aut unde securitatem sibi quis promittat, cum nec ab eo tutus sit quem genuit? Cessent iam conubia, nemo sibi optet heredem: heres tuus erit hostis tuus, nam non solum te domo tua praediisque spoliat, sed et vita spoliare festinat. Filius imperatoris, quem in Italia relictum a patre, et quam ob rem relictum diximus, a Mahthilde persuasus — quem enim astutia feminea non subvertat, aut decipiat? — iunctus inimicis patris coronam sibi imposuit, regnum invasit, profanavit ius, confudit ordinem, impugnavit naturam, querebat patris sanguinem, quia non nisi sanguine patris regnare potuisset. Quod ubi ad hostes imperatoris currens fama pertulit, exultabant, plaudebant, cantabant, laudabant factum filii, praecipue feminam ducem facti. Mittebant propere legatos, qui stimulum animo novi regis adicerent, et adderent oleum camino; qui pro se, sed contra se, fidem et opem perpetuam iurarent, quamquam dudum se tam filio quam patri numquam obtemperaturos coniurassent. Imperator autem ad hanc famam tametsi intus doluit, in gravitate tamen sua se foris tenuit; et non suam, sed filii fortunam conquestus est. Cum autem eum ab incepto revocare non posset, non tam suam iniuriam ulcisci, quam exemplum iniuriae per ultionem tollere querens, filium 1097. exheredare, et fratrem eius Heinricum adhuc puerum in regnum promovere cogitabat. Igitur multis procerum conventibus habitis, imperator super filio suo Chuonrado conquestus est, quod additus hostibus regni, regnum invasisset, quod patrem non solum regno, sed et vita privare conaretur: iniuriam suam publicam esse debere, vel si nullum ea moveret, saltem hoc rei publicae causae praestarent, ut neminem per vim et scelus regnare paterentur; transferrent potius electionem in minorem filium suum, quam iure maior amisisset. Plerique contra nitebantur, magis utentes ingenio quam iusto et vero; multi autem publico

11) Wibertus aestate a. 1085 Roma pulsus est; Gregorius VII obiit d. 25. Maii eiusdem anni, sed Victor III demum 24. Maii 1086 electus est.

bono faventes, sententiae votoque imperatoris concordabant. Tandem omnibus in unam sententiam coeuntibus, et concordi favore approbantibus, imperator minorem filium, invasore prius ex decreto curiae diiudicato, heredem regni sui constituit; a quo ne et ipse 1098. abiret in viam fratris sui, iusiurandum accepit, videlicet ne umquam se vel de regno, vel de praediis patris eo vivente, nisi forte ex consensu ipsius, intromitteret. Iam tum murmur et metus erat, inter duos fratres intestina bella fore, magnamque regni cladem futuram. Sed qui omnia dispensat, hunc metum lęto maioris filii sustulit, et ut regnum in unam con- 1101. cordiam redire posset, occasionem dedit. Quibus ita transactis, hostes imperatoris detrun- Iul. 27. cato totiens capite non habentes cui adhererent, pactione subacti, quod optimum erat, in pacem bella, in domesticam securitatem castra converterunt.

8. Igitur ut ubique pax et tranquillitas esset, convocatis ad curiam primatibus, pacem 1103. per totum regnum sub iuramento firmari fecit, et ad inhibenda mala quae fiebant, gravem Ian. 6. poenam in transgressores decrevit. Quod quidem pacis decretum, quantum miseris ac bonis profuit, tantum perversis et potentibus nocuit. Illis copiam, istis egestatem et famem intulit. Nam qui in milites bona sua distraxerant, ut multo milite stipati procederent, et aliis armatorum copia longe praestarent, hi dum sibi licentia rapinarum erepta est, ut pace ipsorum dictum sit, egestate laborabant, cellaria eorum penuria et fames possidebat. Qui nuper spumeo ferebatur equo, contentus esse coepit vel rustico iumento. Qui nuper non aliam vestem querebat, nisi quae rubeo murice tincta arderet, bene secum actum aiebat, si nunc vestem quam natura suo colore tinxisset, haberet. Gaudebat aurum non se iam in luto calcari, dum ferreis calcaribus inopia cogeret uti. Denique quicquid vanitatis quicquid superfluitatis corrupti mores intulerant, totum penuria magistra resecabat. Oppidula in ripis posita, quibus praeda navium victum praebebat, nauta securus, esuriente oppiduli praeside, praeteribat. Mira res, nec minus ridicula; alii iniurias suas iniuriis vindicant, imperator suas pace vindicabat. Cum autem domini cum satellitibus suis per aliquos annos hac lege stringerentur, anxii quod non liceret eis uti libertate perversitatis suae, iterum adversus imperatorem murmur movebant, iterum super eius factis sinistrum rumorem seminabant. Quid illud rogo est, quod admisit? Nempe hoc erat, quod scelera prohibebat, quod pacem et iusticiam revocabat, quod iam latro viam non obsedit, quod silva suas insidias non occultavit, quod mercatori nautisque liberum erat suam ire viam, quod vetitis rapinis raptor esuriebat. Cur obsecro vobis non aliunde, nisi ex rapto vivere placet? Reddite agris, quos ex agro deputastis armis; coaequate numerum satellitum ad mensuram facultatum, recolligite praedia vestra quae stulte sparsistis, ut multos armatos haberetis, et redundabunt omnibus bonis horrea et cellaria vestra; nec erit amplius necesse aliena tollere, cum quilibet ex proprio possit habundare. Sic fit, ut nec imperator crimine denotetur, nec bellum in regno moveatur; sic fit, ut et corpori satisfacere habeatis, et animas vestras, quod felicissimum est, salvetis. Sed nichil ago, asinum ad lyram voco: consuetudo mala aut numquam aut vix tollitur.

9. Igitur assueti rapinis, ut occasionem repetendae consuetudinis invenirent, movendis iterum bellis animum intendebant, iterum emulum imperatori reperire querebant, ad quam rem filium eius maxime idoneum estimabant. Itaque ut suggestioni locum invenirent, quae prima decipiendi lenocinia erant, frequenter eum venatum secum abducebant, conviviorum illecebris inescabant, iocis in dissolutionem animi mittebant, et ad pleraque facienda, quae adolescentia suadet, secum trahebant. Denique ut fit inter adolescentes, quodam sodalitatis glutino vincti sunt, ut etiam fidem dextramque mutuis secretis darent. Cum ergo eum multis dolis irretitum, decipi posse considerarent, quadam die inter alia, tamquam ex obliquo, patrem eius in mentionem adducebant: se mirari, quod tam durum patrem pati posset, nichil eum a servo differre, cum omnia quae servi sunt, toleraret; patrem eius senem esse, et moderandis regni habenis invalidum: si investituram regni usque ad obitum eius differret, haut dubium quin alter illud sibi praeriperet; illum multos fautores habiturum propter invidiam et odium patris sui: se autem omnium vota in se transferre, si non cunctaretur suscepti regni gubernacula possidere, maxime cum patrem eius excommunicatum et aecclesia dudum abiecerit, et proceres regni reprobaverint; nec sibi observandum, quod incaute iuraverit, immo tum demum se sanctificasse, si iuramentum excommunicato iuratum irritum faceret. Pater vero nihil mali de filio suspicatus, familiaritatem eius cum maioribus regni probavit, sperans eos sibi postmodum tanto fidelius et

validius auxilium ad optinendum regnum laturos, quanto prius invicem in amore coaluissent. Quid multa? Statim illectus et abstractus a concupiscentia, malignae suggestioni, ut semper seductilis est adolescentia, nec voto defuit nec facto. Igitur filius imperatoris 1104. Nov. observans tempus recedendi a patre, quando id maximo patris incommodo fieret, euntem illum cum exercitu contra quosdam Saxonum rebelles[12], qui per legatos obviam imperatori missos pactioni insistebant, repente abstractis ab eo multis, deseruit, procul dubio deserendus ab his, Dec. 12. qui sibi ut desertor fieret, persuaserunt. Missis imperator post eum legatis, tam lacrimis quam mandatis revocavit, obtestans eum, ne senem patrem contristaret; immo ne patrem omnium offenderet, ne se sputis hominum exponeret, ne se fabulam mundo faceret; insuper meminisset, qua se sibi cautione obligasset: hostes esse non amicos, insidiatores non consiliatores, qui sibi talia suggessissent. Ille prorsus abnuit, et se non ulterius secum partem habiturum, quia excommunicatus esset, asseruit; ita sub specie causae Dei suam causam egit. Ilico Bawariam, Sueviam, Saxoniam percurrit, proceres 1105. Iul. convenit, attraxit omnes, ut sunt ingenia novarum rerum cupida, et subintravit in regiam potestatem, tamquam sepelisset patrem. Mox castellum Nourinberch minax obsedit, ubi quanta virtute pugnatum sit, clades utriusque partis argumento fuit. Sed obsessis quanto Aug. minus spei, tanto plus animi inerat; et nisi imperator sceleri parcens, castellum tradi praecepisset, adhuc ibi cassa obsidione laboraret, excepto si sola fames, quae cuncta expugnat, illud non expugnaret. Ecce quanta pietas patris! Reddidit contra filii factum paternitatis affectum; non attendit iniuriam, sed naturam; maluit oppidum tradi, quam filii discrimine liberari; maluit eius iniurias tolerare, quam vindicare. Igitur oppidani, oblata qualem vellent pactione, oppidum tradideruut; dimissoque exercitu rex Ratisponam se contulit, ut eam, dum adhuc ancipiti penderet animo, stabilem sibi fixaque fide immobilem faceret. Quod ubi comperit imperator, sedit enim tunc in urbe Wirziburgensi, reputans filium vel in itinere vel in urbe comprendi posse, tam praecipiti tamque tacito cursu eius vestigia sequebatur, ut iter eius non ante, donec non modica turba suorum, transito Danubio ad urbem inmissis equis ruerent, praesciretur. Obstupefactus filius ad tam subitam et inopinatam rem, ex urbe profugit. Cur fugis non fugiendum, cur fugis patrem tuum? Sequitur te, non persequitur; sequitur inquam, non ut hostis, sed ut pater; non ut perdat, sed ut servet; sequitur ut turbatam ex te rem publicam in quietum statum restituat, et tuis rebus in futurum prospiciat. Missis ilico rex nunciis per Bawariam et Sueviam, sparsum exercitum recollegit; quae res imperatorem, ut et ipse cogeret exercitum, coegit. Igitur exercitus uterque ad fluvium Regin se sibi opposuit; hinc pater, inde filius; hinc pietas, inde furor consedit. Cumque potentiores utriusque partis tamquam tanti discidii mediatores convenirent, qui ex parte imperatoris erant, persuasibilibus illecti verbis, et multis magnisque pollicitationibus attracti, erga imperatorem in fide frigebant; et nisi domesticam fraudem praesensisset, solus cum paucis periculo relictus esset. Igitur quod faciendum fuit, sceleri fortunaeque cedendum putavit, et ad similitudinem David, ne filius parricida fieret, fugit. Quam mirabiliter gratia Dei operatur! quam evidenti signo nos docet, si doceri vellemus, si caecum cor non haberemus! Cogitans imperator, quod inimici sui hac qua venerat, persequerentur eum, ad ducem Boemiae divertit; qui quamvis nuper eum in arto non bene reliquisset, cum magno tamen honore suscepit, et usque in Saxoniam deduxit; ubi quamvis infestos et fortes inimicos haberet, per eos tamen et ab eis usque ad Renum honorifice deductus est. Unde hoc, nisi quod manus Domini erat cum eo, et invisibilem ducem habebat, qui eum securum per tela, per hostes, ducebat? Hoc miraculo monitus es, o fili imperatoris, si moneri posses, ut disceres venerari patrem tuum, non persequi, quem venerati sunt, cum in manus eorum venisset, etiam inimici. Sed durius moneberis, cum ex hac tam leni admonitione non corrigaris. Cum autem imperatoris fuga cognita esset, eventus ille multos ab eo seduxit, multumque rebus filii sui accedere, suis autem decedere fecit.

10. Continuo rex ut faventem sibi fortunam urgueret, curiam Mogontinam ad natale Domini indixit, invitavit proceres, accersivit multos, ut cunctis innotesceret, quia dominus rerum esse vellet. Ad quam curiam etiam imperator convocatis necessariis suis, venire Dec. disposuit, volens in ratione ponere, rectene secum an secus actum esset. Quod cum agnovissent adversarii eius, metuentes et sibi et causae suae, si veniret ille tam armatus mul-

12) contra Theodericum comitem, qui Hartwicum electum Magdeburgensem captivaverat.

titudine, quam ratione, hanc fraudem regi suggerebant, ut obvius patri, sumpto valde poenitentis vultu, culpam fateretur, et gratiam expeteret: dolere se, quod malignae suggestioni consensisset, paratum se ad omnem satisfactionem, dummodo gratiam inveniret. Et si sic occasionem fraudis invenire posset, uteretur illa; sin autem, fraus ipsa pro fide, simulatio teneretur pro veritate. Hac instructus arte cum venisset ad patrem[13], pater credulus Dec 20. verbis et lacrimis filii, irruit super collum eius, flens et deosculans eum, gavisus instar illius euangelici patris, revixisse filium qui mortuus fuerat, et inventum qui perierat? Quid multa? Condonavit filio tam poenam quam culpam; et hoc fuit illi iniuriam filii vindicasse, paterna lenitate filium corripuisse, iuxta illud comici: *Pro magno peccato filii, paululum* Ter. Andr V, 3, 32. *supplicii satis est patri.* Post haec patrem sicut ficta poenitudine, sic et consilio fefellit, suggerens ei, quemadmodum sibi suggestum fuerat, ut dimissa tanta multitudine, ad curiam ambo mediocri copia venirent; nihil esse, cum ipsi coissent in concordiam, quod illi resisteret; vastari omnia, si pergerent ea copia. Placuit consilium patri; bonum quidem, si fraudulentum non fuisset. Dimissaque multitudine, non plus quam trecentis viris ad curiam filio comite pergebat. Ventum est ad nocturnam mansionem; ibi se filius obsequio patris totum impendebat, ibi se pater cum filio mirum in modum per totam illam noctem oblectabat, colloquebatur, colludebat, amplexabatur, osculabatur, avidus recompensare damnum oblectationis diu intermissae, sed nescius illam oblectationis noctem ultimam esse. Mirum, fraudem umquam tam ordinatam fortunam habuisse. Postera namque die cum iam appro- Dec 22. pinquarent Mogontiae, venit quasi nuntius, qui diceret, Bawarios et Suevos cum ingenti multitudine Mogontiam venisse. Tunc filius suggessit imperatori, non esse tutum venire in medios hostes, nisi praetemptatis eorum animis; audaciam hominum nullis uti frenis; diverteret potius ad castellum quod iuxta erat, dum ipse conveniret eos, et a sententia incoepti deduceret, et ad eum ob requirendam eius gratiam secum adduceret. Fecit imperator, ut filius suggesserat; divertit ad castellum[14], non cernens laqueum doli, quem texerat 14 pulchra species mendacis fidei. Cum autem imperator cum paucis intrasset, occlusa porta fidelibus eius aditus negabatur, detectaque fraude, qui receptus est ut dominus, tentus est ut captivus; itaque appositis patri custodibus, cum hoc fraudis triumpho ad Mogontinam Dec. 24. curiam reversus, tamquam rem virtutis egisset, cum magna iactantia retulit, quo ingenio patrem comprehendisset. Tum vero curia plausu laeticiaque resonabat; et nefas iusticiae, fraudem virtuti ascribebant. Statim misso legato patri mandavit, ut si vitam servare vellet, absque mora sibi crucem, coronam et lanceam, caeteraque regalia transmitteret; et munitiones quas firmissimas tenebat, in manum eius transferret. Nec ille cunctabatur omnia quae iussus est facere, nec imperium pluris habebat quam se. Sed non in hoc satisfecisse videbatur, nisi et ipse coram veniret, et in conspectu omnium imperio renunciaret. Venit ergo, non suae potestatis, sed in comprehensione adductus. Solus coram eis, qui dudum Dec. 31. coram se steterant, stetit; nec rationis[a] libertatem habens, ut captivi fortuna postulabat, loquebatur. Inquisitus de spontanea imperii renunciatione, non quod voluntas habuit, sed quod necessitas coegit, respondit: se videlicet imperio renunciare, non vi coactum, sed propria voluntate inductum, sibi iam defecisse vires ad moderandas regni habenas, non se iam eius cupiditate teneri, quod longo usu didicisset habere plus molestiae quam gloriae; tempus esse, ut honore cum onere deposito, provideret animae suae: tantum filius suus caveret, ne quid tale faceret in se, quod indignum esset et illum facere, et se pati. Multos et oratio imperatoris et fortuna ad gemitus et lacrimas commovit; filium autem ad miserationem nec ipsa natura movere potuit. Et cum caderet ad pedes filii, orans, ut recogitaret in se saltem ius naturae, nec vultum nec animum ad patrem reflexit; cum ipse potius ad patrios pedes advolvi debuisset, eo quod illi regnum, cuius heres designatus ab ipso fuerat, impatiens morae praeripuisset. Praeterea veniam precabatur ab omnibus, quos umquam iniuste lesisset. Sed et pedibus apostolici legati[15] advolvitur, orans et obsecrans, ut 15 se a banno solveret, et communioni aecclesiae redderet. Laici misericordia commoti veniam dabant; legatus autem domni apostolici absolutionem negabat, asserens non hoc suae potestatis esse: oportere ab ipso apostolico absolutionis gratiam eum expectare. Quid

a) *Quod Reineccius* orationis *correxit. Sed de iudicii libertate sermo est, ideoque codicis lectio retinenda.* P.

13) Confluentiae. 14) scil. Bekelenheim, Ann. Hildesheim. SS. III, 109. 15) Richardi card. ep. Albanensis

multa? Abrenuntiata imperiali dignitate privatus discessit, et ad quandam curtem, quam 16 filius victui illius permiserat, recessit[16]. Quam impotens potentia mundi, quam incerta, quam instabilis! Sed nec potentia dicenda est, quae ad omnia quae vult, efficax non est, et quam qui assequitur, amittere potest.

1106 11. His ita transactis, finitaque curia, rex superiores Reni regiones et urbes pertransiit, et ut res postulabat, hos beneficio, illos iniuria sibi subiecit. Cum autem intrasset Alsaciam, ibi fortuna eius aliquantulum hesit, ibi pugnam tam infelici eventu, quam im- 17 prudenti gessit incoepto. Nam cum in villa Ruvach[17], quae multitudine praevalet et armis, satellites eius superbe grassarentur, frequentia civium iniuriam prohibebat; nec enim dum iniuria modum excederet, patiens esse poterat. Audito tumultu rex properabat, non ut iniuriam prohiberet, sed iuvaret, non ut pugnam sedaret, sed amplius commoveret. Quae res totius villae turbam excivit, ruit inrevocabile vulgus, femina cum viro, servus cum domino, ignavus cum forti; et ut plerumque fit, animum iniuria ministravit. Incoepta pugna, incoepta est et fuga; nam qui regiae partis erant, cum viderent impetum furentis turbae, et rem in arto sitam, considerantes in virtute suam[a] cladem, in sola fuga salutem, qui poterant fuga vitam servabant. O infelicem eventum, o dedecus regni; fugiente rege, regalia insignia vulgi praeda facta sunt. Resipisce tandem rex bone, resipisce, et supernam iram in hac sorte tua recognosce. Iudicium irae Dei est, ut fugeres, qui patrem fugasti; et insignia perderes, quae patri abstulisti. Sed his postea receptis, interveniente pacto pacis et gratia veniae, regem sententiam mutare fecit altum vulnus iniuriae, ut maiori robore collecto, villam incendio praedaque vastaret, et in homines loci illius indiscreta caede seviret. Sed quod in se fortuna tantum ausa est, ex patris consilio prodisse suspicatus, novas iniuriarum cogitationes in eum cogitare coepit; et ne sibi esset obstaculi materia, vel ad comprehensionem eius, vel ad expulsionem animum intendit. Itaque Leodii, ubi eum fidem et fortunae suae receptaculum invenisse audierat, pascha sibi celebrandum statuit, ut et ipsum si fieri posset, comprehenderet, et ab episcopo, qui sui honoris emulum recepisset, iniuriam expostularet. Cumque pater vidisset, quod filius suus Leodii pascha celebrandum statuisset, legationem ad eum in hunc modum direxit: *Si interrogem te, fili dulcissime, traditio hominum, an mandatum Dei, praestantius magisque tenendum sit, respondebis, nisi a vero deductus sis, similem esse iumentis, qui coelestia terrenis, humanis divina non praeferat. Cur ergo magis audis eos, qui tibi suggerunt: „Persequere patrem tuum", quam verbum ipsius Dei: „Honora patrem tuum?" Isti te decipiunt, non instruunt; isti honori tuo non provident, sed invident; isti sub specie fidei, perfidiae laqueos nectunt. Non aliter pervenire potuerunt ad destructionem honoris tui, nisi per destructionem nostri. Fuerit sane, ut peccatis meis exigentibus, quae sententia adversariorum meorum est, abiecerit me Deus ne regnem: at tamen tuum non erat, in abiectionem meam operam dedisse, et regnum quod tibi paraveram, mihi praeripuisse. Barbara regna tam inhumanum facinus damnant et devovent; ipsi pagani abhorrent, et qui Deum nesciunt, quid in diligendis hominibus naturae debeant, recognoscunt. Sed quid mirum, si maligna surreptio seductilem et inmaturam aetatem decepit, cum etiam senes et fixum animi statum ad malum mala consilia nonnumquam inflectant? Fortuna mea alieni potius quam tui sceleris est; nam tu in manibus suadentium eras, non illi in tuis. Si autem iniuriam addideris, non iam excusari poteris, cum et factam crimen esse scias, et infectam non facere queas. Audivi enim, quod pascha Leodii celebrandum decreveris; quo in loco fides et pietas episcopi me recepit, cum non esset, qui vel beneficiorum nostrorum recordaretur, vel fortunae compateretur. Cuius profecto beneficiis in me, te decet regia liberalitate respondere; tantoque certior de eius fide poteris esse, quanto fidelius erga nos probatur egisse. Hic nisi forte te domo receperit, me secum in festivitate pascali retinendum decrevit. At dicis, dignum et conveniens esse, ut ea festivitas potius nos iungat quam dividat; te velle, te cupere, ut ibi tecum agam dies pascalis laeticiae. Quod quidem et ego admodum cuperem, si non esset quod timerem. Neque enim non possum non timere eos quos mihi vitam permisisse poenitet, dum in manibus eorum mors et vita mea fuisset. Omnia mihi suspecta sunt, omnia timenda sunt, maxime in turba, ubi tanto difficilior est periculi cautio, quanto maior sceleris occasio. Inde est, quod ex medio eorum qui me oderunt, longe recessi, et in extremis regni tui finibus*

a) *ita c.; sua Aventinus*

16) Ingelheim, ubi se post renunciationem ibi factam relictum esse, regi Galliae scripsit. 17) Ruffach e meridie Columbariae.

me contraxi; ut vel secessu loci tutus sim, vel si fortuna mea postulaverit extraneam humanitatem expetere, citius e regno tuo cedere possim. Precor ergo, ut causa patris tui pascalem curiam alibi dispônas, et in domo eius qui me humanitatis gratia recepit, cum non liceat imperatorem, saltim hospitem esse sinas, ne vel in meum ludibrium, vel in tuum obprobrium narretur, quod in solemnitate dominicae resurrectionis incerta hospicia fortuna mea querere cogatur. Si feceris quod postulo, maximas grates habeo; sin autem, malo mendicus esse in externis regnis, quam ludibrio haberi in regnis quondam meis. Hanc legationem patris aure surda filius audivit, nec a sententia sua deduci potuit. Quam ob rem cum iam instante pascha pater recedere vellet, episcopus et Heinricus dux[18], qui et ipse ab episcopo fuerat invitatus, eum recedere prohibebant; non se posse pati, ut in tanta festivitate pulsus e tectis hominum, silvas peteret latebrasque ferarum: illum quidem absque causa destitutum imperio, sed non amicorum obsequio; si pace frui permitterentur, nihil se magis quam pacem velle; sin autem res armis agenda sit, arma sibi non defore. Ille vero ne eis materia cladis esset, cedere quam manere utilius asserens, tandem eis, cum importunius instarent, consensit, et ut postulabant mansit. 1106

12. Iamque multus equitatus faciem regis longe praecedens, ad pontem fluvii qui Mart.22. vocatur Masa venerat, et alterius ripae crepidinem filius praedicti ducis cum paucis occuparat; nam turbam armatorum non longe per oportuna loca in insidiis locaverat. Qui ut pugnam provocaret, nunc equum in rectam cursus lineam inmisit, nunc in orbes flexit et reflexit, et si pares numero confligere secum auderent, inquisivit. Nec mora, transierunt ad eos totidem ex parte regis, mixtique inter se, vario reflexu nunc pugnam inferebant, nunc fugam agitabant. Interim unus et alter transito ponte, sociorum numerum latenter auxit, et rupto certaminis pacto, ex aequali inaequalem fecit. Quod videns filius ducis, terga cum suis vertit, non tam ut fugeret, quam ut falleret; nec tam ut fugiens periculum vitaret, quam ut sequentes in periculum deduceret. Hi autem qui ex adversa ripa erant, visa fuga, praecipiti cursu pontem transeuntes, fugientes persequebantur, ignari futurae sortis et fraudis quae latebat. Postquam autem ventum est ad locum, ubi dispositae fuerant insidiae, exurgentes de insidiis, impetu magno in persequentes ferebantur. Illi autem inopino territi periculo, metuque turbante nil rationis in armis habentes, in fugam se retorserunt. Sed quid profuit avertisse pectora, et vulneribus terga dedisse? Itaque multi capti, multi truncati, multi occisi sunt; victorque cruentus non alium modum sceleris habebat, nisi quem fastidium faciebat. Ad pontem vero ubi fugax multitudo se coartaverat, tanto plus sceleris impia manus peregit, quanto minus constipata turba se movere potuit. Sed multo plures fluvius absorbuit, quam ensis hausit; nam cum hostis a tergo premeret, impellente metu in fluvium se praecipitabant, et attoniti confusique de morte in mortem ruebant. Erat ibi cernere et aliam miseriam vel maximam, cum pons multitudine praegravatus repente corruit, et fluvius homines equosque pariter involvit. Nulli locus erat evadendi, nulli profuit ingenium natandi; nam aut armorum pondere, aut inherentium conexione fatigatus, in profundum trahebatur. Quod malum ut scelestius esset, in ipsa die parasceuae contigit, crevitque magnitudo sceleris ex reverentia temporis.

13. His ita transactis, rex iter Coloniam convertit; sed cum illa quoque aditum sibi Mart.25. praeclusisset, in villa quae dicitur Bunna dominica tantum paschae peracta, Mogontiam festinus rediit, et sparsis ubique legatis querimoniam ad proceres in hunc modum direxit: *Si per invasionem regnum occupassem, tamen resistentes potestati nostrae retunderem, in quantum possem. Nunc autem cum in sumpta regni dignitate vestris paruerim praeceptis, ausus est quisquam impune, in publicam contumeliam regnum et nos armis vexare? Cum enim Leodium ituri, ubi nobis curia pascalis habenda fuerat, ad fluvium Masa venissemus, episcopus Leodicensis et dux Heinricus, de quorum fide et obsequii devotione multum praesumebamus, nobis latenter insidias posuerant, et nostros inscios et ad pugnam imparatos caedebant, capiebant, fugabant. Quae et quanta clades ibi acciderit, tam pudet referre, quam inultum dimittere. Igitur constrictus et eventus asperitate et temporis articulo, Coloniam diverti; quae cum me recipere satis superbe refutaret, apud villam Bunnam sanctum diem paschae utcumque*

18) dux Lotharingiae, de Limburg. Filio eius Walraboni nomen erat. De pugna hac ad Visetum commissa videndus est Ekkehardus et ceteri a b. m. Stenzelio laudati. Iohannes Ultramosanus pontem dicit *que li rois Ogier le Danois avoit fait faire.* Polain, Histoire de l'ancien Pays de Liége I, 227.

peregi. Cui umquam regiae personae tanta contumelia facta est? Nec solum me petit haec contumelia: vos despecti estis; isti praesumptores decreta vestra auctoritatem habere nolunt, sua tantum statuta firma esse volunt; denique in quos totum regni pondus se reclinet, haberi cupiunt. Regem quem constituistis, destituere parant, ut nihil eorum quae vos decernitis, ratum sit. Igitur haec iniuria mea, regni potius est, quam mea; nam unius capitis licet summi deiectio, reparabile regni dampnum est; principum autem conculcatio, ruina regni est. An haec inpune feremus, et ex ignobili pacientia nostra magis tumebit eorum superbia? Absit, ut qui dicimur inhonorati, dicamur et inulti. Pauca dixisse sat est; desides animi prolixae cohortationis stimulo opus habent. Causa magis ad incitamentum sit[a] *quam verba. Quia igitur contra tam superbos hostes rei publicae viribus utendum est, expeditionem vobis et rogando praecipimus et praecipiendo rogamus, cuius collectioni et tempus Kalendas Iulii et locum Wirziburgensem urbem praefinimus.* Cum igitur audisset Heinricus dux, et Colonienses cum Leodicensibus, quod super se rex exercitum ducere vellet, arma parabant, copias colligebant, urbes firmabant, et ad resistendum pari voto studioque se accingebant. Sed et imperatorem consiliis et precibus urguebant, ut imperialem dignitatem, quam non ratione convictus, sed vi ferroque mortem intentante coactus dimisisset, resumeret; se sibi nec armis defore nec animis; multos illum in brevi fautores habiturum, quia multi multum abhominarentur tam insolitum facinus et inhumanum. Quorum importunitati hac ille ratione reniti coepit: impossibile esse amissum imperium armis repetere, quod possessum armis optinere nequivisset; illud sibi non esse tanti, ut multorum exitio recipiendum estimaret; beatius sibi et tutius fore, ut privatus, licet indigne deiectus, viveret. Sic utrimque data redditaque ratione, cum instare non desinerent, ne benignitatem circa se removeret a se, nec ad integrum consensit, nec abnuit, providusque futuri praecipites eorum animos spe dubia suspendit. Igitur primo Coloniam, quae primum impetum latura fuerat, vallo turribusque muniebat, et congestis belli stipendiis, impositoque praesidio, periculum suum fortibus animis expectabant. Sic et alias urbes quas invadendas credebant, munitione, machinis, et robore militum firmabant. Sed et edictum sub comminatione crudeli ubique properabat, ut adversus exercitum in magna superbia super se venturum parati essent, et patriam, libertatem, vitamque defenderent, neu sinerent vel uxores suas corruptionis ludibrio substerni, vel agros in alienos dominos distrahi. Iam rex Renum cum exercitu valido transierat, et
Iul. primo Coloniam, quae quasi caput inter alias urbes eminebat, magno impetu invasit, reputans se sibi membra facilius subicere, contrito tam valido capite. Sed res longe praeter spem evenit; nam cruenta repulsa retroacti, procul locatis castris urbem obsidione vallabant. Magis autem dixerim, obsessores ab obsessis obsessos; nam praereptis sibi navibus quae per Renum descendentes exercitui commeatum portabant, premente fame quasi quadam obsidione constricti laborabant. Interim ut urbem ab obsidione liberarent, totius patriae robur undique coibat. Sed imperator tam cruentum nefas detestatus, pugnam obnixe dissuadebat: cur eis tantus ardor pellendae obsidionis inesset, quae non nisi magna sui clade pelli posset; tolleret omnem sollicitudinem capiendae urbis, quae et ex firmitate murorum et ex forti milite tutissima, et omni victus genere esset opulentissima, accedente et Reni beneficio, qui per naves delicias quas appeterent, invito obsessore subministraret; sinerent potius eos in cladem suam furere, et inexpugnabilem urbem, unde vulnera tantum caesosque reportarent, impugnare; sinerent eos late vastare, dum ruris copia consumpta, esurire inciperent; sinerent eos grassari, dum equos virosque labor enervaret: fore ut victoria sibi parvo constaret, si paululum tolerantia et oportunitate temporis uti voluissent. Sic imperatoris hortatu a pugna revocati, hostiles tantum excursus observabant, et ignaros loci passim caedentes, metum hosti, ne longius evagaretur, incutiebant. Omnia vero quae praedixerat imperator, evenerunt. Quotiens enim temptabant portas infringere, ariete murum perrumpere, tormentis turres deicere, infecto negotio, vulnera tantum et funera ad castra reportabant. Homines et equi exhausti tam alimentorum penuria quam laboris improbitate, viribus deficiebant; nam agris in circuitu vastatis, nihil reperiebant, sed nec ulterius progredi latitante in insidiis hoste praesumebant; accessit his malis etiam morbus, quem foetor castrorum, ut fieri solet, aere viciato concitaverat, qui non solum vulgus, sed

a) sint *codex. Quod quum per se vix ferendum sit, etiam ea re erroris arguitur, quod scriptor, qui ubique puncta nimis larga manu sparsit, sine dubio post* incitamentum *interpunxisset, si verbum* sint *cum sequenti nomine* verba *coniungendum esset.* In strenuis causa m. ad i. facit q. v. *Aventinus cum reliquis.*

etiam ipsos principes aut aegritudine confecit, aut lęto rapuit. Huiusmodi rerum adversitate fatigati, quid acturi essent, ambigebant, quia volentes mori occasionem pugnae non inveniebant; aut si reditum pararent, certi quod hostis a tergo premeret, exercitum suum fuga spargendum metuebant. Qua tempestate mentis dum fluctuarent, subito fama veniens, nubila tantae perturbationis in serenum convertit. Retulit enim, imperatorem mortis debitum persolvisse. Ad quam famam primo hesitabant; sed cum nuncius extremum mu- Aug. 7. nus patris, anulum videlicet et gladium, cum mandatis filio portans venisset, tanta laeticia oborta est, ut voces gratulantium vix sedari possent. Sed non minor luctus circa funus imperatoris erat: proceres plangebant, vulgus lamentabatur, ubique gemitus, ubique planctus, ubique vox dolentium audiebatur. Ad exequias illas viduae, pupilli, denique totius patriae pauperes conveniunt: deflent se orbatos patre, fundunt in corpus lacrimas, deosculantur largas manus. Vix avellebantur ab amplexu extincti corporis, vix illud condendi copia dabatur. Sed nec tumulum deserebant, ibi vigiliis, lacrimis et orationibus vacabant, plangendo recitantes, et recitando plangentes, quaenam opera misericordiae fecisset in se; quamquam mors eius plangenda non fuit, quam bona vita praecessit, qui fidem rectam, spem firmam, compunctionem cordis amaram in extremis suis tenuit; quem nec de pudendis admissis publicam agere confessionem puduit, qui tota cordis aviditate dominici corporis cibum sumpsit. Felix es imperator Heinrice, qui tales excubias, tales intercessores tibi parasti, qui nunc multipliciter auctum de manu Domini recipis, quod in manus pauperum abscondisti. Turbolentum regnum pro tranquillo, defectivum pro aeterno, terrenum pro coelesti mutasti. Nunc demum regnas, nunc diadema portas, quod tibi nec heres tuus praeripiat, nec adversarius invideat. Ergo continendae sunt lacrimae, si contineri possent; huic tuae felicitati debetur tripudium non luctus, exultatio non planctus; voces gratulantium, non dolentium. Post hunc rerum eventum hi qui contra regiam maiestatem bellum susceperant, mortua spe sua animis et viribus deficiebant, et quod in illo rerum articulo faciendum fuit, ad gratiam regis deditione, pecunia, quoque modo quisque poterat, recurrebant.

Ecce habes de gestis, de expensis in pauperes, de fortuna, de obitu imperatoris Heinrici, quae sicut non poterant absque lacrimis a me scribi, sic non poterunt absque lacrimis a te legi.

TRANSLATIO SANCTI MODOALDI.

MIRACULA S. MODOALDI. EX TRANSLATIONE S. AUCTORIS. MIRACULA S. AEGIDII.

EDIDIT PHILIPPUS JAFFÉ M. D.

1. *De translatione sancti Modoaldi. Thietmarus, monasterii Helmwardeshusensis*[1], *Benedictinorum ordini ascripti, abbas anno* 1080 *sive* 1081[2] *renunciatus — qui haud exiguam videtur suis temporibus laudem pietatis consecutus esse, quum in eo, quem diptycha Corbeiensia praebent, abbatum Helmwardeshusensium catalogo aureis litteris scripto*[3] *nullius nisi eius nomini apposita verba sint „piae memoriae" — mirabiliter accensus ad adornandum reliquiis sanctis coenobium suum, nec sumptibus parcebat, nec laboribus, neque itineribus, quoad praeter aliorum sanctorum particulas a Brunone, archiepiscopo Trevirensi, quum anno* 1105 *brachium sancti Auctoris, tum duobus post annis sancti Modoaldi corpus adeptus est. Et Basileae quidem, Guastallaeque in Paschalis II papae concilio, ac Treveris singularem in illa re ponebat industriam, et postremo gratissimum laborum suorum fructum per Lotharingiam Westphaliamque, ubique sociis sui ordinis adiuvantibus*[4], *domum summa laetitia deduxit. Neque vero Treverensibus his thesauris contentus quum ad Coloniensia quoque sepulcra sibi comparasset aditum, tanta denique reliquiarum copia redundabat, ut liberaliter communicando etiam aliorum desideria expleret*[5]. *At illatis in monasterium*

1) ad Dimelam fluvium, in dioecesi Paderbornensi. 2) Dies enim 12. m. Maii a. 1107 in extremo translationis libello refertur ad vigesimum septimum Thietmari abbatis annum. 3) Legitur apud Wigand Archiv f. Gesch. u. Alterth. Westph. III, 3, 3 catalogus, quem, mendis sublatis secundum Overhamii in Vita Meinwerci, Neuhusii 1681, p. 336 annotationem, apte hoc loco proponimus: *Nomina fratrum nostrorum Helmwardensis ecclesiae: † Akkihardus com., Machthilda com., Haulfus abbas, Wino abbas, Albericus abbas, Thietmarus abbas, Berthgerus abbas, Thietmarus abbas pie memorie, Reinboldus abbas, Aholfus* (al. *Atholfus*) *abbas, Conradus abbas, Vulfgerus abbas, Reinhardus abbas, Wirinus abbas, Arnoldus abbas, Heinricus abbas.* 4) Quorum monasteriorum enim hospitio acceptus Thietmarus est tum Treverica in commoratione tum in domum reditu, ea omnia Benedictini ordinis erant: monasterium sancti Maximini, Prumiense, sancti Pantaleonis Coloniense, Abdinghofense. 5) Haec enim ap. Schaten Annal. Pad. ad a. 1107 reperimus ex tabulario Abdinghovensi descripta: *Thietmarus, Helmwardeshusanus abbas, cum unanimi fratrum suorum consensu concessit abbati Gumberto suisque fratribus et universae Paderbornensium ecclesiae ex sacrario beati Petri apostoli pretiosissimas sanctorum reliquias, quae sibi divina dispositione et ordinatione collata sunt ab ecclesia Trevirensi atque Coloniensi, auctoritate, praecepto atque licentia archiepiscoporum atque abbatum, caeterorumque priorum utriusque metropolis, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei et augendum atque dilatandum honorem et venerationem ac servitium eorundem sanctorum omni cultu solemni: Integrum corpus unius sanctarum virginum, De corpore sancti Probi episcopi et martyris, qui fuit ductor earum, De corpore sancti Modoaldi Trevirorum archiepiscopi, De corpore sancti Auctoris archiepiscopi, Bonosii atque Abrunculi archiepiscoporum, De stola et pallio sancti Maximini archiepiscopi, Brachium cum capite et costa unius sanctorum Thebaeorum, De corpore sancti Pamphili episcopi et martyris, Costa unius sanctorum Maurorum, sancti Kyliani martyris.*

ossibus sancti Modoaldi, monachum mittit per ordinis Benedictini coenobia „ex gestis pontificum et annalibus regum Francorum famaque antiquorum sapientium“ de novi patroni vita memoriam collecturum. Huic contigit in urbem Leodium ad Stephanum Sancti Iacobi abbatem accedere, „virum magnae scientiae et honestatis, in musica valde peritum, quem“ retulit Aegidius Aureae vallis[6] *„cantum novum de sancto Benedicto: Florem mundi et de sancto Iacobo, fratre sancti Iohannis euangelistae, aliaque praeclara et multa, quae in ecclesia cantantur, mirifice composuisse“. Qui motus monachi precibus, sancti Modoaldi non vitam solum litteris consignavit, verum etiam cantum et condidit et vocum sonis rescripsit. Etenim Stephanus ipse certiorem Thietmarum fecit, monacho petenti, „ut de vita et miraculis beati Modoaldi in lectionibus et responsoriis aliquod xenium meretur accipere“, se fecisse satis; Thietmarusque postea respondens: „Vestri“ inquit „cordis arcana perspicimus, quoties beati Modoaldi vita mellifluo tractatu nostris insonat auribus et delectabilia vocis vestrae percipimus modulamina, quoties dulcisonam cantus eius melodiam attendimus; haec utraque luculenter digesta“ cet. Cantus autem ille sancti Modoaldi*[7] *videtur cum ceteris paene omnibus evanuisse Stephani scriptis, dum tenemus eam, cuius ante facta mentio est, vitam. Ex qua quidem vita Waitzius in superiore Monumentorum volumine*[8] *descripsit nonnulla miracula, quibus hoc loco Stephani ad Thietmarum epistolam, quod vitae additum prooemium est, duximus adiiciendam,* propterea quod cum ea cohaeret ad eamque respicit is, quem suscepimus edendum, libellus.*

* Domino Thietmaro, Helmwardicensis coenobii abbati reverendo, et sanctis qui sub ipsius cura degunt fratribus, Stephanus, abbas humilis congregationis beati Iacobi in Leodio, aeternam in Domino salutem. Quoniam gratiarum distributor Deus in dividendo singulis, prout (1Cor 12,11) vult, super omnia donat caritatem, qua diligamus bona in aliis, quae desunt in nobis, ut omnia singulorum et singula fiant omnium, necesse est, ut in proximis studeamus amando possidere, quae videmus in nobismet ipsis operando minus provenire. Unde bonum studii vestri trahentes odorem, admodum laetati et delectati sumus, super his videlicet, quae de vestri laboris profectibus innotuerunt nobis per quemdam ex vestris, quo ad tempus usi sumus; in quo uno omnium vestrum conversationem bonam imaginantes, gaudemus iam ex caritate vos praenoscere, quos corporeo intuitu necdum contigit vidisse. Spe enim ad supernam tendentes patriam, illuc precum lacrymarumque legatione praemissa, rogare debemus quae ad pacem sunt Hierusalem, et ad perpetuum cum illius civibus habitandi foedus componendum levare potius fidei oculos ad montes, unde nobis intercessionis auxilium veniat, (Psal 120,1.) quam praesumere de principibus, in quibus salus nulla est. (Ps 145,2 3) Huius itaque caelestis habitationis obtinendae pio accensi desiderio, ad arcem tanti roboris vestros provexistis animos, ut thesaurum Trevirorum, a pluribus annis reconditum, pia importunitate aggrederemini spoliare, pignora videlicet sancti Modoaldi archiepiscopi et duorum corpora Thebaeorum cum aliis reliquiis ausi postulare, digni impetrare, absportare, honorificare et patrociniis eorum exultare. Et quoniam desiderium pauperum suorum exaudivit Dominus, tam Dei et sanctorum voluntate praeeunte, quam vestra subsequente industria, illud obtinere meruistis, quod nulla argenti vel auri copia valeret comparari, quod nulla regia potentia praesumeret attentare. Quantum autem temporis, quantum laboris ad haec adipiscenda expenderitis, qualibus suffragantibus personis ad hanc bonae voluntatis efficaciam perveneritis, qualiter huius, ut ita dicam, victoriae bravium apprehenderitis, satis diligenter usque ad unguem descripsit ille vester[a] supradictus, imo iam noster et frater et amicus praecordialis, et quidquid ex caritate meretur appellari, vir sincerae iucunditatis, qui tali negotio semper labore suo et consilio interfuit. Qui corpore quidem ad tempus vobis absens, spiritu autem semper praesens, dum pro investiganda patroni sui generositate ordinis nostri loca plurima inviseret, et quasi apis argumentosa florum dulcedinem in mellis liquorem comportans, tam gesta pontificum, quam annales regum Francorum famamque antiquorum sapientium diligenti

a) vester *scripsi pro* vir.

6) ap. Chapeaville Gest. pont. Leod. II, 45; cf. Chron. Lamberti parvi 1095 ap. Martene Coll. V, 8, Hist. S. Laur. Leod. ap. eund. IV, 1079. Alberici chron. 1105. 7) Cf. infra Miracul. S. Mod. c. II, ubi legitur incendium Geismarense cantato »carmine laudis sancti Modoaldi« restinctum esse; cf. etiam annotationem extremo capiti III miraculorum additam. 8 SS. VIII, 224 sq.

Nam Thietmarus quum scripta Stephani accepisset dona, suum esse ratus, simili eum munere afficere, historiam translationis sancti Modoaldi ad doctum collegam misit „eius sollertia corrigendam, eius auctoritate corroborandam". Quod quidem opusculum, quamvis non elegantissime scriptum sit, pertinere tamen iudicaveris non modo ad monasterii Helmwardeshusensis historiae locorumque vicinorum cognitionem augendam, sed etiam ad illustrandas res Germanicas, et eas praecipue quae sunt anno 1106 *gestae.*

Auctorem libelli ut ipsum Thietmarum abbatem putes, cave his epistolae eius verbis adducaris: „par est, ut studio nostrae manus et linguae nos quoque ad vestri notitiam adducamur; offerimus itaque translationis Modoaldi libellum." Nam male cum hac opinione congrueret, ut qua modestia Thietmarus utitur in epistola, ea funditus reiecta, sic de ipso sit in translatione scriptum: „abbatis venerandam sanctitatem" et „virum tantae religionis et reverentiae" et „benignum

inquisitione percurreret, tandem ad nos omnium ultimos divertit, obsecrans non perfunctorie, sed infatigabiliter et instantissime, ut de vita et miraculis beati Modoaldi in lectionibus et responsoriis aliquod ingenioli nostri xenium domum deferendum a nobis mereretur accipere. Cuius precibus opportune importunis cum hinc humilitas professionis nostrae ob declinandam praesumptionis notam obviare persuaderet, illinc caritas internae obdurationis in proximum nos argueret, supereminentioris viae latitudinem timore abiecto considerantes, quoniam id quod sumus, quod vivimus, quod sapimus, totum Deo et proximo debemus, tandem amici pio desiderio acquievimus satisfacere. Sed cum ad haec nos idoneos fore desperaremus, ipsa nostri desperatione robustiores, ad illum protinus spem ereximus, qui etiam immensos (Cf Num 22) brutosque asinae ruditus per sensatos humani colloquii distinxit modos. Huius ergo robore considerationis accincti, adorsi sumus auctore Deo enarrare, quae de vita et miraculis beati Modoaldi pontificis tam ex antiquorum relatione, quam ex authenticorum librorum lectione colligere potuimus; in quibus verborum folia requirenda non sunt, quia infructuosae loqua- (Cf Deut. 16, 21) citatis levitas in sacris paginis compescitur, dum in templo Dei per Moysen nemus plantari prohibetur. Hic siquidem sanctitatis viam a puero ingressus, eo usque de virtute in virtutem per spirituales processit ascensus, ut iuxta vocabuli praesagium, quo apud homines appellatus est Modoaldus, apud Deum nominetur et sit modo altus. Cuius sanctitas atque nobilitas in tanta celsitudinis parilitate conveniebant, ut nos ipsa sui magnitudine ambiguos reddant, quam earum in exordio narrationis alteri praeponamus. Quia cum plerumque in huiusmodi personis nobilitas sanctitatem impediat, in hoc sancto viro altera alterius dicebatur ornamentum. Sed quia hac tempestate perspicuum est, nobilitatem in omnibus negotiis praecellere, privatam vero sanctitatem, etsi Deo paucisque fidelibus acceptam, a filiis tamen seculi parvipendi, ideo huius nobilissimae posteritatis linea, si tanto prolixiore quanto diligentiore stylo percurratur, obsecramus lectorem, ne prolixitatem fastidiat, quae multorum continet utilitatem, quae etiam ab avis et parentibus inchoanda, et certius describenda nobis fuerat, nisi barbarica depopulatio nobilium Gallorum titulis olim invidisset. Fertur enim barbarorum gens tunc per omnes Galliarum fines furoris sui frena laxasse, divina et humana pari abolitione contemptui habuisse, urbes ditissimas subvertisse, sanctuaria Dei profanasse, praeclaros hominum labores exinanisse, monumenta sanctorum, titulos et nomina antiquorum heroum omnino delevisse, nulla vestigia virtutum, nulla victoriae, nulla laudis aut probitatis avorum nostrorum nobis reliquisse, omnia gladio et incendio exterminasse. Verum supra omnes urbes tanto subiacentes excidio facta quasi vidua domina gentium, cum threnis Hieremie lamentanda erat illa metropolis gloriosa Treveris, urbium nobilissima, quae dignitatis praerogativa meruit appellari altera Roma; in qua cum amplius exuberassent divitiae et gloria, felicitas et exultatio, superveniente exterminio, acrius redundabant egestas et desolatio, dolor ac moestitia, tantoque in ea miserabilius plangenda erant antiquarum virtutum monimenta, quanto damnosius multorum profectibus sunt ablata. Ubi cum antiquorum fastos exemplariorum absumeret ignis, et ob hoc omnis veterum genealogiarum series abolita fuisset, contigit etiam omnem beati Modoaldi retro actam parentelam usque adeo posterorum subtrahi memoriae, ut ex qua consanguinitatis vena, licet nobilissima, ipse et duae sorores eius, Itta scilicet et Severa, descenderint, vel, ut verius fatear, ascenderint, non satis compertum ha- (Cf Luc 10, 20.) beamus. Sed quoniam Dominus, qui de subiectione daemonum vanum discipulorum corrigit gaudium, monet de caelesti nominum inscriptione potius esse gaudendum, desistat fraterna solicitudo conqueri nostris paginis deesse, quos opera iustitiae in libro aeternae ascribunt memoriae. Dignetur ergo suscipere sanctitas vestra hoc nostrae parvitatis munusculum, penset et amplectatur in eo solius caritatis affectum; quia etsi non videamur satisfecisse utilitati fraternae, quantulumcumque tamen laborem impendimus amicitiae.

piissimi patris affectum" cet. Itaque quum ne Thietmarus quidem suo solius nomine, sed etiam „omnium in Christo secum militantium" quam modo memoravi epistolam ad Stephanum dederit, neque ob eam rem dubium sit, quin ipse commune quoddam totius sodalitatis suae opusculum fuerit Stephano oblaturus, pro certo dixerim, monachum quendam Helmwardeshusensem, fortasse suppeditante hic illic abbate, hunc de translatione sancti Modoaldi librum confecisse. Et is primordia quidem monasterii ex domestica memoria tabulisque notavit, ceteris vero, quas tradidit, rebus ipse affuerat, quemadmodum existimare licet ex capitis 4. initio, ubi „fratres Sancti Maximini" inquit „in vico Evena cum omni caritate nos habuerunt".

Libellum quo tempore fecerit, abunde Thietmari epistola ostenditur. Haec enim quum sit Stephano abbati inscripta, quem die 24. m. Ianuarii a. 1112 excessisse e vita reperimus[9], translationem oportet inter annum 1107 et 1112 mandatam litteris esse; fieri tamen potuit, ut caput primum, quod est de principio monasterii deque translatione ac miraculis brachii sancti Auctoris, absolveretur iam annorum 1105 et 1106 intervallo.

Primus Surius III, 227 sancti Modoaldi translationem, aridam in epitomen coactam, una cum Thietmari epistola, non significato eo quem adhibuisset codice, deprompsit a. 1572. Deinde a. 1688 Henschenius in Act. SS. Mai. III, 63 sq. totum opusculum proposuit ex cod. Bodecensi. Quam secutus editionem, haud parva quaedam translationis fragmenta exprimenda in Prodromi hist. Trev. I, 679—688 curavit Honthemius.

Nos recepta editione Henscheniana, correximus Thietmari epistolam ex Surii libro, partemque primi capitis ex codice Guelferbytano, de quo paullo post plura dicemus, ac reliquarum partium menda de nostra opinione, quoad licuit, sustulimus. In notis designat

1) Bodecensem, quo usus Henschenius est, codicem,

2) Guelferbytanum.

2. De miraculis sancti Modoaldi. Ad translationis historiam apponimus Miracula sancti Modoaldi in monasterio Helmwardeshusano facta, quae Iohannes Gamansius in Act. SS. Mai. VII, 711 sq. exhibuit ex codice ad Bollandium Colonia misso, translationem, exceptis Thietmari epistola capiteque primo, et miracula continente; qui Henschenii diligentiam praeteriisse propter defectum illum videtur. Erant autem scripta manibus diversis. Praefatio enim primaque duo capita saeculi XII fuerunt; tertium caput „annis fere centum et septuaginta post translationem scriptum". Et ea quidem integra repetenda putavimus. Novissimum additamentum vero quum ad saeculum XVI pertineat, nec sit satis magni momenti, omisimus praeter initium, ex quo patet alium quoque peculiarem fuisse librum miraculorum; qui quidem nondum apparuit.

3. De translatione sancti Auctoris. Guelferbytanus, quem supra meminimus, codex membranaceus saec. XIV (Helmst. 1049), cuius partem posteriorem fusius descripsit in Archiv VI, 653 sq. Lappenbergius, primis foliis 38 translationes miraculaque sancti Auctoris et sancti Aegidii complectitur. Inest autem translationibus diversum ac miraculis pretium. Haec enim aequalibus debemus auctoribus. At de sanctorum ossibus a Gerthrude marchionissa, Lotharii Saxoniae ducis socru, Brunsvicum secundo saeculi XII decennio adductis narrationes longo post tempore[10], et arbitror vix ante saeculum XIV, conscriptae

9) V. Gall. Christ. III, 980. 10) Qua obsidione Brunsvicum a. 1200 clausit Philippus rex, eam dicit auctor »olim« factam esse. Praeterea vota facit, ut sancti Auctoris cultus a Gerthrude »antiquitus

sunt; ac quamvis haud dubium sit, quin monachus ipsius Brunswicensis sancti Aegidii monasterii[11] *eas confecerit, non tamen is ullis domesticis litteris usus est praeter pauculas de ecclesiae dedicatione, de morte Gerthrudis, de Brunswici obsidione notationes. Ex „veridica traditione“ quidem se dicit ea, quae narrat, cognovisse, sed simulac translationum argumenta inter se contuleris, manibus tenebis, conficta ab eo omnia esse. Etenim summa translationis sancti Auctoris haec est: Gerthrudis marchionissa, a sancto Auctore sollicitata per somnum, petit Treviros, ecclesiaeque custode comitate securo reddito atque ablegato, sepulcrum aperit, furatur ossa*[12]*, elabitur; percepto furto, campanae a monachis pulsantur nec sonant; tandem insequuntur profugam, sed id miraculi ter accidit, ut instantes quum iam eam paene prehendere manu possint, ab ea subito dirimantur longo intervallo; itaque Gerthrudis cum reliquiis Brunsvicum pervenit die* 2. *m. Augusti*[13]. *At in translatione sancti Aegidii legimus, Gerthrudim, quum monente in somnis sancto Aegidio notissimum illud sancti huius in Gallia meridiana monasterium adiisset, muneribusque magnis custodis ecclesiae animum sibi conciliasset, aperta theca sumpsisse reliquiarum partem; ex monasterio quum egrederetur, campanas ultro resonasse; abeuntem marchionissam ab insectantibus ter arreptam terque expilatam esse, ut non ipsae reliquiae detegerentur; sicque ossa die* 2. *m. Augusti apportata Brunsvicum esse. Nemo est igitur, qui fabellam neget utramque ex uno cerebro, neque eo ita ingenioso, esse profectam. Ceterum auctor ipse, quid intenderit, simplicitate iucunda explicat in conclusione; „universis“ enim „fidelibus Christi per orbem terrarum“ ad sanctos Brunsvicenses, cuiusque salutis fontem, vocatis ostendit haec: „Scriptum est enim: Non apparebis coram Domino vacuus“ (Deut.* 16, 16*).*

Quae quum ita sint, et translationem sancti Aegidii, in qua ne vestigium quidem veri contuemur, qua adhuc caruit luce, ea carere in posterum quoque sinemus, nec sancti Auctoris translationem (quam edidit totam in Act. SS. Aug. IV, 48—54 *P. Dolmans ex codice Bodecensi, in angustumque coactam et Rehtmeyer Braunschw. Kirchengesch. II, Beil.* 183—187, *et Leibnitius SS. Rer. Br. I,* 701*) repetemus integram, sed nonnulla eius fragmenta, quibus facta quaedam utcumque proponuntur, excerpsisse satis habebimus.*

4. *De miraculis sancti Aegidii. Recepit is, qui translationes sancti Auctoris et sancti Aegidii composuit, in suum librum etiam miracula utriusque sancti. Et illa quidem praestitit sancti Modoaldi translatio, cuius partem e codice nostro emendare licuit; sancti Aegidii autem miracula originem sui referunt ad celeberrimum illud Nemausensi in dioecesi situm prope Rhodanum fluvium sancti Aegidii monasterium. Etenim Petrus Guillelmus, eiusdem coenobii bibliothecarius, iussu Hugonis abbatis exposuit de sancti miraculis ac de iis solummodo quidem „quae suis temporibus per eum Dominus operaretur“. Is autem quando scripserit, accurate declarari potest. Nam quum de expugnato castro Stetinensi, id quod evenisse anno* 1120 *scimus, mentionem iniiciat, Hugonique abbati, qui circiter anno* 1124 *interiit*[14]*, offerat librum suum, dubitari non debet, quin annis* 1121—1124 *absolutus liber sit. Qui quoniam res Germanicas compluries attingit, in collectionem nostram ut referretur dignus est visus, quum praesertim in lucem nondum editus sit. Neque tamen reticuerimus,*

celebriter institutus moderno tempore non diminuatur«. 11) Id multis probatur locis, ex quibus unum afferre sufficiat; sic enim est in prologo: *Domini clementia decrevit corpus beati Auctoris ad praesentis basilicam coenobii destinare.* 12) Arnoldus Lubecensis VI, c. 4 narrat, Gertrudem reliquias sancti Auctoris »a Trevirensibus multis supplicationibus obtinuisse«. 13) Translatione sancti Auctoris usus est is, qui composuit Chron. princ. Brunsw. rhythm. apud Leibn. SS. III, 37. 14) Namque mense Aprili 1125 iam ei successerat Petrus. Vide Reg. pont. Rom. 5203.

exemplar nostro plenius miraculorum sancti Egidii patuisse Mabillonio; nam quae miracula tria in Annal. Benedict. ad a. 1116 *referuntur, ex iis nostro exemplo desunt duo*[15].

Berolini 6. *Id. Febr.* 1855.

PRAEFATIO.

Domino et patri Stephano, divina electione abbati, et sanctae congregationi, beato apostolo Iacobo sub eius moderamine in Leodio famulanti, frater Tietmarus, quem dicunt procuratorem ovilis beati Petri in Helmwardeshusen, cum omnibus Christo secum militantibus munus perfectae caritatis ex animo et plenae fraternitatis pensum ex debito. Quoniam, pater serenissime, ut multorum didicimus relatione, apostolicae religionis norma perfectissime imbuti, apostolicae vitae tenorem fide et actibus imitamini, dignum duximus vos verbis apostolicis affari: Benedictus Deus et pater domini nostri Iesu Christi, qui vos idoneum elegit ministrum 2Cor 1,3. 3,6. *novi testamenti, non solum littera, sed etiam spiritus modulamine laudem omnipotentis Dei pronuntiare et sanctorum suorum gloriam praesentibus posterisque seculis imitabilem verbo et scriptis praedicare. Uberrimus namque vestri cordis hortus, totius aquilonaris frigoris torpore perpulso, australis spiritus grata temperie afflatus, dulciflua stillavit aromata, quae, sui fragrantia longe lateque diffusa, odorem bonae vestrae opinionis ad nostram usque transfudere notitiam. Et licet tot terrarum spatia nobis aspectus vestri notitiam celaverint, tamen morum maturitas cordisque sinceritas ac piae mentis affectus ingeniique patet efficacia; et in hoc miranda omnipotentis Dei mortalibus praedicatur dispensatio, quoniam sunt homines super milia, quorum notitiam retinemus ex facie, sed nec modicam quidem intentionem cognoscimus ex corde. Vestri autem cordis arcana licet carne absentis quodammodo perspicimus, quoties beati patris nostri Modoaldi vita mellifluo tractatu nostris insonat auribus, et delectabilia vocis vestrae percipimus modulamina, quoties dulcisonam cantus eius melodiam sive concinimus*[a] *sive concinentes attendimus. Haec utraque luculenter digesta tantam super omnia aromata dulcedinem faucibus nostris indidere tantamque dilectionis plenitudinem cordibus nostris*[b] *infudere, ut nullius amaritudinis rancore valeant aboleri, nullius molestiae taedio evacuari. Pro talibus tantisque beneficiis iustissimum rati, omnimodis gratiarum praeconiis piae devotionis vestrae studio respondere, in nobis nihil laboribus vestris aequiparandum ex nobis sufficimus aestimare,* Cf 2Cor 3,5 *quoniam superant omnem facundiam laudis nostrae. Quapropter totis medullis conversi ad eum, qui ore vestro magnificatur et voce glorificatur nostroque licet exili famulatu honoratur, indefesse supplicamus, quatenus suis meritis ac precibus vobis pro gratiarum actione perennis gloriae coronam, pro mercede aeternae vitae beatitudinem apud Christum obtineat, cui procul dubio impenditur, quicquid sanctis suis obsequii*[c] *digne et laudabiliter exhibetur. Igitur quoniam*[d] *indagatione sufficienti nulla umquam abolitione delendam vestri notitiam tenemus, par est ut studio nostrae manus et linguae nos quoque ad vestri notitiam perducamur. Offerimus itaque vestrae beatitudini translationis beatissimi patris nostri Modoaldi libellum humili stylo digestum, vestrae dignationis sollertia corrigendum, vestra auctoritate corroborandum. Cuius*

a) *sic Sur.*; cernimus *Act. SS.* b) cordibus nostris *desunt Act. SS.* c) obsequi *Act. SS.* d) cum *Act. SS*

15) Quae sic proponit Mabillon l. l.: »In illis miraculis mentionem facit de duobus viris ab interitu servatis: *Dum enim*, inquit, *anno incarnationis dominicae* 1116 *fundamenta basilicae novae poneremus, quia ecclesia alia minus continens erat et multitudinem adventantium capere non poterat, subversioni ecclesiarum operam dedimus. Cum autem ecclesiam maiorem, quae cum tribus cryptis, maximis et quadratis lapidibus antiquitus exaedificata fuerat, destrueremus, nec non et ecclesiam sancti Petri, quae octoginta fratres in choro capere poterat, simul cum porticu lapidea, quae ei adhaerebat, a parte septemtrionis et a capite superioris ecclesiae usque ad extremitatem ecclesiae sancti Petri in longum protendebatur, in qua fratres ad processionem diebus sollemnibus egredi soliti erant et antiquitus Via sacra vocabatur, nec non et ecclesiam sanctae Mariae destrueremus; mira virtus omnipotentis Dei patefiebat. Inter tot quippe moles ruinarum et aedificiorum corruentium, beato Egidio interveniente et plebem fidelem defendente, numquam aliquis ingredientium et egredientium ecclesias ipsas lapidis unius ictu attaminatus est* etc. — Denique in illis sancti Egidii miraculum unum refertur de quodam Teutonico, ex Ciza civitate oriundo, qui ter suspensus, invocato sancto Egidio nihil mali passus est. Testis vir honestus *et per cuncta laudabilis Guirardus nomine, abbas monasterii sanctae Mariae, quod situm est in insula, quae Hedoa dicitur*«.

seriem indagantes cognoscetis de situ loci et exordio coenobii nostri, quam benigna et mirabili dispensatione Dei in prosperos successus convaluerit, quam devota piorum astipulatione in augmentum religionis excreverit. Patebit etiam, cuius occasionis eventu, pio dudum accensi desiderio larga omnipotentis Dei miseratione in tantam animi fiduciam simus promoti[a]*, ut pretiosissima sanctorum pignora, quae nulla auri vel argenti copia digne valerent comparari, pia importunitate postulata mereremur accipere. Quae condigna veneratione et honorificentia loco nostro illata diversis miraculorum signis divina glorificavit dignatio, ut liquido clareret cunctis, cuius meriti cuiusque magnificentiae sit eorum spiritus in caelis. In his omnibus agnitione nostra totiusque rei nostrae summa vobis sufficienter patefacta, pater reverendissime, sanctitatem vestram ad congratulandum nobis invitamus cum omni caritatis devotione,*
Psal 33,4. *affectu deprecatorio verbis utentes psalmistae: „Magnificate Dominum mecum et exaltate nomen eius in id ipsum.“ Hanc autem vestrae magnificationis seriem exigimus, ut sicut beati patris nostri Modoaldi nobilem prosapiam vitamque laudabilem luculento stylo digessistis, ita quoque translationis eius schedulam, ingenii vestri scalpello elimatam, per cavernas pii cordis vestri traducatis, quae impolitum quippiam vel admittere vel emittere nullatenus consuevere. In hoc igitur fraternae caritatis intuitu desiderio nostro satisfacite, ut sacrificium praeteriti operis, quod Christo per nos obtulistis, iam holocaustum fiat, et hostiae immaculatae*[b] *caudam medullatam, id est boni operis perfectionem auctoritate piae devotionis vestrae roboratam a vob[is]*[c]*, denuo omnipotenti Deo per omnia placabilem exhibeamus, grataterque susceptam hoc ordine recitandam teneamus.*

I. 1. Est oppidum in provincia Saxoniae, ex nomine primi sui ruris incolae[15] Helmwardeshusen dictum, quod per priscam traditionem hereditario iure cessit in gloriosi comitis
16 Ekkihardi[16] eiusque nobilissimae coniugis Mahthildae propriam possessionem. Hi natalium linea et seculari dignitate clari, sed et[d] morum probitate praecipui, in id infortunii lamentabiliter incidere, ut, excepto uno filio prima[e] aetate defuncto, totius sobolis privarentur successione. Quos omnipotens Deus, quia fructu ventris attenuavit, religionis foecunditate ditavit, et quanto minus sollicitabantur in augmento propaginis, eo largius insudabant studio divinae servitutis. Unde factum est, ut omni consanguineorum postposita posteritate, mundi salvatorem et eius piissimam genitricem necnon apostolorum principem heredes
1000. totius suae possessionis efficerent, ac in oppido praetitulato coenobium ordini monachico, condecens ipsorum honori et nomini, disponerent[17]. Quapropter idem vir illustris Ekkihardus Romam adiens, consilio et auctoritate venerabilis memoriae Silvestri papae, quidquid sui iuris possessionum erat, beato Petro apostolo tradidit, construendique coenobii licentiam et loci libertatem obtinuit. Adeptus est enim apostolici privilegii sanctione: ut nullus ibi constituere[f] vel ordinare praesumat abbatem, nisi secundum regulam et sanctorum patrum institutionem canonice electum; similiter advocatum non ex suis natalibus, sed quemcumque abbas et congregatio exposceret, constituendum; res etiam sui iuris acquisitas vel acquirendas perpetua libertate possidendas et ab omni servitute imperatorum, regum, vel quorumlibet potentum immunes.

2. Hac igitur paterfamilias auctoritate roboratus atque apostolica benedictione munitus prosperoque successu patriae redditus, decrevit intentionem sui desiderii Ottoni tertio imperatori patefacere, cum quo fuerat pro sui probitate proque fidelis servitii multiplicitate iam dudum nimia devinctus caritate. Supersunt hodieque in ornamentis ecclesiae signa, quod idem princeps huic dilecto suo — qui secum in expeditione Romana fideliter consi-
998. Apr. 29. stens, per longam diem pontem Tiberis valide cum suis expugnavit et contra fortissimum quemdam, immani corpore terribilem et procaci arrogantia maiestatem regiam inhonoran-
18 tem, viriliter congressus, caput eius amputatum sibi praesentavit[18] — regalia quaedam

a) sumus permoti *Act. SS.* b) medullatae *Act. SS.* c) roboratam, a nobis *Act. SS.* d) et *addidi.* e) prima *scripsi pro* trina. f) construere *Act. SS.*

15) Helmwardi. 16) Genus eius est incompertum; vid. Wenck Hess. Landesgesch. II, 969. 17) Monasterium Helmwardeshusanum teste Annal. Saxone SS. VI, 645 conditum a. 1000 est. 18) Apparet, Ekkehardo comiti, qui monasterium Helmwardeshusanum condidit, perperam hic attribui notum illud facinus Ekkehardi, Misniae marchionis, qui legitur in Thietmari chron. SS. III, 776, Iohannem Crescentium impugnare iussus, *domum Thiederici perdius et pernox lacessere non desistens, tandem per machinamenta ascendit et eundem decollatum voce imperatoria per pedes laqueo suspendit.* Cave autem, Ekkehardum utrumque putes eundem fuisse; cf. Wenck II, 972 n. h.

ornamenta sua ob insigne nobilis victoriae in praemium concessit. Cuius voto cognito admodum congratulatus, concessit ei auctoritate imperiali, quaecumque vidit apostolico testamento contineri: de cenobii videlicet constructione et loci libertate, de canonica abbatis electione et advocati substitutione, de omnimoda sui suorumque servitii immunitate, dans ei super his imperialis privilegii chartam, sigilli sui impressione ac propriae manus signo roboratam[19]. Hac duplici auctoritate pius provisor animatus, abbatem cum paucis fratribus suis praefecit omnibus, atque in Christi nomine fundamenta iaciens et ad prosperum effectum tendens, opus initiatum maturabat celerius. Sed Dei qua[a] ipse novit providentia disponente, fabrica se nondum dimidiante uterque constructor immatura praeventus est morte. Ad augmentum quoque lacrimabilis infortunii utrorumque propinqui, magnae scilicet potentiae viri, funebres illorum exuvias variaeque supellectilis reliquias plurima ex parte suis usibus vendicavere, nonnullas etiam praediorum curtes invadentes subtraxerunt ecclesiae. At rudis ecclesiae provisor, novellus abbas Haulfus[20], nullo annisu confidens tantis contraire potestatibus, quoniam nec facultas suppetebat interpellare auctoritatem apostolicam, sive maiestatem regiam, satius duxit sub silentii moderamine divinam postulari misericordiam.

3. Interea Menwercus[21] Paterbrunnensis episcopus, Ottone iam de medio facto, adiens 1017. Iul. 11.
regem, qui dicebatur Bavenbergensis Heinricus, paternae pietatis intuitu conquestus est: infra suae dioeceseos limites fratres pauperculos commanere, Romanae sedis ditioni subesse, niti esse quod non possent supplere, Dei misericordia et imperatoris egere: *Hos*, inquit, *cum loco si vestrae complacet maiestati meae committere tutelae et provisioni, procurabo obtentu gratiae vestrae et amore Dei, ut proficiant in augmentum divini servitii.* Adeptoque sub determinata sponsione fidei consensu imperiali, venit ad locum de disponendis inhabitantium causis ordinare; consideransque rerum tenuitatem, et monasticae religionis ordinem sub penuria vigere non posse, prudentum usus consilio, deliberavit meliori dispositione utilitati commanentium providere. Intenderat enim in castello sui iuris Warthberg[22] nomine coenobium monachorum aedificare; satiusque duxit, ut, compositis utriusque loci copiis suisque quoad viveret supplementis, hinc illuc omnium fieret translatio, sicque consultius utrorumque res perpetua vigerent stabilitate. Verum huic consilio non annuit divina dispositio. Unde praesul idem, nocturna visione graviuscule commonitus, ab intentione sua destitit quantocius.

4. Cuius concessionis et regiae permissionis occasione pontifices Paterbrunnensis ecclesiae locum hunc continent parochiali tuitione, quieti fratrum commanentium molestiae nil inferentes, abbatibus sibi regulariter electis virgam pastoralem seu consecrationem canonice largientes, a nemine sui iuris quidquam servitii exigentes, sed in omni causa eorum privilegiis imperialibus pie assentientes. Non enim ignorant, apostolico Silvestri papae, sub quo traditio ipsius loci cum omnibus redditibus suis beato Petro facta est, condempnatum esse anathemate, quicumque privilegium eius canonicum et synodale praesumpserit quoquo modo violare. Sed quoniam nullo proprii iuris sollicitabantur debito ad beneficia conferenda, locus idem per succedentes sibi episcopos multo tempore totius supplementi largitate neglectui est habitus, excepto quod abbates sibi substituti in augendis ecclesiae redditibus satagebant pro suis quique viribus. Et cum inhabitantes fratres frequenter angustiaret anxia rerum tenuitas, tamen nullo modo defervebat in eis amor religionis et regularis sedulitas, sed pauperes spiritu, suum credentes esse regnum caelorum, ibant Matth 5,13.
gradatim de virtute in virtutem. Cum hic fervor filiorum Dei longe lateque opinionem sui dilataret, plures Christi fideles, illorum accensi et animati exemplo, res huius ecclesiae suis coeperunt redditibus dilatare. Multi quoque aemulantes charismata meliora, modicum videri censebant, si tantummodo rebus suis renuntiarent, et praecepto instructi euangelico, credebant se non esse dignos Deo, nisi, renuntiantes sibimet ipsis, sub regula monachili circumferrent in[b] corpore suo semper mortificationem crucis Christi. 2Cor 4,10.

a) *an* quae? b) in *addidi*

19) Monasterio concessae a Silvestro II papa et Ottone III imperatore litterae leguntur non sine mendosis notis chronicis ap. Wenck II, Urk. p. 37. 39. 40. 20) Cf. catalogum primorum abbatum supra p. 284, n. 3. Accepit Haulfus diploma ab Heinrico II rege a. 1003, Mai. 7; Wenck II, Urk. p. 42. 21) Cf. Vit. Meinwerci SS. XI, 137 et diploma Heinrici II, ap. Schaten Annal. Pad. ad a. 1017. 22) Warburg. Cf. Vit. Meinwerci p. 113. 145.

1080. 5. Interea[a] Tietmarus, sextus huius coenobii a Deo electus abbas, multa praedecessorum
1081. suorum animatus industria, nichil patiebatur remissi ad supplenda ecclesiae suae negotia, vetustate et incuria pene semiruta restaurabat aedificia, et quod omnium creatori acceptius noverat, ad lucrandas Deo animas totum se impendebat[b]. Cui cum plura cederent pro voto, inspirante sibi magni consilii angelo, coepit maiore flagrare[c] desiderio, ut corpus alicuius martyris vel confessoris sibi largiri dignaretur divina miseratio, cuius se suaque omnia committeret speciali patrocinio. Pia[d] etiam consideratione perpendebat, se suosque ad hoc non sufficere, ut multiplicibus religiosorum votis condigna rependerent beneficia, nisi Deus sua subveniret gratia per sanctorum suorum suffragia. Quod ad obtinendum, quia credebat maius esse suis viribus, consilio cum spiritualibus communicato fratribus, deliberavit hoc a Deo quaerendum vigiliis et orationibus. Fratres igitur pio patris sui studio gaudentes et aures Omnipotentis crebris supplicationibus pulsantes, obsecrabant ut tam devotum pii pectoris desiderium ad dignum proveheret exitum. Quid multa? Dominus
Matth. 18, 19. Iesus, qui dixit in euangelio: *Si duo ex vobis consenserint de omni re, quam petierint, fiet illis*, ostendit, se interesse suorum fidelium unanimitati, et consilium ipsorum prospero mancipavit effectui[d]. Summa consilii a Deo directi[e] hoc sumpsit initium, ut super hoc negotio interpellarent aures et cor Brunonis, archiepiscopi sanctae ecclesiae Treverorum[23], quae privilegio sui principabatur[f] omnibus ecclesiis Galliarum, eo quod fundata a beato Petro apostolo sit ordine prima et dignitate praecipua multorumque sanctorum corporibus
24 gloriosa. Deinde visum est utile, arcanum huius negotii Paterbrunnensi episcopo[24] patefacere, cuius dioeceseos clauduntur limite, ut eius roborati consilio, licentia et auctoritate, cum suis litteris eius quoque epistolas deprecatorias dirigerent pro totius episcopii profectu et honore. Nec erat difficile, id apud episcopum obtinere fideles eius, quibus iam dudum religionis amore et plenae fraternitatis communione coniunctus, speciali fuerat caritate devinctus.

1105. 6. Abbas igitur cuncta sua moderans consulte, praemissis atque dispositis suis suorumque orationibus, utpote tantae viae tantique negotii comitibus, unum ex commilitonibus suis monachum cum epistolis pontificalibus suisque ac totius Paterbrunnensis ecclesiae direxit ad flectendam clementiam Treverensis archiepiscopi super[g] effectum huius spiritualis[h] negotii. Susceptis igitur et perlectis epistolis, pontifex venerabilis expavit primum novitatem tam inusitati tamque terribilis negotii; accersitisque[i] et consultis prioribus ecclesiae, nichil ab eis retulit certi, utpote exterritis et mirantibus, quemquam mortalium audere mente concipere, nedum opere adtemptare magnitudinem tam horrendae atque inauditae rei. Quapropter pius praesul, acceptis induciis, responsum[k] distulit, septemque diebus emensis denuo monitus, denuo consultis fratribus nichil effectus reperit, rursumque responsa dilatione protelavit[l]. Post haec decem et eo amplius interiectis diebus frater legatus, adiunctis tam religiosis monachis quam clericis fidelibus, quos orationum[m] et servitii futuri beneficiis sibi asciverat, rursum pontificem adiit et clementi importunitate, quanta uti ausus est, interpellavit, dilationem responsionis eius suae imputans negligentiae et insipientiae, nullumque quamvis despicabilem et abiectum legatum protestans esse repudiandum. Praeterea antistitis sui nobilitatem et ordinis dignitatem necnon abbatis venerandam sanctitatem proposuit: non contempnendas esse personas tantae reverentiae[n] tantaeque auctoritatis, decere dignitatem pontificalem honori suo convenientia responsa reddere supplicantibus. Huiusmodi orationibus[o] flexus piissimus pontifex, hilari vultu dulciflua usus est excusatione dicens: se in dilatione responsi nec propter stultitiam, utpote quae nulla esset, legati personam respuisse, nec aliquo contemptu dignitatem episcopi sive abbatis inhonorasse; timoris anxietate se vallatum esse, se tanti negotii, quod petebatur, ministerium expavisse; Herimannum, episcopum Mettensem, a sepulcro sancti Cle-
1090 Mai. 4. mentis, primi eiusdem urbis episcopi, quem transferebat, vix manibus deductum die tertia obisse[25]; se peccatorem, se indignum vitae suae periculum formidare; sanctum[p], qui

a) 2 *praebet rubricam:* De translatione brachii S. Auctoris; *tum pergit sic:* Tithmarus sextus Helmwardicensis ecclesie a Deo *cet.* b) superimpendebat 1. c) suspirare 1. d) Pia — effectui *desunt* 2. e) a Deo directi *desunt* 2. f) principatur 1. g) sic ut 1. h) specialis 2. i) accersitis quoque 1. k) rursum 1. l) rursumque — protelavit *desunt* 2. m) ordinum 1. n) dignitatis 1. o) Huiuscemodi oratione 1. p) sanctum, qui 1. sanctum Auctorem qui *perperam praebet* 2, *beatum Legontium enim ex cap.* 2 *liquet eo tempore postulatum esse.*

23) ab a. 1102 ad a. 1124; vid. Gesta Trev. SS. XI, 192. 198. 24) Heinrico II, qui rexit ecclesiam ab a. 1084 ad a. 1127. 25) Cf. Hugon. Flavin. chron. SS. VIII, 472 et Gesta epp. Mett. SS. X, 543.

petebatur, ante complures annos attemptatum, loco suo nec moveri potuisse, cespitem[a] 1105 super eum, ut putabatur pridie effossum, postero mane integrum et sanum reperisse; se sine suorum[b] consilio, quod non inveniebat, super hac re nil definire audere et ob hoc productioris temporis inducias habere velle. Hiis peroratis legato litteras excusatorias episcopo suo[c] deferendas contradidit et paria abbati viva voce referenda mandavit; non desperare de misericordia Dei, sed magis in hoc voluntatem Dei continuis precibus promereri monuit; et a se valedicens dimisit.

7. Qui sic dimissus angustiari nimium coepit et taedere, seque tanti itineris fatigationem frustra consumpsisse dolere, multumque laborem peccatis suis cassatum, reputans se indignum, se immeritum, cuius ministerio tale tantumque negotium omnipotens effectum ire[d] dignaretur. At pater omnipotens huius dolori condescendens et solitae pietatis aures fratrum suorum precibus accommodans, spe sua noluit eos frustrari[e], sed misericorditer et mirabiliter eis dignas et insperatas contulit[f] sanctorum reliquias: Ex sacrario beati Petri de baculo eius, rasuram clavi Domini panniculo involutam, de sandaliis sancti Andreae apostoli; Ex sacrario beati Eucharii de corpore beati Celsi episcopi; Ex sacrario beati Maximini de pallio et stola eius, brachium sancti Auctoris Trevirorum archiepiscopi, magnae sanctitatis viri.

8. Hiis missus praefatus nimium animatus et quasi de profunda moeroris et angustiarum voragine relevatus, reduces acceleravit gressus. Qui[g] post longa terrarum spatia dimensa tandem noti cespitis attigit confinia. Et quia diei sabbati hora iam praeterierat undecima, Mai. 13. ratum duxit cuiusdam fidelis viri clientis ecclesiae petere hospitia, directisque litteris ad claustrum abbati suo et fratribus intimavit, quanta secum de collato brachio beati Auctoris archiepiscopi divina operata sit clementia. Unde cunctis fratribus admodum exhilaratis, abbas ascenso equo cum[h] thymiamate et luminaribus ad salutandas sacrosanctas reliquias proficiscitur, deputatisque fratribus ad celebrandas tanto pontifici vigilias, domum revertitur. Deinde postquam illuxit crastina dies felix per secula, fratres feliciores futuri tanti Mai. 14. patris praesentia, dispositis populorum catervis, invicem se cohortantur ad suscipienda cum spiritualis apparatus gloria summi sacerdotis pignora. Baiulis vero nondum digressis ab hospitii liminibus, scholares pueri, praecedentes[i] cum vexillis et crucibus, deducunt sanctos cum letaniis et hymnis spiritualibus, iam tunc glorificante Deo sancti sui meritum inchoatis laudibus ex ore infantum. Deinde in itineris medio procedunt in vestibus albis clerici cum populo, nonnullas sanctorum reliquias gestantes in feretro, totoque corpore prostrati iuvenes et virgines, senes[k] cum iunioribus laudabant nomen Domini. Sicque procedentes ad vici medium ecce conspicantur militiae caelestis apparatum, agmina palliata monachorum, qui solotenus incurvati prima devoti cordis holocaustomata tanto libant pontifici: laeta videlicet suspiria gemituum cum dulcibus rivulis lacrimarum, quos nimii gaudii extorquebat affectus ex intimis eorum visceribus. Hinc laudibus impositis cum sollempni tripudio procedentes templi recipiuntur gremio, non minus populorum turbis[l] circumquaque concinentibus[m] et diversae aetatis confusa voce concrepantibus, ut iam in his prophetae compleretur vaticinium: *Omnis spiritus laudet Dominum.* Tanta igitur veneratione Psal. 150, 6. beati Auctoris archiepiscopi ceterorumque, quos praelibavimus, susceptae reliquiae sacrario templi sunt reconditae anno dominicae incarnationis 1105, indictione 12[n], pridie Idus Maii, die dominico, hora diei tertia, quando[o] sanctus Spiritus quondam discipulorum replevit corda.

9. Suscepto[p] itaque venerabiliter et decenti honorificentia locato brachio beati Auctoris Treverorum archiepiscopi in sacrario principis apostolorum quod est in[q] Helmwardeshusen, quod largitatis divinae dignatio mirabiliter et insperato ad ipsum direxit locum, diu noluit Deus occultari, quanti esset meriti apud eum, sed declaravit in mortuo membro corporis, quid eius sancta anima posset in caelis. Mulier[r] namque vidua pauper alimoniis ecclesiae alebatur[s], quae continui languoris laborabat incommodo. Haec subita paralysi percussa omnium membrorum dissolutionem tam valide incurrit, ut se nullo modo in latus alterum

a) cespitem — definire audere *desunt* 2. b) *sic scripsi pro* se suo suorumque. c) episcopo suo *desunt* 1. d) iri 2. e) frustrare 1. f) *pro* contulit — sanctitatis viri *haec praebet* 2: largitus est sanctorum reliquias, brachium scilicet beati Auctoris archiepiscopi Treverorum et alias quasdam particulas. g) cum 2. h) accenso cum 1. i) procedentes 1. k) senes *deest* 1. l) turmis 1. m) concinnentibus 1. n) immo 13. o) qua 1. p) *rubricam*. Item de brachio *praebet* 2. q) in *deest* 1. r) *rubrica* De brachio mulieris sanato *est in* 2. s) nutriebatur 1.

absque[a] ministrantis amminiculo convertere valeret, quin etiam ad augmentum miseriae pollicem sinistrae manus in volam recurvum quatuor digitorum continua stringebat reflexio, ipsumque brachium tanta dissolverat ariditas, ut penitus insensibile quasi lignum gestaret a collo dependens. Quae, sanctarum reliquiarum adventu comperto, divina visitatione medullitus tacta subito ad sessum erigitur, tunicaque postulata vestitur, et partim humeris suae procuratricis subvecta partim baculo sustentata, se obviam sanctuario tulit, fidenter asserens, eius se virtute ab assiduitate lectuli relevatam, seque beneficiis ipsius sancti salvandam. Deinde brachio sancti debilitatis eius locis contrectatis atque signatis, mox mirum in modum os torridum arentibus venis pristini vigorem humoris infudit, membrumque mortuum artus praemortuos vitalis spiritus officio animavit. Armentarius[b] quidam eiusdem vici, insensibili correptus languore, totius operis usui[c] corpus invalidum cibo frequenti alebat; sed membris inde nullo virium vigore proficientibus, lecto[d] debilis cubabat. Huius incommoditatis remedium explorans, se, quia liber erat, beato Auctori iure proprietatis contradidit atque recuperandae sospitatis gratia censum numismatis[e] se illi annuatim persolvere devovit. Nec distulit novus dominus novelli servi votis annuere, ut, indultis ad usus necessarios viribus, consuesceret non otiose fruges consumere, sed sedulo frugibus augendis operam dare. Mulier[f] quaedam praefati loci repentina aurium surditate percutitur et in sompnis commonetur, ut pro auditus recuperatione beato Auctori suas inaures deberet offerre. Quae facto mane iussis parere accelerat, oblatisque inauribus, sana domum repedat, seque solito inclamantibus non sine irrisoria increpatione, clare se 26 audire, pronuntiat. In[g] possessiuncula ecclesiae, Muthen[26] dicta, iuvenis quidam Sosaciensis[h] mane quodam de stratu[i] solito nitens surgere, tanta subito correptus est infirmitate, ut, oculis miserabiliter patentibus, oris hiatu terribili terrorem aspicientibus incuteret cum dolore. Mox ad monasterium curritur, sancti brachium defertur, aeger ex[k] eo cum fide benedicitur pristinaeque sospitati redditur. Huius[l] frater baiulos sanctarum reliquiarum hospitio susceperat, quibus et benigne ministraverat; cuius aedificia post haec ab hostibus succensa et penitus sunt conflagrata, solo granario eius incendium evadente, in 27 quo beati Auctoris pernoctaverant reliquiae. In[m] vico, qui Heyson[27] dicitur, quaedam mulier multa cum difficultate pariens tanto cibi sompnique fastidio corripitur, ut neutro uti commode praevalens per dies aliquot[n] pene ad extrema perduceretur. Quae suggerentibus amicis commonita, quanta Deus per sanctum Auctorem operaretur miracula, votum fideliter vovit, statimque sompno indulsit; hinc lente expergiscens, cibo postulato reficitur, taediumque in naturalem delectationem commutans, periculo mortis exuitur. In[o] eadem villa mulier quaedam, dolore capitis ingravescente, utriusque auris officium penitus amisit. Quae auditu vacua, sed fide plena, voto beato Auctori facto monasterium petiit, ubi tam celerrime tamque perfecte convaluit, ut quae sonum quantumcumque[p] sentire non poterat, deinceps tenuissimi susurri sibilum plenissime hauserit. In[q] praedicto vico puer parvulus miserabilis languoris morbo aegrotabat. Interdum enim quasi exanimis procumbens singultus varios emittebat, interdum quasi sanus incedebat, interdum vero voce penitus intercidente[r], apertis oculis et hianti ore nullius halitus spiramen trahebat. Cuius parentes inter continui doloris anxietatem nomine beati Auctoris comperto votoque reddito, tam plenissima filii sui sunt validitate[s] exhilarati, ut cuius solam mortem prius prae nimietate taedii desiderabant, eius vitam paterna dulcedine amplecterentur et foverent. In[t] oppido monasterii[u] piscatoris cuiusdam filia parvula inflatione miserabili ventris translucidi gravabatur, ceterisque membris cum facie inedia et pallore squalentibus, oculorum rotatu moribundo pene omnem vitalis spei certitudinem infelicibus parentibus ademerat. Qui nomen ignorantes sancti, ex adventu brachii personam ignotam inclamant; vota vovent, ut eius

a) sine 1. b) *rubrica*: De quodam infirmo sanato *in* 2. c) usui *scripsi pro* usu. d) lectulo 1. e) nummismatum 2. f) *rubricam*: De surda muliere *addit* 2. g) *rubricam*: De quodam infirmo sanato *addit* 2. h) Susaliensis 1. i) de stratu *desunt* 1. k) ab 2. l) De quodam ab igne liberato *addit rubricam* 2. m) *rubrica*: De muliere pariente 2. n) aliquot *deest* 1. o) De surda muliere *rubrica* 2. p) quantuscunque foret 2. q) De puero infirmo *rubricam dat* 2. r) intercedente 1. s) valetudine 1. t) *rubricam*: De puella sanata *offert* 2. u) Monasterii 1.

26) Dicitur infra in Miracul. sancti Modoaldi c. 1. »villa monasterio contigua«; eius decuma asseritur monasterio in Coelestini III. bulla ap. Wenck II, Urk. p. 122; memoratur etiam in monasterii indice donationum ibid. p. 72. 27) Forsitan *Eissen*, villa a monasterio miliaria fere tria distans occasum versus.

ope misellula filia si sit possibile melioretur, sin autem, finem tantis imponens cruciatibus viam universae carnis ingrediatur. Hiis peroratis, umbilicus puellae mirabiliter rumpitur, nimioque impetu effluente sanie, vigor vitalis reparatur, quia pondus mortiferum evacuatur. Hoc viso, parentes immensis laudibus virtutis huius ministrum extulere animoque alacriori et filiam recepere et taedii fatigationem amisere. In[a] villula ecclesiae Windilisheim[b, 28] dicta infantula vix biennis assidua quatiebatur aegritudine, adeo ut lactis victualia penitus spernens noctes diesque insompnes duceret et interdum moribunda specie, articulis obrigescentibus, doloris assiduitate languida matris viscera cruciaret. Quae tandem fide plena spem adipiscendae salutis eius concipiens, monasterii cum eadem petiit limina sancti Auctoris efflagitando suffragia, aedituoque consulto, aegra sancti brachio benedicitur, moxque resumpto spiritu matris petit ubera, lactatur et dormit domumque refertur sana. In[c] contubernio monasterii mulier quaedam mente et habitu speciem praetendens religionis manebat, quae ab aedituo pannum optimum lavandum susceperat, quem furto sublatum perdidit. Quo comperto, mox monasterium ingreditur, beato Auctori conqueritur filumque argenteum pro voto[d] spondet. Inde exiens protinus indicia furti deprehendit, personamque suspicabilem conveniens culpam reperit. Exactione facta, quod perdiderat recepit, sanctoque provisori grates cum voto reddidit. Vir[e] quidam de pago Westfalorum[f] capitis dolore vehementi lumine orbatus est oculorum, tibiaque eius altera cancri correpta ulcere, gradiendi penitus amisit officium. Is in una noctium beati Auctoris fideliter invocato nomine, miserationis eius insensibili curatus est medicamine, veniensque ad coenobium filum obtulit argenteum cum gratiarum actione, quod[g] pro suae salutis voverat recuperatione. Haec et his similia miraculorum signa omnipotens Deus idcirco fieri disponit per sancti confessoris sui merita, ut liquido declaret, quantum remedii animabus in aeternum victuris obtinere praevalet in caelis cum Christo feliciter vivens eius anima, cum corporibus morituris eius os mortuum tot praestare possit beneficia[h].

10. Anno dominicae incarnationis millesimo centesimo sexto, indictione decima quarta, II.
condicta est synodus in partibus Italiae[29] a venerabili Paschale Romanae sedis prae- 1106.
sule, agenda de statu et de diversis utilitatibus catholicae ecclesiae atque concordia regni et sacerdotii, quorum dissidentia multo convaluerat tempore non sine periculo multorum corporis et animae. Ad quam invitati confluebant ex diversis partibus orbis archiepiscopi, episcopi, abbates et cum catholicis monachis religiosi clerici, regnorumque proceres seculares, et diversarum potestatum administratorii[i] cum clientibus et innumera manu populi.

11. Unde contigit, Tietmarum Helmwardicensem, per duos legatos apostolici nominatim vocatum, comitante monacho suo, cum ceteris agere iter, et insperato Treverorum archiepiscopo cum aliis legatis Romanorum regis[30] in civitate Basilea obviare. Quem conveniens 30
et ab eo decentissime susceptus commonuit legationis suae suique episcopi, eidem ferme ante duos annos per praesentem monachum suum transmissis, pro exorando et obtinendo corpore beati Legontii[31], archiepiscopi sedis suae, videlicet Treverensis ecclesiae. Repli- 31
cabat etiam eadem, quae tunc scripto mandaverat, nunc quoque viva voce humilique suggestione: necessitatem et causam devotionemque tam spiritualis desiderii sui, intentionem et studium sui suorumque servitii, ornatum in varia operositate picturae diversaeque suppellectilis sui monasterii, praestolationem diutinam et ob hoc desideria monachorum clericorumque ac promiscui sexus et aetatis populi; decere dignitatem episcopalem id efficere, ne tot tantique filii ecclesiae sua frustrarentur expectatione. Additi sunt huic petitioni vir venerabilis Herimannus comes, necnon religiosi clerici Reinhardus, postea Halverstadensis episcopus[32], Adelgozus, sequenti anno Parthenopolitanus archiepiscopus factus[33], ceterique legati regis et eius viae comites, eadem protestantes eademque saepius ingeminantes, nec

a) De puella *rubrica habetur in* 2. b) Windelesheim 1. c) *rubricam:* De furto invento *praestat* 2. d) pro voto *desunt* 2. e) De capitis dolore et ceco *rubrica* 2. f) Westphalorum 1. g) quem 2. h) Expliciunt miracula *addit* 2. i) *rectius* administratores.

28) seu Windelsen, Windelessen, cuius fit mentio et in Coelestini III bulla et in donationum indice l. l. Cf. Landau Beschr. der wüsten Ortschaften p. 26. 29) Cf. Paschalis II epistolam ap. Eccard Corp. hist. II, 259, qua Ruthardus archiep. Moguntinus invitatur ad concilium, *Octobribus Idibus citra Alpes* agendum. 30) Heinrici V. 31) V. Gesta Trevir. SS. VIII, 158. 32) consecratus die 31. m. Mart. a. 1107. V. Annal. Sax. 1107, SS VI, 745. 33) Cf. Annal. Sax. 1107, p. 746.

1106 posse sanctum quempiam alicubi decentius honorabiliusque concedi seu locari sub obtentu amplioris divini servitii, confirmantes.

Oct. 23 12. In loco etiam habitae synodi[34] sollicitatur assensu et consilio archiepiscopi Saltzbur- Oct. 21 gensis Conrardi, religione nobilitate et sapientia praediti, et ante triduum[35] ab ipso apostolico ordinati, dicentis, eum in hoc consulte agere, seque dignum ducere ratumque sentire, si ob incrementum honoris et gloriae, ob augmentum servitii venerationis et reverentiae sanctorum, de loco ad locum transferantur et destinentur reliquiae. Simili etiam movetur assensu et consilio a suis clericis religiosis et sapientibus et nonnullis laicis fidelibus, secum in navi a Papia usque Placentiam in flumine Pado proficiscentibus, saepeque non esse necesse formidare divinam animadversionem seu sanctorum offensam ob hoc incurrere protestantibus, si devotioni et necessitati fidelium consuleret in largiendis eis quibus abundaret sanctorum corporibus. Haec omnia praesul reverendissimus in trutina cordis sui librans et subtili consilio secum pertractans vimque verborum et in his veritatem considerans, monet omnem huius negotii causam Deo committendam eiusque voluntatem et dispositionem omnimodis implorandam, spondetque se abbati cum caritate responsurum, si vita comite revertatur in patriam. Deinde se ipsius abbatis suorumque commendans orationibus cum omni humilitate, spemque se adeundi seque procul dubio movendi promittens fidentissimam, datis osculis dimisit in pace.

13. Abbas igitur his, pro quibus synodum adierat, ordinatis, necnon gratia et benedictione apostolicis munitus et de promissione archiepiscopi certus, in patriam redit laetissimus, omnia, quae visa, quae dicta quaeque audita fuerant, suis annuntians fratribus. Cum quibus etiam diu intermissi desiderii negotium denuo coepit ventilare, necnon eventum[a] archiepiscopi ac ceterorum eius comitum, in sua postulatione assensu et consultu concordantium, insinuare. Beati quoque Auctoris insperatum adventum eiusque signis attestantibus meritum coepit replicare et in his viscera divinae pietatis, sibi suoque loco ac suis omnibus impensa, considerare. *Quapropter*, ait, *cum omnipotens Deus tanta largitatis suae beneficia nobis indignis ministret, omnium nostrum indefessa sollertia continuis orationibus, vigiliis, necnon ieiuniis apud eius misericordiam obtineat, ut quod in nobis coepit bonum, a templo sancto suo, quod est in Hierusalem caelesti, confirmet atque perficiat, nostrumque negotium erga desiderium beati Legontii compleat, et viam nostram praecedente et comitante gratia sua ad id peragendum prospere solita pietate dirigat.* Huiusmodi exhortatione suos omnes promptos atque unanimes reddidit, ipseque in capite quasi bonus signifer, ut eo liberius ad imitandum se reliquos animaret, spiritualibus exercitiis supra vires suas instituit, sicut sapientissimus Seneca optimos bellatorum magistros instruens ait: *Participatus cum duce labor persuadetur militibus minor.*

1107. 14. Deinde mensibus fere tribus orationibus et lacrimis publice privatimque multiplicatis, Mart. 25. 8. Kalend. Aprilis, indicto communiter triduano ieiunio cum missarum supplicationibus, et prius fratrum benedictione suscepta, proficiscitur cum duobus monachis; prosperoque Apr. 4. itinere quinta feria, quae praecedebat dominicam palmarum, moenia suspiciuntur[b] Treverensis urbis; statimque toto corpore solo prostratus, cum omni reverentia sanctos parentes pro commissis exorat excessibus; utque sibi viae prosperitatem et sui desiderii effectum concedere dignentur, lacrimosis interpellat precibus. Utque devotius eorum implorare queat suffragia, cum spiritualibus exercet nudipedalia, atque confragosos scopulos et itineris anomalos anfractus magis, ut ita dicam, reptans quam incedens non sine terroris multique sudoris angustia circuibat per longa duo miliaria. Transmissoque Mosellae alveo 36 per pontem inclitum[36], beati Petri principis apostolorum, qui ibi praecipua colitur devotione[c], petiit oratorii domum; postque suorum recordationem peccatorum cum omni cordis contritione ipsius implorat suffragium. Imploratis etiam in hunc modum praesentium inibi sanctorum auxiliis, sepulcrum petiit beati Simeonis, eoque exorato super negotio suo et desiderio, apud Sanctum Maximinum proficiscitur, illic suscipiendus hospitio, quod poposcerat paulo ante praemisso legato. Cuius adventu comperto, venerabilis abbas Berrengozus[37] nomine, eiusque praepositus Arnulphus dignae memoriae, cum omni veneratione

a) *an* consensum? b) suspicantur *A. SS.* c) devotione *est ab Henschenio additum.*

34) Guastallae. 35) die 21. m. Oct.; vid. Ekkehardi chron. 1106, SS. VI, 240 et Gesta archiep. Salisb. SS. XI, 41. 36) De ponte haud procul a »porta Inclita« in Mosella facto cf. Gesta Trev. SS. VIII, 132. 37) Berengozus praefuit abbatiae ab a. 1105 ad a. 1125; v. Hontheim Prodr. II, 1016.

susceperunt eum, et adiuncta fratrum communi congregatione, dataque consuetudinaria 1107. benedictione, ministrabant ei in quantum voluntas suppetebat pro tempore.

15. Deinde sabbato, quod praecedebat dominicam palmarum, admissus coram archi- April. 6 episcopo honorificentissime suscipitur, eiusque negotium cum primatibus totius episcopii, postera die convenire debentibus, tractandum pie procrastinatur. Illucescente demum die dominico, hora prima congregatis ad benedictionem palmarum omnium congregationum Apr. 7. prioribus, archiepiscopo pronuntiante, causa intimatur. Res, velut inaudita et inusitata, primum ab omnibus expavescitur, seque invicem respicientibus et quid responderent haesitantibus, admirationi omnium habetur. At archidiaconus, vir totius honestatis et religionis Godefridus, idemque decanus Sancti Petri[36], cuius erat officii prima responsa reddere, solvit 36 silentium sic emissa voce: *Intelleximus*, inquit, *et incunctanter comperimus, abbatem praesentem, virum venerabilem, magna quidem sed iusta et, ut remur, Deo placita omnique mundo profutura postulare; et ad hoc*[a] *impetrandum se suosque ieiuniis et orationibus, vigiliis ac elemosinis aptasse, quae digna et utilia talique negotio necessaria probantur existere. Nec dignum ducimus tam spiritali desiderio et divinae dispositioni si est penitus contradicere, praesertim cum multo iam tempore, nunc per litteras et legatos, nunc per semet ipsum ad hoc obtinendum constet eum elaborasse. Verum nos ad haec contrectanda et exponenda omnino indigni, quoniam tam sancto ministerio interesse sumus omnimodis imparati, restat ut, nobis induciis concessis, conscientiae nostrae scrutemur secreta; idcircoque communiter triduano ieiunio ad Deum in caelis corda nostra leventur cum manibus, ut in hac piae devotionis actione illis quodammodo pares fieri satagamus, qui nequimus per omnia. Haec quidem fecisse iam debueramus, sed ignorantia tam subitae tamque insperatae rei non praevideramus. Ad haec exequenda nos summa cogit necessitas. Quae si intermittamus et ultro nos illicitis ingeramus, grandis videtur temeritas, ne, dum aliorum saluti inconsulte conamur providere, sanctorum incurramus offensam et aequissimi iudicis Dei offendamus gratiam. Abbas interim, susceptis caritatis gratia aliquorum sanctorum pignoribus, in sua cum comitibus suis se recipiat, nobisque post haec commode ad respondendum suoque desiderio satisfaciendum paratis, redeat, aut certe idoneos et spiritales nuntios, qui vicem eius suppleant, mittat.*

16. His auditis abbas cum suis mente nimium consternati et quasi emissis sagittis praecordialiter vulnerati, primo obriguerunt; moxque recollecto spiritu, constanter archiepiscopo cunctoque coetui responderunt: *Pater reverendissime, perpendat excellentia nobilitatis vestrae labores et angustias exiguitatis nostrae, sumptus quos impendimus veniendo et hic manendo supra vires facultatis nostrae, intercapedinem prolixioris viae, nec quemquam nisi in diebus pacis uspiam progredi audere, quodque nos potissimum coarctat, incertitudinem vitae nostrae et vestrae. Nec velitis, quod sacerdotii vestri diebus Omnipotens per vos disposuit agendum, in alterum differre; praesertim cum hortetur apostolus nos, dum tempus habemus* Gal. 6, 10 *operari bonum ad omnes. Siquidem de ieiuniis et elemosinis, vigiliis et orationibus agitur, nec, nisi praemissis his, negotium nostrum ad praesens valet terminari, restant septem dies proximi ad id exequendum, excellentiores et aptiores tempore totius anni, in quibus ad haec exercitia quicumque non valet commoveri, aut vix aut nullo modo provocabitur in omni decursu temporis aestivi. Nec enim Omnipotens coacti ieiunii seu invitae orationis diuturnitate pascitur, qui magis pio voluntatis bonae studio in brevi tempore delectatur. Disponat ergo pietas vestra, quidquid super hoc agendum est, exerceri in his diebus salutis et in hoc acceptabili tempore; nosque finem illorum praestolabimur promptissime, ut qui coepimus impensas erogare, non duobus sed uno expendamus tempore. Nec enim aliud tempus aptius vel decentius est, quam his sanctis diebus sancta tractari, et religiosi viri, qui iam Deo vixerunt non sibi, per hanc qua-* cf. Rom. 14, 7 8. *dragesimae observationem purificati, devotius quam alio tempore hoc omne, quod postulamus et indigemus, praevalent exequi.*

17. His consequenter peroratis et longo silentio communem consensum prodentibus cunctis, domnus archiepiscopus, praesente abbate Prumiensi[37] et in omnibus consultum 37 et consensum abbatis negotio praebente, qui ad visitanda sacra loca casu venerat tunc temporis, silentium omnium huiusmodi solvit verbis: *Iustis executionibus fidem praebere non est peccare. Itaque quoniam ego ex praecepto regali ad comitatum cogor proficisci, nec vacat*

a) hoc *addidi*.

36) Anno 1124 factus archiepiscopus Trevirensis, ob simoniam deiectus a. 1127 est, v. Gest. Treverensium SS. VIII, 174. 198. 200. 37) Wulframno, cf. infra cap. 4.

1107. Apr 7. *nunc definire sententiam huius negotii, crastino huc omnes conveniatis, mea vice prima hora diei super hac re tractaturi finemque deliberaturi; sciatisque, consensum meum in hoc esse, ut dispositio Dei sanctorumque horum fiat in abbatis voluntate. Quodsi forsitan beatus Legontius, pro quo res agitur, eventu sibi, ut audivimus, olim consuetudinario inveniri non valeat nec velit, omnino non est a nobis culpanda seu iudicanda haec occulta Dei dispositio. Vos autem virum tantae auctoritatis nullo modo vacuum aut tristem redire patiamini, sed ei patronum sanctum et probatum procuretis ex sacrario beati Paulini.*

18. His dictis et benedictione ramis palmarum imposita necnon processione, quae sub caelo nusquam hac die decentius et honorificentius agitur, disposita, post longos circuitus ordinem sui sermonis ad populum exorsus est in basilica beati Maximini confessoris. Digestisque convenienter nonnullis ad tantae diei mysterium pertinentibus, iam determinato sermone sic intulit coram omnibus: *Venit*, inquit, *ad nos servus Dei fidelis quidam abbas de Saxonia, sanctorum expetens patrocinia, sibique donari deposcens unius nominati sancti praesulis, et domini quondam nostri, pignora, cui satis condecens aptavit monasterium et cetera eius honori divinoque famulatui congruentia. Quae quoniam magna sunt et supra vires meas, nec valeo solus tanti negotii pondus adtemptare, vobis omnibus notifico, qui filii estis ecclesiae nostrae et quorum consultu omnia mea divina et humana consuevi disponere, protestans in hoc divinae dispositioni vestroque consensui voluntatem meam concordare, si placet ipsi sancto se transferendum illi manifestare.* Illis vero aequanimiter et benigne respondentibus et voluntatem Dei fieri super hoc imprecantibus, domnus archiepiscopus, ab abbate sua suorumque societate et fraternitate sibi suisque omnibus percepta et illi sua suarumque congregationum inviolabiliter concessa, sicut petebatur, profectus est ad curiam, monens, postero die praestolari, ex consilio et consensu suorum primatum sicut ordinaverat, voluntatem divinam.

April. 8 19. Nocte igitur sequente in divinis laudibus consummata, illucescente diei sequentis aurora, abbas cum suis celebrat missarum sollempnia; finitisque orationibus congruis et tantae expectationi necessariis, indictoque etiam singulariter sibi suisque triduano ieiunio, principis apostolorum adiit limina, super hac spe sua ambigua ipsius imploraturus suffragia. Statimque convenientibus episcopis, abbatibus, praepositis atque decanis et prioribus ceteris, adiuncto etiam abbate Sancti Maximini, qui erat regiae ditionis, mediante gratia Dei subito factus est unus omnium consensus, una concordia piae voluntatis dicentium, non decere diutius protelare viros tantae reverentiae tantaeque gravitatis, non debere contradici desiderio negotii spiritalis, magis expediendam esse divinam voluntatem in effectum bonae actionis. Accersitoque abbate cum suis monachis, assensum concordiamque suam fatentur ad hoc usque perductam, ut eius velint voluntati satisfacere, sanctumque quem postulabant investigandi copiam concedere, repertusque ut exponatur et transferatur, cum debita tanto pontifici reverentia et devotione se communiter interesse velle; monentque, non id ulterius differendum, sed esse maturius inchoandum. His peroratis, fraternitatem et societatem pridie archiepiscopo concessam et ab eo susceptam in conventu suo censuerunt iterandam eamque ad succedentis[a] posteritatis memoriam scripto confirmandam et perpetualiter stabiliendam. At abbas ad rependendas condignas grates eorum piae responsioni cum suis in terram prono curvatur corpore, dataque et suscepta, sicut postulabant, fraternitate, orat, ut precum suarum suffragiis ei dignentur astipulare, quatenus is, qui est initium et finis, eius negotii initium finemque dignetur prosperare.

20. Hiis ita gestis, surgentibus cunctis, abbas Sancti Martini praecedit cum decano et aedituo Sancti Paulini ad insinuandum certius, ut credebant, locum effodiendi diu desiderati thesauri. Quo conspecto, abbas cum suis hospitium repetit, postulatisque sarculis et fossoriis necnon ferculis, huic operi necessariis, et conductis operariis in hoc officio peritis, suos ad condictum locum remisit; ipse cum fidelibus monachis et religiosis clericis cryptam sanctorum Paulini, Thyrsi atque Palmatii sociorumque eorum corporibus repletam, septem psalmos cantando intravit. Quorum cum suspiriis et lacrimis ex intimo corde suffragiis imploratis, egreditur ad locum cum letania et cruce, praecedente aqua benedicta cum odore thymiamatis; orationibusque praemissis, ipse abbas praecinctus terram sarculo primus aperuit, pauperibus interim elemosinarum largitione laetificatis. Deinde aliis atque aliis succedentibus et terram hinc inde viriliter iactantibus, multisque promiscui sexus et aetatis

a) succedendae *A. SS.*

ad hoc spectaculum confluentibus atque divinum auxilium illis affore precantibus[a]. optabant [1107. April. 8.] et asserebant plerique, non esse diu laborandum, sed quantocius votis cum prosperitate potiendum. Quod, heu, longe aliter eventus rei monstravit affuturum. Nam per totum diem multo conamine est laboratum nichilque certi repertum, sed nec sepulcri alicuius apparuit vestigium; omnisque spei eventus differebatur in crastinum. At clerici iuniores laborantibus condolentes, ultro se accingunt operi et per totam noctem laborant fodientes, abbate in vanum usque mane cum suis pernoctante. In noctis vero medio duo quidem sarcophaga aperiebantur, sed in eis nichil certi indicii continebatur, quo designari deberet is qui quaerebatur.

21. Deinde hymnis matutinalibus expletis et facto mane redeuntibus operariis, aliisque [April. 9.] superlocatis, abbas cum suis ad consueta sanctorum recurrit suffragia, missisque celebratis et orationibus superadditis, ad locum rediit, aliqua voti sui comprehendere desiderans indicia. Sed nullo ambigui timoris adhuc reperto levamine, denuo suscepit Deum interpellare, et quoniam, sicut ait scriptura, desideranti et amanti non sufficit semel quaesisse aut respexisse. rursum venit, ivit et rediit et trepidanti pectore curiosis oculis saepius perlustravit. In hac animi fluctuatione huius quoque diei ad usque descensum producto labore, abbas cum suis nimium fatigabatur, animoque et viribus nimium consternabatur; sed quia prudens erat et nimium discretus, adhuc[b] aliquantula recuperandi spe regebatur. Quocirca suorum usus consilio, nondum censuit cessandum esse ab incepto, sed in crastino universa loca perscrutanda, in quibus secundum opinionem diversorum investiganda foret aliqua existimatio.

22. Fessis deinde membris modica quiete recreatis, post matutinalem synaxim postque[c] crepusculum quartae feriae, libato mysterio nostrae redemptionis, post orationem vel psal- [Apr. 10.] modiam congrui temporis solito temperius insistitur labori coepti operis. Animabat enim et incitabat ostensio diversa multorum, se nonnullos febricitantes aliisque incommodis laborantes in illis et in illis locis sanitates adeptos esse protestantium, lucernas etiam accensas fidelium manibus die ac nocte et non vento et aliqua aura donec consumerentur penitus exstingui valentes se vidisse asserentium, necnon luminaria intempestae noctis silentio caelitus emissa in ipsis locis lucentia se frequenter comperisse dicentium. Quapropter in horto loco illi contiguo, impetrata fodiendi licentia a clerico cuius erat iuris, circumquaque omnibus temptabatur industriis, si forsitan alicubi supplicibus suis dignaretur Omnipotens manifestare munus suae largitatis. In priori enim fossura sex sunt virorum, mulierum et infantum aperta sarcophaga[d], in horto tria, item iuxta sepem ipsius horti tria; in quibus omnibus nullo pontificalis infulae reperto indicio, abbatem suosque intolerabilis animi gravabat passio. Pallebant ieiuniis, vigiliis nimiisque angustiis confectae facies, doloribus nimiis languida viscera quatientibus, membra debilia quaedam subitaneae dissolutionis occupabat effigies; superciliis acedia contractis, sanguineos oculorum orbes moribunda premebat species, totumque corporis habitum horror quidam et tremor gravabat per vices. *Iam*, ut ait quidam ipsorum, *in nobis, heu, completur, quod in Machabaeorum libro* [2 Mac. 3,16.] *continetur: quod quicumque vultum principis sacerdotum contemplabatur, mente vulnerabatur.* Erat enim intolerabilis miseria, videre virum tantae religionis et reverentiae, totius spei pene exhaustum fiducia, ita ut revera clamare posset cum propheta: *Cor meum conturba-* [Psal. 37,11.] *tum est, dereliquit me virtus mea et lumen oculorum meorum non est mecum.* Sed et hoc vir idem patientissimus ad relevandum suos, in quantum possibile fuerat, admodum dissimulabat, sed undique interiorem animi dolorem prodentibus indiciis celare non poterat. Quapropter suis peculiaribus secreto seorsim asumptis, his usus est alloquiis: *Venimus*, inquit, *ad haec loca, dilectissimi, spe nimium animati multaque fiducia roborati; sed vereor ne videamur utroque frustrari. Geminum nobis erat negotium, apud homines unum, apud Deum alterum; de quorum uno ambigue formidabamus, de altero nil dubitabamus. Sed haec versa vice multo secus quam aestimabamus processerunt, dum id prospere quod dubitabamus advenerit, et quod fidenter sperabamus Deus a nobis subtraxit.* Et alia perplura contestans, tandem intulit: *Et quoniam beatus Legontius, cui nos humillime devovimus, nec nostris miseriis flectitur nec laboribus movetur nec servitii nostri devotione delectatur, quemcumque divina largitas suis supplicibus in eius loco subrogare dignabitur, pari honore et reverentia ex intimo corde a nobis suscipiatur, parque cultus et veneratio eius dominationi in omni famulatu ab omnibus*

a) precabantur *A. SS.* b) adhaec *A. SS.* c) postquam *A. SS.* d) sarcophago *A. SS.*

1107. Apr. 10. *nobis exhibeatur.* Huius sermonis dulcedine relevati tanti patris filii et de voragine tam profundi moeroris manu piae consolationis abstracti et quasi iam adepto patrono exhilarati, totius laboris et angustiae sarcinam deponentes, solummodo tractabant de celebratione vigiliarum instantis sollempnitatis coenae Domini et ordine divini servitii.

III. Apr. 11. 23. Sequentis vero diei facto mane abbas cum suis cacumen vicini montis conscendit, invitatus illuc a duabus Deo devotis feminis, illic in ecclesia beatae Mariae inclusis. Ibi consolatione et exhortatione alterutro impensa, suscepit ab eis sancti Beati confessoris pignora, videlicet dentem eius et partem costae, quam ipsae levaverant manibus suis de sarcophago eius ante altare eiusdem ecclesiae posito. Peractis deinde cum laetitia spiritali tantae diei sollempniis, corporibusque post diutinam ieiuniorum inediam refectis, abbas adiuncto praeposito Sancti Maximini, cum suis basilicam sancti Paulini petiit, convocatisque cum decano nonnullis priorum ecclesiae, primitus aerumnarum suarum ordinem et multimodi laboris graviter quassati seriem replicavit et sic protinus intulit: *Quoniam monente sancta scriptura, moestis solamen iubemur impendere, decet*[a] *hoc potissimum spiritales spiritalibus exhibere, quoniam ex capacitate et scientia litterarum excusationem non habent ignorantiae. Quocirca moveat vos nostra intolerabilis, cui condescendendo et miserando interfuistis, tribulatio; et quia nota vobis est, inquantum patientis et compatientis notari potest discretio, eo largior fiat per vos in nobis vestra miseratio et relevatio. Iam enim tempus est, ut liquido declaretis, si caritatis intuitu miseriis nostris praecordialem compassionem impendistis. Recolite igitur, benignissimus pontifex quanta nos pietate susceperit, quanta benignitate dimiserit, quanta spe et fiducia, si quod sperabamus non contingeret, animarit; quod sic, heu, evenisse, rerum exitus comprobavit. Spopondit enim et mandavit nobis in vestra praesentia, pulsa omni ambiguitate, patronum dignum et sanctum pontificem a vobis expetere. Quod et facimus omni cum humilitate et devotione nostri famulatus et iugis orationis id promereri desiderantes sponsione; et quid ad haec vobis animo sedeat, indicate.*

24. At illi primum ambiguos circuitus offerre molientes, evadere temptabant; sed constantiam abbatis in exactione considerantes, et deliberationem eius rursus episcopum adeundi et super hac re denuo interpellandi perpendentes, secreto inter se conferendi gratia in partem secedebant. Nec multum collatione producta rediere, postulantique benigne respondere: *Sicut prosecuti estis, rei seriem processisse profitemur. Vestro labore flectimur, vestris angustiis movemur, ac orationum vestrarum spiritaliumque beneficiorum impensione delectamur; nec vos diutius suspensos ambiguitate iactari patimur. Ideo vestrae voluntatis desiderio satisfacere non cunctamur. Crastina igitur die, secretiorem horam nobis procurantibus et nobis nuntio vobis intimantibus, venietis; et ex auctoritate domini nostri praesulis trium sanctorum corporum optio dabitur vobis, videlicet Modoaldi, Abrunculi*[38], *Bonosi*[39], *pontificum huius Treverensis urbis. Quod*[b] *tamen fatemur Deo praesente, qui est inspector conscientiae nostrae, quoniam, si salva gratia praesulis nostri vestraque fas esset contradicere, quantum ad nostrum spectat arbitrium, nulli hominum vellemus concedere.* At abbas cum suis ex cordis abundantia laeta ducens suspiria, pronisque luminibus atque cervice suppliciter inclinata: *A Deo*, inquit, *vobis retributionis rependatur gratia, quo mediante mentesque vestras disponente, hac nos laetificastis consolatione.* His deinde valedictis claustrum sancti Maximini laetissimus ingreditur.

25. Post haec dominica coena spiritali iucunditate celebrata et post modicam fatigati corporis quietem matutinalibus hymnis sollempniter expletis, dies illabitur terris, monetque suos Apr. 12. abbas communicandum passionibus dominicis, ut participes fieri mererentur eius futurae consolationis et laetissimae resurrectionis. Statim, terra licet acutissimo gelu crispata, nudis pedibus prodeunt cum psalmodia sanctorum perlustrando implorare patrocinia, certoque tramite repetentes ecclesiam sancti Maximini, psalterium illic cum orationibus congruis terminavere. Completisque in diurnali synaxi his quae competebant eo tempore, pene iam fatigati ad hospitium rediere; accersitoque venerabilis memoriae sibique fidissimo supra notato Arnulpho praeposito, de singulis sanctorum meritis, quorum eis data fuerat optio, inquirere studebant sedulo. At ille: *Sunt*, inquit, *singuli magnae sanctitatis magnique apud Deum meriti; sed beatus Modoaldus genere et virtutibus nobis est notissimus et in hoc loco praecipuus.* Ad haec abbas: *Eumdem*, ait, *beatissimum pontificem Modoaldum post Deum*

a) docet *A. SS.* b) *rectius* Sed.

38) v. Gesta Trev. SS. VIII, 158. 39) v. ibid. 154.

et sanctam eius genitricem ac beatos apostolos puro corde dominum et patronum eligo, ei[a] *devotionem meam et servitium meum meorumque omnium offero, eius adiutorium, ut ad nos venire suosque supplices visitare dignetur, invoco.* 1107 April 12.

26. Mox ut votum vovit, ecce nuntius fratrum Sancti Paulini affuit, monens eos properare ad peragendum negotium voluntatis suae. Qui sumpto thymiamate et mundissima sindone, accelerant promptissime, et cum ipso praeposito clericorum praesentati obtutibus, conferunt, quo id agendum sit ordine. At illi: *Nostrorum,* aiunt, *unus, alba stola et cappa ornatus, praecedat ferens thymiama, nosque subsequentes cum psalmis et letania sanctorum ingrediemur habitacula.* Quibus auditis, abbas: *Nil,* ait, *obesset*[b], *si etiam fratrum meorum unus alba vestiatur, ut duobus praecedentibus ministris, quod agendum est celerius compleatur.* His ita dispositis, et in sacrario coram altari stantibus abbate cum praeposito et monachis suis necnon paucis canonicis, orationibusque completis, deinde pallio levato et sanctorum loculis relevatis, decanus Sancti Paulini sic ait praestolantibus illis: *Ecce duo corpora sanctorum Abrunculi et Bonosi episcoporum, magni meriti virorum. Quem eorum in patronum et dominum elegeritis, hic erit loci vestri vestrorumque omnium protector fidissimus, patriaeque totius protector potentissimus.* Ad haec abbas: *Sic,* inquit[c], *ut asseritis non solum non contamur, verum etiam credimus et profitemur. Sed quia trium optio data est nobis, domino Modoaldo nos nostrumque servitium devovimus; hunc coram Deo et vobis patronum et dominum eligimus et eum nobis donari devota supplicatione quaesumus.*

27. His auditis subito mutata[d] facie, totisque visceribus tremefacti, videntesque virum tantae constantiae a proposito non posse reflecti, revelata arca lignea, ex omni parte ferreis ligaminibus constricta et nimium munita, rursum aiunt illi: *En ipsum, pro quo supplicatis. Videte, si inter tot ferrea vincula illum quoquo modo educere queatis.* Confestim monachus ille, qui sacris vestibus stabat ornatus, appropinquans et curiosius omnia perlustrans, duos asseres sibi coniunctos in fronte arcae reperit; quos, quia vetustate pene consumpti fuerant, lento conamine pertractans, seiunctos deponit, et introspectis sacrosanctis artubus, ad suscipiendos eos sindonem mundissimam expandit. Mox imposita antiphona et apposito thure, in terram toto prosternitur corpore, clericisque circumstantibus et cordis tristitiam suspiriis et lacrimis prodentibus, membra sancta singillatim eduxit et diligenter involvit; tribus portiunculis relictis, eis supplicantibus et pro ipsis mandibulas sancti Abrunculi brachiumque sancti Bonosi largientibus. Suscepto itaque pretiosissimo beati Modoaldi Trevirorum archiepiscopi corpore et in scrinio ipsius sacrarii posito ac clave munito sibique retenta clave usque ad diem discessionis suae, exeunt pleni omni exultatione.

28. Praeterea abbas Sancti Maximini, secreto rogatus multumque flagitatus pro reliquiis sancti Auctoris episcopi, doctusque, quanta miracula per eum Dominus in Saxonia sit dignatus operari, considerabat, quod miraculis attestantibus non dedignaretur in coenobio praesentis abbatis pro salute inhabitantium exul haberi. Perpendens etiam, quod alia multa sanctorum corpora sufficerent illi, aedituo consulto iussit, ut quantas eius corporis habere posset reliquias, secreto concederet eidem abbati, credens et protestans, multis indiciis hanc esse voluntatem ipsius sancti. Ipse quoque aedituus pridie rogatus et flexus fuerat amore praedicti praepositi et familiaritate unius praesentium monachi, sibi quondam in necessario usu ecclesiae satis proficui. Redeunte itaque abbate cum laetitia ingenti de sacrario sancti Paulini, aedituus praescriptus, convocato in partemque deducto eodem monacho sibi noto, testam superiorem capitis sancti Auctoris archiepiscopi, necnon duo de maioribus membris assignavit ei, contestans, eius apud se, excepta modica portione, nichil amplius haberi. Quae cum immensa gratiarum actione frater ille suscipiens suo intimavit abbati. Gaudia gaudiis accumulantur, et in ara cordis laudum victimae Deo cum odore devotae humilitatis immolantur, quae ad utrorumque, dantis sive suscipientis, profectum impensae caritatis igne cremantur.

29. Abbas interea, processurus ad missarum sollempnia, sacerdotali induitur infula, necnon a ministris ecclesiae cetera tantae diei mysteriis congruentia[e]. Interim advenit praepositus, eorum quae contigerant super reliquiis beati Auctoris ignarus, et ipse dilectos suos de his quae didicerat ex revelatione sanctorum Thebaeorum laetificaturus. Iamque abbate procedente, uni monachorum suorum iunctus hoc brevi versiculo est usus: *Visitavit,* inquit, *nos Dominus;* suscipiensque brevibus verbis sermonem, succincte gestae rei pandit seriem.

a) et *A. SS.* b) obesse *A. SS.* c) inquam *A. SS.* d) immutata *A. SS.* e) *videtur* parantur *excidisse.*

1107. April. 12. Deinde missarum sacrique mysterii celebratione completa, praepositus abbati annuntiat universa; assumptoque monachorum eius altero necnon fratre qui rem sibi revelaverat cum aedituo, cryptam ingreditur secreto, fratribus reliquis ad recreandum corpora sedentibus in refectorio et abbate cum fratre altero finem rei praestolantibus in exteriori oratorio. Moxque oratione facta, frater ille notum locum repetit, quod obstruxerat aperit, sanctorum artus maiores et minores educit, et abbatis monacho cum sindone munda statim porrigit. Duobus vero corporibus pene collatis et diligenter involutis abiere, necnon abbati cum fratre praestolanti et oranti magnas reliquias immensumque gaudium detulere. Qui mox in caelum porrectis manibus lacrimasque dulces et laetas profundens ex intimis visceribus, sic intulit pronis in terram luminibus: *Sit tibi, bone Iesu, redemptor, moestorum consolatio, laborantium fortitudo, gloria laus et iubilatio, qui dignatus es in hac die tuos supplices visitare de caelo sancto tuo atque laetificare multiplici sanctorum patrocinio.*

29. His omnibus, inchoante mediante et perficiente divina dispositione, tam gloriose completis, abbas cum suis omnibus ad Sanctum Maximinum, eius loci fratribus se illic cari- April. 13. tate detinentibus, cum omni iucunditate spiritali sabbatum sanctum et sacrosanctae resur- April. 14. rectionis diem in Dei peregit laudibus. Cuius diei completa vespertinali synaxi, abbas decanum Sancti Petri adiens, ei per semet ipsum curavit notificare, se in sequentis diei crepusculo proficisci velle. Quem vir religiosus suscipiens benignissime, statim directa legatione cunctis congregationibus ceterisque Christi fidelibus studuit intimare. Deinde post modicam et brevem noctis quietem, matutinalibus hymnis, ut consuetudinalis sanctorum April. 15. dierum ordo exposcebat, sollempniter completis, iam facto mane abbas cum suis assumpto feretro cum thymiamate et palliis necnon cruce argentea et deaurata, quae imaginem redemptoris nostri ex osse decentissime sculptam continebat, quamque ob hoc solum secum detulerat et ipsa hora nomini sancti Modoaldi determinaverat — neque enim archiepiscopum absque cruce quoquam proficisci decebat — basilicam sancti Paulini petiit, seque religiosis canonicis id iam praestolantibus repraesentavit. Qui statim finita prima, compulsatis signis, cum crucibus labaro et aqua benedicta necnon thymiamate, abbate quoque sacris vestibus induto, ad sacrarium processere, salvisque repertis signaculis, corpus preciosissimi confessoris Christi Modoaldi cum aliis sanctorum reliquiis feretro imposuere, dataque antiphona, cum lacrimis chorum Sancti Paulini, missarum sollempnia festive celebraturi, 40 conscendere. Et ecce abbas Sanctae Mariae[40] cum omni congregatione sua in albis palliata, cum crucibus et euangeliorum libro atque thymiamate advenit et celebrationi missarum devote interfuit.

30. Quibus venerabiliter expletis et processioni[a] congruis laudibus impositis voce sollempni, assumpto sancti praesulis feretro, cum crucibus et reliquo apparatu coeperunt proficisci. Quantum ibi fusum sit lacrimarum quantumque concrepuerit gemituum, nisi qui praesentes fuere difficile fidem dictis possunt adhibere. Quis enim se a fletu poterat abstinere, cum pastor piissimus, iam caeli consul, locum, quem per multa annorum curricula cum inhabitantibus protexerat, cernebatur corporaliter deserere, atque in longinquam patriam profecturus et quasi exul futurus, beato Paulino ceterisque confratribus suis quodammodo videbatur valedicere. Vix egredientibus de choro Sancti Paulini ecce procedit obviam devota congregatio Sancti Maximini cum crucibus et ingenti apparatu, monachi omnes palliati et cum laudum melodiis iungunt se praecedenti processioni. Deinde propinquantibus portae Sancti Simeonis occurrunt canonici eiusdem ecclesiae, palliis ornati, suscipientes sanctum corpus cum crucibus et omni veneratione; stantibusque baiulis et thurificatis necnon aspersis reliquiis praemissaque oratione, processioni in suo loco se coniunxere. Hoc ordine procedentibus ad medium vicum ecce, appropinquabant instar caelestis exercitus honorabiles viri cum contigua sibi congregatione, principis apostolorum canonici, palliis auro gemmisque fulgentibus induti, suscipientes seu[b] magis educentes corpus pastoris amantissimi cum crucibus et omni ornatu duplici; et incurvantes se cum lacrimis ac pronis in terram vultibus, tanto pontifici aspergebant et thurificabant sacra pignora cum laudibus et oratione sollempni. Quibus processionis orationem[c] prolongantibus modicumque progredientibus occurrit abbas Sancti Martini cum suis fratribus, quorum quanto minor erat

a processione *A. SS.* b) sed *A. SS.* c) *an* ordinem?

40) monasterii S. Mariae ad martyres, siti ad littus Mosellae. HENSCHEN. Cf. Gesta Trev. SS. VIII, 150. 158: »ecclesia beatae Mariae, quae vocatur Litus ad martyres.«

apparatus exterior, tanto rutilabat interior abundantius, quique, in quantum facultas suppetebat, piissimi patris comitatum protelabant, sequentes cum hymnis et canticis spiritalibus. 1107. Apr. 15. Subito autem quasi prorumpentes apes ex alvearibus, confluebant plebs utriusque sexus et aetatis, gestientes interesse comitatui dilectissimi; graviterque se offensum dolebat, quicumque tardior occurreret. Non patres dulcedo filiorum domi retinebat, non matres filiarum sollicitudo impediebat, non sponsarum amor sponsos aut illas eorum iocundus affectus continebat, non vernaculos domestica cura prohibebat, non servos aut ancillas cuiuscumque operis iniuncti sollicitudo aut timor plagarum coercebat, non pueros aut puellas matris intra domum fames et amor panis aut extra consuetudo iocorum cohibebat; sed par omnium et concors affectus patrem sequendi dominumque deducendi erat. Iam tunc enim quodammodo complebatur huius sancti pastoris officio, quod ait Dominus in euangelio[41]: *Pastor bonus cum proprias oves emiserit, ante eas vadit et oves eum sequuntur, quia sciunt vocem eius.* 41 Hi enim erant illarum ovium agni, quibus vice primi pastoris a Deo sibi quondam commissis verba piae exhortationis paraverat, quasque dulcedine totius suavitatis praeeundo, operando et docendo repleverat. Huius praedulcis et largissimi pastoris abundantiam recolentes et eius patrocinii tutelam contra cuncta adversantia fidissimamque protectionem animo revolventes, horumque omnium fieri expertes pro tanti patris absentia metuentes et ex intimo cordis dolore suspiria trahentes, haec ingeminabant lacrimantes: *Quorsum, domine? quid est, pater piissime? Cur relinquis oves tuas, pastor amantissime? In quo te laesimus? in quo te offendimus? Numquid non doctrinis tuis nos et patres nostri pronas aures accommodavimus? Sed vae nobis, qui patrocinio tanto destituimur. Et nos, velut amentes et quasi ad epulas invitati, te proficiscentem cum laudibus prosequimur? Vere etenim dominus noster de longe vel prope veniens sic erat suscipiendus, huiusmodi obsequiis ad misericordiam nostrumque affectum flectendus; sed in longinquas terras profecturus et extraneae gentis saluti profuturus nosque ultra non visurus, nequaquam cum tanto tripudio erat deducendus. Heu quam dampnosa processio, quam subita totius patriae desolatio, quam gravis loci huius destructio, et nisi omnipotens Deus manu sua contineat, in profundum terrae submersio! At illi ter quaterque et septies beati, quos Omnipotens talis tantique patroni honore et beneficiis donavit, quos nostro dampno ditavit, quos nostris spoliis dilatavit, quos nostro infortunio prosperavit!* Haec multiplicius ingeminando lacrimis lacrimas addunt, fletusque crebris singultibus adiciunt.

31. Hi igitur huiusmodi lacrimabilibus querimoniis interdum utentes, interdum etiam diversarum laudum praeconia concrepantes, cum omni devotione et reverentia comitabantur praecedentes et subsequentes. Nec cunctamur, imo plena fide credimus, ipso die super sacrosancta pignora caelum patuisse, sanctosque angelos invisibiliter descendentes et ascendentes obsequium tanto pontifici praebuisse, tamque mirificae processionis concordiam et aequanimitatem ordinasse — quae procul dubio ad trecentos clericos aestimabatur habuisse — ut in tanta frequentia nec praecedentes a subsequentibus premerentur, nec subsequentes a praecedentibus traherentur, sed in utroque aequalitas et discretio servaretur. Erat praeterea stupendum miraculum, videre tot tantasque catervas utriusque sexus et aetatis tam reverenter tamque concorditer ex utraque parte processionis incedere, ut quasi maceriae viderentur quodammodo hinc et inde immobiles stare, quos nec angustior via coarctabat, nec spatiosior dilatabat, ut se removerent ab aequalitate. Tali ordine tamque decente honorificentia cum divinis laudibus transeuntes longam intercapedinem viae, tandem ad pontem inclytum pervenere; statimque de ponte descendens abbas Sancti Eucharii cum suis fratribus honestissime palliatis, cum crucibus reliquoque ornatu multiplici obvius processit, sanctumque pontificem reverenter in ponte suscepit et per pontem subsequendo cum multiplici laudum tripudio deduxit.

32. Hoc ordine descendentibus ab altitudine pontis ecce irruit innumera multitudo finitimae plebis, cum crucibus et diversis sanctorum reliquiis, suscipientes sanctum praesulem cum dulcibus melodiis. Sed vicinitate montis circumquaque oppositi vetabantur ulterius progredi; depositoque lipsano, circumfluit cum lacrimis innumera multitudo, iam iamque valedictura pontifici sanctissimo, incurvatique solo tenus viri cum mulieribus et pio pastori suas commendantes animas, sacras honorabant reliquias suis oblationibus, percutientesque

41) Iohann. 10, 4. 11.

1107. Apr. 15. pectora sua tristes revertebantur ad propria. Clericis deinde cum monachis in orbem conglobatis et in modum coronae cingentibus membra sui pontificis, archidiaconus Godefridus et ipse decanus Sancti Petri, postulato silentio, hoc modo exorsus est seriem sui sermonis: *Magnum, inquit, est, carissimi fratres, hoc mysterium et inaestimabile atque ad efficiendum omnibus retro seculis incredibile, quod nutum divinae dispositionis a nobis pene, ut ita dixerim, invitis factum constat hodie, ut tantum tamque praecipuum omnique rei publicae nostrae tam proficuum patronum a loco nostro vellemus seu auderemus emittere. Hic enim erat spes totius patriae, in hoc pendebat omnis fiducia salutis nostrae, et quotiens nos cuiuscumque tribulationis pulsabat incommodum, in Modoaldo et Euchario totius auxilii nostri patebat refugium. Et revera, nisi quia iussioni Omnipotentis resistere mortalium nemo sanum*[a] *sapiens debet praesumere, ad huiusmodi consensum nulla ratio flecteret constantiam mentis nostrae. Enimvero non cunctamur, quamdiu volvitur huius mundi orbita, ipsius patrocinii solita nos experiri suffragia; quoniam si loci mutatione in patriam, quae*[b] *ipsi sancto provisori complacet, ipsius dulcia mittimus ossa, quod his continebatur, cor videlicet et linguam ceteraque carnis eius nobis reservamus pignora. Vos igitur, fratres carissimi, qui tantarum reliquiarum estis geruli, pensate, quantum honoris et gaudii largita sit vobis gratia Christi, quantamque laudum vicissitudinem rependere debeatis beneficiis omnipotentis Dei, nobisque largitoribus tanti thesauri. Unum quippe est, quod solum et praecipuum ducimus in aestimatione nostra, quod stabile et inconvulsum scripto firmare disponimus in succedentia aevi tempora, ut simus amodo cor unum et anima una et mutuae fraternitatis et societatis, cuius maximum pignus vobis concessimus, inter nos et vos atque nostros vestrosque posteros pactio firmetur perpetua. Commendamus itaque Deo et vestrae fidei sub testificatione et obtestatione Christi super salutem et animam vestram corpus pretiosissimi provisoris et pastoris nostri Modoaldi archiepiscopi, quatenus debitum honorem pro posse vestro et nosse in feriis et in omni divino servitio exhibeatis illi.* His peroratis sanctisque reliquiis cum humectatione genarum salutatis necnon abbate suisque monachis crebrius deosculatis, ad sua quique rediere cum suspiriis.

33. Transmisso itaque amne Mosellae, in cuneos conglobati viri cum mulieribus in parte ripae altera, quasi ultimum valedicentes suo pastori, laudum concrepabant carmina, quemque ulterius nequibant corpore, luminibus sequebantur et voce dulcisona. At baiuli sanctorum arduos montium scopulos confragosque repetentes ascensus, nonnullis pietatis intuitu et amore sanctorum comitantibus, itinere quo venerant alacres Dominumque vicissim laudantes ad sua remeare properant. Deinde non absque sudore ascensu ardui montis emenso, ecce contiguae villae pene omnes vicani confluunt obviam pontifici suo, nonnulli etiam toto corpore solo prostrati, fide stantes, et tunsis pectoribus reatuum veniam, vitae salutem rerumque commoditatem implorabant voce supplici. Alii autem, compulsatis signis ecclesiae, praecedentes atque subsequentes totis viribus insistebant laudum melodiae. Quidam vero prona cervice propius accedentes suosque humeros salutifero supponentes lipsano sibique per vices succedendo sanctorum baiuli gestiebant fieri, summo devotionis studio se beatos fatentes seque sanctificari credentes mente et corpore, quicumque sanctitatis tantae sarcinam merebatur contingere. Sicque recto tramite de vico ad vicum properantibus[c], et aliis iam fessis supplici iam lumine valedicentibus et quasi iam spe recuperata suae salutis alacriter recedentibus, aliisque cum integra fide et spe salvandi obviam properantibus et suae felicitatis angariam suscipientibus, nonnullis etiam per miliarii et eo amplius spatium procedentibus, in commune nomen Domini laudabatur ab omnibus.

34. Deinde fratrum Sancti Maximini tres monachi, a venerabili praeposito Arnulpho ad praebendum ducatum directi, praecedentes e vestigio celeriter subsequuntur, apprehensosque fatigationem itineris alleviare paulisper residendo hortabantur. Ac primo residentibus offerunt pyxidem, sanctorum pignoribus refertam, a memorato praeposito suis amicissimis recedentibus et iam per multa temporum spatia non visendis caritatis intuitu directam et haec continentem: Ex sacrario sancti Maximini de pallio eius et stola, et de manubrio cultelli domini nostri Iesu Christi; De sacrario beatae Mariae semper virginis a venerabili loci ipsius abbate directa: De ligno Domini, de corpore sancti Matthiae apostoli, de corpore sanctae Severae virginis, sorore sancti Modoaldi archiepiscopi aliasque diversorum reliquias. His devote susceptis laetissimi redditi, quia nec aversos et in via positos solique desiderio intentos redeundi, Omnipotens suae largitatis privaret benedictione, verum tantae

a) *an* sane? b) quam *A. SS.* c) properantes *A. SS.*

sanctitatis thesaurum eis dignaretur cum eo, quem ferebant, accumulare, grates omnium 1107.
largitori satagebant rependere. Deinde ex his, quae caritatis geruli secum detulerant, April. 15.
abundanter refecti, cum his eisdem operam dant exercitio proficiscendi. Ingredientibusque saltum, qui semitam occupabat, eorum quidam forte crucem argenteam, cui ossea imago nostri Salvatoris inerat, quae nomine sancti Modoaldi titulata coram eius sancto corpore indesinenter ferebatur, incaute baiulans, ramis humilioribus impingebat. Quae mox excussa a baculo, cui inhaerebat, cadendo inter duos lapides recte et quasi voluntarie fixa stabat. Res mira, quod tam fragilis ossea materies, tanto impetu ramorum in altum evulsa et per semet ipsam ter seu quater, antequam terrae appropinquaret, gyrata super lapides, qui forte conglomerati viae profunditatem supplebant, quae minutatim confringi poterat, divina virtute eisdem lapidibus mirabiliter infixa permansit illaesa. Ad declarandum enim meritum sancti sacerdotis providebat gratia divinae dispositionis, ut et meliori cautela cruciferi corrigeretur incuria et signum nostrae redemptionis lutei humoris non violaretur immunditia. Addidit etiam adhuc altero miraculo palam facere omnipotentissima largitas divinae miserationis, quid mererentur quantumque possent eorum spiritus in caelis, quorum corpora tantae devotionis studio transferebantur in terris. Tanta enim erat caumatis ariditas tantaque terrae siccitas, ut spem totius incrementi suis cultoribus brumalis negaret satio pene torrida et tellus quasi ferrea nullius vomeris acumine suscitari valeret ad aestiva semina suscipienda. Baiulis vero sanctorum primae mansionis receptis habitaculo, tanta pluviarum copia manavit e caelo in totius sequentis noctis spatio, ut herbis omnibus viriditas et seminibus foecunditas atque telluri redderetur culturae facultas. Et ut clareret liquido, quorum subvenientibus meritis tantae misericordiae largitas proflueret arenti mundo, tanta fuit convenientia pluendi et hospitandi, ut una eademque videretur hora et viantes domus limen subire et imbrium largitatem effluere. Nec defuit in totius itineris spatio eiusdem divinae pietatis miseratio, quodammodo famulantibus caelis venerabilibus sanctorum exequiis, adeo ut pene singulis noctibus terrae facies madefieret imbrium abundantia, et dierum spatiis, sole et vento temperiem praestantibus, proficiscendi concederetur copia. Igitur, ut praemisimus, suscepti primae mansionis hospitio, totius humanitatis et caritatis fovebantur commodo, excepto quod hospes, vir strenuus, cum uxore satis honesta conquerebantur, sibi pisces omnino deesse, quibus tantae religionis viros, ut deceret eorum honorificentiam, valerent reficere. Cuius statim consolatione recepta — videlicet abbate, totius humilitatis viro, de appetitu se excusante, se lautiores seu sumptuosos cibos non magni pendere; sibi cuiuscumque modi victualia cum caritate impensa, quamvis parva, sufficere; se bonae voluntatis eius studio gratias agere fatente — cetera sibi suisque necessaria coepit disponere, ecce duo viri, functi piscatoris officio, alter prioris ignarus et ingredientem mox subsecutus e vestigio, uterque tamen praesentis necessitatis inscius, tantam piscium copiam detulere, quae si nihil alterius fuisset in promptu, omnium praesentium multitudini posset ad esum sufficere.

35. Fratres igitur, quos praelibavimus, Sancti Maximini postquam in vico eodem, qui IV.
sui iuris erat, Evena[41] dicta, apud supra dictum hospitem cum omni caritate et humanitate 41
nos habuerunt, lucescente crepusculo sequentis diei praemissis divini servitii ministeriis April. 16.
ducatum praebentes praecessere, et sacrosanctas reliquias interdum propriis gestantes humeris usque Prumiam perduxere. Quo propinquantes unum e suis praemisere sagacem virum, nomine Burchardum, monachum, qui venerabili Wulframno, eiusdem loci abbati, sanctorum intimaret adventum. Quo audito, vir strenuae nobilitatis, compertoque quantae prosperitatis effectum sit assecuta sua petitio, qua cum ipso abbate in eodem negotio intercesserat apud archiepiscopum Trevericae urbis, laudum grates rependit omnipotentiae divinae largitatis. Statimque misso edicto iubet vicanos omnes utriusque sexus et aetatis cum summa celeritate in occursum sanctorum progredi et monachorum clericorumque ordines ad susceptionem tantae sanctitatis coaptari. Praemissoque fratre, qui apud eum legationis officio functus fuerat, mandat primum in oratorio sancti Benedicti sanctos suscipi cum reverentia et honore debito, cuius spatioso et remoto atrio fratres utuntur pro coemiterio. Inde colliculo, qui prope erat floribus gramineis refertus, transito, ecce cum caterva plebis, devotionis cultum habitu et officio praeferentes, procedunt clerici palliis ornati, qui

41) Ebbenam villam asserit monasterio S. Maximini Innocentius II ap. Zyllesium Def. 55.

[1107. April 16.] sanctos suscipientes cum crucibus et dulci laudum modulamine deferunt in ecclesiam sanctae Dei genitricis et virginis Mariae. Quibus post orationis terminum deductis honorifice, protinus monachorum palliato vallatus grege se obvium tulit Wulframnus abbas, vir totius reverentiae. Qui cum crucibus et thymiamatis ac multiplici apparatu devotionis reverendas reliquias deducunt in coenobium sancti Salvatoris, ibique laudibus divinis sollempniter expletis, omni humanitatis et caritatis intuitu amplectuntur abbatem cum suis.

[April 17.] 36. Deinde sequentis diei matutino lucescente celebratis mysteriis redemptionis nostrae, abbas cum suis, concessa suorum praesentiumque fratrum alacriter suscepta societate, valedictisque suis ductoribus in osculo pacis et mutua caritate, deducuntur ab omni congregatione cum multa reverentia et sanctis debita veneratione. At hospes munificentissimus appetens promereri dilectionem Dei, memor scripturae testantis hilarem datorem a [2 Cor. 9, 7.] Deo diligi, et illius beati Iob: *Non passus sum peregrinum absque viatico praeterire*, [cf. Iob 31, 32.] abbati recedenti piscium copiam largitus est cum caritate; praebensque eis ducatum usque ad villam sui iuris, Monasterium[42] nomine, cetera quae pernoctantibus erant necessaria, ex suo ministrari iussit abundantissime; ibique eis devotissime susceptis tertiamque mansionem facientibus geminavit obsequia hospitalitatis. At illi proficiscentes et de die in diem [April. 18.] proficientes, sexta diei hora feriae quintae Agrippinam Coloniam peraccessere; statimque praemissa legatione sanctorum adventum notificantes suis fidelibus Sancti Pantaleonis fratribus, pro se crebras orationum victimas ex debito fraternitatis offerentibus et ante quatriduum in paschalis festi celebratione adventum suum desiderabiliter praestolantibus, immensum gaudium indidere de optata negotii sui consecuta prosperitate. Qui voluntarie, absente suo abbate, se protinus invicem cohortantes et ornamenta tantae susceptioni digna exponentes, albati atque palliati sollempniter sanctis obviam processere, susceptosque cum devoto laudum modulamine in sanctuarium sancti Pantaleonis pertulere. Deinde fratribus suis admodum congratulantes et pro omnibus, quae voti sui compotes divinae gratia largitatis adepti fuerant, in commune Dominum benedicentes, totius caritatis officium exhibuere, postulantesque pro sui itineris acceleratione, licet inviti et renitentes, cum omni honorificentia prosequentes deduxere.

[April 21.] 37. Die igitur octava resurrectionis dominicae directo tramite et Deo praeduce Suzatium[43] pervenere. In cuius itineris medio iuvenis quidam clericus, vicini loci canonicus, eis obviam venit a suis directus fratribus, dicens, reditus eorum atque optati effectus famam aures omnium perculisse cordaque immenso gaudio replesse. His dictis, ingredientibus vicum ecce plebis innumera multitudo promiscui sexus et aetatis in gloriam sanctorum laudum carmina concrepantes vocibus alternis, quos sequebatur totius venerationis cultu ornata concio clericorum cum crucibus et thymiamateriis, suscipientes et deducentes sanctorum reliquias in hymnis et laudum melodiis. Deinde missarum sollempniis, ut tanti diei reverentia sanctorumque veneratio exposcebat, celebriter expletis, reliquiarum baiulos in suae hospitalitatis contubernium suscepit clericus quidam Azelinus nomine, vir reverendae honestatis. Deductis itaque sanctis cum debita veneratione a liminibus monasterii, nonnullis etiam clericorum laicorumque piae devotionis intuitu comitantibus per spatium itineris, quod computari poterat tertia pars miliarii, ecce familia domus praenominati clerici, quam vir totius opulentiae plurimam possidebat, ipso in fronte gradiente cum clericis, quos secum duxerat, cum crucibus et thure ac reliquo apparatu quo poterat se obviam ferebat; susceptosque sanctos cum laudibus carminum in oratorium, quod ibidem beatae memoriae Anno Coloniensis episcopus[44] in honorem beati Matthiae apostoli dedicaverat, deducebat. Placuit igitur exinde missa legatione matrem ecclesiam Paterbronnensem tanti patrocinii adventu laetificare, fratresque suos Helmwardenses, iam diutina expectatione et crebra ieiuniorum vigiliarum ac orationum instantia laborantes, quodque potissimum gravabat, in ambiguitatis trutina suspensos, prosperi eventus certitudine relevare. Libet paulisper immorando benignum piissimi patris affectum pensare, dilectisque filiis suis dulcifluae consolationis manum porrigentem spemque perennis laetitiae denuntiantem considerare:

38. *Tietmarus Dei gratia quicquid est, aut esse potest, dilectis filiis in Domino. Gaudium vobis* [Isai 52, 2. Psal 6, 9.] *et exultatio. Surgite iam, dilectissimi, et de pulvere excutimini; quoniam exaudivit Dominus vo-* [Ps. 101, 18.] *cem fletus vestri. Quia enim coram Domino vos humiliastis et in eo sperastis, respexit in orationem humilium et non sprevit precem eorum. Perseverastis enim in cordis et corporis contri-*

42) Monasterium Eifliae, Münstereifel. 43) Soest. 44) Sedit ab a. 1056 ad a. 1075.

tione, ideoque vos non fraudavit labiorum vestrorum voluntate; sed praeveniens gratuitae 1107. *dilectionis benedictione, replevit desiderium vestrum multiplicis patrocinii largitate. Quapropter* Psal. 20, 3 *gaude et laetare, felix Saxonia, quam rex quondam christianissimus lingua ferrea divinis subegit legibus quamque nunc rex regum Dominus per praecipuos suae dominationis ministros, iam caeli consules, mirabiliter invisendo suis revendicat ditionibus. Iucundare, virgo nobilis, Christi sponsa et mater foecunda, Paterbronnensis ecclesia, quam cum numerositate filiorum multiplicia beatificant sanctorum pignora, nunc iterato largitas Omnipotentis novo fidelium suorum patrocinio dignanter illustrat, amplectitur, fovet, protegit et sublimat. Exulta satis, filia Sion, lauda, filia Hierusalem caelestis, ecclesia Helmwardicensis, quia venit tibi de supernis a Domino salus et protectio, gaudium, pax et exultatio. Ut enim similis ceteris ecclesiis tibi collimitaneis fieres in hac parte, postulasti tibi a Domino patronum salutis tuae; deditque tibi Deus beatum Modoaldum, strennuae nobilitatis et mirificae sanctitatis virum, archipraesulem Treverensis ecclesiae, cuius sacrosanctis ossibus coniuncta sunt duo insignia beatorum martyrum Thebaeae legionis corpora, insuper etiam gloriosissimi protectoris nostri Auctoris archiepiscopi superior testa capitis et duo de maioribus membris, quo, ut credimus, suggerente et nostrae legationis officio fungente, idem venerabilis Modoaldus dignatus est, aula sui episcopii relicta, apud nos exul dici et esse. Duorum etiam reverendae sanctitatis et praecipuae nobilitatis pontificum dignissimae deferuntur reliquiae, videlicet beati Abrunculi mandibulae cum dentibus sanctique Bonosi brachium atque gloriosissimi beati confessoris dens unus cum costa aliorumque sanctorum pretiosissima pignora. Pro his igitur omnibus beneficiis eius magnificate Domi-* Psal. 33, 4. *num mecum, et exaltemus nomen eius in id ipsum, et omnibus medullis cordis et corporis laudate Deum in excelsis. In susceptione ergo tantae sanctitatis ornate domus vestrae mentis et corporis, mundate conscientias vestras, abluite culpas, abstergite sordes illicitae actionis, excutite pulverem ventosae cogitationis, ne praepotens amicus vester novusque patronus et dominus cum illo nobili suo comitatu veniens in vobis inveniat, quod oculos suae dignitatis offendat; sed magis, operum-bonorum referti floribus odoremque virtutum spirantibus respersi graminibus, obviam procedentes dicatis illi: „Benedictus, qui venit in nomine Domini."* Ps 117, 26

Huiusmodi legatione fratres Deo devoti de multiplici laboris anxietate relevati et ultra quam credi potest exhilarati, protinus exilientes ecclesiae signa consonant et gratiarum laudes intonant et pleni devotione mentis et spiritus celebriter prosequuntur hymnum: *Te Deum laudamus.* Deinde per ordinem sciscitati et omnem eventus seriem edocti, sollempniter disponunt universa competentia tam diu desiderati susceptioni.

39. Abbas igitur cum suis cum largifluae caritatis copia benevolo valedicentes hospiti, studium accelerant redeundi. Deinde amnem Almana[45] transeuntes, tandem ad urbem 45 Paterbronnensem optato pervenere, quae cum multis sanctorum reliquiis, praecipue beati Liborii[46], confessoris atque pontificis Cenomannensis, fovetur et illustratur corpore. Et ecce vir venerabilis Gumbertus[47], abbas eiusdem loci, cum innumera multitudine promiscui 47 sexus et aetatis populi nudis pedibus, totiusque humilitatis cultum praeferens habitu et mente, sanctis obviam processit plena cordis devotione, plebe consonis vocibus in honore sanctorum Deo laudum melodias concrepante. Congratulabatur enim ad invicem populus Domini et oves pascuae eius de adventu et praesentia novi pastoris et fidissimi protectoris, cuius confidebant meritis salvari et patrocinio ab omnibus angustiis liberari. Dehinc portam urbis ingressis, ecce matris ecclesiae canonici procedentes obviam novo patrono sanctoque pontifici, susceptos sanctos cum reverentia et cantu sollempni deferunt in sanctuarium gloriosi confessoris Liborii.

40. Interim abbas comperto, quod prona devotione singularem susceptionem instituerant eiusdem loci monachi, nec vacaret illic diutius immorari, salutatis canonicis sibi congratulantibus et de prospero adventu suo Deum collaudantibus, resumpto denuo lipsano sanctorum, per portam australem honorifice clericis prosequentibus egrediuntur ad[a] monasterium[48]. Progressisque paululum via, quae ducit ad coenobium, ecce pallida et palliata 48 monachorum concio omnem devotionis reverentiam sanctis advenientibus exhibens corpore et animo, incurvatique solo tenus et sacrosanctis supplices cervices supponentes pignoribus, spiritu et mente totisque nisibus insistunt divinis laudibus. Cum huiusmodi venerationis tripudio apostolorum Petri et Pauli oratorium subeuntes rursumque melodias cantuum

a) *addidi* ad.
45) Alme. 46) Vid. Transl. S. Liborii SS. IV, 149. 47) Cf. supra p. 284 n. 5. 48) Abdinghofense.

1107. sollempniter ingeminantes, sanctos deferunt in sanctuarium, in quo beati Felicis martyris requiescit corpus sanctissimum. Deinde videres pariter omnes confluere, videres viritim singulos ex abundantia cordis abbati suisque caritatis salutationem offerre, intimae congratulationis affectum impendere, Deum voce et manibus collaudare, qui tantae prosperitatis et largitatis effectum concessit sperantibus in se. Statim missarum sollempniis celebriter expletis, fessisque fratribus officiosissime recreatis, lucescente diei sequentis aurora cum omni veneratione deducentibus monachis et clericis, prosequentibusque cum carminum modulatione populis, accelerant iter profectionis.

Apr 24. 41. Tandem optato suae possessionis limitem calcantibus, ecce instar regalis exercitus populi circumquaque conglomerati novis suae salutis patronis irruunt obviam cum sanctorum reliquiis et crucibus, praecedentes et subsequentes in hymnis et confessionibus. Prima igitur
Apr 25. sequentis diei aurora, quam illustrabat beati euangelistae Marci publica sollempnitas, quamque maioris letaniae veneratione colit omnis christianitas, abbas cum suis comitibus multaque frequentia undique confluentis populi efferens pretiosissimas reliquias cum letaniis et modulatione sollempni, procedit ad explendam consuetudinariam executionem tam celebris diei. Disposuerat enim ipsa die dilectissimis filiis suis et fratribus palam facere sui laboris et obedientiae praemium ac devotissimae orationis fructum, eorum diutinae praestolationis desiderium implere et eos multiplicibus patrociniis laetificare, constituens mutui conventus
49 locum iuxta vicum suae ditionis, Cesle[49] nominatum. Quo ubi perventum est, placuit fatigationem viae residendo alleviare, ut populis late circumfluentibus copia daretur conveniendi et sanctis orationum et oblationum libamina deferendi. Et ecce hi, quorum specialis amoris et salutis gratia tantae viae tantique laboris fatigatio fuerat expensa, monachorum videlicet Helwardicensium, cruciferis praeeuntibus, instar nubeculae tenebrosae properabat concio spiritualis, ardoris videndi et complectendi, quae diu concupierat exaestuans desiderio; quos cum diversis sanctorum reliquiis praecedebat lipsanum beati Petri principis apostolorum. Igitur tam pro consuetudinaria letaniarum reverentia, quam pro votivae susceptionis devotione augenda nudis pedibus procedentes atque cum omni mentis et habitus humilitate cominus accedentes diuque desiderati patroni et comitum eius lipsanum contuentes, diutius stare nequibant; sed tertio in terram toto corpore prostrati, novo domino dulcia lacrimarum libamina, quae ex plena cordis abundantia laetitiae spiritualis profundebat affectus, cum nimiis singultibus offerebant.

42. Tandem erecti cervicibus a terra, haec ore et manibus intonant voce excelsa: *Optato advenisti, pater desiderabilis, quem expectabamus in ambiguitatis et angustiarum tenebris; te nostra vocabant suspiria, te larga requirebant lamenta. Suscipe iam, dominator serenissime, tibi devotos servulos; protege, pastor amantissime, agnos a Deo tibi traditos.* Deinde laudum cantibus sollempniter impositis, praecedentes cum crucibus et sanctorum reliquiis, veneranda corpora digna reverentia deferunt in ecclesiam beati Ioannis baptistae; ibique missarum sollempniis celebriter expletis, abbatis sui pedibus, gaudentes quod eum cum suis omnibus salvum et incolumem receperunt, humiliter prosternunt, susceptique manibus a terra, mox ad pacis et caritatis osculum eriguntur. Quantum ibi gaudii et exultationis atque congratulationis inter spirituales spiritualiter sit habitum, testis est Deus inspector cordium, testis laeti rivuli lacrimarum, testis ecclesia videntium et audientium. Abbas itaque, fratribus suis in pace dimissis, ad illationem sanctorum postera die sollempniter agendam ipse in tuto suorum contubernio positus, fatigationem sui laboris latam iam ducebat levissimam, pro omnibus beneficiis suis glorificans misericordiam Omnipotentis.

43. Beatus igitur Modoaldus Trevirorum archiepiscopus altera die suae peculiaris et perpetualis sedis domicilium cum tot tantisque comitibus suis ingressurus, atque inibi curiam angelicis spiritibus et sanctis omnibus communem habiturus, noluit, quia nec decebat virum tantae auctoritatis, clam ingredi aut privatim suscipi; utpote quem morum nobilitas et generis altitudo commendabat et ordinis dignitas extollebat atque admirandae sanctitatis meritum insignibat. Quapropter innumera multitudo tam nobilium quam plebeiorum utriusque sexus et ordinis, videlicet monachorum, clericorum, laicorum, virorum scilicet ac mulierum, quorum Deus corda tetigerat et quos fraternus amor provocabat quosque devotionis intuitus et desiderium laetitiae spiritualis amorque divinae retributionis excitabat,

49) Videtur idem vicus esse, qui infra in miraculis Desle, in indice donationum l. l. p. 71 et 72 atque in Coelestini III. bulla l. l. Thesle, Thesli (hodie Deisel) vocatur.

undique confluebat, credens quisque, se felicem fore, quicumque tanti pontificis obsequiis 1107 mereretur interesse. Nocte igitur instante spiritualibus vigiliis carminumque melodiis ac divinis laudibus exacta infra ecclesiam beati Ioannis, mane autem iam solis iubare mundum Apr. 26 universum illustrante, post orationum synaxim missis ibidem celebratis, abbas cum praesentium multitudine cleri ac utriusque sexus plebis, imposito suis humeris feretro datisque laudum cantibus, in publico coeperunt ad locum diu desideratum, videlicet Helmwardicense coenobium, procedere die duodecimo egressionis eorum a Treverica civitate.

44. Appropinquantibus autem procedunt obviam primi pauperes et egeni, de sumptibus ecclesiae, iam a Christo beato Modoaldo cum loco ipso collatis, ipsa hora itineris medio abundanter refecti et laetificati, devotione qua poterant sanctum pontificem suscipientes et laudes gratiarum iuxta suae scientiae facultatem concinentes. His hoc modo praetereuntibus, ecce gloriosus militiae caelestis apparatus, cordibus videlicet ornatis corporibusque decenter palliatis, monachorum concio, praecedentibus in capite cruciferis necnon thymiamateriis cum devotionis studio. Inter hos cum nonnullis coenobii sui prioribus procedebat medius Corbeiensis praepositus idemque Sancti Viti martyris aedituus, gestans in ulnis scrinium auro gemmisque pretiosis mirifice fabricatum, in quo continebantur pretiosissimae reliquiae de corpore pretiosissimi martyris Stephani. Iuxta quem latere dextero incedebat frater spiritualis, portans lapidibus auroque decenter ornatum lipsanum gloriosissimi apostoli Petri. Horum duorum procerum caeli reliquias sequebantur multorum sanctorum pignorum in feretro baiuli cum gerulo brachii beati Auctoris archiepiscopi, qui dilectissimo fratri congaudens et advenienti quodammodo dexteram porrigens, in locum quietis et exultationis deducebat, quem, faciem eius praecedens, olim sibi praeparaverat, quique, legatione dudum suscepta, hortatu pio et amica suggestione hunc adventum eius illo effecerat. Hos utroque latere cum summa veneratione deducentes et advenientibus se cum debita reverentia obviam ferentes abbates duo, viri clarissimi, procedebant; qui statim suos humeros feretro devotissime supponentes, et thymiamata thuribulis adiicientes, praesentes omnes ad laudem Dei provocabant. Mox omnis professio, omnis generositas, omnis sexus et aetas in voces cantuum prorumpunt, his incipientibus, illis alternatim respondentibus, consonas carminum modulationes in altum offerunt, ut putaretur sub caelo nihil esse, quod a laudibus Dei posset vacare. Gaudebant et psallebant monachi, corde et animo intendentes dulcissimo pastori; congratulabantur et canebant contiguae regionis clerici, spem maximam gerentes fidelis patrocinii; exultabant et concinebant nobiles quique, multa clientum manu vallati fiduciaque magnae protectionis provocati; concrepabant et plaudebant utriusque sexus et aetatis populi, fide et spe continuae salvationis excitati. A fragore nimio tam multiplicis tamque confusae vocis omnis terra resonabat, saltuum densitas tinnebat, vallium concava perstrepebant, montium vertices respondebant, fluminum decursus, fontium stagnorumque sinus mugiebant, ut ad tantae sanctitatis introitum Isaiae compleretur vaticinium: ***Montes et colles cantabunt coram Deo laudem et omnia ligna silvarum plaudent manibus***, Isai 55, 12 quoniam venit Dominus et salvator in ius et dominium, quod ei praedestinavit ab initio rerum omnium creator; qui quoniam tanti patrocinii multiplicem largitatem ante tempora secularia suis praevidit[a] fidelibus, laudent illum caeli, terra, mare et omnis creatura eius.

45. Igitur cum tam multiplici virorum ac mulierum totiusque creaturae tripudio beatus Modoaldus, Trevirorum archiepiscopus et Helmwardicensis patronus, cum suis sociis et comitibus, beatae Mariae semper virginis ac principis apostolorum oratorii recipitur gremio; cuius parietes undique diversorum palliorum varietatibus ornati multisque luminaribus accensis irradiati, quodammodo hilarizabant in adventu novi rectoris et domini. Interim abbas, pater ipsius monasterii, cum coabbatibus suis fratrumque nonnullis conscenso pulpito postulatoque silentio, pauca populo pro tantae sollempnitatis laetitia intimavit, notitiamque sanctorum et causam adventus eorum replicavit. Deinde fide symboli praelibata et confessione plebis eminatim[50] suscepta, de indulgentia et remissione presentium omnium 50 pro sanctorum precibus et meritis collata cunctos admodum audientes laetificavit. Quo facto, viri cum mulieribus, senes cum iunioribus, pauperes cum divitibus, quisque pro

a) praevidet *A. SS.*

50) *eminatim* valere *generatim, en gros*, censet Carpentierus in Ducangii Gloss. med. et inf. lat. ed. Henschel.

1107. Apr. 26. facultatis suae modulo, sanctos diversis honorant oblationibus. Inter quos Sigefridus comes, illius regionis princeps nominatissimus, unum mansum hereditatis suae sancto Modoaldo tradidit cum familia cunctisque redditibus[51]; Erpo[52] quoque, vir illustris et ipse comes, mancipium unum satis spectabile cum uxore sua, addita in fabricam sanctuarii lapidum pretiosorum aurique notabili quantitate. His ita expletis, cum debita veneratione omnium denuo levatas sanctorum reliquias devexit in sanctuarium, collocans eas super beatae Dei genitricis altarium, cunctis beato Modoaldo corde et ore sollempniter concinentibus: *Ingredere iam in locum exultationis sodalium tuorum.* Erat hora diei tertia, qua Spiritus sanctus olim fida discipulorum replevit corda, qua etiam Deo devota familia Helmwardicensis coenobii, tanto sanctorum patrocinio vigiliis ieiuniis et orationibus acquisito meruit laetificari, sexto Kalendas Maii, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei.

Mai. 11. 46. Post haec die duodecima Maii, qua celebrantur natalis beati Modoaldi pontificis sollempnia, instante[a], multis fidelium ob honorem Dei et reverentiam tantae sollempnitatis undique confluentibus, vespertinalem matutinalemque synaxim exegerunt solito celebrius, amplificantes per omnia divinum officium in psalmis et hymnis ac canticis spiritualibus. Luce-
Mai. 12. scente demum aurora diei sequentis, hora tertia iam appropinquante, in arca lignea decenter abbas, circumstantibus fratribus, imposita sollempni letania, membra sancti confessoris Christi Modoaldi diligenter aromatibus condivit pallioque decenter involvit; coniungens eis corporum sodaliumque suorum pretiosissimas reliquias, videlicet beati Auctoris caput et duos artus, sancti Abrunculi mandibulas, sanctique Bonosi brachium, similiter aromatibus honorificentissime conditas et singillatim involutas.

47. Moxque finitis letaniis hoc oblationis testamentum obtulit audientibus cunctis: *Audite et intelligite, fratres et commilitones mei, quod vestro consilio et voluntate in omnia tempora aevi, inspirante Deo, agendum disposui. Huius beatissimi protectoris nostri Modoaldi, quem divina largitas post beatam Dei genitricem Mariam et post apostolorum principem, summum nobis patronum est dignata concedere, natalem, qui hodierna die colitur, constituimus et volumus annuatim ac si beati Petri apostoli sollempniter celebrari, diem sancti Auctoris ac si beati Andreae apostoli, aliorumque duorum suis in locis plena officii divini celebritate. Constituimus etiam, ex praecepto Dei et beati Petri apostoli ac ipsius sancti auctoritate, quod nullus successorum nostrorum praesumat violare, ut ex censu allodii, quod comes Sigefridus eidem concessit in ipsius translatione, cum additamento nostri census quantum sufficiat, perpetuum lumen ardeat coram altari semper virginis Mariae et eius venerabili corpore, ut ipsius interventu lux nobis perpetua luceat in perenni felicitate. Commendamus quoque et tradimus eius dominationi[b] et patrocinio nos et omnia nostra, ut locum hunc tueatur et protegat et inhabitantes in omni sanctitate et religione custodiat totamque familiam cum omnibus, quae iuris nostri sunt, regat et muniat, ac ab omni tribulatione et pestilentia totiusque necessitatis angustia defendat.*

48. His dictis, omnibus *Amen* respondentibus, arcam diligenter clausit ferreisque nexibus munivit atque clavis obfirmavit, fratribus sollempniter decantantibus laeta voce: *Laudem dicite Deo nostro, omnes sancti eius.* Deinde post missarum sollempnia levantes arcam suo imposuerunt loco super altare Dei genitricis Mariae cum decenti reverentia; ubi cunctis, cum fide quaerentibus, meritis sanctorum sanitatum patrantur beneficia, largiente domino nostro Iesu Christo, qui sanctos suos glorificat in caelo et in terra. Acta sunt haec anno dominicae incarnationis 1107, indictione 15, 4. Idus Maii, a venerabili Tietmaro[c], sexto Helmwardicensi abbate, anno ordinationis suae vigesimo septimo, regnante eodem domino nostro Iesu Christo cum Patre et Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

MIRACULA S. MODOALDI.

PRAEFATIO.

Omnipotentis Dei filius, cuius natura bonitas, cuius opus misericordia, manens apud Patrem et a Patre, Deus verus de Deo vero procedens ante tempora secularia, in fine seculorum caro factus

a) instante *addidi.* b) donationi *A. SS.* c) *Surius III, 230, ubi haec clausula legitur paullum mutata, praebet:* Thietmaro huius nominis secundo, successione autem sexto eiusdem loci abbate *cet.*

51) In donationum indice quoque apud Wenck II, Urk. p. 64 legimus haec: *Item in eadem regione* (Thuringia) *in villa, que dicitur Begedal, Sigifrithus comes tradidit sancto Modoaldo hobam* 1 *cum area et edificiis, atque duobus mancipiis; quae solvit* 5 *solidos.* 52) Cf. donationum indicem l. l. p. 66. 67.

est de virgine Maria mortisque supplicium pertulit in ligno crucis pro seculi vita. Ubi de latere suo ecclesiam productam formavit et Spiritu sancto subarrhatam sibimet desponsavit suique sanguinis pretio dotatam peculiari privilegio sub fidei chirographo copulavit, quam ascendens ad Patrem, unde venerat, suis discipulis regendam et per orbem terrarum longe lateque diffundendam ac trini nominis invocatione multiplicandam commendavit. Et ut id non trepide, sed solida plenaque animi constantia effectui manciparent, eorum corda sancti Spiritus illustratione corroboravit. At illi gratia tanti muneris impignerati, non ab uno sed in unitate fidei divisi, se ad partes a Deo sibi praedestinatas praedicantes doctrinamque suam signorum efficacia confirmantes contulere, sibique ius collatum ligandi atque solvendi quasi hereditarium successoribus suis tradidere ac per eos in omnem futurae posteritatis ordinem transtulere, mundum doctoribus replentes eisque regimen ecclesiae committentes, ut compleretur vaticinium, quod olim de ipsorum persona cecinit David psaltes [53]: *In omnem terram exivit sonus eorum et in fines terrae verba eorum.* Hoc ordine fidei et religionis per mundi climata multiplex ecclesiarum crevit fabrica, quibus ad regendum et corroborandum in locis capitaneis episcoporum praeerat sollertia, qui omni conamine mentis et spiritus primi pastoris vicem agentes et gregi commisso verbo et opere invigilantes, ad bravium vitae aeternae felici auspicio meruerunt pertingere. Ecclesiis nihilominus procul positis non defuit divinae miserationis visitatio, quas sanctorum iam secum spiritu regnantium secundum cuiusque fidem et meritum Christus illustravit patrocinio, ut quae minus in suis sedibus adhuc carne viventes peregissent, in locis a Deo sibi spiritaliter concessis per mortua membra sua signorum documentis et miraculorum attestationibus supplerent.

Unde contigit divinae miserationis munere, ut Helmwardicense coenobium, in provincia situm Saxoniae, a Paterbornensi matre ecclesia itinere unius diei remotum, abbate ipsius loci cum suis fratribus crebris ieiuniis, vigiliis, orationibus et lacrimis id apud Dominum obtinentibus, multimoda sanctorum pignorum mereretur patrocinia: duorum videlicet Thebaeorum martyrum nec non beati Modoaldi archiepiscopi Treverorum sanctique Auctoris eiusdem loci archipraesulis aliorumque multorum non minoris meriti et sanctitatis, quorum insperatus et omni humanae aestimationi incredibilis adventus ante unum ferme annum prodigiis et visionibus, si id unquam futurum autumari posset, fuerat praesignatus; quod ad glorificandam nostri salvatoris omnipotentiam huic opusculo inserere dignum duximus.

I. 1. Beatus Petrus, princeps apostolicae sedis, memor infirmitatis propriae per lacrimas et poenitentiam resolidatae, dignatus est inusitato mirabilique prodigio demonstrare, per sanctorum merita non solum corpora defunctorum ab ergastulo mortis ad vitam posse revocari, verum etiam prolapsa in voraginem peccatorum corda digno poenitentiae fructu a morte animae resuscitari, et prioris status merito locoque restitui. Anno dominicae incarnationis 1106, indictione 7.[a], 3. Kal. Iulii nocte, 1106. Iun. 29.
qua celebratur apostolorum passio Petri et Pauli, vestitis solito accuratius ipsius templi parietibus, multisque succensis luminaribus ad ornandam faciem rutulantis ecclesiae, cum suis lucernis, infusae aquae superpositis, sub arcubus columnarum undique ampullae dependebant vitreae. Matutinalibus vero sollempniis maiori ex parte consummatis, praecentore super tria cantica antiphonam imponente, beatus Petrus dum penderet in cruce, subito ampullarum una, a pendulo suo ligamine mirabiliter dissoluta, super lapideum parietis fundamentum altitudine pedum 15 corruit tam valide, ut omnibus incuteret motum mentis divinis laudibus intentis. Mox aedituus accurrens, ut saltem frusta colligeret fragmentorum, ita vas reperit sanum, ut in eo laesionis nullius appareret vestigium. Beatus namque Petrus suis supplicibus hoc miraculi prodigium voluit demonstrare, ut nomen eius invocantibus corde et ore, declararet indicium suae praesentiae. At aedituus, ne vel puncto temporis unius luminis detrimentum sustineret ecclesia, protinus conscensa scala, 53
vas quod integrum receperat, aqua replevit lucernamque superposuit, atque mirantibus cunctis, qui audierant et viderant, suo loco restituit.

2. Post haec tribus et semi mensibus decursis, 18. Kal. Octobris, die qua celebratur exaltatio glo- Sept. 14
riosissimae crucis, vas aliud vitreum, quod vacuum pendebat coram lignea nostri redemptoris imagine, fratre quodam funiculum ligaminis eius casu movente incaute, subito super terram altitudine pedum viginti cecidit; et quod in mille frustulis poterat prosiluisse, mirabiliter sustentatum divina virtute integrum permansit, excepto quod in inferiori parte fundi, ad indicium tam evidentis miraculi, rimae multae subtiles poterant vix discerni; nihil tamen inde humoris poterat egredi. Cunctis pene mortalibus liquet, quod vitrei metalli natura fragilis est et perspicax, tactu lenis et lubrica, labilis et sonora, multorum colorum diversitatem trahens artificis industria. Cui non incongrue comparari potest humanae conditionis substantia. Est enim homo carnis infirmitate fragilis, animo levis, visu lubricus, corde labilis, voce sonorus, per omnia divinis perspicax obtutibus, mentis multiplicitate varius, iuxta quod veridicis beati Iob docemur attestationibus: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, re-* Iob 14 1 2
pletur multis miseriis et numquam in eodem statu permanet.

3. Adversum tot et[b] alios innumeros adversitatis casus, quibus indesinenter et miserabiliter afficitur humanum genus, nec per semet ipsum ullo modo valet contraire, necesse fuerat levamen protectionis divinae sanctorumque patrocinia expetere, quorum suffragiis muniti, cuncta suae saluti adversantia valerent superare; ut cuiuslibet infortunii lapsum impediente fragilitate contingeret incurrere, contritionis offendiculum evaderent eorum levamine, psalmista testante: *Si ceciderit non collidetur, quia* Psal 36, 24.
Dominus supponit manum suam. Huius rei gratia fratres praenominati, propriae fragilitatis conscii suaeque consulentes utilitati, prona mentis intentione omnique cordis contritione pignora beati Modoaldi pontificis et sociorum eius promereri,

a) *immo* indictione 14. b) et *addidi*

53) Psal. 18, 5.

1106. susceptaque loco dignae venerationis condidere; quorum virtutes, quas Dominus ad laudem et gloriam sui nominis per eos in ipso coenobio vel ante adventum eorum dignatus est exhibere, quasque vel vidimus vel certa veridicorum virorum didicimus relatione, huic opusculo dignum duximus annotare.

1107. 4. Post adventum eiusdem beatissimi pontificis
Mai. 5. die nona, quae ob insigne gloriosissimae resurrectionis dicebatur dominica, nocte ipsius media venerabilis vir Adelbertus inclusus, cuius supra
54 mentionem fecimus[54], consurgens de modica quiete sui strati consuetudinarias Deo singultuum lacrimarumque victimas immolaturus, subito incurvatus perstitit, nec se omnino sursum erigere valuit. Quapropter manibus genibusque reptando cum gravi moerore suae reclusionis capellam ingreditur, nimiumque consternatus, quod solitum hymnorum psalmorumque pensum Deo persolvere non mereretur peccatis suis imputabat, sicque cum lacrimis aiebat: *Misericordissime Deus, licet optime noverim, quod tibi numquam debita reverentia seu devotione servierim et in omnimodo famulatu sanctorum tuorum negligens et segnis fuerim, tamen interdum pro posse et nosse tuae maiestati voluntarie sacrificavi. Nec enim flagella tuae severitatis, quae iuste mereor, spiritu contradictionis recuso seu stimulum tuum quasi recalcitrans perhorresco, sed mysteriorum tuorum dulcedine ductus et desiderio, mallem quantum in me est, si licitum foret, sacris altaribus tuis assistere, quam sacrorum tuorum expers existere. Quod quia nullis meis meritis obtinere valeo, ad te, pater benignissime, Modoalde pontifex, totis animi desideriis confugio, flagitans, ut tuis digneris precibus impetrare, quatenus hodie solito more divino conspectui laudis hostiam merear immolare.* Qui mox ut nomen sancti motu linguae formavit, lugubrem vultum a terra levavit, curvisque renibus divinae virtuti cedentibus ac erectis in usum pristinum vestigiis, ab hac repentina invalitudine permansit incolumis.

55 5. In villa monasterio contigua, Muthen[55] nomine, vidua quaedam aegritudinis nimietate ad extrema perducta obriguit; sed amicorum vocibus revocata, subito luminibus apertis etiam linguae usum recepit. Mox quibusdam suggerentibus beato Modoaldo votum vovit, statimque depulsa aegritudine sana surrexit. Quae de die in diem differens promissa solvere, neglectum oblivione contexit. Nec defuit iusta divinae animadversionis correptio; nam subito ex sensu facta, mentem perdidit. Sed a vicinis graviter increpita, se recollegit; quo nisu valuit ad ecclesiam cursitare[a], votum solvit, sensumque quem amiserat perfecte recepit. Matrona quaedam honorabilis cereum ardentem sanctis devote obtulit, obsecrans, ut non extingui deberet, quamdiu subsistere posset. Erat interea hospes in loco canonicus quidam Susaziensis, qui fratribus sextam quiescentibus, captata locorum considerandi copia, cum duobus viae suae comitibus ecclesiam est ingressus. Aura igitur serena totius spiraminis offendicula negante, cereus ille, qui, mirum dictu, facis ad instar flammivomos producebat globos in oculis contuentium, subito ignibus absumptis extinctus est, tantamque fumi copiam egessit, ut mentes mirantium admodum sollicitaret. Vixque unius horae interiecto spatio, divinitus igniculo reviviscente accenditur, atque post duas ferme horas denuo extinguitur, nec tamen ex eo quidquam fumi emittitur. Unde spectator attonitus tamque insolitae rei testem habere desiderans, unum ex fratribus monasterii, forte utilitati rei peculiaris secretius occupatum, vocat. Qui dum cursim properat, flamma caelesti meritis sanctorum famulante, cereus reaccenditur, et sic usque ad sui consummationem perseverans ultra non extinguitur. Quod miraculum ideo coram hospitibus patrare voluit dignatio divina, ut apud extraneos, quibus facilius persuadere solet visus quam auditus, in honore beati Modoaldi laudarentur Christi magnalia.

6. In villa iuris regii, Membrasteheim[56] dicta, nutriebatur puella parvula, quae languore subitaneo miserabili effigie in globum est contracta, ut talis renibus, pectorique brachiis adhaerentibus, et globo inter scapulas crescente, collum adeo comprimeretur, ut ei omnino facultas oculos sursum erigendi negaretur. Cuius intolerabili miseria patris matrisque inconsolabiliter cruciabantur viscera, et quia desperabant, omni humano medicamine consequi posse remedia, totis medullis ad divina confugiunt auxilia. Quapropter beato Modoaldo votum faciunt, videlicet pondus huius monstruosi corporis in victualibus, si meritis eius suffragantibus in usum vivendi languor saluti cederet membris debilibus. Nec distulit consuetudinaria pius pater medicamina. Nam aegra per horas incremento proficiens salutis, septima tandem die sanissima redditur parentibus suis. In suburbano Hildenesheim vir artis architectoriae gnarus cryptam ecclesiae, beati Modoaldi dedicatam nomini, tegebat; qui pedem laterculis incaute figens, deorsum labi coepit. Cuius casu territus sacerdos provisor ipsius cryptae, nec labentem valens retinere, exclamavit magna voce: *O domine sancte Modoalde.* Ad cuius nominis invocationem homo, qui comminui poterat super acervos iacentium lapidum, in pedes constitit; sed casus[b] stupore attonitus, titubante poplite lapsum faciens, latus alterum lapidi impegit, indeque manibus ad stratum deductus, sequenti luce sospes operi est redditus. Vir quidam diutina surditate multatus, aures cereas beato Modoaldo cum fide obtulit pro sui auditus recuperatione. Qui mox ut id, quod promiserat, implevit, auditum quem amiserat recepit.

7. Cuiusdam clientis ecclesiae porcus pinguis II.
factus repentina aegritudine morti propinquabat, quem dominus eius advesperascente die domo protractum sub divo dolens canibus exponebat. Hunc uxor e vestigio prosecuta, lugubri voce conquerebatur, longos sumptus ex tenui substantiola se sub una perdere hora; reflexisque ad basilicam luminibus, vovit beato Modoaldo, si convalesceret, caput eius cum spina. Postera vero die maturius exiens porcum, cuius partem sancto promisit, totum et

a) cursitans *A. SS.* b) casu *A. SS.*

54) At is ante non memoratur. 55) Vide supra pag. 294. 56) *Meimbressen*, opinor, prope Dimelam.

sospitem recepit. Quidam paterfamilias graviter conquerebatur, puerum sui iuris, pascendis equis occupatum, vestem suam furto amisisse; currensque ad investigandum, suspectam personam reperit, sed sciscitatus nihil indaginis ab eo recepit. Unde nimium consternatus, quo se verteret ignorans, beati Modoaldi auxilium cum fide inclamavit; statimque sibi visum est, vocem cuiusdam, se a longe bis vel ter vocantis, audire. Quo spe recuperandi concito tendens, cumulum graminis et foliorum recens aggestum conspicatur, scrutatusque reperit, quod quaerebat. Matrona quaedam ex optimo pallio limbos se dolens amisisse, singulas arcae suae induvias perscrutando exponebat; nihilque indicii reperiens, sancti Modoaldi auxilium implorabat. Et quia desideranti non sufficit semel aspexisse, arcam denuo aperuit et in supremo vestium quod quaerebat invenit. Fratribus monasterii aliquando lapidem pergrandem a monte caedentibus, montis supereminentis moles magna, rimis iam patentibus, ruinam sui minitare coepit. Mox invocato nomine beati Modoaldi quasi fixa perstitit, donec educto lapide cunctisque egressis nihil restaret periculi; statimque corruens, concavum illud per grande summotenus replevit, liquido contestans, cuius meritis sustentata penderet.

8. Puer quidam, hora vicinae mortis incumbente, strato cubabat exanimis, pro quo circumstantes beato Modoaldo supplicationum vota vovebant. Mox aeger subitaneo sudore perfusus, luminibus palpitat, potuque postulato et sumpto, amicorum fletus in gaudia commutat. Alius quidam de villa Bodenhusen[56*], repentino tumore tibiae vitalia occupante, accersitis valedixit parentibus, quasi iam universae carnis viam ingressurus. Qui fide integra spem recuperandi eius capescentes, longitudinem tumentis tibiae in filo argenteo voverunt beato Modoaldo; statimque aeger sancti virtute comperta, quasi tepenti latice perfunderetur eius tibia, mirantibus laetantibusque cunctis, surrexit incolumis. In loco, qui Geismari[57] dicitur, subitaneo incendio vim suae depopulationis exerente, maxima pars ipsius villae favillis patebat, in cuius exterminii confinio anus quaedam decrepita commanebat. Quae dolens totius stipendii sui summam perire, si casellam suam, quam vorax flamma lambebat, contingeret amittere; totis animis est ad Deum conversa; et quoniam spes deerat humana, arrepto lychno ambitum ipsius habitaculi coepit interius metiri, cum fide spondens beato Modoaldo, ob liberationem suae substantiolae, tantae longitudinis candelam se delaturam coram venerando eius corpore. His dictis, quasi iam mutuae sponsionis resumpto pignore, spei intendebat divinae. Miratur interea plebs promiscua, furentes flammas tam humilis tecti arentes stipulas non posse absumere, quarum impetum magnorum roborum maceria nullo modo potuerat evadere. Quapropter, nuntio perscrutante, rei eventum edocti, mox quasi uno ore prorumpentes in invocationem nominis beati Modoaldi, carmen laudis eius publicis concinebant vocibus. Illico flammarum globi, caelesti virtute compressi, penitus sunt absumpti.

9. In villa Lovinae[58] presbyter provisor parochiae stratum fovens, continua aegritudine ad hoc perductus est, ut nisi supposita sindone nullo modo converti valeret in alterum latus. Qui per somnium commonitus a matrona reverendi habitus, beato Modoaldo votum vovit, statimque melioratus in brevi convaluit et de cetero emendatior vixit. Huic puer proximus consanguinitate, tibiam ferebat contractam languoris nimietate; at presbyter, suae sospitatis fidem retinens, pro huius quoque recuperatione beato Modoaldo votum vovit; statimque puer tibiam extendens, die duodecimo pleniter convaluit. Vir quidam officio gyrovagus, alieni indigens stipendii, populorum frequentiae coniunctus, quos late cogebat miraculorum fama et instantis sollempnitatis laetitia, in natali principis apostolorum Iun. 29.
Helmwardicense petebat coenobium. Quo accedens cernensque promiscuae plebis catervas pene omnes occupare semitas, erroneo spiritu tactus, ait viae suae comitibus: *Miror, tot catervas frustra velle tanti itineris fatigationem consumere pro mortuorum ossibus ignotis, quae collegit loci huius abbas de partibus peregrinis, cum tot, aut plura, seu fortassis meliora reperiri possint in confiniis nostris.* Quod blasphemium divinae animadversionis censura nequaquam passa est inultum praeterire. Nam miser ille subitae vertiginis stupore perculsus, in ora omnium supinus corruens, iacuit curvus. Statimque mentem recolligens, suique reatus poenam agnoscens, monasterium ingreditur reptabundus, misericordiam beati Modoaldi crebris inclamans vocibus, nec exaudiri est meritus. Indeque se manibus retrahens, per reliquam diem totamque noctem coram coenobii liminibus procubuit, palam protestans cunctis ingredientibus, se iusta pati, se culpis suis exigentibus deteriora mereri. Sequentis vero diei Iun. 30.
crepusculo, recuperandi spe animatus, vovit beato Modoaldo quoad viveret, quia liber erat, censum capitis sui. Statimque resumptis viribus surrexit incolumis, ingressusque basilicam, coram astantibus novum suae salutis dominum dignis extulit prae- 57
coniis.

10. In villa Disiae puer parvulus utriusque tibiae debilitate multatus, quacumque ducendum erat officio manuum utebatur pro pedibus. Cuius parentes tandem beato Modoaldo filum argenteum vovere statimque consolidatis membrorum compagibus, puer integrae sanitati est redditus. In confinio ecclesiae piscatoris cuiusdam filius tanta vi paralysis subito est percussus, ut, omnium membrorum viribus amissis, quaquaversum sistebatur, maneret immobilis. Quem pater arreptum ad coenobium detulit, consultisque fratribus aequi ponderis eius votum beato Modoaldo vovit; statimque sospitate pueri impetrata, incolumem eum secum reduxit. Quidam ministerialium ecclesiae pro responsis competentibus ad coenobium profectus, nummos in necessariae rei usibus expendendos a fratribus suscepit, quos incaute marsupio imponens perdidit. Quo post duas fere horas comperto, coram sanctuario beati Modoaldi ingressus procumbit; ac primo, quia erat vir tenuis substantiae, damni sui ordinem replicat, deinde cur sanctus famulum, cum possit,

56*) Bodensee; cf. Vaterl. Archiv 1834 p. 445. 57) Hofgeismar. 58) Fortasse *Lowen*, quae villa a monasterio miliaria fere quatuor abest in occasum versus.

abinde non custodierit, imputat; fateturque se illi nullo umquam famulatu obsecuturum, nisi perditum restituat. His cum fide peroratis, egreditur; et mirum dictu, in plateae medio inter omnium euntium redeuntiumque vestigia nummos singillatim[a] iacentes integro numero reperit. Idem postea de commissis responsurus ad monasterium proficiscitur et apostolicae sollempnitatis nocte equum suum, somnolentia custodis neglectum, furto amisit. Quo nuntio mane, cum iam redire pararet, nimium consternatur; sed statim fiducia praeteriti miraculi animatus, consueta beati Modoaldi patrocinia implorat. Deinde nummo coram eius sacratissimo corpore cum fide oblato, redeundi iter pedes arripit, equestria, quibus veniens consederat, collo referens. Qui modice amplius tribus miliariis emensis, equum graminibus impositum solum reperit, impositaque sarcina laetus domui redditur et de cetero sanctis promptiori famulatu obsequitur. Alius quidam de villa Desle ab instantia diurni operis domum rediens, nummos, quos marsupio multos commiserat, se funditus perdidisse dolebat. Quapropter consultus ex omnibus illis unum beato Modoaldo vovit, ut sua ope omnes dignaretur insinuare. Mane vero maturius surgens labori laborem addere, mox
61 ut vomeris impulsu sulcos coepit evertere, nummos integro numero coram vestigiis expositos aspexit hilari facie.

1107–1127 11. Henricus, bonae memoriae Patherbornensis episcopus, diutini languoris incommodo per merita beati Modoaldi liberatus, coenobium petebat sancto gratiarum libamina oblaturus. Cui ne vacuus appareret, duas armillas aureas, quas sibi forte quidam in itinere detulerat, sancto vovit; digitisque incaute has inserens, unam repente perdidit. Inde amplius miliarii spatio pertransito, subito ad manus respiciens, damnum deprehendit, accitumque legatum ad requirendum dirigit. Quo reperiendi diffidentia nutante: *Si*, inquit, *sancto pontifici mea ex illis complacet oblatio, idque criminum meorum numerositas non impedit, spei meae nullo modo fraudabor votis.* His dictis itum est, et ecce in quadrivio frequentiaque promiscuae plebis omnium aspectibus celata et solius quaerentis obtutibus revelata armilla episcopo redditur; quam ille compari copulans votumque suum beato Modoaldo reconsignans, eius gloriam duplicibus efferebat laudibus adeptae sospitatis et repertae oblationis.

59 12. Quodam tempore flumine[59] coenobii alveos suos excrescendo superante, transitus per pontem negabatur et pauperculus quidam viator, sanctorum postulaturus suffragia, navigio transferebatur; qui amnis in medio vi fluctuum superatus demergitur. Mox a contuentibus commonitus, nomen beati Modoaldi totis invocat nisibus, sicque mirabiliter undis sancto nomini famulantibus, ad terram devectus evasit, baculumque suum qui procul abnataverat
60 recepit. Matrona quaedam de villa Brunestheim[60], de subitanea conflagratione domus suae damnoso divinationis suscepto nuntio, votum pro ereptione eius vovit beato Modoaldo. Nec multo post, semel per noctem, semel per diem repentinum prorumpens incendium nominis eius invocatione mirabiliter extinguitur, et sic de cetero libera mansit ab omni incommodo. In necessariis ecclesiae usibus, quadratariis aliquando lapides de monte caedentibus, unus ministrorum enormi saxo impulsus prosternitur, cruribusque compressis pene exsanguis reperitur. Cumque tantae molis immensitate minutatim contritis ossibus, vix supremum spiritum putaretur trahere, invocato nomine beati Modoaldi, lapidem multo annisu removentibus sociis, qui moriturus credebatur, evasit incolumis. In possessione ecclesiae, Desle dicta, paupercula quaedam filium triennem alebat, qui subita paralysi a renibus deorsum percussus, gradiendi officium penitus amiserat. Pro cuius recuperatione mater plena fide beato Modoaldo filum argenteum vovit, eumque sequenti crepusculo lecto expositum perfecte ambulare laetissimo vultu aspexit. In eadem villa parvula repente alterius tibiae languorem incurrebat, quam, deteriora per dies sentiendo, diutius reptabunda trahebat. Cuius incommodo mater dolens, aequiponderis eius pensum beato Modoaldo vovit, statimque sospitate regressa, relevata pleniter convaluit.

13. De vico Aldendorf[61] colonus quidam, nimio capitis dolore percussus, utroque est lumine orbatus. Hic in una noctium nomen beati Modoaldi fideliter invocans, somno corripitur, indeque penitus expergiscens, virtute sancti incolumis allevatur. In eadem villa mulier quaedam filiam, aegritudinis nimietate lecto cubantem, aspectu miserabili diebus quinque cum noctibus observabat; quae pene membris omni sensu, excepto tenui spiramine, vacuatis, luminibusque compressis, nec modicum quidem palpitabat. Die tandem sexto pro eius ereptione mater beato Modoaldo tegmen capitis cereum vovit, statimque puella, oculis in usum videndi laxatis, surrexit, viribusque resumptis convaluit. Eiusdem coenobii frater quidam monachus pedem alterum incaute ambulando reflexit et exinde gravi molestia per dies fatigare coepit. Dolore siquidem continuo praecordia stimulante, nihil quietis percipiebat, sed crebro dies cum noctibus insomnes ducebat. Tandem metuens totius tibiae paralysin incurrere, toto corde ad Deum conversus, beato Modoaldo votum vovit, videlicet annuatim in ipsius sollempnitate omnibus propinquis eius missam defunctorum se celebraturum pro sui recuperatione; statimque per dies languore decrescente, integra fruitus est sospitate. In oppido Visbike[62] mulier quaedam diutini languoris nimietate fatigata, in una noctium admonetur, ut si velit sanitatis gratiam percipere, beato Modoaldo votum debeat vovere. Quae, die reddita, nomen eius ad id usque incognitum edocta et qua locorum requiesceret certificata, votum vovit, nocturnalem candelam misit; nec mora, convaluit.

14. Anno Domini 1274 indicto concilio a Gregorio papa huius nominis decimo, in Lugduno celebrando, et multis, ut decuit, ex omni provincia confluentibus, contigit unum ex fratribus nostris III.

a) sigillatim *A. SS.*

59) Dimela. 60) Num *Brunsen* (villa Brunsvicensis)? 61) Videtur esse *Mark-Oldendorf*, vicus Hannoveranus; aut *Hessen-Oldendorf*. 62) ad Visurgim, in dioecesi Mindensi.

monachum, vice nostri monasterii transmissum, illo cum aliis properare. Qui cum civitatem Treverim attigisset, meminit et recolere coepit venerabile nomen et adventum beatissimi Modoaldi, nostri patroni, digne nobis semper memorandi, quem ex illa civitate nobis translatum, per annuam et frequentem lectionem domi audierat. Qua memoria attactus et ferventior redditus, discurrere coepit animo et corpore et hinc inde perquirere, sicubi, quod ad sanctitatem et reverentiam praedicti sancti et venerabilis Modoaldi pertineret, aut visu aut auditu percipere posset. Cumque a nemine aliquid certi audiret, quia res pene a memoria omnium lapsa fuerat, tandem ad ecclesiolam, propter vetustatem iam semirutam, sancti Symphoriani martyris, quam a beato Modoaldo constructam audiverat, divertit; ubi quandam feminam religiosam pro Christi nomine inclusam reperit. Cui dum causam suam aperiret et nomen beati Modoaldi repeteret, illa rem consideravit; et stupens et admirans, nomen sancti huius et memoriam in remotis et alienis partibus fieri et haberi, exultans et collaetans ad sepulcrum eius, ubi primum in pulvere terrae ante notitiam sanctitatis et miraculorum eius sepultus fuerat, ipsum perduxit; ubi istos versiculos quasi semiscriptos et pene deletos invenit, quos propter vetustatem vix intra se quasi cordetenus elimare potuit anno translationis eius venerandi corporis ad nostrum monasterium centesimo sexagesimo septimo:

Regnas cum Christo, loculo translatus ab isto, 1274.
Carnis flore meram linquens, Modoalde, Severam.
Treveris iste pater, sacri gregis haec quoque mater,
Hic fuerant una, genetrix quos edidit una,
Iuncta soror fratri, sub tempore funeris atri,
Caelitus electi, terrae sub pulvere tecti.

Quos, quia venerabilis domini et patroni nobis dilecti et quia divinitus a Deo collati merita et praeconia efferunt et commendant, sub silentio praeteriri non sivimus; hos qui sequuntur, licet memoratu indignos, pro aliquantula devotione adiungentes:

Nomine tu proprio digne dictus *Modoaldus*,
Omine non dubio, vere *modo* crederis *altus*.
Tu procerum soboles, caeli civis inter heriles,
Ut lampas clara radians Domini super ara.
In caelis consul pro nobis factus es exul,
Cum primis primus hic nobiscum peregrinus,
Hic delecteris, humilisque gregis memoreris,
Nobis placeris, qui quod petis omne mereris,
Consors sanctorum, certissima spes miserorum:
Verum solamen scriptis Deus annuat. Amen [63].

Habentur adhuc plurima miracula in libro miraculorum sancti Modoaldi, in hoc loco per ipsum hominibus facta, demptis his, quae in hoc libro continentur; quia super his specialis adhuc deputatus est liber. Cum autem iam completus sit, videtur mihi necessarium huic alterius inscribi [a].

EX TRANSLATIONE SANCTI AUCTORIS.

..... Hiis ita gestis et omnibus rite peractis [64], anno dominicae incarnationis 1115,[65] indictione 8. Kalendis Septembris sollempniter invitatis reverendo apostolicae sedis Theoderico tunc legato, ac venerabili Halberstadensi antistite Reynhardo, et collecta numerosa cleri concione cum imperiosa procerum turba et pompa gloriosa, infinita tumultuantis vulgi circumstante corona, facta est celeberrima ac famosissima dedicatio [66], et spiritali gaudio ac speciali tripudio intime celebrata in memoriam et honorem et reverentiam sanctae et individuae Trinitatis, et sacrosanctae crucis, et intactae Dei genitricis semperque virginis Mariae, et beati Iohannis euangelistae, necnon etiam sanctissimorum confessorum Egidii et Auctoris, ac aliorum plurimorum sanctorum .....

Hanc autem ecclesiam benedicta Gerthrudis decenter dotavit et competenter ditavit, et ad monasticae vitae regulam ducendam et observandam cum benivolo haeredum suorum consensu rationabiliter delegavit, et laudabilem et religiosam con- 64
gregationem, ad incessabilem Dei laudem excolendam et ad sanctorum praeconia concinnanda et concinenda apto et ydoneo studio maxime congruente in iam dicta ecclesia constitutam et coadunatam, secundum ordinem beati Benedicti super omnes ordines autenticum et probatum, honorabili domino Heinrico abbati de Bursfelde provida, iusta et timorata domina commendavit; cuius auctoritate, 66
quae iam praemissa sunt singula, regulariter ordinavit.

Porro itidem reverenda matrona de longe advectum venerandum honorifice collocans depositum; scilicet memoratum mirae sanctitatis corpus beatissimi Auctoris, reliquasque reverendissimas reliquias praetaxatas in honorificentissima dignissima ac eminentissima parte sanctuarii praesentis ecclesiae saepe dictae, cum intima diligentia ac summa devotione clero ymnizante et populo reverenter tripudiante, polito recondidit in locello. Et cum haec

a) *reliqua praetermisi.*

63) Hic sequebantur carmina: de generosa progenie ducum, regum et imperatorum, nepotum scilicet et pronepotum praeclari et beatissimi pontificis Modoaldi, archiepiscopi Trevirensis, tali principio:
Praesulis Itta soror, data Pippino fuit uxor,
Haec Beggam genuit, quae Pippinum generavit etc.
Diversa deinde manu subsequuntur rythmi alii, per modum antiphonae, cum hac oratione: *Praesta, quaesumus ineffabili tua clementia, Deus, ut sicut beati Modoaldi confessoris atque pontificis corporali nos fultos gratulamur praesidio, ita et spiritali tutos sentiamus patrocinio.* GAMANSIUS. 64) i. e. monasterio ecclesiaque conditis Brunswici a Gerthrude marchionissa, Lotharii Saxoniae ducis socru. 65) a. 1115 Sept. 1. 66) Cf. Lotharii imperatoris diploma in Or. Guelf. II, 519.

omnia tam affectuose quam effectuose consummasset, curriculo duorum annorum tantundem de-
1117. cursu, emerita marchionissa Gerthrudis viam uni-
Dec. 9. versae carnis feliciter ingressa 5. Idus Decembris, toti Saxoniae regioni, et praecipue huic plantationi memorabile nomen reliquit, et insigne memoriale quasi haereditario iure perhennavit . . . . . .

At fidem hominibus firmius aedificandam et spem securius excitandam, et ad ardorem dilectionis et reverentiae circa suffragia ac patrocinia sanctissimi Auctoris fiducialius provocandum, de signis ac miraculis ab eodem sancto gloriose peractis et evidenter ostensis, prout verius indagare valuimus, quiddam duximus ordiendum. Huic civitati, quae
1200. Bruneswich dicitur et famose divulgatur, olim gravissimae persecutionis periculum imminebat. Iam rex Philippus cum principibus, magnatibus, baroni-
67 bus, castellanis et cum Treverensi archiepiscopo[67] tunc dominante, qui post regem primus nominandus est, et cum validissimo exercitu iam dictam civitatem strenue vallaverat et potenter. Unde inhabitatores eiusdem civitatis metu perculsi coangustabantur, et quid inirent, vel quo diverterent, ambigebant; sed ad Deum vel beatissimum confessorem atque pontificem praedictum Auctorem tam iuvenes quam senes utriusque sexus unicum et speciale refugium habebant. Cui celebria obsequia exhibebant, et sollempnes cerimonias cum condigna veneratione spoponderant perhenniter observandas.
Aug. 20. Eodem autem tempore occurrit annua sollempnitas eiusdem beatissimi Auctoris, cuius corpus mirifice transvectum est, sicut praedictum est, et in ecclesia beatissimae Dei genitricis Mariae sanctique Egidii confessoris in Bruneswich honorifice requiescit.

Aeramentis ergo campanarum festivo more resonantibus, praedictus archiepiscopus Treverensis sciscitatus est a custode eiusdem ecclesiae ad se misso pro missa in die sancta celebranda, quid innueret talis compulsatio. Quem ille taliter est affatus: *Adest festivitas sacrosancti Auctoris, quondam Treverensis archipraesulis, cuius sanctissimum corpus mirabiliter huc adductum et in ecclesia nostra venerabiliter collocatum ex devoto arbitrio et unanimi consensu universorum Brunswichcensium civium totius huius civitatis optinuit patronatum.* Igitur memoratus archiepiscopus per eumdem custodem de causa huius festivitatis rationabiliter expeditus, ammirando in haec verba prorupit: *Si corpus sancti Auctoris, sicut asseritis, ad vestram ecclesiam est delatum, profecto noveritis vos dignissimas reliquias praecipuorum sanctorum, videlicet Mauricii, Bartholomaei, Thadaei, Cosmae et Thebaeorum et Florinae virginis et martyris, aliorumque sanctorum recepisse pariter in loculo eiusdem sancti Auctoris, in maxima quantitate.* Super quo custos, Helyas nomine, medullitus gavisus, gratissimum retulit nuntium fratribus suis, et veritate per experientiam comperta nobis tradidit describendum.

Nocte vero subsecuta beatus Auctor praedicto apparuit archiepiscopo, dicens ei: *Ego ex voluntate Dei mei Brunsvichcensis civitatis mihi moenia praeelegi, in quibus quam diu debito modo honoratus fuero, ea nullatenus derelinquam. Propterea quae vidisti et audisti, expone quantocius regi, ne moram ulteriorem aliquatenus facere praesumat in obsidione meae carissimae civitatis; alioquin ipsi et tibi atque universo exercitui vestro interitus superveniet repentinus.* Quod idem archiepiscopus evigilans mane per ordinem intimavit regi superius memorato. Qui impatiens, more solito castra cieri mandavit, et citissime obsessam postponens urbem, aufugit cum universis suis complicibus et fasallis. Prius autem quam discessissent, praefatus archiepiscopus exutus lineis et discalciatus ad persolvendum votum, pro huiusmodi delicto factum, limina oraculi beatissimi Auctoris humiliter petierat ac devote . . . .

MIRACULA BEATI EGIDII

AUCTORE PETRO GUILLELMO.

INCIPIT PROLOGUS IN MIRACULA BEATI EGIDII.

fol. 24'. Reverentissimo patri domno Hugoni[68] abbati monasterii[a] sancti Egidii, quod in valle Flaviana[b] situm est, frater Petrus cognomento[c] Guillelmus,[d]
69 eiusdem loci bibliothecarius, debitum in omnibus ut filius famulatum. Cum ordinis nostri professio exigat, ut maiorum imperiis obtemperare debeamus, tunc praecipue, cumque iusta et amabilia sunt, quae praecipiuntur, omni annisu praelati imperium subiecti obedientia comitari debet. Iniungit michi siquidem paternitas vestra, ut ad consolationem
fol. 25. tribulationum, quas incessanter patimur, de miraculis sancti patris nostri, sancti Egidii, aliqua memoriae tradamus, per quae et legentium animi aedificentur, et impugnantium nos saevicia, audito virtutum eius praeconio, a fervore maliciae suae aliquatenus compuncta resipiscat. Itaque praeceptis vestris obsecundans, in primis lectorem ammoneo, quatinus adhibeat fidem dictis, memineritque verborum Domini per ewangelium[69] dicentis: *Quia qui in me credit, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet.* Nec enim frustra vel sine certi experimenti causa tot nobiles ac mediocres simul cum infirmis diversi sexus conditionis et aetatis ad istius sancti sepulcrum venerandum conveniunt, qui profecto, nisi diversis necessitatibus certissime eius suffragium experti fuerint, nequaquam de tam longe remotis terrarum partibus mortique periculisque iterum se obicientes, tam copiose confluerent. Verum haec breviter dicta sufficiant. Nunc de miraculis ipsius, cum plurima

a) monasterio *cod.* b) *sic Mabillon,* Flaveana *cod.* c) cognomento *Mabl., deest in cod.* d) Guillelmus *Mabl.,* Wilhelmus *cod.*

67) Iohanne. 68) Hugo est abbas factus circiter a. 1106, obiit circ. a. 1124. 69) Ioh. 14, 12.

iam gesta suppetant, recolens ea solummodo, quae nostris temporibus per eum Dominus operatur, omissis illis, quae quorumlibet relatione audivi, ne quis ea velud frivola diiudicet aut contempnat; et ea tantum partim, quae fidelium virorum attestatione probata sunt, partim oculis nostris visa, quaeque relatu digna videntur, describere curabo. Subveniat ergo michi domini nostri Iesu Christi gratia simul et misericordia, ne qui gravi scelerum ac flagitiorum[a] honere deprimor, dum iusticias et testamentum ipsius per os meum assumere praesumo, ob hoc in improperium dampnationis convertar, sed digne ipsum, qui in sanctis mirabilia operatur, laudare et benedicere merear. Amen.

'*De muliere manibus contracta.* Anno incarnationis Domini 1088 cum domnus Reinoldus[70], venerabilis Remorum archiepiscopus, apud Asconam consecraret locum illum, in quo fratres nostri venerandas reliquias manus dextrae beati Egidii, quas secum in Fransiam[b] ex praecepto piae memoriae abbatis Oddonis[71] detulerant, collocare et monasterium aedificare decreverant, contigit, ut in sabbato sequenti quaedam mulier ita manibus contractis, ut ad nullos usus sibi proficerent, causa recuperandae sanitatis adveniret. Quae vociferans et clamans prae nimia angustia, quam patiebatur, audiente universo populo ipsius villae, hoc saepius repetebat: *Sancte Egidi, adiuva.* Cumque pervigil in oratione tota nocte cum viro suo ante venerandas reliquias mansisset, mane facto fratres, qui divinis laudibus intererant, enixius rogare coepit, ut hiisdem reliquiis eam consignare vellent, asserens procul dubio quia, si haec fierent, statim sanitati, sicut per noctem in visu revelatum fuerat, redderetur. Tunc fratres genibus flexis in oratione pro ea deprecabantur. Unus autem ex ipsis cum tremore divino reliquias sumens in manibus, eam in nomine sanctae Trinitatis consignavit. Quod cum factum fuisset, statim manibus flexibiliter directis, beato Egidio interveniente, sanitati ex integro restituta est. Hoc autem non solum videntibus monachis et clericis, verum etiam innumerabili plebe, quae de multis locis causa orationis confluxerant, actum est. Licet vero ante nostram aetatem hoc factum fuerit, tamen[c] quia supradictus 'archiepiscopus hoc in privilegio, quod ecclesiae nostrae super eundem locum dederat, quem voverat construendum, annotari[d] praecepit, nosque in hoc loco primum ponere decrevimus. Cetera, quae sequuntur, nostra aetate provenerant.

De quodam suspenso post triduum vivo. Duo nobilissimi duces Allemanniae suggestione diaboli adversum se invicem discordantes, dum quisque alterius terrenum honorem auferre moliretur, multa caede ac detruncatione hominum facta, de sibi subiectis magnum detrimentum patiebantur. Is vero, de quo sermo est, cuiusdam ex ipsis maior domus, cum esset adversarium domini sui multis cladibus infestans, exercitum illius crebris expugnationibus depopulabatur. Nocturnis etiam insidiis et diurnis assultibus multam praedam auferens, villas eius domosque igne succendens, terrae coaequabat. In hiis et huiusmodi operibus dum diu noctuque versaretur, ac nullatenus hostes domini sui quietos manere pateretur, tandem inter utrosque principes congressione facta, cum ex utraque parte multi corruissent plurimique captivi ducerentur, inter alios forte et hic[e] ab hostibus captus est. Hii autem, qui eum ceperant, nequaquam ceteris velud captis et devictis insultantes, immo vero ut videbatur eorum captionem omnino parvipendentes, super hunc solum acclamabant, hunc alii suspendi, alii ignibus concremari, plurimi etiam bestiis eum proici postulabant. Quorum vocibus ac minis stupefactus et perterritus, conversus ad principem, coepit magna promittere et maiora profiteri, aurum argentum iumenta ac 'possessiones multas, si sibi vitam tan- fol. 26'.
tummodo et impunitatem membrorum condonaret, seque de cetero fidelem sibi et adiutorem fidelem fore, sub iuramento quodam horribili asserebat. At ille nichil hiis precibus moveri; numquam eum auro vel argento redimi, quippe qui sibi dampna tot intulerat, sed in momento eodem ad suspendium duci praecepit. Cumque ad necem duceretur et ad id peragendum omnes sedule instarent, sciens ac recogitans sententiam sibi datam non posse mutari, inter manus inimicorum conversus ad sanctum Egidium huiuscemodi fertur orationem dixisse: *Sancte Egidi, confessor Christi, cuius sepulcrum semel, non digne nec ut oportuit, oraturus tamen expetii, succurre in hac hora michi misero in ipso mortis ingressu posito, et ne me patiaris tam turpi et inhonesta morte interimi; ne me patiaris hanc in vanum[f] precem effundere. Serve Dei excelsi, sicut multis periclitantibus saepius subvenisti, ita et michi nunc succurre, ut iterum locum tuum possim revisere.* Licet haec sedulus oraret saepius et sanctum Egidium invocaret, illi tamen, nichil horum intendentes, usque ad locum, quo puniendus erat, eum perduxerunt. Illi vero magno strepitu ac tumultu facto, scissa de eius veste quadam fasciola oculos eius, ut moris est, obduxerunt; deinde laqueum collo subnectentes, calciatum et indutum vestibus suis inter duas trabes valde altas eum suspenderunt, et sic quasi victoria patrata unusquisque in sua redierunt. Sed Deus omnipotens precibus sancti Egidii motus, cui isdem tam diu supplicaverat, preces eius nequaquam frustratus est. Etenim tota die illa et nocte ac die sequenti vivus permansit, et ipsum eo usque 'deprecatus est, donec ante eum fol. 27.
subito astitit et dixit: *Quomodo te habes, o frater?* At ille inquit: *Bene, domine, si tantummodo hanc poenam vivus evadere possem.* Sanctus Dei confessor appropians ei, quamvis excelsus penderet, laqueum de collo dirupit ipsius, linteolumque desuper oculos auferens, dixit ei: *Ego sum Egidius, quem invocas et reclamas. Surge, et sicut promisisti, ad domum meam pergens, haec inter signa, quibus suspensus eras, in argumentum fidei defer, et enarra, quanta tibi fecerit Deus.* At ille surgens, procidit ad genua eius, gratias agens pro collato beneficio statimque progrediens per fines eorum, qui se ceperant, transiit, nusquam ab aliquo eorum visus vel agnitus, donec emenso itineris spatio in locum, quo

a) flagiorum *cod.* b) Fransia *cod.* c) tum *cod.* d) q̄ notari *cod.* e) hiis *cod.* f) vanam *cod.*

70) sedit ab a. 1083 ad a. 1095. 71) rectius Odilonis (abbatis Sancti Egidii).

sacrosanctum beati Egidii corpus requiescit, supplex ingressus est. Ubi praesentibus sociis suis, qui ab ipso et ab aliis audierant et partim viderant, et attestantibus inter utriusque sexus maximam multitudinem, retortam atque fasciolam de manibus eius suscipientes, ante sancti sepulcrum suspendimus ac pro tanto miraculo Deo et sancto Egidio, prout nostra possibilitas optinuit, laudes et gratias reddidimus.

De transmeatione aquae absque remige facta. Quidam cum quosdam Pictavensis territorii oratores gressum sit[a], quia dignum memoria videtur, explicemus. Quidam Pictavenses viri fere triginta cum, de orationibus huius sancti confessoris Egidii remeantes, ad terram suam cum gaudio[b] reverterentur media pene hyeme, ad quendam venerunt fol. 27'. fluvium. Denique ex illa parte, unde transituri adveniebant, a tribus ferme milibus prope fluvium nullatenus domus[c] vel habitaculum quodlibet erat; ad ulteriorem ripam iuxta quaedam villula erat, in qua hii, qui navigio transportare solebant, manere videbantur. Sed illis diebus isdem fluvius multa pluviarum ac nivium inundatione in tantum intumuerat, ut[d] nec transvadari nec quolibet navigandi amminiculo nisi vix transmeari posset. Qua de re hii etiam, qui navis rectores erant, ad ulteriorem ripam, quae villulae suae contigua erat, eandem navim cum cathena, ut moris est, illaqueaverant. Illi autem homines importunitate temporis commoti, propter pluviam scilicet et ventos ac frigus, quod imminebat, nec retro, quia villa longe aberat, redire poterant, nec fluvium, quia navis deerat, transmeare. Denique elevatis in altum vocibus eos, qui non aderant, vocantes, littora longe lateque clamoribus implebant. Sed nec quisquam[e]. Etenim unusquisque homo propter imminentem aeris intemperiem sub umbraculo domus suae quietus torpebat. Igitur videntes se in arto positos et omni humano solatio destitutos, conversi ad sanctum Egidium, fusis multis lacrimis et precibus ipsum invocabant dicentes: *Sancte Egidi, famule Christi, sicut credimus te apud Christum pro nobis exaudiri, succurre miseris in te solum spem habentibus.* Quid multis moror? Vix ex ore eorum verba effluxerant, cum subito navis sponte resoluta videntibus eis per aquam veniens ante eos quasi parata stetit. Vifol. 28. dentes autem hoc prodigium, animadverterunt, se procul dubio a beato Egidio exauditos. Acceptoque consilio, omnes pariter cum magna confidentia eandem navim ingressi sunt. Cumque remos et contos vel alium navis apparatum non haberent, Dei tamen clementia annuente beatoque Egidio protegente atque naviculam ipsam regente, ita eundem fluvium transierunt, ac si omnia perfectissime parata essent. Cum ergo villulam, quam supra diximus ingrederentur, repente circa eos omnis plebs et precipue naucleri coadunati sunt, stupentes super eos et ammirantes. Interrogantes[f], qualiter transissent, enarraverunt omnibus, quemadmodum sanctus Egidius eos iuvisset. Quae laudes tunc Deo et beato Egidio redditae sint[g], non est facile memorari. Igitur quia eodem momento retro repedare non poterant, quibusdam eiusdem patriae civibus, qui ad Sanctum Egidium tendebant, hoc signum narraverunt, rogantes, ut coram omni populo in eius ecclesia hoc ipsum dicerent. Sed et anni transacto spatio quidam etiam ex ipsis oraturi rediere, verum hoc esse dicentes ac nobiscum Deo et beato Egidio pro tam ammirabili facto grates innumeras, prout oportuit vel decuit, intente rediderunt.

De quodam captivo liberato. Tempore, quo christianorum exercitus ad expugnandam Maioricam, quae est civitas in insulis Balearibus sita, et captivos exinde extrahendos maritimali itinere perrexerat[72], in Alimannia duo proceres ad invicem discidentes certamen iniere. Cumque hinc et hinc magna vi instarent, congressione facta utrimque plurimi capti sunt. Inter quos miles quidam divitiis habundans, dum in acie incaute versatur, captus est. Qui ad castrum quoddam munitissimum ductus, in domo forti ac lapidea retrusus, manibus post tergum vinctis, ferreis etiam compedibus coartatus est. Ubi per quindecim dierum spatium sex tantummodo vicibus cibum brevem et artum praegustabat. Qui animo consternatus coepit pro redemptione sui magna promittere et quae facultatem suam excederent polliceri. Sed is, qui eum ceperat, maiora ab eo se extorquere autumans, duplicata custodia, ipsam etiam victus portiunculam, quam sibi dare solitus erat, ac si nimium larga videretur, attenuavit. Qui salubri ac celebri adinvento consilio, sanctum Egidium invocare ac crebris singultibus eius auxilium coepit implorare. Audierat namque famam virtutis eius, iamque ad ipsius sanctum corpus orationis causa semel advenerat. Dum igitur noctem quandam insompnem duxisset opem illius crebro invocans, in ipso diei crepusculo isdem Dei confessor ante eum subito astitit, monens, ut exinde liber egrederetur, et nichil hostile metuens ad monasterium, in quo eius corpus honoraretur, pro concesso beneficio Deo gratias redditurus venire festinaret. At ille nichil cunctatus, manibus ut erat ad tergum vinctus, ipsis etiam cathenis compeditus palam custodibus domo egressus aspiciente utriusque sexus populo, cum prima diei hora esset, sic illaesus de castello exivit, ut nec canis adversus eum mutiret. Vix ab oppido tribus milibus aberat, cum repente in hostium suorum manibus incidit, qui adversariis suis insidiantes in cuiusdam silvae successu latitabant. Quibus cum causam suam et velocitatem exposuisset, videlicet timens, ne ab eis graviora pateretur, animo compuncti ipsimet compedes eius fregerunt et manus colligatas dissolverunt, et liberum eum abire permiserunt. Post paululum dispositis iis, quae[h] circa domum suam[i] erant, cum uxore, cognatis et affinibus adveniens, quae de se gesta fuerant, narravit,

a) *mutilus locus, qui fortasse sic scriptus erat:* Quomodo Pictavensis territorii oratores aquam sine remige transgressi sint. b) *cod. iterum addit* remeantes. c) domum *cod.* d) ut *addidi.* e) *deest* apparuit, *vel simile verbum.* f) *leg.* Interrogati *seu* Interrogantibus. g) sunt *cod.* h) dispositis isque circa *cod.* i) suum *cod.*

72) anno 1113; cf. Marangonis Chron. Pisan. 1114 in Archivio stor. It. VI. II, 7; de anno v. Matthaeii Eccl. Pis. hist. I, 201

ipsis hoc ita se habere asseverantibus. Dehinc beato Egidio vota alia persolvit, ac nobiscum coram omni populo laudes debitas Deo patri et sancto confessori Egidio ante eius altare reverendum devota mente declamavit.

De caeco illuminato. Oportunum videtur et hoc inserere nostrae rationi, qualiter cuidam lumen, quod amiserat, oculorum clementer reddiderit. Quod eiusdem testimonio, qui curatus est, approbandum videtur. Huiusmodi etenim scripturam super altare beati Egidii manu sua posuit: *Summo medico, qui corde contritos sanat eorumque contritiones alligat, quae ubique in sanctis, quatinus clariores seculo monstrentur, operari non cessat, laus sit per secula. Quoniam ut credo, sicut Tobyae olim oculi Deo permittente hyrundinis stercore, ut patientia eiusdem medicinaque Dei ostenderetur, curati sunt, ita per me, Dei opitulante clementia, beati Egidii clarescunt miracula: palam omnibus fiat, quia natus et nutritus ego apud Mallexiatensem Burgundiae, per tres ebdomadas *oculorum lumen amisi, ita ut celum vel terram omnino intueri nequirem. Recordatus igitur est mei Dominus. Prima vigilia cuiusdam noctis parentibus meis dormientibus suum supra dictum Egidium in albis vestibus dignatus est mittere. Quem in visione videntes prae claritate eius mirati sunt, nomenque eius interrogaverunt. Quos hiis verbis, matrem primitus, deinde patrem alloquitur: „Vos securi estote, nichil timete, ego Egidius vocor; vestrum quidem unicum filium litteris nutriri et michi dari decernite, moxque videbit." Postquam ergo eos ita allocutus est, disparuit. Deinde parentes mei, quod utrique viderunt, inter se retulerunt et visione tanti protectoris laetati sunt atque sermoni eidem se obedientes spoponderunt. Statimque die clarescente et eius misericordia praevalente, visus ut primitus fuit, est michi redditus.*

De quodam captivo Romae a Perside revocato. Apud civitatem Tripolim proeliante exercitu Persarum contra christianos[73], vir quidam natione Romanus captus est. Quem cum Persae asportassent velud captivum, ut moris genti illi est, vendiderunt; sicque factum est, ut comitantibus vicissim de civitate in civitatem per nundinas negociatoribus, tam diu venumdaretur, quousque Balda[74] civitatem opinatissimam venumdandus pervenisset. Quidam ergo urbis huius civis cum eum emisset, quasi servum novum, timens ne suffugeret, vinculis ferreis tripliciter vinctum sub custodia posuit. Sed cum in hac infelici vicissitudine iam per septem annorum spatium inter barbaros mansisset, tandem in semet ipsum reversus a sanctis et fidelibus Dei, ac praecipue a beato Egidio coepit *auxilium vehementius efflagitare. Audierat nempe olim a multis, qualiter circa necessitatem patientes apud Deum pius interventor existeret. Cum igitur una noctium[a] enixius oraret, isdem gloriosus confessor se ei videndum praebuit, nomen suum patefecit, moxque a pedibus eius solutis compedibus, manicisque ferreis confractis, cathenam etiam, quae collo eius haerebat, dirupit, iussitque ut secure egrederetur. At ille gratias agens, compedes manicasque, nam grandis illi restabat via, dimittens, tantummodo cathenam, quae collo adhaerebat, quae levior videbatur, tulit; sicque de civitate invisus et incognitus exivit. Sed quid ageret, quo se verteret, utpote in medio nationis barbarae positus, ignorabat. Affuit nichilominus eius, qui se eripuerat, clementia. Etenim subito cerva ante eum mirae pulchritudinis astitit, quam velud comitem et ductricem sui itineris secutus est, quousque fines christianorum ingrederetur; nimirum quae olim sanctum hunc lacte paverat, et huic servo eius in tam horrendo periculo solacium praestabat. Mirabilibus mirabiliora succedunt. Dum enim per vastas illas solitudines saepe leonibus ursis ac lupis, quorum illic habundantia est, isdem vir obviasset, non habens unde se defenderet, partem illam cathenae dextera gestans eis ostendebat. Quo viso beluae velud a lanceae ictu retorquebantur. Cum igitur emenso longinquo itineris spacio Ierusalem pervenisset, mox patriarcham Arnulfum[75], virum eruditum, adiens, quae circa se gesta erant prodigia, retulit. Qui sibi hoc praeceptum iniunxit, ne *patriam suam vel parentes fol.30'. reviseret, donec ad beati Egidii suffragia supplex adveniret. Haut[b] multo post tempore cum quibusdam palmigeris advenit, qui etiam nobis interrogantibus fidem dictis illius acommodabant.

De quodam puero a profundo Reni fluminis vitae restituto. Institor quidam natione Theutonicus, Bruningo, de vico cui Neumaga vocabulum est — a civitate Colonia fere per quatuor miliaria seiungitur — a partibus Angliae veniens, navem sale onustam ducebat. Qui per Reni fluminis alveum ascendens, eandem navim cum sociis suis secus crepidinem alvei funibus trahens, gubernatore interius residente, filium suum, Ezelonem nomine, cum alio puero minoris aetatis intus reliquerat, ut aquam, quae intus per rimas forte patentes scaturire videbatur, foras proicerent. Puer itaque praedictus, qui viribus alium praeibat, vas, quod uterque implebat, exterius evacuabat. Cumque saepius hoc fecisset, dum vas incautius inclinaret, ipse quoque cadendo subsequutus est. Qui mox fluctibus absorptus[c], nusquam comparuit. Quod pater anxius cernens, clamore ad celum sublevato sanctum Egidium pro puero, ne periret, saepius inclamare coepit. Sed dum diutius haesitans puerum nullatenus emergere videret, eum impulsu rapidissimo fluminis ad inferiora deportatum credidit. Itaque navi relegata, isdem vir eiusque socii per descensum fluminis decurrebant, si forte eius cadaver exanime vi fluminis alicubi proiectum conspicerent. Quo nusquam invento, ad locum, unde ierant, reversi sunt. Ibi vero, ut se habet *humana natura et mestus dolentis affe- fol.31. ctus, iterum iterumque pater locum, quo puer immersus fuerat aquis, aliud quid ageret nesciens, brachium protendendo eis ostendebat. Tandem in se reversus ex intimis praecordiis singultus lacrimasque promens, amicum Dei Egidium enixius invocare coepit, ut puerum, quem sibi ab eo dari antequam nasceretur petierat, vel defunctum reddere

a) noxium *cod.* b) Haut non *cod.* c) absortus *cod.*

73) Dimicabant de Tripoli, Syriae urbe, inde ab a. 1104; Wilken Geschichte der Kreuzzüge III, 198.
74) Bagdad. 75) Sedit ab a. 1112 ad a. 1118.

dignaretur, ut ei paterno affectu sepulturam impendere posset. Sed quid fides a Deo impetrare non meretur? Vix orationem impleverat, cum ecce pedes infantis subito super aquam fluitare coeperunt. Hoc viso socii praecipitatis in amnem se saltibus dederunt, raptoque eo natabundi redierunt, rursumque ascensa navi ad ecclesiam, quae iam in proximo erat, venientes eum intromiserunt. Interim mater cum turba parentum advenit, sanctumque Dei Egidium interpellare coepit: *Dilecte Dei Egidi, redde vitae unicum michi, quem tuis meritis a Christo ut nasceretur obtinere merui.* Iunxit se precibus matris cetera multitudo, eamque suffragiis ut poterant iuvabant. Quid multis moror? Respexit eorum preces fons misericordiae, statimque puer vitae redditus cum hiis, qui funeri astabant, sanctum Egidium clamare coepit. Quale tunc gaudium illis, qui aderant, subito emicuerit, prudens lector advertat. Reducitur domum Ezelo redivivus, laeti dies pro eius recuperatione aguntur. Itaque emenso unius vix mensis spacio supradictus vir Bruningo una cum eodem puero ad huius sancti sepulcrum gratias
fol 31'. redditurus *venit et astantibus sociis suis haec eadem vera esse, assistente[a] maxima multitudine, in die ypapanti Domini affirmavit.

De quodam claudo a Dacia sanato. In civitate
76 Ebedi[76], quae et Selezswich[77] dicitur et est in regno Daciae, vir nobilis erat nomine Alloicus, qui pauperem quendam vocabulo Ascotum, claudum utrisque tybiis, pro Dei timore et spe aeternae retributionis apud se domi alebat. Hic itaque cum post visitationem huius sancti sepulchri in patriam suam repedasset, eidem claudo dixit: *Profecto, carissime, si ante sepulcrum beati Egidii divina clementia te perduceret, restitutionem membrorum tuorum isdem sanctus a Deo tibi impetraret. Ego enim in ecclesia ipsius inter[b] compedes et manicas ferreas, quarum illic maxima copia dependet, signa[c] quoque claudorum, quos sanitati restituit, plurima vidi.* Cumque hiis et huiuscemodi verbis saepius eum ad ambulandum animasset, tandem datis ei in via cibariis, dimisit illum dicens: *Vade in pace, et secundum possibilitatem tuam moderare gressus tuos. Cumque vero illuc perveneris, roga abbatem et fratres ex mea parte, ut pro te apud eundem sanctum intercessores existant. In argumentum autem fidei reduc in memoriam abbati, quia anno praeterito, dum illic causa orationis essem, pelles cimbelinas ei optuli.* Susceptis mandatis profectus est. Post novem ebdomadarum spatium, emenso longinqui itineris tramite, isdem claudus advenit. Oratione facta ab eo ante venerandi confessoris altare in multa cordis et corporis contritione, cum
fol. 32. socii eius ad hospicium suum *redirent, ut se post laborem itineris recrearent, ille nec modicum quidem ab ecclesia recedens, per totam diem et noctem sedulus sancti Egidii intercessionem implorabat. In crastinum hora diei tertia cum iuxta columpnam, quae in summitate sui altare crucis dominicae habet, fessus recumberet ac iugi intuitu glebam sancti inspiceret, subito nervi eius diu contracti magno fragore sonuerunt. At ille virtutem miraculi cernens et sentiens, baculos utrosque, quibus innixus advenerat, longe a se proiciens, protinus exilivit ac videntibus cunctis viris ac mulieribus, qui causa orationis astabant, cum fletu et gaudio ad altare gratias redditurus cucurrit, cunctosque qui aderant clamore simul et eiulatu, quem emittebat, flere compulit. Fit subito concursus in ecclesia totius populi, Deo laudes ac piissimo Egidio pro tali miraculo in commune redduntur, atque in testimonium huius rei ad posterorum memoriam baculi utrique suspenduntur.

De pincerna ducis Poloniae a morte liberato. Inclitae memoriae Bolizlaus[78] dux Poloniae, cuius larga beneficia ad honorem, quem erga sanctum Egidium habere videtur, saepius experti sumus, cum gentilibus, qui contermini sibi sunt et Pomerani vocantur, diuturno proelio decertat. Hic itaque quoddam castrum eorum munitissimum, quod lingua Slavorum Stetin dicitur, obsidere et expugnare decrevit. Huic autem obsidioni pincerna ipsius, Sethet nomine, magnae indolis *adolescens, cum ceteris principibus intererat. Hic[d] cum die primo expugnationis post proelium vespere iam facto ad castra remeasset, subito terrore attonitus coepit profiteri sociis, nequaquam se ad proelium rediturum, donec peccata sua sacerdoti confiteretur. Siquidem castrum debellando gladio se periturum formidabat. Veruntamen mane redeunte promissionis hesternae oblitus, ad oppugnationem nichilominus absque confessione rediit. Sicque fiebat cottidie, ut de bello rediens nimio metu mortis percuteretur, et tamen peccata sua confiteri differret[e]. Post aliquot dies castro expugnato[79] et hostibus subactis, cum ad propria redirent, socios coepit alloqui: *Non poenitet me profecto, commilitones, confessionem distulisse, cum et incolumis redeam et proclivem me valde ad vicia recognoscam.* Quod verbum cum hii, quibus levitas morum inerat, laudibus efferrent[f], illi tamen, quibus erat mens sanior, vehementer aspernati sunt. Igitur medio itinere cum urbis moenia, si vellent, subintrare possent, loco oportuno ut sibi videbatur invento, subito tentoria figi praecepit, sociis quantum poterant renitentibus. Post cibum cum se noctu sopori dedisset, extymplo sanctus Egidius in *veneranda canitie ei apparuit, statimque ab eo cognitus est — contingit enim aliquando, ut quis in somnis sanctos videat et cognoscat, quos numquam ante nisi nomine cognoverat — dixitque ei: *Tu quidem Sethet mortem te evasisse et confessionem distulisse gloriaris, sed iam iamque vicinior tibi *interitus instat.* Quo dicto visio disparuit. Sed iuvenis a sompno excussus et mente consternatus, ita omnibus membris debilitatus est, ut in crastinum ad civitatem vix equitando pervenire posset. Post dies quinque dux praefatus venatione delectatus cum ad silvam tenderet, pincernam[g] Sethet utpote familiarem se subsequi praecepit. Qui imperio eius reniti non audens, annisu quo potuit iter eius insecutus est. Cumque dux

a) asistente *cod.* b) intus *cod.* c) inter signa *cod.* d) hiis *cod.* e) deferret *cod.* f) offerent *cod.* g) pincerna *cod.*

76) Hedeby. 77) Schleswig. 78) Boleslaus III, 1102—1138. 79) a. 1120, v. Röpell Gesch. von Polen I, 267, n. 10.

cum sociis bubalum mirae magnitudinis et ferocitatis, quorum illic maxima copia est, de cubili exturbasset, inter venabula[a] et sagittas manus eorum incidens, irritatus vulneribus ex improviso pincernae fit obviam. Qui notam infamiae, si fugeret, metuens, equo descendit et secundum vires suas venienti venabulum adegit; sed casso vulnere perlatum est. Cum vero humi se utpote debilis prostrasset, bubalus[b] diucius eum ad terram cornibus perfodere nitens, cum satis eum ungulis calcasset, statim inter eius crura cornua iniciens, sublimius eum in aera sustulit, et sic inter spineta et arbusta eum confractum proiecit. Quo sociis, qui ab urbe secuti fuerant, accurrentibus[c], in panno constrictus, quia aliter tractari non poterat, exanimis et quandam mentis alienationem passus, domum reportatus est. Cum tamen iam ad exitum appropinquaret, sanctus Egidius in eodem habitu iterum, quo supra, pene vigilanti apparuit dicens: *Nisi me advocatum apud Deum vel sero iam interpellaveris, scito tibi mortem adesse.* At ille velud praecognitum ac sibi familiarem sanctum sic allocutus ait: *Sancte Dei Egidi, si tu pro me fideiussor apud Deum extiteris, et pro sanitate mea intercesseris, spondeo me omnes actus meos dirigere et ad monasterium tuum me ad offerendas gratias iturum.* Et sanctus ad haec: *Quoniam,* inquid, *advocatum me apud Deum habere voluisti, ego ipsum, qui neminem vult perire, sed omnes salvos fieri, pro te interpello et ex parte ipsius sanitatem tibi affuturam repromitto.* Cumque visio disparuisset, statim incolumitate succedente, post paucos dies absque omni terrenae medicinae amminiculo sanitati ex integro restitutus est. Et eodem anno ad sancti huius sepulchrum ob referendas gratias venit. Sed quia mos est nobilium, ut semper inter extraneos caute se habeant, neminem passus est se cognosci; verumtamen procedente tempore a religiosis sacerdotibus pariter et laicis, qui de partibus illis causa orationis huc advenerant, ista saepius referentibus et audivimus et memoriae tradidimus.

De quodam milite captivo ab Almaria revocato. Viri quidam civitatis Ianuensis causa lucri cum mercibus suis maritimali itinere civitatem quandam Sarracenorum, in littore maris nostri positam, quae Almaria[80] vocatur, expetierant. Qui cum merces suas utiliter, sicut eis videbatur, profligassent[d], redire disposuerunt. Erat autem ibi miles quidam de comitatu Bigorritano[81], qui in quodam proelio, quod rex Arragonensis Ildefonsus[82] cum Sarracenis fecerat, interceptus, illuc captivus adductus fuerat. Is cum pro redemptione[e] sua quantitatem auri, quantum dominus suus expetebat ab eo, dare nullo modo posset, summa instancia precum prefatos Ianuenses interpellare coepit, ut causa mercedis animarum suarum eum furto secum in navi allevantes asportarent. Quod cum facere absque maximo discrimine non possent, timore Dei tamen compuncti, aggredi temptaverunt, et eum inter honera sua in navis sentina absconderunt. Cum vero custodes portus recedentium navim, sicut eis mos est, ne forte aliquem captivum non redemptum si[f] haberent, curiosius scrutati essent, divina protegente eum clemencia nullatenus repererunt. Cum autem post aliquos dies pelagus, quod inter Barchinonam et insulas Baleares late extenditur, navigarent, subito tempestas intolerabilis[g] exorta ita per triduum eos perturbavit, ut penitus in quem sinum maris issent animadvertere non possent. Igitur omnes Omnipotentis clementiam, ut eos a praesenti[h] turbine liberaret, tota mentis intentione postulabant. Sed praedictus miles in interiora navis positus, sanctum Egidium, cuius se servum asserebat, maximo fletu et ululatu, ut eis in auxilium veniret, interpellabat. Itaque astitit ei palam, cum eo visibiliter, ut ipse postea referebat, loquens, et dixit: *Surgens ascende superiora et dic omnibus, ut vota sua voveant, quia sanctus Egidius eis in adiutorium venit, iamque ab hac tempestate liberandi sunt.* Quo cum ascen- fol. 34'.
disset, *Extendite,* inquid, *manus in coelum et vota vovete, quia sanctus Egidius mihi apparuit et nobis in auxilium a Deo missus advenit.* Quod cum animo gratanti fecissent, subito tempestas sedata est, et mare a fragore suo quievit. Post paucos vero dies flante vento prospero ad portum urbis Marsiliae pervenerunt. Verumtamen ad villam sancti Egidii cursum suum reflectentes, ut merces suas venumdantes exponerent, in die dominico cum ad sanctum altare procederemus, astante universo populo, haec omnia nobis retulerunt, et laudibus declamatis, quatuor cereos mira varietate depictos ob testimonium collati beneficii super altare sancti Egidii optulerunt, qui et iuxta eius sepulcrum ex utraque parte appensi sunt.

De quodam milite captivo a Valencia Hyspaniae revocato. Indefenso[83] itaque supradicto regi Ar- 83
ragonensi cum Sarracenis, qui in vicinia[i] eius habitabant, assidua semper decertatio fuit. Aliquando ergo in proelio, quod cum eis commiserat, contigit, ut miles quidam de civitate Oscha[84] infortunio 84
Sanctus nomine, dum fugientes ultra[k], quam ei necesse esset, insequeretur, equumque suum vehementer calcaribus urgeret, sub eo corrueret cruribus implicatis, sicque ab hostibus retineretur. Qui cum Valentiam civitatem captivus productus esset, Maurus quidam audito, quod de Oscha esset, dato pro eo pretio viginti aureorum, sibi eum utiliter, ut putabat, in servum retinuit. Habebat enim fratrem germanum, qui in supradicta Oscha iam per multos annos captivus manserat. Audiens etiam, quod dominus fratris consanguineus esset supra- fol. 35.
dicti forte tironis, maiori sollicitudine eum custodire coepit, sperans quod redemptionis precium ab eo extorquere, simul et fratrem suum pro eo mutua vicissitudine recuperare deberet. Sed cum per septem annos, quod ipse nobis postea retulit, sub eius dominio constrictus, in Valencia mansisset, quia nec tot aureos, quot petebantur[l], pro se reddere poterat, nec fratrem illius dominus eius absque magno precio dimittere volebat, videns humanum

a) venabila *cod.* b) bulalus *cod.* c) accurrentes *cod.* d) profugassent *cod. (Cf. Tert. Apol. 42.)* e) demptione *cod.* f) *an* secum? g) intollerabilis *cod.* h) praesentis *cod.* i) vicina *cod.* k) ulta *cod.* l) petebatur *cod.*

80) Almeria in Hispania. 81) in Vasconia. 82) Ildefonsus I 1105—1134. 83) Ildefonso. 84) Huesca in Hispania.

cessisse auxilium, divinum invocare coepit et beatum Egidium, cuius se servum asserebat, crebris suspiriis et singultibus ex intimo corde pro ereptione sua assidue supplicare. Una ergo noctium[a] cum maxima anxietate depressus pene vigilaret, sanctus Egidius tali forma, qua ab eo cognosci poterat, apparuit illi et dixit: *Quia tamdiu me invocasti, a Deo missus sum, qui cor contritorum respicit. Tibi in adiutorium veni. Surge itaque, revertere ad propria actusque vitae tuae in melius emendare memento.* Cui cum tremens responderet: *Domine, si quid mihi impedimenti in via contigerit, quid fiet? Vade*, ait, *quia Christo te protegente, me quoque comitante, nullus tibi incursus nocere poterit.* Hoc audito surrexit propere et de civitate egressus, per tam longinqui itineris spatium inter hostes transiens incognitus evasit. Demum ad propria reversus cum suos ex insperato laetificasset, post paucos dies liberatori suo sancto Egidio gratias redditurus advenit, et haec omnia nobis manifestavit.

fol. 35'. *De quadam mappa sub igne* '*illaesa reperta.* In comitatu Cenomannico quoddam castrum habitatoribus confertissimum Guidonis appellatur. In hoc ergo cum occulto Dei iudicio subito ignis emersisset, aedificia omnia, cum lignea essent, ut in illis partibus plurima habundant, omnia consumpsit. Post biduum autem transacti incendii cum unusquisque cineres domus sui revolveret, si forte ignis immanitatem aliquid residui evasisset, matrona quaedam, quae ad opus altaris beati Egidii mappam fecerat et eam apud se domi in archa cum alio suppellectili condiderat, tandem mappam sub maxima congerie carbonum adhuc ardentium emersa[b] ab ignibus intactam reperit. Cumque ad tam insolita mirabilia omnis populus, intermisso opere suo certatim concurreret, eadem matrona calore fidei succensa beatum Egidium taliter cum magna voce et eiulatu interpellare coepit: *Licet*, inquid, *piissime confessor, substantiam meam propter hoc incendium perdiderim, tamen mappam hanc, quam tibi reservasti, sicut iam pridem voveram ad altare tuum cooperiendum deferam. Confido enim in omnipotentis Dei clementia, quod omnia, quae amisi meritis tuis intervenientibus mihi in duplum restituat.* Vix transacto unius mensis spatio eadem bonae fidei mulier simul cum aliis eiusdem loci pluribus tam viris quam mulieribus advenit. Quibus hoc ipsum astruentibus post declamatas laudes Dei ad praesentium et futurorum noticiam eandem mappam in ecclesia[c] pii confessoris suspendimus.

fol. 36. *De cuiusdam manu contracta sanata.* 'In Brittannia citeriori[d], quae Brittannia minor dicitur, in episcopatu civitatis Namnetis[e] vicus quidam Bono- 85 bria[85] vocatur et est ibi ecclesia beati Martini, in qua fratres monasterii sancti Florentii Salmuren- 86 sis[f, 86] omnipotenti Deo deserviunt. In qua etiam habetur altare in honore beati Egidii constructum. In die ergo festivitatis ipsius sancti fratres illi convicaneum quendam suum Andefridum nomine allocuti sunt dicentes: *Oportet, karissime, ut hodie boves tuos aratro tuo adiungas et agros nostros excolas, quia ebdomada transacta nostris quoque bobus terras tuas exercuisti.* Est enim terra illa valde ponderosa et tenax in tantum, ut octo boves aut duodecim vel eo amplius aratro uno adiungantur, quod apud eos karruca vocatur. Respondit vir ille et ait: *Hoc nullis conditionibus facere praesumam, cum hodie festivitas sit sancti Egidii, cuius me servum, ex quo sanctum corpus eius expetii, esse profiteor.* Ad quod illi: *Sufficiat tibi*, inquiunt, *quod hodie ad altare ipsius missam audisti; de cetero vade et operare securus.* Tandem nimiis importunitatibus eorum defatigatus, ad excercendum agrum egressus est. Cumque sulcum unum consummasset, manus eius aratro adhaesit. Quam cum ad se retrahere vellet, diu frustra conatus non potuit. Clamans ergo et eiulatu magno aera complens, omnes qui in vicinia habitabant, ad suffragia ferenda invitabat. Sed cum avelli ab aratro manus eius non posset, unus ex circumstantibus sumpto 'ferramento lignum secus manum ipsius incidit. Sicque bobus derelictis, festinanter cum omni vulgo ad ecclesiam currens, ante altare sancti Egidii, quod ibi erat, provolutus, pro commisso veniam precabatur, omnibus qui astabant pro ipso orantibus, ut manus eius aperiretur. Verumtamen cum tota die illa et nocte sequenti in magna cordis compunctione vel contritione ante altare absque cibo et potu perseverasset, in crastinum cum plebs omnis frequentius ad ecclesiam, quasi pro eo oratura, advenisset, astantibus etiam loci illius fratribus, quorum instinctu hoc ei acciderat, et pro eo obnixius ad Deum clamantibus, vir ille a terra, in qua pronus diu iacuerat, surgens et manum contractam ad altare extendens coram cunctis clamabat dicens: *Tibi, Deus omnipotens, qui occultorum es conditor, promitto me vitam meam dirigere; et tibi, pie confessor Egidi, sub iurciurando polliceor, quia numquam amplius in die festivitatis tuae opus aliquod servile aggrediar, si tuo interventu manus mea mihi restituatur.* Ad hanc vocem manus eius extensa est et lignum aratri super altare resedit. Quod cum vir ille post acclamationem populi sedatam iterum accipere conaretur, ut secum ad locum, ubi corpus beati Egidii requiescat, in testimonium huius miraculi deferret, fratres illi obviantes abstulerunt et ante altare eiusdem sancti, quod ibi habetur, cum magnis laudibus suspenderunt. Attamen post 'evolutionem paucorum dierum vir praenominatus cum aliis convicaneis suis, beato Egidio grates redditurus, advenit, et hoc signum coram eis factum nobis quoque manifeste narravit.

De cuiusdam brachio a paralisi sanato. Vir quidam de regno Theutonico Albertus nomine, peccatis suis facientibus, dextrum brachium cum ipsa manu, paralisi invadente, ita amiserat, ut ad nullum opus faciendum eum movere potuisset. Cumque per novem menses, ut ipse asserebat, hoc in-

a) noxium *cod.* b) emerso *cod.* c) ecclesiam *cod.* d) *sic Mabillon*, exteriorum *cod.* e) *sic Mab.*, Mamnetis *cod.* f) *sic Mab.*, Salamirensis *cod.*

85) *Bonoeuvre.* Cf. Quiriaci episcopi Namnetensis litteras apud Morice Mém. pour servir à l'hist. de Bretagne I, 440. quibus monasterio sancti Florentii asseritur »ecclesia sancti Martini in pago Nann. super fluvium Herdis, quam Bonovrium vocant«. 86) Saumur in dioec. Andegavensi

commodum sustinuisset et in locis duobus ipsum brachium cauterio perforasset, sed minime sanitas succederet, videns humana deficere remedia, ad divinum se contulit auxilium. Itaque per totum regnum Theutonicum ubicumque corpora sanctorum humata noverat, preces et oblationes pro sanitate sua oblaturus discurrebat. In vigilia itaque festivitatis beati Egidii[87], ecclesiam, ubi corpus sanctae Affrae tumulatum iacet[88], ingressus, in qua etiam altare in honore sancti Egidii constructum est, per totam noctem ante utrumque altare et stans et genibus flexis pro sanitate recuperanda, etiam cordis magna contritione omnipotentem Deum et eosdem sanctos exoravit. Aurora apparente foras egressus, senem habitu monachili circumamictum in medio cimiterii solum stantem invenit, qui eum ita prior affatur: *Ostende mihi,* inquid, *brachium tuum.* Quo non valente eum movere, idem senex brachium utrisque manibus ad se *trahens dixit ei: *Nisi votum, quod olim spoponderas, te ad sepulchrum sancti Egidii iturum, opere impleveris, non recipiet brachium istud curam sanitatis.* „*Et quomodo,* inquit, *pater, nosti, me hoc vovisse?*" *Novi,* ait, *et bene novi. Et ut perfectius verbis meis credas, cum a sancto Egidio recuperata sanitate redieris, ad sanctum Godehardum*[89], *sicut iam pridem voveras, ire festinabis.* Quo dicto cum iam vulgus omne de ecclesia illa die clarescente exiret, senex ille monachus ab Sept. 1. eius oculis evanuit. Certior itaque factus ex hiis, quae audierat, non post multum temporis ad sepulchrum sancti Egidii cum quibusdam aliis oraturus advenit. Cumque socii eius super altare suas oblationes post orationem posuissent, ille diu multumque orans ac deinde se suberigens cum sinistra manu dexteram suam conatu quo potuit super altare in transversum collocavit, atque oblationem suam manu sinistra tenens, plurimis circa eum stantibus, quid agere vellet intuentibus, exclamavit dicens: *Piissime confessor, complaceat tibi, ut dexteram mihi invalidam sanam restituas. Non enim oblationem super altare tuum nisi cum manu dextera, sicut fideles alii facere consueverunt, ponam.* Quo dicto magno fragore, cunctis qui aderant audientibus, nervis distentis, brachium incolume iam factum ad se trahens, cum magno gaudio *oblationem suam fol. 38. cum eadem manu super altare posuit. Hoc audito currere viri ac feminae pariter in ecclesiam coeperunt, ac pro tam manifesto miraculo laudes Deo declamaverunt, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen[90]. 90

87) Aug. 31. 88) Augustae, in monasterio SS. Udalrici et Afrae. 89) quondam episcopum Hildeshemensem. 90) Adiecit alia manus ea, quae leguntur in Cosmae Pragensis chron. SS. IX, 91. ab *Anno dom. inc.* 1085 *obiit Iudita* ad *Bolezlaus est vocatus,* ascriptis verbis his: *Hec in chronica Bohemorum.*

SEHERI PRIMORDIA

CALMOSIACENSIA.

EDIDIT PHILIPPUS JAFFÉ M. D.

Seherus, quem putant Spinalensem[1]*, renunciato peculio quum ad eremitas, prope parthenonem Romaricensem in monte Rombergensi seu Castelli vitam degentes communem religiosamque, accessisset, post Anthenoris qui iis praefuerat obitum sociorum voluntate moderandam congregationem suscepit, paulloque post etiam ecclesiae sancti Leonis Tullensi praefectus est. Multi autem quum societati Rombergensi se applicarent, mox tantus eorum numerus erat, quantum capere locus nequiret. Quo factum est, ut Seherus, novo oratorio condito in silva Calmosiacensi*[2]*, quam pii coniuges ei concesserant, socios eo traduceret. Deinde abbas a Pibone, episcopo Tullensi, die* 27. *Novembr.* 1093 *consecratus, et Calmosiacense et Tullense monasteria ad annum* 1128 *usque rexit*[3]*, quo quidem anno mortuus est die* 9. *mensis Maii*[4].

Et ipse abbas circiter anno 1109[5] *alterius monasterii, Calmosiacensis, originem incrementumque persecutus scriptura est: a fautoribus quae bona muneri acceperit, quae inimicitiae cum adversariis, praecipue cum largitorum heredibus et cum Gisla abbatissa Romaricensi, sibi intercesserint, quorumque hominum beneficio prospere verterint. Quamquam vero calamum eo tantum consilio sumpsit, ut „utilitati et quieti successorum suorum prospiceret," ideoque pretium sui libelli in exiguum ipse compulit gyrum, aliquanto tamen pluris nobis aestimandum opusculum est, non solum sicut omnes fere litterae, quae sunt eius aetatis, ad quam exponendam eas destinaverunt auctores, sed maxime propterea, quod praeter alias rerum Lotharingicarum, Tullensium, papalium mentiones ad eas confert artes cognoscendas, quibus Heinricus V usus sit ex-*

1) Id iure quidem videtur in Hist. lit. XI, 70 et Gall. Christ. XIII, 1104. coniici ex his Seheri verbis, quae apud Martenium leguntur: *quemdam fratrem meum carnalem nomine Arnulphum Spinalensem.* At idem locus quum apud Calmetium sic sonet: *quemdam fratrem meum nomine Arnulfum, casualem Spinalensem*, ut frater intelligendus monachus sit, in dubium res venit. 2) Calmosiacum, *Chaumouzey*, in dioecesi Tullensi situm est. 3) Seherus testis partes agit in chartis his: Pibonis episcopi Tullensis d. 1094. Mart. 22 (Gall. Chr. XIII. instr. p. 476), 1101. Oct. 11 (ibid. p. 481), 1105. Iun. 6 (Calmet hist. de Lorr. I. Pr. p. 517); Riquini ep. Tullens. d. 1116. Oct. 6 (Calmet I. Pr. pag. 439), 1124. Ian. 31 (Calmet II. Pr. p. 274); Heinrici ep. Tull. d. 1126 (ibid. 281). 4) Aperto Calmosiaci sepulcro Seheri a. 1586, plumbeam invenerunt crucem, in qua haec verba erant: *Anno inc. dom.* 1128, 7. *Idus Maii obiit Seherus abbas primus et fundator huius coenobii et sancti Leonis Tulli.* V. Gall. Chr. III, 1422. 5) Neque enim ulla res memoratur in eius opere, quam constat post a. 1109 gestam esse.

eunte anno 1105 *et ineunte* 1106. *Binas dico litteras, in quibus, quantulaecumque sunt, decies ille „adhuc bene catholicus" deierat, se „usque ad mortem" defensurum foturumque esse pontificem Romanum, scilicet quem quinque post annis in ipsa sancti Petri ecclesia vinculis mandavit.*

Editionem totius opusculi paraverunt 1. *Martene in Thes. anecd. III.* 1161—1198 *anno* 1717 *„ex schedis Hugonis abbatis Clarifontis et coadiutoris Stivagiensis;" libri prioris* 2. *Calmet hist. eccl. et civ. de Lorr. II. Pr. p. XC—CIX ex alio, neque vero designato codice anno* 1728. *Postremo Brial ex Martenii thesauro perscripsit fragmenta in Recueil XIV,* 125—141.

In nova editione curanda ut Martenianum quidem exemplum, non vitiis purum, sequeremur, nos codicum scriptorum penuria coegit. Attamen et textum et formam libelli videmur in melius refecisse. Recepimus enim optimam quamque lectionem Calmetianam, ceterisque mendis pro viribus abiectis, verum librorum confinium statuimus et additamenta posterioris aetatis separavimus.

Berolini, 9. *Kal. Mart.* 1855.

PRAEFATIO.

Seherus primus quidem, sed minus idoneus dispensator domus Calmosiacensis, omnibus sibi contemporaneis et post se futuris fratribus in perpetuum. Propitia divinitate scripturus qualecumque monumentum de initio ac processu monasterii Calmosiacensis, in honore sancti Salvatoris domini nostri Iesu Christi consecrati, cui Deo auctore licet indignus praesideo, ante omnia de spiritalibus volo facere mentionem, ut nimirum universi in eo Domino servituri noverint et studeant primo regnum Dei quaerere et iustitiam eius, ac Luc. 12,31.
deinde adiectionem temporalium in necessitatibus opportunis secundum verbum Salvatoris fiducialiter expectare. Prospiciens utilitati igitur et quieti sequentium, plena, si possum, ratione in notitiam posteritatis nostrae transmittere cupio, qualiter omnipotens Deus in loco isto, qui Calmosiacensis[a] dicitur, non praescientia humana sed providentia divina et dispensatione, novellae plantationis vineam de figurali Aegypto transferens radicaverit, et quomodo paulatim et sicut sibi placuit de rudi silva refugii et quietis domum, oblationibus fidelium cumulatam, sibi servire volentibus misericorditer praeparaverit. Siquidem moderatio divina, quae congregationem[b] hominum sine humano subsidio non posse consistere praevidit, corda tetigit diversorum utriusque sexus fidelium, qui tam de suis mobilibus quam de suis fundis oblationes devotas loco[c] fecerunt. In huius etiam[d] narrationis serie tam nomina alodiorum, quam nomina eorum qui ea dederunt, et quid de ipsis fundis meo tempore factum est, prout Dominus donaverit, litteris annotare volo. Videtur etiam mihi non incommodum posteris intimare, quomodo quorumdam controversias et inquietationes miro omnipotentis Dei auxilio evaserimus, et, ut verius[e] fatear, ipso dispensante, cuius viae sunt investigabiles, per ipsas potius[f] ad solidiorem pacem pervenerimus. Spero autem id plurimum suffragari non solum his[g] qui illa dederunt, verum etiam fratribus qui ea possessuri sunt; dum videlicet ignari rerum per hanc paginam evidenter poterunt edoceri, si inde ulterius aliqua controversia[h], ut assolet, oboriretur[i]. Nunc[k] vero, quibus auctoribus novella ista plantatio propagata coeperit, et[l] quomodo Deo propitio, ab ipso in locum hunc transplantata, ad incrementum usque pervenerit, rerum gestarum ordinem, sicut ab initio novimus, aperire temptabimus.

EXPLICIT PRAEFATIO[m].

INCIPIT LIBER I.

Inspirante bonorum omnium auctore Deo, quam plurimi pauperes spiritu euangelica voce Salvatoris excitati, qua dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego* Math. 11,28.

a) Calmosiacus 2. b) congregationes 2. c) *sic* 2. Deo 1. d) *sic* 2. ecclesiam 1. e) verbis 2. f) postmodum 2. g) his *deest* 2. h) aliquam controversiam 2. i) oboriri 2. k) *sic* 2. Tunc 1. l) et *addit* 2. m) *sic* 2. *deest* 1.

reficiam vos, remotioris vitae secretum unanimi devotione quaerere coepimus, in quo, naufragia mundi fugientes, soli Deo attentius vacare et requiem sine fine mansuram animabus nostris possemus praeparare. Cumque id[a] mente pertrectaremus[b], placuit nobis locum 6 quemdam, cui nomen Castellum[6] est, huius rei gratia adire, in quo quidam venerabilis sacerdos Anthenor nomine, Deo devotus quidem et hominibus satis carus, religiosam vitam 7 ducebat. Est autem locus ille Romarico-monti[7] contiguus, quondam sanctissimorum confessorum Amati et Romarici insignitus habitatione[c]. Abiectis igitur mundi rebus, nec minus iuxta euangelicum praeceptum propriis renuntiantes voluntatibus, cum eo et sub eo communis vitae societatem suscepimus: et licet adhuc incerti, quem sanctorum patrum maxime in habitu religionis sequeremur, sub unius tamen patris dispositione obedientiae studentes, satagebat unusquisque nostrum, cooperante gratia divina, veteris conversationis itinera lata declinare, et imaginem dominicam, quam in saeculo deleveramus[d], per poenitentiae lamenta pro viribus renovare. Cumque crescente fratrum numero, in devotione filiorum pater plurimum exultaret, consummato praesentis vitae cursu, in pace cum fidelibus, ut credimus, est assumptus. Post cuius[e] obitum fratres, communi inito consilio, a me minimo omnium per caritatem, quae nos collegerat, exigebant, ut non solum rerum suarum, sed etiam ipsorum curam loco praedecessoris susciperem. At ego, quem nec scientia saecularis nec vita tanto oneri satis congrua commendabat, primo quidem dubitabam quod mihi iniungebatur[f] suscipere, deinde, si renuerem, in fraternam dilectionem[g] offendere nihilominus[h] trepidabam. De divina igitur praesumens misericordia, tandem petitioni eorum cessi, nec propriis praefidens viribus, ei, qui vocat ea quae non sunt tamquam ea quae sunt, me cum ipsis regendum et gubernandum commisi. Coeperunt interim plurimi nobiscum Deo servire cupientes convenire, et locus, qui prius nobis paucis suffecerat, multitudini suscipiendae minus idoneus habebatur. Erat autem inter fratres, quos gehennalis timor et aeterni praemii amor ad convivendum collegerat, ad reparandum primitivae ecclesiae statum cor unum et anima una in Deo; placuitque nobis omnibus, quos studiosa nutrix virtutum, dilectio paupertatis, fovebat, secundum beati Augustini instituta sub canonico habitu vitam dirigere, atque sub regulari disciplina de consummata obedientia a Domino bravium supernae remunerationis expectare.

1091. Eodem fere tempore quidam vir venerabilis Lutulfus nomine, qui tunc temporis Tulli in maiori ecclesia decanus erat, visitandi gratia nos adiit. Et quoniam ipse in memoriam 8 beati Leonis[8] papae, qui prius eiusdem urbis antistes fuit, ecclesiam extra moenia civitatis condiderat[9], humiliter a nobis postulavit, ut ipsam fovendam et gubernandam susciperemus, et ad serviendum Deo aliquos de fratribus nostris sub dispositione nostra in ea ordinaremus. Dicebat enim, se ipsum sub dispositione nostra libenter vitam velle dirigere, et multos alios infra civitatem ad suscipiendum regularis disciplinae iugum ductorem idoneum expectare. Cuius petitionem tam ego, quam omnes fratres benigne suscipientes, quibusdam fratribus mecum assumptis, non multo post huius rei gratia Tullum petii, et ab eo in eadem ecclesia honorifice susceptus, cum fratribus meis ibidem aliquantis diebus habitavi. Quibus ad serviendum Deo dispositis prout Dominus donabat, vale eis faciens cum gaudio ad propria sum regressus. Coepi deinde utriusque curam gerere loci, et quoniam cooperante gratia divina ad utrumque conversandi gratia plerique concurrebant, quos strenuos ad instruendos alios in regulari disciplina noveram de loco ad locum vicissim transmittere satagebam.

10 Porro loci illius[10] angustia, in quo prius convenire coeperamus, me et quosdam fratrum plurimum gravare coepit, eo[i] maxime quia ibidem quaedam religioni contraria nobis imminebant, quae aut sine loci mutatione, aut sine propositi nostri detrimento nequaquam vitare poteramus. Sed non diu distulit[k] divina providentia, quae iam[l] nobis locum alium providebat, sperantes in se famulos super hoc consolari. Deo namque ut credimus dispensante,

a) eumque de 1. Cumque id 2. b) pertractaremus 2. c) habitatione *deest* 2. d) decreveramus 2. e) eius 2. f) iniungebant 2. g) fraterna dilectione 2. h) mihi omnino 2. i) et 2. k) non domini defuit 2. l) iam *deest* 2.

6) *Le Chatelet*, ad Mosellam; eundem locum etiam »Rumberg« vocatum esse, legimus in Luctulfi carta ap. Benoit Hist. de Toul 370, Gall. Chr. XIII. instr. 474. 7) *Remiremont*. 8) Leonis IX. 9) Cfr. de condito monasterio S. Leonis Tullensi tabulas Luctulfi et Pibonis episcopi datas d. 8. Oct. 1091 apud Benoit l. l. 369, et probat. p. 85, et in Gall. Chr. III. instr. p. 472. Cf. etiam Bernoldi Chron. 1095. Mon. SS. V, 463. 10) Castelli.

cum nobis omnino incognitum hoc maneret, rumor inde exiens usque ad quamdam matronam nomine Hadelvidem[a] pervenit. Quae licet adhuc virum ac possessiones haberet, studio tamen bonae intentionis illos specialiter diligebat, quos viam rectam ambulare didicisset. Coepit itaque hoc audito praedicta mulier viro suo nomine Theoderico vehementer insistere, quatenus in alodiis[b] suis illum locum ad inhabitandum nobis offerret atque contraderet, quemcumque fraternitas nostra ad commorandum sibi habilem potissimum invenisset. Frequenter siquidem illi replicabat, ut, quoniam ipse heredes carnis non haberet, Deum sibi heredem facere omni annisu elaboraret. Denique Deo favente uterque concurrentes, per quemdam venerabilem clericum nomine Ascelinum[c], adhuc quidem in saeculari habitu degentem, postea vero nobiscum Deo fideliter famulantem, quod supra diximus nobis obtulerunt devote, atque ut adessemus locumque circumspiceremus, unanimiter et obnixe rogaverunt. Communicato autem cum sapientibus et spiritalibus viris consilio, qui rem a Deo fieri altius intelligebant, quod offerebatur videre descendimus, et ipsum alodium circumeuntes in silva maxima[d] nobis sedem accipere placuit, eo nimirum in loco, qui pacificus atque a populari frequentia remotus esse videbatur. Videns autem vir Deo devotus Theodericus, quod nobis in alodio suo sedem placuisset accipere, gratias Deo egit et portionem illam, quae nobis ad inhabitandum placuerat, presente Widrico[e] Spinalense[11] et multis aliis tam servis quam liberis, sancto salvatori nostro Deo et[f] nobis et successoribus nostris perpetuo possidendam laetus obtulit. Mox igitur cum fratribus advenientes incultam heremum[g] in domesticas fabricas transferre coepimus, et novum oratorium ad serviendum Deo construentes[h] in honore beatae Dei genitricis Mariae dedicavimus.

Interim praedicta matrona voti compos effecta exultabat et gratias Deo agebat, quod heredes magis animae quam filios carnis invenisset[i], et assiduis precibus virum suum, ut sicut portionem iam nobis ad inhabitandum[k] tradiderat, sic totius alodii Calmosiacensis heredem ecclesiam nostram relinquere satageret. Cuius tandem precibus assentiens, nobis omnino id nescientibus, pari voto et desiderio ambo, se totum alodium ecclesiae nostrae tradere velle, fratribus innotuerunt. Ego autem tunc temporis Metim adieram. Unde fratrum nuntio revocatus, me praesente multisque aliis tam liberis quam servis, quorum nomina ad testimonium donationis huius subscripta sunt, praedictus vir egregius Theodericus cum uxore sua Hadelvide alodium de Calmoseis[l] dedit[m] sancto salvatori nostro Deo et ipsius genitrici Mariae, simulque mihi indigno, qui inter alios pastoris officio fungebar, cunctis quoque fratribus praesentibus[n] et futuris in eodem loco Deo servituris[o]. Tradidit autem illud ita libere, integre et solide, sicut ipse antea possederat, videlicet cum servis et ancillis, cum agris cultis et incultis, cum pratis et pascuis, cum silva, et ea quae per se est, et ea quam cum beneficio partiebatur, cum quoque usu fructuario[p] et reditibus universis. Cum his quoque[q] eulogias[12], quas ex parte ecclesiae ipse Theodericus et antecessor[r] 12
eius consueverant[s] accipere, simul contradidit: videlicet porcum unius anni, denarios duodecim et duodecim panes et tria receptacula[13] in anno. Testes autem fideiussores ac denarratores[14] idonei huius donationis hii liberi homines extiterunt: Widricus de Spinal[t], Landricus et Widricus nepotes eius, Theodericus de Villa[15], Adolardus de Lusda[u], Renar- 15
dus, Renerus[v], Albricus, Richardus[w]. Quae omnia[x], legalis investitura traditionis sancto salvatori nostro Deo donata, quoad vixit vir Deo devotus supradictus Theodericus, solide et pacifice nostra tenuit ecclesia.

Theoderico autem viam universae carnis ingresso, et a nobis in coemeterio nostro honorifice sepulto, carnalis frater ipsius nomine Ioscelinus[y] praedictum alodium a domo[z] Dei temptavit alienare, et sibi violenter vindicare. Potestate siquidem accepta ab eo, cuius paterno flagello erudiebamur ad disciplinam, ne si ad votum temporalia cuncta succederent minus fortasse futuram et manentem civitatem inquireremus, nocturnis diurnisque assultibus ipsum alodium coepit vastare, et quibuscumque poterat molestiis et depraedationibus,

a) Hadelbidem 2. b) allodiis 2. c) Ascelmum 1. Ascellinum 2. d) maxime 2. e) Vidrico 2. f) et *deest* 1. g) eremum 2. h) constituentes 2. i) meminisset 2. k) habitandum 2. l) Calmoseio 2. m) Deo 2. n) praesentibus *deest* 1. o) tradidit *addit* 2. p) usufructario 1. q) Tum quoque 2. r) antecessores 2. s) consuerant 2. t) Despinal 1. de Spinal 2. u) Luida 2. v) Renerius 2. w) Ricardus 2. x) omnia *deest* 2. y) Ioscelmus 1. z) modo 1.

11) Spinalum, *Espinal*, adiacet Mosellam. 12) munera debita. 13) susceptiones, hospitia. 14) patroni, tutores. 15) An *Ville-sur-Illon?*

ut inde recederemus, non cessabat inquietare[a]; ad ultimum etiam ad cumulum malorum
suorum parrochialem ecclesiam, in honore beatae Dei genitricis Mariae inibi fundatum,
incendio cremavit, atque pro tanta crudelitate in odium plurimis venire coepit. Tantis ita-
16 que iniuriis et inquietationibus ipsius compulsi, ducis Theoderici[16] curiam adivimus, et[b]
ut iudicio curiae suae eum[c] ab iniustitia et oppressione, quam nobis violenter inferebat,
removeret, obnixe postulavimus. Qui quamvis proclamationem nostram benigne susciperet
et iniuriis nostris multum condoleret, ad audientiam tamen curiae suae saepius[d] eum con-
vocans, iustitiam inde facere per biennium protelavit. Nos vero cum saepius ducem super
hoc repeteremus, et adversarius noster Ioscelinus iustitiam omnino refugeret, tandem dux,
certam diem et locum statuens, utrosque ad audientiam curiae suae convocavit, ut si ad
illum diem commonitus venire recusaret, quid[e] ipse nobis inde facere deberet, iudicio prin-
cipum terrae ibidem demum discuteret.

Cumque ad condictum diem venissemus, et expectatus diu[f] Ioscelinus venire renueret,
quam iniuste nos persequeretur, tam praefato duci quam omnibus qui aderant manifestum
apparuit. Convocatis itaque dux principibus suis, monuit eos, ut iudiciali sententia discu-
terent, quid ipse[g] inde facere deberet, ut contemptori iustitiae inultum[h] non cederet, si
temerariis vexationibus ulterius nos inquietare praesumeret. Porro liberi qui tunc adfuere
homines iudicaverunt, aequum sibi videri, ut si, qui eum ad placitum convocassent, in con-
spectu omnium hoc probarent, quatenus ex ordine causa procederet, et totius querelae
17 occasio adversario tolleretur. Et quoniam praesentes aderant placitorum commonitores[17],
Stephanus scilicet de Villa et Humbertus de Domno-Medardo[i], adstantes in conspectu
omnium iureiurando probaverunt, se ad condictum diem saepe memoratum Ioscelinum ex[k]
parte ducis legitime convocasse. Requisiti[l] ergo mox liberi iudices protulerunt nihilominus,
aequum sibi videri, ut si, qui donationi legalis investiturae vivente saepe memorato viro
Theoderico adfuissent, adessent[m], legitima assertione comprobarent. Assurgentes iterum
protinus liberi testes septem: Widricus videlicet de Bisniaco[n], Theodericus de Villa, et
Stephanus frater eius, Adolardus de Lusda, Renardus et Renerus[o] et Albricus, in conspectu
ducis et totius curiae iureiurando comprobaverunt, se[p] praefatae donationi interfuisse, et
sicut a sapientibus viris, qui ipsi dono cum ipsis[q] adfuerant, melius discerni potuit, a prae-
dicto viro Theoderico absque omni legali calumnia totius alodii investituram ecclesiam
nostram ipsis praesentibus legaliter accepisse. Cognita autem praedicta placitorum com-
18 monitione[18], necnon[r] manifesta donationis comprobatione, quando quidem ipse Ioscelinus
ad audientiam curiae saepius vocatus venire omnino refugiebat, protinus iidem[s] subsequen-
ter iudicaverunt, ducem Theodericum ipsum alodium ecclesiae nostrae sasire[19] debere,
et adversarium nostrum a calumnia et iniuriis, quas nobis violenter inferebat, potestatis
suae obiectione comprimere. Hi[t] autem extiterunt liberi et idonei huius sententiae iudices:
Fulco[u], Albertus, Levardus[v], Walterus, Waldricus, Theodericus, eidem nihilominus iudicio
consentiente egregio duce Theoderico ceterisque tam servis quam liberis, in quorum prae-
21 sentia habitum est hoc iudicium apud Valdiniacum[w, 20] super ripam Maldonis[x, 21] fluvii.
Paucis itaque transactis diebus, ipse dux Theodericus adveniens, praefatum alodium eccle-
siae nostrae sasivit, familiam quoque ipsius alodii ante fores novi oratorii nostri convocans,
in fidelitate nostra posuit.

Sed quia tempus pacis necdum advenerat, adversarius noster Ioscelinus nec sic a
coeptis destitit iniuriis, sed quibuscumque modis poterat insistebat, ut praefatum alodium
a nobis posset alienare et sibi violenter usurpare. Videntes[y] autem quod iudicium curiae
omnino sperneret, familiae nostrae clamoribus iterum compulsi, ad gremium matris
nostrae Tullensis ecclesiae confugimus, ut saltem sub protectione alarum suarum nobis
liceret retinere, quod iuste atque canonice acquisivisse videbamur. In qua tunc sacerdo-
22 tium ministrabat piae memoriae Pibo[22] eiusdem ecclesiae episcopus; qui benigne susci-
piens proclamationem nostram, praedictum Ioscelinum ad satisfactionem saepius vocavit.

a) inquietare *deest* 2. b) et *deest* 1. c) eum *addidi*. d) saepius *deest* 2. e) quod 2. f) diu *deest* 2 g) ipsi 2. h) multum 2. i) Damno-Medardo 1. k) de 2. l) Sequuti 1. m) adessent *addidi*. n) Spinaco 1 Bisniaco 2; *cf. infra*. o) Renerius 2. p) se *addidi*. q) eis 2. r) et *addit* 2. s) idem 1. t) Hii 2. u) Fabio 1. v) Beraldus 2. w) Waldimacum 1. x) Maldonci 1. y) Videns 1. 2.

16) Lotharingiae. 17) qui ad placita litigatores citant. 18) ad placitum vocatione. 19) *saisir*, investire. 20) *Vaudegny*. BRIAL. 21) *Madon*.. 22) Sedit ab a. 1070 ad a. 1107.

Quo renuente, pro pace gregis sui pastor sollicitus, anathematis sententiam in ipsum direxit, ut saltem sic perterritus satisfaceret, et a coepta iniuria tandem resipisceret.

Hac denique sententia adversarius noster Deo favente perterritus, videns se iudicio curiae et ecclesiastica censura undique constringi, iam in se aliquantulum reversus, adversum nos mitius agere coepit. Et quoniam idem Ioscelinus pauperrimus erat, quidam tam nostri quam sui amici id inter nos et ipsum mediaverunt, ut aliquantam pecuniam a nobis susciperet, et sic demum omni calumniae finem imponeret. Huius igitur rei gratia condicto die apud Ranegias[23] convenimus, et licet nobis grave videretur, quippe[a] quibus in 33 rudi et agresti loco positis ipsa quoque necessaria necdum sufficiebant, tamen ut contentiosae controversiae finem imponeremus, quantitatem pecuniae, duodecim videlicet libras, daturos nos ei promisimus. Cum igitur huius pecuniae sponsionem a nobis suscepisset, mox in conspectu multorum qui aderant, ipsum alodium de Calmoseio cum uxore et filiis, qui nihilominus praesentes aderant, wirpivit[24] et adstipulavit[b. 25] et totius calumniae finem fecit. Huic autem fini facto et paci adquisitae interfuerunt apud Ranegias[c] hii liberi et idonei testes: Widricus videlicet et Renerus de Spinal, Widricus et Landricus[d] de Bisniaco[e], Stephanus de Villa, Albertus, alter[f] Albertus de Darneio[g. 26], Humbertus Lupus, Humbertus 26 de Domno-Apro[27], Widricus de Strena et filius eius, Ulricus[h], Drogo et Gerardus[i] de Bosani-villa[28], Widricus Pinguis de Damviliaco[k], Widricus de Viverio[29], Robertus de Senonis[30] et filii eius Hotto[l] et Hugo, Theodericus de Salsuriis[31], Maselinus[m] et filius eius Drogo, et Anscherus et Robaldus de Domno-Martino[n] [32], Hugo de Pisneio[o], Robertus de Aldono, Cono et Albertus de Darnulio[33], Hugo de Folmariaco, Lanfridus de Aleia, Ascelinus[p] nepos eius, Paganus de Monronis-curte[q. 34], Hugo et Walterus de Columbeio[r. 35]; ad- 35 versarii vero nostri: ipse Ioscelinus et Haduidis[s] uxor eius, filii quoque eorum, Thonnor[t] et Theodericus. Deinde etiam cum eo Tullum pervenimus[u], et Piboni episcopo, qualiter tandem ad finem pervenerimus, per ordinem recitavimus. Porro Ioscelinus ipse, sicut iam pridem apud Ranengias fecerat, iterum ipsius in praesentia episcopi et aliorum multorum saepe dictum alodium wirpivit, et sic demum absolvi meruit. Possedit itaque deinceps Deo favente ecclesia nostra ipsum alodium ita quiete, ita pacifice, ut nullius calumniam super hoc ulterius sit experta.

Cum igitur Deo propitio res nostra in pace ageret, utraque ecclesia quibus intendebam, ista scilicet[v] et illa cuius longe superius memoriam feci, plerisque concurrentibus, paulatim ad incrementum usque proficeret[w], placuit mihi ceterisque fratribus nostris, ut non sine[x] legibus et consuetudinibus viveremus, sed ab aliquibus sanctorum patrum, qui nos in religione eadem praecesserant, vivendi exemplum susciperemus. Verum quoniam multorum celebri relatione didiceramus, fratres qui in monasterio beati Rufi[36], quod in 36 Provinciae partibus situm est, sub canonica professione Deo fideliter famulari, et omni monastica disciplina apprime instructos vicinas ecclesias quasque religiosae conversationis exemplis illustrare, duos ex fratribus nostris cum litteris saepe memorati pontificis nostri[37] ad ipsos direximus, quatenus secundum modum et institutionem vitae eorum nos quoque vitam nostram dirigere possemus. Quos cum[y] honorifice suscepissent, omni diligentia verbis et scriptis instructos ad nos cum gaudio remiserunt.

Deinde cum coenobitarum more consuetudines eorum, utpote religiosas, in exemplum 1093. nobis vivendi suscepissemus, visum est[z] domno Piboni episcopo caeterisque maioribus Tullensis ecclesiae, ut nos, qui infra dioecesim ipsorum communem[*] vitam in praefatis ecclesiis ducebamus, cum consilio eorum pastorem nobis idoneum canonice ordinaremus. Unde fratres requisiti, quem potissimum de[a] fratribus abbatem sibi vellent ordinari, me

a) quippe *deest* 2. b) astipulare 2. c) Renegias 1. Ranengias 2. d) Sandricus 1. e) Lismaco 1. f) valter 2 g) Barneio 2. h) Olricus 2. i) Berardus 2. k) Banniliaco 2. l) Otto 2. m) Mascellinus 2. n) Damno-Martino 1. o) Prisneio 2. p) Anselmus 2. q) Momonis-curte 2. r) Colombeio 2. s) Hadwidis 2 t) Bonnos 2. u) perreximus 2. v) videlicet 2. w) proficerent 2. x) sine *deest* 2. y) Cum nos enim 2. z) divino *addit* 1. *) communem *deest* 2. a) e 2.

23) *Relanges*, ad Mosellam. 24) dimisit. 25) scripto dimissum testatus est. 26) *Darney*. 27) *Domêvre*. 28) *Bouzanville*. 29) *Viviers-le-gras*. 30) *Senones*, ad Rabâdonem fluvium, prope Medianum monasterium. 31) *Sauxures* prope Nanceium. 32) *Dommartin*. 33) *Darnieulle*. 34) *Moyero-court*. 35) *Colombey*. 36) Monasterium S. Rufi prope Avenionem (post a. 1210 Valentiam translatum), regularium ordinis Augustiniani canonicorum caput. Cf. P. abbatis S. Rufi ad Calmosiacenses epistolam ap. Martene Thes. I, 359. 37) Pibonis ep. Tull.

1093. minimum, sicut prius fecerant, ad hoc onus suscipiendum unanimiter elegerunt. Vocatus 38 Nov. 27 igitur huius rei gratia ab episcopo benedictionis ordinationem suscepi[38], et in quo fratribus prius sola ipsorum petitione ministraveram, tunc coepi ex officio ministrare[a].

Sed quoniam locus iste necdum ab episcopo visitatus fuerat, neque[b] adhuc dedicationis consecrationem susceperat, placuit nobis omnibus, ut utriusque loci fratres ecclesiae beati Leonis, quae iam consecrata erat[c], intitularentur, ea interposita conditione, ut post istius[d] ordinationem quicumque hic[e] ad serviendum Deo convenirent, deinceps ab ista titulum susciperent. De fratribus etiam illis qui iam convenerant statutum est ab episcopo, ut quemcumque locum unusquisque eorum sponte eligeret, in eodem deinceps perseveraret. Et ut ratum permaneret, quod communi consilio inter utrumque locum discreverat[f], cartam inde ordinavit, proprioque sigillo corroboratam utrique ecclesiae tradidit hoc modo:

Pibo, Dei gratia Tullensis ecclesiae provisor indignus, omnibus eiusdem ecclesiae filiis tam posteris quam praesentibus salutem utriusque hominis et divinae benedictionis amplitudinem. Caritati vestrae, filii in Domino dilectissimi, notum esse volumus, quia Seherum fratrem, concordi fratrum suorum voto electum, in abbatem promovimus, et in sede Tullensi ad titulum sancti Leonis sanctique Nicolai ordinatum sancti Spiritus cooperante gratia, quantum in nobis fuit, consecravimus; et accepta ab eo secundum beati Augustini regulam professione, omnium tam clericorum quam laicorum, quicumque de procelloso saeculi tumultu sub eo in unum confluxerant, vel postea confluerent, curam ei commendavimus. Postremo ne quorumdam clericalis propositi fratrum ordinatio, qui in silva de Calmosiaco quietem solitudinis praeelegerant, secundum[g] canonica decreta[h] cassaretur, ut praedicto abbati sub eodem titulo sancti Leonis sanctique Nicolai quisque profiteretur necessarium duximus Domino tamen abbate multis precibus obsecrante et fidelium nostrorum interveniente consilio, legitimae professionis tenorem sic[i] dispensativa[k] conditione temperavimus, ut quamdiu[l] locus ille de Calmosiaco integritatem tituli non haberet, omnes sub tituli sancti Leonis sanctique Nicolai certitudine, quisque in suo[m] ordine Domino deservirent. Si vero locus ille de Calmosiaco quandoque plenariam libertatem, ut per se esset titulus, per Dei misericordiam obtineret, nulla promissae obedientiae necessitas, nulla suscepti tituli auctoritas, ut in sancti Leonis sanctique Nicolai ecclesia perpetuo remanerent, iam dictos fratres astringeret, sed de toto fratrum collegio quos abbas iudicaret idoneos, sicut eorum voluntas ad hoc sponte accederet, communi totius capituli consilio in ecclesia de Calmosiaco legaliter titulandos destinaret. Ut autem hoc aliquando a memoria non excideret, vel ne contra hoc humana importunitas aliquid moliretur, praesenti scripto durabile tradimus, et nostri impressione sigilli nostraque si qua est auctoritate firmamus, et[n] proborum et credibilium virorum subscripta testificatione roboramus. Peregimus autem ista anno incarnationis dominicae millesimo nonagesimo quarto[38], ordinationis vero nostrae anno vigesimo tertio, indictione secunda, concurrente quinto, quinto[o] Kalendas Decembris, feria prima, in ecclesia maiore in honore beati Stephani protomartyris sacrata.*

His itaque dispositis, non multo interiecto tempore idem pontifex Calmosiacensem ecclesiam, cui auctore Deo praesideo, visitandi gratia adiit, atque rogatus a fratribus, primum oratorium nostrum in honore beatae Mariae Dei genitricis semperque virginis dedicavit. Altare quoque nihilominus in superiori monasterio in honore beati Petri apostoli consecravit, et ut in talibus consuetum est, ne quisquam ulterius locum nostrum temerariis vexationibus inquietare praesumeret, quantum potuit et debuit pontificali auctoritate et anathematis sententia interdixit. Quibus sollempniter adimpletis, venerabilis pontifex valedicens fratribus, ad propriam sedem est regressus. Nec multo post a nobis rogatus, ut pro quibusdam nostris negotiis in capitulum nostrum apud Sanctum Leonem adveniret, libens assensum praebuit. Cumque condicto die advenisset, post habitum colloquium eorum, pro quibus eum praecipue invitaveramus, assurgens ego humiliter postulare coepi, ut memor dispositionis suae, quam de divisione fratrum inter duas ecclesias nostras ante istius Calmosiacensis videlicet consecrationem iam dudum per cartam ordinaverat, nunc quoniam, cooperante gratia, illa iam ordinata per ipsius misericordiam titulum proprium

a) tunc - ministrare *desunt* 1. b) necnon 2. c) fuerat 2. d) ipsius 2. e) hic *deest* 2. f) decreverat 2. g) secundum 1. ut minus 2. h) decreta *deest* 2. i) sic *deest* 2. k) dispensatica 2. l) utque diu 1. m) suo *deest* 2. n) et *deest* 1. o) quinto (*quod verbum, quia* quinto *proxime praecedit, facile omitti a librario potuit*) *addidi, anno enim* 1093 *d.* 27. *m. Nov. fuit dominicus, dies* 1. *Dec. autem feria quinta*

38) De hac consecratione cf. Bernoldi Chron. 1095 l. l. Diem docet ea, quae sequitur, Pibonis tabula.
38*) nobis 1093.

susceperat, fratrum super hoc voluntatem requirendo praesens adimpleret. At[a] nihil cunctatus petitionem nostram benigne suscepit et a[b] fratribus, qui tunc praesentes aderant, singulorum voluntatem per ordinem requirere coepit, quem quisque horum duorum locorum magis eligeret, ut professione data in eodem deinceps permaneret. Cumque singulorum voluntatem cognovisset, protinus ad requirendam etiam illorum[c] fratrum voluntatem, qui tunc temporis in hoc loco morabantur, dominum[d] Tietmarum[e] abbatem Sancti Mansueti[39] direxit. Adveniens igitur praedictus abbas singulorum voluntatem in capitulo nostro 39 requisivit, et quem quisque locum elegit, in eodem deinceps perseverare disposuit. Sicque factum est, ut sicut ab initio in possessionibus, ita de cetero in fratribus unaquaeque ecclesia ius proprium obtineret.

Cum igitur auctore Deo utrique ecclesiae praesiderem[f], consilio fratrum nostrorum et quorumdam spiritalium virorum domum Calmosiacensem, de liberis partibus venientem, Romae a[g] beato Petro apostolo ac eius etiam vicario[40], in refugium nobis a Deo constituto[h], privilegium promerui. 1101 Mai. 5. In quo nimirum diligens lector, quia huic opusculo insertum est[41], prudenter animadvertere poterit, quid ipse papa terribiliter sanxerit tam pro novel- 41 lae plantationis radicatione, quam pro praesentium sive futurarum oblationum affirmatione; qualiter etiam idem ipse auctoritate apostolica discreverit[i] ac determinaverit, quomodo nos et successores nostri de his, quae ad christianitatem pertinent, erga Tullensem sedem nos debeamus habere.

Inserimus[k] autem ipsum huic opusculo nostro privilegium cum ceteris litteris apostolicis, quas ab eodem papa Paschali in necessitatibus nostris suscipere meruimus, ut qui crediderit, eas in serie rerum gestarum apertas reperiat; qui autem inde dubitaverit, quid quoque rescripto impetraverit[l], noscat[m]. Scripsit igitur[n] ad Romanum pontificem plenam supplicatione epistolam, ista continentem:

Paschali sanctae et apostolicae sedis summo pontifici Pibo, Dei eiusque munere Tullensis 1103? *episcopus, debitae obedientiae indefessam exhibitionem. Cum desiderium ingens et summa necessitas vestram praesentiam adeundi semper mihi fuerit, desiderium et necessitatem in me quotidie sentio crescere et*[o] *haec adipiscendi facultatem magis magisque recedere. Defectus etenim*[p] *corporis mei, iam prae senectute sese non regentis immo nec sustentantis, hoc denegat et curae pastoralis gravis sarcina me praegravat. Cuius curae regimen quia ut oportuit me exercuisse non praesumo, ad examen pastoris pastorum omnium, utpote valde negligens, absque intercessoribus veniae venire perhorresco; et haec fuerat praecipue*[q] *causa vos adeundi, videlicet innumerabilium culparum mearum absolutionem a vobis percipiendi. Sed quia in hoc deficio et mei curam vos habere, utpote qui de omnibus curatis, minime diffido, aliud beneficium a vestra largissima pietate lacrimosis precibus efflagito. Sunt itaque in mea dioecesi canonici regulares, beati Augustini regulam pro modulo suo tenentes, in loco qui Calmosiacum dicitur habitantes. Quorum notitiam et familiaritatem mihi gratissimam habere desiderans, locum eorum adii, et societate suscepta, eidem loco altare parochialis ecclesiae, de qua controversia inter eos et Romaricenses habetur, tali conditione contuli, ut quemadmodum hactenus*[r] *presbyter, qui ecclesiam habuerat, a mea manu altare susceperat, sic deinceps qui ecclesiam habere vellet, a manu abbatis illius loci altare susciperet. Et quia pacis ac tranquillitatis eorum*[s] *maximam partem ab eadem ecclesia pendere non ignoro, nec me posse in pace dimitti spero, si eos*[t] *in pace non disposuero, idcirco, pater sancte, ego et clerus noster pedibus vestris advoluti postulamus, quatenus donum, quod a me factum audistis, sic permansurum in aeternum vestra auctoritate firmetis. Ut autem omnes posteri nostri tam episcopi quam aliae personae Tullensis ecclesiae sciant, me*[u] *hoc ex parte mea primitus fecisse, quod ego apostolica deprecor firmari auctoritate, ad monumentum*[v] *facti ego huic cartae sigillum meum adhaerens dereliqui. In cuius observationem*[w] *omnes successores meos ita per Christum suum obtestor adhibere studium, sicut ipsi a subsecuturis sua bene gesta inviolata custodiri volunt.*

a) at ille nihil 2. b) a *deest* 2. c) istorum 2. d) ad dominum 2. e) Tiemarum 2. f) praefueram 2 g) a *deest* 2. h) *locus mutilus, fortasse sic restituendus:* Romae beato Petro — constituto contuli et inde privilegium. i) decreverit. k) Inferius 2. l) *an* impetraverimus? m) dubitaverit, postulaverit, quid quoque rescripto impetravit 2. n) *deest* Pibo episcopus. o) et *deest* 2. p) enim 2. q) praecipua 2. r eotenus 2 s) rerum 2. t) in eos 1. u) me *deest* 2. v) monimentum 2. w) observatione 2

39) Tullensem. 40) Paschali II. 41) Non est insertum; legitur autem ap. Calmet II, Pr. p. 109 (Reg. pont. Rom. n. 4392).

1103? Nov. 19. Ad haec rescriptum domini papae, quod apud nos continetur:

Paschalis episcopus servus servorum Dei venerabili fratri[a] *Piboni episcopo Tullensi salutem et apostolicam benedictionem. Sicut malum prohibere cum possumus, ita bonum, cum facultas est, auctore Deo confirmare debemus. Idcirco petitionem tuam, carissime frater Pibo Tullensis episcope, clementer accepimus, et donum, quod Calmosiacensibus fratribus tua liberalitas contulit, litterarum praesentium auctoritate firmamus. Statuimus enim, ut altare illud parochialis ecclesiae, quod ad usus eorumdem fratrum contulisti, firma semper et immobili stabilitate in eorum ditione permaneat, et quemadmodum hactenus presbyter, qui ecclesiam habuerat, de manu episcopi altare susceperat, sic deinceps qui ecclesiam habere voluerit, a manu Calmosiacensis abbatis altare suscipiat. Quisquis vero idem donum a Calmosiacensis monasterii possessione subtrahere vel auferre temptaverit, apostolicae ultionis gladio feriatur.* [42] *Data Romae tertio decimo Kalendas Decembris*[42].

Quod cum ad notitiam Romaricensium pervenisset, Tullensem videlicet episcopum supradictae ecclesiae altare, in qua portionem ipsi habebant, nobis contulisse, indigne tulerunt. Unde adversum nos unanimiter concitati, clericum, qui tunc temporis ecclesiae illius vicariam tenebat et qui nobis et praefato viro Theoderico supradictas eulogias pro eadem ecclesia eatenus persolvere consueverat[b], ad se convocari fecerunt, et eulogias, quas numquam eis dederat, ab eo iniuste quaerere coeperunt. Illo vero renuente et dicente, grave sibi videri eis dare quas non debebat, et nobis persolvere quas consueverat, adicientes, portionem nullam in ea nos habere, eidem vicario ecclesiam omnimodis abstulerunt et cuidam cancellario[c] suo nomine Walfrido protinus tradiderunt. Proinde etiam Tullum adeuntes, ipsum in conspectu Tullensis ecclesiae praesentavere, et maxime dux Theodericus, qui praesens aderat et defensionem causae eorum adversum nos susceperat, ut eidem Walfrido altare traderent[d], cum magna potentia instabat. Nos vero assumpto vicario in praesentia maiorum Tullensis ecclesiae et ipsorum adversariorum nostrorum iniuste ab eisdem clericum investitura sua privatum querebamur, et ne ei traderent altare, quod ex dono Tullensis episcopi ad nostram potius pertineret[e] ditionem, humiliter petebamus. Tunc cum consilio respondentes archidiaconi, nihil contra iustam causam nostram se audere praesumere asserebant. Videntes itaque adversarii nostri se nihil posse proficere, adicientes, ipsum fundum, in quo novum monasterium nostrum situm est, ad Romaricensem potius pertinere ecclesiam, calumniabantur. Ipse etiam dux Theodericus, qui eatenus in dilectione nobis familiariter adhaeserat, ne in amititia sua ulterius confideremus interdixit, et aspera loquens et graviora promittens sic[f] a nobis nimium iratus recessit. Nos autem exitum rei praestolantes, omnipotenti Deo, cuius benignum auxilium in necessitatibus nostris iam experti fueramus, causam nostram regendam et protegendam commisimus. Tullo itaque regressus[g], adversarius noster Walfridus protinus eamdem ecclesiam violenter invasit, et quaecumque poterat ad ius ecclesiae pertinentia cum armata manu militum rapiens ad propria asportavit. Et quoniam de fundo loci nostri, quem iam Romae beato Petro feceramus, iniuste calumniam moverant, accepto a fratribus et amicis nostris consilio, quemdam
1104. fratrem meum carnalem nomine Arnulphum Spinalensem[h] Romam direximus, et per eum supplicationis et querimoniae epistolam Romano pontifici, de cuius solius auxilio super hoc[i] post Deum confidebamus, in hunc modum allegavimus:

Domno papae, reverendissimo patri et primae sedis pastori, Seherus Calmosiacensis ecclesiae qualiscumque abbas et sibi cohaerens congregatio devotam subiectionem. Inter multas angustias, quae nos[k] *ad sinum protectionis vestrae cogunt recurrere, praecipua*[l] *est persecutio Romaricensis abbatissae. Acerrime enim et iniustissime et per se et per quoscumque potest insequitur, et quia aperte et violenter nos expellere vel non praevalet vel erubescit, quibus potest factionibus machinatur, ut loco suo locus noster subiciatur, ut vel sic nos expellendo vicinitate nostra non gravetur. Et quia ne vos gravaremus, machinationes quibus innititur, quia longae*

a) fratri *deest* 2. b) consuerat 2. c) castellario 1. d) traderet 2. e) pertinere 1. f) sic *deest* 2. g) reversus 2. h) fratrem meum nomine Arnulfum, casualem Spinalensem 2. i) super hoc *desunt* 2. k) quae nos *desunt* 2. l) praecipue 2.

42) Haec Paschalis II epistola, in Reg. pont. Rom. p. 479 a me perperam revocata ad a. 1099 (in ea enim, quae praecedit, Pibonis epist. legimus: »Cum desiderium vestram praesentiam adeundi semper mihi fuerit,« id quod Paschali, papae modo constituto, scribi a Pibone non potuit), rectius pertinere ad a. 1103 videtur.

sunt, non perstrinximus, rationum series, si vobis placet, a domno Richardo et a domno Ar- 1104. *nulpho, huius cartae portitore, quia eis*[a] *nota est, requiratur et apud vos diligenter discutiatur et finiatur. Et quia, domne pater, singulare refugium post Deum factus es nobis, suppliciter petimus, ut sis adiutor noster in opportunitatibus, nobisque*[b] *iam cadentibus subpone manum auxilii, ne penitus collidamur. Ne, quaesumus, diutius differatis; quia iam prope est ut dicatur de nobis in nostris partibus: „Ubi est Deus eorum?" Sentiamus, si placet, quid protectio* Deut 32,37 *vestra valeat; sentiant persecutores nostri, si usque ad eos*[c] *disciplinae vestrae virga se extendat, ut et nos respirantes sub protectione alarum vestrarum sperare dicamus, et illi in se reversi erubescentes et conversi tandem salvari mereantur*

Qui benigne quidem suscepit litteras[d] nostras, et quoniam eodem tempore, dispensante Deo, abbatissa Romaricensis[43] legatos suos ad ipsum[e] direxerat, utrosque in praesentia 13 sua vocari[f] praecepit. Cumque ab utrisque causam diligenter investigasset, diligentius tractandam cum suis fratribus, domnis videlicet cardinalibus, ad praesens distulit. Post quorum habitum consilium et iudicium, revocatis ad se nuntiis, quid consilii super hoc acceperat, indicavit. Utrisque vero eidem iudicio assentientibus, hoc ipsum Romaricensi abbatissae litteris rescripsit[g], dicens:

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilectae filiae Gislae Romaricensi abbatissae 1105. Febr 6. *salutem et apostolicam benedictionem. Causam, quae inter vos et Calmosiacenses canonicos agitur, tam ex vestris quam ex illorum nuntiis diligenter audivimus. Igitur de parochiali ecclesia sanctae Mariae, in qua et vestrum et illorum monasterium possidet portionem, id consilii respondemus, ut quia ecclesia vobis, per Dei gratiam abundantibus, minus necessaria est, a Calmosiacensibus canonicis, licet pauperes sint, in loco alio pro portione vestra bonorum virorum consilio accipiatis tale concambium, per quod detrimentum vestro monasterio evenisse iuste conqueri non possitis. De loco autem, in quo novum ipsorum*[h] *monasterium constructum est, hanc iudicii sententiam canonica aequitate proferimus, ut si iurisiurandi per competentes personas exhibita probatione monstraverint, monasterii fundationem iuste*[i] *factam et sine legitima Romaricensium calumnia decennio permansisse, datorem quoque*[k] *loci vel eius praedecessores fundum ipsum per annos triginta sine legali calumnia possedisse constiterit, nec*[l] *quid imminutum de quadragenarii spatio videatur, nullam de cetero a vobis molestiam pro eodem negotio*[m] *patiantur. Non enim pati possumus, ut iidem*[n] *viri sub apostolicae sedis tutela*[44] *religiose Domino servientes, aut per vos aut per alios iniustis vexationibus affligantur. Datum Laterani 8. Idus Februarii.*

Susceptis igitur apostolicae sedis reverentiae[o] litteris, praefata abbatissa in ipsa quidem novitate, quod ei a domno papa iniungebatur, se completuram spopondit; sed diu[p] id ipsum procrastinando cum tandem in communi colloquio convenissemus, id[q] se facere omnino contradixit. Videntes denique, quod neque consilio domni papae adquiescerent, neque a coeptis desisterent iniuriis, iterum necessitate compulsi secundas litteras Romam misimus, et in tribulationibus et violentiis, quas ab eis frequenter sustinebamus, auxilium domni papae flagitantes, scripsimus ei dicentes:

Domno papae Paschali, reverendissimo patri et primae sedis pastori, Seherus Calmosiacensis ecclesiae qualiscumque abbas et sibi cohaerens congregatio devotam subiectionem. Satis vobis, pater reverende, importuni sumus et irreverenter nostris querimoniis frequenter vos inquietamus; sed qui nimia tribulatione premitur, non[r] *a quo se sperat adiuvari, recurri*[s] *obliviscitur. Quia ergo, domine, tota nostra pax et tranquillitas a vobis pendet, duplex ratio nobis illius euangelicae experrectionis*[t] *ausum praebet: „Domine, salva nos, perimus."* Math 8,25 *Hinc immensitas nostrae tribulationis, hinc vestra patientissima pietas, qua semper pauperum causas et libenter suscipitis et diligenter investigatis. Scitis itaque, pater sancte, quod causam, quam de parochiali ecclesia cum Romaricensibus habemus, nuper vobis delatam diligenter utrimque investigastis, et investigatam, nostris et eorum nuntiis id concedentibus, per concambium terminandam discretissime mandastis. Quod, postquam ad nos reversi sunt, in ipsa quidem novitate*

a) vis 2. b) nobis 2. c) adeo 1. d) epistolas 2. e) ad ipsum *desunt* 1. f) convocari 2 g) scripsit 2. h) illorum 2. i) quiete 2. k) quoque *deest* 2. l) ne 2. m) pro eodem negotio *desunt* 2. n) idem 1. o) *an* reverenter? *Vox deest* 2. p) diu *deest* 2. q) id *deest* 2. r) non *deest* 2. s) revereri 2. t) expectationis 2.

43) Gisla, huius nominis tertia parthenonis Romaricensis abbatissa. Vid. Gall. Chr. XIII, 1409.
44) quam quidem die 5. Maii 1101 adepti Calmosiacenses erant.

1105. *sic se completuros spoponderunt; sed id procrastinantes semper et suis se rursum factiosis machinationibus implicantes, nunc demum in communi colloquio se facturos contradixerunt. Nec hoc multum curamus, si portionem nostram in ecclesia quietam possidere nos paterentur, sed et abbatissa et eius suffraganei omnes, quasi coniuratione quadam invicem conglobati, suis divitiis et honoribus quibus affluunt innitentes, nosque despectui habentes, omni ratione post-posita, tam nostra quam sua minantur invadere, et ut nos expellant, vel sibi subiciant, se accingunt callide. Et qui sumus nos, ut sub tantae tempestatis impetu subsistamus, nisi validissima vestra protectione fulciamur? Quapropter, pastor bone, quia nos et nostra in vestra protectione sumus, propter Deum cogitate de nobis, ut pacem habeamus, et si non perfectam*[a] *quia*[b] *non expedit, saltem ne locellum nostrum deseramus.*

Graviter vero ferens domnus papa, quia quod ei mandaverat implere distulisset, secundo rescripsit ei sententiam intentando, dicens:

Oct. 27. *Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilectae filiae Gislae Romaricensi abbatissae et eius congregationi salutem et apostolicam benedictionem. Quia pax multa diligentibus nomen Domini et quies ei servientibus semper est necessaria, idcirco gravis est nobis discordia, quae inter vos et Calmosiacenses fratres occasione rerum temporalium agitatur. Quamobrem dilectioni vestrae scripsimus, ut partem illam ecclesiae quietam dimitteretis, aut de fundo vobis competenti concambium acciperetis. Quod utrumque facere adhuc neglexistis. Id ipsum igitur repetito vobis mandantes*[c]*, praecipimus, ut omnino ab eorum iniuriis desistatis; alioquin beati Petri vindictam ipso adiuvante in vos districtius proferemus. Datum Laterani* 6. *Kalendas Novembris.*

Quas cum per nuntium nostrum iterum suscepisset, sicut prius fecerat, ad praesens non contradixit. Communicato autem cum suis consilio, quibus grave videbatur quicquam[d] eis a[e] Romano pontifice pro pace nostra mandabatur, occasione inventa, quod scilicet sine rege, ad cuius ditionem abbatia eorum respiciebat, implere non possent, iterum facere dissimulavit[f]. Nos vero iniustitiae et oppressioni eorum resistere non valentes, quippe qui divitiis et honoribus multis affluebant, solum auxilium de caelo petentes, misericordem Deum assistere nobis protectorem in tribulationibus nostris humiliter petebamus. Contigit interea domnum Richardum, Albanum episcopum, qui tunc temporis in partibus nostris Dec.[45] legatione fungebatur, Heinrici regis curiam adire[45]. Cuius comites in eodem itinere extiterunt domnus Reybaldus[g] Tullensis archidiaconus, et Spinalensis Arnulphus. Qui benigne nostri memores, res ex ordine regi retulerunt: quomodo in quadam silva pauperes fratres ad serviendum Deo congregati calumniam et oppressionem[h] Romaricensis abbatissae diu sustinuerint, et quomodo post frequentes eius molestias, iustitiam et iudicium domni papae, ad cuius ditionem locellus eorum[i] pertineret, super hoc[k] iam secundo requisierint. Intimaverunt nihilominus ei, quid de hoc ipso domnus papa decreverit, et quid iterato per litteras suas eidem abbatissae praeceperit, qualiter quoque ad ultimum occasione inventa, quod scilicet sine permissu regis hoc facere non posset, eatenus implere contempserit. Petierunt itaque ab eo, quatenus propter Deum pauperibus opem suae defensionis impenderet, et tamquam bonus Romanae ecclesiae filius, quod apostolica sedes sanxerat auctoritate regia[l] impleri praeciperet. Qui quidem adhuc bene catholicus, necdum a Romana ecclesia aversus, petitionem eorum libenter suscepit, et per litteras suas eidem abbatissae protinus mandavit, quatenus remota omni excusatione apostolicae reverentiae praeceptum effectui manciparet, sic scribens ei:

Heinricus Dei gratia[m] *Romanorum rex Gislae abbatissae Romarici-montis salutem cum gratia sua. Quoniam filius et defensor ego sum Romanae ecclesiae, eidem universali matri meae sub defensione mea positae me obedire per omnia conveniens est; offendere autem matrem meam in aliquo, nimium indecens est, quia a praeceptis eius recedere periculosum animabus est. Quidquid ergo statuit sancta et venerabilis sedes Romana per manum summi pontificis, ne hoc aliquando cassetur, sed ut ratum et stabile fiat, quoad potero, usque ad mortem laborare non cessabo. Quapropter mandamus, et*[n] *insuper praecipimus tibi, ut quod praedicta sedes*

a) prefectam 1. b) tamen quia 2. c) mandato 2. d) quicquid 2. e) a 1. in 2. f) dissimulant 2. g) Reimbaldus 2. h) oppressiones 2. i) rerum 2. k) haec 2. l) regni 1. m) Dei gratia *desunt* 2. n) sed 1.

45) Richardum, episcopum Albanensem, adiisse Heinrici V curiam, Moguntiae d. 25. Dec. 1105 celebratam, intelligis ex Ekkehardi Chron. 1106, SS. VI, 230. Cf. Chron. Hild. SS. VII, 850; Chron. Sancti Huberti Andag. 1105, SS. VIII, 627.

sanxit de fratribus Calmosiacensis loci, ne praesumas aliquo modo frustrare et ex aliqua parte sacrosanctum praeceptum exintegrare, ut[a] *ne matrem tuam, cuius filiam te profiteris, non ut matrem sed ut novercam, non ut filia sed ut privigna audeas exacerbare. Quodsi manum ad violanda praecepta matris meae extenderis, et odium caelestis regis incurres*[b] *et iram terreni regis, qui gladium pro eius defensione suscepi, non evades; quia, ut supra dixi, certare pro defensione Romanae sedis usque ad mortem non desinam.* 1105. Dec.

Supradictis quoque viris commonitus super hoc ipso duci Theoderico, ad cuius defensionem Romaricensis abbatia pertinebat, huiusmodi epistolam misit dicens:

Heinricus, Dei misericordia Romani regni rex et ecclesiarum in eo positarum defensor, Theoderico Lotharingorum duci salutem et gratiam suam. Insonuit auribus nostris, summum pontificem matris nostrae sanctae Romanae ecclesiae mandasse tibi per litteras, ut defensor Calmosiacensis loci existeres, ne[c] *fratres ibi Deo servientes exasperari ab aliquo permitteres. Cui*[d]*, si vero*[e] *christiano nomine censeris, obediens eris, et si vere filius eius es, alicui praeceptorum matris tuae in aliquo non derogabis. Petitioni patris nostri petitionem meam subiungo, mandans tibi, ut quod statuit inviolabilis Romanae sedis dignitas, quoad poteris viriliter substineas*[f]*, et ne in ecclesiis in ducatu tuo positis interturbari requiem Christi permittas; quia ad hoc tibi permissus est gladius, non ut ecclesiam destruas, sed ut eam sicut Christi miles a pervasione persequentium incessanter defendas. Quod si feceris, a caelesti rege pro certamine bene certato, pro cursu bene consummato coronam recipies et gratiam terreni regis non amittes. Finaliter de hac re stat sententia mea*[g]*: Scias me nullo turbine posse excuti, quin*[h] *ipsam supradictam ecclesiam et alias ab incursu malorum defendam et destructores earum, divina gratia subveniente, destruam. Vale.*

Sed ne pax nostra terreni regis imperio adquisita minus firma perseveraret, Deo ut credimus dispensante, nec ipsis regis litteris adquiescere, sed quibuscumque poterant machinationibus satagebant, ut aut nos de loco expellerent, aut ipsum loco suo omnimodis subiectum facerent. Multas igitur ab eis rursum passi iniurias, quod nobis solum singulare post Deum erat refugium, ad Romani pontificis protectionem iterum confugimus, et quomodo praeceptum suum implere contemnerent et quotidianis malitiae incrementis adversum nos inflammarentur, per litteras rursum insinuavimus dicentes: 1106.

Paschali patri beatissimo et in refugium tribulantium a Deo primae sedi[i] *constituto Seherus abbas qualiscumque cum universa sibi coniuncta congregatione, quod solum possunt, obedientiam et orationem. Quia illius, qui omnium recte sibi supplicantium importunitates*[k] *diligit, in ecclesia sancta vicem geritis, confidimus de vobis, quod huius pietatis expers non estis. Et inde est, quod audemus ad vos saepe recurrere, quia speramus vos importunitates nostras non fastidire. Nos enim, velimus nolimus, more lactantium infantium incitamur*[l]*, qui quanto plus rei alicuius agitatione deterrentur, tanto magis matri suae se adstringunt et eam amplectuntur. Nunc igitur, pater reverende, ut breviter vobis quantum tribulamur exprimam*[m]*, rubore postposito fatemur, quia revera iam*[n] *prope est, ut de pace nostra desperemus. Ipsa enim abbatissa, de qua tot querimonias nostras habuistis, et cui iam secundo litteras vestras direxistis, omnibus quae ei et praecipiendo et consilium dando mandastis, corde obfirmato*[o] *inobediens existit*[p]*. Nam cum ei in primis litteris consilium dederitis, ut pro parte ecclesiae concambium competens acciperet, et iudicium dederitis, quod pro calumnia fundationis novi monasterii per veridicos testes probationem nostram recipere deberet, et cum in secundis, quia non ut praeceptum, sed ut consilium quoddam quod dixeratis reputabat, praecipiendo sub quadam disiunctione mandaveritis ei*[q]*, quatenus aut concambium in competenti sibi fundo pro parte ecclesiae reciperet, aut partem nostram quietam nobis*[r] *in pace dimitteret et de iniuriis nostris omnimodis cessaret, alioquin beati Petri vindictam super se casuram sciret; cum haec omnia, si reminisci dignatur sanctitas vestra, ei mandaveritis, in nullo horum*[s] *penitus obediens existit*[t]*. Nam concambium satis et multo plus valens illa parte ecclesiae sub praesentia domni Richardi cardinalis et Theoderici ducis et episcopi Metensis*[46]*, et aliorum multorum bonorum virorum tam clericorum quam laicorum et sub adhortatione*[u] *litterarum regis, quia nisi eo concedente id se non audere iam dixerat, nuper obtulimus. Quod quidem nec statim*[v] *absolute concessit* 46

a) et 2. b) incurreris 2. c) nec 2. d) qui 2. e) vere 2. f) sustineas 2. g) tua 1. h) quoniam 2. i) sedis 2. k) opotunitates 1. l) morem lactentium — imitamur 2. m) aperiam 2. n) iam *deest* 2. o) firmato 2. p) extitit 2. q) et 2. r) et in 2. s) eorum 2. t) extitit 2. u) auctoritate 2. v) satis 2.

46) Adelberonis.

1106. *nec funditus contradixit, sed sub tanti conventus praesentia diem, quo id terminaretur, condixit. Sed cum ad condictum diem utrimque[a] convenimus, et concambium renuit et partem, quam in ecclesia habemus, nos habere denegavit et quantum in se est iam nobis abstulit, et probationem nostram, cum inibi parati cum testibus fuerimus, suscipere recusavit. Quodsi de iniuriis, quas nobis irrogat, requisieritis, quae nobis, pater sancte, maior potest iniuria inferri, quam quum id auferatur[b], quod nos et antecessorem nostrum multis annis absque calumnia possedisse fere ab omnibus nostris provincialibus scitur, et quo ablato locus noster destruatur? His breviter recapitulatis, quia forte a memoria vestra excidit, quod tum nos ac[c] ipsa in ecclesia habemus, domnus Ascelinus[d] et domnus Arnulphus, quia eis[e] notum est et ab eis audistis, si vobis placet super his requirantur. His autem diligenter discussis et memorato hoc, quod eiusdem ecclesiae altare ab episcopo Tullensi nobis donatum sic permansurum vestra auctoritate iam firmaveritis, vestrum erit decernere, qualiter tam inimicam certationem[f] debeatis terminare, et pusillum gregem vestrum vobis devote subiectum in pace disponere.*

Quorum pertinaciam graviter ferens domnus papa, sed tamen mirabili paternitatis mansuetudine ad satisfactionem revocans eos, per tertias[g] litteras beati Petri sententiam iam secundo intentavit, sic scribens eis:

Apr. 12. *Paschalis episcopus servus servorum Dei, dilectae filiae Gislae Romaricensi abbatissae et eius sororibus salutem et apostolicam benedictionem. Pro Calmosiacensibus fratribus ecce iam secundo ad vos litteras misimus. Nunc, quandoquidem ipsi secundum iudicii nostri sententiam parati fuerint iureiurando per competentes personas ostendere[h] de loco, in quo novum ipsorum monasterium constructum est, fundationem quiete factam sine[i] legitima Romaricensium calumnia decennio permansisse, datorem quoque loci vel eius praedecessores fundum per annos triginta sine legali calumnia possedisse, dilectioni vestrae praesentium litterarum auctoritate praecipimus, ut nullam de cetero eisdem fratribus de praedicto fundo calumniam inferatis. Id ipsum etiam de portione parochialis ecclesiae sanctae Mariae praecipimus, quam nimirum portionem praesentibus nuntiis vestris eosdem fratres illic possedisse cognovimus; alioquin si clamor eorum super hac querela nos iterato pulsaverit, a liminibus ecclesiae vos arcebimus. Data pridie Idus Aprilis.*

Quibus susceptis, nihilominus obdurato corde resistentes, quidquid pro pace et quiete nostra eis praecipiebatur, tandem se facturos omnino contradixerunt. Post haec vero cum 47 rex positus esset apud Argentinam[47], cognito quod dux Theodericus et saepe dicta abbatissa illic in praesentia eius adesse deberent, curiam ipsius adivimus. Et cum[k] per quosdam familiares nostros regi innotuissemus, ab eo humaniter suscepti, per eosdem humiliter postulavimus, ut, quod absens duci et abbatissae per litteras suas mandaverat et illi implere distulerant, praesens viva voce eis praecipiendo tandem finire dignaretur. Porro rex petitioni nostrae clementer annuit, et cum in praesentia sua dux et abbatissa advenissent, suggerentibus quibusdam amicis nostris pro nobis eos interpellavit, et ut[l] consilium domni papae sequerentur concambium competens accipiendo, benigne adhortatus est. Qui quidem inducias ab eo petierunt, donec inde cum suis loquerentur. Sed postea per suos familiares, regi in palatio adhaerentes, satagerunt, ut regem a coepta petitione averterent.

Nos igitur videntes, quod nullo modo adquiescerent, communicato cum amicis nostris consilio Romanum pontificem, qui in Placentia urbe Italiae generale concilium indixerat, per me ipsum[m] ipse adii. Quo cum quibusdam fratribus meis cum[n] pervenissem et non 48 Oct. ibi sed potius in alio loco qui Wardastallum[o, 48] dicitur reperissem, benignissime nos suscepit. Cui itineris mei protinus causam aperiens, quid iniustae calumniae et oppressionis a Romaricensibus sustineremus, tam per litteras quas mecum tuleram, quam praesens viva voce intimavi. Ille autem benigne respondens: *Ecce*, inquit, *ad portum venistis iam.* Ne autem ipsae litterae huic opusculo deessent, subsequenter hic[p] apposui:

Paschali sanctae apostolicae sedis summo pontifici Seherus Calmosiacensis[q] abbas indignus cum suis fratribus debitae obedientiae devotam exhibitionem. Iam, pater sancte, fatigati sumus, nos in scribendo[r] litteras et vos in audiendo, et tamen nihil adhuc profecimus, et nihil restat aliud, nisi quod de pace nostra iam desperavimus. Durum quidem et irreligiosum est,

a) utcumque 1. b) quam quum id aufertur 1. quam ut id auferatur 2. c) et nos et 2. d) Aselmus 1. e) ei 2. f) concertationem 2. g) pertiteras 1. h) affirmare 2. i) et sine 2. k) quoniam 2. l) et quod 1. m) per memetipsum 2. n) cum *deest* 2. o) Wardustallum 2. p) sic 1. q) Calmosiacensibus 1. r) nos scribendi 2.

47) circiter medio anno 1106. 48) Guastalla.

quod nos[a] *desperasse fatemur; sed sic vobis angustias nostras exprimere compellimur. Quis*[b] 1106. Oct. *enim spem sibi inconcussam conservare praevaleat, cum illud quod moestitiae*[c] *suae remedium certum fore speraverat, in contrarium cedere manifestissime sentiat? Litteras namque vestras ad abbatissam, domine, ut pace vestra dicamus, quas inquietationis nostrae mitigatrices*[d] *semper credidimus, abbatissae eiusdem et suffraganeorum suorum exasperatrices atrociter sentimus. Nam eatenus, quod*[e] *eis in tertiis litteris, si nos inquietare non omitterent, sententiam vestram intentastis, non*[f] *solis minis terruerunt nos, sed postea repentinis armatorum suorum assultibus sic nos aggressi sunt, ut omnibus attendere volentibus clare videatur, sic eos*[g] *repente exasperari non tam odio nostro, quam despectu*[h] *vestro. Iam enim tertio postea ipsius ecclesiae, pro qua contentio est, bona violenter rapuerunt, et asportatis quae potuerunt, cetera depopulati sunt, et tyrannide sua*[i] *tam nostrum quam suum ius omnia indifferenter levarunt*[k]. *Has et alias iniurias perferentes in nullo eis restitimus; sed auctoritate Dei et vestra, quod solum potuimus, in omnibus eis contradiximus. Sed et proclamationem super his ullam nondum fecimus; quia quod in vestrae maiestatis praesentia discussum iam et terminatum est, alibi reciprocare non*[l] *iudicavimus. Quapropter, pater sancte, quasi praesentes omnes pedibus vestris advoluti iacemus, et lacrimosis efflagitamus precibus, quatenus si quid misericordiae, si quid pietatis, si quid nobis pacis impendere proposuistis, propter Deum*[m] *diutius non differatis.*

Diutius vero non ferens domnus papa pertinacis malitiae contentionem, non sicut in secundis et tertiis litteris intentando, sed anathematis sententiam in ipsam abbatissam direxit, et si usque ad proximae[n] quadragesimae futurae initium, quod ei pro pace nostra iam tertio mandaverat, opere non implesset, ab introitu ecclesiae eliminavit, sic scribens ei:

Paschalis episcopus servus servorum Dei dilectae filiae Gislae Romaricensi abbatissae Oct. 27. *salutem et apostolicam benedictionem. Pro iniuria religiosorum Calmosiacensium fratrum*[o] *tertio ad te litteras misimus rogantes et praecipientes, quatenus aut de fundo vobis competenti concambium acciperetis pro portione vestra parochialis ecclesiae beatae Mariae, quae vobis illisque communis est, aut eorum portionem, quae sunt decimae alodii eorum, quod infra eorum parochiam continetur, quietam illis dimitteres. Et adhuc nos audire dedignata es. Licet igitur iterum iterumque contempti, iteratas tamen litteras ad te mittimus praecipientes, ut horum alterum, sicut praeceptum est, quod malueris exequaris. Quod si usque ad proximae quadragesimae initium adimplere contempseris, ex tunc tibi aditum ecclesiae interdicimus. Datum apud Wardastallum*[p] 6. *Kalend. Novembris.*

Quas cum a domno papa suscepimus, cum salute et apostolica benedictione ad propria regressi, eidem abbatissae per quosdam fratres nostros misimus. Hac demum sententia Deo favente perterrita saepe dicta abbatissa, Walfridum[q] cancellarium suum ad domnum papam direxit, ut ei locus diligentius exponendi[r] causam suam in praesentia eius daretur, obnixe flagitavit. Asserebat[s] enim, rem aliter se habere, et si opportunitas daretur, nos potius iniustitiae reos se comprobare nihilominus affirmabat. Volens autem discretissimus pastor eis omnem contradictionis occasionem tollere, quoniam in partes nostras eodem tempore ipse adveniebat, Lingonis utrosque nos adesse praecepit, ut[t] ibidem in 1107. praesentia sua diligentius eadem causa utrimque discuteretur atque terminaretur. Adveniente itaque die constituto, Romaricensis abbatissa, accersito secum duce Theoderico Febr. ceterisque multis, cum magna potentia Lingonis perrexit, et quoscumque potuit ex domesticis palatii sibi applicuit, ut suae parti faverent solito[u] procuravit. Ego autem non in scientia neque[v] in pecunia neque in aliquo terreno auxilio confidens, tribus tantummodo fratribus mecum assumptis, ceterosque plurimum adhortatus ut Deum nobis fore auxilio exorarent, clementissimi patris praesentiam adii, et ad quem finem contentio diu pertractata[w] Deo per eum dispensante tandem perveniret, sollicitus expectavi. Venit igitur dies, in qua domnus papa constituerat de causa nostra tractare, sed quoniam ipse eodem die minutus erat sanguine, prius per semet ipsum non potuit accedere. Convocatis vero ad se cardinalibus praecepit, ut cum magna discretione sine personarum acceptione causam eamdem examinarent, examinatam[x] iusto iudicio terminarent. Venientes igitur in consistorio,

a) nos *deest* 2. b) cuius 2. c) iniustitiae 2. d) mitigatiores 1. e) eotenus quo 2. f) non *deest* 2. g) sic in nos 2. h) respectu 2. i) sua *deest* 2. k) invaserunt 2. l) non *deest* 1. m) Dominum 2. n) *sic scripsi pro* praesentis; *cf. epistolam papae, quae sequitur.* o) fratrum *deest* 2. p) Varstallum 2. q) utrumque 1. Valfridum 2. *cf. supra p.* 332. r) exponere 2. s) afferebat 2. t) et 1. u) sollicita 2. v) et 2. w) protracta 2. x) et examinatam 2.

1107. Febr. cum utrique assisteremus, illi cum innumerabili multitudine et totius curiae favore, nos vero cum paucis solo divino auxilio innitentes et caelestis iudicis aures pulsantes, coeperunt domni cardinales quaestionem ventilare, et quid quisque pro sua parte diceret diligenter investigare. Sed[a] dum haec agerentur, memor universalis pastor pauperum suorum, tamquam alius Daniel[b] a Domino suscitatus ad liberandum nos, per semet ipsum accessit, et quid de eadem causa agerent, diligenter investigavit. Cumque de fundo novi monasteri nostri, pro quo nobis licet iniuste saepe[c] calumniam intulerant[d], quaestio coepisset agitari, scientes et certi Romaricenses, ex antiqua[e] datorum possessione eumdem fundum ad nos potius pertinere, in praesentia domni papae domnorumque cardinalium necnon[f] aliorum multorum circumstantium, se nusquam ulterius pro eadem fundi parte querelam contra nos facturos, promiserunt. Mox igitur domnus papa, sicuti consuetudo ei est in talibus, eamdem fundi partem per baculum de manu Gislae Romaricensis abbatissae sororumque eius, quae praesentes tunc aderant, suscipiens, quietam et integram nobis et successoribus nostris perpetuo possidendam confirmavit. Postea vero illis referentibus, quod ex antiqua possessione parochialis ecclesia Calmosiacensis ad illorum pertineret ditionem, nobis autem et contradicentibus[g], quod ex antiqua possessione antecessorum liberi viri Theoderici investituram portionis eiusdem ecclesiae ab eo[h] suscepissemus et eam multo tempore possedissemus, discretissimus pater, cognita utrorumque causa, consilium et iudicium domnorum cardinalium super hoc requisivit. Ac illi decretum papae Gregorii 49 septimi memorantes, qui quidem in generali concilio[49] residens, laicos in ecclesia quicquam habere omnimodis interdixit, nihilominus etiam ab eisdem aliquid ecclesiasticum[i] suscipi debere prohibuit, eamdem portionem, quam de manu laici post memorati Gregorii septimi decretum susceperamus, nos iure canonico debere relinquere iudicaverunt. Dicebant siquidem, quod iniuste, licet ab antecessoribus possederat, iure dare non poterat. Sicque nos eidem iudicio consentientes, portione[k] parochialis ecclesiae, quam a supradicto viro Theoderico, iuste quidem secundum[l] consuetudinem terrae nostrae, susceperamus, carere[m] nos adquievimus. Quibus peractis, adversarii nostri arbitrabantur, se decimas nostras, pro quibus tota contentio inter nos[n] et ipsos diu fuerat agitata, adquisivisse, et sic[o] deinceps loco suo subiectos omnimodis nos habere. Sed non diu distulit ineffabilis providentia Dei, quem nobis in tribulatione adiutorem assistere precabamur, pauperes suos consolari. Siquidem domnus papa aestimationi eorum tali ordine obviavit, ut statim mihi[p] illud decretum Gregorii Magni coram recitari iuberet[q], quo nimirum ab his, qui[r] communem vitam ducunt, decimas exigere evidenter interdixit. Quo recitato protinus subsequenter iudicaverunt domni cardinales, ut nos, qui communem vitam ducebamus, nec illi[s] nec alicui omnino[t] ecclesiae decimas redderemus, aut quisquam contra probati decreti auctoritatem a nobis ulterius decimas seu primitias exigere praesumeret.

Proinde domnus papa Romaricensem abbatissam advocans paterna admonitione allocutus est, sic dicens ei: *Volo quidem, filia, et praecipio, ut sicut privilegium, quod olim locus tuus in libertatem sui a Romana ecclesia suscepit, inviolabiliter custodiri desideras, ita tu quoque, quod praesenti iudicio fratribus istis concessimus, privilegium etiam ipsorum, quod ipsi similiter per manum nostram a Romana ecclesia susceperunt, integrum et illibatum custodias. De cetero, ne[u] occasione[v] rerum temporalium aliqua inter vos controversia resuscitetur, ad testimonium contentionis diu agitatae inter vos et in praesentia mea tandem finitae litteras meas meo sigillo corroboratas vobis dare disposui, ut per hoc firma et stabilis inter vos perseveret dilectio.* Ista breviter prosequutus dicendi finem fecit. Sic igitur bonus ille moderator contentionem diu inter nos pertractatam[w] tandem terminavit, ipsaque terminatione litteris annotata, testamentum in duobus locis eodem sensu eademque litteratura conscriptum, ac[x] suo sigillo munitum ab utrisque nobis haberi et inviolabiliter custodiri apostolica auctoritate stabilivit. Modus autem ipsius instrumenti[y] talis existit[z]:

Febr. 24. *Paschalis episcopus servus servorum Dei. Inter Romaricense monasterium et Calmosiacensem canonicam[*] quaestio diutius agitata de parte fundi, in qua eadem canonica sita est,*

a) Et 2. b) Samuel 2. c) saepius 2. d) intulerunt 2. e) contigua 1. antiqua 2. f) necnon et 2. g) nobis e contra dicentibus 2. h) eodem 2. i) ecclesiasticorum 2. k) portionis 2. l) secundam 1. m) curare 2. n) nos *deest* 2. o) acsi 2. p) ut tutum nobis 2. q) videret 2. r) qui *deest* 2. s) ulli 2. t) domino 2. u) nec 2. v) suasione 1. w) pertractam 2. x) de 1. y) istius testamenti 2. z) extitit 2. *) Calmosiacense canonicum 2.

49) 1078. Nov. 19. V. Mansi XX, 509.

de parte etiam parochialis ecclesiae sanctae Mariae, quae communis eatenus videbatur, ad aures nostras saepe pervenerat. Unde nobis opportunum visum est, ut utraque pars in nostram praesentiam conveniret[a]. *Partem igitur fundi, in qua canonica sita est, unde quaestio fuerat*[b], *Gisla Romaricensis abbatissa nostris in manibus abdicavit. Cum*[c] *fundum ipsum integrum ex antiqua datorum possessione ad eosdem canonicos pertinere cognoverat, seque ac sorores suas pro monasterii iure numquam ulterius de ipsa fundi parte querelam contra eos*[d] *controversiamque facturas, in conspectu tam nostro quam*[e] *fratrum nostrorum et plurimorum circumstantium pollicita est; sic nos eamdem fundi partem integram et quietam, per baculum ex abbatissae et sororum manu susceptam*[f], *Calmosiacensibus fratribus confirmavimus. Porro de portione decimarum nobis et fratribus nostris visum est, et decretorum pontificalium sententia iudicatum: Cum*[g] *saecularis miles ecclesiae res iniuste possessas iure dare non potuit, maxime cum iidem fratres donum ipsum post apostolicae memoriae Gregorii septimi papae concilium acceperint — in quo nimirum concilio idem pontifex priorum statuta renovans, decimas aut alias res ecclesiasticas a laicis suscipi vetuit, condonatis his quae ante id temporis suscepta fuerunt — sic Calmosiacenses fratres partem istam ecclesiae iudicio reliquerunt. Eidem sane iudicio additum est et ex beati Gregorii sententia definitum, ne de carrucis aut laboribus sive nutrimentis*[h] *suis vel illi parochiali ecclesiae vel aliis quibuslibet reddere decimas seu primitias exigantur. Actum Lingonis* 6. *Kal. Martii, indictione* 15[i], *incarnationis dominicae anno* 1106; praesentibus venerabilibus episcopis Ricardo Albano, Aldone[k] Placentino, Odardo Cameracensi[50], et R. E. presbyteris cardinalibus Risone tituli Sancti Damasi, Landulpho[l] tituli 50 Sancti Laurentii[51], Divisone tituli Sancti Martini, et diaconibus Iohanne de titulo Cosmidis[m], Berardo de titulo Sancti Angeli; praesentibus etiam venerabilibus personis: de clericis Radulpho praeposito Remensi, Riquino[n] primicerio Tullensi[52], Rembaldo archidiacono Tul- 52 lensi; de laicis Lotharingorum duce Theoderico, Alberto de Brienne[o], Garino[p] de Monsone, Olderico[q] de Acromonte, Henrico de Sancto Vedasto.

1107. Febr. 24

Hac itaque demum Deo favente per manum domni papae contentione finita, accepta benedictione apostolica laeti ad fratres repedavimus, laudantes ac benedicentes Deum, qui non deseruit[r] sperantes in se, sed secundum multitudinem misericordiae suae in tempore tribulationis et angustiae invocantibus nomen suum propitius liberator assistere non despexit.

Sed quoniam de dono altaris, pro quo[s] primum contentio coepit, in praesentia domni papae nulla mentio facta fuerat, Romaricenses Lingonis regressi idem donum ab ecclesia nostra alienare temptaverunt. Siquidem assumpto secum vicario suo Walfrido Tullum perrexerunt, et adeuntes episcopum altare ab eo requirebant, et[t] ut vicario suo solito more illud traderet, obnixe postulabant. Verum Deo dispensante, quoniam praesentes aderamus, coram[u] episcopo ceterisque Tullensibus accessimus et ostendentes ei cartam propriam, litteras quoque apostolicas, quas[v] ad confirmationem eiusdem doni nobis[w] ipse postulaverat et impetraverat, humiliter poscebamus, ut quod ecclesiae nostrae semel contulerat, integrum et illibatum nobis conservaret. Temerarium et nimis periculosum reputans episcopus, contra propriam immo contra apostolicam ire sententiam, illis rursum dare, quod nobis iam dudum tanta auctoritate firmaverat, illicitum sibi fore respondit; ac sic Romaricenses rursum frustrato conamine redierunt, nihil eorum quae postulaverant assequuti. Nos vero moleste ferentes, diutinam contentionem inter nos tanto tempore protrahi, utpote quorum familiarem dilectionem prius experti fueramus, alia via in concordiam eos revocare disposuimus. Adveniente namque abbatissa Romaricensi in vicinia nostra pro quibusdam suis negotiis, humilitatis proposito eam adire studuimus, et pristinae dilectionis commonentes, in concordiam et familiaritatem eius redire nos velle insinuavimus. Quam petitionem nostram ipsa quidem benigne suscepit et quicquid communes amici nostri pro reparanda pace ei consulerent, libentissime se facturam spopondit. Adfuit etiam Dei cooperantis gratia, et quae[x] bona intentione coeperamus, longe meliori quam sperabamus acceleravit complere. Subsequenti namque tempore societatem petitura nostram, locum nostrum cum suis

a) convenirent 1. b) fuerit 2. c) Quia 2. d) eos *scripsi pro* nos. e) quam in 1. f) *sic scripsi pro* susceptum. g) Quia 2. h) iumentis 1. i) 16. 1. k) Albone 2. l) Lundulpho 1. m) Cosmidi 2. n) Richino 1. o) Briey 2. p) Guarino 2. q) Alderico 2. r) deserit 2. s) qua 1. t) et *deest* 1. u) eorum 1. v) quod 2. w) nobis *deest* 1. x) quod 2

50) Sedit ab anno 1105 ad 1113. 51) immo S. Lucinae. 52) postea episcopus Tullensis.

1107 familiaribus devote visitavit. Quam cum petisset et accepisset, foederata nobis in amicitia
ad proprium monasterium est regressa. Aliquanto autem[a] interiecto tempore quidam boni
viri, communes amici nostri, id inter nos mediaverunt, ut Romaricenses quod suum erat in
53 ecclesia eadem nobis ad trecensum[b. 53] darent et nos acquiesceremus suscipere. Assensi-
mus ambo[c] id nobis consulentibus, et quicquid abbatia Romaricensis in parochiali ecclesia
Calmosiacensi eatenus possederat, per manum Gislae abbatissae ecclesia nostra possiden-
dum suscepit. Verum quoniam[d] nulli personae licet possessionem unius ecclesiae in ius
alterius penitus ac sine ullo monumento transfundere, itidem[e] inter nos mediatum ac firmi-
ter statutum est[f], ut in festivitate sancti Romarici septem solidos pro saepe dicta ecclesia
Romaricensi ecclesiae persolvamus. Deinceps itaque Deo favente omni suspicione depulsa,
solida et familiaris inter nos[g] perseverat amicitia.

His itaque gestis retractare nobiscum coepimus, quomodo in praesentia domni papae[h]
portionem saepe memoratae ecclesiae Calmosiacensis, quia de manu laici eam susceperamus, iudicio canonico reliquerimus[i]. Unde[k] ne quicquam simile de cetero vel nos vel successores nostri in talibus experiremur, Tullensem antistitem super haec[l] adivimus humiliter ab eo postulantes, quatenus ecclesias, quas non canonice per manus laicorum susceperamus, sui doni auctoritate ecclesiae nostrae perpetuo possidendas assignaret. Cumque
praesentes adessent[m] domnus Riquinus primicerius et Rembaldus archidiaconus et hoc
ipsum nobiscum peterent, libenter annuit episcopus, et sicut possederamus[n], per baculum
suum ab eo deinceps possidendas suscepimus, ecclesiam videlicet Domni Petri, quam con-
54 tulit nobis Cunegundis vidua de Richiscurt[o. 54] pro anima filii sui Theoderici; et quartam
partem ecclesiae de Igniaco, quam dederunt nobis Widricus de Valcurt[p] et uxor eius Adeleidis; quartam etiam partem ecclesiae Willaris[q], quam dederunt nobis Mascelinus[r] de
Domno-Martino, et uxor eius Hersendis; dimidiam quoque partem ecclesiae sancti Martini
de Domno-Basolo[55], quam contulit nobis Widricus de Unicurt[s]; et quartam[t] partem ecclesiae de Riviro, quam dedit nobis Berta vidua et[u] postea nostra conversa.

Haec ad commonitionem successorum nostrorum dixisse sufficiant, ne decretorum synodalium ignari, quibus laicis interdictum est nihil in ecclesiis debere possidere, et ideo quod iniuste possident iuste dare non posse, de cetero ab eis quidquam[v] ecclesiasticum suscipere praesumant, sed potius cum talia obtulerint[w] laici, ab episcopo qui tunc temporis fuerit requirant, ut[x] canonice per manum episcopi acquisita, cum pace retinere valeant. Verum quoniam singula quaeque prout gesta sunt explicantes, in longum sermonem protraximus, sola monasterii nostri ordinatione apposita, libelli huius finem faciemus, ut in alio quae restant subiciamus[y].

Cum igitur divina clementia, quae in omnibus nobis misericorditer providebat, undique
nobis requiem contulisset, et nullus iam pene adversariorum superesset, novi nostri monasterii domicilium, licet necdum plene[z] consummatum, omnipotenti Deo consecrare disposuimus. Sed quoniam saepe memoratus Tullensis episcopus, viribus corporis prae senectute
destitutus, ad hoc non sufficiebat, ad domnum Richardum Albanum pontificem, quem do-
Aug. mnus papa, sedem apostolicam repetens, in Galliarum partibus legatum[*] dimiserat, proprias litteras direxit, allegans videlicet imbecillitatem corporis sui, et devote supplicans,
ut vice sui monasterium nostrum ab eo convocatus dedicare dignaretur. Quas cum per
nos suscepisset venerabilis Albanus[a] episcopus, petitioni eius benigne annuit, condictoque
die ad perficiendum quod postulatus fuerat advenit. Plurimi etiam religiosi viri, a nobis ob
dedicationis devotionem invitati, convenere; inter quos primi extiterunt domnus Thiemarus
abbas Sancti Mansueti et domnus Widricus abbas Sancti Apri[56], et domnus Laurentius
56 abbas Sancti Vitoni[57], et domnus Waschelinus abbas Sancti Petri de Brieio[b. 58]; de archi-
diaconis quoque Tullensibus interfuere domnus Rembaldus[c] archidiaconus, et Hugo de
Gondricourt[d] et Hugo iunior filius Reinaldi. Multitudo etiam innumerabilis utriusque sexus

a) ante 2. b) trescensum 2. c) ambo *deest* 2. d) quia 2. e) itidem *deest* 2. f) est *deest* 2. g) inter nos *desunt* 2. h) papae 1. super 2. i) deliqueramus 2. k) Inde 2. l) hoc 2. m) adessemus 2. n) poposcerimus 2. o) Richicurt 2. p) Valecurt 2. q) Cruillaris 2. r) Masclinus 1. s) Vurcurt 2. t) quartam *deest* 2. u) et *deest* 2. v) quisquam 2. w) obtulerunt 2. x) et 2. y) *perperam hoc loco liber prior terminatur apud Martene, quum auctor ipse eidem libro „monasterii ordinationem appositam esse“ diserte scripserit.* z) pene 2. *) legatum *deest* 2. a) Albanensis 2. b) Briecio 1. c) Rimbaldus 1. d) Badricurt 2.

53) census, censum ex terra. 54) *Richecourt.* 55) *Dombasle.* 56) Tullenses. 57) Virdunensis. 58) *Briey*, dioec. Metensis.

fidelium audito adventu episcopi ad dedicationis sollempnitatem undique concurrere satage- 1107 bant. Expectantibus igitur universis, processit episcopus et die Kalendarum Octobrium cum Oct. 1. summa omnium exsultatione maius eiusdem monasterii altare, et universam domum per circuitum in honore sancti Salvatoris domini nostri Iesu Christi consecravit. In crastinum Oct. 2 etiam altare aliud, quod in dextro[a] latere monasterii situm est, in honore sancti protomartyris Stephani dedicavit et atrium nihilominus circumquaque per gyrum designans, sanctificatum ecclesiae copulavit. Quibus rite peractis, ne quisquam deinceps sacrum locum violare praesumeret, in praesentia omnium, ut moris est in talibus, anathematis sententia interdixit.

Anno igitur ab incarnatione Domini millesimo centesimo septimo, indictione prima, epacta 6, concurrente 1, Kal.[b] Octob. consecratum est ipsum monasterium a domno Richardo, Albanensi episcopo, Romanae ecclesiae legato, in honore sancti Salvatoris domini nostri Iesu Christi, praesidente apostolicae sedi Paschali papa II, regnante in saeculo Heinrico iuniore, apud nos vero imperante domino nostro Iesu Christo, cui sit laus, honor, virtus et gratiarum actio una cum Patre et Spiritu sancto in aeternum, in saecula saeculorum. Amen[c].

LIBER II.

Praecedenti libello, sicut in exordio ipsius praefatus sum, utilitati et quieti successorum nostrorum prospiciens, prout Dominus donavit, litteris mandavi[d], quomodo in loco isto qui Calmosiacus dicitur oblatione cuiusdam nobilis viri Theoderici huius alodii heredes facti, plures undique fratres ad serviendum Deo convenerimus, et saeculari conversationi renuntiantes secundum beati Augustini regulam vitam canonicam susceperimus. Calumniam etiam, quam[e] a praedicti viri fratre Ioscelino pro eodem alodio sustinuimus, et contentionem pro parochiali ecclesia Calmosiacensi inter nos et Romaricensem abbatissam diu agitatam in eodem libello latius exposui. Qualiter quoque utramque tandem Deo propitio finierimus, sicut meo tempore gestum est, qui huius ecclesiae primus abbas auctore Deo extiti, diligenter posteris retinendum mandavi. Nunc igitur superest, ut quomodo omnipotens Deus ecclesiam nostram oblationibus fidelium cumulaverit, et novellae plantationis propaginem paulatim ad incrementum usque perduxerit, tam praesentibus quam post futuris, sicut melius novi, diligenter aperiam.

Multi itaque provinciae nostrae utriusque sexus fidelium, quorum Deus corda tetigerat, familiaritatem nostram ardenter petere coeperunt, et tam de fundis suis quam de mobilibus ad sustentationem nostram oblationes devotas ecclesiae nostrae obtulere. Inter quos primus Benchelmus Castiniacensis, frequenti petitione coniugis suae Leucardis admonitus, alodia quae in vicinitate nostri loci possidebat, Lammiriaci videlicet et apud Hugonis-curtem et[f] Liherici, ecclesiae nostrae in praesentia multorum devotus obtulit. Ipsi siquidem et Leucardi, cum esset nobilibus parentibus orta, patrimonii iure provenerant; magisque ea nobis, quam filiis carnis, relinquere satagebat. Quae sicut ab eis accepimus, sic deinceps Deo favente absque calumnia quiete possedimus. Alia etiam Leucardis, huius praedictae cognata, ipsius bono praecedente exemplo et voto pariter succensa, virum suum nomine Theodericum de Villa, assiduis precibus pulsare coepit, quatenus partem quae ei in eisdem tribus alodiis ex patrimonio obvenerat, ecclesiae nostrae conferret. Qui quoniam filios carnis non habebat, libenter ei assensum praebuit, et sicut poposcerat, partem praedictorum alodiorum cum ea nobis et successoribus nostris perpetuo possidendam tradidit. Porro utraque Leucardis nobilibus orta natalibus, sicut praefata alodia libere a parentibus suis susceperant, ita deinceps ecclesiae nostrae integre et solide possidenda contulerunt, in agris videlicet cultis et incultis, in servis et ancillis, in pratis et pascuis, in usu fructuario et reditibus universis, nihil sibi omnino neque successoribus suis retinentes. Quae sicut ab eis libera suscepimus, sic deinceps Deo favente absque omni calumnia quiete possedimus. Verum procedente tempore alodium de Lamiriaco, quod propter remotionem et parvitatem sui minus utile nobis videbatur, pro tribus quarteriis[59] terrae alodio Hugonis 59

a) dicto 2. b) concurrente, 1 die 2. c) *hic desinit exemplum Calmetianum; librumque priorem ab altero hic dirimendum esse, liquet ex primis quae sequuntur verbis.* d) mandans 1. e) qua 1. f) et *addidi; paullo post enim legitur:* in eisdem tribus alodiis.

59) Quarterium est quarta iugeri pars.

60 curtis intermixte[a] adiacentibus, quae ad sacretariam[60] Romaricensis ecclesiae pertinebant — quam nos proprie custodem ecclesiae vocamus — per concambium dedimus. Ut autem noverint posteri nostri, quam rationabiliter factum fuerit concambium, breviter intimabo. Gislam siquidem, quae meo tempore Romaricensem rexit ecclesiam, per memet ipsum adii, et praesentibus domno Reinbaldo Tullensi archidiacono, et Widrico et Walfrido cancellariis, multis quoque sanctimonialium et ceteris quam plurimis tam nostris quam suis amicis, tradidi ego Seherus abbas alodium de Lammiriaco in manu praefatae abbatissae sic liberum et integrum, sicut eatenus nostra possederat ecclesia; suscepique de manu eius supradictam terram, ad sacretariam pertinentem, sic liberam et integram, sicut nostrum dabam alodium, nihil debentem alicui potestati, nec bannum, nec placitum, nec quicquam omnino aliud. Eadem etiam die, iisdem praesentibus, aliud concambium simili ratione inter nos confirmavimus. Alia namque tria quarteria terrae ipsi alodio Hugonis-curtis intermixta adiacebant, quae ad potestatem quae Cohereis dicitur pertinebant, cumque circa eamdem villam terras aliquas de diversis alodiis nostris possideremus: de ipsis quantum competens concambium exigebat in manu abbatissae dedimus, et iterum ipsa tria quarteria libera et integra de manu eius sumpsimus, omni banno et placito et iure carentia. Nomina autem terrarum nostrarum, quas[b] pro eis dedimus, sicut lingua rustica dicuntur apposuimus, ut si quando contigerit inde aliquam controversiam oboriri, noverint fratres, qui tunc temporis fuerint, quid dederimus, quid susceperimus, quae sic se habent[c]: . . . . De quibus ista nunc sufficiant; cetera prosequamur.

Fuit et alia quaedam matrona nobilibus orta natalibus Berta nomine, quae plurima in saeculo possidebat alodia. Quae cum, viro iam defuncto, vidua remansisset solo unico superstite filio, maximo coepit aestuare desiderio, ut relictis omnibus mundi declinaret contagia. Volens igitur se ipsam suaque omnia obsequiis mancipare divinis, prudenter cogitare coepit, ut secum filium suum[d] tolleret, ac sic demum expedita, universa quae habebat alicui ecclesiae possidenda traderet. Dumque id mente tractaret, et quo se verteret animo haesitanti fluctuaret, tandem divino inspirata consilio per quemdam fratrem nostrum Aselinum nomine qui sibi notus erat humiliter postulavit, ut eam cum filio et possessionibus suis in communem vitae nostrae societatem susciperemus. Cuius petitionem
1098. benigne suscipientes, quod poscebat indulsimus. Mox igitur per eumdem fratrem nostrum, domnum Aselinum, parentes suos apud Sanctum Memmium, villam quamdam quae est super Verisnam fluvium, convocavit et, quia sese suaque omnia ecclesiae nostrae eorum consilio tradere vellet, aperuit. At illi bono eius proposito congratulantes, quomodo id rationabiliter fieret inter se tractare coeperunt. Et quia praesentes eramus ego et frater Aselinus, eam protinus in manus nostras suaque omnia tradiderunt. Verum quoniam firmiora et certiora iudicant dona, quae per manus liberorum fideiussorum fiunt, communicato inter se consilio, fratres ex se ipsis liberos homines et provectioris aetatis elegerunt: Willelmum
61 de Castiniaco[61] et Maselinum de Domno-Martino et Widricum de Unocurt, in quorum manibus praefata nobilis matrona universa alodia sua posuit, et ea scilicet quae a parentibus suis hereditario iure possidebat, et ea quae a libero viro, Brochardo nomine, legitime donata per successionem filii, matrimonii iure susceperat; lacrimosis precibus efflagitans, ut ea absque dilatione ecclesiae nostrae possidenda confirmarent. Interfuerunt autem huic primo dono hi liberi et idonei testes: Widricus videlicet de Tillio, Walterus nepos eius, Drogo de Bosom-villa, Maselinus de Castiniaco, Wido de Osenviller, Letoldus de Rinvilla, Robaldus et filius eius Albricus, Ancherus et Drogo et Rofridus de Domno-Martino, Boso
Sept. 15. de Domno-Iuliano[62]. Paucis subinde transactis diebus, cum a nobis imploratus dux adfuisset Theodericus, supra memorata etiam advenit Bertha cum praedictis liberis fideiussoribus; et praesente duce Theoderico et Simone filio suo ceterisque multis liberis hominibus, quorum nomina ad testimonium huius donationis subscripta sunt, tradidit praedicta matrona per manum trium fideiussorum universa alodia sua, quae a parentibus et a viro suo dotalitii iure possidebat, sancto salvatori nostro Deo et beatae ipsius genitrici Mariae mihique, qui huius loci regimen tenere videbar, et fratribus nostris tam praesentibus quam post futuris in hoc loco Deo servituris. Duo enim patrimonii sui sunt haec: alodium, quod habebat apud Unocurt, et pars alodii, quam habebat apud Masline; quatuor vero, quae a

a) intermixtum 1. b) quae 1. c) *exciderunt nomina; itaque punctis indicavi lacunam.* d) *deest* saeculo *vel* mundo.
60) sacrarii custodem. 61) *Chatenois.* 62) *Domjulien.*

viro suo dotalitii iure susceperat, quorum nomina sunt haec: alodium de Riviro cum quarta 1098. parte eiusdem ecclesiae, alodium de Danencurt, alodium de Lifoi, pars alodii de Manili. Sept. 15 Quae omnia absque ulla contradictione tradidit ita libera, integra et solida, sicut eatenus ea possederat, in servis et ancillis videlicet, in agris cultis et incultis, in pratis et pascuis et silvis, in usu quoque fructuario et reditibus universis. Interfuerunt autem huic secundo dono, in ecclesia nostra super altare facto, hi liberi et idonei testes: primus dux Theodericus et Simon filius eius, Widricus de Spinal et Morandus frater eius, Paulinus de Huldonis-Monte et Wldricus, Videricus et frater eius de Grimaco, Rainerus de Dalahin, Wido de Noreio, Uldericus filius Rodulphi, Gerardus de Donno-Pario, 17. Kal. Octobris 1098, indict. 6, epacta 15, concurrente 4, in festivitate sancti Apri. His ita gestis atque firmatis, praedicta matrona voti compos effecta, sese cum filio suo monasterio tradidit nostro, et saeculari habitu abiecto, in humilitate caste servire proposuit. Filio autem eius, quia bonae indolis puer erat, canonicum habitum dedimus, in quo cum fere biennium in simplicitate et 1100. innocentia transegisset, praesenti vita defunctus est.

Hac itaque praefata hereditate cum ecclesia nostra esset legitime investita, Walterus de Berleivilla, miles quidam[a] de familia ducis, violenter irruens, alodia illa, quae ex parte viri sui contulerat nobis, sasivit, capitalia[63] tulit, et ecclesiam nostram rebus possessis iniuste expoliavit. Dicebat enim, quia praedicti viri Brocardi nepos fuerat, filius scilicet fratris sui, ad se potius hereditatem illam pertinere. Cuius frequentibus molestiis et iniuriis inquietati, ducem Theodericum compulsi sumus adire, rogantes, ut iniustam calumniam eius iudicio suae curiae discuteret, ac sic eum ab iniuriis et oppressione nostra removeret. Qui quidem proclamationem nostram benigne suscepit, ipsumque Walterum ad audientiam curiae suae saepius vocavit. At ille in temeritate coepta perseverans, praesentiam ducis fere per biennium refugit. Videntes itaque contemptui eum habere saecularem iustitiam, 1102. familiae nostrae clamoribus fatigati, quos assiduis depraedationibus vastabat, Tullensem episcopum adivimus, et ut tyrannidi illius spiritali gladio resisteret, obnixe postulavimus. Qui paterno affectu filiorum suorum proclamationem suscipiens, post discussam eius obstinationem et iniuriam eum[b] ad ecclesiasticam iustitiam vocavit, et cum venire renueret, anathematis in illum sententiam direxit. Qua tandem sententia nutu divino perterritus, cum apud Sanctum Deodatum[64] positus esset, episcopi absolutionem postulavit. Ut autem quod poscebat assequi mereretur, ab iniquietatione nostra et praedictorum alodiorum invasione se cessaturum omnino promisit, quoad usque per iudicium curiae, quam eatenus refugerat, causa eius aut iniusta convinceretur, aut si iusta esset approbaretur. Qua responsione firmata, anathematis vinculis tandem absolutus est. Post haec vero in praesentia ducis apud Romaricum-montem vocati utrique adfuimus, et rogatus a duce et principibus, ut in audientia curiae aperiret, qua[c] ratione ecclesiae nostrae interrupisset investituram, nihil prorsus iustae querelae adversum nos invenire potuit. Cum igitur solum superesset iudicium, ut quae iniuste invaserat, iuste nobis restituere sententia prolata cogeretur, boni viri, fideles amici nostri paci nostrae prospicientes, id nobis consuluerunt, ut datis de paupertate nostra 60 solidis, eius malitiam leniremus, quatenus libentius quod iudicio curiae[d] facturus erat exsequeretur, et nullam prorsus exinde resuscitandi querelam adversum nos inveniret occasionem. Ipse etiam Walterus videns, se nullo modo posse retinere quae iniuste invaserat, sponsionem pecuniae ab eis accepit, et sic in praesentia ducis ac principum ac totius curiae assistens alodia wirpivit et astipulavit, capitalia distracta ex integro restituit, et totius calumniae finem fecit.

Hac itaque inter nos pace firmata, septem ferme integris cessavit annis, in quibus absque omni contentione et calumnia alodia ipsa nostra possedit ecclesia. Quibus trans- 1109. actis, iterum resumpto malitiae spiritu denuo eadem alodia sasivit, capitalia diripuit et maiori elatus insania familiam nostram assiduis depraedationibus et oppressionibus[e] vastavit et attrivit, nec Deum timens nec homines erubescens, in quorum praesentia, sicut supra memoravimus, et pecuniam nostram acceperat et alodia ipsa per finem factum deposuerat. Iterum ergo super hac iniuria ducem Theodericum adivimus, et ut memor eorum, quae in praesentia eius terminata erant, pestiferum Walterum repetita audacia[f] potestatis suae

a) quidem 1. b) eum *addidi.* c) et qua 1. d) curae 1. e) possessionibus 1. f) *deest* furentem *vel simile verbum.*

63) pecudes. 64) *St. Dié.*

1109. obiectione comprimeret, humiliter obsecravimus. Walterus autem cum diu refugisset curiam, tandem in praesentia ducis apud Spinal advenit. Commonitus a duce, fratribus nostris, qui praesentes aderant, capitalia ablata restituit, ac de cetero se cessaturum promisit. Rursum ergo praefata alodia iure ecclesiae nostrae sasivimus, et illo cessante, pauco tempore quievimus.

Per idem fere tempus beati Petri apostoli sedem pro quibusdam nostris negotiis adivimus, et a summo Paschali pontifice sedis apostolicae benigne succepti sumus[a]. Post alia quaedam imploratus a nobis, ut supradicta alodia[b] et alias possessiones oblatione fidelium nobis collatas in carta suo sigillo munita notaret et auctoritate apostolica ecclesiae nostrae
Mart. 21. perpetuo possidenda firmaret, clementer annuit, et sicut petieramus tradidit nobis cartam[65] proprio scripto et sigillo corroboratam, in qua anathematizantur et a corpore Christi separantur quicumque praedicta alodia sive alias possessiones invadere temptaverint, et ecclesiam nostram inquietare praesumpserint. Fulti itaque apostolico privilegio, accepta quoque eius benedictione, laeti ad fratres nostros repedavimus. Cartam vero ipsam inter alias cartas nostras collocavimus. Quas[c] qui plenius legere voluerit, in armariolo nostro conditas invenire valebit[d].

Sed priusquam Roma regrederemur, saepe memoratus Walterus, adscito secum malitiae suae socio, quodam sororio suo Heinrico, eadem alodia tertio sasivit, capitalia diripuit ac totius iustitiae et honestatis oblitus, efferatus[e] solito quibuscumque poterat molestiis et depraedationibus nos et nostra inquietare non cessabat. Videntes igitur, sine ecclesiastica censura rebus pacem dari non posse, post clamorem ducis et electi pontificis nostri domni
66 Riquini[66], consilio eorum fulti, coacti sumus Romano pontifici litteras deprecatorias scribere, et ut eorum importunam[f] oppressionem et temerariam audaciam apostolico feriret gladio humiliter implorare. Nec diu distulit universalis pastor ecclesiae filiorum suorum petitionem implere, sed per eundem litterarum nostrarum portitorem scripsit duci Theoderico et electo pontifici nostro Riquino, ut adversarios nostros saeculari et ecclesiastica censura ab oppressione nostra repellerent atque ecclesiasticae possessionis invasores ab introitu ecclesiae usque ad satisfactionem eliminarent. Iamiamque domni Riquini Tullensis electi episcopi litteras ad totius episcopatus decanos et presbyteros directas susceperamus, quibus Walterum et sororium suum Heinricum a communione ecclesiae arcendos praecipiebat, cum ecce subito inspiratione divina compunctus, Walterus tandem in semet ipsum reversus poenitere coepit, moxque domno Reimbaldo avunculo suo, qui eius errori multum condoluerat, quod ecclesiae nostrae satisfacere vellet, aperuit. Quod ille gratanter accipiens, congrua exhortatione titubantem adhuc eius animam roboravit, et condicto die satisfaciendi gratia ad ecclesiam nostram adduxit. Cumque praesentes adessent multi liberi et idonei testes, quia pro frequentibus iniuriis et depraedationibus excommunicatum se noverat, primo absolutionem humiliter postulavit et accepit; sicque a nobis in ecclesiam introductus, alodia, quae licet iniuste calumniatus fuerat, super altare sancti salvatoris nostri Iesu Christi deposuit, fundum ipsum ex toto ecclesiae nostrae reddidit, wirpivit et astipulavit, et totius calumniae finem fecit. Pro capitalibus vero distractis, quia multa erant, duo quarteria terrae de proprio alodio suo apud Auncurt ecclesiae nostrae perpetuo possidenda reliquit. Quibus ita gestis avunculum suum humiliter postulavit, ut duo minora alodia: alodium de Davencurt et de Lifoi, tempore vitae suae ad trecensum ei concederemus, ut sic deinceps firma et stabilis inter nos perseveraret concordia. Super quo consulentes amicos et fratres nostros, petitioni eius adquievimus, et praesentibus multis suscepit ipsa duo alodia de manu mea, eo videlicet tenore, ut singulis annis pro trecensu duos solidos tertio die post natale Domini ecclesiae nostrae persolveret, et in morte sua sine successione heredum integra ea et illibata ecclesiae nostrae restitueret. Et huic fini facto et paci adquisitae et inter nos firmatae interfuerunt hi liberi et idonei testes: Widricus videlicet de Spinal et Morandus frater eius et Widricus iunior et Walterus filii Morandi, et Videricus et Widricus et Morandus fratres de Gisniaco, et Stephanus de Villa et Richardus de Calvomonte

a) sumus *addidi.* b) alodia *addidi.* c) Quae 1. d) *perspici ex his verbis potest, hanc Paschalis II bullam, datam d. 21. Mart.* 1109, *quae apud Martene p.* 1194 *cum Seheri libro cohaeret, non ab ipso auctore, sed aliena manu appositam esse.* e) efferatis 1. f) opportunam 1.

65) datam Laterani d. 21. Mart. 1109. Vide Martene Thes. III. 1194. 66) Tullensis, sedit ab a. 1108 ad a. 1126.

et Ramerus et Cerladus de Spinal; de clericis vero domnus Rimbaldus Tullensis archidiaconus et Arnulphus de Spinal et alii multi tam liberi quam servi, quos dinumerare incongruum[a] iudicavimus. Proinde idem Walterus, ut post illatas iniurias veram erga nos suam comprobaret dilectionem, condicto die sorores suas apud Castiniacum in praesentia nostra adduxit, et eadem alodia, quae iniuste calumniatus fuerat, wirpire fecit cum duobus supradictis quarteriis terrae, quae de[b] propria hereditate apud Auncurt pro distractis capitalibus nostris ecclesiae nostrae tradiderat. Nec multo post supradictus sororius suus Heinricus, de Italia regressus, cognito quod Walterus et uxor sua totius calumniae fecissent finem, ad ecclesiam nostram satisfacturus properavit, alodia wirpivit, absolutionem petiit et accepit. Sicque factum est cooperante gratia divina, ut vera et stabilis inter nos firmaretur concordia. Haec nunc de alodiis Berthae sororis nostrae dixisse sufficiat, quia illa duo, quae ex patrimonio suo nobis contulerat, absque omni calumnia nostra possedit[c] ecclesia. 1109.

Iuxta autem alodium illud, quod apud Wocurt nobis contulerat, quidam liber homo Albricus de Hannul-villa terras quasdam optimas possidebat. Inter quas locus molendino construendo congruus super Mosam fluvium habebatur, quas cum sciret utiles nobis fore pro eo, quod alodio nostro cohaererent, locum nostrum cum uxore et filiis adiit et terras ipsas praesentibus his liberis testibus: Hanmone de Novo-Castro[67], Heinrico fratre eius, Alberto de Rosaltum, filiis suis Simone et Alberto et Bencelino de Castiniaco, ecclesiae nostrae, sicut eas[d] tenebat, liberas et integras perpetuo possidendas tradidit. Deinde petita et accepta societate nostra, rogavit nos et exhortatus est multum, ut molendinum in supradicto loco construeremus; quod et fecimus, ipsumque cum aliis[e] terris usque in hodiernum diem nostra possedit ecclesia. 67

Fuit[f] praeterea et alius quidam liber homo, Widricus nomine de[g] Wnocurt, qui mediam partem ecclesiae sancti Martini apud Domnum-Basolum a parentibus possidebat. Qui cum heredes non haberet, locum nostrum per semet ipsum adiit, et portionem illam, quam vice alodii ut laicus tenebat, ecclesiae nostrae possidendam tradidit.

Robaldus autem quidam ingenuus homo de Domno-Martino cum liberos multos, quos prius habuerat, vita praesenti defunctos amisisset, ad ultimum illo mortuo, in quo tota spes suae successionis pendebat, ad ecclesiam nostram humandi gratia eum attulit. Et[h] quia provectae aetatis erat, magis de salute animae suae cogitare coepit, et vice filiorum, quibus in saeculo alodia multa studiose quaesierat, et par successio possidenda[i] parva erat, ecclesiam nostram sibi in hereditatem succedere disposuit; et in praesentia multorum liberorum hominum alodia de Hosceli-villa et de Sannuncurt ei possidenda confirmavit, tradens ea ita libere, integre et solide, sicut eatenus ea possederat, in servis videlicet et ancillis, in agris cultis et incultis, in pratis et pascuis et silvis et vinea quadam et reditibus universis, de quibus nullam experta calumniam, integra ea et illibata nostra tenet ecclesia.

Sed et alius quidam liber homo similiter de Domno-Martino, vir senex et grandaevus nomine Mascelinus, cum quidam filius eius Drogo nomine ad nos conversandi gratia devenisset, alodium de Mattulcut, quod ei iam dudum in hereditatem deputaverat, nostrae contulit ecclesiae; quod sicut liberum suscepimus, ita liberum et integrum absque contradictione tenemus. Aliud quoque alodium idem vir praefatus Mascelinus postea nobis tradidit. In morte namque cuiusdam filiae suae, quam de ultima sua uxore susceperat, quartam partem alodii Truillaris, cum quarta parte ecclesiae eiusdem ad hereditatem puellae ex parte matris respicientem, cum matre Adsone superstite, libera scilicet et nobili matrona, ecclesiae nostrae contulit, atque in praesentia multorum perpetuo possidendam firmavit. Ipsa vero mater puellae Hersendis nomine, honesta valde mulier et bonis moribus ornata, cum post sepulturam filiae a nobis recederet, infirmitate correpta ad nos reportata est, et ingravescente morbo defuncta, iuxta filiam in cemeterio nostro est sepulta. Illud quoque alodium nostra nunc tenet ecclesia. Aliud quoque vir ingenuus de Humberti-curte, nomine Amaboicus, cum quidam filius suus clericus nomine Rembaldus saeculum fugiens inter fratres nostros canonicum habitum suscepisset, ipse quoque de salute animae suae sollicitus, cum iam aetate provectus esset, mundi facultates abiecit, filiumque suum ad locum nostrum secutus, in paupertate vitam extremam ducere disposuit. Volens

a) congrum 1. b) de *addidi.* c) *an* possidet? d) eis 1. e) *an* illis? f) Fecit 1. g) de *addidi.* h) ut 1. i) *an* quia spes successionis possidendae?

67) *Neufchateau.*

autem aliquid loco nostro ex sui parte conferre, tradidit nobis adveniens alodium, quod habebat Bugneolis, permissu coniugis et filiorum, sicut illud liberum et quietum a liberis parentibus susceperat et tenuerat. Quod ab eo suscipientes, quia remotum erat a nobis, in processu temporis cum canonicis Sancti Gengulphi, qui Tulli habitant, annuente domno Pibone, eiusdem civitatis episcopo, per concambium mutavimus: dantes alodium liberum nostrum, ac suscipientes per manum domni Riquini primicerii eiusdem tunc ecclesiae praepositi, alodium eorum, quod cum[a] longe a loco nostro apud Hundini-villam possidebant cum parva quadam ecclesia Domni-Martini, ad cuius parochiam idem pertinet alodium. Quod sicut liberum ab eis suscepimus, ita exinde quietum et liberum usque in hodiernum diem possidemus.

Fuit praeterea et alia matrona nobilis Hervidis de Calvo-monte, quae loco nostro contiguum[b] quod Bulherum dicitur possidebat alodium. Haec post mortem viri sui cupiens ad augmentum loci nostri aliquid de possessionibus suis nostrae relinquere ecclesiae, tradidit nobis medietatem eiusdem alodii, quod ad propriam hereditatem suam pertinebat, praesentibus filiis et hoc ipsum annuentibus. Tradidit autem ipsam portionem ita liberam, integram et solidam, sicut aliam partem filiis suis retinebat, in agris videlicet cultis et incultis, in pratis et pascuis et silvis, in usu quoque fructuario et reditibus universis, quam[c] etiam nunc quiete nostra tenet ecclesia.

Widricus etiam vir nobilissimus et prudentissimus de Walecurt et uxor eius Adeleidis, familiari nobis dilectione inhaerentes, locum nostrum devoti adierunt, et accepta societate nostra contulerunt ecclesiae nostrae, praesentibus his liberis testibus: Widrico videlicet de Spinal et Morundo fratre eius, Widrico et Waltero filiis Morundi, Ulderico et Widrico fratribus de Gisniaco, Hugone et filio eius Petro de Paracio, quartam partem alodii de Igniaco cum quarta parte ecclesiae eiusdem. Ipsam[d] quoque absque omni calumnia usque in praesenti nostra tenet ecclesia in agris et in pratis et pascuis, usu etiam fructuario et reditibus universis.

Leucardis vero uxor Theoderici de Villa, cuius longe superius memoriam feci, semper locum nostrum prae omnibus dilexit, coluit et frequentavit. Quae cum post mortem viri sui Theoderici alium quemdam Albertum Mithensem duxisset, non multo post superveniente infirmitate correpta, ad mortem usque perducta est. Cumque iam sibi mortem cerneret imminere, accersitis his, qui ei assistebant, partem alodii quam adhuc Darnulii[e] de patrimonio suo possidebat, ecclesiae nostrae per manum eorum delegavit. Ad hoc quippe eam sibi retinuerat, ut in morte sua aliquid nobis donare valeret. Cumque gravi moerore afficeretur, ne, si vita praesenti excederet, in eadem urbe eam sepulturae traderent, domesticos et familiares suos lacrimosis precibus efflagitavit, insuper et adiuravit, quatenus corpusculum eius nullatenus nisi in cemeterio nostro sepeliri paterentur. Quod et factum est. Protinus namque ut defuncta est, corpus eius levantes cum gravi labore viae longissimae ad nos usque detulerunt. Quod nos reverenter suscipientes, honorifice in cemeterio nostro iuxta monasterium nostrum sepulturae tradidimus. Alodium etiam, quod per manum liberorum hominum nobis delegaverat, ab eis suscepimus, quod usque hodie liberum, quietum et illibatum in omnibus usibus et reditibus nostra possidet ecclesia.

Alia quoque libera et nobilis matrona Cunegundis nomine, uxor Rofridi militis de Viverio, non minori erga dilectionem nostram fervebat desiderio. Quae post mortem viri sui
68 partem alodii optimi, quam apud Bosonis-montem[f.68] ex patrimonio suo possidebat, nostrae possidendum obtulit ecclesiae.

Fuit et alia matrona, uxor Bencelini de Castiniaco nomine Biliardis, quae post mortem viri sui pro amore caelestis patriae omne patrimonium suum loco nostro contulit, scilicet quicquid apud Rivirum, et apud Aquosam[69], et apud Landini-villam, et apud Berfredi-
70 montem[70] possidebat. Denique dispositis rebus suis omnibus, quicquid habere potuit tam in pecunia quam in cunctis mobilibus, congregavit et ad ecclesiam nostram gratia conversionis, relictis saeculi pompis, venit, ibique finem accepit. Huic donationi interfuerunt testes idonei: domnus Rembaldus et nepos eius, Walterus clericus, Arnulphus Spinalensis, Stephanus de Villa, Gislibertus et filius eius Uldericus de Domno-Martino, Cono et

a) *an non?* b) contigua 1. c) quod 1. d) Ipsum 1. e) Darnulio 1. f) Basonis-montem 1.

68) *Bouzemont.* 69) *Aouze.* 70) *Baufremont.*

Theodericus de Darnulio, et Humbertus miles eius, Lanfridus Castinensis, Gerardus de Longo-campo et Albertus de Bello-monte et Wido clericus eius[a].

Universis filiis Calmosiacensis ecclesiae notificamus, quidquid apud Dornale possidemus. Sancfridus, Ierosolimam profecturus, cum filio suo Ulrico et Hugone fratre suo contulit ecclesiae sancti Salvatoris quidquid possidebat apud Dornale in terris cultis et incultis, in pratis et silvis, et in omni usu et banno, sicut eatenus possederat. Item Beatrix, nostra conversa, contulit nobis pro anima filii sui Hugonis apud Dornale quarterium unum. Item Gerardus et Widricus frater eius contulerunt ecclesiae nostrae silvam pro salute animarum suarum hic prope. Item Helfa mater Gerardi contulit nobis campum apud Alchaei-pratum. Item Iofridus contulit nobis tria iugera terrae iuxta locum, qui dicitur Impedesecorum. Item Ascelinus et filia sua contulerunt nobis duo quarteria apud Dornale in morte sua. Item Sibilla mater Villermi contulit nobis hortum, in quo fuit sita domus nostra.

Sciendum est praeterea, quid unumquodque quarterium debeat. In natale Domini, quarterium cum horto qui tenuerit, debet quinque nummos; qui vero tenuerit sine horto, de more tantumdem[b] exigitur medio Maii et duos nummos in nativitate sancti Iohannis baptistae. Est regula, in festo sancti Remigii duos nummos debet, etiam suo tempore croatam, brullium et furcam; in festo sancti Remigii debet duos modios annonae tritici et alterum avenae ad modium curiae. In nativitate Domini unusquisque hortus sine quarterio debet tres nummos; in pascha gallinam cum quinque ovis, et croatam, brullium et furcam, sicut praefata quarteria. In festo sancti Martini duos nummos; horreum praeparare, faenum et annonam deducere ad parietem horrei, ramositatem; tempore Martii prati clausuram 15 pedes, debet etiam trituram in horreo, quae decem cartellos continet.

Item matrona quaedam vidua, Hilburgis nomine, ibidem pro remedio animae in morte sua contulit ecclesiae nostrae quarterium unum; quae etiam sepulta est ante ecclesiam nostram. Postea Richardus eius filius dedit nobis unum quarterium pro filia sua, quam suscepimus in conversam. Sequenti vero tempore idem Richardus in morte sua contulit ecclesiae nostrae duo quarteria, quae in vadis erant pro 18 solidis, ex quibus unum dedit nobis funditus, quem etiam 20 solidis redemimus. Alterum vero hac conditione redemimus pro 28 solidis, ut si filii eius reddant nobis 28, rehabeant suum, sin autem, maneat nobis in perpetuum. Dedit etiam idem Richardus apud Pinsincurt quarterium, dum adhuc viveret, et aliud quarterium quod ab eadem in vadimonio tenemus, quod pro 16 solidis a monachis de Suricis redemimus. Habebamus etiam in eadem villa domum, quae non erat nobis opportuna; quam volentes mutare et non habentes locum congruum, emimus ab eodem Richardo duo iugera terrae pro septem solidis et equo uno et iugere terrae.

Item apud Bosonis-montem Albertus de Parocia dedit nobis unum quarterium et parum silvae, qui vocatur Iohannis Terp. Dedit etiam nobis apud Pincuichort Beatrix de Dornale unum quarterium. Alia[c] quoque libera et nobilis matrona Cunegundis nomine, uxor Rofridi militis de Vivinerio, non minori erga dilectionem nostram fervebat desiderio; quae post mortem viri sui partem alodii optimi, quam apud Bosonis-montem ex patrimonio suo possidebat, nostrae possidendum obtulit ecclesiae.

Anno 1222, 6. Martii, ecclesia Calmosiacensis solvit tributum ad libertatem apud Romam, Honorio III. praesidente papa.

Connus chose soit à tous, que Idate de Charmon ait donné et octroyé en ausmone à l'eglise de Chaumousis tout ce qu'elle avoit et avoir devoit à Charmon et au finage: en terre, en prez et bois, en moulins et 11 facuiers de prés en Cubmont à pont ou Wamolin, que Tirion tient, la moitié au moulin de Charmou, la moitié la premiere de villenfane, que tien Demangeant Brunes, le champ au franc et le tayeul, que tiennent Ployresot de Walmont et Thiria de Roblagonde, et la terre de Follane, que poyera du Chene tient, et la terre de la Balloie qui effiert, que Lambert de Tenimon et Thirion son frere tiennent, et la haye en foillant à deux états de terre, que Thiria et Tillan de Reblagonde tiennent; ces choses doivent avoir Idate et sisnea sychesal, et si mes sont quitte et la moitié de la Curtille, mas que trois frans de Toullois aye le sieur Virion sur toute la partie de part son pere, aye ledit Virion seize frans, du vieux Toullois et d'un prest, au moulin de Charmois, ou Idate aye le tiers, au Dame Doumeny, que tient le moulin de Charmois, s'en vient la moitié à Geate, et aux siens.

a) *Hactenus scripsit Seherus. Caetera, quae sequuntur apud Martene, sunt* 1) *Paschalis II bulla die* 21. *Mart.* 1109 *data, quam quum supra p.* 344 *n.* d. *docuerimus alienam a Seheri libro esse, omittimus;* 2) *nonnulla additamenta, partim ex libro ipso ad verbum desumpta, quae exprimenda typis minoribus curavimus.* b) *an* tantum duos? *paullo post enim legitur:* in nativitate Domini unusquisque hortus sine quarterio debet tres nummos. c) Alia quoque — obtulit ecclesiae *leguntur supra p.* 346.

DONIZONIS VITA MATHILDIS.

EDENTE LUDOVICO BETHMANN,
BIBLIOTHECAE DUCALIS WELFERBYTANAE PRAEFECTO.

Inter eos qui libros suos magnae comitissae Mathildi obtulerunt, fuit Donizo sive Dionysius, presbyter et monachus[1] *Benedictinus apud Sanctum Apollonium Canusii*[2]. *Capellanum comitissae fuisse, incertum est, immo veri absimile; hoc tantum constat, eum per quinque iam lustra Canusii degisse, quum vitam comitissae enarrandam susciperet. Scripsit eam ipsique dedicavit exeunte a.* 1114; *sed quum iam in eo esset ut ipsi traderet*[3], *comitissae funus supervenit, quod carmine adiecto planxit. Panegyricus itaque potius quam vita est, conscriptus ex iis quae auctor ipse viderat et a veracioribus viris audierat*[4], *adhibitis vita Anselmi et Rangerio*[5], *metro heroico satis rudi*[6], *sermone inculto, vocibus saepe mirum in modum transpositis, Graecisque pro more illius saeculi cum affectatione quadam insertis*[7]. *Animo in Heinricum IV. infenso, de Mathildi Gregorioque nil nisi bene loquitur; Heinrico V. favet, et post mortem comitissae aperte adulatur novo domino. Veritatem sciens quidem mutasse non videtur, sed tacet quaecumque minus bene dicenda erant. In chronologia multum errat.* — ***E n a r r a t i o G e n e s i s*** 368 *versuum metri elegiaci in codice Regiensi, inscripta* Haec generis fictio gratanter metra Donizo, *utrum nostri sit an alius, Muratorius qui eam legit in incerto reliquit.*

Codex vitae antiquissimus, ex quo reliqui fluxerunt omnes, est 1) ***C a n u s i n u s***, *dein Sirleti, iam Vaticanus* 4922, *membr. qu. saeculo XII ineunte exaratus manu pulcherrima per totum librum et habitu et atramento mirum in modum sibi constante. Scriba primam primi quaternionis paginam vacuam reliquit, in secunda pinxit comitissam ab auctore librum recipientem; in tertia sequitur prologus et carmen ipsum sex aliis ornatum picturis, tum statim quum liber scriberetur vivido colore auroque depictis, quas hic sistimus manu Heinrici Brunn accurata delineatas. Prima cuiusvis versus littera per totum librum nunc minio nunc atramento per vices exarata; capitum tituli omnes rubri; interpunctio praestantissima, quam semper fere retinuimus; textus mendis fere purus. At scriba ipse multis per totum librum locis nunc voces nunc versus integros radendo correxit, atramento tamen atque calamo eodem. Idem librum primo*

1) Ita ipse in acrosticho II, 20. 2) Cf. praef. dedic. *cum ad clarorum principum mausoleum iam per quinque lustra nostra resideret humilitas;* et *huius Apollonii;* et *hoc prope vestibulum.* 3) cap. ult. *Laetitia mentis libros dum necto tabellis.* 4) ep. dedic. 5) I, 19. II, 2. 3. 6) Hexametri aliquoties quinque septemve pedibus decurrunt, et leges prosodicae plurimum negliguntur.. 7) *geron, abra, archos, lirrica, spermologus, micros.*

finierat in laudemus amici; *reliqua post adiecit in quattuor foliis assutis, calamo atque atramento eodem, lineis arctioribus, initialibus litteris* C *et* P *nondum sicuti ubivis per reliquum codicem factum erat pictis. Postea alia manus coaeva, atramento subfusco, totum carmen correxit, nunc litteras nunc voces nunc versus integros prioribus erasis superscribendo, glossas etiam interlineares ad meliorem intellectum non raro vocibus imponendo; quam manum ex natura harum mutationum apparet ipsius esse auctoris. Habemus igitur codicem originarium, ab ipso auctore correctum Mathildique destinatum nec tamen traditum. Postea tertia manus paullo recentior libro quaternionem sex foliorum praefigens, inscripsit epistolam ad Mathildem indicesque capitum ex libro extractos; quae omnia in reliquis codicibus desiderantur. Quarta denique, tertiae simillima, prioribus huius quaternionis foliis inseruit ea quae in notis ad II,* 2 *damus. — Ex hoc codice originario descripti sunt*

2) *Fraxinoriensis, iam patrum Dominicanorum Luccensium, a Bernardino Baroni a.* 1776 *donatus, membr. qu. m. anno* 1234 *ex autographo Canusino exceptus una manu continua, quae in calce haec subiecit:* Anni Domini 1234 ind. 6. temporibus domini Hugonis venerabilis abbatis qui con magna diligentia librum comitissarum diu affetavit, et sepe dominum Guizardum qui tunc morabatur Regii rogavit, ut ipsum librum quam cicius posset ab abbate Canusino adquireret, et ipse adquisivit et a Iacupino clerico con magno gaudio ipsum librum domino abbati representari fecit, et dominus abbas congaudenti animo dominum Guidonem accerssiri fecit „Accipe librum et diligenter scribe". Et ego ipsum ovanter accepi a manibus domini mei, et magno studio ipsum exemplavi. Unde rogo dominum n. I. C. qui me concessit istum scribere, concedat mihi multa alia scribere, que sint ad honorem et ad statum Fraxinorensis monasterii et persone domini Ugonis abbatis amen. Lector amore Dei semper memento mei. *Incipit sine titulo:* Anni Domini MLXXII comitissa Matildis cum ep. *etc. Insunt quattuor imagines, quarum prima extat in capite prologi, secunda atque tertia praecedunt caput secundum, quarta est in capite libri secundi. Contuli eam partem, quae in codice Canusino intercidit.*

3) *Regiensis domini Torri, chartaceus in* 4° *saec. XV. a Zanelino exaratus* Scriptori libri donetur gratia Christi — Nomine qui dicitur Çanelinus atque vocatur, *picturis iisdem quibus Canusinus ornatus; continet etiam Enarrationem Genesis* Hec genesis fictio gratanter metra Donizo — Hec pinxit certus Lucensis pictor Ubertus *versuum elegiacorum* 368 *cum figuris, et epitomen vitae soluta oratione conscriptam* Sigifredus primus fuit *etc.*

4) *Padolironensis, iam lycei Mantuani B. IV,* 17. *olim* 69. *scriptus anno* 1442. *Fortasse idem de quo epitomator Padolironensis, cuius verba ad finem Donizonis proponimus; ni forte is codex ipse fuerit Canusinus:*

5) *Ottobonianus n.* 934, *chart. saec. XVII. iubente duce Altaemps exaratus.*

6) *Vaticanus n.* 3754, *chartaceus saec. XVII.*

7) *Bononiensis in bibliotheca Instituti Miscell. LL,* 6. *chartaceus una manu Donizonis carmen cum picturis, tum actus sive gesta Mathildis:* Sigifredus primus fuit — quando obiit currebat a. 1115 ind. 13.

8) *Hieronymi Contarini iam D. Marci Veneti XII,* 214, *chart.* 4°, *saeculo XVI. exeunte scriptus, nonnisi priorem libri partem exhibet.*

Editionem principem dedit ex apographo codicis Vaticani Seb. Tengnagel Vetera monumenta contra scismaticos. Ingolstadii 1612. *Mabillon Acta SS.*

VI, 2, 465 *et Baronius excerpta tantum dederunt. Leibnitius* SS. Brunsv. *I*, 629. *editionem principem repetiit, lectiones veras codicis originarii Roma sibi transmissas in notis indicans. Muratorius SS. V*, 337. *Leibnitii editionem recudit integram, sed primus adhibuit codicem* 2 *et apographum codicis* 3, *e quibus lacunam in* 1 *primus supplevit. Nos accuratissime Vaticanum* 1 *expressimus, iis quae ex Leibnitii et Muratorii annotationibus ad rem facere videbantur servatis.*

Epitomatores Donizonem soluta oratione plures exceperunt, scilicet: ***Padolironensis*** Mathildis inclita comitissa et militaris admodum mulier *etc. in codicibus Padolironensi, Estensi V. A.* 28 *membr. saeculi XIV exeuntis*[8], *Vaticano* 4877 *saec. XVI. et Lucensi, olim Francisci Florentinii, ex quo edidit Leibnitius I*, 689. *Citat Martinum Polonum, Iacobum de Voragine, Landulfum seniorem et iuniorem. Paucissima quae de suo adiecit, in annotatione dedimus e Leibnitio.* ***Veronensis*** Illustris femine comitisse M. sic constat origo. Nam quondam Sig. de Luca — prolem nullam haberet *Mantuae ut videtur scribens, e codice membr. saec. XIV. editus ab J. H. Orti Manara* Vita della contessa Matilde. Ver. 1834. 8. *ex quo libro epitomatoris additamenta in annotatione damus omnia.* ***Regiensis*** *in* 2 *nil prorsus novi exhibet teste Muratorio.* ***Mantuanus*** Sigefredus primus fuit de comitatu — fiat in utrumque pasca *in duobus saec. XIV. codicibus Mantuanis B. IV*, 17 *et H. III*, 32. ***Estensis*** Anno D. 1082 comitissa Matildis cum episcopo Anselmo — quod de solis virginibus dicitur *in codice Estensi VI. F.* 5. *saeculi XIV.* ***Estensis** alter, olim Pomposanus* Incipit historia *etc.* Nota quod istam legendam *etc.* ***Estensis** tertius* Comes Sigefridus venit de comitatu Lucensi *etc.*[9]

8) Continet excerpta Donizonis, tum narrationes de sepulcro Mathildis a. 1445 die 9. aperto in Polirone, de Heinrici V. adventu et obitu comitissae: »A. 1109 ind. 3. de mense Nov. fuit d. Mathildis n. c. in castro Vignole,« notitias de conditoribus ordinum monachicorum, et de bonis Casinensium. 9) Subiicimus hoc potissimum loco quae de Mathilde comitissa in vita Hugonis Gratianopolitani episcopi leguntur, quam Innocentio II. hortante Guigo prior Carthusianus intra annos 1134 1137 composuit,
1080. vid. in Actis SS. April. I. p. 39: »Cum igitur impugnationem, ut diximus, insuspicabilem sensisset hostis antiqui, reputans ne forte indignatus adversum se fuisset Dominus, quod eligentibus se cessesrat vel invitus[1], electioni in se factae abrenuntiare modis omnibus deliberavit et sacras administrationes, quibus in dies se magis ac magis deputabat indignum, nullo pacto contingere. Quam deliberationem, ut putabat, saluberrimam, simul cum ipsa temptatione, ab imo corde lacrymis profusis atque suspiriis, ei qui se duxerat festinavit ostendere. At ille[2] defectu eius et nimio, quamquam a religione profecto timore, ex parte interim rationabili responsione sedato, ad memoratum papam[3] pergere et quidquid eius angebat animum, utpote Christi vicario, totum revelare suasit. Quod cum humiliter devoteque fecisset, tanta consolationis ab eius ore sagina perfusus est, tantumque erga se dilectionis expertus affectum, ut de hac ipsa, quae in desperationem eum pene compulerat, temptatione gaudere et felicioris insuper spei materiam sumere cogeretur. Docuit enim beatus papa, utpote in rebus his nec rudis nec inexpertus, arguere Dominum et castigare quos diligit et omnem filium flagellare quem recipit: et ideo quanto durius cordi eius imposuerat flagellum, tanto evidentius paternae in eum dedisse dilectionis indicium. Praesensisse etiam iam iamque diabolum, quanta per eum ipse dampna passurus, quanta Dei populus virtutis foret incrementa sumpturus: et idcirco omnes inveteratae malignitatis insumere conatis, ut a sacris eum quoquo modo deterrere possit officiis, permittente Deo ad ipsius quidem ignominiam et poenam, ad huius autem coronam et gloriam.«

»Huiusmodi sermonibus et veritate plenis et auctoritate roboratis, non quidem temptatione penitus extincta, sed tamen consolatione suscepta, animaequior effectus, consecrationem ab eodem post modicum suscepit episcopalem. Tantus autem et in ipsa consecratione et toto illo quo ibidem demoratus est tempore, illius viri tanti amor in eum ostensus est, ut patenter ostenderetur, divinae in eo gratiae magnum aliquod praesensisse praesagium. Sed et comitissa Mathildis, habitus quidem foeminei sed animi per cuncta virilis, quae rerum humanarum tumultus atque pericula instar prophetissae Deborae prudenter sedare et fortiter noverat tolerare, in suo Deum venerans famulo, diei consecrationis eius necessaria cuncta subministravit; pastoralem, quo diu usus est, baculum

1) Hugo electus est episcopus Gratianopolitanus in concilio Avenione anno 1080 habito. Cfr. Hugo Flavin. Chron. SS. VIII, 422. 2) Hugo archiepiscopus Lugdunensis. 3) Gregorium VII.

I.



II.



Mon. Germ. SS. T. XII. Tab. Lith.

Farbendr. v. Winckelmann & Söhne in Berlin, unt. Leit. v. C. Kopper

INCIPIT EPISTOLA[a].

Magnificentissimae atque Dei gratia invictissimae inter orthodoxarum choro associande domine Matildi, infimus omnium presbiterorum Donizo piis meritis, quicquid valet humanitus, et quicquid est sibi divinitus.

Cum ad clarorum principum mausoleum[10] *iam per quinque lustra nostra resideret humi-* 10 *litas, nullamque ex eis videret memoriam quod apicum commendaret perpetuitas, accidit, quando nuper vestri honoris sullimitas Canossam deduci arcas iussit marmoreas ad tumulandum dignius eorum corpora, ut ea quae ex eis a senibus et veracioribus nostris temporibus viris nostra audierat parvitas, ferventi zelo carmine heroico nostra temptaverit carazare imperitia, ne tantorum heroum laterent acta fortia et illustrissima. Quod ad effectum perduximus Christi amminiculante benivolentia. Et quia largiente superno opifice vos eis imparem in nulla esse gracia ad tocius regni pervenit noticiam, quamvis rex sapiens dicat, „ne laudes quemquam in sua vita!“ tamen quia in nullo deteriorari inde arbitramur vestram auream dignitatem seu scientiam, reperiamusque a precipuis poetis antiquis potestatibus exibita carmina laude dignissima, utpote Horacius Octaviano Augusto scribit: „Presenti tibi maturos largimur honores,“ id est, „te vivente scribimus de te carmina,“ et ut doctissimus poetarum eidem Augusto detulit gratissima ex ipso carmina, a quo libertate accepta iterum exultans in laude eiusdem cesaris metra protulit talia:*

Herodot. I, 32. Plut. Sol 27.

Horat Ep II, 1, 15.

„Ante leves ergo pascentur in ethere cervi,
Et freta destituent nudos in littore pisces,
Ante pererratis amborum finibus exul
Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,
Quam nostro illius labatur pectore vultus.“

Virg Ecl I, 60

Quod aeque de te conicere possumus, benignissima domina; et ut liber regine Hester de rege Assuero indicat, qui noctem duxit insomnem totam intente audiens scriptas de se historias, donec legentes audivit, quod Mardocheus nunciarat ei vitae suae insidias, quem et protinus ob id remuneravit retributione regia, scripsimus de vobis etiam utilem venturis temporibus hystoriam, quae probatissimum erit exemplum diligentibus Deum sanctamque eius ecclesiam. Vita salusque vestra nostra est securitas et leticia, infirmitas autem debilitas et tristicia. Det vobis vitam salutemque continuam Salvatoris omnium misericordia. Amen.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI.

1. *Narrat Canossa, qui fuerint et quis eam aedificaverit et a quibus regibus obsessa fuerit, et qualiter cum grandi victoria evaserit.*
2. *Refert Canossa amorem Attonis erga se, et quomodo adquisivit idem Atto corpora martirum Victoris et Corone et sanctum Apollonium episcopum et confessorem.*
3. *Quae et qualis fuit uxor Attonis, et quot filios habuit, et quod filius eius Teudaldus princeps extitit post ipsum, et quod idem Tedaldus edificavit monasterium illud quod est inter Padum et Larionem.*
4. *De tribus filiis Teudaldi et uxore eius.*
5. *De episcopo Aretine urbis, qui fuit frater Bonefacii.*
6. *Quod nonnulli marchiones Longobardie studuerunt separare Chonradum a Bonefacio, et quod Bonefacius duxit uxorem comitissam Richildam, et de magno bello quod tota Longobardia fecit cum Bonefacio et Chonrado apud Cuviliolum*[b]*, qui est prope Reginam urbem.*
7. *Quot marchiones sepulti sunt apud Canossam.*
8. *Urbana altercatio inter Canossam et Mantuam de corpore ducis et marchionis Bonefacii.*
9. *Cuius stature et cuius qualitatis extitit Bonefacius, et quid de ipso Sibilla prophetizavit.*

a) *haec epistola una cum indice capitum in ternione codici 1 iam conscripto praefixa est, manu neque scribae, neque correctoris, aequali tamen. Desunt eadem 2. 3.* b) curtiliolum 2.

dedit; additis psalmorum secundum beatum Augustinum explanationibus, cum beati Ambrosii volumine, cuius est titulus *de officiis*, totoque quo deinceps tempore vixit, tamquam verum Dei famulum sincera devotione specialiter honoravit et coluit, sitiens eius instanter et consiliis instrui et oratione defendi.« 10) Canossae apud Sanctum Apollonium. MUR.

10. *Cum quanta gloria et honore duxit dux et marchio Bonefacius illustrem ducatricem Beatricem.*
11. *Quod rex Chonradus Parmam vicit adiutus a Bonefacio, et quod idem rex idemque marchio iuramento federati sunt.*
12. *Quid egit Bonefacius in Burgundiam eundo et redeundo.*
13. *De aceto quod marchio Bonefacius transmisit Heinrico regi secundo, et de grandi dono quod quidam servus eius dedit eidem regi.*
14. *Quod aliquando in concilio suo aliquando occasione vigilie noctis Heinricus secundus rex temptavit capere Bonefacium.*
15. *Quod Bonefacius studiosus fuit in divinis rebus.*
16. *Quod a regibus Theutonicis venit mos venumdandi ecclesias, et quod Bonefacius accepit inde penitenciam a sancto Guidone abbate.*
17. *Quot annis vixit Beatrix post Bonefacium, et quam prudenter omnia rexit.*
18. *Quod secundus Heinricus tempore Beatricis mortuus est, et quod tercius Heinricus cum papa Alexandro secundo nimie discordatus est.*
19. *Quod post Alexandrum Gregorius septimus papa factus est, cum quo prelibatus rex tamdiu discordatus est, quod ab eo damnatus est.*
20. *De obitu domine Beatricis, et quomodo Canossa dolet ex ea et de corpore eius.*

EXPLICIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

1. *De primo adventu tercii Heinrici regis et septimi papae Gregorii in Longobardiam, et qualiter a ducatrice Mathildi apud Canossam suscepti sunt, et quod eundem regem subvertit Guibertus archiepiscopus, et alia vice ivit cum eo Romam contra papam.*
2. *Qualiter contra regem et Guibertum exarserit domina Matildis, et quod cunctis catholicis subvenerit.*
3. *De obitu papae Gregorii, et de eleccione Desiderii et Urbani papae*[a]*, et quod domina Mathildis pro Romana ecclesia pugnavit, et de obitu sancti Anselmi Lucensis episcopi.*
4. *De tercio adventu regis Henrici in Italia, et de obsidione Mantuane urbis.*
5. *Obiurgatio ac detestatio seu digna exortacio contra Mantuam.*
6. *Item de eodem rege et domina eadem, et de bello militum comitisse cum rege apud tres comitatus.*
7. *De obsidione Montisbelli, et de vexillo regis apud Canossam capto.*
8. *De separatione Praxedis regine ab Henrico rege, et de adventu pape Urbani in Longobardiam.*
9. *De obsidione Nogare.*
10. *Quid in Galliis papa Urbanus lucratus est, et de reversione sua ad Italiam.*
11. *De recessu Chonradi ab Henrico patre suo, et de morte papae Urbani.*
12. *De electione Pascalis papae, et de prava Guiberti morte.*
13. *De obitu Chonradi regis, et obsidione Ferrarie.*
14. *Quod papa Pascalis ob piam tutelam domine Matildis direxit in Longobardiam venerabilem cardinalem Bernardum.*
15. *De obitu regis Henrici tercii.*
16. *Congrua exortacio Pascalis pape.*
17. *De adventu Pascalis pape in Longobardiam et in Galliis.*
18. *De legatis et de primo adventu quarti Henrici regis in Italiam.*
19. *Quo timore Mantuani ad fidelitatem domine Matildis redierint.*
20. *Quod erga Dei cultum domina Matildis intentissima fuit*[b].

EXPLICIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

a) *post haec scriba primo iterum scripserat* et quod cunctis catholicis subvenerit, *sed ipse expunxit.* b) *hic desinit haec manus cum ipso quaternione praefixo: sequentis quaternionis, qui primarii scribae primus fuit, pagina prima vacat; in altera picta est comitissa, veste coerulea, stola rosea cum lato clavo aureo, pileo aureo acuto, in throno sedens, dextra lilium tenens, cuius sinistrae miles ensifer adstat, dexterae clericus librum offerens, hac cum subscriptione:* MATHILDIS LUCENS, PRECOR HOC CAPE CARA VOLUMEN.

PROLOGUS ISTE DOCET QUORUM FIT NOMINE CODEX.

F rancorum prosa sunt edita bella sonora,
I taliaeque stilus quod pingit proelia scimus.
L ongobardorum vernantia facta priorum
I mpia multorum seu vilia dicta virorum
A ddita sunt libris, ne possint mente recidi.
M alo[a] sub exemplo tanto depromere metro
A rdua facta ducum nostrorum. Sim licet usus
T antum plana sequi nudisque referre loquęlis,
H ystoriam fingam cum carminibus tamen istam.
I nspicimus crossis[10*] saccis subtilia condi;
L arga colonus ebes dat terrae semina, sepe
D itius excrescunt prebente Deo sibi tempus.
I nterior campus, crossus meus undique saccus
S emina si qua gerit, subtilia si qua recepit,
B rachia nam nobis summi tribuére satoris.
O ptimus iste sator proprios dum seminat agros,
N on tribulos gignunt, sed prebita grana remittunt,
E st melius grano granum, veruntamen agro
F ossor agro semen ponit quod congruit aeque.
A lter habet linguas plures, alterque sophiam
C urat et hic fessum, discretor et alter[b] habetur.
I gnis divinus sua dat vult munera sicut[11].
I rradiat splendens doctas sapientia mentes.
B lesa[11*] quidem recta facit ora docetque modesta,
E t res eximias monstrat dictare sophia.
A lta poli tractat, quem pleniter haec amat alma;
T angere summa nequit, qui non sibi prorsus adhesit.
R egula sed prestat, cui non datur edere celsa;
I lla tamen promat, quae continet atque laborat,
C umque labore calet, succedunt maxima plane.
I nde meus sensus animatus fingere versus.
S pe meliorandi volo terrea scribere saltim,
N ec titubo vera quae condidit esse poeta.
V incit cuncta labor, si permanet improbus. atrox.
N on cessabo quidem quae quivi scribere scire[12].
C ensuit infelix mea stulta scientia, metris
A ctis, perfectis, nulli dare ni sapienti,
N ectareae nostrae Mathildi scilicet, orbem
C uius habet nomen repletum propter honorem
I llius immensum, quem servat more parentum.
L atius ista viget, virtutes quattuor illae
L argifluae degunt omni quia tempore secum.
A lta regens iustos regit hanc prudentia cunctos;
D iscrete vadit, sua temperat acta ducatrix;
E xercet valde pietatem iusticiamque;
I udicis observat caelestis iura timenda;
F ortis in adversis, minus est elata secundis,
I nque fide vera deitatis credula sperat.
L umine ceu fidei sic factis pollet amoenis;
I ccirco fructus centeni colliget[c] usus.
A lter terdenam, sexagenamque coronam
D um tenet alter, habet centenam grandior alter;
I sta legit totas probitatis iure coronas.

a) i. e. magis volo *correctoris glossa.*

10*) i. e. crassis, grossis.

b) curat et hic fessum *atque* alter *in rasura corr.*

11) iunge: *Ignis divinus sua munera dat, sicut vult.* Cfr. I Cor. 12, 8.

11*) blaesa, balba.

12) iunge: *Vincit cuncta labor improbus, si permanet atrox. Non cessabo quidem scribere, quae quivi scire.*

c) colligit 4.

G imnasii mensae sint haec recitata decenter;
N oscat, ei grandis quod calliditas manet anguis,
A ligeri plane comitatur simplicitatem.
P osteritas nostra tantam dominam volo noscat.
E n ego dictabo ceu quibo, postque rogabo
T utius, ut verbum si currerit hic inhonestum,
R espiciat, parcat veneranda Mathildis amanda,
I psius hi versus dant nomen, dantque parentum[13].

EXPLICIT PROLOGUS.

PRINCIPIUM LIBRI DE PRINCIPIBUS CANUSINIS;
PLURIMA SCRIBENTUR METRA DE QUIBUS, UT MEMORENTUR.

Vivus si Plato foret hactenus ipseque Maro,
Innumeros versus daret illis fingere tempus
Istud de nostris ducibus, quos totus hic orbis
Funditus esse catos[a] non solum fatur et altos,
Immo testatur de talibus ac lacrimatur
Egregiis, unquam sibi quod plaga nulla redundat.
Temporibus priscis nullus melior fuit istis,
Nam Priami proles his non sint nobiliores;
Ulterius nemo par his nascetur in aevo.
Hi velut astra nitent de lumine quippe sophyae.
Ceu Phebus terras omnes illustrat et herbas
Cónfovet ac nutrit, quin maturescit et urit,
Horum sic ultra rutilabat curia culta.
Aulas nempe ducum comitum transcendit et usum;
Regia dona dedit, docuit bellare, peremit,
Quos male conspexit patrare, bonisque pepercit.
Iudicio iusta, locuplex habilisque, venusta,
Iurgia si qua sonant, haec finit curia sola.
Hostibus hi nunquam sua norant volvere dorsa;
Regum signiferi, vincebant bella periti;
Ipsorum frameae resecabant noxia sepe;
Iusticiae palmam gestabant semper et arma.
Ut vehemens grando segetes devastat in agro,
Dampnant fellones[14], cruciant furcisque latrones;
Temporibus quorum viguit pax ordoque morum,
Catholici fortes genuerunt catholicosque.
Clavigeri Petri normam sancti quoque cleri
Semper amaverunt, coluerunt et timuerunt.
Ex propriis rebus sanctis hi multa dederunt;
Escas et vestes miseris tribuére libenter.
Cultores Christi tumulati sunt simul isti.
Presidiis[b] firmis cunctis nunc carior illis,
Alba[15] Canossa fleat, referat quoque nomina vera;
Nomina rite canat, ne fiant haec metra vana.

1. *Narrat Canossa, qui fuerint, et quis eam aedificaverit, et a quibus regibus obsessa fuerit, et qualiter cum grandi victoria evaserit.*

Atto fuit primus princeps, astutus ut idrus.
Nobiliter vero fuit ortus de Sigefredo
Principe preclaro, Lucensi de comitatu,
Quique duos natos alios genuit bene claros.
Est primus dictus Sigefredus, et Atto secundus,

13) scil. per acrostichon: *Filia Mathildis Bonefacii, Beatricis; Nunc ancilla Dei, filia digna Petri*

a) i. e. sapientes *glossa*.

14) *felon*, *felonie*.

b) *in rasura corr.*

15) sita super rupem arduam, cuius latera candorem praeferunt MUR.

Filius et parvus vocitatur quippe Gerardus.
Amplificare volens proprium Sigefredus honorem,
Longobardiam cum natis venit in istam.
Se sicut late vitis distendit et alte,
Hic prope sic valde distendit se procul atque.
Nam sub se terras et gentes rite gubernat,
Ac sub tutela propria multos retinebat.
Illius terror natorum maxime ferro
Gentes diversas prostraverat atque catervas.
Cum maior nimium Sigefredus hic esset opimus,
Istud more patrum seclum dimisit amarum.
Ipsius nati locupletati, falerati,
Divisi prorsus caeperunt stare seorsum.
Fiunt Parmenses duo fratres, ambo potentes,
Dat Guibertinam[16] minimus, primus Baratinam,
Progenies ambae grandes et honore micantes.
Alpibus in magnis abies ceu robora transit,
Atto sic longe fratres transcenderat omnes,
Crescens, exultans, et multis rebus habundans.
Prospiciens nudam silicem me stare Canossam,
In proprium castrum me suscepit comes Atto;
Has struxit turres, munivit me super urbes,
Ne timeam reges, magis at me quique potentes.
Rexque Latinorum sapit hoc et Theutonicorum;
Rex Berengerius probat hoc et filius eius.
Hi Longobardi fortes noscuntur in armis
Esse, sed extincti per me sunt ac peregrini
A regno facti, credebant me quia frangi.
Hi reges ambo, dum princeps viveret Atto,
Me circundarunt, quod opus sibi venit[a] amarum.
Res ut sunt gestae, recitentur, frivola cessent.
  Ex populo bruto rex optimus extitit Hugo.
Ex Alobrogibus patribus fuit ipse[b] creatus; 926.
Quem fęcit regem gens Longobarda decenter,
Atque pie iuste regnum regit Italicumque.
Colloquium publicum vetuit fieri sine iussu
Imperioque suo rex cunctis inclitus Hugo;
Ausus erat nullus minimis vi tollere sumptus.
Mortem post eius regnavit filius eius 946.
Lotharius prudens, sapiens, Attonis herusque[17].
Huic erat et coniunx Adeléita splendida prorsus.
Ex hac subtractus vita Lotharius altus,
Absque suae nutu laudatur coniugis unus 950.
Rex, Longobardus Berengerius, vir amatus[c].
Caepit reginam praedictam victus ab ira.
Hunc fieri regem nunquam placuit sibi nempe;
Propterea capta. Super arcem denique Gardam
Misit eam, famulam sibi tantum prebuit unam
Presbiterumque bonum Martinum nomine solum.
In turris fundo iacuerunt tempore multo,
Clam senior[18] murum ferro confregit in unum
Quippe locum; tandem dominam pariter famulamque
Extraxit fugiens, tribuit vestesque viriles
Illis, ne visae caperentur denuo binae.
Usque lacum veniunt quem servat Mantua vivum;
Inveniunt navem piscatoremque suavem.

16) scilicet progeniem edit, stirps fit gentis Guibertinae

a) quod opus sibi venit ama *in rasura corrector.*

b) Ex A. p. f. i. *in rasura corr.; prius fuerat* Sali.... alobrogis...

17) De sqq. confer Odilonis epitaphium Adalleidae c. 4 et Chron. Novaliciense.

c) *ita codd.* amarus *coniicit Mur.*

18) presbyter.

Presbiter invitat quem, se pariter quoque binas
Naviget ut socias. Cui, *quid possit dare dicat,*
Piscator dicit[19]. *Si scires,* presbiter inquit,
Qui nos essemus, tu statim maxime laetus
Transires gaudens citius pretio sine nos tres. —
Dicite qui sitis nunc, si transire velitis. —
Nobis si iures, quod celes nos, tibi pure
Pandimus archanum, valde quod erit tibi carum.
Non aderat codex[20]; baculos crucis ilico more
Rusticus in terra binos posuit, nichil errans
In baculis, iurat velut esset crux ibi pulchra.
Tunc domnus dixit Martinus presbiter illi:
Dicere, care, modo tibi tutius omnia cogor;
Haec est regina, quam dudum caepit ob iram
Rex Berengerius. Fugimus; sis fidus amicus!
Laudans ille Deum transivit eos cito secum,
Optulit et piscem non parvum rusticus ille,
Atque: *Memento mei,* reginae dixit, *habebis,*
Si tibi forte potens dominus Deus addet honorem.
Navita reginam tunc deposuit prope silvam
Contiguam lacui predicto, quae stetit illic
Ebdomada tota, Christum fidenter adorans.
Presbiter absconse panem quaerebat ut ospes.
Tandem suspirans dixit regina perita;
Me captam semper reor; hic michi quid iuvat esse?
Presul Reginus solet esse fidelis amicus
Noster Adalardus; cui si referas, michi quantus
Sit fletus, forsan trahet hinc nos, domne Geronta[a]
Mox quamvis fessus tamen ivit presbiter exul.
Presul ut agnovit: *De regina,* rogat, *ó quid*
Est factum? quaeso michi narra; discere spero.
Presbiter infit hero, defunctam carcere tetro.
Plausibus emissis deflebat presul in istis
Verbis: *Discrimen magnum, constat quoque crimen!*
Presbiter agnoscens ex hoc, quod presul abhorret
Reginae loetum, de vita sat fore laetum,
Ipsi privatim patefęcit vivere statim
Reginam; vellet, quo[b] presidium sibi ferret.
Gaudeo quod vivit vehementer, episcopus inquit,
Arcem securam sub me vero scio nullam.
Atto meus miles habet unam, si velit idem,
In qua regina persistere regis ad iram
Tempora per longa poterit; fit dicta Canossa.
Accipe cras nostros equulos, equita, velut hortor.
Attonem forsan rogitabis, habebis, ut optas.
Luxit cumque dies, equitavit presbiter idem.
Verbo quem largo princeps interrogat Atto,
Quid de regina factum sit, quo[c] sibi dicat.
Intimat hanc senior defunctam carcere diro,
Atto dolens valde lacrimas fundebat amare.
Cumque palam vidit, quod fleret, clam sibi dicit:
Vivit, et erepta per te cupit esse recepta.
Quaerit equos princeps mox, cursim pergit ibique.
Tercia tunc terris clarebat et hora diei;
Estus erat quippe, sed non stetit impiger iste.
Alterius venit dum denique sexta diei,

19) i. e. Cui piscator dicit: *Dicas, quid dare possis.*

20) euangeliorum MUR.

a, i. e. senex vel presbiter *glossa. Graeci etiam presbyterum* kalo-geronta *vocant.*

b) i. e. ut *glossa.*

c) pro ut *glossa.*

Reginam claram sumptam, simul eius et abram[a],
Alta Canossa tenet vel[b] eas se laudat habere.
Haec nova clam Romam mox papae dirigit, orans
Atque petens ipsum, quo conscilium sibi dignum
Ex hac ré prestet, dare reginam quia vellet
Ottoni regi, cui gens Alemannica servit[c].
Scripsit ei magnae probitatis papa Iohannes[21],
Quae gessit laudans, agat hoc ut, vult et adoptat.
Nuncius Attonis post haec conduxit in horis
Veronae regem cum parva denique gente.
Ad quod rex Otto venit, sibi contulit Atto,
Reginam duxit, quae regi tunc quoque nupsit[22].
Coniuge suscepta redit ad propriam cito terram,
Attoni spondens, quod de se maxima posset.
Rex Longobardus nondum cognoverat actus
Istos reginae, neque quó confugerat idem
Reppererat, donec quod rex fuit Otto Veronae
Audivit tandem, quod et Atto fęcerat hanc rem.
Iratus, frendens, coadunans ilico gentes,
Venit Canossam, putat illam frangere cunctam.
Sum petra, non lignum; manet Atto desuper intus;
Secum prudentes homines sunt et sapientes;
Rex Berengeri, quantum vis percute telis.
Ante perire potes, quam nostram rumpere molem.
Non aries, vulpis[d], neque machina prevalet ullis
Ictibus excelsis nostris pertingere tectis.
Confortans hostes rex me circundat in orbem,
Sepe petens bello; qui rex stetit in Lavaclello,
Donec me teneat non inde recedere sperans.
Hinc prope gignit aquam mons, Branciana vocata.
Turris de summo descendere sepe deorsum
Caeperat Atto, loquens his qui fuerant meliores.
Hoc ubi cognovit rex, illum prendere ponit;
Quidam de notis hoc eminus nunciat ori
Attonis, clamans, ut ei de turre per artam
Ipse fenestrellam loqueretur. Protinus extra
Atto caput iactans, audivit verba beanda:
Ventre famem gestans ursus, suspensus ad escas,
Quod languore dolet, cervi componit amore[23].
Visitet infirmum cervus mandavit ut ipsum.
Ivit cervus. Ei sed dum loqueretur, adhaesit
Auriculae cervi, discerpens unguibus, et sic
Dimittens ipsum. Direxit denuo missum,
Ut veniat, mandans; dabo, si veneris, tibi magna.
Cervus oblitus erat, quae fęcit bestia seva;
Accessit iuxta. Trahit unguem belua cruda,
Abstrahit auriculam quam cervo liquerat unam.
Qui deturpatus rediit miser infatuatus.
Ursus amans cervum, mittit sibi denuo verbum,
Ut tute currat, quia vult sibi pandere multa.
Amens et stultus perrexit cervus ad ursum.
Aspicit, aridet venienti fatur eique;
Dente repente furens captivum dissicat ungue.
Vita privatus, vulpi datur igne cremandus.
Vulpis eum torrens, post urso detulit[e] *omnem,*
Cor retinens tantum, sciat ursus ut illius astum.

a) i. e. ancillam *glossa*. A. v. d. d. s *atque ultima littera vocis* dici *et* claram s. s. e. e. a. *in rasura, sed ab ipso scriba.*
b) pro et *glossa*
c) servit *in rasura, sed ab ipso scriba.*
21) Sed tunc sedebat Agapetus II. qui post nuptias Ottonis et Adelheidis adhuc vixit, successoremque habuit Iohannem XII. LEIBN.
22) Papiae 25. Dec. 951. Minus accurate Donizo rem narrat, traditiones populares secutus.
d) i. e. musculus
23) i. e. cervi habendi amore fingit se languere LEIBN
e) p. u. d. *in rasura scriba ipse.*

Ursus habens carnem, cor cervi quaeritat ante.
Respondit vulpis: „Cor non habuit neque sumpsi".
Dixit ei rursum: „Cor mox volo". Vulpis ad ursum:
„Dum quaesitus adest ter, corde carere probate[24]*!"*
Haec tibi sit cara, meus Atto, fabula plana.
Atto recognoscens cur hoc referebat, ob hoc se
Constrinxit sursum, non amplius ipse deorsum
Descendit, donec rex mansit ad obsidionem.
Rex firmans gressus, nec non exercitus eius,
Pergere non usquam, capiar nisi[25], cogitat unquam.
cf. Chron Noval — Circa me factis semis simul et tribus annis,
Attonem taedet tam longam ferre quietem;
Stabat enim sursum, faciebat nil nisi ludum.
Nocte foris missum pepulit, mandans[a] breve scriptum
Ottoni regi, rogitans, ut non pedetentim
De prope fidenter sibi sed succurrere temptet;
Commemorans illi, quod dudum sponderat ipsi.
Otto videns missum, laetatur sat super ipsum.
961. Fortes armatos collectos, venit ad agros
Veronae, pensans Berengerio dare bella;
Transivitque Padum, cupiens reperire relatum[26]
Regem Canossae, secumque suos simul omnes.
Ad Ligurem regem pervénit fama repente
Ottonis regis, quem propter ab obsidione recessit.
Armis ac turbis circundatus undique multis
Obviat in prato Fontanae rex sibi; clamor
Fit subito grandis, frameis[b] lacerantur et hastis,
Ensibus incidunt se, longe personat ictus.
964. Gens Alemanna capit Berengerium; superatis
Tunc Longobardis campum legit Otto, retraxit
Illico frena retro; gaudens de rege retento,
965. Quam citius quivit fines proprios repetivit.
Compedibus regem gravibus stringebat inhermem;
Donec enim vixit Berengerius, stetit illic[27].
Post haec Albertus laudatur filius eius
A Longobardis rex. Fortis hic extitit armis.
Stans in equo dextra si percussit sua quenquam,
Mox cecidit longe conciso sepius osse.
Attonis pacem penitus contempsit amare.
Sumptibus Atto sagax arcem propriam satis armat.
Rex equitans acer circundedit illius arcem
Tempora per bina ternos mensesque per iram.
Incassum certas! pater o rex ut tuus erras!
Non capiar quippe, nisi donec vixeris hic stes.
Atto videns usquam regem discedere nunquam,
Ottonis rursum petit auxilium cito cursu.
Si nequit ipse, suus veniat vel filius unus
Nomine Litulfus, mittatur et absque tumultu.
956. Mille viros promtos cum nato dirigit Otto[28]
Italiam, notam caute venitque Veronam.
Canossae degens rex audiit hunc ut adesse,
Dante sonum cornu perrexit Bagisium. Mox[c].
Linquens Veronam Litulfus venit ad horam
Vespertinalem pratum Bottonis, et ante
Quam nox tetra foret, fuit Atto locutus ad aurem
Regis Litulfi. *Salveris*, ait sibi, iungit:

24) i. e. *Eo quod cervus ter ad vos venit, perspicite, eum mente fuisse destitutum.*

25) Canossa loquitur.

a) *in rasura corr.*

26) iam dictum. LEIBN.

b) *in rasura ipse scriba.*

27) Poeta confundit primam Ottonis expeditionem, qua Berengarium in fidem suscepit, cum secunda, qua captum regno privavit et in Germaniam transtulit. LEIBN.

28) Ludolfus in Italiam contra Berengarium expeditionem suscepit a. 956, ibique obiit 957, Sept. 6, antequam Berengarius ab Ottone caperetur anno 964. Capto autem patre tantum virium Adelberto non fuit, ut Canossam obsidere posset; nec post patrem, sed cum patre regnavit. LEIBN.

c) it h. ut a. D. s. c. p. B. M. *in rasura scriba ipse.*

Stat male cum gatto[a] *mus in sacco simul arto.*
„Hoc enigma peto michi narra“, rex ait ergo.
Reges Atto *duos comitatu* dixit *in uno*
Non decet esse simul: Tu conscilium cape primus.
Quid faciam, prome! quicquid tu dixeris, hoc me
Spondeo facturum. Respondit eique Litulfus:
Atto bellator, comedamus in hoc ait *agro;*
Nocte quiescamus modicum, post haec gradiamur.
Nuncius, ut videat, de nostris ilico pergat,
Qualiter Albertus manet ac exercitus eius.
Regi cuncta libent, quae dixerat Atto, facitque.
Principio lucis fuit in pratove paludis[29]
Missus ab Alberto rediens. Attone reperto
Dixit ei: *Certe pecudes hi*[30] *si simul essent,*
In subito possent per eos comedi, puto, domne;
Tanti sunt. Istis dicat, iubet Atto sibi, nil.
Atto loquens regi mutavit verba ferentis:
O si, rex, essent inimici forte bidentes
Assati, sane possemus ródere carnes.
Indue loricam, capiti galeam quoque firma,
Et clipeum iacta collo, manibus refer hastam,
Irrue confestim super ipsum; nunc stat inermis.
Thorácam, parmam, galeam rex sumpsit et hastam;
Theutonici fortes sumpserunt arma vel[b] omnes,
Ibant privatim quantum poterant glomerati.
Sensit eosque phalanx Alberti sparsa per ampla;
Plures currerunt, et hoc regi retulerunt.
Ad matutinum rex iam surrexerat ymnum.
Nil stupefactus ait: *Volo, quot sunt ut videatis,*
Nostros atque vocet tuba spargens undique vocem.
Interea cantet volo missam presbiter ante.
Officium sacrum dum psallitur, hi remearunt
Iam prope dicentes *sunt, mille videntur et esse.*
Rex vix armatus cum paucis et galeatus
Exiit ad bellum. Litulfus rex sibi ferrum[c]
Porrigit extimplo; rex Longobardus in ipsum
Extendens hastam, thorácam membraque dampnat
Litulfi, vitam qui statim perdidit ipsam[31].
Gens Alemanna dolens, tremuit nimioque timore.
Atto levat vocem confortat Theutonicosque;
Ad cuius vocem totum sprevere timorem.
Partes tunc ambae grave dampnum sustinuere;
Quamvis cum dampno, campum tenuit tamen Atto.
Rex procul Albertus studuit discedere, certus,
Quod non in regnum requiesceret amplius. Exul
A regno factus[32], pertransivit mare magnum;
Partibus in nostris non ultra venit hic hostis.
Si dilexisset me, sic male non hinc abisset
Ex propria gente non ulterius sibi regem
Longobarda petit gens, constituit neque quaerit.
Tunc etiam mensis Madius florebat in herbis;
Anni nongenti quindeni tunc quoque Verbi[33].
Atto cadaver habens Litulfi, viscera plane
Illius extraxit de corpore, quem sua planxit
Gens; ea tunc tumulo posuit condigniter uno.
Dicitur ecclesia Prosper sanctissimus illa.

a) i. q. catto, *Katze*

29) . . *et venit . . . quadam die mensis Madii eiusdem anni a civitate Veronae usque ad arcem Canussinam per unum diem; et alia die sequenti ivit Parmam, et accepit coronam Langobardiae . . . . et rediit . . . et in prato Antograno ivit contra regem Albertum . . . apud Carpinetum* narrat epitomator Donizonis Estensis. MUR.

30 i. e. nostri; *per eos*, hostes.

b) pro et *glossa*.

c) *hunc et praecedentem versum in rasura scriba ipse*

31) Fabula. Ludolfus morbo obiit Plumbiae. LEIBN.

32) a. demum 964. Iterum noster tempora confundit.

33) Falsum; obiit Liutolfus 6. Sept. 957

In qua conduntur, nec non locus Antonianum[34].
Corpus aromatibus condítum quippe deintus,
Patri confortans ipsum direxit et hortans:
Ne nimium plangas, poteris quia vincere magna.
Si veneris statim, Longobardos superabis,
Illorum fugit quoniam rex; si modo curris,
Longobardorum regnum dominaberis horum.
Otto de nato nimium doluit; tumulato
961. Ipso confestim multos rex ipse revexit
Italiam secum, quem pacifice petierunt
Cuncti Lombardi, sibi dantes oppida gratis;
962. Cum quibus et Romam petiit, regnique coronam
Febr. 2. A papa coepit, feliciter indeque crevit.
Muneribus magnis Attonem ditat et altis,
Cui nonnullos comitatus contulit ultro[35].
Per quem regnabat, nil mirum, si peramabat.

2. *Refert Canossa amorem Attonis erga se, et quomodo adquisivit corpora martirum Victoris et Coronae, et sanctum Apollonium episcopum et confessorem*[a].

Ditescens Atto mea moenia duxit in altum.
Per me dives erat, sua per me cuncta tenebat;
Ac ideo cuncta, veniebant quae sibi pulchra,
Loricas, hastas, clipeos, enses mihi mandat;
Artubus ex sacris decoravit me velut armis.
Rex quidam donat sibi Victoremque Coronam.
Poenam cervicis nam pro diademate caeli
Sustinuit miles Victor sanctissimus iste,
Sancta fuit lota secumque cruore Corona.
Duxit hic hos Atto, multos alios quoque sanctos.
Relliquias alias dedit illi Brixia magna;
Nam caput ac humerum dextrum pariterque lacertum
Huius Apollonii vehementer honorificandi
Offert gratis ei. Gotefredus episcopus egit
Hoc, quia de lumbis erat ortus principis huius,
Hic presul sacram reseravit corporis arcam,
Ac secuit membra, cruor et mox prodiit extra.
Unde bonus princeps valde miratus, eidem
Continuo terrae propriae decimamque monetae
Vovit, hic et secum sacra duxit pignora laetus.
Post haec excelsum studuit sibi fingere templum,
Divinasque scolas, canerent quae dulciter horas
Nocte die Christo, statuit vir opimus in ipso.
Organa cantorum fabrefęcit vocibus horum,
Cum quibus in sanctis iubilarent vocibus altis.
Ornamenta bona rutilantes atque coronas
Ex auro claro simul argentoque probato
Optulit, hae vere numero sunt bis duodenae.
Maxima thuribula, calices, tabulas quoque sculptas,
Pallia, planetas, pluvialia vel[b] duodena
Exhibuit templo, sincero cordeque recto.
Hoc prope vestibulum proprium iubet esse sepulchrum,
In quo more patrum princeps requiescit humatus.

3. *Quae et qualis fuit uxor Attonis, et quot filios habuit, et quod Tedaldus princeps extitit post ipsum, et quod idem Tedaldus aedificavit monasterium illud quod est inter Padum et Larionem*[c].

Coniugis Attonis non fiat oblivio nobis.
Ildegarda quidem fuit huius nomen amicae;
Docta, gubernatrix, prudens, proba, conciliatrix,

34) *Antognano, prope pratum Carpineti, in loco ubi dicitur Zianum* epitomator Estensis. Ossa sepulta sunt Moguntiae apud S Albanum. MUR.

35) *Comes Mutinensis* dicitur in charta a. 967 apud Bachinio edita, et *comes Regiensis sive Mutinensis* in diplomate Ottonis a. 964 apud Ugh. V, 1582. MUR.

a) *sequitur in 1. pictura, in duas partes divisa. Superior regem exhibet coronatum, caligatum, qui Attoni genuflectenti tradit cistulam cui inscriptum est:* Corpus s. Coronae. *Post Attonem stant duo homines cistam ferentes inscriptam:* Corpus sancti Victoris; *post regem duo milites, quorum alter ensem regalem gerit. Superscriptum legitur:* Corpora sanctorum rex Attoni dedit horum. *Inferior pictura versum habet:* Membra secat sancti Gotefredus, dans ea patri. *Episcopus secat brachium sancti, quem servus tenet; adstant duo clerici lychnos ferentes.*

b) pro et *glossa.*

c) *sequitur pictura, tres exhibens sub arcubus* sedentes, Atto, Ildegarda, Gotefredus episcopus, *duosque huic adstantes,* Rodulfus, Tedaldus.

Ad meliora virum suadebat sepius ipsum.
Cum quo Birsellum[36] monachis fabricavit habendum.
Ex his sunt orti tres, quos miratur hic orbis.
Rodulfus valde iuvenis pulcherrimus atque
Mortuus ante patrem; post quem sequitur bonus alter
Antistes magnus Gotefredus, et ille Tedaldus,
Qui post Attonem totum servavit honorem[37],
Amplificans terras proprias, dives nimis extans;
Regibus existit carus notissimus illis;
Romanus papa quem sincere peramabat,
Et sibi concessit, quod ei Ferraria servit[38].
Non genitore minus castrum coluit Canusinum[a],
Iste Padum iuxta Larionis propter et undam
Cenobium dignum Domino, Sanctum Benedictum[39]
Construxit certe, monachos ibi maluit esse.
Felix iste locus, nimis est quia relligiosus.
Non tamen est artus proprios ibi condere passus
Princeps Teudaldus, sed cum patre pausat humatus.
Egit bella satis, sunt maxima facta Tedaldi.

4. *De uxore Tedaldi et tribus filiis eius*[b].

Uxor Tedaldi fit Guillia dicta ducatrix.
Haec placuit parvis pietate placebat et altis.
Haec tres personas mundo genuit speciosas:
Urbis Aretinae Tedaldi praesulis, inde
Atque ducis celsi Bonefacii sapientis,
Militis et docti Chonradi ceu[c] leo fortis.
O bona progenies, quam terris contulit ille
Qui super astra sedet, per quem sunt condita quaeque.
Quicquid ad exemplum pulchrum valet esse repertum,
Repperit haec proles armis seu relligione.
Nam pater ipsorum moriens benedixit eorum
Personas, post se precepit maior ut esset.
Natus dilectus Bonefacius atque modestus.
Cui iuraverunt patre tunc vivente fideles
Servi, prudentes proceres, comites pariterque.
Mortem post patris dedit illis plurima gratis.
Cervinos[40] plenos nummis saccos duodenos
Liquerat in propria camera genitor Canusina;
Quos penitus totos dedit uno tempore dono.
Eius ubique sonat bonitas et facta sonóra.

5. *De episcopo Aretinae urbis, qui fuit frater Bonefacii.*

Presul Aretinus, Christi Tedaldus amicus
Relligiosus erat, Domini gregis atque gerebat
Curam devotam, monstrans exempla decora.
Extat castus ita, quod quodam tempore quidam
Perversi vane pro quadam debilitate
Hortabantur eum stuprum committere. Secum
Quod presul tractans, iussit deducere partam
Quippe lupam quandam, prius ignem ponere mandans
Ante suum stratum. Videt ignem flammiferatum
Appropians iuxta; dum flammas sensit habundans
In lacrimis clamat: *Vae vae michi, si modo raram*
Flammiculam vilem nequeo sufferre, perire

36) Brixellum S. Genesii monasterium, ad Padum. MUR.

37) i. e. solus successit in ditiones et honores. LEIBN.

38) *Castrum quoque in Ferraria situm ex Thealdi nomine constat appellatum* addit epitomator Veronensis: cf. Murat. SS. VIII, 479.

a) *in rasura hunc versum scriba ipse aravit.*

39) Polirone, a. 1007.

b) *praecedit pictura. In thronis sedent* Tedaldus marchio *et* Guillia comitissa; *subtus sedet* Tedaldus episcopus, *stant* Bonefacius *et* Chonradus

c) *in rasura corr*

40) Cf. infra I, 14.

Si me contingat, baratri flammam miser illam
Quomodo sufferre potero? Scelus istud ad Ethnae[41]
Me puteum ducet. Scelus hoc, ne funditus urar
Igne sub obscuro, sperno penitusque refuto.
Tale dat exemplum Tedaldus presul agendum.
Caepit hic adversum Simoniacos dare verbum.
Ipsos detestans dicebat mente modesta:
Mille libras certe pro papatu dare vellem,
Ut, quod ego glisco, Simoniacos maledictos
Eiicerem cunctos per totum denique mundum.
Musica seu cantus istum laudare Tedaldum
Non cessant semper; renovantur eo faciente.
Micrologum librum sibi dictat Guido peritus[42]
Musicus et monachus necnon heremita beandus.

6. *Quod nonnulli marchiones Longobardiae studuerunt separare Chonradum a Bonefacio, et quod Bonefacius duxit uxorem comitissam Richildam, et de magno bello quod tota fere Longobardia fęcit cum Bonefacio et Chonrado in Cuviliolo, qui est prope Reginam urbem.*

Ad laicos fratres redeat stilus hic modo plane.
Illorum summa Canossae cura redundat;
Ut genitor vel avus, sic illam semper amarunt.
Pacis amatores fortes sunt utque leones.
Hi pacem veram cum prosperitate tenebant;
Invidiam sevam propter quos maior habebat
Longobardorum comitum pars, more malorum.
Nam nimium curant cum sollicitudine multa
Hos inter fratres fraternam ledere pacem,
Sed dum fraternum nequeunt elidere sensum,
Ex ipsis ortam Chonrado tunc dare sponsam
Promisere; nimis iuvenis quod credidit illis.
Servis[a] nonnullis privatim denique sumptis,
Maioris fratris sine nutu pergit inanis
Ad comites illos; quos visos, respuit illos,
Germani mentem placavit; mox vehementer
Facti concordes, confusi sunt ob id hostes;
Qui cum Chonrado servos ierant titulato[43],
Omnino princeps doctus Bonefacius iste
Eiecit longe, dominis aliis dedit omnes.
Marchio Richildam pretaxatus comitissam,
Quae Giselberti de sanguine principis[44] exit,
Duxit in uxorem, fuerat quia dives honore.
Haec agapem multam miseris dabat atque tributa.
Haec defuncta iacet sine pigneribusque[45] Nogarae.
Cumque duces isti cunctis essent inimicis
Fortes et grandes, velut essent quippe gigantes,
Tunc populus multus inimicorumque tumultus
Ex regno toto properans in Cuviliólo[46]
Aggreditur certans, istos devincere temptans.
Quos superant isti bellando duriter ipsis,
In prima fronte Bonefacius incutit hostes.
Miles eum quidam quaerebat voce ferina,
Cui dux insignis caput abstulit. Omnibus illis
Ingens successit formido mortis et ensis,
Quos cedit dense valido Bonefacius ense.
Cumque fatigatus nimis esset, non superatus,
Vertit equum, cunctis gaudentibus undique turbis

41) cf. Gregor. Dial. l. IV, c. 30. Vita Odilonis cap 11 Sigebert Gembl a. 523

42) Aretinus, monachus Pomposianus

a) Servis — confusi *in rasura scriba ipse*

43) i. e. servos qui cum C. ierant. MUR.

44) comitis palatii, natione Langobardi cf. Antiqq. Est. c 8. MUR.

45) i. e. liberis. Obiit a. 1036.

46) Coviolo, prope Regium. MUR.

Deseruit bellum; frendens ad quem quasi cervus
Chonradus cultus, quo non est fortior ullus,
Exiit ex lucis cum quingentis fere scutis.
Cur ita frater abis prudens, ait, *ó Bonefaci?*
Sume tuas vires, placeat mecumque redire!
Hostibus his campus non detur, sed redeamus.
Hortatu cuius Bonefacius ilico fultus,
Vexillis tensis rediit cum fratre recenti.
Pristina bella novant, inimicis vae quoque donant;
Nam perimunt, caedunt, campusque cruore repletur;
Cornipedum crura fiunt ibi sanguine rubra,
Quos illi volvunt, fugiunt, tribuunt male dorsum.
Tunc strages grandis hominum fuit eque caballis.
Lancea quod longa quasi brachia mille sit audax,
Estve Bonefacii visum cunctis inimicis[47],
Chonradique spata centum cubitos quasi lata;
Qui procul eiecti vix ospicioque reversi,
Lumina vertentes post tergum sepe timentes.
Conradus ductor, Bonefacius inclitus ultor,
Condunt vaginis mucrones sanguine tinctos,
Dumque suum ponit Chonradus — flens fero vobis[48] —
Candida lorica cernit quod sanguine stillat;
Esse sciens vulnus, fratrem confortat alumpnum.
Illorumque phalanx campum collegit et arma;
Urbs quoque Regina Chonrado dat medicinam.
Extitit hic clarus miles postquam fere sanus,
Surgit ludendo, non se custodit edendo;
Unde nimis multum commotum denuo vulnus,
Per plures annos fratri fletus tulit altos,
Nam iuvenis pulcher de corpore migrat in urbe. 1030.
Ad cuius funus trinus rogitatur et unus,
Ut sibi peccata donet requiemque beatam.
Huius ad exequias sunt agmina sancta petíta,
Quatinus in caelum prestent quod eis societur.
Pontificum coetus ex omni stemate clerus
Affuit ad tantum tunc athletam tumulandum.
Egregius frater sumens fratrisque cadaver
Detulit ad tutum patrum matrumve sepulchrum,
Scilicet ad templum Canusinum reverendum.
Innumerae gentes secum de fratre dolentes
Concurrunt, voces de tali dantque barone.
Ast ubi condítus miles fuit iste perítus,
Spiritus a poenis liber queat ut fore tetris,
Donat Apollonio sancto germanus in illo
Tempore fructiferam curtem, Cagnaula vocata[a].
Anni terdéni tunc Verbi mille sereni.

7. *Quot marchiones sunt sepulti apud Canossam*[b].

Laudo Canossa Deum, michi qui concessit amoenum[c]
Tempus habere bonis cum principibus generosis.
Quos habui vivos dulces dominos et amicos,
Defunctos cunctos merui tumulare sepulchro;
Inde meus planctus, dolor et lacrimae relevantur
Maxime, natalem celebro dum mortis amarae.
Pontifices ambo[49] sunt a patrum procul antro.
Mors Ildegardam rapit Idus tercio Sabát.

47) Iunge: *Estve visum c. inimicis, quod B. longa lancea sit audax quasi br. mille.*

48) Canossa interponit. *flens refero vobis* lectoribus.

49) Gotefridus Brixiensis et Tedaldus Aretinus, tumulati in suis quisque ecclesiis. MUR.

a) f. c. C. vocata *in rasura scriba*

b) Q. m. s. s. a. C. *in rasura scriba.*

c) m. q. c. a. *in rasura corr.*

Idus Attonis animam Februi tulit olim.
Idus octavo Madii fleo, condo Tedaldum.
Idus tu, Iuli[a], Chonradum tercio punis;
Rodulfus terras dimisit et ante Kalendas
Augusti denis duo iunctis quippe diebus.
Binos ante dies Augustus denique finem
Quam caperet, terra fuit et proba Guillia tecta[b].

a) ó *glossa* *Totus versus in rasura, ab ipso scriba.*
b) *post hunc versum folia duo quaternionis media exciderunt, quae ex* 3. 4. *primus supplevit Muratorius, sed inseruit post c.* 16. *Eadem nos damus ex* 2. *sed hic reposuimus, ubi ea excidisse* 1. *docet.*

8. *Urbana altercatio inter Canossam et Mantuam de corpore ducis et marchionis Bonefacii.*

Canossa dicit: *In tumulo patrum dominus meus esse locatum*
Optavit corpus proprium Bonefacius. Hoc tu
Verum presumens rapuisti, Mantua. Cur me
Corpore de tanto turbasti me spoliando?
Mantua resp.: *Urbs ego sum dicta, tu diceris arx Canusina.*
Sunt homines mecum; referas quid, prospice, mecum
Divitias multas habeo, o paupercula stulta!
Flumine sum cincta, de navibus undique firma.
Non alibi iuste decet hoc nisi corpus in urbe.
Canossa dicit: *Urbis habes nomen, sed non es grandis honore.*
Si populos multos habeas, tamen absque triumpho
Vivere te scimus, nisi te iuvet alter amicus.
Contra te bella si surgant, quidve misella
Tu facies? Duro non es circumdata muro.
Percuteris per aquas, per terras, quando rebellas.
Spes tua post sepem[50]*; clipeum vult stipes et ensem.*
Omnis enim tu sic evadere vixque valebis.
Proelia si saltem per tempora[51] *te tria calcent,*
Divitiae sumptae quin deficient tibi cunctae.
Putrida lympharum febriumque moratus earum
Algorem nutrit[c]*, sed et estum qui nimis urit.*
Incolumis quippe vivo per tempora[51] *mille;*
Porro coenosa procul a me scrobs et aquosa.
Si venerit bellum, michi quod sit forte duellum,
Militibus paucis mea vinco proelia fortis.
Contingat vero[d] *si quando, quod neque credo,*
Obsidio durans circa me vel duo lustra,
Nullatenus bello superabor nec comedendo[52]*,*
Cum lapis existam murus quoque desuper instat.
Moenia celsa mea super omnia castra repleta
Sunt ex frumento vel carne simulque lieo.
Cum paucis dego, ludendo tuta sedebo;
Machina nulla michi, non nulla[e] *sagitta remitti*
Officit; in nichilum capio seu computo pilum.
Nil paveo regem, sed tu quemcumque rebellem.
Prefati noscas domini quod me decet ossa[f].
Mantua resp.: *Vere tu firma, tecumque superbia dira.*
Nil tamen est mirum; nullum sapis ipsa periclum.
Crebro fui sub aquis, ac sepe fatigor in armis.
Quamvis longevo sis proxima denique coelo,
Unde superba manes, tamen alvum quaeris inane[g].
En habeo divum mirabile prorsus asilum
Per quod te vinco. Sed si vis, verba relinquo.
Canossa dicit: *Quod potes et nosti, mox auribus ingere nostris.*
Mantua resp.: *Ecclesia presto ditata presule recto,*
Ac resonant plane cantus ibi presbiterales.
Relliquiae multae venerantur ibi bene cultae.

50) Tunc igitur nondum muro Mantua se tutabatur, sed palis humo fixis (*palizzata*) qui singuli armatum hominem poscunt ad sui tutelam, et vel sic tamen vix hostem impediunt. MUR.
51) i. e. annos, ut saepius noster.
52) fame.

c) mittit *Mur.*
d) non *Mur.*
e) ulla *Mur.*
f) ossa sub̄ habē (i. *e.* subintelligitur habere *P.*) 2
g) amoene *Mur*

C. commota d.: *Subiaceo tibi nil, quia nobilius mea*[53] *sistit.*
Nam mea sub papa, tua vero sub patriarcha
Est; mea Romana, tua constat Aquilegiana.
Presul nempe tuus sinodum placitatur ad huius;
Nolens aut malens facit[a] *imperium patriarchae.*
Si renovas ipsum, pater archos consecrat illum.
Omnis enim clerus tuus extat servus in evum;
Libera per papam mea kyrrica[b. 54] *permanet alma.*
Hoc[c] *domini prisci, generosi scilicet illi,*
Qui me struxerunt quondam, fieri voluerunt.
Misit ob hoc factum Romam pater Atto Tedaldum,
Qui precibus iustis Benedictum[55] *postulat urbis*
Romae pontificem; qui gratis prestat eidem,
Solutam reddens, ne pontifices ibi legem
Constituant ullam, nec eis subiecta sit unquam,
Romanae sedi sed sit subiecta fidelis.
Non aliquam sinodum permittit quaerere nostro[d]
Preposito, nunquam petit et clerus suus ullam.
Munia divina cupiunt adquirere si qua,
Ad quemcunque locum placet illis, pergere possunt;
Catholicus tantum caveant sit episcopus, almum
Officium recte sancteque det ac reverenter
Pulvere sanctorum seu cantu presbiterorum
Esse redimitum sape vestibulum Canusinum.
Mantua resp.: *Haec ignorabam de te, michi, crede beata;*
Sed sub Regino te presule non fore miror.
Canossa dicit: *Sic ego Reginum timeo, mos est ut amicum.*
Lex mea privata[56], *Benedictus quam michi papa*
Prebuit in carta carecti[57] *fortiter ampla,*
Separat a Christo, si quid michi demerit ipsum.
Illius a cura procul omnia sunt mea iura;
Pontifices omnes poena simili quoque torret.
Mantua resp.: *Parce michi, quaeso; video te tangere caelum.*
Canossa dicit: *Parco tibi valde; mecum cane carmina saltem,*
Ex domino nostro Bonefacio velut opto.
Mantua resp.: *Quid proba dixisti? Metra plurima te sine finxi.*
Immemor es forsan, metrorum me fore portam.
Dulcis amica mea; generavi namque poetam
Virgilium, certum[e] *super omnes edere versus.*
Canossa dicit: *Ore tuo dampnas temet nimium mea fallax.*
Numquid non nosco, quantum tibi pertinet autor
Virgilius? quippe genitus de te fuit ipse,
Sed sufferre tuum nequit opprobrium sibi durum,
Olim quod vilis per regem sustinuisti.
Cantat nempe metrum de te, quod scis bene mecum:
„Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae“.
Ut te cognoscas, statim recolam tibi causas.
Antonius quidam commovit Cesaris iram;
Propter eum rura sua perdidit alta Cremona,
Cesare dante quidem; tua militibus dedit idem.
Te conculcatam dimittens Titirus, auras
Nostras et silvas montes petiit quoque villas,
Castaneasque bonas comedebat, mitia poma.
Haec tibi sint nota. Maronis dicitur aula
Hactenus et silva, per quam pascebat ovillas.
Ast et Balista mons[58] *nascitur hanc prope silvam,*

53) ecclesia.

a) facis *Mur.*

b) lirrica *Mur.*

54) i. e. ecclesia.

c) Haec *Mur*

55) Benedicti VII bullam 29 Dec. 975 hac de re datam excerpsit Jaffe Reg. Nr. 2899.

d) *post haec desinit lacuna in* 1.

56) i. e. privilegium. LEIBN.

57) i. e. papyri. *P.*

e) *ita corrector;* certus *scriba.* certe 3.

58) *Monte di Valestra.* Subtus in saxo varii specus, ibique delitescere thesauros, quorum cacodaemon custos, credulum vulgus refert. Desumsit Donizo hos versus e vita Virgilii quae Donato tribuitur. MUR.

In quo Virgilius titulum facit hoc modo scriptum:
„Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus.
Nocte die tutum carpe, viator, iter."
Hic Balista latro fuit ingens. Haec quoque Maro
Propterea scripsit, quia mortuus extitit illic.
Ex hoc quod scimus, potes et tu discere visu.
Si quid habes dubii, primi lege carmina libri
Ipsius, et statim tu non mea dicta negabis.
Quando te fugit miseram prope meque cucurrit,
Quae meditans finxit, michi primitus, haud tibi dixit.
Ergo qua fronte potes illum quaerere? nonne
Perrexit Romam regni rogitare coronam[59],
Liber ut esse queat? sibi quam dedit ilico Cesar,
Cognovit postquam sapientis carmina docta.
Hoc tu nolo neges, recolo tibi metra repente:
„Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane,
Divisum imperium cum Iove, Cesar, habes."
Haec Maro pauca metra iecit regis in aula;
Cumque reperta forent, rex cuidam fecit honorem,
Qui se laudabat, quod fęcerat haec metra cara;
Titirus inde dolens iterum conscripsit eosdem
Versus, sic pulchre de facta fraude refundens:
„Hos ego versiculos fęci, tulit alter honorem,
Sic vos non vobis vellera fertis oves.
Sic vos non vobis mellificatis apes[a]*."*
Hos pariter iactans in eadem Cesaris aula,
Non latuit regem, quis carmina tanta referret.
Imperat ante suum Maronem ducere vultum,
Praestat quaeque rogat, libertatem sibi donat[60].
Ad te qui iussu remeavit Cesaris huius;
Sed non, quod poscit, quisti dare tu sibi, nosti.
Nam repetens agros, ceu iusserat induperator,
Arrius est quidam centurio motus in ira,
Eius habens agros, occidere quaerit ut atrox
Virgilium, fluvius sed Mincius abdidit illum.
Se iactans mortem vitavit ibi sed et hostem.
Cesaris ad vultum repedavit qui cito rursum;
Rexque viros claros tres secum misit, ut agros
Restituant illi; fecere quod insimul ipsi.
Tu sibi nec vitam servasti rura nec ipsa.
Desine iactari iam te iam Mantua vanis
Laudibus ex istis; vacuae sunt, ceu tibi dixi.
Pone supercilia, mecum contendere vita.
Mantua resp.: *Precipe quaeque, placent michi, poeniteo nimis acre.*
Canossa d.[b]: *Ut teneas alvum nostri domini, volo tantum*
Ac iubeo; metrum sed nullum psallere tecum
Ulterius glisco, didici melius quia dicto
Sola manens. Metrum prestet Deus edere verum,
Quod placeat cuncto recitatum maxime mundo.

9. *Cuius staturae et cuius qualitatis extitit Bonefacius, et quid de ipso Sibilla prophetizavit*[c].

Gesta Bonefacii populus precor audiat omnis;
Clara fuisse scio gesta Bonefacii.
Quisquis amat rutilos retinere decenter honores,
Actus eius amet, noscat eos rutilos.

59) i. e. imperatorem.

a) 3. 4. *addunt:*
Sic vos non vobis fertis aratra boves.
Sic vos non vobis nidificatis aves.

60) Nunquam servus fuit Virgilius. MUR.

b) C. d. *desunt* 3. 4. *sed falsum.*

c) *praecedit pictura, Bonefacium in throno sedentem praesentans hoc cum titulo:* Te redimat sother, Bonefaci marchio duxque.

III.

TEDALDUS MARCHIO. GUILLIA COMITISSA

TE DAL DUS EPS.

BO NE FA CIUS

CHON RA DUS

IV.

ATTO

IL DE GARD.

RO DUL FUS

GOTE FRED EPS.

TE DAL DUS

Ingenio viguit, sensu similis Danihelis;
Dum puer ipse fuit, ingenio viguit.
Pulcher et egregius speciosus eratque decorus.
Providus ut Ioseph, pulcher et egregius.
Factus ut est iuvenis meruit statuamque Saulis,
Prospere cuncta regit, factus ut est iuvenis.
In cuneis equitans humero Saul eminet ipsis;
Hic quoque maior erat in cuneis equitans
Viribus acer erat Goliae velut ille peremptor.
Qui labiis, manibus, viribus acer erat.
Innumeras habuit sapientis opes Salomonis;
Nam mundi pompas innumeras habuit.
Res sibi nulla deest terrae pontique polique;
Se sapienter agens, res sibi nulla deest.
Nobilis hic didicit plus cunctis dapsilis esse;
Largiri valide nobilis hic didicit.
Prisca Sibilla canit quem, cui modo credite cuncti:
Scribo, quod ex isto prisca Sibilla canit.
Esse B principium ducis infit nominis huius;
Non ratione caret, esse B principium.
Limpidus atque bonus facie Bonefacius extat,
Actibus et dictis limpidus atque bonus.
Esse prophetat eum locupletem pacificumque;
Victorem iugiter esse prophetat eum.
Quae mulier cecinit de te, bone dux, habuisti;
Vera fuisse reor, quae mulier cecinit
Multa locuta fuit de Christo iudicioque,
Fineque de mundi multa locuta fuit,
Nobile coniugium tribuit Deus et tibi dignum.
Magna Beatrix est nobile coniugium.
Stirpe fuit genita regali pulchra Beatrix[61],
Maiorum mundi stirpe fuit genita.
Splenduit ipsa Liae procul et Rachelis honore;
Ut sapiens Saraa splenduit ipsa procul.
Una figura Beatricem, Bonefacium dat,
Amborum nomen una figura B dat.
Sunt bonitate pares, similantur nobilitate;
Conveniunt bene, qui sunt bonitate pares.
Prebuit Italia Bonefacium generosum,
Atque Beatricem Gallia fert Italis.
Huic veluti mundo sic ambo beentur Olimpo;
Ambo polo rutilent huic veluti mundo.

61) Cf. Murat. Antiqq Est p. 64

10. *Cum quanta gloria et honore duxit dux et marchio Bonefacius illustrem ducatricem Beatricem*[a].

Heroicum carmen cupio nunc ornet ovanter
Facta ducis magni Bonefacii memorandi.
Primitus hunc noscit quantum sit Gallia fortis,
Cum natam rutili ducis expetiit Frederici[62]
Coniuge cum propria Mathildis denique dicta
Iste Beatricem Fredericus donat habere[b]
Huic Bonefacio. Qui dux cum pergeret illo,
Ornatus magnos secum tulit atque caballos,
Sub pedibus quorum calibem non ponere solum
Iusserat, argentum sed ponere, sit quasi ferrum;
Esse repercussum clavum voluit quoque nullum.

a) *sequitur pictura Beatricis in solio sedentis, cui adscriptum* Det Deus in claris cameris tibi stare Beatrix

62) ducis Lotharingiae superioris, cuius uxor Mathildis filia fuit Hermanni ducis Sueviae. MUR.

b) *hunc versum in rasura scripsit* 1.

Ex hoc ut gentes possent reperire quis esset.
Cornipedes currunt; argentum dum resilit, tunc
Colligitur passim, passim reperitur in agris
A populo terrae, testans quod dives hic esset.
Egregius princeps tunc gessit plurima digne
Quae scribenda forent; stilus autem currit amore
Ad dominam nostram, quam valde carmen adoptat;
Hanc sponsus ditat, ditatur et ipse per ipsam.
Servos, ancillas ab ea tenet, oppida, villas.
Gallia nobiscum per eam dominum timet istum.
Quis princeps Gallus plus isto dives et altus
Italiae regnat? sibi Gallia plurima prestat.
Longobardiam deducens hanc comitissam,
Occurrere quidem Ligures pariterque Quirites.
Exultant inopes, congaudent maxime dites.
Per menses ternos fiunt convivia; vero
Non ibi pigmenta tritantur, sed quasi spelta
Ad cursum limphae molendinantur ibidem.
Gurgite de putei potus trahiturque liei,
Ex alio puteo refluebat potio vero;
Situla pendebat ex argentove catena
Cum quibus hauritur dulcissima potio vinum.
Obbas vel lances ad mensam fert equus, atque
Argento splendent auro quoque vascula mensae[a].
Timpana cum citharis stivisque lirisque sonant hic,
Ac dedit insignis dux premia maxima mimis.
In Marego[64] facta sunt haec convivia magna.
Nobilis et coniunx puerum peperit Fredericum,
Inde Beatricem, Mathildim vero deinde[b];
Quae similis matri, color illi maxime patris.
Ex aliis fari pueris dum gestio saltim,
Mox nimius crescit gemitus dolor ac iuvenescit.
Haec monimenta patrum retinebit ut optima matrum;
Patris honor, genitricis amor, decus haec fit eorum.
Hanc Longobardis Deus istis contulit annis.
Nunc dimittatur, tantum de patre loquamur;
Ista suo felix nam tempore carmen habebit.

a) *totum versum in rasura scriba ipse exaravit.*

64) ad fl. Mincium, dioec. Mantuanae.

b) M. v. d *in rasura scriba.*

11 *Quod rex Chonradus Parmam vicit adiutus a Bonefacio, et quod idem rex idemque marchio iuramento foederati sint.*

Prepetibus palmis redeat stilus addere cartis,
Qualiter augusto Bonefacius inclitus ultor
Profuit, et secum pepigit memorabile foedus.
Chrisopolis dudum Grecorum dicitur usu,
Aurea sub lingua sonat haec urbs esse Latina,
Scilicet urbs Parma, quae grammatica manet alta,
Artes ac septem studiose sunt ibi lectae.
Cesaris haec vallo Chonradi cingitur arcto.
Ut capiatur enim, iubet ipsam pungere telis
Plebis mox armis; fit strages ex Alemannis.
Panificus quidam necuit bis quattuor ira.
Proluit unde furor mage cesaris, ilico muro
Applicat armatos custodes ac galeatos.
Mandat hero nostro Bonefacio bene docto
Quatinus accurrat, iuvet urbem frangere stultam.
Qui subito sumptis equitum peditum quoque turmis

Urbis ad excidium properavit regis amicus.
Quo viso cives trepidant reputantque perire;
Absque tenore pedes adeunt mox regis, et edes
Ac portas urbis reseraverunt sibi cuncti.
Tunc aderant vincti bini cum rege maligni.
Pingues et fortes homines nimium super omnes.
Avulsis vinclis. a dextris atque sinistris
Cedunt precipites, lacerant perimunt quoque cives;
Quos iuvenes urbis cupientes caedere cultris,
Propter[a] eos sistunt, frameis humeros sibi scindunt.
Taliter occisis rex flevit et eius amici,
Protinus atque locum fęcit comburere totum.
Qualiter augustus cum nostro principe iunctus
Sit sacramento, referatur carmine certo.
Imperium servans Chonradus eumque gubernans,
Cognoscit vere plus cunctis posse valere
Mirificum, clarum, generosum sepe relatum
Athletam magnum Bonefacium venerandum;
Ut iuraret ei rogat ipsum more fidelis;
Ac ideo dixit, quod marchia serviet ipsi,
Redderet atque vicem iurandi rex sibi quippe.
Annuit hoc regi Bonefacius atque perȩgit,
Voceque mox viva iuravit rex sibi, vitam
Atque suos artus et honorem principis aptum
Absque dolo recte servare per omnia[b] semper.
Donec eis vita subsisteret, hoc ita firmant.
Nullus dux unquam meruit tam foedera culta.
In carta scriptum iusiurandum fuit istud.

12. *Quid ȩgit Bonefacius in Burgundiam eundo et redeundo.*

Rex ubi Chonradus moritur, natusque levatur 1039
Eius Heinricus rex prudens atque peritus,
Qui tenuit pacem cum nostro principe sane;
Accidit, ut vallo circundaret hic Miroaltum[c. 65]
Quod nullis bellis nec missilibus quoque cessit.
Circa quod fessus rex ac exercitus eius,
Misit ad instructum quam maxima talibus usum,
Scilicet ad cautum Bonefacium sat et ausum,
Ne sibi desistat succurrere, nonve relinquat.
Cesaris assensum precibus qui prebuit, et tunc
Militiam doctam secum deduxit, adhortans
Ut sapienter agant, prudenter et insimul arma
Arripiant promte, poterunt quia vincere fortes.
Cum multo pergens[*] sumptuque[d] potenter,
Proximat ad castrum; legatum dirigit aptum
Regi, quo fessum non tunderet ipse relectum[66],
Inde sed abscedat, quoniam vult ut sibi cedat.
Hora qua castrum fuerit per se quoque captum,
Ad patrios fines malit mox ipse redire.
Rex abiit longe famulique sui simul omnes
Ante diem ternum, quam figat dux ibi gressus;
Hoc dans preceptum, si nunc per eum caperetur
Castrum[e], non ultra montes ut pergeret, ultra
Expeteret, plane statimve retro remearet.
Castrum predictum Burgundia plantat iniquum.
Huius castrenses, cum rex fert inde clientes[67].

a) i e. iuxta *glossa.*

b) *in rasura, atramento alio* 1.

c) Muro altam 2. ut v. e. h. M. *in rasura corr.; etiam in sequentibus versibus primum fuit* quae *et* circa quam, *et infra* fessam.

65) *Murten.* Sed errat Donizo, Heinrico tribuens, quod teste Wipone iam Conradus egit. MUR.

*) *vox excidit*, victu, hoste *vel tale quid.* P.

d) sump *et paullo post* relectum *in rasura corr.*

66) i. e. castrum. *Bonefacius* vult ut *rex castrum* sibi, *Bonefacio soli*, cedat *expugnandum*, *quia* qua hora fuerit per se, *Bonefacium*, captum, ipse ad patrios fines redire malit *quam regem ultra sequi ad bellum.* Rex abiit, *permittens*, si nunc per *Bonefacium* caperetur castrum, *se* non ultra expetiturum ut *Bonefacius cum eo* ultra montes *Alpium ad bella* pergeret, *sed permissurum ut* statim plane retro remearet *in patriam Italiam.*

e) c. *et paullo post* castrum *et* castrenses cum *et* fert i. c. *et* spatiando p. a. r. *in rasura corr.*

67) quando rex inde milites suos retrahit. LBN.

Se nimis exaltant, spatiando per arva relaxant.
Contigit audiri, quod dux Bonefacius illuc
Cum Longobardis propriis properaret in armis.
De quibus exultant, quia credunt tollere cunctas
Causas[68] illorum. Vetat ast hoc exitum horum;
In ternaque die princeps accessit ibidem
Disposita docte per partes quippe cohorte.
Barbara gens et atrox proprios cito muniit artus[a];
Agmine scutato procul exiit et galeato
Atque putat scutum bellando frangere durum.
Funditus ulla phalanx parmam[b] Bonifacianam
Prevaluit nunquam dirumpere nec valet unquam.
Exhorto bello gens effera cedere ferro
Acriter incaepit; dux acrius undique cedit,
Hortaturque suos persistere pectore duro,
Cornibus atque tubis reboare per ardua multis[c],
Donec terga darent hostes, intus repedarent.
Haec ubi dicta dedit, gentem terrore replevit
Gens Longobarda tenuitque viriliter arma,
Et sonuere tubas et grandia cornua plura.
Gensque timens tetra rediit graviter retro cesa.
Ac petiit castrum, cupiens se claudere tantum.
Hoc non permisit velox Bonefacius illi,
Sed simul intravit, iaculis transfodit amaris
Continuo regi castrum mandavit, inhermis
Ut veniens tollat, patriam quia gliscit et optat
Ipse suique suam, nullamve moram dare curant.
Haec nova noscentes rex atque duces comitesque
Laudant, mirantur, quod castrum sit cito captum[d];
Ad quod tollendum direxit rex et habendum
Athletas claros, illis duce dante relato[69].
  Tunc Longobardi cum principe magnificati
Ad proprii tecti requiem rediere, refecti
Ex opibus magnis sumptis virtute vel armis.
Cumque redit princeps victor mirabilis idem,
Contigit in castri cuiusdam castra[70] repasci
Campis desertis, et ut est mos pergere servis,
Ex pueris multi caeperunt currere furtim
Ad segetes flavas, et equis has ducere flagrant.
Inde virique loci graviter nimium quoque moti,
Arreptis armis mox, armigerisve caballis
Cervices tundunt, et equos sibi tollunt.
Burgundi bruti fęcerunt hoc quasi stulti.
Nam dux iratus, vehementer ut assolet altus,
Terdenas hastas[71] ad castrum tendere mandat,
Quae populum cunctum facerent consurgere rursum
Ad campi pugnam, fugerent procul atque recurrant,
Cum fuerint iuxta latitantem denique turbam.
Noveritis iussum ducis istius esse secundum.
Nam procul a castri sunt presidio simul acti,
Insidiosa phalanx e multis partibus alans[72],
Allobroges cunctos manibus tenuere reclusos.
Marchio terribilis cunctis abscidere dixit
Auriculas, nasos, ut stent cum lumine plano.
Quaedam matrona pro nato nobilis orat
Parcere dignetur sibi quatinus, ipsaque demum

68) *cosa*, res eorum depraedari. LBN

a) ox p c. m. a. *in rasura corr.*

b) i. e. scutum *glossa.*

c) *totum versum in rasura corr.*

d) *totum versum corr. in rasura excepto* capt, *quod prius fuit* capta ad quam tollendam d. r. et habendam.

69) *relato*, supradicto *duce illis dante* castrum. LBN.

70) i. e. copias. LBN

71) triginta equites.

72) *halans*, spirans. LBN.

Appensum trutinae iuvenem, preberet eidem
Argentum tantum quantum pensaverit album.
Absit! bis fatur, barbam quatiendo minatur:
Posteritas vestra volo quo sciat haec ita gesta
Donec mundus erit, Bonefacius hic quod adhesit,
Dicatur. Prorsus me non licet esse retortum[73].
Incisae nares ac aures quippe secatae
Illis, tres clipei sunt ex his undique pleni.
Cum sano cuncto coetu magnove triumpho
Ad proprium tectum sic est dux iste regressus.

13. *De aceto, quod marchio Bonefacius transmisit Heinrico regi secundo, et de grandi dono, quod quidam servus eius dedit eidem regi.*

Magnifici vultus rex Italiamque secundus 1046.
Venit Heinricus, sapiens, iocundus, opimus;
Mandavitque sua Bonefacio nova plura,
Et quoniam secum laudatum vellet acetum[73*],
Arx quod gestabat, quae fit Canossa vocata.
Imperat argenti vegetem[73**] subito fabricari[a],
Binos atque boves dux carpentumque iugumve
Cum bobus vivis haec regi marchio misit.
Carum rex donum tenuit magnumque decorum.
Regis tunc ospes erat urbs Placentia forte.
Prudens mirari nullus de munere tali
Debet enim, quando scierit ducis istius amplo
Dono fulsisse servum regique dedisse,
Mantua cum regem pariterque ducem retineret.
Tunc comes Albertus vice[74], dives maxime, servus
Predictique ducis, habitator et ipsius urbis,
Cornipedes centum tilios[75] qui iure nitescunt,
Cum rudibus sellis, rudibus frenis vel habénis,
Mutatos[76] centum, non mutatos quoque centum
Astures pulchros regi simul obtulit ultro.
Quis vir hic esse sonat, qui vobis talia donat?
Clamat regina. Cui dixit rex quasi mirans:
Qui vir habet servos, quales Bonefacius? ergo
In toto regno similem sibi non ego specto.
Servulus iste suus referat michi, quid sibi nunc vult.
„Nil aliud quaero volo nec cupio neque spero,
A te ni tantum meus ut dominus sit amatus;"
Hoc ait Albertus regi; quem rex rogitavit,
Ad propriam mensam secum prandere refertam.
Hoc timuit verbum, Bonefacii quia servus
Mandere non unquam secum fuit ausus ad unam
Mensam, cum rege qui manducare[b] repente
Debebat forte. Quem rex sat postulat ob rem
Predictam; tandem dux rem concessit eandem
Cum duce rege simul vir iam scriptus fere vivus[77]
Intrans ad mensam, sed parvam suscipit escam.
Rex sibi mastrucas[78] post escam maxime pulchras
Donavit, florent pariter quoque pelliciones.
Hoc regis munus ducis ad cameram tulit, unum
Et corium cervi, quod nummis ipse replevit;
Principis ante pedes cecidit, sibi parcere quaerens,
Mensae regali quod secum participarit.
Ille potestatem noscens retinere, beate
Indulsit servo, facinus tamen hoc prohibendo[78*].

73) *de mea opinione* scilicet
73*) mel acetum est mel purum, nobis Jungfernhonig. P.
73**) i. e. dolium, Italis *veggia*. P.
a) *totum versum in rasura corr.* 1.
74) i. e. Albertus vicecomes. LBN
75) an balios? LEIBN. Fortasse i. q. castaneos; *tiglia* enim Italis est aesculus hippocastanum Linn. P.
76) i. e. *varios*. Colorum varietatem *muance* vocant Galli. LBN. Qui mutaverunt pennas, igitur biennes certe, venationem doctos. P
b) manduc *in rasura corr.*
77) i. e. vix vivus prae timore. MUR
78) vestes pelliceas. MUR
78*) i. e. munus regium ab Alberto allatum accipere noluit. P.

14. *Quod aliquando in conscilio suo, aliquando occasione vigiliae noctis, Heinricus rex temptavit capere Bonifacium.*

Cotidie princeps crescens Bonifacius iste,
Alma fides ipsum servabat iure benignum.
Invidia tactus nimia rex iam memoratus
Ingenio crudo meditatur prendere furto
Illum, sub caelo potuit quem prendere nemo
Stans in conclavi cupiens rex consciliari,
Ad se festine dux ut catus[79] iste veniret
Iussit, ut hoc astu quiret retinere coactum.
Ut teneant valvas, iubet edituo, bene clausas,
Haud nisi se quinto[80] Bonifacius intret et intro.
Ad quod rex mandat, mox se dux ire remandat[81],
Adversus doctum nil doctum posse recordor[82],
Nam dux privatos[83] proprios cito conglomeratos
Ac alios multos gladios sub veste retrusos
Portantes post se precepit pergere promte.
Nobilibus septus properavit marchio celsus.
Cui regiam[84] primam reserarunt editui; quam
Claudere festinant, sed fit confracta per iram.
Progrediens ultra, dirumpitur atque secunda.
Tercia restabat, sub qua tunc rex habitabat;
Frangitur ac ipsa, cum dux circundatus intrat.
Unde nimis motus rex callidus atque dolosus,
Quid video? quid? ait, *miror de te, Bonefaci!*
„Hunc habuit morem iugiter mea nam domus, o rex,
Esse mei mecum soliti semperque fuerunt.“
Hoc dux respondit; pacem rex ilico promsit.
Hac vice rex vidit, quod eum retinere nequivit;
Iccirco planis pacem verbis simulavit.
Denuo pertractans et eundem prendere captans,
Hoc ceco marte faciendum cogitat apte.
Tempore nocturno super ipsum postulat ultro
Ut dux ipse parum vigilet; foret hoc sibi gratum.
Getuli morem scit prudens vulpis in ore.
Obsequium regis nequaquam marchio sprevit.
Cereolos multos fęcit componere pulchros;
Libram candela cerae simul omnis habebat;
Atque suis cunctis accensas has dare iussit
Et tensas hastas super ipsas figere mandat.
Ante suam multam faciem iubet ire columnam
Cerae, splendentem grandi de lumine nempe.
Militibus densus et miro lumine septus
Regis ad ospicium properabat. Longius ipsum
Aspiciunt servi venientem denique regis.
Una velut silva flagraret terra vel ipsa,
Sic apparebat. Rex hoc quoque prospiciebat.
Contra quem noscens idem rex nil modo posse,
Retro redire sibi grates magnasque remisit.

15. *Quod Bonefacius studiosus fuit in divinis rebus.*

Actibus ut mundi Bonefacius iste refulsit,
Sic cluit in factis divinis ac venerandis.
Pontifices sacros habuit quam maxime caros:
Ipsis donabat, quae censuit his fore grata.
Psallebant semper capellani reverenter

79) prudens.
80) cum quatuor comitibus.
81) Ad mandatum regis dux remandat, se statim iturum.
82) proverbium, i. e. adversus astutum nil potest calliditas. MUR.
83) familiares. MUR.
84) portam.

Horas nocturnas sibi cotidieque diurnas.
Nemo cappellam super ipsum[85] presul habebat.
Dilexit clerum, sed eo monachum mage verum.
Propria peccata generosus hic atque piacla
Cum studio magno pandebat fratribus anno
Omni Pomposae[86] Christo famulantibus, ore
Cum proprio plangens cum corde petens veniamque.
Fratres ac abbas eius delicta lavabant,
Aecclesiae quorum solito dabat optima dona.
Rex etenim nunquam dedit ullus ibi meliora.
Contigit ire semel illuc moremque tenere
Illum quem dudum retinere solebat in usu;
Scilicet assistens ad opus divum bonus ipse,
Stabat in excelso solio, non corde superbo;
Aspiciensque chorum, facies vidit puerorum
In terra pronas, psallentes dulciter horas.
De quibus admirans, ita cur stant seque regirant[a],
A monachis didicit, semper quod stant ita fixi;
Hoc non oblitus iocundus dux et opimus,
Ire super tectum clam templi fecit honestum
Quendam quippe virum cum nummis, vult quia mirum
Ipse videre. Decem libras vir iactat ab aede,
In medioque choro strepitus sonat et puerorum;
Quorum palpebrae penitus nec sic patuere.
Aspexit nummum tetigit non ullus et unum.
Unde magis gaudens preclarus dux, ait autem:
In modicis annis sunt hi pueri velut almi[87].
Talis laudetur iocus ac recitetur, ametur.

16. *Quod a regibus Theutonicis venit mos venundandi aecclesias, et quod Bonefacius accepit inde poenitentiam a sancto Guidone abbate.*

Theutonici reges perversum dogma sequentes,
Templa dabant summi Domini sepissime[b] nummis
Presulibus cunctis, sed et omnis episcopus Urbis
Plebes vendebat, quas sub se quisque regebat.
Exemplo quorum manibus nec non laicorum
Aecclesiae Christi vendebantur maledictis
Presbiteris, cleris; quod erat confusio plebis.
Qua de re Guido sacer abbas[88] arguit immo
Hunc Bonefacium, ne venderet amplius, ipsum
Ante Dei matris altare flagellat amaris
Verberibus nudum, qui deliciis erat usus.
Pomposae vovit tunc abbatique Guidoni,
Aecclesiam nullam quod per se venderet unquam.
Hoc pro peccato multis aliisque patrato
Vovit adhuc votum nonnullis denique notum:
Scilicet ad cultum Christi sanctumque sepulcrum
De prope debebat quod pergere, si sibi cedat
Vita, salus, tantum vel ad unum pleniter annum.
Atque novam puppim fieri dux ilico iussit,
Sumptus atque locat, quo compleat haec sua vota.
Sed complere nequit, quia mors non hoc sibi cedit,
Ipse die sexta Madii post quippe Kalendas 1052.
Deseruit terram; quem Christus ducat ad ethram.
Quando defunctus terrae datus estque sepultus,

85) ipsius ornatiorem. LBN.
86) Pomposa abbatia non procul a Ferraria.
a) *ita corrector; prius fuerat* reclinant.
87) senes.
b) d. s. d. s. *in rasura corr.*
88) Pomposae

89 Tunc quinquaginta duo tempora[89] mille Dei stant.
Mantua corpus habes; honor ingens est tibi; grates
Inde referre Deo debes sepissime vero.
Eius ut a poenis animam caveat Deus aevi
Corde Deum recto iugiter pulsare memento.
Propter quem Christum roget omnis homo crucifixum.
Tartarei poenas Deus aufer eique catenas,
Cum veneris iudex, cum sanctis da sibi lucem.
Virgo Maria caput, dextram Michahelque beatus,
Petrus et Andreas Apollonius quoque levam
Illius extollant, et eum super astra recondant. Amen.

17. *Quot annis vixit Beatrix post Bonefacium, et quam prudenter omnia regit.*

Quis narrare potest, quantum prudenter honores
Eius post finem tenuit coniunx sua, vivens
Bis denis annis post ipsum quinque peractis.
Oppida, castella, marcham, propriam quoque terram
Rite gubernavit, tenuit comitissa Beatrix[90].
Moribus in pulchris natam nutrivit ab ulnis,
Scilicet excelsam Mathildim mente modestam.
Bina monasteria cum qua simul edidit ipsa,
Ut tueatur eas, qui caeli ducit habenas.
91 Fraxinorense monasterium primum fuit illud[91];
Praedia multa satis dedit illic magna Beatrix,
Esse quia monachos plus quam clericos venerandos
Credebant ambae. Canusinae quoque sanctae
Aecclesiae nomen mutaverunt et honorem
In melius, dudum quam prepositus fuit unus

90) Dissimulat poeta secundum eius matrimonium cum Godefrido duce, et captivitatem, in qua eam habuit Heinricus imperator, quod hosti ipsius nupsisset. LBN

89) anni. Epitomator Regiensis haec habet: *Sepultus fuit in civ. Mantuae inter Sanctum Petrum et Paulum, et ecclesia ibi edificata fuit in honorem eius.* Idemque addit: *Ad veram autem historiam dicitur de morte Bonefacii patris comitissae, quod dum ipse offendisset quendam de Capitello nomine Scarpetam de Canevariis, ipse Scarpeta accepit arcum et sagittas toxicatas; et dum ipse marchio Bonefacius ivisset venatum in quodam nemore ultra Olium in partibus sancti Martini de Arzino episcopatus Cremonae, a dicto Scarpeta post quandam quercum sive roborem, quae adhuc dicitur ibi tunc fuisse, cum ipse quasi per quendam monticulum ascenderet, cum sagitta et arcu post dictam quercum percussit domnum marchionem, stans cum uno genu flexo in terra et faciens plures passus; et ibidem adhuc apparent vestigia et pedicae in loco praedicto, ab eo quod dicitur quod numquam ibi nascatur herba; et si destruantur dictae pedicae sive vestigia, dicitur quod altera die adhuc apparent sicut prius apparebant. Nec in predicto loco ex postea aliquid cultum fuit; sed adhuc ista quercus stat, et postea stetit.* Epitomator Veronensis ita: *Forte semel ultra Olium flumen in partibus sancti Martini de Arzino territorii Cremonensis, a quodam Scarpeta nomine de Parma, cui iam offensam intullerat, arrundine venenata fuit letaliter vulneratus; de quo vulnere mortuus fuit, et Mantue in ecclesia sancta beati Petri apostoli est sepultus.* Cf. Herimannum Augiensem a. 1052; Arnulfum Mediol. III, 3.

91) Frassinoro in agro Mutinensi. MUR. Epitomator Veronensis addit: *Per idem quoque tempus vestiarius quidam sive puer comitisse Beatricis nomine Adhelbertus, Mantue in hospitali sancti Andree moram trahebat. Erat autem is cecus ex infirmitate effectus; qui tamen vigiliis et orationibus iugiter insistebat. Cui per visionem apparens sanctus Andreas apostolus monuit, ut diceret Beatrici comitisse, quod faceret fodere iuxta oratorium suum, locum insinuans, et ibi corpus Longini militis et martiris cum duobus vasculis, in quibus erat sanguis et aqua que fluxerunt de latere Salvatoris inveniret. Quod cum predictus vestiarius prefate Beatrici comitissae per ordinem retulisset, illa intulit: „Si ita non erit, faciam te flagellis cedi.“ Foditur igitur ad iussum comitisse terra, sed nihil invenitur. Flagellis vero ceditur Adhelbertus. Apparuit secundo beatus Andreas eidem vestiario, superius iterando preceptum. Foditur iterum terra, nec aliquo invento, iterum vestiarius flagellatur. Apparens quoque tercio beatus Andreas, omnino etiam operi prefato insistendum admonuit. Quid plura? Tercio fossa terra est, ubi sanctus Andreas apostolus edocuerat. Quo facto inventus est preciosissimus ille thesaurus, scilicet sanguis et aqua, in duobus vasculis, ut sanctus dixerat Andreas, quae de latere fluxerant Salvatoris; inventa et fuit archa insignis, in qua Longini militis corpus erat. Nec mora, comitissa Beatrix cum filia sua Mathildi ibidem solempne monasterium construxerunt, rebusque et prediis amplissime dotaverunt; honorificeque multum prefatis reliquiis ibidem reconditis, basilicam monasterii in honorem sancti Andree apostoli dedicari fecerunt.* Cf. Mur. V, 339.

Usus cum cleris non ni tantum duodenis
Deservire quidem; nunc abbas servit ibidem,
Cum monachis Christo multis famulantibus illo.

18. *Quod secundus Heinricus tempore Beatricis mortuus est, et quod tertius Heinricus cum papa Alexandro II. nimie discordatus est.*

Cesar Heinricus comitissae[a] tempore vivus
Extiterat. Scimus quod herus fuit atque propinquus[92],
Ipse Beatricis magnae nataeque Mathildis.
Mortuus augustus fuit hic[b] in pace sepultus. 1056.
Postquam surrexit, qui de lumbis puer exit
Illius in regnum, fiet per quem male rectum,
Scilicet Heinricus[c] crudelis tercius idrus;
Cuius erat mater regina videlicet Agnes.
Hunc in ventre gerens, vidit quod sit draco vere
In somnis infans. Hoc multis rettulit ipsa.
Hunc Victor regem laudavit[93] papa recentem.
Hic nimis exercens crudelia rex adolescens,
Ut sonipes mulus, sensus non est quibus ullus.
A papis sanctis verbis sepissime blandis
Admonitus, sentes genuit mens illius ex se.
Nicolaum papam contempsit mens sua prava;
Sprevit Alexandrum papam vere venerandum; 1061.
Tollere Romanum cui temptat pontificatum.
Quendam Parmensem Cadalum papam iubet esse. Oct. 28
Presul erat Parmae Cadalus, ditissimus atque
Preparat absque mora se contra pergere Romam
Filius iste mali. Quem sprevit docta Beatrix;
Nam foveam parvam deridendi sibi causa
In strata fieri tunc precepit Motinensi[94],
In noctis tenebris. Cadalus tenebrosus at ivit 1062. Apr.
Multos conducens; caput orbis venit ad Urbem.
Quem pars perversa precio suscepit, aberrans
A dictis Cephae[95], sed pars sibi dextra repente
Obviat ad pugnam, Cadalóa cohorsque repugnans
Exuperat dextram partem, Tiberimve cruentat.
Obtinuit presul cathedram tunc, sanguine plenus.
Ob terrae febres Parmenses mox rediére;
Pontificem solum linquunt proprium Cadalóum.
Pars ab eis fessa capit ipsum denique dextra,
Et super excelsam turrim Crescentis apertam[96]
Evehitur, vinclis constringitur undique firmis.
Presul Alexander cathedram recipit veneranter.
Ille fuga lapsus, Parmam redit undique[d] lassus;
Nomen habet papae, quod nomen sumpsit inane;
Derisus valde moritur cum crimine Parmae.
Pastor Alexander regnavit ovanter; ut ante

a) *hanc vocem et sequentes duos versus in ras. corr.*
b) pronomen *glossa.*
c) henricus *c.*
d) *in rasura corr.*

93) proclamavit.
94) i. e. in via Aemilia, per Mutinam deducta. MUR.
95) Petri apostoli.
96) molem Hadriani. MUR.

92) Non satis explorata est ratio propinquitatis huius. LEIBN. Fabulam popularem tradit excerptor Padolironensis a Leibnitio editus: *Est tamen aliquorum opinio, Heinricum huius nominis quartum imperatorem genitorem fuisse matris huius comitissae Mathildis, hoc modo videlicet. Dicunt matrem Mathildis, dum virgo esset, in iuvenem nobilem exarsisse genere Lucensem, in imperatoris aula ministrantem. Qui tandem hac imperatoris filia cognita, commissa timens cum ea abiit, et diu latitans vitam duxit. Tandem cum in civitatem quandam imperator venisset, in cuius episcopatu iuvenis ille cum imperatoris filia latitabat, iuvenis ille rem aperuit episcopo civitatis; ille autem imperatori narravit. Cuius precibus venia promissa, utrumque recepit ad gratiam. Huic iuveni nomen erat Bonifacius, qui ex imperatoris filia hanc genuit comitissam. Quos imperator auxit, ex imperii iuribus eis multa concedens.* Quae desumta sunt ex Riccobaldo Ferrariensi vel ex eius fontibus, saeculo igitur XIV anteriora.

Errantem regem studuit revocare paterne.
Dicta patris sancti despexit perfidus ast hic;
Credere perversis tantum vult atque protervis,
Vendebatque vagus super haec mala pontificatus;
Qui propter papam non deseruit mala tanta.
Tristes inde satis Mathildis erantque Beatrix[a],
Quae sub Alexandro papa stabant venerando.
1073. His ita digestis, prefatus papa recessit,
Apr. 21. Ante novem soles Madius quam ferret odores,
Ex isto cosmo. Supero requiescat in horto. Amen.
Anni mille Dei tres tunc quoque septuageni.

19. *Quod post Alexandrum Gregorius VII. papa sacratus est, cum quo prelibatus rex tamdiu discordatus est, quod ab eo dampnatus est.*

Apr 22. Post Alexandrum fuit Ildeprandus amandus
Antistes factus; prius archidiaconus almus
Extitit eiusdem reverendae sedis in Urbe.
Iun 30 Dum consecratur, Gregorius ipse vocatur.
Iure Deus nomen sibi tale dedit vel honorem;
Ne lupus irrumpat, vigilat caulas ovium sat.
Noverat esse pius miseris, altis quoque dirus[b],
Diversisque modis culmen retinebat honoris.
Plenus erat mira super omnes quippe sophya.
Septimus antistes Gregorius extitit iste;
Lucra gregis quaerens studuit regemque monere
Dulciter, a tantis resipisceret ut malefactis
Aecclesias scripsit precio ne venderet ipsi.
Ad cuius scripta rescripsit rex bona dicta.
Cuius papa legens apices, gaudens ait esse
In caelo cunctis de tali gaudia iustis.
Rex ultra montes degebat, pastor in Urbe;
Legatus velox referebat eis nova crebro.
Inter utrosque manens Mathildis cognita mater,
Ut pax in regno toto fieret sine bello,
Pontificis pacem regem suadebat amare,
Atque pium papam de regis amore rogabat.
Regis erat mater tunc Romae subdita papae;
1074 Quam vir amans pacem pro nati mittere pace
Ordinat, et secum Praenestinae quoque verum
Pontificem Christi, cui iungit et ostia tristis
Pontificem magnum, quem nomine clamo Giraldum;
Hos ultra montes direxit papa duosque.
Quos rex dignanter cum matre recolligit Agne;
In manibus quorum promisit iussa piorum
Se pro posse sequi papae; sancti quoque Petri
Aecclesias summi Domini non vendere nummis.
Laetificat valde nati responsio matrem;
Romam regressa papae retulit nova gesta.
Papa Deo laudem tulit immensam super hanc rem.
Ad scelera rursum rediit rex post modicum tunc.
Ad quem mendacem direxit denuo matrem;
De prope post ipsam sibi transmisit sua scripta.
Qui doluit tandem, matrique spopondit ut ante.
Credidit hoc statim genitrix, quod rex simulavit,
Quae rediit Romam, papam reverenter honorans.
Post haec ad regem bis scripsit papa decenter.
Quos apices sacros tenuit rex maxime caros.

a) *totus versus in ras. sed ab ipso scriba*
b) durus 2. 3

Quem tunc Saxones regem sprevere feroces,
Proelia qui secum statuunt committere demum:
Quod rex absque mora papae mandavit, adorans
Atque petens ipsum, pro se roget ut crucifixum.
Pastor confestim Saxonum mittere genti
Curavit, plane pacem cupiens revocare.
Inde suus missus donec redeat, iubet ipsum
Regem nullo modo super ipsos pergere, quod non
Rex expectavit, galeatus quin equitavit
Contra Saxones, qui fortes sunt et atroces.
Peccator quamvis, prudens tamen hic erat armis.
Commisso bello victor rex extitit ergo; 1075.
Unde superbus adest; papam despexit ut amens;
Omnia quae papae matrique spoponderat ante,
Fregit et invasit, simoniacos revocavit.
Afficitur valde vir apostolicus super hanc rem;
Accitis missis, multis hoc ilico scripsit,
Atque Beatrici dominae prolique Mathildi,
Quae dominum papam flagranter semper amabant,
Perfidiam regis detestavere tumentis.
Acrius ad regem scripsit pastor sacer, et se
Ulterius clamat non posse pati mala tanta.
Rex mox hac illac discurrere caepit ad ista,
Plures perversos coadunans tempore certo[97], 1076. Ian.
Cum quibus adversum patrem loquitur reverendum.
Moguntinus ibi fuit archiepiscopus; ipsi
Iudicium totum tribuit rex flagitiosus.
Huc Hugo tunc falsus venit, qui dicitur Albus.
Offuit hic multis Romanae presbyter urbis[98];
Ter dampnatus erat, precio quia restituebat
Emptores Christi templorum, iunctus et ipsis
Adversus papam fingens mala, laetificabat
Corda malignorum, regis simul et sociorum.
Audax antistes Moguntinus nimis ille
Non Christum timuit, papam quando maledixit.
Cuncti subscribunt, magis ipsi se maledicunt.
O blasphemía, non hic neque post abolenda!
Hoc anathema quidem mandarunt mox procul idem
Ad Longobardos simoniacos nimis altos;
Qui laeti facti, Papiam denique raptim
Omnes concurrunt, regis faciunt quoque iussum;
Iurant, subscribunt contra dominumque magistrum.
Mittendos apices Romam rex edidit ipse,
Qui de sede sacra dicebant surgere papam
Iniuste stantem, papatum depopulantem;
Quos sinodo coram statuerunt mittere Romam.
Quidam Rolandus Parmensis clericus aptus
Eligitur quarum gerulus tunc literularum.
Incipiens sinodum pastor Gregorius, ovum Febr.
Gallinae sculptum, gestans in cortice scutum[99],
Et colubrum nigrum qui tendebat caput; ictu
Quippe repercussus quodam pertingere sursum
Non poterat, clinum sed ventre tenus caput ipsum
Torserat et caudam triplicando dabat sinuatam —
Non erat haec plana, sed erat sculptura levata —
Ad sinodum fertur, nunquam par ante repertum.

97) Wormatiae.

98) De Hugone cf. Vit. S. Anselmi Lucensis c. 19, supra p. 19; quam vitam noster infra II, 3. citat

99) Interpunctionem reliquimus qualem codex exhibet; sensus tamen flagitat. *ovum gallinae, sculptum gestans in cortice scutum et colubrum*, lusu scilicet naturae.

1076. Febr.

Quod dum miratur, predictus et ecce Rolandus
In medium venit, papae mox dicere caepit:
Rex iussit terrae, iusserunt pontificesque,
Ut linquas sedem, quam non es dignus habere.
Romanis cleris mox idem portitor inquit:
Costes in pente[1] *Romam, testor, veniet rex*
Missurus papam; lupus hic non est quia papa.
Sic dum blasphemat[a], prefectus eum cupiebat
Privari vita gladio, commotus in ira.
Quod fęcisset enim, sed ei pater almus adhesit;
Vixque tacens coetus, caelesti flamine plenus
Papa beatus ait: *Turbari linquite, nati!*
Ecclesiae sanctae veniunt quia tempora valde
Plena dolis nimiis magnisque repleta periclis,
Expedit, existant quae sunt ut scandala scripta[2]*;*
Vae sed ei pravo, per quem sunt scandala, clamo.
Nostrum nempe modum Deus infit: „Mitto luporum
In medio vos sic velut agnos, dicoque vobis,
Vos quasi serpentes prudentes cónvenit esse,
Vivere simpliciter veluti vivuntque columbae."
Has gestare decet virtutes non modo vere,
Atque crucem Christi studeamus ferre metipsi.
Non nos a Christo tribulatio separet isto
Tempore, sed colla subdamus membraque nostra
Martyrio. Verbo fidei feriatur hic ergo
Ostensus serpens, qui scutum gestat et ensem
Adversus matrem Romanam catholicamque
Aecclesiam, Christi de sanguine rubra[3] *benigni!*
Plura loquens papa, dixit sinodus sibi sancta:
Tu pater es patrum, blasphemum contere pravum.
Est nostrum quippe, iussis parére tuis, que
Pro Christo mortem patienter gliscimus omnes.
Iudicium confer, gladium trahe, percute fortem!
Omnibus excelse dignum clamantibus esse,
Privari regno regem maledicere nec non,
Papa dolens, vinclis anathematis illico[b] strinxit
Regem predictum, cui regnum devetat ipsum.
In quadragesima sinodus celebrata fit ista.
Quis Petrum sanctum, quis papam diligat almum,
Hoc anathema probat, quod regem sic inhonorat.
A Petro quisquis seu papa discrepet istis
Temporibus, firmae permanserunt comitissae
Magnae petra quasi, Mathildis et alta Beatrix[c].
Hae mediatrices inerant et regis amicae;
Cumque vident regem per devia tendere semper,
Proximus illarum fuerat quia rex et earum,
Ex ipso mestae pandebant se satis esse,
Sed tamen a papa se non discedere clamant.

20. *De obitu domnae Beatricis, et quomodo Canossa dolet ex ea et de corpore eius.*

April. 18.

Plena bonis factis dictisque referta Beatrix,
Cunctis cara nimis magnis parvis quoque, Pisis
Egra manens, vita de presenti bene migrat,
Octo decemque dies Aprilis dum sinit ire[d]
Christi post ortum vera de Virgine corpus
Anno milleno bis terno septuageno.

1) i. e. *in pentecostes.*
2) Iunge: *periclis, quae sunt scripta. Expedit ut existant scandala;* cf. Matth. 18, 7.
3) scil. ensem et scutum.

a) *littera* t *in hac voce et* sic dum *corr.*
b) *in rasura corr*
c) f. p. c. m. p. q. M. e. a. B. *in rasura ipse scriba.*
d) *versum in ras. exaravit scriba ipse*

Conditur Pisis; lucem videat paradysi. Amen. 1076.
Hanc patres iusti ducant super aethera cuncti. Amen.
Estimo, quod vilem nimis ex hac me modo Pisae[a]
Esse putent sane, nisi plangam, cónquerar alte,
Perspicuam dominam cupiebam vivere vita
Longa, quo laetum potuissem ducere seclum.
Defunctum corpus sperabam reddere prorsus
Digne telluri. Dolor hic me funditus urit,
Cum tenet urbs illam, quae non est tam bene digna.
Qui pergit Pisas, videt illic monstra marina.
Haec urbs paganis, Turclis[b], Libicis quoque Parthis
Sordida; Chaldei sua lustrant litora tetri.
Sordibus a cunctis sum munda Canossa, sepulcri
Atque locus pulcher mecum; non expedit urbes
Quaerere periuras, patrantes crimina plura[c].
Talibus in vícis contempserunt sepeliri
Precipui magni nostri domini memorandi,
Sed se post mortem condi voluere Canossae.
Artus iamdictae dominae teneant modo Pisae,
Possideant, caute nec non veneranter honorent!
Ast animo mesto iugiter maneo nimis ex hoc.
Spero tamen per eum, qui consolatur egenum,
Me fieri laetam, michi conservando severam[d]
Mathildim, claram dominam, probitate notata
Omni, cuius ego vitam per secula quaero.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

INCIPIT PROLOGUS LIBRI SECUNDI.

Materiam parvam facit esse comarcus[4] ut altam;
Dilatare quidem sua verba scit ipse perite.
Materiam grandem sciolus describat ovanter,
Ut quod ei prohibet peracuta peritia scire,
Scilicet in latum sermonem tendere parvum
Patret cum nota vel materia numerosa:
Valde prolixam pauperculus en ego scribam
Materiam, cuncto divulgatam fere[e] mundo.
Quamvis florescant quae scripsimus ac renitescant
De ducibus claris, codex quos primus amavit,
Multó florebunt vehementius ac renitébunt
Facta ducatricis quae sunt scribenda Mathildis
Hystoriam longam metris describe Canossa.

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

Quicquid ego possum de tanta dicere — prorsus
Scit populus mecum — minus est; plus ipsa meretur.
Tantum mirari consultius esse sciatis.
Haec est tam clara, ceu fulgida stella Diana,
Haec radiata fide stat spe circundata mire.
Huic sincera manet maior dilectio sane.
Haec peramat celsum per quem sunt omnia Verbum,
Illius[5] et servos, quos ínvenit esse modestos,
Diligit et laudat, reverenter oboedit, honorat.
Haec odit vicia, virtutes comprobat ista;
Elatis alta, mitis sed mitibus astat:

a) *hunc versum et in sequenti* sane *in rasura corr.*
b) *ita in rasura corr. qui et infra ita scribit.*
c) multa 3.
d) i. e. bonam *adscripsit ipse scriba.*
4) an a κομέω, *orno*, quasi ornandi magister? LEIBN.
e) *ita corr. hic et ubicumque in sequentibus scriba posuerat* pene.
5) Dei servos, clerum.

Scit mulcere[a] pios, terrére sed haec scit iniquos.
Prospera non mutant seu non hanc tristia turbant;
Omnibus in rebus graditur discretio secum.
Omnibus in regnis sua currit fama perennis.
Evehitur lintri trans pontum fama Mathildis,
Nomine de cuius Turclorum castra loquuntur;
Noticia multa cum qua rex Grecus habundat.
Pallia cum gemmis rex dat sibi Grecus Alexis.
Hanc multis horis Alemannus rex amat, odit[6];
Gens Alemanna quidem sibi gratis servit ubique.
Russi, Saxones, Guascones atque Fresones,
Arverni, Franci, Loteringi, quinve Britanni,
Hanc tantum noscunt, quod ei sua plurima poscunt.
Post ipsam gentes hae mittunt sepius enses.
Omnibus ex istis equites habet alta Mathildis;
Responsum cunctis haec dat sine murmure turbis.
Haec hilaris semper facie, placida quoque mente.
Haec apices dictat; scit Theutonicam bene linguam,
Haec loquitur laetam quin Francigenamque loquaelam.
Haec Longobardos nutrit, regit et facit altos.
Qui numeras stellas, vitam sibi supplico serva!
Si, quod non glisco, mundo decesserit isto,
Porrige quod sitio. Corpus tumulare requiro.
Cum patribus iustum vere fit habere sepulcrum.
Antiquos patres Isaac, Abraham, Iacob atque
Uxores sanctas simul una recondidit arca;

a) mulce *in rasura corr*

6) Epitomator Padolironensis a Leibnitio editus hoc loco haec infert: *Alexius Graecorum et Alemannorum reges eius coniugium petierunt ...... De viro autem huius comitissae Matildis extat in dubio. Per haec enim verba videtur huius historiae scriptor innuere, comitissam hanc non habuisse maritum, cum in sequentibus etiam quod habuerit vel filios genuerit, nullam facit mentionem. Scribitur tamen in libro qui dicitur copia Landulfi de S. Paulo, quod ad secessum residens dux quidam nomine Gothfridus Gothfridi filius, gladio confossus interiit coniuge relicta Matilda Bonifacii ac Beatricis admodum clarissima filia; per quod noscitur, quod haec comitissa alicui viro nupserit, huic scilicet Gothfrido. Est et aliquorum opinio, quod iste Gothfridus dux fuerit Spoletanus, quamquam in eadem copia eius non nominetur ducatus. Scribit enim Martinus Polonus in cronica sua, quod Gothfridus Spoletanus dux et comitissa Matildis devota filia sancti Petri Normanos expulerint, qui in preiudicium ecclesiae, Alexandro papa secundo presidente natione Mediolanense, regnum Apuliae invaserunt et fines Campaniae devastabant. Ponit quoque Iacobus de Voragine ordinis fratrum predicatorum, archiepiscopus Ianuensis, in cronica sua, quod haec Matilda tradita nuptui, cum de viro suo filium genuisset, propter dolores, quos in partu senserat, noluit postea viro suo coniungi; sicque filio mortuo eaque superstite, sine liberis tandem ultima defecit. Fertur etiam, quod per ipsius partus dolores animata in maritum, ipsum fuerit insecuta, et forte, ut aliqui autumant, per modum qui dictus est, in eum necem a filio inferri procurasse, et propterea divina occulta ultione postmodum viduata marito, filioque ea superstite privata, multis prius bellorum conflictibus et adversitatum stimulis lacessita, ut patebit in sequentibus, et suorum ultimam decessisse, et pro suae remedio animae quae possidebat apostolorum clavigero reliquisse. Scribitur autem in libro qui Darius appellatur* (est Landulfi historia Mediolanensis sub nomine Datii vel Darii tunc lecta), *quod haec comitissa Matildis, cum iam duobus fratribus emortuis, quos Heinrici imperatoris calliditate occisos fore credebat, seque solam videns superstitem, serpente qui olim prothoplastos in paradiso Dei callidior decepit, ipsumque quaerens imperatorem a regno privare, dolis acutissimis non armis laborans, septimo adhaesit Gregorio, qui prius Ildeprandus dictus est. Quae cum adhuc virgo Gigonem virum prudentissimum Northimandiae ducem duxisset in maritum, per annos paucos secum morata, super se iam poenitens alicuius habere dominium, consilio inito cum vernula sibi fidelissima, ipsumque ad cloacam super lacum sedentem per secessum immisso ense fecit interimi. Cum autem robur a Tuscia usque Romam comitatus sui fere sola exerceret, pactoque secretissimo habito cum eodem Ildeprando, ecclesiae Romanae tunc diacono, nec non cum quamplurimis religiosis afinibus Albini et Rufini sparsis**, *quatinus sine consensu imperatoris in pontificem Romanum eligerent, ut consecraretur operam dedit. Sed ne sermo presens videatur mortuos accusare, ad subsequentia procedatur.* Epitomator Veronensis: *Mathildis ista comitissa quendam nobilem ex militibus suis in maritum accepit; de quo concepit et peperit filium, qui parum supervivens diem obiit. Ipsa autem propter dolorem partus amplius virum cognoscere noluit, sed factus est inimicus eiusdem.*

*) i. e. auro et argento sparso. *P.*

Annos post multos in eodem vero sepulcro
Corpus conditum magni Ioseph reperitur[7].
Huius amo patres, sed eam plus diligo valde.
Haec exaltavit nimium me quin et amavit.
Martyris ista michi sancti dedit ossa Quirini,
Me renovat semper, turres fabricando recentes,
Atque meum nomen crebro fęcit crescere Romae.

7) Fabula orientalis. Ioseph apud Sichem sepultus fuit, reliqui ad Hebron.

1. *De primo adventu tercii Heinrici regis et septimi papae Gregorii in Longobardiam, et qualiter a ducatrice Mathildi apud Canossam suscepti sunt, et quod eundem regem subvertit Guibertus archiepiscopus, et alia vice ivit cum eo Romam contra papam*[a].

Post matris mortem fama currente per orbem,
Regem dampnatum per papam commemoratum,
Turbati certe fortes sunt atque potentes
Per totum regnum, dicentes, esse superbum
Non parére pie sinceriter atque benigne
Romanae sedi, quae claves continet aevi.
Quocirca regem statuunt contempnere recte,
Ni redeat, papae pacem studeat revocare.
Non aliter se rex noscens regnare valere,
Ad consobrinam Mathildim misit, ut ipsa
Conscilium caperet, quo papa veniret ab Urbe
Longobardiam, peteret veniam sibi dignam
Ipse, suum iussum faceret dubio procul ultro.
Papa precesque videns dominae Mathildis, eidem
Quod quaerit donat; dimisit denique Romam 1077. Ian.
Opilio dignus, Canossam venit et intus.
Quem sancti Petri vice digniter illa recepit;
Salvificum rorem quae papae sumpsit ab ore.
Regis Heinrici domina comitante Mathildi
Affuit et iuxta presentia turbaque multa;
Ex me fitque nova, dum fiunt talia, Roma.
Urbs, honor ecce tuus mecum rex papa simul sunt
Ac Itali proceres, nec non Galli proceresque,
Ultramontani, Romani, pontificali
Stemate fulgentes; adsunt plures sapientes,
Inter quos abbas Hugo Cluniacensis hic astat,
Qui pater in lavacro regis fuerat sacrosancto.
Pacis sermones tractabant hi seniores;
Cumque dies per tres starent pro pace loquentes,
Et pax non esset, rex atque recedere vellet.
Cappellam sancti petit idem rex Nicholai;
In qua pastorem lacrimans oravit Hugonem,
Ut pro pace sua fideiussor sibi fiat.
Non licet hoc, abbas regi respondit; et astans
Illic Mathildis rogitavit eum; sed et ipsi
Hoc faciet nemo, respondit, *tu nisi, credo*[b].
Poplitibus flexis dixit rex atque Mathildi:
Tu nisi me multum iuveris modo, non ego scutum
Ulterius frangam, mulctavit me quia papa.
Consobrina valens, fac me benedicere, vade!
Ipsaque surrexit regique spopondit et exit
Ascendens sursum, stetit ac rex ipse deorsum.
Alloquitur papam de regis fine reclamans.
Sinceris dictis dominae venerabilis istis
Credidit antistes; ut iuret sic tamen ipse

a) *sequitur pictura: rex coronatus genu flexo precatur Mathildem sub arcu in solio sedentem, cui assidet in sella abbas Hugo. Subscriptum legitur:* Rex rogat abbatem, Mathildim supplicat atque.

b) *hunc et sequentem versum in rasura scriba ipse.*

1077. Rex illi, sedi Romanae sitque fidelis.
Praesul quaeque velit Gregorius, hoc sibi fecit
Rex retro scriptus. Solitoque nivem mage frigus
Per nimium magnum Ianus dabat hoc et in anno.
Ante dies septem quam finem Ianus haberet,
Ante suam faciem concessit papa venire
Regem, cum plantis nudis a frigore captis.
In cruce se iactans, papae sepissime clamans:
Parce, beate pater! pie, parce michi peto plane!
Papa videns flentem, miseratus ei satis est est;
Nam benedixit eum, pacem tribuit, sibi demum
Missam cantavit corpus dedit et deitatis[8];
Secum convivans super arcem quin Canusinam.
Ian. 28. Ipsum dimisit, postquam iuravit. Et ivit
Urbem Reginam, qua stabat turba maligna
Pontificum, valde metuentes hanc fore pacem.
Maior erat cunctis Guibertus, episcopus urbis
Ravennae, doctus, sapiens, et nobilis ortus.
Extiterat Parmae civis seu clericus ante.
Dum fuit electus Gregorius, iste Guibertus
Ipsi iuravit, contra quem nunc mala sancit.
Regis enim mentem contra papam docet esse.
Febr. Rexque die sexto remeavit Bibianellum[9];
Corde dolo pleno, cum plena mente veneno.
Pastor felle carens ad eum descendit ab arce
Crebro scripta[a] supra; mox est comitissa sequuta.
Callidus at multa rex papae dixit, et ultra
Eridanum[b] fluvium, commune cupit fieri tunc
Colloquium; laudat quod papa, Mathildis et optat.
Cur hoc rex malit, ignorant hi duo clari.
Mantua ré vera placito subdique[c] timebat.
Rex equidem frustra transivit primitus undam
Eridani, tractans cum paucis tradere papam,
Nec non, si quiret, comitissam traderet idem.
Hoc scelus infandum complere putat placitando.
Cuncta videns Christus fieri vetuit scelus istud.
Eridanum presul Mathildis et optima secum
Transivit, sperans pacem conponere veram.
Ad dominam claram multis oculis oculatam
Nuncius advénit, qui secretum patefęcit
Regis Heinrici, qui papam tradere dicit.
Hoc ubi cognovit prudens hera, mox cito movit
Seque suos, fortes peciit cum presule montes.
Insidiae fractae regis sunt et patefactae;
Papam, Mathildim, rex ulterius neque vidit.
Pontifices falsi sunt ex hoc laetificati,
Maxime prescriptus Guibertus, qui dedit istud
Conscilium regi, quia vult invadere Petri
Sedem condignam, zabuli quod fęcit ad instar,
Ethereum sedem cupiit qui tollere teter.
Lubricus et mendax erat iste Guibertus aberrans,
Conscius et consors homicidarum quoque fautor;
Pompam mundanam plus ipso nullus amabat;
Relligione caret sic, quod nec eam scit amare.
Hunc rex pro papa laudans, hunc magnificabat.
Mai. Ultra qui montes rediit, faciens mala promte;

8) Cf. Lambertum.
9) Bianello, prope Canossam. MUR.
a) c. s. *in rasura corr.*
b) i. e. Padus *glossa.*
c) *in rasura corr.*

Quaeque nefanda libent, tute faciebat inique. 1077.
Nam suus exactor, iudex, falsus quoque pastor
Non reprehendebat crudelia quae faciebat.
Ecclesias nummis vendebat sedulo multis.
Sepe duos falsos urbs una tenebat in anno
Pontifices, dando certatim premia[a] stando.
Plebes, cappellas, precio clericis tribuebant;
Cuncti perversi vivebant lege Guiberti.
Ast hera Mathildis despexit facta maligni,
Corde fidem veram peramabat munere plenam[b];
Postposuit regem; per tres tenuit pia menses
Gregorium papam, cui servit ut altera Martha.
Auribus intentis capiebat sedula mentis
Cuncta patris dicta, ceu Christi verba Maria.
Propria clavigero sua subdidit omnia Petro;
Ianitor est caeli suus heres, ipsaque Petri.
Accipiens scriptum de cunctis papa benignus.
Tunc libertati Canusinam sanctificavit
Aecclesiam, cartam libertatis sibi largam
Dictans, et mandans, violenter ne sua tangat
Ullus homo prorsus, sit ob hoc anathemate tortus.
Hortatu magnae comitissae papa dat hanc rem;
Tempora mille Dei tunc septem septuaginta.
Tempus cognoscens crudele venire per orbem
Papa, ducatricem verbis corroborat idem,
Ut sit in adversis acerrima, non sit inhermis;
Christicolas cunctos ut prevalet adiuvet ultro;
Blasphematores, qui sunt sathanae quoque proles,
Conterat, extirpet, revocet quandoque benigne.
Iussa pii domni sapiens comitissa recondit;
Ut regina Sabá Salomonis verba beata.
Cumque valedixit comitissae papa Mathildi,
Urbem Romanam Madio florente per arva
Visitat; adventum cuius plebs ipsa repertum,
Obviat, exultat, pastorem suscipit uná,
Ipseque commendat, quod nobilis aegerat erga
Se sanctumque Petrum Mathildis. *Vivat in aevum!*
Clamavit cunctus clerus totus quoque vulgus.
Cum quibus et regem maledixit denuo recte, 1080
Absolvitque viros, qui iurarant sibi, micros[10]
Ac proceres grandes, illum si linquere mallent.
Quod rex agnoscens, coadunans denuo fortes, 1081
Italiam rursum spacium post temporis unum
Ingreditur, terram totam maculabat aberrans.
Sola resistit ei Mathildis filia Petri.
Rex exardescens contra quam concitat enses,
Proelia, terrores, et castris obsidiones.
Ad nichilum pugnat; non haec superabitur unquam;
Insuperabilia loca sunt sibi plurima fixa;
Diligitur valde, villas defendit et arces.
Hanc videt incassum rixam rex crescere tantum:
Cogitat ut turbet solum caput; ivit ad urbem 1083. Iun.
Romuleam, secum Guibertus abisse videtur.
Mos fuit, adventum regis populo fore festum;
Istius est fletus, sua turbant crimina caelum.
Urbs propter papam non illi fit reserata;

a) *in rasura ipse scriba.*
b) *totum versum in rasura corr. scripsit.*
10) parvos.

1083. Circa quam bellans, dirupit moenia celsa,
Depopulans Urbem, papam statuens ibi turpem.
1084 In cathedra locat hunc, falso Clemens vocitatur.
Hic est Guibertus fallax, vastator apertus
Aecclesiae Christi, merito quem signat abissi
Bestia quam vidit dilectus in apocalipsi.
Regis et illa phalanx Romam totam maculabat,
Pervigil et rector Gregorius ex grege fesso,
Pollutae cathedrae multum quoque condolet aeque.
Sperans in Petrum, rogitat pugnare Robertum
Normannum quendam, qui regem depulit extra
Urbem, qui veluti per stratam dammula fugit
Francigenam[11], montes ultra rediens malus ospes.
Papa suus Clemens Romanis premia[a] prebens,
Raptor terrenam Petri rapit ipse cathédram.
Quanquam se monstret quod sit quasi pastor in Urbe,
Ipsi nulla tamen pars in caeli manet arce.
Hic heresis limes mundum seduxit inique;
Iussa Dei spernit, sanctorum verba neglexit,
Prevaricat leges, divinas destruit aedes,
Persequitur dignum dominum papamque magistrum,
Qui monitis sacris plenus manet in Lateranis.
Illic consistens spermologus[12] optimus iste
Actibus et verbis exprobrat scisma Guiberti,
Perpetuo dampnans anathemate scismata tanta.
Nascitur hinc cunctis ingens tribulatio iustis.
Mucronem regis pia pars quam maxime sentit;
Sedibus expulsi sunt pontifices quoque multi,
Flagris afflicti, vinclis in carcere stricti.
Rex et Guibertus faciunt iuvenescere tempus
Neronis prisci, qui precepit crucifigi
Petrum; cervicem Pauli gladio ferit idem,
Et propriae ventrem perscindere matris ab ense
Fęcit, ut inspiceret, requievit ubi malus ipse.
Sic propriae matris palmas calcaribus acris
Transfodit missus sathanae Guibertus iniquus.
Nullum quippe virum timuit nisi Nero magistrum;
Venis incisis in aqua vitam tulit ipsi.
Hi duo prescripti fidei fere[b] nomen obliti,
Perdere nituntur doctorem denique summum.
Symon eis doctor Magus extat et hispidus autor.
Ignorant forsan, quod dum fortuna reportat
Iniustos sursum, ruituros esse deorsum
Quandoque plus ipsos; ideo patitur Deus illos.

11) Aemiliam et infra cap. 18 MUR.
a) *in rasura scriba ipse.*
12) sermones serens.
b) *ita corrector; prius fuerat* pene.

2. *Qualiter contra regem et Guibertum exarserit domina Mathildis, et quod cunctis catholicis subvenerit.*

Corde pio flagrans Mathildis lucida lampas
Adversus binos Domini crucis hos inimicos
Arma, voluntatem, famulos, gazam propriamque
Excitat, expendit, instigat, proelia gessit.
Singula si fingam, quae fęcit nobilis ista,
Carmina sic crescent, sunt ut numero sine stelle.
Plura sed omittam; de paucis discite mira.
Ex hac parte freti per climata quattuor aevi,
Lepra Guibertina succreverat horrida, nigra.

Hac lepra mundus fere non locus extitit ullus;
Munda domus sola Mathildis erat spaciosa.
Catholicis prorsus fuit haec tutus quasi portus;
Nam quos dampnabat rex, pellebat, spoliabat
Pontifices, monachos, clericos, Italos quoque Gallos,
Ad vivum fontem currebant funditus omnes,
Scilicet ad dictam dominam iam, mente benignam,
Quaeque requirebant, apud ipsam repperiebant.
Defuit haud ulli, quin profuit optima cunctis,
Non ab ea mestus si quis vir venit honestus,
Unquam preteriit, sed consolatus abivit.
Vestibus e sacris multos haec nota ducatrix
Patres catholicos vestisse quidem reminiscor.
Inter quos fulsit reverendus episcopus urbis
Lucensis, lucens Anselmus maxime prudens[13],
Lege Dei doctus, monachus bene relligiosus.
Gregorius presul Romanus, ut ęgit Iesus
In cruce qui moriens dat discipulo genitricem,
Commisit dominam sic Anselmo comitissam;
Quam docuit dictis, regit exemplisque benignis,
Perversae sectae monuitque resistere semper.
Conscilii magni vir hic angelus his fuit annis,
Conscilium cuius sequitur comitissa venustum.
Nam quos ipsa valet pravos convertere mater,
Quantiscumque modis quit, agit in omnibus horis:
Multos cum feudo, multos munus tribuendo,
Pugnando plures, castellaque sepius urens
Regis ab obsequio iugiter disiungit iniquo.
Ultramontanis ac principibus sibi caris
Errores regis scribit vitare rebellis[a];
Sicque Deo multum generabat credula fructum,
Gregorio papae proceres servire suadens.
Mittere cui gratis crebro solet in Lateranis
Xenia multa nimis; quam papa pie benedícit.
Biscentum[b, 14] libras domus argenti Canusina
Tunc misit papae; quam debet papa beare.

13) In sequentibus Donizo expressit vitam Anselmi c. 12, supra p. 17: *Anselmo ... commendatur a beatissimo magistro fidelissimo discipulo, sicut in cruce Christus matrem virginem virgini discipulo commendavit . . .*

a) *versum in ras. ipse scriba.*

b) biscentum *et* d s. *et* tunc *in rasura ipse scriba.*

14) In codicis Canusini folio 1'. 2 praefixo manus simillima coaeva exaravit: *Anno Domini* 1082 *comitissa Matildis cum episcopo Anselmo, qui et vicarius erat papae Gregorii VII. in illis diebus in Longobardia, thesaurum ecclesiae Canusinae postulavit abbati Gerardo, qui tunc preerat prefatae ecclesiae, ad dirigendum papae pro defensione Romanae ecclesiae, quae illo tempore persecutionem grandem habebat a Guiberto heresiarcha. Itaque prenominatus abbas una cum congregatione fratrum, fidelem amorem et dilectionem habens in beato Petro et Romana ecclesia, vicario eius et comitissae petitioni alacriter thesaurum obtulit, qui* 20 *et* 4 *coronae erat et una illarum aurea cum crucicula una itidem aurea; et duae tabulae altarium argenteae, et coopertura argenti arcae altaris sancti Apollonu, et turibulum grande argenteum. Quod decoctum Canusii, septingentae librae argenti fuit, et novem librae auri.*

Tandem transmisso thesauro Romam per assensum et voluntatem papae, qui cartam offersionis de omnibus prediis predictae comitissae ab ea receperat, supranominatus vicarius, qui et hunc episcopatum tunc iussione papae regebat, rogante domina comitissa pro aliquantula restauratione ablati thesauri, duas capellas in Filina et unam in Casula supposuit ecclesiae Canusinae. Postea episcopus Heribertus catholicę Romanam diligens ecclesiam factum episcopi Anselmi laudavit et laudans firmavit, ecclesiamque Canusinam consecravit, quaeque habebat ecclesia ex suo iure sua dote annuit sibi, et postulante eadem domna comitissa alias duas capellas, unam in villa Placiolae et aliam in Fano sitam eidem supposuit ecclesiae, nec non et capellam in Gurgo sitam per voluntatem ac nutum istius episcopi a patronis eiusdem ecclesiae, Canusina tunc acquisivit ecclesia. Anno 1090 *huius episcopi temporibus purgavimus interius et exterius ecclesiam illam de Gurgo ex spinis et vepribus. Post haec idem episcopus Heribertus pergere volens in Siciliam per proficuum et honorem Reginae ecclesiae, quia pura amicitia Canusinam diligebat ecclesiam, mutuo ab ea accepit preciosam planetam de purpura sanguinea et pulchro aurifrisio cum decenti lineo*

3. *De obitu papae Gregorii, et de electione Desiderii et Urbani papae, et quod domna Mathildis pro Romana aecclesia pugnavit, et de obitu sancti Anselmi episcopi Lucensis urbis.*

1085. Interea planctus de presule nascitur altus
Gregorio, gestat Dominus quem Christus ad aethra[a],
Mai 25. Ante dies septem Madii quam finis adesset.
Hunc monachi deflent, monachus quia noscitur esse;
Hunc clerici flebant, valde laicique dolebant,
Pura fides quorum procul est a scismaticorum.
Quando suum sanctum reverenter corpus humatur,
Anni mille Dei sex insunt octuageni.
1086. Post hunc fit papa Desiderius probus abbas
Montis Cassini, qui parvo tempore vixit.
1088. Anno post istum pastor sacratur in ipso[15]
Urbanus rethor, monachus prius, et modo rector
Aecclesiae verbi summi patris atque perhennis.
Ut Salomon dicit, *Iustus veluti leo fidit*,
Hic dampnat regis fidenter et acta Guiberti;
Qui Petri sedem falsó cupiens retinere,
Advocat Oddonem prudentem de Tuliore[16]
Adversus papam, quem bello sepe coartat.
Ille tamen iustus, licet esset sepe retunsus,
Immobilis durat, pacem putat esse futuram.
Filiolae Petri Christi famulaeque fideli
Exhortando pia direxit tunc sua scripta,
Gregorii normam plus precipueque recordans
Quatinus observet, nec eam dimittere temptet;
Hinc peccatorum veniam dat eique suorum.
Gregorii missi crebro petiere Mathildim;
Cursores currunt ad eandem crebrius huius[17].
Densius haud cessat patres hos haec vice versa
Cartis et missis pulsare diebus in ipsis,
Pro quibus adversum se commovit fere[b] regnum
Italicum totum, Ligurum sed maxime totum.
Ipsa Padi stratam tenet, urbibus unde fit alta[c].
Huius dum pugnant athletae. nonnisi culpa
Ipsorum perdunt, sed vincunt optime bellum.
1084. Urbibus ex multis cives hoc tempore multi
Insimul armati, clipeis et equis falerati,
Principe cum celso prudenti prorsus Oberto,
Ducunt Parmensem Reginum pontificemque[18].
Romam tam fortes aiunt se pergere posse.
Hi luctatores ibant pro regis honore;

a) g. D. q. C. a. a. *in rasura ipse scriba.*

15) Errat Donizo in tempore.

16) Baiocensem episcopum, Willelmi Conquestoris fratrem. MUR.

17) Urbani

b) *ita corrector; prius* pene.

c) *ita corrector;* acra *scriba cf. infra cap.* 4.

18) Eberhardum et Gandulfum. MUR.

indumento, quam cum indumento dixit valere 30 *libras, et cuncta quae ex suo iure Canusina habebat ecclesia, iterum suis pontificalibus verbis valde confirmans et spondens vera fide et certa promissione, si a Sicilia vivus reverteretur, quod de melioribus capellis sui episcopatus subiugaret Canusinae ecclesiae, et si contingeret eum non reverti, aut si perderet planetam et indumentum, ipse ordinaret unde de bonis Reginae ecclesiae restaurationem haberet Canusina ecclesia de mutuato sibi indumento. Deinde vero post concordiam papae Pascalis cum imperatore et post mortem comitissae M. mandavit Canusina ecclesia papae censum quinque annorum, petens firmitatem omnium ecclesiarum suarum et illam libertatem, quam a tempore primi Ottonis imperatoris Romana ecclesia sibi conscripserat, ita videlicet, ut nemo episcoporum unquam in aliquo sibi dominaretur, et ut Gregorius VII qui eam in proprietatem sancti Petri a comitissa susceperat, omni anno reddendo censum* 20 *solidorum, sic suo apostolicali privilegio eam corroboraret atque muniret. Quod et fecit sanctissimus papa, perpetuo anathemate subdens et alienans a corpore et sanguine Christi, quicumque vi illud scienter quod iuris sancti Apollonii est, abstulerit, et qui confractor eius privilegii inventus fuerit. Huius autem rei testes fuerunt domnus Petrus, Vincentius, Perℓ., Iohannes et Donatus huius monasterii clerici.* Idem habent etiam reliqui codices 2. 4.

Terras vastantes, circumcirca peragrantes,
Audaces tandem terram Mathildis amantes
Intrant, credentes ipsam vastare repente.
Sustinet istorum Sorbaria[19] castra virorum;
In propriis campis illis tribuit loca standi.
Nocte quiescentes, oculis somnum capientes.
Iulius assumpta iam vero luce secunda,
Ecce repente phalanx Mathildis adest, *Petre*, clamans
Auxiliare tuis! Inimicis surgere tuti
Incipiunt, campi tanto strepitu stupefacti.
Multi dant dorsum, pugnant alii sine morsu;
Prosternuntur ibi, plures capiuntur iniqui.
Marchio predictus quendam transverberat ictu,
Et quasi voce loquens nonnae, sine fugit honore.
Talem grunnítum portat nunc hic inimicus,
Ducet quod nunquam super hanc dominam puto turbam.
Ebrardus presul Parmensis captus habetur;
Pontificem sentes Reginum perque dies tres
Abscondunt nudum Gandulfum pectore durum;
Nonnulli capti proceres, alii fere[a] lapsi.
Gaudet turba Petri, turbatur contio regis.
Inclita Mathildis terror fuit omnibus illis.
Mensis ut advénit, qui primus in ordine caepit, 1086. Mart. 19.
Eius in octavo decimoque die dominator
In caelis regnans Anselmum vexit ad aethra.
Huic similis credo fuit hoc in tempore nemo.
Officium duplex monachorum pontificumque
Nocte die complens[20], corpus macerabat ut hostem;
Catholicus, caelebs, pius et sobrius fuit aeque.
De cuius vere tristantur morte fideles,
Scismatici gaudent; erat his contrarius autem.
Quem sibi commissa per Gregorium comitissa,
Ut decuit digne sepelivit mesta benigne.
Artus Anselmi condivit Mantua terris,
De quo quod gliscit, monstrasti Christe Mathildi.
Nam virtute tua fęcit miracula plura;
Servulus iste tuus de sanctis extitit unus;
Catholicae parti fuit indicium probitatis,
Scismaticae parti signum quasi debilitatis.
Inde triumphando gaudet comitissa precando;
Huius enim patris precibus putat auxiliari.
Cumque daret tumba sancti miracula multa,
Proderet ut multis post nos per secla futuris,
Iusticiae cultrix ea partim fingere[21] iussit;
Quae simul et vitam cappellani sibi dictant[22];
Tercius existens ab eo Lucensis et ille
Rangerius rector dictavit eam sibi metro;
Dictavit pulchrum nuper librumque secundum,
Qui baculi[23] litem diffinit, misit eique.
Principium cuius sit hic, et non hesitet ullus
Lector, sed noscat, quod caetera sint metra docta:
Filiolae Petri violae post lilia dentur;
Detur ei de fonte Dei ros, unde rigentur.
Pugna fuit, donec potuit sevire Guibertus
Perfidiae dux, aecclesiae vastator apertus.
Sed quid ei temptare Dei firmissima castra?

19) villa agri Mutinensis ad Scultennam fl. MUR. De hoc proelio conferatur qui ipse affuit auctor vitae sancti Anselmi Lucensis c. 21, supra p. 20.

a) *ita corrector;* pene *scriba.*

20) Vita Anselmi 5, supra p. 15. *Monachi pariter et canonici pariter vitam et ordinem conabatur explere.*

21) i. e. componere, scribere.
22) dichten. Horum capellanorum comitissae alter est B. auctor Vitae, cf. supra p. 10, alter nescitur; nam Hugo presbyter Mantuanus, qui librum miraculorum sancti Anselmi ad Ubaldum episcopum scripsit, hic non videtur intelligendus.
23) investiturae. MUR. De hoc opere deperdito cf. Annales nostros VII, p. 463 sq.; et supra p. 12.

Nunquid eo regnante Deo pervénit ad astra?
Mortuus est, et traditus est in perditionem.
Quique reum defendit eum contra rationem,
Gregorium vas egregium quicumque negavit,
Iam videat, si forte queat, quam falso putavit.
Quique duas fregit statuas[24] *Urbanus, ab illo*
Fonte fluit, longeque eluit non segnius illo.
Quisquis eum non ante Deum vel sero fatetur,
Reprobus est et devius est, poenamque meretur.
His ducibus mirabilibus collectio nostra
Non tacuit, donec tenuit latrantia rostra.
Iam redeunt, qua fronte queunt, qui prosiliere,
Quos video tangente Deo plerumque dolere.
Sed redeant, et nos habeant et nostra libenter;
Sed videant, ut non redeant post terga latenter.
Nunc igitur non exigitur quicumque mederi
Qua valuit, donec voluit divisus haberi.
De precio, de flagicio, de seditione
Et sapiunt et nos aiunt in cognitione.
Nam precium, nam flagicium non complacet illis;
Qui cupiunt, qui diripiunt, dampnantur ab illis.
Par ratio, par traditio pro parte videtur;
Prestet ei censura Dei, quod deesse videtur.
De baculo lis est populo cum patribus orta.
Ista fuit, quae non caruit caligine porta;
Ista fuit, quae diripuit Paulumque Petrumque;
Ista fuit, quae par habuit regemque Deumque.
Haec frenesis non est heresis, non est laberinthus,
Per tenebras et per latebras non est labor intus;
Hanc volumus quicumque sumus de dogmate Christi,
Ut fugiant et reiiciant communiter isti.
Unde volo, ne forte dolo circumveniamur,
Ut breviter sed non leviter pensanda loquamur.
Christe sapis, quo corda rapis succensa calore,
Fac fieri, quae scis fieri pro pacis amore.
Plus laicis cunctis Mathildim Rangerius scit
Intentam legi Domini vitaeque perhenni;
Hoc sibi perlucens ob id edidit ipse volumen.
Iam redeat primus, sed hic iste sit ordo relictus.

24) Heinricum et Guibertum. MUR.

4. *De tertio adventu regis Heinrici in Italiam, et de obsidione Mantuanae urbis.*

1090. Rex ut Heinricus factus gravis est inimicus
Aecclesiae sanctae dominaeque Mathildis amandae,
In quocunque loco poterat sibi tollere, toto
Nisu tollebat terras ubicumque tenebat.
Presertim villas ac oppida, quae comitissa
Haec ultra montes possederat a genitrice[a],
Abstulit omnino, nisi castrum Brigeriinum,
Forte quod et magnum locuplex erat undique largum;
Hoc rex aggressus, nequit intus ponere gressus.
Cum bis quinque quasi transirent iam simul anni
Rex quod ab Italia discesserat[25], armat equina
Dorsa viris, iurans per septem tempora[26] supra
Mathildis terram persistere pace neglecta.
Castra vocat densa, descendit ad Itala regna.

a) *in ras. corrector.*

25) Errat noster; sex tantum annos abfuit Heinricus, qui abierat a. 1084 mense Iulio, rediit 1090 mense Aprili.
26) annos

Tercius et mensis foliis florebat et herbis; 1090. Mai.
Urbs dominae quaedam praedictae cara manebat,
Tempore longaevo vocitatur Mantua vero,
Ex multis rebus dives satis ac speciebus.
Rex cupiens ipsam, fixit tentoria circa.
Quam mox athletis de sumptibus atque replevit[27]
Nobilis et fortis Mathildis maxime doctrix.
Ipsa tenens montes, inimicos despicit omnes.
Regis bella phalanx dabat urbi sepius atra[a].
Exiliunt cives simul athletae comitissae,
Occidunt, frangunt, coetum pellunt Alemannum.
Urbs bene protecta, degebat rex procul extra;
Mensibus undenis obsessio civibus haesit.
Tunc Ripalta quidem menses hos traditur inter;
Traditur et turris Gubernula[28] regis alumnis.
Non famulam Petri mutant discrimina secli;
Civibus at multos mandat sepissime[b] sumptus,
Servent utque fidem, rogat hos permaxime[c] cives.
Cui cives vere se mandant esse fideles.
Pollens Mathildis fidens in civibus illis
Decipitur verbis ipsorum, clam quia regis
Pertractant urbem manibus pariterque phalangem[d] 1091.
Ipsius ante diem paschae dare, deprope quippe
Tunc quod erat mundo celebrandum mense secundo.
Conscilium firmant, Iudae peragunt et ad instar.
Nam qua nocte Deum Iudas mercator Iesum
Tradidit, hac ipsa fuit haec urbs Mantua dicta Apr. 10
Tradita. Sed dum rex intrat crudelis in urbem,
Evasere quidem proceres dominae comitissae,
Navibus extracti propriis cum rebus et armis.
Ut lapis est adamas[e] firmus, sic firma ducatrix
In tantis dampnis venientibus his manet annis.
Fit tantum dictus lapis edi[29] sanguine scissus;
Non cedit dampnis, fusus plicat hanc neque sanguis.
Nam supra petram firmam fundata manebat;
Fluminibus flecti nequit iccirco neque ventis.
Anno milleno nonageno quoque primo
Mantua sordescis, de proditione nigrescis.

5. *Obiurgatio, ac detestatio seu digna exhortatio contra Mantuam.*

Gloria quanta foret tecum, quis Mantua noscet,
Prudenter portas tenuisses si modo clausas
Regi? Iam nomen decus atque tuum procul ore
Multorum volvi fere cuncto caeperat orbi.
Te fortem vere referebant et locupletem,
Ac veluti Troiam laudabant te fore, longam
Cum iuxta morem fers illius obsidionem;
Cives atque tuos forti de sanguine fusos
Italiae cunctae dicebant funditus urbes.
Greca Phryges castra ceu quondam, sic Alemanna
Castra tui cives soliti sunt cedere quippe.
Annis ipsa decem circumdata Troia pateret
Argolicis nunquam, nisi tradita nocte perusta.
O mala proditio, quae celsos mergis in imo,
Tutos corrumpis, victores comprimis urbis,
Perturbas reges comites proceresque ducesque.

27) Iunge: *de athletis atque sumptibus* i. e. victualibus. MUR.

a) *ita corrector;* acra *scriba.*

28) *Governolo,* ubi Mincius Pado iungitur. MUR.

b) *in ras. corr.*

c) permaxi *in ras. corr.*

d) *totum versum excepto* phalang *in ras. corr.*

e) u. l. e. a. *in ras. corr.*

29) i. e. hoedi.

Ordinibus cunctis nimis officis improba, turpis!
Si servare fidem voluisses tu comitissae,
Mantua, iam dicta tibi supra dante[a] Mathilda
Auxilium, denis non solum, sed duodenis
Annis te posses retinére, timens nichil hostes.
Hoc si fecisses, pax ad te magna redisset,
Rex discessisset procul a te deprope, sicque
Felix mansisses tu, cara nimis comitissae;
A quá ditata mirabiliterque locata,
Esses nunc florens super urbes quippe priores;
Ceu plebs Romana quires ita stare togata.
Et si te regis superassent proelia, nescis
Quod decus hoc multum foret et non dedecus ullum?
Nam tradítrícem nemo tibi dicere sciret.
Hoc utinam vere tu nunquam nomen haberes!
Infelix tristis ex hoc tu nomine sistis.
Omne bonum nomen pro turpi traditione
Cur amisisti, tradendo temet iniquis?
Catholicis plena dudum celebrare solebas
Pascha Dei Christi cum splendiferaque Mathildi,
Curia cuius erat dapibus donisque repleta,
Officiosa manet quasi regis curia sane.
Nunc celebras pascha cum falsis ex Alemanna
Qui peramant Bachum, flagrant ad luxuriandum.
Illorum linguas nescis faciles quoque rixas.
Cum sunt potati, pro verbis, fertur, amaris
Ensem denudant, sociorum viscera truncant;
Mordent more lupi, cum sumunt pabula, cuncti;
Atria sanctorum violenter frangere norunt.
Mantua, nunc tales tibi noscere monstro sodales;
Hos fuge, contempne! Mors est cum talibus esse.
Regis amicicia procul haud[b] durabit et ipsa.
Non faciet quippe tibi, quae promiserat ipse;
Decipiet vere te, seu procul ipse recedet.
Ergo cave, magnum ne pax sua sit tibi dampnum!
Conscilium dignum cape, lugeto scelus istud!
Iura licet prisca corruperis et nova scripta,
Plange tamen pure! Plebs omnis plangat in urbe,
Communi vero voto revocare studeto
Cultricem Christi, vestram dominamque Mathildim.
Hinc restaurabis leges et honore micabis;
Urbes vicinae laudabunt te sat opime[c],
Ac fore secura tamen haud aliter potes unquam.

a) i. d. t. s. d. *in ras. corr*
b) p. h. *in ras. corr.*
c) s. o. *in ras. corr.*

6. *Item de eodem rege, et eadem domina Mathildi, et de bello militum comitissae cum rege apud Trescomitatus.*

1091. Apr.

Rex igitur capta gaudens ex urbe relata,
Pontificem falsum Cononem gente Lemannum[30]
Illic esse iubet, iam presul Ubaldus ab urbe
Fugerat ad grandem comitissam catholicamque.
Rex terras ultra tenuitque Padum fere cunctas,
Pláthena[31] Nogara nisi, quae sunt oppida clara.
Haec loca nempe fidem servaverunt comitissae,
Regis terrorem despexeruntque furorem;
Rex ibi non hastam potuit neque mittere plantam.
Hac et in aestate capitur Minervia[32] sane;

30) i. q. Alemannum, ut infra c. 19.
31) *Piadena*, in agro Cremonensi. MUR.
32) aut *Manerbio* in agro Brixiensi, aut *Menerbe* pagus apud *Legnago* in Veronensi. MUR.

Hancve fame caepit, nonnullis denique telis. 1091.
Quam rex possedit; nec ob hoc comitissa recedit
A zelo Petri, pro quo mala tanta recepit.
Quae per Regensem comitatum seu Motinensem
Ibat laetanter, proprias firmabat et arces.
Nullatenus certe desperans vincere regem.
Mores atque vias illius sepius ipsa
Repperiebat ita, quod semper quo malus ibat
Noverat, athletas et quantos ipse tenebat.
Nam postquam magna fuit arx Minervia capta,
Tempore rex hiemis Athesis trans flumen abivit
Principibus vacuus tunc militibus neque fultus.
Hoc didicit nempe prudens comitissa, repente
Mille viros fortes numero plus iussit ad hostem
Pergere bellandum, campi certamine tantum.
Cumque Padi latices Athesis necnon vada sissent[a],
Insidiis plenus rex ipsos octo diebus
Vitavit, tardans proprias revocando phalanges.
Traditor istorum regem dicebat eorum
Nolle spatis iungi, deerat quia posse reiungit.
Talia credentes securi stant et inhermes.
En subito splendent regis vexilla ferentes,
Qui super hos currunt. Pars ceditur utraque multum;
A turba regis miles capitur[b], sed inhermis;
Plures evadunt, fugiunt per devia saltus.
Iste quidem pagus vocitatur Tres Comitatus[33].
Proditor e Manso fuit Hugo[34] nobilis alvo;
Hanc contra morem sed fecit proditionem;
Nam proba nobilitas non turpe scelus patrat unquam.
Tandem collecti remeaverunt retro mesti,
De sociis captis parvis pariter quoque magnis;
Inter quos captus Manfredus erat probus, altus
Filius Alberti. Super ipsum contio regis
Maxime gaudebat, comitissae contio flebat;
Quae veniens fessa, propriae dominae manifestat
Actus adversos duros nimiumque molestos.
Dulcibus et planis verbis quos ipsa ducatrix
Solans blanditur, quo non timeant inimicum.
Vincendi bellum perdendi denique tempus
Sic variatur, ait, *virtus prout ardua sancit.*

7. *De obsidione Montisbelli, et de vexillo regis apud Canossam capto.*

Dum transisset hiemps, qua bellum cum comitissae 1092.
Militibus fecit rex, aestas tercia venit.
Binas rex steterat aestates Italiae iam.
Eridani fluvii laticem cum Iunius urit,
Stipatus transit Longobardis, Alemannis,
Obtinuitque loca campestria nobiliora.
Ad montes scandit Motinenses, quos nimis ambit.
Mox Mons Maurelli[35] pugna capitur sine ferri,
. . Ac Mons Alfredi capitur certamine freni[c] [36];
In quo Gerardus facundus, signifer altus,
Incidit in vinclis prefati regis iniqui,
Ex cuius vinclis doluit satis ipsa Mathildis.
Qui Iob temptavit, Tobiam Deus, ipse probavit
Hanc dominam, solam sancti Petri pedagogam,

a) aferesis *glossa.*

b) silensis *in marg. adscripsit corr.*

33) *Tricontai* in com. Patavino. MUR

34) Azonis Estensis marchionis filius, patruus Welphonis ducis quem sibi maritum fecerat Mathildis. MUR.

35) *Montemorello.*

c) *hos duos versus* mox — freni *corrector scripsit, eraso qui prius fuerat uno Iam per . . . . monte . . pt . . morellum*

36) i. q. effreni; ni forte i. q. equestri.

1092. Cuius amore flagrans patitur densissima flagra,
Ut quandoque sibi cameram reseret paradysi.
Hac vice rex plane solito plus extitit acer.
Aug. Obsedit castrum Montisbelli[37], superandum
Quem putat aut telis aut obsidione teneri;
Ingressum sed ei nec egressum tollere quivit.
Presidium monti confert huic contio fortis,
Cuspide quae regem stimulare solebat inhertem.
Pseudo- quem Clemens tunc venit -papa videre;
Cum quo plura loquens, firmavit et obsidionem.
Aestatem montem circa quem perdidit omnem.
Cumque diu staret, caepit pia pars trepidare,
Atque suam pacem proceres famulique rogare
Magnificae dominae crebro caepére períte.
Hoc libuit regi, tantum si facta Guiberti
Ipsi laudarent, pedibusque suis quasi papae
Se prosternarent, faceret mox hanc ita pacem.
Hoc audire quidem nolunt aures comitissae,
Sed volo noscatis, pacem si regis amatis
Inquit *agam secum, iustum non hoc et habetur.*
Mox mediatores regem de pacis amore
Explorant, rogitant, pacem ne differat istam.
Annuit hoc tandem memoratus rex simulanter.
Ductores pacis nituntur, ut ipsa ducatrix
Compleat hanc pacem, quam rex se dicit amare.
Credere quae dictis laicorum distulit istis;
Multis accítis abbatibus ac heremítis[38]
Presulibusque sacris, ait illis famina pacis;
Si fieri possit pax iuste, dicere poscit.
Reginus presul, speculum quasi lux Heribertus,
Cum reliquis plane faciendam confore pacem
Astruit, adiungens: *Tribulatio temporis urguet.*
Mens dominae flecti quasi caepit in his quoque verbis.
Respondit tandem dicens heremita Iohannes[39]:
Absit ne fiat, quia pax haec est inimica
Spiritui sancto, Patri, proprio quoque Nato.
Ergo sudores ammittes[39*] *atque labores*
Tantos, pro Christi quos nomine sustinuisti.
Ne titubes! pugna[a]*! quoniam victoria multa*
Deprope de caelo veniet, tibi dante sereno
Christo pro Petri precibus, qua laeta fruéris.
Fructificante fide fructum generant heremitae
Istius verba; verus fuit inde propheta.
Nam regis pactum comitissa reliquit inactum,
Atque fidem summam servare spopondit alumna
Petri, donec ei vitam dederit Deus aevi.
Turba sacerdotum firmatur catholicorum;
Ante volunt loetum[b], quam regis denique foedus.
Colloquium dignum Carpineti fuit istud[40].
Rex Montembelli non cessans tundere bellis:
Machina succensa sua fit prope quippe Cucherlam.
Dum geritur bellum, ruit unus filius eius,
De quo rex late doluit, misitque cadaver
Veronam, pulchrum fabricatur eique sepulchrum.
Esse videns castrum rex insuperabile factum,
Per campum latum dense reboare tubarum

37) *Montereglio* seu *Montevio.* MUR. Ibi rex 1092. Aug. 12. ecclesiae sancti Deodati diploma concessit.

38) monachis. MUR.

39) abbas Canusinus, ut apparet ex carta a. 1105 et ex paullo post sequentibus; cf. etiam Mabill. ad a. 1092. MUR.

39*) i. e. *amittes.*

a) imperativum *glossa.*

b) i. e. mortem *glossa.*

40) in agro Regiensi. MUR.

Voces precepit, discedens inde; quievit 1092
Continuo castrum Montisbelli memorandum.
Emiliam[41] quippe tunc rex pervenit et ipse,
Atque stetit soles paucos ibi subdolus ore.
Inde movens castra, finxit se pergere Parmam.
Tempus erat clarum, rediit retro Cavilianum[42],
Ac memor est factus, Canossae quae mala passus
Sit, nudis quando plantis illic stetit, algor
Nix pariterque pedes illius coxit. Habere
Nunc ulciscendi tempus se credidit ex his.
Canossam vero comitissa cohors sua necnon Oct.
Venerat; utque sapit regem fore Caviliani,
Militiae partem forti dimisit in arce,
Ac partem secum tulit, it mox Bibianellum,
Semet commendans Apollonio, bene sperans
Salvari posse meritis ipsius ab hoste.
Dum fuit ad montem Iumingnae, densius hostes
Per Lintregnanum montem veniunt pede raro.
Hi duo sunt montes vicini. Sensit abhorrens
Utraque pars strepitum; dominae pars Bibianellum
Intrat festinans, regisque phalanx Canusinam
Vexillo large tenso properavit ad arcem.
A domina proceres aliquanti tunc rediere
Retro; viri regis quos quaerunt ducere belli
Ad pugnam. Bellum renuunt hi, cum cito tendunt
Ad reliquos arcis, quos hortantur simul armis
Arreptis regi fidenter bella rependi.
Cumque tubae magnae reboant, abbasque Iohannes
Cum monachis psalmos psallebat, cordeque sanctos
Deposcens omnes, locus ut tueatur ab hoste:
Extitit orta satis caligo maxima statim.
Abbas orabat, pugnabat plebs memorata.
Vulneribus ferri iaculatur contio regis;
Ex populo terrae iaculatur non nisi certe
Unus, qui multas pilo pulsaverat ulnas.
Vexillum regis gestabat natus Oberti.
Ad se qui rectum cum vidit tendere ferrum.
Evitans ictum, lorica nimis trahit ipsum;
Nam cecidit terrae; currit quidamve pedester,
Accipiens hastam, vexillum tollit ad astra.
Vix relevatus equo predictus marchio, retro
Ad regem, sursum qui monticulum stetit unum,
Cum sociis cunctis rediit, simul ac ibi iuncti.
Ob nebulam grandem cum nullus viderit arcem,
Rex volvit frena, Baianum tendit. Habebat
Cor nimium mestum, videt erga se quia tempus
Mutatum; libras per milia quattuor istam
Nollet habere viam calcatam, scire nec ipsam.
Perditio signi defectum signat; abhinc quin
Nomen ei crescit, quod dicitur officiperdi[43].
Pars Mathildis ovans, Christum veneranter adorans,
Ad phanum defert Apollonii reverenter
Vexillum regis, quod adhuc ibi constat haberi.
Haec dum fiebant, Octuber rura colebat.
Rex una meste Baiani nocte quiescens,
Mane Padum iuxta properavit, et inde secunda

41) *Reggio.*

42) *San Paolo* secus Entiam fl. MUR.

43) Vox ex Catonis distichis desumpta, significat hominem qui tempus et oleum perdat. MUR.

1092. Luce Padum transit, decrescens omnibus annis.
Contio Mathildis loca deprope plana petivit;
Eridani limpham post haec transivit et ipsa.
Terras paulatim, dudum quas nota ducatrix
Perdiderat, scutis illius denique viri
Restituunt, gentes ferientes quasque rebelles.
Redditur et turris dominae Gubernula, multis
Regis de rebus honerata sat et speciebus.
Reddita non longe Ripalta fuit sibi post haec.
Augmentum magnum pia pars habet hoc et in anno.

8. *De separatione Praxedis reginae ab Heinrico rege, et de adventu papae Urbani in Longobardiam.*

Augurium peius regi quoque contigit; eius
Flagitium prorsus sua caepit spernere coniunx,
Quod taceat metrum, nimis hinc ne degeneretur.
Ast de regina Praxede tamen metra dicant.
Sic timet ipsa virum, dentem velut agna lupinum,
Cumque timore tremit, furtim munimina[a] quaerit
Mathildis, poscens ut eam disiungat ab hoste.
Aspiciens Deborá nova[44], tempus inesse vel horam,
Hunc ut prosternat Sisarám, clam quippe catervam
Veronam misit; regina manebat et illic;
Privatim venit, defertur, laeta recedit;
Regis eam servi perdunt strepitu sine belli.
Suscipitur recte reverenter nobiliterque
A domina sane Mathildi, quae quasi Iahél
In Sisarae magnum nunc fixit timpore clavum.
Crescit ob id felix Christi victoria plebi;
Ecclesiaeque duci, pastori scilicet urbis,
Hanc rem reginae missi referunt comitissae.
Hoc quicumque scelus cognoscebat fore verum,
Spernebat regis sectam pariterque Guiberti.
Partibus in cunctis pars Petri maxime surgit.
1095. Dux bonus Urbanus, factis et nomine clarus,
Esse triumphandi tempus de principe Iabín[45]
Percipiens, Romam dimittens venit ad horas
Longobardiae cum conscilio comitissae,
Quae suscepit eum sanctum penitus quasi Petrum.
Pontificis dextra benedicitur ista potestas.
Tunc pastor sanctus sinodum celebravit, et annus
Christi millenus nonagenus quoque quintus;
Mart. Primus erat mensis, cum nascitur humor in herbis.
Ore sacerdotum dampnantur facta malorum
Ac heresi- papae Guiberti scilicet -archae[46]
Regis et Henrici, Domini quia sunt inimici.
Affuit his dictis Praxedis et ipsa Mathildis.
Catholicos plene benedixit papa fideles.
Hanc sinodum sanctam Placentia continet ampla.
Expleta sinodo, dominae quam sepe recordor
Papa valedixit, clericis comitatus abivit
Per multas urbes, curans convertere plures.
Iul. Gallia quem patrem suscepit maxime care.

9. *De obsidione Nogarae.*

Vilior effectus solito mage rex, velut exul
Quid faciat nescit, non nocte dieque quiescit.

a) *in rasura corr.*

44) Vita Anselmi c. 11. supra c. 16: *ut quasi altera Delbora populum iudicet, militiam peragat, haereticis ac schismaticis resistat.*

45) rex a Iosue victus, Ios. 11. MUR.

46) Iunge *heresiarchae.*

Fronte carens. Tandem resilire putavit ut ante. 1095.
Civibus accitis secum Veronensibus, ivit
Vallavit castrum Nogarae forte vel amplum.
Hoc discunt aures Mathildis; novit ut autem,
Mox accersitos Motinenses corpore firmos,
Eridanum transit; quam tunc Gubernula gratis
Suscepit noctu, sed non regem latet hoc nunc.
Exanguis factus qui rex nimis et stupefactus
Se mox inde movens in eadem nocte. Timore
Quo Deus Assyrios quondam stupefęcit iniquos,
Quando Samariam circundederant; fere[a] dira
Prevalidaque fame fore victam nec titubarent,
Surgunt nocte tetra tremefacti; vascula, frena,
Diversas vestes, obliti sunt simul enses.
Longe secedunt, urbs divitiisque repletur:
Ipse Deus regem fęcit trepidare repente
Istum; Mathildim fugiendo, nocte reliquit
In castris vasa, seu frena, capistria sana[b].
Castrum Nogarae comitissam gliscit amare;
Mane recepit eam, vehementer ut esuriebat,
Cum proprio coetu ceu Iudith ipsa beetur.
Non semel haec regem necat, ut Iudith Olofernem,
Crebro sed impellit, sibi muscipulas quoque tendit,
In quibus ille cadit, se quando cavere putavit.

10. *Quid in Galliis papa Urbanus lucratus est, et de reversione sua ad Italiam.*

Urbani Galli papae Petri quasi sancti
Dicta receperunt, et ei bona multa dederunt.
Verba salutis eis dabat hic pastor vice Petri,
Nam docuit summus pater illos ire sepulcrum
Ad Domini nostri, locus ut purgetur et hostis
Inde repellatur populus paganus amarus.
O fidei semen, bona germina quot modo prebes,
Cum rutili flores refluunt pastoris ab ore,
Et pariunt fructus Domini dignanter in usus!
Nam genitor carum pro Christo linquere natum
Et genitus patrem caepit dimittere plane,
Atque vir uxorem contra dimittere morem.
Sexus uterque Deo gliscit parere sereno;
Certatim currunt Christi purgare sepulcrum.
Francigenus cunctus populus, de quo fuit ortus
Urbanus pastor, presertim pergit ovando.
Cumque duos annos fecisset ibi fere pastor,
Italiam rursus rediit, fuit atque locutus 1096 Sept.
Miti Mathildi, quae domni verba magistri
Presulis ac summi mentis dulcedine sumpsit.
Quam pater absolvens, benedixit eam super omnes,
Atque valedicens sibi, Romam temptat abire, Dec.
Ut cathedram Petri purget, quam prava Guiberti
Sessio polluerat. Per longum tempus habebat
Corruptam legem canonum pariter quoque regem.
Urbanus rethor velut ambierat, prius ergo
Romanam sedem mundavit ab hoste. Celebre
Illius nomen crescebat maxime Romae.
Plebs suscepit eum pepulit Romana Guibertum.
Eiectus nempe foris Urbem, stare Ravennae

a) *ita corrector, pene prius fuerat.*
b) sane 3.

Assidue caepit, mortem suus Oddo[47] recepit.
Propter papatum non linquerat hic dominatum[48]
Ravennae, credens quandoque relinquere sedem.

11. *De recessu Chonradi ab Heinrico patre suo, et de morte papae Urbani.*

Petre pater, presto precibus dictantis adesto,
Ut doceas sensum nostrum componere versum.
Unam dictemus plagam, qua rex superetur.
Francigenas partes Urbanus dum peragraret,
Longobardiae stabat rex hactenus ille,
Cui fortuna vetat, ferat ultra ne diadema.
Egipti regem quae perculit ultima, regem
1093. Istum plaga ferit: primogenitus sibi cedit[a].
Mortuus Egipti primogenitus fuit; isti
Non obiit, vivus sed ei gravis est inimicus
Factus, ob eius opus quod erat nimium scelerosum.
Chonradus dictus fuit hic de crismate tinctus.
Ingenio pollens, genitorem prorsus abhorrens,
Se dominae largis Mathildis subdidit alis;
Quae veluti dignum valde carumque propinquum
Mox suscepit eum, laudans ut rex vocitetur.
Illius tractat patrem sic, Hester ut Aman;
Abstulit uxorem sibi primitus, et modo prolem.
Hic motus dampnis, septem stans insimul annis
1096. Italiae, regnum Gallorum[49] visitat exul,
Sic procul eiectus. Chonradus filius eius
Cum domina stabat iam supra commemorata;
Conscilio cuius pulcher iuvenis rubicundus
Ac prudens vere Siculam duxit mulierem,
Rogerii natam ducis[50]. Huic iuveni quoque papa,
Credere si vellet sibi, regem non vetat esse.
Non erat hic rector tremulus quasi cannula vento,
Sed veluti ferrum truncabat noxia verbo;
Ut cervum serpens, heresum sic turba timet quem;
Cuncta sibi prava subduntur dogmata falsa.
Nunquam decrevit[51] libertas denique sedis
Romanae per eum, sanctum peramat quia Petrum.
Aureus antistes color optimus extitit iste,
Scilicet Urbanus, sanctis merito sociatus,
Talem vae! Romae cum perdidit opilionem.
1099. Iul. 29. Mortuus est Romae digno conditus honore,
Iulius ipse dies binos cum dat prope finem,
Anno milleno nonagenoque noveno
A nato celso de prima Virgine Verbo.

12. *De electione Pascalis papae, et de prava Guiberti morte.*

Aug 13. Post quem papa bonus laudatur relligiosus
Aug. 14. Valde Pascalis, consecratur quoque statim,
In verbis planus, per Romam prorsus amatus,
Dans agapem grandem, nutriens inopes, tribulantes.
Domate[52] pro Christi certanti porro Mathildi
Signatos apices benedicentes sibi mittens,
Illos ut mores teneat monet anteriores,
Quos docuere patres ipsam vehementer amantes.
Simplicitate pater sancti Iacob patriarchae,
Pascalis regitur, secum neque subdola vivunt.

47) Baiocensis. MUR.
48) i. e. archiepiscopatum Ravennae Guibertus papa factus non dimisit, ut, si forte sedem Romanam relinquere cogeretur, Ravennatem repeteret. MUR.
a) stum, ferit, cedit, *et paullo post* um sceler *corr. in rasura.*
49) i. e. *Germaniam*, ita etiam Sigebertus ad a. 1094: *eo ad Galliam reverso.* 1056. *Victor papa in Gallias veniens;* cf. 1020. 1082
50) Mathildem.
51) a *decresco.* MUR.
52) i. e. *dogmate.*

Planiciem cuius didicit Guibertus homullus
Mox antichristi, sedem sibi tollere gliscit.
Qui Sutrium venit, cives seducere caepit
Romanos parvos precioque minis simul altos;
Atque viam domni Petri faciebat hic hostis
Custodire, viros spoliare iubens peregrinos.
Hic per viginti tres annos denique Christi
Ecclesiam nisu toto turbarat iniquus.
Dum potuit multos animos seducere stultos,
Destitit infelix nunquam; nunc corpora ledit.
Illius magnus mundus iam despicit actus.
Aecclesiae cunctae Petre iam prebe promocunde[53],
Iste senex ut hebes homines sinat esse fideles.
Post annos binos, Urbanus erat quod ab isto
Seclo portatus caelique choro sociatus,
Iste dolore gravi tactus Guibertus inanis 1100. Sept
Mortuus est; secum portans anathema per aevum.
Propterea caeli populus pariterque fidelis
Exultentque boni, periit quia perditionis
Filius. Ut surgat similis, non det Deus unquam.
Dictator quidam de quo metra protulit ista:
Fletibus et lacrimis esses Guiberte dolendus,
Fletibus et lacrimis si forte fores redimendus.
Sed nulli gemitus possunt tua facta piare,
Quem mors non potuit de perfidia revocare.
Non est conscilium quod possit vivificare
Ad se quem sprevit Deus in finem revocare.
Vivens et moriens nobis exempla dedisti,
Quod membrum sathanae non sit de corpore Christi.
Non Dominum sed demonium vivens habuisti;
Non Dominum sed demonium moriens habuisti,
Ergo satis claret, quod qui tua facta sequentur,
Pro simili culpa simili gladio ferientur.

13. *De obitu Chonradi regis, et obsidione Ferrariae.*

Scribere res gestas cum non sit res inhonesta,
Carmen adesto meum sic, ne promas nisi verum.
Infra Chonradus Longobardos comitatus
Dum staret, discors a Mathildi fuit ipso
Tempore. Duravit modicum discordia talis.
Nam petiit partes Tuscanas rex; ibi tandem
Nobilibus quidam facientibus expulit iram;
Ad pacem firmam rediit bene cum comitissa.
Post istam pacem febre tactus — Iulius autem 1102.
Mensis erat — magnus moritur Chonradus, et annus
Tercius, Urbanus quod transierat memoratus.
Eius habet corpus Florentia florida prorsus.
Post hanc aestatem libet autumnum memorare
Qui venit, duros in quo Ferraria muros
Obsessos sensit, fuerat quia facta rebellis
Ipsa ducatrici, nec ei servire cupivit.
Contra quam gentes numero sine duxit et enses
Tuscos, Romanos, Longobardos galeatos,
Et Ravennates, quorum sunt maxime naves.
Circumstant equidem multae maris atque carinae,
A duce preclaro transmissae Venetiano.

53) claviger. LEIBN.

Considerans demum Ferraria, ne superetur,
Optavit pacem magnae Mathildis amare,
Vincere cui vivos est semper mos inimicos.

14. *Quod papa Pascalis ob piam tutelam domnae Mathildis direxit in Longobardiam venerabilem cardinalem Bernardum.*

Auxilio Petri iam carmina plurima fęci;
Paule doce mentem nostram nunc metra referre,
Quae doceant poenas mentes tolerare serenas.
Pascere pastor oves Domini Pascalis amore
Assiduo curans, comitissam maxime supra
Sepe recordatam Christi memorabat ad aram;
Ad quam dilectam studuit transmittere quendam
Pre cunctis Romae clericis laudabiliorem,
Scilicet ornatum Bernardum presbiteratu
Ac monachum plane, simul abbatem quoque sanctae
Ambrosiae Vallis[54]. Factis plenissima sanctis
Quem reverenter amans Mathildis, eum quasi papam
Caute suscepit, parens sibi mente fideli.
Qui vir caelestis tantum caelestia verbis
Et factis monstrans, exempla dabat bona coram
Omnibus, et dignum fructum Domino genuit tunc.
Illius nomen ducebatur procul ore
Multorum; cuius populus de nomine fultus,
Urbis Parmensis pars maior cum vehementi
Voto devote sanctum petiit seniorem,
Pergeret ut Parmam multis erroribus atram,
Quos procul errores pater hic depelleret ore.
1104. Annuit his dictis, cum conscilioque Mathildis
Speque fide fulgens clericis comitatus ad urbem
Aug. 15. Perrexit. Sanctae dormitio Virginis atque
In medio mense qui sextus noscitur esse,
Tunc celebrabatur, quo festo Parma beatur.
Maius ibi templum Mariae nomine fertur,
In quo plebs tota Christum Parmensis adorat.
Virque placens Christo patiens Bernardus in ipsum
Introiit phanum, missam cantare paratus,
Verba volens regni populo narrare superni.
Missam devote pro festi caepit honore;
Post euangelica plebi retulit sua verba,
Quae propter regem nonnullis displicuere.
Dum calicem sancta vir mitis ponit in ara,
Supplicet ut Christum pro cuncta plebe benignum,
Hinc clamor multus vulgi sonuitque tumultus;
Nam blasphemias caepit depromere diras.
Adversus Christum ceu Iudei crucifixum
Plures dicebant: *Moriatur pseudopropheta!*
Clamabant multi: *Seductor corruat urbis!*
Hic, aiunt, *intus regis stet non inimicus!*
Enses denudant, mulierum vox sonat uná:
Si sinitis vivum, regem perdetis amicum;
Non vivus vadat, cupitis si vivere! clamant.
Vitrea vasa cadunt, hastis franguntur in altum
Erectis; longe patris socii simul omnes
Fugerunt; abbas Tebaldus[55] maximus astat
Cum patre solus ibi, cervicem monstrat et infit:

54) *Vallombrosa.*

55) Brixellensem fuisse, mihi paene certum videtur. MUR.

Cede meum collum! mortem gratanter hic opto. 1104
Mox frameam quidam per collum traxit ob iram Aug 15
Illius, parvum sibi fecit vulnus et artum.
Intrepidus stabat laeta facie super aram
Christi Bernardus patiens sapiens venerandus.
Cum vidit vulgus ridere suum quasi vultum,
Clamavit dicens: *Speciem zabuli gerit iste;*
Tollatur statim, tundatur carcere, flagris.
Iniecitque manum super ipsum civis avarus[a],
Et foris asportant[b]; heu! missa relinquitur orta.
Non dominae magnae dormitio Virginis almae,
Non altare Dei, sed nec reverentia Petri
Terruit hanc gentem pharisaica facta sequentem.
Cappellam totam quam prebuerat preciosam
Huic domno digno comitissa Mathildis, in ipso
Templo confestim rapuit plebs pessima, fregit.
Nuncius e multo vicino, mane secundo Aug 16
Scilicet, ad grandem comitissam venit et hanc rem
Notificavit ei. Quae dans suspiria flevit,
Atque sui fortes athletae iussit ut omnes
Adversus Parmam deferrent insimul arma.
Fines tunc nempe retinebant hanc Motinenses;
Ut volucer velox cito pergens haec pia vero[56],
Parma die terna prope sensit eam; timet ex qua. Aug. 17.
Nobilibus vassis illius reddere statim
Iniuste captum studuit supra titulatum,
Et dominae cunctam cappellam reddidit, ultra
Non aliquid retinens, vitare pericla requirens.
Quae non vitasset, nisi vir patiens adamasset.
Civibus indulsit comitissa Mathildis et urbi
Iussu Bernardi, cuius pietate remansit.
Mille Dei nati tunc centum quattuor anni.

15. *De obitu regis Heinrici.*

Dictus iamdudum rex quo sit fine solutus,
Scilicet Henricus, volo mundi discat amicus;
Cum scierit, noscat faciendum quid sibi constat.
Rex suprafatus vivens erat illaqueatus
Actibus in pravis, semel at se dissimulavit
Converti; pleno quod fęcit corde veneno.
Scismaticos semper coluit tenuitque libenter.
Hinc exardescens minor eius filius, enses Dec.
Elevat adversum genitorem, tollere regnum
Quaerit ei, duram secum comittere pugnam
Non piguit campi, quem bellando superavit.
Mesticia multa per totum tempus habundans,
Undique confossus, quassatus, et undique tortus,
Mortem non sperans, demum tamen ipsa catena
Mortis eum strinxit; rapuit de corpore tristi.
Augusti quarto defungitur Idus, in anno
Christi milleno centeno denique quinto 1106.
Ad templum Spirae dormit, quod struxerat idem. Aug. 7.

16. *Congrua exhortatio Pascalis papae.*

O Petre Paule duces orbis, caput omnis in Urbe!
Insectatores vestri ducatus homones

a) silensis i. e. singularis pro plurali *adscripsit corr.*
b) asportat 3.

56) Nominativus absolutus.

Penna corvina loca iam peragrant peregrina.
Haec alba penna vos papae mittite verba:
O pastor rector Pascalis summe sacerdos!
Nunc meditans[a] *tracta, prudenter duc tua facta.*
Aecclesiam Christi de regno mortis abissi
Ereptam gaude, stet ut aspice libera caute.
Illius pacem non ulterius violare
Ullus presumat! caveat pater hoc tua cura!
Velle tuum firmum super illum stet crucifixum,
Qui semet morti pro sponsa subdidit hosti.
Tu, cui commisit Christus sponsamque reliquit,
Prospice perfecte commendatam tibi semper;
Reddere festina sponso sponsam sibi dignam.
Ferto prius mortem, male quam violetur ab hoste.
Nullus eam raptor rapiat tibi, nullus amator
Falsus seducat blande virtute nec ulla.
Scit dominus Christus, quia si steteris bene firmus,
Libertas sponsae nunquam minuetur ab hoste.
Omnis nunc Roma sub te, regnique coronam
Nemo ferre valet, tribuas nisi tu sibi plane.
Qui gestabit eam sine te — preceptor habenas
Tu regis atque tenes — vacuus poterit remanere[b].
Dum falsus quidam sponsam lacerare benignam
Non timuit, tecum plures vigilare studerunt.
Inter quos promte Mathildis filia sponsae
Pervigil et fortis, perversos sepe remordit;
Fervida bella nimis cum rege potenter inivit;
Nam per triginta duravit tempora firma,
Nocte die bellans regni calcando procellas.
Finis adest guerrae, requiem rogat ut sibi prestes.
Si tibi crescet opus, nunquam deerit tibi robur
Eius, et agnosces quia Petri non amat hostes.

a) *ita corrector, prius* medita.
b) remeare 2

17. *De adventu papae Pascalis in Longobardiam, et in Gallias.*

Post obitum regis pretaxatique Guiberti
Aecclesiae sanctae pax caepit crescere valde;
Errores cessant, redeunt et vera neglecta,
Adversus papam contra sedemque beatam
Ausus nullus erat consurgere, sed reticebant.
Optabant omnes, ut pergeret ipse per orbem
Corripiens, solvens, medicans contagia, sordes.
Tale videns tempus Pascalis papa verendus,
Exiit a Roma; quem plebs satis omnis honorat.
1106. Longobardiam devenit ad hanc comitissam,
Cui venerare patrem iugiter mos extitit alte.
Haec est Mathildis, quae gaudens obviat illi,
Laetitia multa papam suscepit. Habundans
Omnibus ipsa bonis, regni decus est et honoris.
Oct. Iuxta tuncque Padum tenuit sinodum memoratus
Papa; suum missum direxit natus ad ipsum
Defuncti regis, quaerens ut ius sibi regni
Concedat; sedi sanctae cupit ipse fidelis
Esse velut matri, subici sibi vult quasi patri.
Regis legati pater almus verba beavit.
His aderat dictis cum multis alta Mathildis,
Quae laudans regis pia missi verba petentis,

Responsum patris cūm cunctis magnificavit. 1106 Oct
Tunc veniunt cives Parmenses, pontificisque
Summi devote quaerunt reverenter amorem,
Ut tribuat Parmae pastorem corde rogantes.
Pontificem Parma petit illum quem spoliarat
Olim Bernardum, monachum valde venerandum;
Ecclesiam Parmae Mariae virginis almae
Urbs eadem patrem rogat hunc ut nunc quoque sacret.
Laetatur papa, quod filia pessima Parma
Dedita nonnullis erroribus, insita nugis,
Ad gremium dignae matris rogat ipsa redire.
Tunc erat et mensis, qui scindit rura iuvencis;
Annus millenus centenus sextus habetur;
Castrum Guarstallae[57] sinodi locus extiteratque.
Inde pius papa discedens ad memoratam
Advenit Parmam, faciens ibi quaeque rogarant.
Nam sacravit ibi templum Christi genitricis, Nov. 4.
Dans ibi decretum, ne subiaceat nisi Petro,
Clavigero caeli, simul ipsius quoque sedi.
Hoc venit templum Mathildis ad aspiciendum;
Donum tale dedit, placuit quod maxime plebi.
Pontificem sacrans Bernardum tunc ibi papa,
Iussit eum papae vice sancti degere Parmae.
Hincve valedicens dominae sepissime dictae,
Francigenos fines petiit venerabilis idem.
Fructificans multum spacium per temporis unum
Illic, post annum rediit retro pastor amandus. 1107. Aug.
Eius ad obsequium Mathildis mox reperitur
Promta; loquens secum, Romam rediit cito presul. Dec.

18. *De legatis, et de primo adventu quarti Heinrici regis in Italiam.*

Rex novus exaltans tendensque suas procul alas. 1110.
Bellando terras superabat et inclita regna.
Quartus hic Henricus prudens est calliditatis amicus.
Qui contra Petrum sanctum fore ne videretur,
Mille decem centum Christi dum tempora crescunt,
Pontifices magnos comites direxit et altos
Magnificam Romam, pro regni quippe corona.
Filius esse Petri si vult rex atque fidelis,
Papa *dabo Romam* respondit *eique coronam.*
Dum redeunt isti seu perrexére, Mathildis
Ipsos suscepit, dedit illis plurima; laeti
Ad iuvenem regem postremum qui rediere.
Ipse manum fortem coadunans mox, in eodem Oct.
Scilicet anno, cum multis galeatus in ortu
Autumni venit, Longobardosque peremit,
Ardens, devastans illorum maxima castra;
Urbes munitas eius perterruit ira.
Urbs ipsi gestit fieri Novara rebellis;
Flammis succendit quam, muros post quoque fregit.
Aurea vasa sibi nec non argentea misit
Plurima cum multis urbs omnis denique nummis.
Nobilis urbs sola Mediolanum populosa
Non servivit ei, nummum neque contulit aeris.
Italiae nulla comitis domus aut ducis ulla
Repperiebatur, de qua rex pretitulatus

57) *Guastalla.*

1110. Multum curaret, quia quibat eas superare.
Sola Mathildis erat, quae regem semper habebat
Exosum multum, certaminibusque repulsum.
Arcibus in claris stabat tunc ipsa ducatrix.
Ultramontani proceres multi quoque clari
Ad quam venere, miraturi mulierem,
Pace laborabat pro cuius rexque flagrabat.
Usque Tari ripam venit rex pace petita.
Tunc valide docta linquens comitissa Canossam,
Forte vel[59] excelsum pervenit Bibianellum.
Regis cum missis magnis ibi plurima dixit,
Et de pace loquens, de regis honore suoque,
Utraque pars tandem pacem laudavit eandem;
Sed contra Petrum non promisit fore secum.
Dec. Francigenam stratam[60] tenuit rex, pace peracta,
Transivit certe tunc incipiente Decembre
Montem Burdonis, Tuscanae fluxit in horis.
Gens trepidat cuncta, nummos sibi datque tributa,
Ceu Longobardi, sic Tusci sunt tremefacti.
Dec. 25. Cum Florentinis celebravit denique Christi
Natalem; densas plebs haec sibi contulit escas.
Urbis Aretinae muros ruit ussit et igne.
1111. Febr 10 Idus in quarto Februi Romae fuit, almo
Pascali papae mandans, quia vult venerare
Ipsius iussum, nec episcopium cupit ullum
Vendere, prebere, nisi dux pius ipse iuberet.
Exultat Roma concurrens undique tota.
Papa, sacerdotes, levitae, plebs, ob amorem
Regis, maiores, iuvenes, pariterque minores,
Femineus sexus, monachi, monachae quoque centum,
Lampadibus multis cum claro lumine sumptis,
Antiquo more processio regis honore
Facta fit extensa, nummis eius cooperta.
Febr. 12. Intrarunt templum sancti Petri reverendum.
Rex altare petens humilis satis et bene clemens
Ibat per scalam, pedeteptim, crura plicabat;
Ad summam scalae sua porrigit oscula papae.
Investituram super aram construit unam,
Ecclesias nummis quod nunquam venderet ulli;
Non investiret, iubeat nisi papa benigne.
Hincque triumphabat plebs, clerus, maxime papa.
Cumque parat papa dare regi quaeque rogarat,
Ut veniat mandat; rex distulit, abdita tractans.
Nam zabulus, priscus hominum seductor iniquus,
Invidia fervens de regni pace, repente
Perfidiae semen iaciens, turbare fideles
Diligit ardenter; sunt quaeque statuta decenter,
Mox elisa nimis fiunt; rex sic quoque dicit:
Priscorum morem cupio regumque decorem;
Nolo det ut solam michi domnus papa coronam.
Anulus ast fustis per me detur volo cunctis
Presulibus nostri regni, ceu mos fuit olim.
Hoc sibi nequaquam voluit concedere papa;
Ducere quem fęcit rex, hospicioque recepit.
Nox accedebat, cum talia rex faciebat.
Pontifices, cives plures capiuntur ibidem,

59) i. q. et.
60) Aemiliam ut II, 1. MUR.

Atque cruces sanctas rapiebat gens Alemanna; 1111. Febr. 12.
Ebria gens ista nescit Christi pia dicta.
In lacrimis latis[a] vertuntur gaudia pacis.
Nocte cohors cuncta simul est Romana locuta.
Surgunt mane spatis, clipeis et equis falerati; Febr. 13.
Concutiunt hostes Alemannos corpore fortes,
Cedunt, occidunt et eos penitus quasi vincunt.
Sed flagrant erga nimis horum quippe zabernas[61];
Insimul ex armis et denariis honerati
Plus adamant nummum, quam bellum vincere sumptum.
Longobardis nimis est rex tutus hic armis;
Ipsum circundant, Romanis viscera truncant[b].
Rex eques electus, celeris[c] quo nemo repertus,
Astitit ipse suis, cives contrivit et urbis.
Interitu quorum facto nimio populorum
Romani caeptum perdunt miserabile bellum.
Rex vero papam tenuit vi, pace negata.
Cum reliquis captus Parmensis erat venerandus
Bernardus presul, Christi de dogmate plenus,
Atque Bonussenior Reginus episcopus; illo
Simplicior credo reperitur nemo sacerdos.
Pro quibus audacter vir facundissimus atque
Nobilis Arduinus[62] Longobardusque peritus
Atque fidelis vir missus dominaeque Mathildis
Alloquitur regem, pactum memorans comitissae.
Continuo quos rex sinit ire Mathildis honore.
Rumor erat mundo de capto presule summo;
Qui propter cives, quos secum ceperat idem
Rex, metuens mortem paterentur ne simul omnes,
Dum festum paschae venit, tribuit sibi pacem,
Urbem Romuleam sibi subdens, et diadema
Ipsius capiti ponens, unguit, benedicit. Apr. 13.
Ultima lux mensis primi tunc pascha revexit
Numinis undecimo centum post mille sub anno.
Augustus plane dedit inclita munera papae;
Gaudens sed fessus, nec non exercitus eius
Exiit a Roma; Tuscanas transiit horas
Recte frena regens equitans, non extrahit enses.
Longobardorum regnum petiit spaciosum,
Illustresque duces ipsum regem preeuntes,
Valde nutriti resalutavere Mathildim.
Pergere nec cesar sapiens usquam cupiebat,
Respiceret faciem nisi iamdictae comitissae.
Cum iam caepissent transire dies Madii sex, Mai.
Ipsemet accessit; scit eam fore Bibianelli.
Theutonica lingua referunt pariter sua dicta;
Non erat interpres ullus sibi quippe necesse.
Huic promsit similem se rex nunquam reperire.
Cui Liguris regni regimen dedit in vice regis;
Nomine quam matris verbis claris vocitavit.
Tresque dies secum faciens, firmum quoque foedus,
Omnino laetus, crescens iugiter quasi cedrus,
Ivit cum magnis ultra montes Alemannis.

19. *Quo timore Mantuani ad fidelitatem domnae Mathildis redierint.*

Gloria Christe tibi, cuius virtute Mathildis
Ex toto victrix manet omnibus ex inimicis.

a) *ita corrector, prius* magnis.

61) arcas seu armariola. MUR.

b) Long. — truncant *corrector postea in margine adiecit.*

c) *ita corrector, prius* ceu . . .

62) de Palude, filius Guidonis. MUR.

Nam proceres plures, comites superavit et urbes;
Regem contempsit, cum secum proelia gessit
Marchia nolendo sibi paruit atque volendo;
Mantua crudelis sibi devetat esse fidelis,
Annos viginti per quattuor atque reliquit,
Quod sibi non servit, sed proditione superbit.
Protulit edictum quocirca maxime dirum
Rex scriptus supra, quod sprevit Mantua dura.
Qui staret quanquam cum forti gente Lemanna [63],
Cessat legatos tamen haud sibi mittere claros
Inclita Mathildis cum muneribus bene dignis;
Glorificat cesar donis et eam vice versa.
1114 Accidit interea tribulatio maxima quaedam,
Quae turbat terram, pravorum corda revelat,
Atque voluntates reseravit et impietates.
Dissice Christe vias tales, abrade ruinas,
Exaudi miseros Deus, audi noster egenos,
Atque ducatrici vitam concede Mathildi!
Cum morietur enim, denudabuntur egeni;
Aecclesiae sane fient graviter spoliatae.
Hoc proceres credunt se facturos humiles nunc;
Latro latroni dabit auxilium quasi proli;
Predo predonem leo rodet ut ore leonem.
Visi sunt flores; quid agent quandoque latrones?
Hactenus en vivit prudens comitissa Mathildis,
Sed nimis infirmam Baruncio Mons [64] tenet ipsam.
Pullulat hinc lolium, segetem suffócat iniquum.
Undique funesti concurrunt atque protervi;
Defunctam dictam supra referunt comitissam.
Hoc verbum credunt cives, quos Mantua secum
Semper habere solet; mox priscam proditionem
Ut renovent, tractant, exquirunt atque Ripaltam [65].
Cuius custodes perculsi quippe timore,
De propriae valde dominae vita dubitantes,
Seque suas proles, sed non tamen absque tenore
Ad populi votum subdunt, castrum quoque totum.
Tale fuit foedus: si viva Mathildis habetur,
Non adversus eam castrum retinere volebant.
Sed nimis absque fide sunt usi vivere cives;
Nam sub se castrum postquam videre redactum,
Clam male disponunt ipsum comburere totum.
Interea prudens presul Manfredus ad urbem
Venit; quod vivam dimisit ait comitissam.
Ad cuius dictum populus commotus in ipsum,
Esset ni clarus, de grandi stirpe creatus,
Credo manus in eum misissent; sed timuere.
Non timor hos regis cohibet, foedus neque gentis.
Castrum, ceu dudum cupiebant, funditus urunt;
Effringunt turres, lapides portantur ad urbem.
Per mensem — dampnum! — scelus hoc non fit patefactum
Infirmae dominae, fieret ne causa ruinae.
Aug. Mensis erat sextus, nimis in quo proficit aestus;
Vix sed sanatur sustentatrix viduarum,
Quae degant caste, comitissam vivere captent [66],
Rusticus atque manu sulcando ducat aratrum,
Tauros atque domet, pascat, tuteque laboret;

63) Alemanna ut supra c. 6. LBN.

64) *Monte Baranzone* in montibus Mutinensibus. MUR.

65) *tertio ab urbe Mantuae miliario* epitomator Lucensis; *de episcopatu Mantuae* epitomator Estensis. MUR.

66) i. e. *optent*. MUR.

Carpat iter tutum vivens haec atque viator[67]; 1114
Eridani cesset pyratam nauta timere,
Presentem vitam donec fruitur comitissa.
Quae dum scit, quantum sibi fęcit Mantua dampnum.
Dicit: *Adest certum, pereat quo Mantua, tempus.*
Offensas diras urbs emendabit iniqua.
Scutatas gentes disponit et arcitenentes
Celsas ac puppes armatas hanc super urbem.
Dum nova fiunt haec subito vulgata per urbem —
Urbs avibus dives, degit sed gens ibi triplex[68], —
Ocius explorant quid agant, simul atque laborant.
Bellum ferre libet, pars quaedam dicit inique;
Nostis nos usos fore sat defendere muros.
Pauperior quaedam se pergere pars ait extra.
Talia iactantes dictis ac stulta putantes,
Pars melior surgit, iuvenes affatur et urbis[a]:
Vos iuvat, o pueri, rapto ceu vivere predis;
Sed pudeat, pueri, nos obsidione teneri.
Advena vult miles nostras incidere vites,
O iuvenes fortes, fugiat discordia longe!
Pars eat ad veniam nostrorum, supplicet illam,
Nos omnino decet cui laetius esse fideles.
Haec pars exhortans melior, fortissima corda Oct.
Mollescunt iuvenum; vicit concordia demum.
Accedunt timide, poscunt veniam comitissae.
Illa solo fixos oculos aversa tenebat;
Non audire preces tales omnino volebat.
Missi lenibant animum, sicut sibi quibant:
Nostras offensas nobis generosa potestas
Quaesumus indulge; nostram tibi pandimus urbem.
Cuncta tibi iuret plebs quae versatur in urbe.
Dictis istorum pariter procerumque suorum
Vix dedit assensum. Quin urbs affert sibi censum,
Atque sacramentum minimus populusque superbus
Fęcit in urbe sibi; facti sunt eius amici
Atque velint nolint, soliti fuerant velut olim.
Hoc etenim pactum Bundeni noscitur actum:
Tunc erat October, prope finem curreret usque
Computus annorum Christi texatur et horum
Quatuor atque decem centum quoque mille recedunt.

20. *Quod erga Dei cultum domina Mathildis intentissima fuit.*

P alma velut florens Mathildis pollet honore.
R amos et frondes ceu tempus palma per omne
E x toto servat virides nimis intus et extra:
S ic viget huius honor. Ne deficiat, Deus, oro.
B aiulat haec parvos, inopes sustentat et altos.
I sta sacerdotes de- Christi -vincit amore.
T empore nocturno studiosius atque diurno
E st sacris psalmis ac officiis venerandis
R elligione pia satis haec intenta perita.
H erent semper ei sapientes maxime cleri.
V estibus et vasis pretiosis rite sacratis
N ullus ea presul studiosior invenietur.
C opia librorum non defuit huicve bonorum;

67) i. e. *atque viator carpat iter tutum, hac vivente.*

68) Ex Virg. Aen. X, 201, in derisionem Mantuae paullulum noster immutavit. MUR.

a) *hic 4 inserit versum:* Vos iuvat o pueri nos obsidione teneri?

L ibros ex cunctis habet artibus atque figuris.
I mmemor est nunquam servare statuta secunda.
B ella Dei gessit; victrix ob id extat inhermis.
R es, paradyse, suas sanctis pro te dare curat.
V ota sui cordis caeli complete coloni:
M axime tu princeps Petre, cui sua cuncta relinquet,
F luctibus impulsus ponti saccoque reclusus
I lle beatus vir levitaque Cesarius, sit
N ullatenus tardus, sed sit promtissimus almus
X pisti clementis rogitator, ut ista supernis
I n domibus vivat, baratri non sentiat iram.
T empla, sacerdotes, levítas ipsa decóret[70]
M artyris istius, caepisse quod optime scitur.
O lim iam plene facit aecclesiam renitere;
N am cluit ex auro cluit argentoque decoro;
A mplas cui terras, libros, et pallia, gemmas
C ontulit, aecclesias scit iam transcendere primas.
H uius opus musa sic est Canusina locuta;
U sque quo mundus erit, sit ut haec hera provida quaerit.
S anctus Apollonius, Victorque, Corona, Quirinus,
Q uaerant ante Deum, Mathildis ut ista beetur
V ita caelesti, pascatur pane perhenni;
E rga quos rectum det amorem more parentum.
D iximus inprimis nos de dictamine libri;
O re manu si quid inhonesti scribere visi
N os essemus, item dominae peteremus eidem
I n libri fine, patienter ut ipsa feriret.
Z elus perflagrans fęcit nos promere tanta.
O fficium dictant nostrum metra nomen et ista[71].
FINIS ADEST LIBRI, DOMINUM LAUDEMUS AMICI.

70) i. e. *decore ad finem perducat, quod iam incepit.*

71) per acrostichon scilicet: *Presbiter hunc librum finxit monachusque Donizo.*

De insigni obitu memorandae comitissae Mathildis.

Cogitat et tractat vir, sed Deus ordinat apta.
Dictavi binos nuper cum carmine libros,
Quos ego Mathildi comitissae mittere dixi;
Patres illius codex loquitur quia primus,
Ad laudem cuius manet editus atque secundus.
Frivola vitavi; quae scripsi, vera probavi.
Laeticia mentis libros dum necto tabellis;
Nuncius advénit, qui me nimis obstupefęcit,
Dicens extinctam pretaxatam comitissam.
Vires diruptae michi sunt, subitoque medullae,
Palpebris dulcis somni dormitio fugit;
Viscera frigescunt, simul ossa caroque[a] liquescunt,
Quaeque laborabam, sunt e manibus vacuata.
Haud nocet illius michi mors, tantummodo scitur;
Officit omnino recte viventibus immo.
Sunt ubicunque boni, fuerant sibi maxime noti.
Nam qui trans pontum seu Galliciae remorantur,
Christo iure preces ex ipsa fundere sepe
Curabant, missos sibi mittebantque benignos.
Eius noticia patriarcha Hierosolimita,
Ipseque Romanus, Constantinopolitanus,
Laetabantur ita, quod ei sua propria scripta
Mittere sollerter studuerunt atque decenter.
Omnis honorque decus tunc Italiae ceciderunt,

a) *in ras. corr.*

Dum defuncta cadis Mathildis clara ducatrix.
Vicisti reges tibi cunctos atque rebelles;
Conscilium que tuum necnon rutilum quoque vultum
Totius terrae cupiebant noscere gentes;
Quis[a] responsa dabas. omnes et honorificabas.
Stabant ó quanti crudeles atque tiranni
Sub specie iusta, noscentes te fore iustam;
Qui dissolvuntur iam, pacis foedera rumpunt.
Aecclesias spoliant nunc, nemo vindicat ipsas.
Si quis se forsan, tutor[72] quod sit quasi, monstrat,
Aecclesiae partem terrae grandem prius aufert.
Morte tua purus, Mathildis, deficit usus.
Nam solito miles domino studet altius ire.
Deviat a recto gressu iam clericus ergo.
Dives edit sumptus, quos pauper habebat in usus.
Fiunt diversae mundi per clymata sectae,
Quas ó Mathildis prohibebas rite malignis.
Causa tuae mortis scribatur, ut audiat orbis,
Ut tua vita cluit, mors sic tua laude refulsit.
Dum bis quarta manet indictio, iungitur atque 1114.
Virginei partus qui currere caeperat annus
Millenus quintus decimus centesimus[72*], illum
Natalem Christi voluit celebrare Mathildis
In quodam pago, Bundeno[73] nempe vocato.
Octavoque die Roma veniens pater ille,
Relligione super cunctos qui maxime lucet,
Scilicet inspector Cluniáci Ponzo sacerdos,
A domina tanta susceptus ut inclitus abbas.
More suo sanctis surgens cantare sinaxim
Nocturnam: magnus licet algor stringeret artus,
Devote gracilis surgit tamen ipsa Mathildis,
Auribus intentis capiendo verba canentis.
Extensos cantus non deseruit sibi gratos.
Frigore percussa, doluit nimis ilico gutta,
Vixque die mansit patris ad missam venerandi.
Cumque dies luxit, fuit in qua tinctus in undis 1115. Ian. 6
Christus, et in stella paganis se manifestat,
Ac liquidas vertit latices in odore Falerni[74],
Prescripti patris manibus vix ducta ducatrix
Audivit missam, licet[c] egra remansit ad ipsam.
Languida grabato redit officio celebrato.
Abbas dumque sibi comeatum[75] plane petivit,
Ipsa suis fidens precibus, donavit eidem
Pallia, sacratas vestes, argentea vasa,
Atque crucem sanctam, pulchre gemmis operatam.
O cultrix Christi, quantum studiosa fuisti!
A te non ullus vacuus discessit homullus.
Si Domini certum quisti fore discere servum.
Cum venit tempus, quod ieiunat quoque Iesus,
Ieiunare volens haec debilis eius amore,
Pontifices adsunt, prohibent ieiunia, tantum
Ingentes agapes sibi precipiunt dare large.
Pontificum dictis Mathildis paruit istis;
Quis[d] confessa fuit lacrimis sua debita puris,
Iure stolis quorum solvi meruit seniorum.
Interea languor cum non cessaret ab alvo

a) pro quibus *glossa*.

72) advocatus ecclesiae. MUR.

72*) Incipit igitur annum 1115 iam a nativitate Domini quae nobis est 1114.

73) Bundenum de Roncolis dioec. Regiensis. Sed in Ann. Mutinensibus obiisse dicitur *in comitatu Mutinensi, in loco qui vocatur Bondenum de Diacono, ubi edificavit quandam ecclesiam, dum in infirmitate iaceret, ad honorem sancti Iacobi ap. iuxta parietes cuius migravit de hoc seculo.* MUR.

74) Canae in Galilaea.

c) *in ras. corr.*

75) *congé.*

d) pro quibus *glossa*.

1115 Illius, inde timens dedit aecclesiis sua vivens.
Amplificare studens tunc aecclesias bene plures,
Non est oblita quin aecclesiam Canusinam.
Semper cara sibi fuit illius atque propinquis;
Eius quocirca tribuit sub iure Filinam[76]
Egregiam curtem, dantem fruges sat habunde.
Innumerosque suos famulos iubet haec hera cunctos
Ingenuos vitae post ipsius fore finem.
    Egra iacens septem per menses haec eademque
Ante domum lecti, recubabat ubi iugiter sic,
Iussit honore Dei Iacobique pii Zebedei
Aecclesiam parvam fieri, fuit et cito facta.
Officii vestes et agros ad pabula mensae
Obtulit huic gratis, hanc presul quando dicavit.
More suo missam recubans audivit in ipsa.
Huius mortales exemplum discite tale,
Quae Christo vivens moriens servivit eidem[a];
Sex deciesque novem vivens annos in honore,
Iulius ante dies octo quam det prope finem;
Scilicet ante diem celebrem Iacobi Zebedei.
Corpus ei Christi pariterque crucem crucifixi
Porrexit presul Reginus corde serenus,
Quique Bonussenior proprio fit nomine dictus.
In manibus cuius comitissa Mathildis ab huius
Iul. 24. Erumpna secli iugiter memoranda recedit.
In cruce nam Christo sua figens oscula dixit:
Te colui semper, mea nunc rogo crimina terge.
Accipiens Christi corpus venerabile dixit:
Semper dum vixi, Deus hoc scis, spem tibi fixi[b];
Nunc in fine meo me salvans suscipe quaeso.
Sic orans migrat mox haec sapiens comitissa.
Quanquam credamus, Deus huic quod sit miseratus,
Ipsum nemo tamen sit qui non postulet alte,
Ut sibi concedat paradysi gaudia vera.
Te, Benedicte pater, moriens haec curat amare,
77 Cenobiumque tuum[77] ditatur corpore cuius;

76) Felina in agro Regiensi. MUR.

a) servivit e *in rasura corr.*

b) hoc scis spem tibi *et* xi *et* meo *et* ns *in rasura corr.*

77) Polirone. Epitomator Padolirensis haec habet: *Mausoleum ostenditur in monasterio S. Benedicti de Padolirone Mantuanae diocesis, a quodam Tedaldo Bonifacii patre genitoris comitissae iuxta Padum fundato, quod a Mantua decem miliariis distat, in quo dicitur et creditur tumulata. Est enim grandis arca lapidea ex candidissimo ac limpidissimo alabastro, quae ob eius memoriam in magna reverentia servatur. Ipsum quidem coenobium, ab avo eius constructum, amplissimis dotavit possessionibus, et aureis argenteisque vasis et palliis ac etiam paramentis pretiosissimis ditavit pariterque decoravit. Ibi etiam libellus habetur in thesauris reconditus, argento redimitus et auro, in quo haec historia metrice est descripta. Haec etiam comitissa, ut scribitur in cronicis, cum amplissimis abundaret possessionibus, et filio herede careret, totum patrimonium suum super altare sancti Petri obtulit, et Dei ecclesiam sanctumque Petrum sibi fecit heredem. Quod patrimonium hodie dicitur patrimonium S. Petri, quod est a Radicafano usque Ceperanum. Explicit historia memorandae comitissae Matildis.* His alius postea adscripsit: *Anno Domini* 1445 *die* 9. *mensis Augusti, qui est vigilia S. Laurentii, post vesperas translatum olim corpus magnae et nobilissimae comitissae Matildis, imperialis generis, quae fuit praecipua et singularis dotatrix huius monasterii S. Benedicti de Padolirone, post patrem suum Bonifacium marchionem, et post avum suum Thedaldum marchionem et fundatorem huius monasterii, quod prius steterat super octo columnas in ingressu ecclesiae inter primam et columnam secundam, a sinistris ipsius ecclesiae, quoniam iam pro magna [mole] ipsae columnae octo fractae erant; et collocatum fuit ulterius in sinistris iuxta parietem ecclesiae ex latere tumbae S. Simeonis; aperto prius tumulo ad certificationem veritatis coram reverendo domino Guidone de Gonzaga reaedificatore ipsius monasterii, et domino Eusebio abbate ipsius monasterii, ac conventu eiusdem monasterii et multis aliis, et comperto eodem corpore integro unico ac foemineo, et coram eis clauso, et est iuxta altare S. Iustinae.* Post haec in codice Vaticano 4887 haec etiam leguntur: 1109 *indict.* 3. *de mense Novembris fuit d. — ubi vulgo*

Cui prece demonstra caeli cognoscere portas.
In numero maior duodenario[78] Petre pastor,
Cui propriae sortem telluris subdidit omnem,
Valvas tu regni sibi prompte pande superni.
Edidit haec aedem tibi Iacobe, cumque iaceret;
Speremus quamvis, quod ob hoc ipsam bene sancis,
Maxime cum letum sit passa tuum prope festum:
Ut tamen accurras sibi poscimus ante tribunal.
Pastor Apolloni, Mathildim spernere noli.
Sit licet iniustum, quod respicit ipsa sepulcrum
Quod tua fert aedes[79], quo patres eius inherent:
Ast altare tuum tamen haec coluit quia multum.
Ante pium regem veniam sibi posce libenter.
Virgo Maria Dei genitrix, noctisque diei
Haec audire tuum non destitit officium; nunc
Fac ut te videat, tibi serviat et super ethra.
Omnibus in caelis habitacula qui retinetis,
Paruit in terris nimis haec in corpore versans;
Vos sibi nunc omnes requiei porgite sortem, Amen.

78) apostolorum.

79) Canusina ecclesia.

EXPLICIT CARMEN MORTIS COMITISSAE MATHILDIS[a].

a) *hic desinit* 4

Exhortatio Canusii de adventu imperatoris et reginae.

Pelle timores, non et honores candida Petra.
Tempora dudum prospera multum laeta ferebas,
Magna Mathildis quod tibi finxit tempore multo,
Et genitores nobiliores ipsius ultro
Te peramarunt et fabricarunt denique celse;
Progenies quae iam requiescens desiit esse.
Plangere cessa, gaudia specta, stabis honeste.
Caesar honorat teque decorat; sis sua semper.
Plangere noli, culmen honoris tu retinebis.
Alta Mathildis mortua vivit splendida felix.
Quae nova mater regna beata teque beabit,
Est super illam commemoratam nomine talis.
Cesaris hostes sint procul omnes! ipse beetur
Et sua coniunx fulgida prorsus vivat in aevum!

Padolirone vocatur, paucula quidem de vita Mathildis; tunc narratio de translatione S. Geminiani edita apud Muratorium VI, 90 sq. *Anno dom. inc.* 1106 *gubernante domno Dodone* — 8. *Idus Oct.* 1106. Anno 1634 iussu Urbani VIII clam inde ablata sunt ossa et Romae apud S. Petrum in sepulchro marmoreo Berninii arte sculpto recondita.

NARRATIO

DE LIBERTATE ECCLESIAE FABARIENSIS

EDENTE L. C. BETHMANN
BIBLIOTHECARIO WELFERBYTANO.

Sequens narratio auctorem habet monachum Fabariensem narratis non multum tempore distantem. Eius autographon non iam extat, sed descriptum fuit saec. XV. in. in libro aureo Sanctae Mariae Fabariensis, iam in archivis S. Galli servato, fol. 33, *unde hic sistimus opusculum in capita de nostro distinctum.*

1114. 1. Anno ab incarnatione Domini 1114[a] regnante Heinrico Romanorum rege, nefanda
nequitiae pestis exoriebatur, quae pullulans in maximam regni sui partem protendebatur.
Leges silent, vires totius impietatis vigent: odia, lis pacem, furor, ira fugant pietatem. Et
illud Maronis[b] aptissime convenit moribus huius temporis: *Nusquam tuta fides, non hospes*
1 *ab hospite tutus; nec frater in fratris fide permanet securus*[1]. Hac infelici tabe Ruodolfus
episcopus Basiliensis fraude diabolica deceptus et infectus, anxie die noctuque invasionem
Fabariensis loci meditatur, et causa, quae apta fieri tanto sceleri posset, sedulo quaerebatur. Causa tandem reperta, ut videbatur, regem praedictum adiit, ac castrum suum scilicet
Mart. Rapeltsten[2] tradidit pro advocatia, et sic infeodatur. Et post hoc statim legatos suos cum
litteris regalibus abbati Fabariensi[3], viro per omnia laudabili, ut exitus rei probat, direxit:
in quibus eum ad suum servitium venire quantocius praecepit. At ibi[c] litteris perlectis
abbas sic fertur dedisse responsum: *Ego quidem servitium non recuso subire, quod fraterno caritatis exigitur amore; locum vero quem liberum ex regalium testificatione praeceptorum regendum Dei gratia suscepi, nullatenus debeo alienae subicere servituti.* At nuntii episcopi
remeavere cum indignatione ad propria. Et abbas cum fratre Wicrammo regem praedictum
adiit, et litteris regalibus ac papalibus coram ipso evidentissime ostendit, talem ac tantam
libertatem sui monasterii nullo modo posse nec debere infringere. Et rex audiens constantiam ac probitatem et litterarum strennuitatem suorum antecessorum, denuo ipsi praefato
abbati ac monasterio suo omnes libertates eorum confirmavit et roboravit, nec non litteras
4 regias praedicto monasterio Fabariensi desuper tradidit[4].

a) MCXIIII *corr.* MCVIIII *codex fortasse ab ipso scriba.* b) Martionis *c.* c) ubi *c.*

1) Verba tria priora desumpta sunt ex Virgilii Aen. IV, 373; sequentia ex Ovidii Met. I, 144, ubi post *tutus* legimus: *Non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est.* 2) in Alsatia. Diploma imperatoris Rudolfo datum Basileae a. 1114 vide apud Herrgott Geneal. Habsb. II, 133. 3) Geroldo de Hirsaugia. 4) Non iam extant, nisi auctor innuit privilegium regis, quod habent Eichhorn Ep. Cur. 44. Herrgott Geneal. II, 130, iam d. 27. Maii 1110 Spirae datum. Quod si genuinum est, duo privilegia ab Heinrico V abbas accepit, alterum anno 1110 quod adhuc in archivis monasterii servatur, alterum a. 1114 quod nec in archivis nec in cartulariis iam repperitur. Eam ob causam Stöcklin, historiographus Fabariensis a. 1628, totam capitis huius narrationem a. 1110 adscribit; sed refragatur diploma illud a. 1114 apud Herrgott II, 133.

2. Nec post factum episcopus Basiliensis sic victus publice destitit ab hostili invasione Fabariensium, nec ipsi Fabarienses securi erant. Tunc abbas praedictum fratrem Wicrammum cum litteris totius rei ordinem referentibus Romam direxit, et frater prospere gradiens Romam pervenit, ac litteras domno apostolico praesentavit, suis etiam verbis acceptabiles easdem reddens, prout poterat. Deinde litteris perlectis omnes simul astantes incusant iniquam potentiam regis, ac nimiam episcopi detestantur avaritiam. Et apostolicus sic fertur fratri Wicrammo dedisse responsum: *Memento scriptum: „Saepe flebile principium melior fortuna sequetur*[a]*.“* Hiis et aliis monitis idem frater sufficienter instructus, cum litteris communi fratrum consilio ordinatis ad episcopum dirigitur, quatenus ab incepta invasione ferventi gladio oris sui hoc modo compescatur[b]: *Paschalis episcopus servus servorum Dei* etc. *Tibi, frater Rudolfe episcope, praecipimus, ut locum illum cum rebus suis omnino dimittas ab occupatione tua liberum et quietum. Alioquin nos te ut ab ecclesia alienum habebimus, donec ecclesiae praeceptis obedias, et ab illa penitus invasione et occupatione secedas.* Et frater Wicrammus cum gaudio remeavit ad propria.

1114. — Ovid Met. VII, 518

3. At ubi episcopo claruit, sibi adesse litteras contrarias, eas ter per diversos nuntios allatas recipere contempsit, hac putans occasione contemptoris praesumptionem posse evadere. Tunc abbas Geroldus saepe nominatus monasterii Fabariensis eundem fratrem, qui ab ipsius apostolici manibus verba ac litteras ad episcopum ferendas recepit, ad episcopum, licet tot nuntii fuissent repulsi, direxit, summopere satagens ipsi omnem excusationis locum denegari, si nec ab oppressione cessaret Fabariae. Et iterum episcopus recipere contempsit; ac nimio furore succensus, et ipsum coenobium aggrediens, adiunctis sibi sex comitibus cum suis satellitibus, et ipsum abbatem Fabariensem et suos subditos ac locum ipsum diversis modis non pertimuit contristari. Et post hoc episcopus diem placitum Turegi constituit, advocans etiam praelatos ac principes vicinos, nec non ipsum episcopum Curiensem, amicum suum. Sed abbas constans et imperterritus persistens cum suis fratribus, nullo modo consentientes iniustae alienationi, sicut nec debuere; et non convenientibus in unum, ipse episcopus legatos suos Romam dirigit ex una parte, et abbas Geroldus cum praedicto fratre Wicrammo etiam ipsum apostolicum aggredientes personaliter ex alia parte. Et tunc abbas litteras apostolicas, episcopo prius missas et ab ipso sic contemptas contra ius et fas, repraesentavit apostolico, insuper sic ait[c]: *Vestrae pietatis retractus iussione, nondum a nostra cessavit oppressione.* Cuius rei causae intererant etiam et legati episcopi, qui repulsi propter iniquam postulationem, et iniustam accusationem; et statim ex communi ac generali consilio praehabito domnus apostolicus in hunc modum litteras misit episcopo, apostolico signatas sigillo: *Paschalis episcopus servus servorum Dei* etc. *Quia pro querela fratrum Fabariensium nuper tibi litteras misimus, ut ab eorum infestatione desisteres, quas te nullatenus accepisse mirati sumus: nos igitur pro sedis apostolicae mansuetudine contemptus nostri patientiam agentes, secundas ad te litteras mittimus, rogantes ac praecipientes, ut ab illorum fratrum oppressione omnino desistas, et Fabariense coenobium cum locis suis ac possessionibus quietum dimittas. Si vero aliquam te confidis habere iustitiam, ante medium proximae quadragesimae, videlicet* 12. *Kal. Aprilis anno ab incarnatione Domini* 1115 *nostrae te audientiae praesentato, interim monasterii bona, quae abstulisti, restituens.*

4. Per idem tempus regem Heinricum grave in Francia oppressit infortunium[5]. Tunc quidam dixisse commemoratur, a quo potentia iniquae prosperitatis non ignorabatur: *Ne miremini eiusmodi occidisse prosperitatis dominium, quod non tuetur divinae dispensationis consilium, per quod incessanter videmus humilium exaltationem ac superborum ac maxime ecclesiarum Christi persecutorum perniciosam deiectionem. Hic enim imperator, de quo loquimur*[6]*, ut primum suo consensu permisit iniuste opprimi Fabariense coenobium, in labili fortunae rota usque ad ultima vitae suae dubius pependit tempora. A vestigiis cuius nisi redierit filius, hic factis digna consequitur praemia, eterna in futurum ultione reservata.* Dum haec et his similia per diversa vulgi ora referuntur, apostolica praecepta per idoneum ministrum Basiliensi episcopo traduntur, qui etiam multis sanctorum patrum institutis in medium prolatis fraterna nitebatur eum ammonitione a Fabariensium removere oppressione. Ille vero duro inflexibilior adamante, qui licet crebris ictibus malleorum pulsatus resultet, admota tamen

1115.

a) sequatur c. b) compescitur c. c) a c.

5) clades a Saxonibus accepta d. 11. Febr. 1115. 6) Heinricus IV, qui primus monasterium Fabariense Basiliensi episcopo Burchardo contulerat a. 1095; cf. Herrgott Gen. II, 130.

1115. vincitur arte; sed is in illorum numero, de quibus dicitur: „ut videntes non videant et audientes non intelligant,“ nec Dei correptus timore, nec apostolico perterritus formidabili terrore, ad viam veritatis noverat animum inclinare, aut mentis aciem a dira cupiditatis face poterat revocare. Unde ad callida convertitur argumenta, quibus suae malignitatis Mart. 12. iniqua credidit tueri posse molimina. Decem enim dierum spatio ante terminum utrisque constitutum, abbati videlicet et episcopo, apud villam Schafusensem quam plurimos amicorum ad suum colloquium convocavit, nec non episcopum Curiensem nomine Widonem ad eundem locum venire litteris suis enixe rogavit, in quibus quicquit placeret episcopo, se pollicebatur facturum super Fabariensi loco. Caeterum mens illius atris obcaecata nubibus longe ab his diversa, ut post claruit, meditabatur, omnique conamine nitebatur, qualiter abbatem a Romano palacio[a] retraheret, et a die utrisque apostolicis litteris constituta removeret; nec prius ab hac maligna cessavit intentione, quam certus redderetur voti, amicorum suorum promissione.

5. At vero abbas modo pulsatus terroribus, modo circumventus promissionibus, dum agnosceret adversarios suos artificiose satagere, qualiter voluntatem episcopi possent adimplere: non harundo quolibet spiramine agitata fuerat, set in se solide substiterat, quia nec terrore aspere insultantium concutitur, nec blandimento callide insidiantium seducitur. Verumtamen ut saepe ars deluditur arte, ita a se dubios episcopi removit amicos, vere ut se retraxisse abbatem a Romano itinere aestimarent, et hoc episcopo quasi praemia operis accepturi gaudentes renuntiarent. Ideoque episcopus ad eorum exhortationem Romam direxit litteras accusationum et reprehensionum plenas. Perlecta autem epistola eorum coram omnibus positis, unus eorum nequitiam episcopi caeteris execrans durius, huiusmodi alloquio usus est in medio: *En hodie dies pauci sunt lapsi, in quo abbas in nostri consistebat praesentia. Humilitatem eius non ignoratis, nec quam iniquam passus sit oppressionem dubitatis. Displiceat igitur Romanae sanctitati, quod idem episcopus necdum curat cedere veritati.* More autem solito sanctum convocatur[b] concilium, et quorum causa agenda fuerat, statuuntur in medium, abbas cum fratre Wicrammo, et legati episcopi Basiliensis.

6. Hiis ita altercantibus, supervenit Romam filius sororis domni apostolici[7], qui etiam fuit obses regis suprafati Heinrici. Qui cum agnovisset, quae vel qualis causa agebatur, coram apostolico accedens cum suis et sic exorsus affatur: *Hanc causam*[c] *Basiliensis episcopi et abbatis Fabariensis, quam inter vos quasi incognitam tractari aspicio, perfecte mihi cognitam vestrae sanctitati, si placet, patefacio. Dum enim pro Romana re publica sub nomine obsidis servirem in regali curia, Fabariensem abbatiam consideravi Basiliensi episcopo venundari suae ecclesiae pro quodam castro nomine Rapeltsten pro eodem loco versa vice dato; quam plurimis consilii sanioris gemitibus et contritione cordis super tam illicita re dolentibus, crebra haec iterantes attestatione, „quia locum eundem liberum fuisse cognovimus ex regalium praeceptorum testificatione.“* Ad haec dicta duo hi legati, nuper lata verborum facunditate ditati, iam humiles ac demissi, una cum vultus sui specie ipsa quoque mutabant verba[d], alba pallidiores herba; audierant enim aequisonam vocem omnium, gravi fremitu tale scelus condempnantium. Abbas autem cum fallaciter sibi imposita veraci vellet expurgare ratione, hac apostolica consolatur exhortatione: *Ne graveris,* inquit, *frater, in verbis istorum, quoniam apud nos non recipiuntur excusationes inimicorum, qui contrarie veritati, comprobantur servire falsitati. Tu ede potius, quis loci vestri fundator extiterit primus.*

7. Et abbas: *Fuit vir quidam sanctissimus nomine Pyrminius, qui ob venerabilis vitae meritum dignitatem pastoralis curae suscepit civitatis Mettensium. Ubi dum fidelis dispensator dominica bene et ordinate composuisset ovilia, quia lux vera in tenebris non potest latere, sed oportet eam in domo Domini clare omnibus lucere: hic nutu Dei ad maiora vocatus — audierat namque desidiam ac negligentiam episcoporum et aliorum praelatorum, et desidiosos esse in fide Christi, ita ut relicta religione verae felicitatis imitarentur ritum gentilitatis — hic sanctus Pirminius die noctuque cogitans, quibus medicaminum fomentis talibus subveniatur — noverat tamen statutum, ne quis praedicatoris sibi vendicet officium in alterius episcopi parrochia — tandem divino factum est consilio, ut beatae memoriae Gregorium secundum Romanum pontificem adiret, illique huius rei seriem pleniter insinuaret. Cuius iussu voluntario suscepit*

a) *ita correxi;* salacō *cod.; fortasse* solatio *scribendum.* b) convocat *c.* c) hec causa *et post* cognita *cod.* d) vā *cod. Quod nos dedimus, consonantia vocis* herba *exigit.*

7) Galfridus.

officium tanto iam tempore ardenter concupitum, videlicet ut ad quascumque civitates aut ad 1115. *quae loca perveniret, arva divini amoris igne carentia proscinderet, et semen verbi Dei diligenter excoleret. Non immemor igitur suscepti oneris, statim insudare coeperat fructibus boni operis, per diversa loca quam plurima monasteria constituens, Deo servientium et maxime monachorum utilitati congruentia. Inter quae dum pervenisset in provinciam Curiensium, Dei opitulante gratia Fabariense construxit coenobium. Ad cuius praedicationis iucundam vocem ac mellifluam exhortationem non solum populi adiacentis pagi convenere, sed etiam e diversis partibus doctrinae illius suavitate exciti certatim confluxere; quos omnes, ut cuique opus erat, desiderabili oris sui dulcedine repleverat. Multi itaque salubria sectantes illius monita, renuntiantes saeculo, spe perhennis vitae regulari se subdiderunt disciplinae, et quicquit facultatum vel possessionum videbantur habere, cum animo pariter et corpore eidem loco contulere. Hoc ordine, quo audistis, aedificatus est locus Fabariensis, nec regalium donorum est amplificatus magnificentia, ut in ipsorum praeceptis comprobabimus in huius sancti concilii praesentia.*

8. Continuo undecim praeceptis in medium prolatis, ac diligenti examinatione apostolico iussu perscrutatis, ea quae dicebantur ab abbate, regalia praecepta visa[a] sunt certissime confirmare, nullius potestatis in eisdem reperto iure, praeter quod eiusdem loci res imperatoria tuitione semper permanere debeant securae. Ad hanc privilegiorum testificationem hii duo legati, qui nihil simile habebant, nimis perturbati, invicem oculorum nutibus se instigabant, dubii et incerti, quid ad haec respondere valeant. Tunc cancellarius apostolici[8] ipsos legatos ita alloquitur coram omnibus: *Una nobiscum audistis, fratres, quanta auctoritate regalia praecepta fratrum istorum concordant dictis. Quae si potestis, domini vestri privilegiis obtundite, et in nostri praesentia veris argumentis contemptibiles reddite.* At illi nulla convenientia respondentes, sed modo hiis modo illis nugis omnia confundentes; quorum ambagibus quidam sic occurrens ait: *Frater, fracta est navis tua in medio mari.* Tunc totum concilium diu ac subtili revolventes indagine, et qualiter locus Fabariensis ex fidelium oblationibus sit constitutus, et per regalia praecepta ab omni iniqua potestate praemunitus: omnium communi sententia iudicatur, ut eundem locum apostolica dignitas sua etiam auctoritate in perpetuum tueatur. Haec statuta domnus papa munimine apostolicae praemuniit auctoritatis, praesentibus episcopi legatis, litteris subtus inscriptis eidem Basiliensi episcopo directis: *Paschalis episcopus servus servorum Dei* etc. *Et quia regum et imperatorum praeceptis statutum est, ut abbatia illius monasterii Fabariensis libera sit, nec alicui regum vel imperatorum liceat eam vel res eius alienare: quam ob rem nostro et fratrum nostrorum iudicio diffinitum est, ut abbatia in sua permaneat libertate. Quare quae per te illis ablata sunt, restituenda praecipimus.*

9. Episcopus vero cum didicisset ex litterarum apostolicarum diffinitione et legatorum suorum testificatione, nulli mortalium licere liberam causam a suae libertatis statu alienare, nulla ulterius temeraria praesumptione Fabariensem locum praesumpsit inquietare. Tunc abbas sequenti anno duos fratrum suorum, Wicramum videlicet et Hugonem, Romam di- 1116. rexit, qui reddendo gratiarum actionem magnificarent Deum ob loci sui sanitatem misericorditer receptam per apostolicam pietatem. Quorum legatione ab ipso summae sedis antistite benigne recepta, et causa eorum adventus in medio fratrum exposita, unanimi acclamatur voce omnium, eiusmodi virum tanta sapientiae ac discretionis virtute praeditum debere in sinu matris ecclesiae foveri et ab omni adversitate potentia Romanae dignitatis tueri. Ideoque communi consilio praedicti nuntii in sua remissi sunt ovantes, cum hoc privilegio:

10. *Paschalis episcopus servus servorum Dei dilecto filio Geroldo abbati monasterii sanctae* Ian. 29. *Mariae Fabariensis, eiusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Sicut iniusta petentibus nullus est tribuendus effectus, sic legitima desiderantium non est differenda petitio. Proinde nos, fili in Christo karissime Gerolde, tuis petitionibus annuentes, beatae Mariae Fabariense monasterium, cui Deo auctore praesides, auctoritate apostolicae sedis munimus. Definitionem igitur, quae super controversia inter te et Basiliensem episcopum Rudolfum habita in tua et legatorum eius praesentia, qui ab eo ad causam ipsam agendam missi fuerant, fratrum nostrorum episcoporum et cardinalium iudicio facta est, videlicet ut abbatia vestra in sua semper libertate permaneat, praesentis privilegii pagina confirmavimus. Sicut enim tunc*

a) iussa *c.*

8) Iohannes Caietanus, successor Paschalis II.

1116. Ian 29.

vel ex monachorum relatione vel ex praeceptorum regalium testificatione comperimus, constat monasterium ipsum non a regibus vel imperatoribus, sed ab aliis fidelibus viris fundatum, nec donorum regalium magnificentia, sed aliorum fidelium oblatione ditatum. In ipsis etiam regum vel imperatorum sanccitum praeceptis erat, ut abbatia illius monasterii libera sit et ab omni extranea et iniqua potestate secura, nec alicui regum vel imperatorum liceat eam vel res eius alteri monasterio aut personae inbeneficiare aut in proprietatem donare. Ad hoc adicientes statuimus, ut quaecumque bona, et quascumque possessiones idem monasterium in praesenti nonarum indictionum legitime possidet, et quaecumque in futurum iuste et canonice poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus
9 *nominibus exprimenda: Ecclesiam sancti Gaudentii ad pedem Septimi montis*[9] *cum pertinentiis suis, possessiones in territorio Clavennae, ecclesiam sanctae Mariae cum villa Guategisso*[a, 10]*, ecclesiam de villa Hedingen*[11] *cum eadem villa, curtem de villa Metemunstat*[12]*, ecclesiam sanctae Mariae cum villa Tuconia*[13] *et adiacentiis suis, villam Milcinchof, ecclesiam sancti*
11 *Stephani de villa Mannidorf*[14] *cum curte. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praedictum monasterium temere perturbare, aut quaecumque ipsius sunt aufferre, vel ablata retinere minuere vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Obeunte te nunc eius loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia vel violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Deum et beati Benedicti regulam providerint eligendum. Nullusque illi electioni se ingerat, nisi quos religiosos viros congregatio vestra vocaverit. Si qua vero in futurum ecclesiastica saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem coenobio iusta servantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen*[b].

a) e. s. M. c. v. G. *supplevimus ex originali; desunt codici aureo.* b) *bulla originalis addit:* amen, amen. Ego Paschalis catholicae ecclesiae episcopus subscripsi. Datum Laterani per manum Crisogoni subd. agentis vicem d. Iohannis cancellarii 4. Kalend. Febr. ind. 9. anno d. i. 1116 pontif. vero d. Paschalis secundi papae anno 17.

9) Septimer. 10) Weggis ad lacum Lucernensem. 11) ad fl. Reuss, in agro Tigurino. 12) ibidem. 13) Tuggen, in Schwytz. 14) Mennendorf ad lacum Tigurinum infra Rapperswyl.

CANONICI LEODIENSIS CHRONICON RHYTHMICUM.

EDIDIT W. WATTENBACH,
TABULARIUS REG. WRATISLAV.

Opusculum quod diu latuerat, V. D. I. Quicherat a. 1847, *primus publici iuris fecit*[1], *ex codice olim Sancti Vedasti n.* 105, *nunc bibliothecae publicae Atrebatensis n.* 1016, *saeculi XII. Alterum codicem eiusdem aetatis, olim Signiacensem, nunc Charlevillensem commemorat quidem, sed ad editionem curandam non adhibuit.*

Ictus fulminis quo a. 1117 *ecclesia sancti Lamberti percussa est, terrae motus et alia quae eodem anno acciderunt, canonicum quendam illius ecclesiae impulisse videntur, ut gesta illa rhythmice exponeret, versibus usus denarum syllabarum, simili verborum exitu inter se connexis; hae* litterulae *pro more illius aevi ad alias ecclesias transmittebantur, quo preces suas cum Leodiensium supplicationibus coniungerent, et fratrum fulminatorum memorias agerent*[2]. *Haec prima operis pars pertingit usque ad v.* 234 *vel* 266; *auctor vero alia deinde adiecit de caro tempore, de schismate, de obitu clarorum virorum. Mortuum a.* 1118 *Hillinum abbatem magnis laudibus effert, nec minoribus Fridericum praepositum, quem quandoque episcopum fore sperat. Sequitur prosa de laude Otberti composita, ut ait Aegidius de Aurea valle; nam metrorum appellatione sola antiquorum schemata designabantur, rhythmici versus prosaice scriptis adnumerabantur. Electum post Otberti obitum Alexandrum auctor et ipsum magnifice laudat, sed orto per interventum Coloniensis archiepiscopi schismate ecclesiae Leodiensis, taedio victus calamum deposuit.*

Versus istos, qui tempora aliunde minus cognita illustrant, Quicheratio grato animo acceptos referimus. Olim in provincia Leodiensi noti erant atque in manus venerunt Anselmo Gemblacensi, cuius succincta narratio eorum ope commode illustratur[3]; *ipse a.* 1123 *v.* 103—105 *et* 255—260 *operi suo inseruit, cum quo deinde aliis innotuerunt, ut Guilelmo de Nangis, et Aegidio Aureae vallis monacho*[4]. *Sed Aegidius praeterea ipsum quoque anonymum nostrum cognovit, hausitque ex eo v.* 311—322. 411—430. 459—470, *capitibus Gestorum* 18 *et* 19.

Nobis cum codices manuscripti inaccessi essent, Quicheratii textum iterum excudi fecimus, quem paucis locis emendare et illustrare conati sumus.

1) Bibliothèque de l'École des Chartes. Deuxième Série. Tome III, p. 214—232. 2) v. 203. 227. 3) Mon. SS. VI, 376. 377. 4) Chapeaville, Gesta Pontificum Leodiensium II, p. 49. c. 17.

1117. Millesimo centesimo anno
Iesu[a] Christi septimo decimo,
In hieme tanta serenitas,
Tanta fuit mundo amenitas,
Ut December Aprilis medius
Putaretur esse, vel Maius.
. . . .[b]
Non natalem, sed pasce terminum,
Demonstrabat qualitas temporis,
Aer clarus et expers frigoris.
Hiemales nusquam auriculas
Tunc videbat homo; parvulas
Sed in silvis cantantes merulas,
De nimio gelu non querulas.
Mai. 15. Pentecostes tercia feria
Peregrinos misit Colonia,
Quos reverti prospere vidimus
Hierusalem, fere sex mensibus.
Non aeris hos intemperies
Detinuit vel saevae hiemes,
Non boreae flatu horrisono
Iactatae sunt naves in pelago.

De pluvia.

In autumno fuerat nimia,
Sationis tempore pluvia;
Sed Leggiae trina processio
Sua fuit rusticis satio.

De gelu.

Annus qui hunc annum praecesserat,
Tanto gelu terram astrinxerat
1115. Nov. 1. Ut a festo sanctorum omnium,
1116. Mai. Sic duraret usque ad Maium.

De fragis et fabis.

Infra dies natalis Domini
1 Dux[1] comedit fraga Lovanii;
Quidam fabas eodem termino,
1117. Sed recentes sicut in Iunio.
Ian. 3. Nona dies[2], ante vigiliam
Quae praecessit tunc epiphaniam,
Signum fecit in terra Dominus
Quod humanum expavit facinus.
Irae suae quodam diluvio
Civitates mersit in Latio;
Ubi stabant turres et theatra,
Ibi possunt currere aratrá.
Pretereo id[c] quod in Francia,
Apud Svevos et in Germania,
Pater fecit misericordiae:
Dicam huius eventum patriae.

De moto crucifixo.

Magna urbis contigit motio.
Leodii, in monasterio —
Maior fuit metus periculo,
Sed pepercit Dominus populo —
Crucifixus moveri visus est,
Et cum eo quidquid pendulum est,
Quod viderunt personae celebres,
Baccinia[3], coronae, lampades.
Suthul[4], locus est monialium,
Idem fuit apud Sintruvium,
Lux de celo homines terruit
Ubi Mosa ripis exiluit.
Et diversi diversa sentiunt,
Triste omen esse presagiunt;
Quidam famem vel pestem aliam,
Quidam timent belli seviciam.

De processionibus.

Plebs et clerus, conventu publico,
Dona ferunt ligno dominico[5];
Auro, gemmis, argento tegitur,
Dodewinus[d] crinis reciditur.

De primo fulmine.

Ascenderat, suis videntibus,
Nocte illa qua celos Dominus[6],
Fulmen, quod nos fere pessumdedit,
Apud Sanctum Lambertum cecidit.
In duobus choris fraternitas
Tempus erat quo cantat vesperas —
Hoc antiquo de more faciunt
Et de urbe tota pars veniunt —
De *Laudate pueri Dominum*
Cantabamus forte versiculum[7]:
Humilia de celo visitans
Quis ut Deus in altis habitans,
Vix finitum hoc et intonuit,
Totum onus[e] templi contremuit[f].
Terruit nos tinnitum faciens
De fenestris vitrum dissiliens;
Solutae sunt simul[g] radicitus
Ambae turres, disiectis molibus;
Comminutae quasi securibus
Trabes, quae sunt in laquearibus.
Nos involvit a cunctis partibus
Ignis ardens et fetor stigius —
Cum hec loquor horrescit animus —
Nec cantare, nec stare quivimus.

a) *addidit Quicherat.* b) *versum excidisse indicat exitus homoeoteleuto carens.* c) *addidit Quich.* d) *fortasse.* Dum nocivus. *Multi sunt temporum illorum scriptores in vituperandis prolixis militum crinibus.* e) opus? f) *hic versus ap. Quich. priori antecedit.* g) *addidit Quich.*

1) Godefridus Magnus sive Barbatus, comes Lovaniensis, qui a. 1106 ducatum Lotharingiae ab Heinrico rege acceperat. 2) post natalem Domini, ut videtur; sed diem 2. Ian. indicare solet. Die 3. Non. Ian. terrae motum accidisse referunt Anselmus Gemblacensis et alii. 3) ital. *bacino*, gall. *bassin*, vas cui etiam cerei imponebantur, teste Ducangio s. v. *bacca.* 4) Sustula (Suesteren) teste Anselmo. 5) particulae verae crucis, quam Stephanus IX ecclesiae Leodiensi dono dederat; v. Aegid. c. 7. QUICH. 6) 2. Mai. 7) Psal. 112, 5.

Ad altare sancti Stephani.
Quam aperta Dei correctio,
Quam paterna fit ammonitio!
Qui ad ipsum templi introitum
Nostrum nobis monstrat interitum;
Non percussit murum in angulis,
Sed ubi sit semper prae oculis,
Quasi dicat: *Huc intuemini,*
Transeuntes, et conpungimini.
De fulminata imagine.
Fulminatam videt, ut ordinem,
Superior chorus imaginem.
Feriendus, nisi peniteat,
Non tenere[7] se clerus videat.
De sabbato.
Pulsantibus vesperis, sabbato,
Quaedam caput dum lavat puero,
Manus rubent sanguine fluido;
Et hoc fuit quaedam ostensio.
De diluvio.
Secuta est plaga diluvii[8],
Die quae est septima Iunii.
Timuimus urbis excidium
Pro communi peccato omnium.
Pontes fregit et aedificia
Rivus noster, cui nomen Leggia;
Submersi sunt septem vel amplius,
De fulminatis.
Et, quod fuit miserabilius,
Prima die in mense Iulio[9]
Ira Dei et eius ultio
Bis minata, quatuor, tercio,
Fulminavit in monasterio,
In duobus choris; psalterio
Dum duorum vacat oratio[a];
Dum tertius[b] scribit in camera,
Quartus[c] orat in cripta supera.
Ut eventus sit mirabilior,
Sic distantes percussit quatuor,
Ut tres illis iunctos percuteret,
Sed non eis vitam excuteret.
O quam incomprehensibilia
Sunt, Domine, tua iudicia!
Bona de his erat opinio,
De quibus est sumpta haec ultio;
Sed nimirum vi morientibus
Minatus est mortem viventibus;
Et viventes corrigunt mortui,
Ne in malo vivant assidui.
Cessa livor, cessate laici!
Ne dicatis: *Hoc peccant clerici.*
Communis est culpa omnium;
Ante Deum nemo innocuus.
Mores suos clerici corrigunt: 1117.
Mores vestri corrigi exigunt.
Ergo et vos conventum facite,
Vitam et cor vestrum inspicite.
De nimio metu.
Nona die post ictum fulminis, Iul. 9.
Tempestas fit tantae caliginis
Ut videre nil potuerimus;
Finem nostrum venisse duximus.
Ibi vero strenuos cerneres
Nec inerti fuga degeneres,
Qui in Deo spem suam ponerent,
Cum alii furtim diffugerent.
Hic, aiunt, *hic nos inveniat*
Cuius manum nemo effugiat.
Sic sub signo stemus dominico
Securius quam in monte Publico.
Ad hanc vocem intentis omnibus,
Celum omne fit pice nigrius;
Ruunt imbres, rumpuntur fulgura,
Coniurasse putes tonitrua.
Si urbs semper sese sic habeat,
Testor Deum quod nunquam pereat,
Sed sublato metu periculi,
Devotio non durat populi.
De statuta oratione.
Statuta est quaedam oratio
Quando sumi debet communio,
De profundis et preces psallere,
Ut cessaret terror de aere.
De ieiunio.
Ieiunia per tres ebdomadas
Posita sunt ad sextas ferias.
Destructa est usurae sanctio,
Et facta est morum correctio.
Quidquid prava fit consuetudine,
Ablatum est de nostro ordine:
Fissa vestis, et ludus tabulae,
Et in choro nugarum fabulae.
De quibusdam anceps iudicium
Dilatum est usque in crastinum,
Quorum, credo, non erit terminus
Quoad usque veniet Dominus.
Cogimus te, Deus, ut venias;
Quia, nisi manum adicias,
Nos qui damus decimas olerum,
Transgredimur precepta veterum.
In eodem conventu celebri
Decretum est octavas fieri
Petro, Paulo, Mariae virgini,
Quibus tribus stat ira Domini.
Leta Dei matris assumptio
Et eorum beata passio,

a) *glossa interlinearis* Franconis et Salomonis. b) *gl. interl.* Lambertus. c) *gl. interl.* Henricus.

7) non tenere = fortiter. 8) 7. Iun. 9) 1. Iul.

1117. Quorum mundus stat in arbitrio,
Iterari debet cum gaudio.

De antiquo fulmine.

Centum et sex anni transierant
Ex quo ictum fulminis viderant,
In eiusdem loco ecclesiae,
Pauci qui tunc manebant Leggiae;
Qui notantes eventum temporis,
Curaverunt hoc suis posteris
Relinquere scriptum in numeris,
Quod moderni commendant litteris.
Oret mater, oret ecclesia,
Et ad Deum clamet pro filia.
Egrotanti Roma Leodio
Subveniat precum auxilio.
Qui presentes audit litterulas,
Fundat preces ad Deum sedulas,
Ut concedat diu Leodium
Ad suum stare servitium.
Leodium, urbs decus urbium,
Quamdiu stat, stat honor omnium.
Religio viget Leodii,
Disciplinae, artes, fons studii.
Praeter Romam, quae sola omnibus
Dominium habet in urbibus,
Non fuit urbs, nec ipsa Troia,
Par Leggiae, nec Babylonia.
Ierusalem, Constantinopolis,
Ditiores in sanctuariis,
Non invident tamen, si Leggia
Numeratur post eas tercia.
Ut taceam de mulieribus
In timore Dei viventibus,
De honestis, de largis civibus,
De eorum sanctis operibus,
Decem ibi sunt monasteria,
Decem summi regis palatia.
Quid de eis dicendum amplius?
Nusquam Deo servitur melius.
Hoc etiam obnixe petimus,
Ut apud vos fratres, quos vidimus
Fulminatos, sint in memoria.
Haec debentur nobis commercia;
Quando caro carni compatitur,
Sua salus, sua res agitur;
Et quicunque orat pro alio,
Sua sibi prodest oratio.

De rubore.

Dec. 16. Ignatii nox erat martyris[10],
In adventu cantantes vesperis,
Quando signum horrendum omnibus
Apparuit rubor sanguineus.
Hic ad arctum et ad meridiem
Se spargebat per totum aerem;
Luce tamen quadam superstite,
Ut fit, quando solet diescere.
Nisi illa fuisset claritas,
Tanta celi erat obscuritas,
Ut de luna nil, de sideribus
Nichil posset videri penitus.

De vento.

Vigilia natalis Domini[11],
Nec videnda, nec visa homini,
Tanto venti horrore stridula,
Vix in tectis remansit tegula.
Templa, turres, robustae arbores,
— Et videntes[a] nondum immemores, —
Fundamentum, quod subest domui,
Videbatur debere dirui.

De duplici infante.

Monstrum quoddam Namuci[b] natum est,
Cui par nunquam aut raro visum est;
Videlicet biceps infantulus —
Qui hoc vidit, testis est populus —
Qui tam sexu duplex quam ceteris,
Simplex erat compage corporis.
Monstrat Deus tali miraculo
Quam deformis sit vita populo.
Tempus illud, tempus insolitum
Et antea mundo incognitum,
Ad laudem sit Dei compositum
A quo omne quod est, est conditum.

De caro tempore.

Post istius anni miserias,
Tanta fuit[12] annonae caritas
Ut communi urbis consilio
Statuta sit quaedam venditio;
Sed frumentum, ad quinque positum,
Undecim est solidis venditum.
Tempus enim et vita hominum
Non per ipsos stat, sed per Dominum.
Mortui sunt, sed pauci, Leggiae
Nulla tamen causa penuriae,
Si qui longa fame languerant,
Et de locis aliis venerant.

De Paschali papa.

Obit Romae Romanus pontifex[13],
Cuius morte fit error multiplex,
Succedente ei Gelasio
Et Hispano quodam Gregorio.
Hinc facta est motio Galliae,
Unitatem scindens ecclesiae,
Episcopis primo[c] faventibus,
Et secundo regis fautoribus;

a) *ita emendavimus;* vidente *ed.* b) *ita Anselmus;* Namurci *Quich.* c) *glossa:* Gelasio.

10) scil. vigilia translationis eius, quae 17. Dec. celebrabatur. Cf. Anselmum, qui fere omnia, quae hic narrantur, testimonio suo corroborat. 11) 24. Dec. 12) anno 1118. 13) 21. Ian.

Sed in tanto turbine omnium
Inconvulsum manet Leodium.

De fide Otberti episcopi.

Stat Otberti fides cum cesare,
In adversis nescia cedere.

De obitu Balduini.

Balduinus obit Iherusalem[13],
Qui Asiae vicit barbariem,
Cui tributum iam dabat Ascalon,
Quem timebant Tyrus et Babylon.

De duce Henrico.

Dux Henricus[14] obit Leodii,
Obit uxor ducis Lovanii[15]:
Utriusque mors dampnum flebile;
Cadit enim flos Lotharingie.

De pane sanguineo.

Nativitas Mariae virginis[16]
Probata est potens et celebris
Per sanguinem de pane fluidum,
Quod pro certo sit heristadium[a].
Deus enim vult festa fieri,
Nec vult ut tunc vacemus operi;
Sed tanta est in nobis cecitas,
Proni[b] sumus ad res illicitas.

De abbate Hillino.

Obit abbas Hillinus[17] nobilis.
Mors illius, sors lacrimabilis.
Dies illa fuit ecclesiae
Calamitatis et miseriae.

De fontibus.

Fontes fecit opere fusili,
Fusos arte vix comparabili.
Duodecim, qui fontes sustinent,
Boves typum gratiae continent.
Materia est de misterio
Quod[c] tractatur in baptisterio.
Hic baptizat Iohannes Dominum,
Hic gentilem Petrus Cornelium;
Baptizatur Craton philosophus;
Ad Iohannem confluit populus.
Hoc quod fontes desuper operit,
Apostolos, prophetas exerit.
Qui hoc fecit, fecit hoc etiam
Quo perhennem habet memoriam;
Hospitalem pulchrum intuitu
Ampliavit fori introitu.
Aquam vertit sub necessaria,
Nec infirmis deest aecclesia,
Ad quam abbas bonae memoriae
Constituit missam cotidie.
Infra domum enim cellaria 1118.
Et desuper struxit solaria,
Quorum habet sacerdos reditum;
Et ad missam lumen est additum.
Si videas hoc aedificium,
Regis dicas esse palatium;
Et revera nulli hoc dubium
Quin haec domus sit regis omnium.
Alta, lata domus et multiplex,
In qua rerum quiescit opifex,
In qua grata lectorum suavitas,
In qua plena dapum saturitas.
Sinodalis lex et iudicia
Non fiebant in urbe Leggia:
Romam ivit et pro iusticia
Annum fere fuit in curia;
Sed peracto nondum negocio,
Correptus est febris incendio
Et mortuus in desiderio;
Bona tamen vivit intentio.
Ploret clerus, clamet se miserum,
Perdit enim Wazonem alterum,
Sub quo aetas viguit aurea,
Cui par praesul non fuit postea.

De Frederico preposito.

Frederico solo superstite,
Stat aetatis vigor preteritae.
Fredericus, si Teutonicum
Inspicitur, sonat pacificum.
O in quanta pace reponeret
Ecclesiam, si praesul fieret!
Pacificus et concors litteris,
Prosapiae flos novus veteris,
Quem commendat non tam prosapia
Namucensis[18] vel rerum copia, 18
Non tam regum, ducum nobilitas,
Quam litterae, quam morum probitas,
Quam os dulce, quam affabilitas,
Quam cor pium, dulcis facilitas.
Quid sperandum sit de hoc homine
Iam sublimi praedito nomine!
Peregrinus vel possit pergere
Et mercator cum auri pondere,
Ierusalem et Babyloniam,
Per nominis huius noticiam.
Huic si Deus unquam det baculum,
Repullulet Wazonis seculum,
Qui prebendas dedit gratuito,
Simoniae liber illicito;
Tunc differat virtus a vitio,

a) *legendum videtur* horiscopium. b) Boni *Quich.* c) *ita Aegidius;* Quae *Quich.*

13) 2. April. 14) Limburgensis, per Heinricum regem ducatu Lotharingiae privatus. 15) Ida Namucensis, uxor Godefridi Barbati. 16) 8. Septbr. 17) S. Mariae, cuius obitus agitur die beati Willebrordi episcopi, 7. Nov., ut ait Aegidius. Fontes fecit in eadem ecclesia, hospitale iuxta ecclesiam S. Lamberti. S. Mariae dedicatus erat chorus inferior ecclesiae cathedralis, superior S. Lamberto. 18) Frater erat Godefridi comitis Namucensis.

1118. Tunc non fiat nigrum de candido;
Tunc non perdat asinum dominus,
Nec leonem induat asinus.
Hic honor et artes, et studium,
Quod hodie dampnat Leodium;
Leodium, noverca filiis,
Suis parca, large dans aliis.
Nobilibus haec ignobilitas,
Divitibus hec inest cecitas.
Qui nobilem nutriit[a] puerum,
Vento fuit creditor cinerum;
Si quis habet spem in discipulo,
Quasi ovum fovet de cuculo.
Cum adultus est, nugigerulos,
Delatores amat et garrulos;
Nulla scolis est reverentia,
Et virtus est malivolentia;
Umbra, non res, est sapientia:
Minus sapit grus quam ciconia.

De Otberto episcopo.

A termino, quo dedit baculum
Rex Otberto, proruit seculum,
Per tres annos adversitatibus
Finem illi praesagientibus.
Cardinales et apostolici,
Et maxime eius domestici,
Quod fecerunt zelo ecclesiae,
Scit et reddet iudex iusticiae.
1119. Post viginti octo paulo minus
Ian. 31. Annos vocat hunc ad se Dominus,
Leodium pastore viduans,
Mortem eius vitae continuans.

De anniversario Otberti episcopi.

Matris Dei purificatio,
Ab illius anniversario,
Celebratur in die crastina.
Hoc meruit servus de domina;
Huius fuit semper devocio
Honorare matrem cum filio.
Domnus Dei decorem diligens,
Ecclesiae ruinam[b] erigens:
Emptis enim tot appendiciis,
Castellorum tot necessariis,
Quod in bono consumpsit opere,
Studiosus[c] fuit restruere,
Auro texens cruces, altaria;
Tandem dedit decem dorsalia,
Quibus unus in dextro paries
Decoratur et templi facies.

De manibus eius.

Manus eius quasi tornatiles
Et ad sacra fuerunt habiles.
Pastorali scivit de ordine
Plus quam credi posset[d] de homine.

De electione episcopi.

Post decessum domni episcopi,
Cum abbates, archidiaconi,
Pars principum, cives, familia
Discussissent diu consilia,
Considente iam capitolio,
Tandem placet ut sit electio;
Sed ad maiorem audientiam
Invitantur ire Coloniam.
Inter manum et oris spatium
Campum esse, dicit proverbium.
Cum aliquid sit seminarium,
Quo differtur praesens negocium,
Tu qui nosti, qui necessarius
Ecclesiam gubernet melius,
Ne respice qualem meruimus;
In te curam gregis dimittimus.

De obitu Gelasii papae.

Nondum anni emensus terminum,
Gaditanus[20] migrat ad Dominum[21],
Brevi satis usus dominio,
Unde fuit tanta seditio.
Non sic Petrus, Leo, Gregorius,
Non sic papa fuit Gelasius[22];
Qui dum pompam devitant seculi,
Simplices sunt eorum oculi.
Exulantem Francia recipit;
Cluniacum defunctum sepelit.
Utinam pax sit in aecclesia,
Et in regno cesset discordia!

De abbate Seifrido.

Successorem Hillini strenuum
Plebs acclamat et vitae[e] meritum,
Seifridum, quem Deus praesulem,
Praesulatus[f] bis fecit exulem.
Hic vir, hic est, quem tribulatio
Ceu fornacis coxit incendio;
Quem gens durae cervicis respuit,
Cui Leggia sinum aperuit.
Vir viduae, pupillo genitor,
Trux ut leo et agno mitior.
Modum habet, quo et indomitis
Ora frenet, et parcat subditis.

De Alexandro episcopo.

Alexander Philippi, Macedo,
Vir strenue, vir corde provido,
Quid nisi te renatum dixerim
Et adeptum regna? Duodecim
Post annorum aut minus spatium,
Alexander, te ditat omnium
Et gradatim tuum dominium;
Tandem scandis ad episcopium:

a) nutruit *Quich.* b) ruinas *Aegidius.* c) Curiosus *id.* d) possit *id.* e) bene *id.* f) Presulatu *id*

20) papa Gelasius, prius dictus Iohannes Caietanus. 21) 29. Ian. 22) scil. Gelasius I

Sic ditatus non astu perfido,
Sic promotus non fastu tumido.
Dum te putas ire simpliciter,
Circumventus es multipliciter.

De obedientia Coloniensi.

Metropolis presul Coloniae
Dat edictum obedientiae,
Ut non tibi pateat Leggia;
Fit in urbe discors sententia.
Quis non ploret matrem ecclesiam
Illa die, videns miseriam
Qua pastorem suum cum studio
Susceptura fuit processio?

De processione episcopi.

Pauci rauci, non dico iubilant,
Sed dissona vix voce sibilant,
Non cimbalis bene sonantibus, [a]
Non musicis proportionibus.
Ubi, praesul Otberte, gloria
Qua susceptus es in aecclesia? 1119.
Ubi cleri, plebis obsequia?
Ubi cruces, libri, thus, pallia?
Sed memento, vir prudentissime,
Quod hoc malum sit salus anime;
Quod res, duros habens introitus,
Mitescere poterit celitus.
Difficiles res et illicitas
Patienter vincit humilitas.
Adversitas hec cedet facile;
Apud Deum nil impossibile.
Plura dolor prohibet scribere,
Nam video fulmina cadere.
. . . .[a]
Nam divinos agnosco monitus.
Si dixero quae mala videam,
Irridear nec fidem habeam.
Qui futura prenoscis omnia,
Fac ut hec res sit in concordia!

a) *versum deesse indicat exitus.*

HESSONIS SCHOLASTICI RELATIO
DE CONCILIO REMENSI.

EDIDIT W. WATTENBACH PH. D.
TABULARIUS REGIUS WRATISLAVIENSIS.

Commentarium de rebus inter Calixtum II papam et Heinricum V imperatorem a. 1119 *gestis primus publici iuris fecit Seb. Tengnagel a.* 1612 *in Monum. adv. schismaticos*[1] *p.* 329—338. *Idem recte animadvertit, eximium hunc libellum tribuendum esse Hessoni cuidam scholastico, usus loco Ekkehardi (Mon. SS. VI,* 255.*) qui eundem et laudavit et in usus suos convertit. Remensem fuisse auctorem, nonnulli sine causa asseruerunt; nihil enim ex ipsius verbis effici potest, nisi quod interfuit concilio — nam* quod vidi *inquit,* et audivi, fideliter quanto brevius potui, pedestri sermone descripsi — *et pontifici adversus imperatorem favit; nam imperatorem a nostris iuramentum exegisse refert. Francogallum fuisse, verisimile est. Ceterum res ut acciderunt et in concilio renuntiatae sunt, simpliciter et accurate vereque fideliter retulisse videtur in usum absentis cuiusdam; certe Ekkehardus opusculum eius litteras appellat.*

Bene convenit Hessoni cum Orderico Vitali, cuius excerpta alio loco dabuntur; multo accuratius res gestas enarrat quam Simeon Dunelmensis[2] *in libro suo de Gestis regum Anglorum. Hic enim primo loco quinque illa capitula a concilio decreta ponit, deinde sic pergit:* Haec concilii decreta imperatori Henrico cum non longe abesset, ex concilio primum per honestas personas, ad ultimum per ipsum apostolicum mandantur, ut ante separationem concilii notum esset, utrum ecclesiis per regnum et singulas quasque sibi subiectas provincias consentiat canonicas electiones, videlicet ut episcopi et abbates eligantur ab ecclesia, et liberas consecrationes, ut ubi et a quibus oporteat electi consecrentur, et investituram ecclesiarum, ut per investituram pastoralis virgae et anuli per hostium Christum ingrediantur, et investituram rerum ecclesiasticarum, ut de rebus ad ecclesias pertinentibus nichil omnino sibi laicalis exigat persona. Ad haec ille respondit, nichil in his se praetermissurum quod sui iuris esse suorum sibi contulit antiqua consuetudo progenitorum. Quandoque tamen flexus auctoritate generalis concilii, tria illa priora concessit, ultimum vero, scilicet investituram rerum ecclesiasticarum, concedere

1) Iterum edita inter Opera Gretseri Vol. VI. a. 1735. 2) Historiae Anglicanae Scriptores X edd. Twysden et Selden. Lond. 1652 fol. p. 241. Hunc exscripsit Rogerius de Hoveden.

noluit. Quapropter reverso ad concilium papa, excommunicatus decernitur. Quod cum quidam in concilio aegre ferrent, sententiam protulit apostolicus, ut qui in hoc scandalizentur, exeuntes a fratrum consortio separarentur, proposito de illis septuaginta exemplo, qui cum de carne Domini manducanda et sanguine bibendo scandalizarentur, retro abierunt, et iam cum illo non ambulabant. „Et quoniam,“ inquit, „qui non colligit cum Domino spargit, et qui non est cum eo adversus illum est, illam inconsutilem tunicam desuper contextam, scilicet sanctam ecclesiam, qui nobiscum sentiendo indiscissam servare nolunt, dissentiendo a nobis disscindere contendunt.“ Talia sermocinante apostolico, illico omnes in eundem cum ceteris consensum reducti, in imperatorem Henricum excommunicationis sententiam iaculantur.

Hessonis relatio ab Udalrico Babenbergensi in codicem suum recepta et cum hoc iterum edita est a G. Eccard Nr. 303 *(Corp. II,* 301*), sed admodum mendose. Tengnagelii editionem repetierunt Labbeus in Collectione Conciliorum et D. Mansi XXI,* 244*; postremo a.* 1806. *D. Brial XIV. p.* 200, *qui animadversiones aliquas bonae frugis adiecit.*

Nobis in adornanda nova hac editione praesto fuerunt codices manuscripti

1) *Salisburgensis* 189 *iam bibl. caes. Vindob.* 1049 *memb. in quarto, scriptus saec. XII. in claustro Bertherskadem; vide Archiv X,* 550.

2) *Codex epistolaris Eberhardi archiepiscopi Salisburgensis, inter Vindobonenses* 629, *olim Ius can.* 133 *mb. in octavo (Archiv X,* 491*). Hunc Seb. Tengnagel satis accurate expressit. Ego utrumque Vindobonae contuli. Proxime ad hos libros accedunt exemplaria Codicis Udalrici*

3) *Vindobonense Nr.* 398. *Ius can.* 45. *quod Eccardus describendo misere pervertit; contulit olim b. m. I. Pirsner.*

4) *Zwetlense Nr.* 283. *quod b. m. I. Frast contulit.*

Qualiter nuper inter regem[a] *et domnum papam*[b] *causa coeperit ac processerit, breviter descriptum*[c]

Venerunt ad regem apud Argentinam episcopus Catalaunensis[3] et abbas Cluniacensis[4], 1119.
acturi cum eo de pace et concordia inter regnum et sacerdotium. A quibus cum rex consilium quaereret, quomodo sine diminutione regni sui hoc exequi posset, assumpta parabola sua[d] respondit episcopus: *Si veram pacem, domne rex, habere desideras, investituram episcopatuum et abbatiarum omnimodis dimittere te oportet. Ut autem in hoc nullam regni tui diminutionem pro certo teneas, scito me in regno Francorum episcopum electum, nec ante consecrationem nec*[e] *post consecrationem aliquid suscepisse de manu regis; cui tamen de tributo, de milicia, de theloneo, et de omnibus quae ad rem publicam pertinebant antiquitus, sed a regibus christianis ęcclesiae Dei donata sunt, ita fideliter deservio, sicut in regno tuo tibi*[f] *episcopi deserviunt, quos huc usque investiendo, hanc discordiam immo anathematis sententiam incurristi.*

Ad haec rex manibus elevatis hoc responsum dedit: *Eia inquit sic fiat; non quaero amplius.* Tunc subiunxit episcopus: *Si igitur investituras dimittere volueris, et possessiones ęcclesiarum et eorum qui pro ęcclesia laboraverunt, reddere, et veram pacem eis dare, laborabimus opitulante Deo huic contentioni finem imponere.* Quae omnia rex communicato cum suis consilio, se prosecuturum promisit, si fidem et iusticiam apud domnum papam inveniret, et si veram pacem ipse et sui, et possessiones[g] quas pro werra ista amiserant, reciperent. Quibus auditis episcopus, certum se fieri super denominatis capitulis postulavit, tum ut labor eorum non esset inutilis, tum ut domnum papam ad exequendam pacem faci-

a) H. *addit* 2. b) Calistum *addit* 2 c) d. est 3. 4. d) *deest* 3. 4. e) n. p. c. *desunt* 3. 4. f) ep. tibi 1. 2. g) p. istas quas 3. 4.

3) Willelmus de Campellis, olim abbas S. Victoris. 4) Pontius a. 1109—1125.

1119. lius inclinarent. Tunc rex propria manu sub testimonio fidei christianae in manu episcopi et abbatis firmavit, se praefata capitula sine fraude prosecuturum.

5 Post eum episcopus Lausemnensis[a.5], et comes palatinus[6], et ceteri clerici et laici qui cum eo erant, hoc idem eodem modo firmaverunt. Accepta securitate episcopus et
Oct. abbas domno papae Parisius occurrerunt[7]; quae viderant et audierant, fideliter intimarunt. Quibus applaudens domnus papa, sic respondit: *Utinam iam factum esset: si sine fraude fieri posset.* Mox communicato cum episcopis et cardinalibus consilio, eosdem, et cum eis
8 de latere suo episcopum Ostiensem, et Gregorium cardinalem[8], ad regem remisit, ut praefata capitula diligentius retractarent, atque scripta[b] ex utraque parte firmarent, et si haec sicut promiserat exequi vellet, diem qua[c] ista complerentur ante finem concilii[9] denominarent. Venientes ad eum inter Virdunum et Mettim ei occurrerunt; quod domnus papa eum libenter reciperet, si promissum exequi vellet, retulerunt. Super quo quasi gavisus rex quod prius apud Argentinam in manu praenominatorum firmaverat, iterum[d] inibi in manu episcopi Ostiensis, et Gregorii cardinalis, et episcopi Catalaunensis, et abbatis, propria manu firmavit: quod videlicet in proxima sexta feria, id est 9. Kal. Novembris, capitula quae sequenti scripto continentur, apud Mosomum in praesentia domni papae, fideliter
10 sine omni fraude exequeretur. Post eum hoc idem iuraverunt: dux Welpho[e.10], comes Beringarius[f], comes palatinus, comes Willehelmus[g], et alii principes[h], episcopi, clerici, et[i] laici multi. Exegit etiam ipse a nostris, eodem modo firmari sibi, quod si in ipso non remaneret, eadem die domnus papa quae in scripto suo continentur, adimpleret. Scriptum autem concordiae hoc fuit:

Ego H. Dei gratia Romanorum imperator augustus, pro amore Dei et beati Petri et domni papae Calixti[k], dimitto omnem investituram omnium ęcclesiarum, et do veram pacem omnibus qui ex quo discordia ista coepit, pro ęcclesia in werra fuerunt vel sunt; possessiones autem ęcclesiarum, et[l] omnium qui pro ęcclesia laboraverunt, quas habeo, reddo; quas autem non habeo, ut rehabeant fideliter adiuvabo. Quod si quaestio inde emerserit, quae ęcclesiastica sunt, canonico, quae autem saecularia sunt, saeculari terminentur iudicio.

Item scriptum domni papae: *Ego Calixtus secundus Dei gratia Romanae ęcclesiae episcopus catholicus, do veram pacem H. Romanorum imperatori augusto, et omnibus qui pro[m] eo contra ęcclesiam fuerunt vel sunt; possessiones eorum quas pro werra ista perdiderunt, quas habeo, reddo; quas non habeo, ut rehabeant fideliter adiuvabo. Quod si quaestio inde emerserit, quae ęcclesiastica sunt, canonico, quae saecularia sunt, saeculari terminentur iudicio.*

Hac itaque data et accepta[n] securitate, festinanter ad domnum papam Remis redierunt, quae fecerant et quae a rege et a[o] suis receperant ante concilium reportantes, simul et diem et locum colloquii designantes. Domnus papa[p] in generali concilio 13. Kalendas
Oct. 20. Novembris Remis residens inter cetera sic exorsus est: *Domini patres et fratres! Causa pro qua vos de terra longinqua et[q] remotis regionibus ad concilium vocavimus, haec est. Scitis quamdiu Romana[r] ęcclesia contra diversas hereses laboravit, et sicut per beatum Petrum cui*
Luc 22,32 *specialiter dictum est a Domino: „Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos," Symon magus[s] iudicio Spiritus sancti ab ęcclesia Dei eliminatus[t] periit, sic usque ad nostra tempora idem per vicarios suos sequaces Symonis expugnare, et ab ęcclesia Dei extirpare non desinit. Ego quoque qualiscumque licet indignus eius vicarius, Symoniacam heresim quae maxime per investituras contra ęcclesiam Dei innovata est, ab ęcclesia Dei opitulante Deo, vestro consilio et auxilio omnibus modis eliminare desidero. Unde si placeat, a fratribus nostris qui inter nos et regem dictum Teutonicum[u] verba concordiae portaverunt, causae ordinem diligentius audiatis, et quid nobis super his agendum sit, unusquisque pro modo suo, quia causa communis est, prudentiori consilio adtendatis.*

a) Lausamn. 2. Lausenn. 3. 4. b) scripto 3. 4. c) quam 3. 4. d) *deest* 3. 4. e) Welf 3. 4. f) Berugarius 2. g) Willelmus 2. 3. 4. h) *deest* 1. 2. i) *deest* 3. 4. k) Calisti 2. l) vel 3. 4. m) cum 3. 4. n) et a. *desunt* 1. 2. o) *deest* 2. p) *deest* 1. q) de tam r. 1. 2. r) *deest* 1. 2. s) m. quem i. 3. 4. t) eliminavit 3. 4. u) theoton. 2.

5) Girardus nomine. 6) Godefridus de Calwe a. 1113—1129. 7) Papam d. 3. Oct. Mauriniaci, d. 8. Parisiis, d. 13 Silvanecti fuisse, Jaffei Regesta docent. 8) Lambertum qui Calixto successit, Honorius II dictus, et Gregorium qui fuit Innocentius II post Honorium. BRIAL. 9) quod Remis iuxta festum S. Lucae (Oct. 18.) teste Ekkehardo celebrandum indixerat. 10) Pinguis, qui a. 1120 Sept. 24. obiit.

Tunc domnus papa Ostiensi episcopo iniunxit, ut universo concilio latine ordinem 1119. causae exponeret. Oct. 20. Quod cum prudenter episcopus Ostiensis perorasset, iterum Catalaunensis episcopus ex praecepto domni papae hoc idem clericis et laicis materna lingua exposuit. Quo completo, capitula multa illa die et sequenti proposuit, et usque ad finem concilii universa complenda distulit. Sequenti vero die, cum in hoc consilium episcoporum Oct. 21. sedisset, ut domnus papa ad diem colloquii pro componenda pace accederet, et utrum in veritate homo ille ageret, per semet ipsum temptaret, circa finem concilii illa die domnus papa sic prosecutus est: *Domini patres et fratres! Scitis quam diu mater nostra sancta*[a] *ęcclesia contra symoniacam heresim, maxime quae per investituras fit, in patribus*[b] *nostris laboraverit; et quia placuit omnipotenti Deo, nostris diebus ęcclesiae suae pacem offerre, et iam proxima dies colloquii ad ipsum locum crastina die nos compellit accedere, summopere rogamus ut reditum nostrum pacienter sustineatis, et si Deus pacem nobis dederit, commune gaudium universo mundo annuncietis. Si autem, quod Deus avertat, adversarius nobiscum in dolo*[c] *agere temptaverit, festinanter ad vos revertemur; et sicut conventionem pacis si fiat, vobiscum et per vos confirmare optamus, sic in commentorem fraudis si infidelis evaserit, iudicio Spiritus sancti et vestro gladium beati Petri vibrare temptabimus.* Quod cum[d] sub obtentu obędientiae archiepiscopis, episcopis et abbatibus iniunxisset, praecepit etiam ut interim et maxime die colloquii psalmos, orationes et sacrificia spiritualia Deo offerrent, et a maiori Remensi ęcclesia usque ad ęcclesiam beati Remigii cum processione nudis pedibus exirent.

Sic interim dimisso concilio, feria quarta domnus papa ad locum colloquii exiit, et feria Oct. 22. quinta cum multis vix cum maximo labore pervenit. Feria sexta vocatis in cameram archi- Oct. 24. episcopis, episcopis et abbatibus, et ceteris sapientibus viris quos multos secum duxerat, coram omnibus fecit legi utrumque scriptum concordiae; cumque lectum fuisset scriptum regis, diligentius retractare coeperunt episcopi, maxime illud capitulum ubi dicebatur: *Dimitto omnem investituram omnium ęcclesiarum*, dicentes: *Siquidem rex simpliciter agit, verba ista sufficiunt; si autem sub hoc capitulo aliquid cavillare conatur, determinatione nobis videntur indigere, ne forte aut possessiones antiquas ęcclesiarum sibi conetur vendicare, aut iterum de eisdem episcopos investire.*

Rursum in scripto domni papae illud diligentius retractabant, ubi dicebatur: *Do veram pacem regi, et omnibus qui cum eo in werra ista fuerunt, vel sunt;* ne forte in danda pace amplius[e] intelligerent quam reddendam communionem ęcclesiae; et sub hoc verbo ęcclesia cogeretur suscipere, quos aut superpositos legitimis pastoribus aut canonice depositos sine gravi offensione non posset sustinere.

Diligenter igitur omnibus retractatis, missi sunt ad castra regis episcopus Ostiensis, Iohannes cardinalis[11], episcopus Vivariensis[12], episcopus Catalaunensis, et abbas Clunia- 11 censis, et alii multi cum eis, portantes scripta in manibus. Cumque pervenissent ad castra, ostenderunt scripta, determinaverunt capitula, prout omnium communi consilio diffinitum erat.

Rex autem his auditis, prima fronte se nihil horum promisisse, omnimodis abnegabat. Tunc episcopus Catalaunensis, zelo Dei inflammatus et gladio verbi Dei accinctus, respondit pro omnibus: *Si, domne rex, negare vis scriptum quod tenemus in manibus, et determinationem quam audisti: paratus sum sub testimonio religiosorum virorum qui inter me et te fuerunt, iurare super reliquias sanctorum vel super euangelium Christi, te ista omnia in manu mea firmasse, et me sub hac determinatione recepisse.* Cumque omnium testimonio convinceretur[f], tandem compulsus est confiteri, quod prius negaverat; veruntamen conquerebatur graviter de eis[g], quia licet eorum consilio promiserit, quod absque diminutione regni exequi non valeret. Cui sic respondit episcopus: *In promissis nostris, domne rex, per omnia fideles nos invenies. Non enim domnus papa statum imperii aut coronam regni, sicut quidam seminatores discordiae obloquuntur, in quolibet imminuere adtemptat; immo palam omnibus denunciat, ut in exhibitione miliciae et ceteris omnibus in quibus tibi et antecessoribus tuis servire consueverant, modis omnibus deserviant. Si autem in hoc imperii statum imminui existimas, quod*

a) *deest* 3. 4. b) partibus 3. 4. c) in d. *desunt* 3. 4. d) *deest* 1. e) plus 3. 4. f) vinceretur 3. 4. g) de eis *desunt* 3. 4.

11) Cremensis, tituli Sancti Chrysogoni. BRIAL. 12 de civitate *Viviers*, ad Rhodanum sita. Orderico teste Hato vocabatur. Imperator Ivodii morabatur.

1119. Oct. 24. *ulterius tibi episcopatus vendere non liceat: hoc potius regni tui augmentum ac profectum sperare debueras, si quae Deo contraria sunt, pro eius amore abicias.*

Ad haec omnia cum respondere non posset, mitiora verba coepit proferre, et inducias quaerere vel usque mane, dicens velle se cum principibus nocte illa de causa conferre, et ad exequendum promissum, si posset, eorum corda inflectere, et alterutrum summo mane renunciare. Post haec sui de modo absolutionis et susceptionis cum nostris coeperunt conferre, durum sibi immo inportabile videri, si more aliorum dominus suus nudis pedibus ad absolutionem accederet. Quibus condescendentes nostri, responderunt quod modis omnibus laborarent, ut domnus papa calciatum eum, quanto privatius posset, reciperet.

In his verbis illa die colloquio terminato, nostri ad domnum papam redierunt, quae invenerant reportantes. Tunc domnus papa quasi iam[a] de pace desperans, ordinabat summo
Oct. 25. mane ad fratres quos Remis reliquerat, repedare; sed consilio comitis Trecensis[13] et multorum aliorum compulsus est sabbato fere usque ad horam sextam in eodem loco manere, ut[b] omne os adversariorum obstrueret, et vocem derogationis omnibus auferret.

Summo mane iterum missi sunt ad castra episcopus Catalaunensis et abbas Cluniacensis, super inducias acceptas responsum eius audituri. Cumque illuc pervenissent, sicut pridie fecerat repraesentavit episcopus scripti veritatem, cum adtestatione sacramenti, dicens: *Heri quidem, domne rex, cum iusticia possemus a te recedere, quia die denominata parati fuimus et promissum tuum recipere, et nostrum implere. Verum quia tu inducias petendo[c] usque in hanc diem distulisti, nolumus ut propter intervallum unius noctis tantum bonum in nobis remaneat, et si hodie promissum tuum exequi volueris, paratus est adhuc domnus papa, quod per nos tibi promisit, modis omnibus adimplere.* Tunc rex iratus, iterum coepit inducias quaerere, donec generale colloquium cum principibus regni posset habere, sine quorum consilio investituras non audebat dimittere. Ad haec episcopus: *Quia saepe inducias quaerendo, quod[d] promisisti implere dissimulas, nihil nobis et tibi amplius; revertar ad[e] domnum papam.* Sic insalutatus rediit, quae invenerat nunciavit[f]. Mox igitur domnus papa cum suis ad aliud castrum comitis Trecensis cum summa festinatione transivit. Rex autem nuncium ad comitem direxit, summopere rogans, ut domnum papam inibi die dominica detineret, promittens se facturum modis omnibus feria secunda, quod totiens abnegaverat. Quod cum ad domnum papam delatum fuisset, communicato[g] cum suis consilio, hoc breve dedit responsum: *Feci, fratres, pro desiderio pacis, quod ab antecessoribus nostris factum nunquam audivi. Generalem synodum congregatam et fratres multos quasi desolatos reliqui; ad hominem istum cum multo labore perveniens, quae pacis sunt in eo non inveni[h]. Unde nullatenus eum ulterius expectabo, sed ad fratres nostros et ad concilium quanto citius[i] potero regrediar. Si autem in concilio vel post concilium veram pacem Deus nobis dederit[k], paratus ero suscipere et amplecti.*

Oct. 26. Die igitur dominica de eodem loco ante diem exivit, et cum tanta festinatione Remis usque cucurrit, ut 20 lewis[l] consummatis, eadem die missam Remis celebraret, in qua
Oct. 27. Leodicensem electum[m] in episcopum consecravit[14]. Feria secunda prae nimio labore infirmatus, vix ad concilium accessit, exitum et reditum suum et ordinem causae concilio
Oct. 28. exponi fecit[15], et sic illa die siluit. Feria tertia nihilominus infirmitate detentus, in concilio
Oct. 29. sedere non potuit. Feria vero quarta circa horam tertiam ad concilium accessit, illa[n] die usque ad horam nonam multorum proclamationes recepit, et de multis capitulis tractavit. Ab hora vero nona, volens illa die concilium terminare, synodalia decreta fecit in medium proferri et legi.

DECRETA SYNODALIA.

Quae sanctorum patrum sanctionibus de pravitate symoniaca stabilita sunt, nos quoque Spiritus sancti iudicio et auctoritate sedis apostolicae confirmamus.

a) *deest* 3. 4. b) Et ut . . . auferret, summo 3. 4. c) repetendo 2. d) quae 3. 4. e) et 1. f) renunciavit 3. 4. g) c. c. s. c. *desunt* 2. h) invenio 3. 4. i) quantocius 3. 4. k) n. D. obtulerit 3. 4. l) leugis 3. 4. m) el. invenit et in 3. 4. n) Alia 3. 4.

13) Comes Trecensis erat Hugo, filius Theobaldi comitis Campaniensis, frater Stephani comitis Blesensis. 14) Fridericum, Godefridi comitis Namucensis fratrem, attestante etiam Orderico. Imperator Alexandrum investierat. 15) per Io. Cremensem, cuius ad patres orationem recitat Ordericus Vitalis. BRIAL.

1. *Si quis igitur vendiderit aut emerit, vel per se, vel per submissam quamlibet personam,* 1119. Oct. 29. *episcopatum, abbatiam, decanatum, presbiteratum, archidiaconatum, praeposituram, praebendam, altaria*[a] *vel quaelibet ęcclesiastica beneficia, promotiones, ordinationes, consecrationes, ęcclesiarum dedicationes, clericalem tonsuram, sedes in choro, aut quaelibet ęcclesiastica officia, et vendens et emens dignitatis et officii sui aut beneficii periculo subiaceat. Quod nisi resipuerit, anathematis mucrone perfossus, ab ęcclesia Dei quam lesit, modis omnibus abiciatur.*

2. *Episcopatuum et abbatiarum investituram*[b] *per manum laicam fieri penitus prohibemus; quicumque igitur laicorum deinceps investire praesumpserit, anathematis ultioni subiaceat. Porro qui investitus fuerit, honore quo investitus est absque ulla recuperationis spe omnimodis careat.*

3. *Universas ęcclesiarum possessiones, quae liberalitate regum, largitione*[c] *principum, vel oblatione quorumlibet fidelium eis concessae sunt, inconcussas in perpetuum et inviolatas permanere decernimus. Quod siquis eas abstulerit, invaserit, aut potestate tyrannica detinuerit, iuxta illud beati Symmachi capitulum, anathemate perpetuo feriatur.*

4. *Nullus episcopus, nullus presbiter, nullus omnino de clero ęcclesiasticas dignitates vel beneficia cuilibet quasi hereditario iure derelinquat. Illud etiam adicientes pręcipimus, ut pro baptismatis, chrismatis, olei sacri et sepulturae acceptione, et infirmorum visitatione vel unctione, nullum omnino precium exigatur.*

5. *Presbiteris, diaconibus, subdiaconibus concubinarum et uxorum contubernia prorsus interdicimus. Si qui autem huiusmodi reperti fuerint, ęcclesiasticis et officiis priventur et beneficiis. Sane si neque sic inmundiciam suam correxerint, communione careant christiana.*

Cumque multa contra symoniacam heresim essent recitata, et omnium consono favore laudata et confirmata, ventum est ad illud decretum quo investiturae ęcclesiarum laicis interdicebantur, in quo sic continebatur: *Investituram*[d] *omnium ęcclesiarum et ęcclesiasticarum possessionum per manum laicam fieri modis omnibus prohibemus.* Quod cum recitatum fuisset, tantum murmur quorundam clericorum et multorum laicorum per concilium intonuit, ut diem usque ad vesperam sub gravi contentione pertraherent. Videbatur enim eis quod sub hoc capitulo domnus papa decimas et cetera ęcclesiastica beneficia, quae antiquitus laici tenuerant, conaretur minuere vel auferre. Unde domnus papa omnibus satisfaciens, illa die concilium terminare distulit, ut sequenti die communi consilio decretum temperaret, et ipsum cum ceteris quae sequebantur, unanimi omnium favore et auctoritate confirmaret. Feria quinta ad concilium venit; quae proposuerat executurus, ymnum sancti Spiritus Oct. 30 devote incepit[e]. Qui cum ab omnibus affectuose fuisset decantatus, vere invisibilis ignis flamma succensus, in ignea lingua de Spiritu sancto exorsus, mirabiliter peroravit, docens eum summum bonum esse, fontem sapientiae et intelligentiae ac totius disciplinae, vinculum caritatis, unitatis et concordiae. Cumque per haec singula diucius sub omnium ammiratione discurreret, tandem ad causam accessit dicens:

Scimus, fratres karissimi, quia labor vester, quo de tam remotis regionibus pro communi libertate matris nostrae sanctae ęcclesiae nobis occurrere studuistis, placuit Deo et Spiritui sancto, in cuius virtute et sanctificatione unum sumus in Christo. Et quia placuit Spiritui sancto et nobis, displicuit spiritui adversario, qui modis omnibus ad perturbandam fraternitatis vestrae concordiam cooperatores maliciae suae quaesivit et invenit. Quid enim dicimus, fratres, si cum tanto labore et expensis ad concilium vocati venistis, et revertentes ad regiones vestras nihil reportare poteritis, quia nos audire non vultis? Qui enim peccat in Spiritum sanctum, quod peccatum si perseveraverit non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro, teste Veritate quae dicit: „Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.“ Luc. 10,16 *Scimus etiam quia dominus Iesus*[f] *cum proposuisset discipulis*[g]*: „Nisi manducaveritis carnem filii hominis,* Ioh 6,53. *et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis,“ scandalizati sunt multi, et abierunt retrorsum, nec postea sequebantur eum; sic et nos cum heri proposuissemus quaedam pro libertate ęcclesiae, scandalizati sunt quidam infideles. Unde et nos cum*[h] *auctoritate apostolica dicimus: Qui*[i] *infidelis est, discedat et exeat, et det locum fidelibus quae ęcclesiastica sunt et libertati ęcclesiae necessaria pertractare. Vobis autem qui locum et officium apostolorum in ęcclesia Dei tenetis, dicimus quod Dominus dixit ad duodecim: „Nunquid et vos vultis abire?“* Joh. 6, 67.

a) *deest* 2. b) investituras 2. 3. 4. c) largitate 1. d) investituras 3. 4. e) incipit 3. 4. f) *deest* 3. 4. g) d. suis 3. 4. h) eis 3. 4. i) Si infidelis discedit, discedat. *Tengnag. contra codices, allegans* 1 *Cor.* 7, 15.

1119. Oct. 30. Quod cum mirabiliter perorasset, ita omnium corda concussit, ac reclamantium voces compressit, ut nec unus quidem contra decreta synodica quae postea lecta sunt, os aperire praesumeret. Domnus tamen papa decretum illud unde murmur ortum fuerat, saniori consilio temperavit, et in hanc formam concilio legi fecit: *Investituram episcopatuum et abbatiarum per manum laicam fieri omnimodis*[a] *prohibemus*. Quod cum placuisset omnibus, ipsum cum ceteris omnibus quae lecta sunt, iudicio Spiritus sancti et auctoritate ecclesiastica firmaverunt.

Allatae sunt denique candelae 427, et accensae datae singulae singulis, tenentibus
16 baculos episcopis et abbatibus[16], iniunctumque est eis, ut omnes candelas tenentes assurgerent. Cumque astarent, recitata sunt multorum nomina quos praecipue excommunicare proposuerat domnus papa, inter quos primi nominati sunt rex Heinricus et Romanae ęcclesiae invasor Burdinus, et prae ceteris, et cum ceteris multis sollemniter excommunicati. Absolvit etiam domnus papa auctoritate apostolica a fidelitate regis omnes quotquot ei iuraverant, nisi forte resipisceret et ęcclesiae Dei satisfaceret. His denique rite completis, auctoritate Patris et Filii et Spiritus sancti omnes absolvit atque signavit, et sic ad propria unumquemque redire permisit, et sic concilii finem fecit. Quod vidi et audivi, fideliter, quanto brevius potui, pedestri sermone descripsi.

a) omni modo 3. 4.

16) *Numeratae sunt ibi personarum pastoralium virgae* 424. Simeon Dunelmensis.

UODALSCALCUS
DE EGINONE ET HERIMANNO.

EDIDIT PHILIPPUS JAFFÉ M. D.

Eximii huius opusculi scriptor, Uodalscalcus, iustissime cum apud suae aetatis homines florebat laude magnae eruditionis[1]*, tum posteriores*[2] *ad praedicandas* 2 *ingenii sui virtutes excitavit. Et tam variae doctrinae exercebat studia, ut satis sit dignus, qui cum illustriore saeculi illius homine, Sigeberto Gemblacensi, quodammodo conferatur. Non enim in rerum gestarum scriptoribus tantum numerare eum debes, verum in poetice etiam prospere versatus est, ac musicis adeo valuit, ut et modos facere sciret et praecepta eius artis edere.*

Erat autem Augustensis Sancti Udalrici et Sanctae Afrae monachus, Eginoni abbati addictissimus; quem quidem, ab Herimanno episcopo, schismatis Wibertini ac Burdiniani socio, e monasterio a. 1118 *exactum, fideliter est secutus annoque* 1120 *Romam comitatus ad Calixtum II papam. Ibidem, Romae dico, scripsit eum quem iam proferimus libellum sollertem, acutum, utilem, constantissimum in abbate laudando, in vituperando episcopo vehementissimum; licet similem verborum sonitum nimis fere coacervanti hic illic acciderit, ut tumidius obscuriusque quoddam dicendi genus consectaretur. Atque illo quod indicavimus tempore confectum librum esse, ex praefatione suspicari licet. Etenim eos allocutus fratres, qui pulso abbate aut vi coacti aut sponte sua exsulatum ierant, sese pronunciat, quo Egino „magis ac magis honoretur vel ametur", in opusculo ostensurum: quomodo et is abbas constitutus et Herimannus investitus sit, quae miracula sub Eginone in monasterio fiant, quo tandem ipsi fratres exsilio affecti sint. Ne tenuissimum quidem indicium adiicit de Eginonis morte, quam, si post eam conscripsisset praefationem, ad augendam abbatis gloriam profecto non siluisset. In ipsius opusculi quoque capite* 7, *se vivo abbate in opere fuisse, enunciat verbis his:* Pater idem, cui noster servit stilus, testatur *cet. Continetur autem praefatione etiam mentio litterarum a Calixto II die* 25. *Iunii* 1120 *Eginoni concessarum. Itaque quum Uodalscalcus, Roma die* 1. *Iulii relicta et quatuordecim diebus in procelloso mari transactis, iam die* 15. *Iulii Pisis affuerit abbati morienti, dubitari nequit,*

1) V. Transl. sancti Conradi ep. Const. SS. IV, 444, ubi *vir eruditissimus* dicitur. 2) ut Sigismundum in Chron. Aug. eccl. ap. Pistor.-Struve III, 675, Willelmum Wittwerum in catal. ms. abbatum S. Ud. et Afr. Aug., cet.

quin spatio dierum 25. *Iunii et* 1. *Iulii* 1120 *in manibus libellum suum habuerit. Quem vero magnopere dolemus ad nos non pervenisse nisi imperfectum. Namque in mediis rebus a.* 1118 *gestis terminatur capite* 31, *sive quod ipse auctor interveniente Eginonis obitu laborem diremit, sive quod extremum opus deletum est temporis iniquitate. At Eginonis epistolam, Pisis die* 14. *Iulii* 1120 *datam, et Uodalscalci de illius morte narrationem, quae adiunctae libello sunt, non spectare ad consilium auctoris in praefatione propositum, satis intelligitur ex eo, quod paullo ante docuimus. Est autem praeterea additum Uodalscalci* carmen de Eginonis *Romam itinere* obituque, *Leoninis quos dicunt versibus scriptum, quod item integrum non exstat.*

Exstincto Eginone, Uodalscalcus in episcopatum Constantiensem exsul concessit, ubi novarum litterarum ei praebita occasio est. Udalricus I enim episcopus Constantiensis (1111—1127), *qui de Conrado praedecessore suo* (935—976) *ascribendo sanctis cogitabat, quum a sede Romana opus esse cognovisset ut liber de illius vita contexeretur, hospitem monachum perficiendo huic labori praeter ceteros idoneum delegit. Is ergo* Vitam Conradi, *quam quidem editam supra SS. IV*, 430—436 *reperis, et intervallo annorum* 1121 *et* 1122 *mandavit litteris, et inito anno* 1123 *Romam episcopi iussu pertulit*[3]. *Ubi recitato opere in synodo Lateranensi, die* 28. *m. Martii* 1123[4] *Conradus in sanctorum numerum relatus est a Calixto II. — Roma revertens a quodam viae insidiatore captus est Uodalscalcus. Qua in custodia, sociis petentibus, eiusdem sancti Conradi gesta etiam versibus tradidit*[5]. *Paullo post autem dimissus poema attulit ad Udalricum episcopum, qui deinde translationem sancti d.* 26. *Nov.* 1123 *peregit. — Videtur ad eandem Uodalscalci in episcopatu Constantiensi mansionem revocanda esse conscriptio* Cantus de sancto Udalrico *episcopo Augustensi* (923—973), *incipientis ita:* „Inclyta devotis columus“[6], *quem saltem constat rogatu eiusdem Udalrici I episcopi Constantiensis compositum ab eo esse. Qui cantus ut in ecclesia monasterii sanctorum Udalrici et Afrae Augustensi decantaretur, paucis post annis concessit legatus apostolicus.*

Uodalscalcus enim, abbas Sanctorum Udalrici et Afrae electus[7], *ab Herimanno episcopo Augustensi, qui in gratiam Romanae sedis a.* 1123 *redierat*[8],

3) Vid. transl. S. Conr. l. l. 4) Vid. Reg. pont. Rom. n. 5120. 5) Et vocum sonis rescripsisse idem carmen videtur; sic est enim in transl. S. Conr. l. l.: »historiam — Conradi suaviter modulatus est.« 6) Vid. Sigismundi chron. Aug. l. l. 7) Annotare lubet, ordinem temporaque abbatum Augustensium a posterioribus huius coenobii historicis satis voluntarie ac mendose descripta esse; operaeque pretium est, eorum, qui in Uodalscalci libro memorantur, hic componere seriem. Sunt autem hi: 1. *Dietmarus,* cuius mors ad d. 1. Dec. revocatur in Necrol. Sanctorum Ud. et Afr. apud Braun Not. hist. lit. VI, 49; 2. *Sigehardus* »in schismate Wibertino — ideoque post a. 1080 — constitutus«, v. infra c. 1; qui vixit a. 1087 teste Berengarii ep. Gerundensis epistola ap. Khamm Hier. Aug. P. I, cath. p. 195; cuiusque obitus ad d. 17. Iunii et ad d. 8. Iulii annotatus est in Necrol. p. 51; 3. *Hartmannus* (abbas Gotwicensis), deiectus ante a. 1106; 4. *Berengarius,* qui abdicavit circiter a. 1106; 5. *Adalbero* (abbas Wessofontanus), qui abdicavit circ. a. 1109, cf. infra c. 2 et 3; 6. *Egino* electus a. 1109, obiit d. 15. Iulii 1120; 7. *Guntherus,* a. 1118 pulso Eginone abbas creatus, vid. infra c. 26. 27 et 29; cuius supremus dies 2. Dec. invenitur in Necrol. p. 54 (Wollemari, quem volunt post Eginonem rexisse abbatiam, vestigia reperi nulla); 8. *Uodalscalcus.* 8) teste Calixti II epistola, data d. 31. Martii 1123, quam praestamus ex Khammii Hier. Aug. P. I, cath. p. 198: *Calistus episcopus, servus servorum Dei, clero et populo Augustensi salutem et apostolicam benedictionem. Dilectus frater noster, H(erimannus) episcopus vester ad sedem apostolicam cum multo labore et fatigatione sui pervenit, et sanctam Romanam ecclesiam, matrem suam, humilitate debita et obedientia recognovit. Quem nos paterna dilectione suscepimus et tamquam obedientem filium nobiscum diligenter habuimus. Ipsum itaque ad vos cum nostra gratia et integritate sui episcopalis officii remittentes, universitatem vestram rogamus, monemus atque praecipimus, ut eum benigne suscipiatis, affectione praecipua diligatis, et ei, sicut patri et magistro vestro necnon et animarum vestrarum episcopo, reverentiam et obedientiam humiliter impendatis. Dat. Laterani 2. Kal. April.*

consecratus est die 4. Septembris[9] *anni ut videtur* 1124[10]. *Mox vero quum* 10
denuo infamatus episcopus esset, id effecit abbas, ut Gerhardus, presb. card. Sanctarum Aquilae et Priscae postea Sanctae Crucis in Ierusalem, ei circiter anno 1130 *tribueret litteras has:*

Gerhardus[11], sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis et apostolicae sedis legatus, in Christo plurimum dilecto fratri Uodalscalco, ecclesiae sancti Udalrici et sanctae Afrae venerabili abbati et cunctis fratribus, in Domino sub eo militantibus, salutem et omne bonum. Relatione catholicorum et fidelium virorum manifeste comperimus, quod post obitum bonae memoriae Eginonis abbatis fratres tui communiter et concorditer te in abbatem elegerunt. Cui electioni apostolicae sedis legati, G(uillelmus) Praenestinus[12], A(zzo) 12
Aquensis episcopus, A(delbertus) Moguntinus archiepiscopus, ad quem ecclesia tua iure metropolis pertinet, fraternitatem tuam sat renitentem assensum praebere coegerunt, et ut de more ecclesiae tuae ab H(erimanno) Augustensi episcopo, qui tunc apostolicae sedis gratiam et ecclesiae communionem habebat, investituram et benedictionem reciperes, praeceperunt. Sed quia eadem persona plerisque catholicis viris est suspecta et in ordinibus a pluribus vitatur, ne pro benedictione ab eo suscepta scandalum vobis possit oriri, quadam pia sollicitudine dubitatis. Ne igitur personae vestrae in posterum pro eadem benedictione aliquod scandalum aut calumnia oriatur, nos apostolicae sedis auctoritate, quod in persona vestra a praedicto fratre factum est, ratum haberi censemus, et ut nulli de cetero pro eadem causa contra vos calumniam aut querimoniam movere liceat, omnimodis prohibemus. Praeterea cantum, quem de patrono vestro, sancto Udalrico, precibus venerandae memoriae Udalrici Constantiensis episcopi et fratrum tuorum petitione composuisti, in ecclesia vestra ad eiusdem sancti honorem frequentari et sollempniter decantari volumus et mandamus.

Coniunctius versatus est Uodalscalcus cum successore Herimanni, Waltero episcopo (1133—1150), *quippe cuius voluntate* ***Vitam Adalberonis episcopi*** *Augustensis* (887—910) *memoriae prodiderit, in lucem nondum editam excepta praefatione, quam supra SS. IV,* 383 *legimus. — Ad haec composuit* ***Legendam sanctae Afrae*** *„Cum sub Diocletiano“,* ***Cantum de sancta Maria Magdalena***[13], *„librum egregium* ***de arte musica***“[14], ***carmina varia***, *pa-* 13
rietibus et velis quadragesimalibus monasterii inscripta[15], *ex quibus nonnulla reperiuntur ap. Khamm Hier. Aug. P. II, coll.* 241, *Veith Bibl. Aug. I,* 205. 207 *sq., Braun Not. hist. lit. III,* 142—145. *In his versibus invenis etiam ipsius Uodalscalci epitaphium. Cessit autem e vita circiter anno* 1150, *die* 10. *m. Martii*[16]. — 16

In Uodalscalci de Eginone et Herimanno narratione edenda praesto nobis erant subsidia haec:

1) *Willelmi Wittweri, monachi Augustensis, catalogus abbatum Sancti Udalrici et Sanctae Afrae exeunte saeculo XV exaratus, in quo quidem f.* 48′—66′ *tota inest, quoad exstat, narratio, quemque adumbraverunt Veith in Bibl. Aug. I,* 214 *sq. et Braun Not. III,* 1 *sq. Illustrissimus enim episcopus Augustensis, Petrus de Richarz, summa et humanitate et liberalitate codicem hunc bibliothecae*

9) Vid. cod. tradit. S. Udalr., Mon. Boic. XXII, p. 30: »dum idem abbas (Uodalscalcus) vivit, ipsi fratres in ordinatione eius, quae est II. N. sept.« cet. 10) Vid. infra n. 12. 11) sic scripsi pro *Frater Gebehardus.* — Hae litterae (quas descripsimus ex Willelmi Wittweri catal. ms. abb. SS. Udalr. et Afr. Augustensis f. 69′) datae sunt non ante a. 1127 (quo quidem obiit Udalricus I, ep. Const., »venerandae memoriae« in iis dictus) neque post a. 1133 (quo Herimannus ep. Aug. mortuus est). Gerhardum autem constat annis 1130 et 1131 in Germania fuisse. 12) Guillelmum, episcopum Praenestinum, a. 1124 versatum in Germania esse, liquet ex Gest. Godefridi archiep. Trevir. SS. VIII, 201. 13) Vid. Sigismundi Chron. Aug. l. l. 14) quem memorat Willelmus Wittwer in catal. ms. f. 70. 15) ea collegit Willelmus Wittwer l. l. f. 72—88. 16) dies legitur in Necrol. SS. Udalr. et Afr. l. l. p. 49. Non constat annus. In variis tabulis, quae sunt in Mon. Boic. XXII, Uodalscalcus abbas memoratur vivus a. 1127 p. 13, a. 1131 p. 14, a. 1137 p. 169, a. 1147 p. 75; at Hezilo, successor eius, a. 1156 p. 176.

episcopalis mitti ad nos iussit, petente reverendissimo canonico maioris ecclesiae Augustensis, Antonio Steichele, viro de rerum Augustensium historia meritissimo, cui gratissimis obstricti officiis sumus.

2) Editio, quam primus „e cod. Augustensi" curavit Canisius Ant. lect. II, 205—243, quamque repetiit Basnage Thes. mon. III, 2, 6 -19.

Quibus comparatis inter se praesidiis, contigit, ut meliorem ad conditionem redigeremus libellum.

Berolini, 3. Kalend. Iulias 1855.

PRAEFATIO.

Sub venerabili abbate Eginone pro Christo[a] positis in dispersione sancti Uodalrici et
sanctae Afrae coenobitis Uodalscalcus, servus eorum utinam non inutilis, bravio donari
aeternae beatitudinis. Gratia solis iustitiae illustrati, nationis pravae atque perversae re-
Matth. 5, 10 nuntiastis caecitati, ac per hoc, in persecutione propter iustitiam tribulati, euangelica atte-
statione meruistis esse beati. Patrem etenim[b] vestrum spiritalem carni et sanguini prae-
17 posuistis, immundum tangere noluistis, dum, ipso docente, Augustensem dictum[17] episco-
pum[18] in interdictis sacramentis minime recepistis. Quapropter vestrae quasi in praemium
1120. Iun. 25. conceditur[19] sanctitati, ut, si qui ex vobis ab eo sunt ordinati, nulli per hoc canonum sub-
iaceant severitati, sed in eiusdem patris vestri pendeat potestate, ab huiusmodi contagio
apostolica vos absolvere auctoritate; maxime illos, qui post factam sibi pontificalis officii
suspensionem nullam[c] ab eo percepere consecrationem. Ut autem pater idem magis ac
magis honoretur vel ametur, qualiter sit abbas constitutus, litteris commendetur, tum pro
cavenda oblatrantium falsitate, tum pro tenenda rei huius veritate. Quantis etiam miracu-
lorum beneficiis locus noster[d] sub tali abbate declaratur, ad laudem Dei memoriae non
subtrahatur. Dein quomodo dictus episcopus investiatur seu ordinetur, nichilominus sub-
notetur, ut totum gratiae tribuendum esse doceatur, quidquid in eo vel sub eo ab ecclesia
recipiatur. Postremo, tyrannide impiorum praevalente, quomodo locum ipsum ecclesia
reliqueritis praecipiente, calamo non dissimuletur, ut ad tantum iustitiae fervorem exae-
quandum posteritas provocetur.

1109. 1. Anno dominicae incarnationis millesimo centesimo nono Augustensi coenobio, in
honore sancti Uodalrici et sanctae Afrae constructo, domnus Egino abbas intronizatur[e]. Qui
in eodem loco, regulari educandus disciplina puer a parentibus Deo[f] sub venerabili eius-
dem monasterii abbate Dietmaro[g] oblatus, per incrementa temporum apprime[h] sacris est
litteris imbutus. Puerili autem flore ad iuventutis maturitatem perducto, honestioris vitae
pollebat studio. Sed quia scisma vigebat ibi tunc temporis illud, cuius erat caput Heinricus
20 rex[20], causa Wibertus, consilio meliore locum mutavit eundem; praesertim cum praedicto
patre[21] sanctissimo iam dudum orbatus fuisset et alii, in eodem scismate constituto[22], subdi
noluisset. Perveniens ergo ad sancti Blasii cellam, Nigra in silva sitam, benigne ab omni-
bus suscipitur, ibique tam diu prudens tyro conversatur, quousque in bonae memoriae Ge-
21 behardi Constantiensis episcopi[23], de sede sua[i] iam expulsi[24], ministerium assumeretur.
Tanta siquidem persecutionis rabie praefatus tyrannus in catholicam exarsit ecclesiam, ut
2 Thess. 2, 7 Neronem misterium iniquitatis operantem ab inferis emersisse timeres; nisi quod ille Petro
occiso nullum sedi apostolicae, ut iste haeresyarcham[k] Wibertum, intruserit, cui etiam,
cunctis catholicis episcopis proturbatis[l], sedes eorum per superpositos subdiderit. Illi in-
quam reverendo praesuli pater iste adeo necessarius, adeo fuit acceptus, ut saepius lega-
25 tione eius ad domnum papam[25] fungeretur, deposito interdum ex obedientia habitu mo-
nachico, ut hostis per simulatam secularium speciem falleretur. Quid plura? Totius laboris

a) Christi 2. b) enim 2. c) ullam 2. d) vester 2. e) eligitur *corr.* 1. f) *deest* 1. g) Diemaro 2. h) adprime 2. i) *deest* 2. k) heresyarcha 1. l) perturbatis 1.

17) i. e. quem dicunt, den sogenannten. 18) Herimannum. 19) a Calixto II d. 25. Iun. 1120 tabula, quam edemus infra in annotationibus. 20) Heinricus IV. 21) Dietmaro abbate. 22) Sigehardo. 23) Sedit ab a. 1084—1110. 24) anno 1103; cf. Annal. August. 1103, SS. III, 135, et Chron. Petershus. ap. Mone Quellensamml. I, 148. 25) Paschalem II.

et angustiae eius comes permansit individuus, donec pace ecclesiae reddita, sede receptus 1105. est propria[26]. Per idem tempus praedictum Augustense coenobium patre carebat; domnus autem Egino iam, ut emeritus[a] miles, quietem monasterii[27] velut in praemium receperat. 27 Ad quod Augustenses fratres nuntios mittentes, confratrem suum revocabant et animo concordi in abbatem sibi eligebant. Quem ille, renuens ut puta onus, honorem penitus 1109. abdicasset, si non ex supra memorati praesulis iussione nec non multarum spiritalium vel catholicarum personarum persuasione subire acquievisset; maxime cum Augustensis episcopus[28], a quo erat investiendus, communionem ecclesiae iam recepisset insuper et abiurationem omnis haereseos in praesentia apostolicae sedis legati[29] fecisset. Nullus enim eorum, 29 qui Wiberti et Heinrici consenserant[b] haeresi, ab apostolica sede recipiebatur, qui non prius, eadem peste cum capitibus suis abiurata, catholicam ecclesiam publice profitebatur.

2. Hoc in loco minus praetermittendum videtur, quod quidam veritatis subversores quasi ratiocinando calumpniantur dicentes, huic patri sedem non vacasse, dum tres eo superveniente fateantur inibi sedisse. O linguam mendosam, o labia dolosa; ideo posuerunt Psal. 72, 9 in coelum os suum, ut lingua eorum transeat in terram. Tres inquiunt ibi sederunt. Si tres fuerunt, aut omnes aut duo ex illis superpositi extiterunt. Si omnes, nullus eorum abbas, si autem duo, pater iste non tribus, sed uni est superpositus. Ergo sive illud sit sive illud, falsum est quod dicitur[c]. Verum ut fidelibus, ne offendant, rei huius veritas patefiat, transcursis obturata aure Scillaeis canibus, hiis dictis intendant[d]: Defuncto igitur eiusdem Augustensis loci abbate nomine Sigehardo[e], domnus Hartmannus Gotwigensis abbas[30] eidem praeficitur coenobio[31]. Quod quia intolerabile visum est ecclesiae, talem scilicet personam 31 a scismatico episcopo nomen regiminis accepisse, quod incaute fecit in sua rediens correxit. Deinde non multo evoluto tempore, quidam nomine Berengarius[f], Vuldensis professus, Augustensibus vero fratribus[g] incognitus, pro fratris sui munere obsequii, locum ipsum suscepit regendum. Qui etsi idiota fuisset, tamen, quia contra statuta canonum, non a fratribus electus ut puta ignotus illo advenisset, intellexit; intelligens et ipse discedendo correxit. Haec tamen omnia in scismate et a scismatico praesule sunt facta. Tandem illa generali absolutionis dispensatione per apostolicae sedis legatos, videlicet Richardum Al- 1106. banum et Gebehardum Constantiensem episcopos, in Theutonici regni diffusa latitudine[32], etiam Augustensis episcopus a misericordia[h] non excludebatur; qui, ut praedictum est, per haereseos abiurationem et unicae ecclesiae professionem reconciliabatur. Tamen quia Ps. 101, 14 nondum tempus miserendi advenit, etsi religiosus, alterius iterum loci, videlicet Wezzinesprunnensis, abbas[33], et huic Augustensi supervenit. Hic quanto imprudentior[i] altiora se Eccli 3, 22 quaerendo cecidit, tanto celerior, fratribus quoque suis[34] id ipsum exigentibus, sua repe- 34 tendo surrexit.

3. Tandem rebus ut dictum est ecclesiasticis tranquille dispositis, non neophytus, non 1109. alienus vel alio ovili occupatus, sed loci ab infantia professus, pater Egino nullo praesidente abbas eligitur, canonice electus ordinatur. Et unde vel cui superpositus? Ecclesia in scismate positum deposuit[35]; alienigena oves, ut puta non proprias, deseruit[36]; pastorem suum[37] grex derelictus[38] recepit. Sic nimirum sic tribus constitutis, immo destitutis, abba- 38 tibus quartus, ut fertur, pater iste est superpositus. Sed ut oblatrantibus breviter concludamus[k]: aut iste statuatur ut illi deponantur, aut illi tres approbentur ut iste reprobetur. Ex hiis duobus parum laborantes unum, scilicet probabile immo necessarium, probavimus; alterum illis semper laboraturis probandum dimittimus. Necdum stilus retrahi poterit, dum, qualiter inimicus proprio confodiatur mucrone, occurrit. Causa extitit, qua praelibatus Gotwigensis abbas Augustam veniens huic patris nostri investiturae interfuit. Tum vero

a) e merito 1. b) consenserat 1. c) dictum 2. d) intendatur 2. e) Sigahardo 2. f) Beringarius 2. g) *deest* 2. h) amicitia 2. i) prudentior 1. 2. k) *deest* os, *vel simile verbum*.

26) a. 1105 restitutus ab Heinrico V est Gebehardus, vid. Chron. Petersh. l. l. 27) sancti Blasii. 28) Herimannus, 1096—1133. 29) Richardi, episcopi Albanensis, anno 1106. 30) ab 1094 ad 1114; vid. Ann. S. Rudb. Salisb. 1094, SS. IX, 774; Ann. Admunt. 1094 et 1114, ibid. p. 576. 577; Auct. Garst. 1114, ibid. p. 568. 31) ab Herimanno episcopo; vid. Vit. Altmanni supra p. 241. 32) Vid. Ekkehardi Chron. 1106, SS. VI, 233; cf. infra c. 14. 33) Adalbero, qui a. 1065 creatus abbas Wessobrunnensis, obiit d. 3. Aug. 1110; vid. Leutner Hist. mon. Wessof. p. 106—116. 34) Wessobrunnensibus. 35) Hartmannum Gotwicensem. 36) Berengarius professus Fuldensis. 37) Adalberonem. 38) Wessobrunnensis.

1109. grande cerneres spectaculum, quomodo scilicet abbas electum nostrum veluti robustior agonotheta[a] debellaret, exspectantium. Sic se habet popularis concursus: litibus nimirum oblectari et seditionibus, ut hinc partem plausibus attollat, inde parti illudat. Verum hic, pugna non praeveniente, spes illam affectantium delusa est, nullo vincente, nullo ruente. Siquidem abbas, quod ante non fecerat, curam vel nomen huius regiminis publice abdicarat, fratribus obedientiae voto indulso[b], familiae etiam sacramento, quo sibi erat obligata, resoluto. Ingens tamen clamor populi Deum super hiis collaudantis attollitur, ut[c] et tali acclamatione insidiatori adulterans suspicio tollatur. Vides adhuc, aemule, primum et
39 maximum de illis tribus abbatibus dexteras nobis dedisse. Videbis et ultimum[39], non tamen minimum, eadem postea fecisse. Nisi tibimet contrarius nobiscum fatearis, neutrum eorum necessarium extitisse; etenim extra legem usurpans potestatem sicut ei, cui iure debetur, intromittendo non nocet, sic non eius, sed propriae tantum saluti ab illicitis cessando pro-
Psal. 102, 6. spiciet. Dominus quippe facit iudicium patientibus iniuriam, non irrogantibus.

4. Hoc ergo ordine pater iste intronizatus, ut alter Ieremias vitiorum spinas, quae inibi ultra modum succreverant, omni coepit annisu evellere, atque virtutum germina quoslibet viros convocando religiosos studuit excolere. Unde et[d] contigit, ut locus, ex incolentium pravitate iam diu abiectus ac despicabilis, per huius bonae conversationis odorem vitae acceptus haberetur et honorabilis; adeo ut in brevi numero[e] Deo fideliter servientium augeretur, praediis quoque vel ecclesiae thesauris copiosius ditaretur. Sancti etiam, quorum ibi venerantur patrocinia, maiori signorum vel miraculorum clarificantur gloria. Ex quibus, multis praetermissis, pauca subnotentur, quae tamen[f] specialius ad eiusdem patris nostri consolationem pertinere videntur. Quidam ex laico conversus, Bruno vocatus, ab eo monachus ordinatur, aliquamdiu sanus et incolumis commoratur. Credo, tyrocinii fervore tepefacto, vis daemoniaca, quae ad tempus recesserat, iam septempliciter aucta redibat. Frenesi namque graviter arripiebatur, et sicut se habet hoc genus, vix a multis captus tenebatur. Nobis vero mirantibus super hiis atque stupentibus, etiam domnus abbas accurrit festinantius. Stridet miser dentibus[g] ligno duriori; ne linguam masticando consumat, fit gargarismus. Videres pectus, utpote ubi minus premebatur, in cumulum succrescere, faciem pallescere, totum vero corpus tremere, quaelibet contigua velle carpere ac secum discerpere. At ubi benedictionem patris nostri promeruit, paulatim quasi de gravi sompno evigilans, resedit; sicque, ut numquam daemoniacus languor rediret, convaluit.

5. Alii quoque duo ex eodem monasterio fratres, quorum unus Adalgoz[h], alter Hecil[i] vocabatur, eadem epylempsia[k] diverso tempore non diverse corripiebantur. Quibus ut ab ipso patre quaedam sancta precabantur[l], nobis astantibus in momento et illi sanabantur.
Iul. 4. Turbis aliquando ad festum patroni nostri sancti Uodalrici undique versum confluentibus, quidam homo novem iam annis et dimidio ita contractus, ut plantis pedum natibus velut innatis videretur, asello vectus advenit. Cuius etiam asini dorso digiti pedum sessoris impressi cernebantur, ut, quantum vitium naturae dominaretur humanae, et ex animalis vulnere, contra naturam scilicet inflicto, colligatur. Hic, nobis missarum sollempnia ad altare sancti Uodalrici celebrantibus, manibus reptans et genibus, ad sepulchrum beatae Afrae pervenit, ibique spe aliquantula sanitatis, ut postmodum ipse retulit, orationem fudit. Interim animo occurrit artus iam diu contractos velle distendere, maxime cum gravius quam solebant coepissent dolere. Tota ergo nitens virtute plantas vix modicum e carnium cavernis potuit removere. Nervi vero se paulatim extendentes crepitare audiebantur, ita[m] ut cremium aridissimum confringi putaretur. Tum, ipso prae dolore nimium vociferante, a populo irruente sustollitur et ad tumbam sancti Uodalrici defertur. Ubi cum diutius sine voce vel[n] motu iacuisset, subito pectus coepit intumescere, ita ut cuncta corporis interiora ibi timerentur erumpere. Quapropter cunctis astantibus animae egressum praestolantibus, saepe dictus pater monasterii, salviae folio muti linguae supposito, interrogat, quomodo valeat. *Bene*, inquit, *domne, bene, si tantum curam habebitis de me.* Exinde pater accepit eum in sua. Nondum septem diebus completis clero et populo convenientibus, crucem iste, tam diu vermis et non[o] homo, per medium civitatis portabat, cunctisque Deum magno cum

a) agonitheta 1. b) incluso 1. c) ut – tollatur *desunt* 1. d) *deest* 2. e) numerus 2. f) *deest* 2. g) *videtur* ut *excidisse*. h) Adalgos 1. i) Hecill 1. k) epilepsia 2. l) praecantabantur 2. m) vero *addit* 2. n) et 2. o) non *deest* 1.

39) Adalberonem.

tripudio glorificantibus, quam[a] perfectae sanitati[b] redditus esset, saltibus laetitiae demonstrabat.

6. Puella quoque septennis ex utero matris clauda, parentibus comitantibus ad eundem perducitur locum, de qua[c] etsi plura mira et huic aetati insolita idoneis attestantibus personis cognovissemus, nos tamen ea tantum quae vidimus subnotare curavimus. Cum esset, ut dictum est, debilis et imbecillo corpusculo, austeriori maxime vescebatur cibo, pro magnis deputans delitiis, si quando reficiebatur ovorum edulio vel lactis. Iesum[d] nomen in ore iugiter volvebat, angelico potius quam humano vultu resplendebat. Ultra omne desiderium cottidie dominicum delectabatur percipere sacramentum; cui et quanta reverentia seu lacrimarum compunctione approximabat! Inspicientium crebrius conscientiam iudicabat, personas hominum iuxta vitae meritum pensabat, dum quosdam libenter aspiciebat, a quibusdam obtutum, tamquam nequitia reverberatum, avertebat. Nobis vero[e] cur hoc faceret percunctantibus ac Domini cum publicanis et peccatoribus manducantis exemplum proponentibus: *Ipsum*, inquit, *Deum testor, non causa despectionis me hoc agere, sed timoris; quod etiam rivus iste mei prodit sudoris.* Siquidem, ut unum e plurimis dicamus, duos forte supervenientes aspiciens clericos, unum alloquitur, alterum abhominatur. A circumstantibus rogatur, ut et alterum intueatur. *Ecce*, inquit, *annuo vestrae petitioni*[f]*; sed vos amodo*[g] *huic meae parcite afflictioni.* Facies enim pallebat, sudor per totum corpusculum decurrebat. Nos quasi poenitentia ducti tristabamur quidem in doloris compassione, sed laetabamur in dubiae rei comprobatione. Diligentius[h] autem de clericorum sciscitantes conversatione veraciter didicimus, eundem, quem puella detestabatur, monachum fuisse, sed habitum clerici, potiori abiecto, induisse. Sed ne aliquis obiciat, hanc illos prius agnovisse[i], ideoque in utriusque[k] pensatione nichil miraculi extitisse: exceptis veris ut ostensum est indiciis, quae fidem dare poterant dictis, plurimorum occultiora detegebat peccata, quae nonnumquam per confitentes vere sibi probavimus revelata. Haec dum in ecclesia noctes ac dies paene orationum instantia continuaret, quadam die vespertina hora reptando circa memoriam beati Uodalrici ad altare usque provolvitur. Cuius pallam cum geniculans tetigisset, repente locus quo haerebat commovetur[l], ita ut puella acrius laberetur. Ad cuius erectionem circumstantes accurrunt, claudae[m] ex more sessum componunt. Tum illa: *Statuite*, inquit, *me supra*[n] *pedes meos, quia Dominus direxit gressus meos.* Illis hoc Psal. 39, 3
non sine admiratione facientibus et ne caderet adhuc retinentibus, relictis omnibus progreditur, et quasi alienis pedibus nutando primum abutitur, sed in brevi tota natura restituitur. Nec mora, in turbas rapitur, et sicut est humana curiositas, hilarior cuius hanc domus promeretur[39*]. Comitatur epulas lascivia, hauriuntur innocentis auribus vaniloquia, attrahitur scurrilitate pueritia, minuitur boni spiritus[o] gratia. Deo tamen propitio, dolore corripitur acerrimo, attenuatoque diuturna castigatione corpusculo, in Domini confessione a praesenti nequam eripitur saeculo.

7. Mulier quaedam Augustensis, non ignota civis, nebula obducitur caecitatis, octo et eo[p] amplius visu privatur annis. Quae dum solito ad beati Uodalrici sepulchrum quodam die humili prosterneretur[q] supplicatione, subito totam replevit clamore basilicam, invitans omnes ad sibi redditam lucis gratiam. Fama universam convocat civitatem, Domini laudantem super tam evidenti miraculo pietatem. Pater idem, cui noster servit stilus, testatur, se quendam mutum vidisse ad saepe dicti immo dicendi[r] sancti Uodalrici mausoleum[s] consedisse, cui repente, solutis linguae vinculis, loquendi sit restituta facultas per indicium currentis ex ore sanguinis. Quid referam de energumenis, quos ibi fere totiens vidimus liberari, quotiens vexari! Contigit enim, quadam femina meritis beatae Afrae curata et crucem, sicuti moris est, confluenti turbae per medium urbis praeferente, aliam arrepticiam in ecclesia sanctae Dei genitricis liberatam cum sibi iuncta multitudine occurrisse, sicque unitis duobus semper vincentis Iesu vexillis, duplici exultantem Dei populum triumpho hinc inde cum laudibus in sua redisse.

8. In huius nostri dedicatione templi[40] praefato patre verbum vitae ad populum ali- Sept. 7.
quando faciente, quidam daemonio vexatus magnis coepit perstrepere[t] vocibus, ita ut

a) quia 2. b) *deest* 1. c) quo 2. d) Iesu 2. e) vel *addit* 1. f) précationi 2. g) amabo 2. h) Vigilantius 2. i) cognovisse 2. k) utrisque 1. l) movetur 2. m) cladam 1. claudam 2. n) super 2. o) specie 2. p) eo et 2. q) prosternaretur 1. r) immo dicendi *desunt* 2. s) mausolum 1. t) stepere 2.

39*) Iunge: *hilarior domus cuius(dam) hanc promeretur* (i. e. recipit). 40) i. e. in vigilia nativitatis

magis ad eum compescendum quam ad verbum audiendum occuparetur vulgus. Tum subito hostis humani generis: *Quid,* inquit, *me tantopere sedatis, cum post paululum, quam utili circumferar negotio, videatis?* Haec nobis audientibus cunctosque pro viribus ab eo qui mendax ab initio fuerat avertentibus, ecce cruentatum militem quasi ex acie fugientem per medium populi cernimus discurrentem, atque urbem ab hostibus captam terribili clamore nuntiantem. Flebilis omnium vociferatio, nulla fugientium expectatio, domus Dei asylum posse fieri desperatur, dum et inerme vulgus egreditur; a suburbanis arma rapiuntur, ad locum certaminis properatur, in se quaeque ruunt, nec hostem quem feriant inveniunt. Tandem in se reversi, sathanae insidias cognoscunt, mendosum militem requirunt, sed reperire, ut puta evanescente fantasmatis transfiguratione, nequeunt. Quae illusio quamquam ex cuius acciderit peccato nesciatur[a], tamen quotiens ad audiendum verbum divinum congregamur[b], ne aliorsum intendamus, in commune per hoc factum exhortamur.

9. Presbyter quidam nomine Liupoldus, eiusdem ecclesiae aedituus, iam senio confectus moritur. Post[c] cuius sepulturam alius e vicino sacerdos defunctum sibi videtur videre per sompnium[d], quasi cathenam evomentem quinque cubitorum. Quam narrans visionem consilium fuit, omnem mortui perscrutandam fore suppellectilem, ne quid forte de rebus ecclesiae ibidem contigisset latitare. Domo igitur[e] eversa, zona ex optima reperitur purpura, quae ex sompnii[f] coniectura mensurata tantae extitit longitudinis, quantae cathena visionis. A fratribus confestim recognoscitur, in vestiario reponitur. Duos[g] calices argenteos cum patenis quaedam furatur paupercula, sed fores ecclesiae non valens egredi, nota proditur sacrilegii. Capitur miserrima, reddito furto trahitur ad supplicia. Sed quae, onerata crimine, etsi occulto non potuit effugere, exonerata manus evasit tortorum, Deo parcente. Omnibus quippe ad hoc crudele currentibus spectaculum, quae puniatur quaeritur, sed diu quaesita non invenitur.

10. Gloria inquam maiori signorum vel miraculorum sancti nostri illustrantur, maiori etiam studio sub isto patre nostro venerantur. Ut enim taceamus, Coloniensium[h] ex undecim milibus virginum, Albini quoque martiris, sanctorum Maurorum, nec non multas eum sanctorum undecumque reliquias acquisisse, quibus Augustam allatis, sanctos inibi hactenus latentes, videlicet Dyonisium, primum eiusdem civitatis episcopum, Quiriacum cum sociis suis viginti quatuor martiribus, dum[i] iam reperiuntur, tamquam bene notis civibus assurrexisse. Hiis inquam veluti novis praetermissis, inventionem beatae Afrae, antiqua
41 iam paene oblivione abolitam, sollempniter celebrari constituit[41]; etiam[k] viginti quatuor praedictorum martirum, simul cum sancta Hylaria passorum, festivitatem sub una die[42] nichilominus statuit venerari. Nec in tali fraudatur studio, dum[l] pretiosissimo remuneratur thesauro, capite scilicet eiusdem martiris Hylariae illis diebus invento.

11. Sed totius bonitatis adversarius veluti Iob patrem istum non gratis[m] Deum colere ratus, quippe qui prosperis rebus vel honoribus sit circumvallatus, ac pro nichilo ducens exterioribus eum privari, quasi carnem eius et ossa desiderat flagellari, dum se cum fratribus suis, tamquam carnem ossibus per cordis vel animae unitatem adhaerentibus, ab ipso loco machinatur proturbare, quibusdam ex ipsis longius a se passibus vitae remotis, sicut in convivio voluptatis igne consumptis. Ergo hunc[n], qui nomen pastoris super ovile eiusdem tenet civitatis, adversus eum concitavit, Herimannum dico episcopum[o], adeo ut, qui defendere gregem a morsibus luporum debuit, non ut mercenarius fugeret, sed ipse lupus effectus oves raperet laniaret atque dispergeret, non attendens illud: *Boni pastoris est pecus tondere non deglutire*[p]. Cuius tamen persecutionis causa ipsi episcopo interdictum ab apostolica sede pontificale extitit officium. Quo illo abutente, abbas noster tantae[q] noluit praesumptioni communicare. Ut autem finis huius rei lucidius subsequatur, initium quoque cautius, stilo diligentius[r] digerente, praeponatur[s].

1096. 12. Beatae memoriae Urbano papa secundo[t] Romae praesidente, sedes Augustensis

a) nescitur 2. b) congregamus 1. c) Per 2. d) somnum 2. e) ergo 2. f) sompno 1. g) Duo 1. h) Coloniae .... 2. i) demum 2. k) *deest* 2. l) *deest* 1. m) gratus 1. n) hic 2. o) Her. — episcopum *desunt* 2. p) non attendens — deglutire *desunt* 2. q) tanti 1. r) quoque cautius seu diligentius 1. quoque stilo cautius 2. s) proponatur 2. t) secundo *deest* 2.

Mariae. Vid. Khamm III, reg. 29. 41) d. 27. m. Iulii. Vid. Act. SS. Aug. II, 53. 42) d. 12. m. Augusti. Vid. Khamm Hier. Aug. P. I, cath. 62.

vacabat ecclesiae[43].* Praefato autem tyranno Heinrico imperatore apud Veronam tunc 1096. temporis morante, quippe domna[a] Mathilde[b] prohibente[44] Longobardiam non valens ingredi, nec Italiam obstantibus Theutonicis principibus egredi, quidam comes nomine Uodalricus, tyrannidi suae consentaneus, quam tyrannidem tunc contra sacram Romanam ecclesiam exercebat[c], videns eum hinc inde magnis artari[d] angustiis, acceptis mutuo quingentis a Veronensibus talentis, pro episcopatu Augustensi fratri suo[45] dando sibi obtulit. Insuper 45 et comitatum Theutonicas adeundi partes promisit; quod etiam persolvit. Hoc pacto luscus 1097. frater comitis adducitur, nec ante ab excommunicata laici manu, videlicet imperatore[e], investitur, quam memoratum pondus argenti Veronensibus persolvere iuramento constringitur. Sic militum manu copiosa comes stipatus fratrem, non dico electum sed nec facie notum, invexit Augustensibus. Cogente tamen armatae manus timore ut episcopus excipitur, diligentius ut agnoscatur inspicitur, paulatim caecum se ducem[f] excepisse Augusta miratur. In hoc completam esse prophetae maledictionem, in commune[g] lamentatur: *Obscurentur*, inquit, *oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva.* Psal 68,24. Quem enim pro oculo sibi ad salutem prospicientem susceperunt, hunc interiore et exteriore caecitate dampnatum[h] ex dorsi incurvatione, id est ex suimet tortitudine, quantocius intellexerunt. Caecus namque si caeco ducatum praebeat, ambo in foveam cadunt. Talis igitur[i] electus Matth. 15, 14. contra statuta canonum gradu promovetur presbyteratus, ordinationem pontificatus non incongruo accessu et[k] modo subiturus. Siquidem ab episcopo Aquileiensi[46], qui abusive 46 patriarcha vocatur sub pallio[l] Wiberti haeresyarchae, praemissis duobus iuramentis, ordinatur. Cum enim ordinandus, se licentiam magistri sui Maguntinensis[m] archiepiscopi huiusmodi consecrationis accepisse[47], fateretur, nec nudis verbis ab ordinatore, etsi a duobus apostolicis excommunicato, Urbano scilicet atque Gregorio, crederetur, ministerialis ex potiori familia beatae virginis[n] Mariae, qui hoc sacramento probaret, inquiritur. Quo non invento, tributarius quidam ex eadem familia Bero dictus optimis induitur vestibus, et primo se ministerialem militem, ut puta qui erat grandis staturae, iuramento confinxit, secundo, domnum suum licentiam archiepiscopi consecrationem accipiendi habere, sic enim[o] ipse ad conversionem postmodum veniens nobis retulit, coactus fefellit.

13. Hoc itaque execratus ordine, consequenti visitatur omine. Novus etenim pontifex sancta sanctorum ingreditur, Deum non placaturus sed irritaturus. Missae officio ut videbatur ad hoc peracto, dyaconus populum ad episcopi benedictionem humiliandum exhortaturus, non mente ut putabatur alienatus, hoc utitur praeconio: *Inclinate*, inquit, *capita vestra Deo*[48]. Ab omnibus exhortatio pontificalis benedictionis suggeritur. A levita, ut po- 48 pulus Deo capita inclinet, iterum atque iterum repetitur;

Talia perstabat memorans, fixusque manebat. Virg A. II, 650.

Percontatus post a familiaribus utrum ex industria hoc fecerit, idem dyaconus testabatur Deum, non se sponte sed coacte et[p] quasi in extasi hoc[q] praecinuisse. Denique mendacio composito[r] Augustam regreditur episcopus, clerum et populum iam libera tyrannide oppressurus. Siquidem pauperes ac divites depraedatur, ecclesiaeque[s] sanctae Dei genitricis

* *Sequitur in 1 scriptoris sine dubio posterioris additamentum hoc:* Interea comes Herimannus Augustensem episcopatum circa annos Domini millesimum centesimum tertium ab Heinrico tertio imperatore, scismatico excommunicato ac anathematizato, symoniace mercatus, atque proinde dum obstinatus absque consecratione divina agens, Burdinum antipapam reciperet, a Pascali papa secundo et deinde a Gelasio secundo demumque a Calixto secundo interdictus atque excommunicatus, et dum ob eam rem vir sanctus Egino ei resistens ab eius communione se subtraxit et exinde in eum episcopi crevit furor, ut mortem viro Dei post multas iniurias intenderet, et de loco fugere compulit.

a) dona 2. b) Mahtilde 2. c) quam tyrannidem — exercebat *desunt* 2. d) iactari 2. e) videlicet imperatore *desunt* 2. f) *deest* 2. g) in hoc — commune *desunt* 2. *addit vero* et. h) natum 2. i) ergo 2. k) a 2. l) pallii 1. m) Magontiensis 2. n) *deest* 2. o) sicuti 2. p) coacte et *desunt* 2. q) *deest* 2. r) compositus 2. s) ecclesia 2.

43) Sigefridus ep. Aug. obiit d. 4. Dec. 1096; vid. Annal. August. 1096, SS. V, 135. 44) Cf. Bernoldi chron. 1097, SS. V, 465. 45) Herimanno. 46) Udalrico, abbate Sancti Galli et patriarcha Aquileiensi (ab 1077 ad 1122); cf. de eo Catal. abb. Sancti Galli SS. II, 35; Cas. Sancti Galli cont. II, ibid. p. 156. 160; Chron. Petershus. apud Mone Quellensamml. I, 147. 47) Ruodhardi, archiepiscopi Moguntini, epistola, qua Herimanno concedit licentiam illam, legitur in Mon. Boic. XXXIII, 1, p. 11. 48) Videtur *episcopo* dicendum fuisse.

Mariae[a] infinito per eum thesauro privatur, canonicorum praedia vel oblationes in beneficia laicis[b] accommodantur, et[c] horae canonicae seu missae non celebrantur[d], dum pro laudibus Dei querelae ob victus penuriam[e] frequentantur[f].

1105. Dec. 25. 14. Temporibus istis[g] praefatus Romanae sedis legatus, Richardus Albanus episcopus, in Theutonicas directus partes, Moguntiam devenit[49]. Ubi cum apud Ingelenheim Heinri-
1106. Ian. 5. cum imperatorem regalibus privasset insignibus[h. 50], capite nimirum haereseos absciso[i], communioneque omnibus reddita, singula in unum ecclesiae pacificantur membra. Hic, inquam, hic dictus episcopus in generali absolutione non excipitur, sed per Wibertinae haereseos abiurationem, necdum ventilata sui causa, inter caeteros recipitur. Legato quoque Augustam veniente, cleri ac populi exponuntur querimoniae: dictum videlicet episcopum absque canonica electione seu consecratione sedem illam invasisse. Diligentius res audita discutitur; si aliquis canonicorum se huic subtrahat accusationi, perquiritur; omnes in[k] unum dicentes, idem sapientes, nominatim subscribuntur[l]; cuncta in domni apostolici
Oct. praesentia finienda differuntur. Synodus colligitur Warstallensis[51]; assunt cum suo episcopo nuntii ecclesiae Augustensis; refert legatus, quae audierit, qualiterve audita distulerit; idonea iteratur accusatio; nulla praetenditur excusatio[m]; facile ab omnibus concordatur, ut talis episcopus deponatur. Quod et factum fuisset, si non Gebehardus Constantiensis in ipsa[n] Augustensi ecclesia hoc faciendum persuasisset. Eo namque tempore domnus papa Theutonicum adire proposuerat regnum; quod in ruinam perficere nequivit
52 multorum[52]. A pontificali tamen suspensus officio, semiepiscopus regreditur. Terminus huic rei finiendae constituitur; Augusta sui liberationem dolens praestolatur, dum in spe apostolici adventus defraudatur. Infra quem[o] scilicet[p] terminum idem episcopus pro interdicti restitutione officii apostolicum adivit, et ut[q] in termino, Augustensi clero ac populo praefixo, compareat; sed et[r] litteras ab eodem apostolico[s] in hunc modum se continentes accepit:

Nov. 22. *Pascalis episcopus, servus servorum Dei, Augustensis ecclesiae canonicis et caeteris parochianis salutem et apostolicam benedictionem. Venit ad nos non vocatus frater noster Herimannus, vestrae civitatis episcopus, causam suam postulans certiori fine concludi. Non autem querelarum vestrarum memores, quia fratres, qui adversus eum in concilio coram nobis capitula protulerant, cum eo in praesentiarum coram nobis minime affuerunt, ne qua pars adversum nos possit praeiudicium conqueri, causae ipsius pertractationem*[t] *in proximas Kalendas No-*
53 *vembres*[53], *fratrum nostrorum deliberatione distulimus; ad quem videlicet terminum omnes, qui adversus eum causam agunt, litteris praesentibus ad nostram audientiam invitavimus. Interim eidem fratri nostro potestatem concedimus, ut eos, qui ecclesiae bona rapiunt et invadunt, iuxta sanctiones canonicas excommunicare praevaleat. Volumus enim, ut tam ipse quam ecclesia, quae sub eo est, usque ad praefinitum tempus pacem et tranquillitatem Domino largiente obtineat. Data* 10. *Kalend. Decembris.*

15. Has litteras vix Venetium asportavit, initoque consilio cunctos earundem conscios, ut unius anni spatio non detegerent[u], iurare compulit; sicque fictis pro libitu mendaciis, domum rediit. Excogitata vero graviori adhuc nequitia, unum de accusatoribus suis, qui
1107. praestantior caeteris videbatur, pretio corrupit, et litteras quasi ex Augustensium persona occulte per eum apostolico direxit. Qui falsitatis nuntius benigne susceptus dum auditur, magna contra eum papa indignatione invehitur; corde et corde loqui ab omnibus deprehen-
54 ditur. Curiensi tamen episcopo[54] atque Gotwigensi abbate[55] pro ipso supplicantibus, datis veluti Augustensium respondentibus litteris, abire permittitur, vera cum falsis relaturus. Vera hoc modo:

Febr. 6 *Pascalis episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Augustensis ecclesiae clericis salutem et apostolicam benedictionem. Post impetitionem, quam super episcopo vestro fecistis,*

a) *deest* 2. b) laycorum 1. c) *deest* 2. d) celebrabantur 1. e) penuria 1. f) frequentabantur 1. g) illis 2. h) insigniis 1. i) abscisso 2. k) *deest* 2. l) subscribunt 1. m) accusatio 2. n) *deest* 2. o) Infraque 2. p) *deest* 1. q) et ut — compareat *desunt* 2. r) et *deest* 2. s) ab eo 2. t) protractationem 1. protractionem 2. *corr. Basnage.* u) detegerentur 2.

49) d. 25. Dec. 1105. Vid. Ekkehardi chron. univ. 1106, SS. VI, 230. 50) d. 5. Ian. 1106. Vid. Chron. Hildesh. SS. VII, 850. 51) m. Oct. 1106. Vid. Reg. pont. Rom. p. 492. 52) Cf. Annal. Hildesh. 1107, SS. III, 111; Ekkehardi chron. 1106. 1107, l. l. p. 231. 241. 53) in diem 1. Nov. 1107. 54) Widone, ab 1094 ad 1122. 55) Hartmanno, v. supra cap. 2.

dilectionis vestrae litteras suscepimus. In quibus quia pacem et concordiam cum eodem episcopo vos habere nobis significastis, laetati sumus, si eandem concordiam gratis factam fuisse constiterit. Non tamen constitutum terminum expectamus, ut quidquid aequitas dictaverit, auxiliante Domino exequamur. Data 8. *Idus Februarii.* 1107. Febr. 6.

16. Quibus litteris clam episcopo lectis, contra nuntium infremuit, non aequa pretio sibi referri mandata, obicit. Patre iterum mendacii suggerente, interminatur, ne tam adversa prodantur, sed prospera fingantur. Egreditur in publicum, arriguntur aures exspectantium:

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus, Horat. Ep. II, 3, 139.

dum falso benedictione apostolica salutatur episcopus, eademque gratia participatur populus. Nec longum evolvitur tempus, et cardinalis nomine Divitius[56], a papa missus Theutonicas adiit partes. Quo Romam regresso, episcopus[a], quasi per cardinalem restitutus[b] sub nullo tamen testimonio, pontificali abutitur officio. Iam utiliori Achitofel utens consilio, quoslibet ex clericis vel laicis potentiores suo secretiori ascivit consortio, ut hoc modo, inferioribus suffocatis, nemo proditor falsitatis, nemo praeco esset veritatis. Pontifex ergo vix Melchisedech secundus praedicatur; cunctis retro dictis vel factis oblivioni traditis, ut legitimus per omnia frequentatur. 56 c. 1108.

17. Sub huius medio silentii noctisque caliginoso cursu pater Egino in verae lucis praeconem Augustam, ut praelibatum est, revocatur, honore abbatis sublimatur. Assumitur et ipse in amicum, utputa inter primos tenens[c] principatum. Post modicum talem episcopum miratur, dum sui patris, videlicet praesulis Constantiensis, recordatur. Paulatim se ab eius subtrahit familiaritate, non a communionis unitate, quia necdum quidquam certi de tantae praesumptionis cognovit immanitate. Sed Deus tantum virum huiusmodi nolens diutius ludificari figmentis, quoniam[d] sanguis sanguinem tangat, hoc ordine revelat. Deprehensus iam crebrius in stupri foeditate, dictus episcopus, post monialium seu aliarum meretricum scortum, perpetrasse in ecclesia diffamatur adulterium. Cuius videlicet uxoris maritus, cum esset fortitudine ac bonitate conspicuus, facile totam civitatem in adulteri posset concitare necem; sed malens gladio spiritali iudicium sibi fieri quam materiali, sedem petiit apostolicam, de crimine facturus querimoniam. Augustensis vero ecclesia, tanto scelere quasi de gravissimo erroris sompno experrecta, ad eandem sedem litteras dirigit, quid super tali episcopo sentire debeat, inquirit Quae infra positis informatur scriptis: 1109 Osee 4, 2 1116.

Pascalis[e] *episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Augustensis ecclesiae clericis salutem et apostolicam benedictionem. Pro querelis quibusdam, quae super episcopo vestro ad audientiam nostram ante quinquennium*[f] *pervenerunt, nos ei tunc temporis officium episcopale interdixisse meminimus, quia et a nostro id temporis legato, bonae memoriae Richardo Albano episcopo*[57]*, sicut vestris significatur litteris, invitatus, et nostra praeceptione praemonitus, nequaquam ad statutum terminum ante nos curavit occurrere, aut purgationis debitum exhibere. Ex illo numquam interdicti remissionem nos ei fecisse meminimus. Latorem praesentium, apostolicae sedis auxilium postulantem, vestrae fraternitati commendamus, ut in querela, quam adversus eundem*[g] *episcopum gerit, vos eius iustitiam tueamini. Data Romae* 9. *Kalend. Decembris.* Nov. 23. 57

18. Moguntinensi quoque archiepiscopo[h] expositae querelae his litteris iniungitur discussio:

Pascalis[i] *episcopus, servus vervorum Dei, Adelberto*[k] *venerabili fratri, Moguntino archiepiscopo*[l]*, salutem et apostolicam benedictionem. Super caetera horrenda et infamia, quae de persona Augustensis iam dudum ad sedis apostolicae audientiam perlata sunt, nuper querelam Adelberti Augustensis civis lacrimabili suggestione suscepimus; quam nimirum personis ecclesiasticis et*[m] *dicere et audire turpe est, sed ex ipsius Adelberti poteris relatione cognoscere. Tibi ergo, ad quem huiusmodi discussio pro metropolitanae dignitatis debito attinet, litterarum praesentium*[n] *praeceptione*[o] *iniungimus, ut huiusce*[p] *negotii veritatem convocatis fratribus sollicita inquisitione discutias, et quod iustitia exegerit decernatis. Quod enim a vobis iuste et rationabiliter auctore Deo statutum fuerit, nos ratum habebimus.*

a) episcopo 2. b) restituto 1. 2. c) tenentes 2. d) quo modo 2. e) P. 2. f) *immo* decennium. g) eum 2. h) episcopo 2. i) P. 2. k) *ex falsa siglae* A. *interpretatione et hic et infra* Arnoldus 1. 2. l) episcopo 1 m) *deest* 1. n) praesentiarum 1. o) perceptione 2. p) huiusmodi 1.

56) presb. card. SS. Martini et Silvestri tit. Equitii. Vid. Reg. pont. Rom. p. 478. 57 qui obiit post d. 25. Febr. 1114, vid. Reg. pont. Rom. p. 477.

1116. 19. Hoc accepto archiepiscopus mandato, Augustensium praelatos tali invitat praecepto: *Adelbertus, Dei repropitiante clementia devotus in Christo gregis Moguntini famulus, reverendo abbati Eginoni*[a] *una cum carissimis filiis, Augustensis ecclesiae fratribus et domnis, consilium paternae affectionis in spiritu divinae consolationis. Dilectioni vestrae, fratres amantissimi, insinuamus, litteras nos a sede apostolica nuper accepisse; in quibus cum sit vestri illius*[b] *episcopi nobis iniuncta discussio, placuit summa diligentia id fieri ecclesiae nostrae et fratrum consilio, servato tenore canonico, ne vel actori causa pereat, vel summum pontificem indiligentiam nostram causari oporteat. Querimoniam universam vobis notam cum habeamus a praedicta sede remissam suo loco et tempore retractandam, illas domni papae bullatas transmittimus vobis exemplatas. Earum commoniti auctoritate, aut domnum abbatem, aut quoslibet ex vobis idoneos praelatos vestros tempore Werzeburgensis curiae ad nos destinate. Tunc, quidquid nobis interim ecclesiae nostrae et fratrum suggesserit spiritus, per vestros vobis plenius intimabimus. Valete*[c].

1117. 20. Verum quia hiisdem temporibus Longobardiae in regia expeditione infamatus morabatur episcopus, abbas noster quendam e fratribus suis nomine Ratpotonem cum apostolici litteris, Augustam delatis, ad eum dirigit; ut papam adeat, de officii restitutione seu de obiecti sacrilegii expurgatione[d] acturus, obnixius suggerit. At spreto episcopus salubriori consilio, ut criminis conscius, solito mendacii armatur praesidio. Litterae siquidem tamquam ex Augustensis ecclesiae persona finguntur, per canonicum Conradum et dictum fratrem Ratpotonem apostolico diriguntur. Quarum fallacia ex huiusmodi deprehenditur rescripto:

Apr. 1. *Pascalis*[e] *episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis D. decano et caeteris Augustensis ecclesiae canonicis salutem et apostolicam benedictionem. Diu est, quod frater noster Herimannus, episcopus vester, de tribus apud nos fuit capitulis inpetitus: de pravo videlicet electionis et consecrationis accessu, de conversatione perversa et de rerum ecclesiasticarum distractione. Pro quibus ipso ab episcopali officio suspenso, terminus constitutus est, quo pars utraque ante nostram deberet praesentiam convenire. Infra quem nimirum terminum confrater vester et concanonicus Conradus ad nos venit et, sicut ipse asserit, a nobis accepit, quod episcopus liber esset, nisi illi constituto termino convenirent. Cum itaque nuper ante nos, et de quibusdam aliis gravibus, idem diffamaretur episcopus, cum hiis ad memoriam nostram etiam illa praeterita redierunt. Unde oportunum duximus, causam ipsius, ne diutius ecclesiae detrimentum afferat, terminare. Sed quoniam propter difficultates itinerum et personae infirmitatem nostro nequit se offerre conspectui, confratri nostro Widoni, Curiensi episcopo, negotium illud providimus iniungendum. Praecipimus ergo, ut ipse causam omnem diligentius audiat. Et si*
57 *episcopus vester de rerum ecclesiasticarum et de perversae conversationis*[57] *emendationem fecit, et de aliis, quae obiecta sunt, tertia episcoporum vel quinta presbyterorum manu se purgaverit, restitutionem interdicti sibi officii consequatur. Data Beneventi Kalendis Aprilis.*

21. Hiis litteris aliquantisper immorandum videtur, dum plena in eis superiorum notitia continetur. Primo namque primum ponitur, quomodo iste, utinam[f] mercenarius,
Ioh 10,1. non per ostium sed aliunde ingreditur; ingressus, ut mactet et perdat, pro consecratione
58 execratur; dein consequentia, perversa scilicet vita cum rapina. *Terminus*, inquiunt[58], *constituitur, quo pars utraque invitatur.* Pars accusata litteras, terminum indicantes, sub iuramento ut praedictum est celat, ut altera, loci iustitiae ignara, obmutescat. A neutra igitur[g] parte aditur. Et hoc est, quod dicitur, *quod episcopus liber esset, nisi illi constituto termino convenirent.* Tamen irrefragabili determinatur confirmatione. *Sicut*, inquiunt, *Conradus asserit.* O prudentia Romana, quanta obdormisti, quod gratia tua[h] dixerim, negligentia;
Cf Hor Ep. II, 3, 359. nisi[i] forte dicendum sit, te ut bonum quandoque dormitare Homerum. Cur *sicut ipse asserit*, non sicut tu asseris, cum memoriter caetera noveris? Numerum diffinis capitulorum, officii non taces suspensionem, quo cuncta discutienda seu finienda fuerant repraesentas terminum; libertatis tantum conditionem nescis, ut et nos nescire cohorteris! *Sed quoniam*, inquiunt, *propter difficultatem itinerum et personae infirmitatem* et cetera. Hinc evidens colligitur mendacium. Itinerum scilicet difficultas et personae infirmitas! cum, ut postea rescivimus, praesentari nollet sanissimus. Nam dum eundem canonicum, cur huiusmodi

a) *deest* 2. b) *deest* 2. c) Vale 2. d) purgatione 2. e) P. 2. f) *an* utique? g) ergo 2. h) tui 2. i) ne 2.

57) sc. crimine. 58) sc. litterae.

confingeret, percontaremur[a], apologeticum: *Verum,* inquit, *dixi, cum caecum a nativitate* 1117. *pro infirmo duxi.* Ceterum, ne quis miretur, archiepiscopo iniunctum negotium alii apostolicum commisisse discutiendum: sciat, istum canonicum, huius videlicet varietatis auctorem, Curiensis episcopi fuisse fratrem[59], ideoque Mogontiensem, ut regis inimicum, Augustae abhominari, fratrem vero suum in hac causa ibidem asseruisse non detrectari. Cautius tamen et ipsi iniungitur: *Si nimirum episcopus de rerum ecclesiasticarum, et de perversae conversationis emendationem* (sicuti falsae testabantur litterae) *fecit* et cetera. Hic, inquam, episcopus[60] multis conductus promissis Augustam venit. Clero ac populo obiciente: non nisi facta ficta emendatione, purgationem episcopi minime recipi debere, quatuor infames eliguntur personae, quinta sacramentis adigitur poena[b], dum plus quam a quingentis convincuntur falso iurare. Sic purgatus episcopus[61] interrogat episcopum[62], si 61 iam pontificale licitum sit officium. Hoc eo non annuente, sed ut apostolicum pro eius restitutione interpellet persuadente, discessum est.

22. Tum iterum dictus episcopus[63] in regiae conturbernio expeditionis Italiam profi- 1118. ciscitur, armata manu iam tertio domum beati Petri[64] ingreditur; cum excommunicatis Mart. communicare non veretur cum[c] anathematizato imperatore. Non differt archiepiscopus hoc taliter intimare Augustensibus:

Adelbertus, Dei gratia Mogontinae sedis archiepiscopus, domno Eginoni[d] *abbati Augustensis coenobii cum ceteris fidelibus ecclesiae catholicae membris, coalescere in corpus Christi in spiritu unitatis. Iam dudum clamor ascendit in coelum super eo, qui vester dicitur episcopus, atque ab ipsa, ut nostis, apostolica sede querimoniae seriem et praeceptum discutiendi illum accepimus. Quia vero caritas numquam excidit et odientes etiam diligit, ex superhabundanti, si fieri potest, fugientem revocaremus et magnis vulneribus magna medicamenta componeremus, si aegrotus vester se ipsum recognosceret et medicum*[e] *etiam vocantem non detrectaret. Nunc ergo*[f] *quoniam*[g] *vos ista causa vocat, in quamcumque partem ceciderit, consilium videtur, quatenus ex nostra commonitione viva illum voce conveniatis, ut resipiscat, ut saluti suae nunc saltem consulat, excommunicationis contagia deserat, et non usque in finem praevaricando excedat. Nostis, novit et ipse, quam*[h] *horribili criminatione*[i] *distractus, ab ipso beati Petri vicario sit longo iam tempore officio suspensus, neque tamen adverterit; qualiter etiam excommunicatione se contaminaverit et nullam salutis viam exinde quaesierit. Proinde sicut nos quod nostrum est, ita et vos quod vestrum est, facite. Ecclesiastica correptione illi intimate, quia vicinior erit illi via salutis, si se ipsum humiliaverit et veniam quaesierit, quam*[k] *si audientiam synodalem expectaverit, ubi iudicem in neutram partem flecti oportebit. Quod si vestrae fraternitatis verba et nostra haec monita non attenderit, illi interim, praeter iam vetitum officium, cleri populique obedientiam avertimus, quia ipsum irrevocabilem et inobedientem iudicamus.*

23. Hiis litteris ab abbate receptis totique ecclesiae lectis, episcopus regreditur, non dubitans, quin pro catholico suscipiatur. Ecclesiam ergo nostram ex more ingreditur; a nemine sibi[l] occurritur. Siquidem abbas interdictum abnuerat, suisque hinc cavendum indixerat. Quaeritur contemptus causa, referuntur universa. Tum vero nichil humanum in homine cerneres, bestiam ex fremitu vel discursu putares. Blasphemiis[m] minisque abbas Egino[n] afficitur, ut publicus regni hostis proscribitur. Urbis tamen civibus tanti viri expulsionem non ferentibus, propinquorum amicorumque turba colligitur armata; nec sic quidem potest effectum habere voluntas pessime concepta. Interim archiepiscopus alias in hunc modum illo dirigit litteras[o]:

Sanctae Augustensis ecclesiae filiis et fratribus cum Eginone[p]*, abbate Sancti Uodalrici et Sanctae Afrae*[q]*, Adelbertus, Mogontinae sedis minister indignus, fraternam dilectionem cum oratione. Quod proxime a domno Praenestino*[65]*, Romanae sedis legato, apostolica auctoritate* 65 *denuntiatum fuit vobis, nos quoque eadem denunciamus vobis. Sed quia haec neglexistis, nec vos nec ille, quem dicunt*[r] *episcopum vestrum, sancto concilio*[66] *interfuistis, ipsum quidem, quia*

a) pertractaremur 1. b) addicitur poenae 1. 2. c) cum imperatore *desunt* 2. d) E. 2. e) mendacium 1 f) igitur 2. g) quodammodo 2. h) qua 1. i) comminatione 2. k) qua 1. l) *deest* 2. m) balsphemiis 1. n) *deest* 2. o) eo dirigit litteras in hunc modum 2. p) E. 2. q) et Afrae *desunt* 2. r) dicitis 2.

59) Widonem, episcopum Curiensem, ante episcopatum »Augustensis ecclesiae canonicum« fuisse, testantur Annal. August. 1095, SS. III, 134. 60) Wido. 61) Herimannus. 62) Widonem. 63) Herimannus. 64) ubi Burdinus antipapa d. 8. Mart. 1118 electus est. 65) Cunone. 66) Coloniensi, quod mense Maio 1118 actum est; cf. Vitam Theogeri infra et alias Adelberti epistolas in Udalrici Bab. cod. n. 289. 290. 291.

1118. *iam diu a domno papa episcopali et sacerdotali suspensus est officio, communione corporis et sanguinis Domini usque ad satisfactionem privatum esse sciatis; vos autem, adhuc nostra in-*
67 *tercessione dilatos, idem tamen subituros, nisi sancto concilio, Frideslariae* 5. *Kal. Augusti*[67] *celebrando, abbates et praelatos ecclesiae vestrae interesse faciatis. Quod quidem, sicut in mandato accepimus, apostolica auctoritate et nostra praecipimus. Praeterea super querela illius vestri Adalberti nos eadem firmasse, quae apostolicam sedem fecisse cognovimus, fraternitati vestrae notificamus. Adulterum enim et adulteram et omnes consentientes excommunicavimus. In qua dampnatione vester dictus episcopus non excipitur, quia non faciendo iustitiam patienti iniuriam, consensum crimini adhibere probatur.*

24. Quibus item a patre nostro praedicatis, cunctisque iam ad episcopi facinus per regium timorem proclivis, totum pondus proelii solius abbatis imminebat capiti. Sabbatum
Iun 1. sanctum penthecostes supervenit, in quo non longe, pro baptizanda cuiusdam comitis filia, a monasterio recessit. Episcopus vero exploraturus, si crisma suum reciperemus, idem petiit monasterium. A priore loci nomine Marchwardo[a] baptismatis agitur officium. Dum ad hoc venitur, episcopo iubente, crisma nostrum, ab antistite catholico acceptum, ministro aufertur, suumque baptistae offertur. Tum ille quasi alienum tangere formidat[b], notum sacramenti vasculum quaeritat. *Hoc*, inquit portitor execrati liquoris, *accipere debetis, aliud non habebitis.* Voce publica profitetur baptista, nolle se haeretico inquinari sacramento. Exilit episcopus, vociferatur altius, fit in populo strepitus, discurrit clerus, divina
cf. Marc. 6, 27 et humana habentur promiscua. Quid ageret praecursoris Christi discipulus, tantum spiculatoris praestolabatur[c] gladius; nisi quod Iohannem Herodes[d] in carcere, istum iuxta altare hostis trucidaret ecclesiae, uterque tamen occumberet pro veritate. Tanto quippe furore praesul debachatur, ut non sibi imperanti, sed populo non obtemperanti sacrilegii dilatio iure asscribatur. Tandem missarum sollempnia inchoantur, sacerdos ad altare progreditur, vere dignam Deo hostiam immolaturus, ipse paene victima paulo superius. Psallentium ora blasphemiis obstruuntur, ab ecclesia vi expelluntur, divina ex hoc officia fratribus interdicuntur. Hoc triumpho contentus, pontifex contemptus claustrum ingreditur. Mensa pransuro apponitur, saturatis[e] omnibus exitur. Pater coenobii regreditur, series rei gestae retexitur et narratur[f]. Vespertina synaxis, abbate incipiente, sollempniter agitur; eoque magis insistendum divinae servituti pater idem hortatur, quo[g] ad sathanae iniuriam fieri credatur. Ipse vero iam non in palam procedit, dum undique timor mortis occurrit. Audax namque pessimorum perquiritur contumacia: pro nece abbatis copiosa pecunia, seu alia promittuntur beneficia. Episcopus hoc non pro sacrilegio, sed pro iusto fieri indicit iudicio. Processione tamen ordinata, sanctae Dei genitricis intratur ecclesia. Ubi dum totius civitatis conveniret populus, abbate iubente litterae superius positae recitantur, laicis quoque interpretantur. *Haec est*[h], inquit pater, *causa, pro qua tam ut nostis patior adversa. Ecce eicior cum pueris, quos michi Deus dedit, a facie vestra; sit omnium horum vestra testis conscientia.* Quo facto, letania incipitur. Minitans cervici gladius Deo protegente sine laesione transitur.

25. Iam decimus ordinationis patris huius instabat annus, et quasi decimae bonorum fructuum offeruntur Deo, dum propter iustitiam pater cum filiis privatur domo. Eodem quippe monasterio hostili manu repleto, nulloque fratre, qui patrem sequi nollet, invento, pax fugae obtinetur, egressus a novis viatoribus praeparatur. Nec defuit ultionis divinae praesagium, quo et superbi perterrerentur et humiles consolarentur[i]. Ambitus enim monasterii terrae motu validissimo quassatur, ecclesia cum turri[k], campanis hinc inde percussis, ruinam minatur, sepulchrum beatae Afrae dissoluto metallo aperiri videtur, comitatus dominae hoc signo famulis dispergendis spondetur. Gratiarum actionibus Deo[l], qui in sanctis suis est mirabilis, propensius peractis, pedestri turba peregrinum saeculi salum calcatur, ex utroque latere uda[m] plangentium ora, fixis in terram vultibus dissimulantur,
68 Licus transitur, monasterium sancti Petri[68] non longe positum aditur. Fit multus occur-

a) Markwardo 2. b) formidabat 1. c) *deest* 1. d) Iohannes Herodem 1. e) staturatis 1. f) et narratur *desunt* 2. g) que 1. h) enim 1. i) *in margine* 1. *legitur:* in vigilia pasce *(imo pentecostes)*, ipsa die expulsionis suae. k) terra 2. l) Dei 2. m) vela 1.

67) d. 28. Iul. a. 1118. 68) Usenhovense, in dioec. Frisingensi. Cf. Fund. Schir. mon. apud Böhmer Font. III, 504.

1118. rentium apparatus, finitis Dei, quibus excipiebantur, laudibus seu sacratissimae lectionis consolationibus, sub nostro pastore duplicati gregis adunatur ovile.

26. Ubi dum vix septem moraremur diebus, Augusta, loci sui capitalis non ferens destructionem, episcopum ut alterum convenit Egeatem. In commune revocari postulamur, importune reddi exigimur; parasceue per omnia simulatur, dum altaria denudantur, signa non pulsantur, divina officia sub silentio lamentantur. Aptiores igitur[a] eliguntur personae, pro nostri diriguntur revocatione; quidquid contrarii subierimus[b], litteris promittitur non repetendum ulterius. Communicato virorum catholicorum consilio regredimur; clero ac populo in obviam ruente, cum laudibus excipimur. Sed sathana cribrari nos ut triticum expetente, Christus pro Petri intervenit fide, dum falsi fratres inter nos discernuntur, veri non subvertuntur. Novo itaque congredimur proelio, pestiferae suasionis delinimur blandimento, ut videlicet patri nostro renunciantes alterum eligamus, cum illum, ut puta praesulis inimicum, habere nequeamus. Abbas ocius, remanentibus inibi subiectis, proturbatur[c], locus perpetrando sceleri[69] datur. Nec sic dolore concepto ad iniquitatis parturitionem per- (cf. Ps. 7, 15.) ducto, ut abbas iam e medio tollatur[70], hoc modo excogitatur: Impiorum turba colligitur, abbati locus iustitiam defendendi promittitur; nichil, quam ut in praesentiam veniat, restare nuntiatur. Laetior pater ad urbem properat, concludere paratus[d] quidquid proposuerat. Verum ille, qui per angelum suum Ioseph revelat, ut cum Iesu in Aegyptum Herodianam declinans persecutionem descendat, ipse nichilominus, uti innocens huius patris sanguis non effundatur, praecavere dignatur. Maximam etenim itineris consumpserat partem, et ecce obvium habet nuncium, litteras a fratribus suis ferentem, quae intra[e] et extra urbem insidias ei indicant paratas. Abbas convertitur, a cruenta tortorum disputatione eruitur.

27. Interea rex iam secundo excommunicatus[71], Theutonicum ex Italia adiens 71 regnum[72], Augustam cum duobus eadem excommunicatione dampnatis ingreditur episcopis. Qui cum a fratribus praedictis accuratius susciperetur, pastor bonus dolens, gregem sibi commissum hac participationis contagione esse temeratum, huiusmodi dirigit ei mandatum:

Novit fraternitatis vestrae discretio, quomodo matri nostrae sanctae ecclesiae condolentes, corpore et spiritu fugerimus[f] illam persequentes; novit, quibus pacis et veritatis promissionibus simus revocati, nec tamen a promittentibus consecuti. Mundus enim pacem promittere potest, dare non potest. Ego autem pacem illam, quam Christus discipulis suis dedit, inquirens, Herodianam iterum persecutionem cum ipso Iesu in nocte tribulationis declinavi, vobis tamen prius id ipsum faciendum intimavi. E contra dominici timoris et paterni amoris obliti, alienum pastorem vos, meae parvitatis grex, vos inquam filii mei, quos in Christo genui, illum Guntherum, nostrae professionis inimicum, ad quaelibet estis secuti. Me etenim, qui locum defendendi iustitiam[g] in conspectu totius ecclesiae desidero, violenter expulso, vobis potius congrueret nudipedalis lamentatio, quam regalis sine capite iubilatio. Haec vobis honesta occasio, haec meae expulsioni fraterna posset praetendi compassio. Huc accedit, quod illum alterum Iudam, traditorem meum, dico[h] Ratpotonem[73], quem, meo spiritu et corpore vobiscum congregato[74], tra- 74 didi satanae in interitum carnis, modis omnibus sequendo et amplectendo in communionem partim[i] recepistis, partim illi communicantibus non restitistis, sicque huiusmodi contagione pene omnes polluti estis. In quibus omnibus quia episcopi praeceptis obtemperastis, votum obedientiae, quod michi coram Deo et sanctis eius singillatim per nomina promisistis, eheu violastis. Quid ultra faciam vobis? Domnum priorem, vestrum magistrum, post me fugientem, me sequentem, per illum dictum raptorem Ratpotonem, quod dictu nefas[k] est, despoliastis. Et si in hoc non omnes, ut credo, consensistis, in facientes tamen non digna ultione exarsistis. Quid dicam? Anathema in medio tui est Israel, non poteris stare contra hostes tuos. Senior (Ios. 7, 13) *noster, domnus Engilboldus, non ut Mathathias in vobis princeps surrexit. Ipse videat, quid fecerit. Verumtamen quia ipse et alii perpauci obedientiae suae michi post haec omnia mandaverunt obsequia, quod dixi praesens, praecipio et absens. Dixi enim, vos locum non debere*

a) ergo 2. b) fugierimus 1. c) perturbatur 1. d) paratur 2. e) infra 1. f) fugierimus 1. g) iniustitiam 1. h) dicam 1. 2. i) *deest* 2. k) nephas 1.

69) i. e. novo abbati (Gunthero) eligendo. Cf. supra, et eas, quae sequuntur, Eginonis epistolas. 70) i. e. interficiatur. 71) a Gelasio II d. 7. Apr. 1118. Vide Reg. pont. Rom. p. 523. 72) a. 1118. Cf. Annal. Disibodenberg. 1118. 73) monachum SS. Udalrici et Afrae, cf. supra c. 20. 74) i. e. quum ipse etiam in monasterio apud eos versaretur.

1118. *mutare, quamdiu possetis a communione illius episcopi vos observare. Quod quia praevaricati estis, vel nunc saltem, qui Domini velit fieri, me non tardet sequi. Ego enim vos non longe a*[a]
75 *vobis*[74*] *expecto. Si quos ex vobis recipere promeruero, gratias ago. Interim illum Heinricum*[75],
Dan. 13,52 *dierum malorum inveteratum, communione corporis et sanguinis Domini sciatis esse privatum.*

28. Hiis auditis, altius quidam ingemuere, quidam derisere. Presbyter vero, nomine Eberhardus, cum bonae indolis adolescente Uodalrico monasterium egressus; Licique torrentibus vix transcursis cum paludibus, lassos pedites missi[b] a dicto Ratpotone insecuntur[c] equites. Inermes ab armatis capiuntur, despoliati ut oves minantur; evasum utcumque gurgitis periculum intrare coguntur, in derisum vulgo per medium platearum nudipedales reducuntur. A quibusdam mitioribus impetratur, ut praeda illis reddatur, sed a Ratpotone hanc in praemium recipiunt, vel si quid talibus perfugis auferre posset[d]. Dimissi, iterum eandem viam arripiunt; patris sequi praeceptum, etsi artubus, animis non deficiunt. O miseram rerum faciem! In vasti medio campi iam defecti prosternuntur, frigore undosa membra dissolvuntur, diei consolatio tollitur, noctis terror invehitur. Tandem respirante aliquantulum fortiore, per devia discurritur; si qua humana appareat conversatio, caecutiente[e] visu palpatur. Villa ex improviso offenditur[f]; domus contiguae hostium pulsatur, quis intempesta nocte assit, percontatur. Ut pauperibus causa Dei aperiatur, humiliter supplicatur. Quamvis tarde, intromittitur, focus accenditur; quod vere pauper sit, cernitur. Pro socio in via derelicto interpellatur, precibus annuitur; plaustro impositus sacerdos ut a Samaritano in stabulum ducitur. Tepefactis artubus, apponitur ieiunis cibus. Matutini aguntur; ad locum sibi condictum proficiscuntur.

29. Alii quoque fratres, monachi habitu deposito, negotiatoribus iunguntur, alii noctu effugientes patrem nostrum secuntur. Quidam vero ex ipsis subdola intentione obedientiam abbati suo demandant, nec tamen passibus corporis, sicut nec cordis, appropinquant. Quibus istis respondetur litteris: *Egino, Dei gratia quod est, fratribus diligentibus Deum, omnia cooperari in bonum. Litteras, obedientiae vestrae fidelitatem insinuantes, iam saepius accepi; sed quod eadem fides non sit in vobis universalis, testatur dissensio, immo contentio particularis. Partes autem discordantium non habet ecclesia. Ergo illi extra ecclesiam tunc convincuntur, qui fidem, quae est in Christo, irritam fecisse concluduntur. Unde nollem, vos quasi in commune eulogia obedientiae ad me direxisse, sed magis, divisos a vobis*[g] *corde, et calamo divisisse*[h]. *Qui enim legationi proxime vobis a me factae non timuerunt detrahere, eorum nomina ad verecundiam filiis iniquitatis non oportet latere. Rogo autem, quid eos ibi offenderit, dicant. Puto filios regni regalem mentionem*[i] *perturbasse. Ponam iterum eandem mentionem*[i] *ad eorum confusionem, vel, quod mallem, ad eorum correctionem. „Me," inquam, „qui locum defendendi iustitiam in conspectu totius ecclesiae desidero, violenter expulso, vobis potius congrueret nudipedalis lamentatio, quam regalis sine capite iubilatio." „Sine capite" inquam, hoc est sine abbate, sine priore. Iterum atque iterum dicam: „sine capite". „Abbas," inquiunt*[k], *„Guntherus tantum astabat." Quis iste locus defensionis? Quomodo astabat? Pro capite an pro cauda? Ipse non concedit, pro cauda, et vos non conceditis, pro capite istum*[l] *astitisse. Ut esset amborum neutrum, et illius usurpatio et vestra invalida probavit reluctatio. „Me," inquam, „violenter expulso." Nonne ipsi rationi vim facere videntur, qui huiusmodi dictis regi me iniuriam irrogasse fatentur? An uno e duobus concesso alterum non conceditur? An, cum*
Eccli 22,6 *musica in luctu excluditur, in gaudio non admittitur? Hoc modo filiis sponsi, me qualicumque*
Matth. 9,15. *illis ablato, „magis congrueret nudipedalis lamentatio, quam regalis sine capite iubilatio." Quare ipsam litteram litterati non attendunt? Nonne nudis pedibus incedere est: iudicem ad misericordiam flectere? Ergo illi magis regem offenderunt, qui ficta laetitia ac per hoc duplici corde ipsi occurrerunt. „Haec," inquam, „vobis honesta occasio," non, ut suspicantur, regem non honorandi, sed non iubilandi, „haec meae*[m] *expulsioni fraterna posset praetendi compassio." Haec verba si exponimus, pueris ludum facimus, cum aperte confundant offendentes in*
Psal 26,6. *superioribus. Caeterum, ut*[n] *coepistis, hostiam vociferationis non immoletis, videlicet ab officio missae abstinendo et horas canonicas sub silentio, vigilanter tamen, persolvendo.*

30. Ad ultimum vero sua monita vel praecepta huiusmodi concludit sententia:
Rom 15,5 *Egino, Dei gratia quod est, electis in Christo, propter quos omnia sustineo, id ipsum sapere*

a) a *addidi.* b) *deest* 1. c) insequuntur 2. d) possent 2. e) excutiente 1, f) vel ostenditur *addit* 1. g) nobis 2. h) dimisisse 1. i) monitionem 2. k) inquit 1. l) illum 2. m) mei 2. n) *deest* 1.

74*) in monasterio Usenhovensi, cf. supra cap. 25. 75) imperatorem.

in alterutrum secundum Iesum Christum. Quoniam vestrae fraternitati cuncta, quae de instan- 1118
tibus periculis dicenda erant, tam absens quam praesens intimavi, restat ut obtemperantes nobis
in Christo a facie iniquitatis in sinum matris ecclesiae colligamus, apostatantes autem a Deo ac
per hoc a nostra obedientia, quia filios Dei conturbant, iustae censura sententiae abscidamus[a].
Praecipimus ergo in verbo Domini, ut quicumque in vobis se filios ecclesiae recognoscunt, in
contaminato per inobedientiam loco ulterius non remaneant, ne cum Dathan et Abiron inferno
deglutiente pereant. Hiis vero, qui in hac qua coeperunt contra nos contumacia perdurare
decreverunt, eundem locum in virtute sancti Spiritus interdicimus, ne per illos diutius nomen
Dei blasphemetur in gentibus. Miro etenim modo localem facere obedientiam et conditionalem
nituntur, cum non nisi in ambitu quatuor parietum claustri, et non irato contra abbatem epi-
scopo, monachis eam servandam esse fatentur. Hii quia Sarabaitarum[b. 76] lasciviam secuntur, 76
a fortissimo genere coenobitarum excluduntur. Ut autem finem multimodis verbis faciamus,
omnes voto sanctae obedientiae nobis in Christo obligatos ad locum, per nuntium nostrum con-
dictum, invitamus; alienantes autem retrorsum, ac nostrae fraternitatis fugientes consortium,
ab unitate corporis ecclesiae gladio spiritus, quod est verbum Dei, amputamus. Ephes. 6,17

31. Augustensibus, de[c] his omnibus abbatem incusantibus suique loci destructorem
inclamantibus, pater idem scriptis excusatur talibus:

Sanctae Augustensis ecclesiae filiis universis Egino, Dei gratia quod est. Novit beatitudo
vestra, qualiter apud vos hactenus conversatus sim, quomodo vi expulsus discesserim, et quo-
modo vocatus redierim. Huius vocationis credidi promissis, maxime quia catholicis redundabat
dictis, dum quidquid iustum, quidquid canonicum, quidquid tam vestrae quam meae saluti esset
necessarium, loqui inter vos michi sit concessum, imo loquenti consilium et auxilium vestrum
non sit negatum. Ex hoc nichil hiis contrarii, nichil novi, nichil locutus sum dubii, unde debe-
rem nec confessus nec convictus expelli. Iam profugus recessi. Quid ultra patimini fugientem
persequi? Fratres mei sancta obedientia vocante me secuntur; quos[d] inermes armati ex vobis
insecuntur, et contumelia afficientes depraedantur. O prudentiam, o fortitudinem Augustensium
ad hoc redactam, ut uni homini sancta illorum conculcanti resistere timeant, subici non eru-
bescant! Siquidem praecepto illius apostatae Ratpotonis, monachorum persecutoris, obtempe-
ratur in vobis, dum qui nullius est apud Deum dignitatis, tantae sit apud vos potestatis, ut post-
quam[e] nos lingua dolosa expellat, etiam gladio persequi praevaleat. Tandem precor redite ad
cor. Quia si tacti intrinsecus fueritis, me non nisi vera inter vos dixisse videbitis, ac per hoc a
persecutione mea cessabitis. Valete[f].

Reverendae paternitatis ac diligendae fraternitatis cunctis utriusque sexus Christi[g] fideli- 1120.
bus, Egino ille, cuius incolatus est super terram[h] prolongatus, coelestis patriae associari civibus. Ps. 119, 5.
Quoniam Deus caritas est, et qui manet in caritate in Deo manet et Deus in eo, omnis qui manet 1 Ioh. 4, 16.
in Deo, immo in quo manet Deus, nimirum spiritu caritatis est repletus. Ex fonte vero dilectio-
nis rivulus emanat compassionis. Hoc igitur salubri fonte redundantibus necessarium duxi
paucis absolvere, quibus subiacuerim casibus, praemissa causa, quae tot provocavit adversa,
ut virtus compassionis crescat ex causa iustitiae et veritatis. Quamvis enim peccator indignus,
officio regiminis, ut multi vestrum noverunt, coenobii fungebar Augustensis. Ubi quanta Deus
nostris temporibus, non dico meritis, fecerit, quot[i] videlicet religiosos viros inibi coadunaverit,
quamque virtutibus, rebus quoque exterioribus locus idem in brevi[k] succreverit, non modo vici-
nos et contiguos sed etiam remotos minime latere potuit. Verum quia iuxta egregium praedi-
catorem oportet haereses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant, expetente sathana ut cribraret 1 Cor 11, 19. Luc 22, 31.
nos sicut triticum, quem defensorem ac propugnatorem sperabamus, utputa gregis dominici
pastorem, Augustensem episcopum, crudelem sensimus persecutorem. Qui cum a beatae memo-
riae papa Pascali secundo[l] pro diuturna inobedientia in omni pontificali officio fuisset inter-
dictus[m], atque a successore eius, Gelasio secundo, nec non a sancto adhuc superstite papa
Calixto secundo, absque spe cuiusdam[n] recuperandi officii sit dampnatus, ab ipsa apostolica

a) abscindamus 2. b) Sarabattarum 2. c) De Augustensibus 1. d) quos — insequuntur *desunt* 1. e) qui *addit* 2. f) Valete *deest* 2. *Hic finitur narratio. In 2 sequitur lacuna, de qua sic annotat Canisius: „Hiatum hunc resarciri posse iam quidem mihi nulla spes est; quod aliud exemplum, quantum ego scio, non extet. Aliena quaedam inserta erant; ab alia manu postea id factum, ne pagellae vacarent scilicet.“ In 1. non est lacuna.* g) in Christo 2. h) terra 2. i) quod 2. k) in brevi *desunt* 1. l) *deest* 2. m) circa annos Domini 1110 *addit* 1. n) eiusdem 2.

76) Cf. SS. XI, 613. n. 90.

1120. *sede hoc accepimus mandatum, huiusmodi vitare ut mortiferum. Nos tamen, ut minus perfecti, non statim ad haec implenda convaluimus. Cum Petro scilicet ad ancillae carnis vocem adhuc pertimuimus, cum tam nefanda*[a], *potius humana sapientibus acquiescendo quam divinis et apostolicis praeceptis obtemperando, dissimulavimus. Denique ipso contra ius fasque omnimo-*
1118. *dis*[b] *grassante*[c], *adeo ut catholicum papam respueret, Burdinum*[d] *reciperet, nomenque eius in*
Apr. 13. *cerei pascalis benedictione*[77] *recitari praeciperet, ac plebem sibi subiectam tanti haeresiarchae litterarum salutatione pollueret, nos etiam in hiis omnibus secum contaminari cogeret, tandem, ut arcus fortium superaretur, nos hactenus infirmi divino robore accingimur, in medium pro-*
Act. 5, 29. *gredimur, cum apostolis, etsi longe impares, protestamur: „Obedire oportet Deo magis quam hominibus.“ Hac voce non minori, quam scribae et Pharisaei, pontifex iste commovetur furore, dum mox vincula, carcerem et exilium minatur, nec unquam cessaverit, quousque ego et fratres mei, qui cum duodecim Christum sequebantur, aliis retro abeuntibus, a monasterii quiete pro-turbamur*[e]. *Nec tamen huic praesuli post innumeras contumelias et iniurias nostri suffecit ex-pulsio, quin in omnes terrae fines nos eius pro posse sequeretur persecutio. Quamobrem cum*
78 *archiepiscopum nostrum*[78], *nec non magnum episcoporum abbatum seu principum catholico-rum adirem colloquium: expositae quaerelae; in commune pro sceleris immanitate mirantur*
1120. *et lamentantur. Proinde communicato prudentiorum consilio et*[f] *litteris ab eis acceptis, ad Romanam dirigor sedem, tum pro speciali nostra necessitate, tum pro communi ecclesiae utili-tate. Quod iter cum arriperem ex hostium insidiis periculosissimum, potius per devia quam regia via utcumque perveni Placentiam. Ubi dum puer meus, quem ab infantia nutrieram, cum omnibus rebus nostris, exceptis equitaturis, noctu*[g] *aufugisset, qui in paucis saepius de itineris perfectione diffidebam, in nichili iam de eius, qui cuncta creavit ex nichilo, misericordia prae-sumebam Quid plura? Per abrupta montium, per vastissimam heremum, per terram famis et sitis, ubi vestigium non inveniebatur hominis, transivimus. Sed quasi in precium tanti laboris*
Mai. *domnum apostolicum*[79] *in maritimis locis, videlicet apud Rosellam civitatem*[80], *invenimus. A quo hilarissimo ut est vultu recipimur, Romam una secum deducimur, relaturi terrae nostrae, ut ipsius verbis utamur, „triumphum ecclesiae.“ Iam enim quis illius terrae concursus, quantus omnis sexus et aetatis apparatus! Militiae quoque Romanae, ultra trium dierum iter occurren-tis, quam iocundus*[h] *fuerit comitatus, Caesar, si superesset, indignans miraretur, Tullius forsi-tan attraheretur, dum vexillo crucis omnium consulum et imperatorum superari trophaea con-spicaretur. Appropinquante vero summo pontifice ad Urbem, puerorum et infantum*[i] *cum ramis omnigenarum*[k] *arborum occurrentium excipitur laudibus; quos ne quis opprimeret vel abigeret,*
Matth. 19, 14 *cum Iesu benedicens aiebat: „Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum coelorum.“ Deinde coronatus, ut regali sacerdotio ecclesiam credas potiri, per medium deducitur civitatis, plateis auro, gemmis seu*[l] *pretiosissimis palliis undique adornatis. Nec defuere Graecorum et Latinorum concentibus confusi Iudaeorum plausus, ut caeca gens vel invita confiteatur, unde*
Iun. 3. *magis puniatur. Vix hora decima cum esset* 3. *Non. Iunii, a mane protracta rarescit proces-sionum frequentia, quando et idem pater universalis a Lateranensi exceptus sede in palatium,*
Iul. 1. *ut moris est, iudicum legali perducitur carmine. Ab hinc usque in Kal. Iulii praesentia iugiter tantae sanctitatis perfruebar viri, hac instantia nesciente fastidium, quia*[m] *semper in maius ac-cendebatur desiderium. Siquidem hylaris vultus sub morum gravitate, dulcedo affabilitatis*[n] *sub verborum pondere, ieiuniorum seu vigiliarum discretio, absque eo quod intrinsecus latet, cunctis intuentibus in eodem patre, uno atque eodem spiritu operante, mirabili effectu patet. Laus omnis inferior, dum vir iste revera apostolicus virtutibus et miraculorum signis compro-betur sublimior. Quae quia tota Francia, Longobardia, Tuscia atque Apulia praedicat, huius angustia cartulae supersedeat. Igitur percepta a sanctis eius manibus dominici sacramenti*
81 *communione*[81] *et inter crebra oscula largissima benedictione, iter reditus*[o] *arripui, navimque*[p],

a) nephanda 1. b) omnibus modis 2. c) crassante 1. d) antipapam *addit* 1. e) perturbamur 1. f) et — acceptis *desunt* 2. g) nocte 2. h) iucundus 2. i) infantium 2. k) omnigenerarum 1. l) *deest* 2. m) qui 1. n) affabilitatis 1. o) rediturus 2. p) navique 2.

77) quae fit sabbato paschali; itaque hoc loco agitur de die 13. Apr. 1118. 78) Adelbertum Moguntinum. 79) Calixtum II. 80) in Tuscia. 81) accepit etiam d. 25. Iunii 1120 tabulam, quam ex Wittweri catalog. f. 65′ hic apte edimus: *Calistus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Eginoni, abbati monasterii S. Udalrici et S. Afrae, salutem et apostolicam benedictionem. Labore multo et fatigatione apostolicae sedis misericordiam et pro te et pro tuis fratribus adivisti. Et tu abbatis benedictionem, et quidam fratrum tuorum ordinis promotionem ab Herimanno, cum interdictus esset, Augustensi episcopo, acceperunt. Eius tamen interdictum ipse cum eisdem fratribus, prout asseris,*

per mare transiturus, apud Ostiam civitatem cum Aquensi episcopo[82] *intravi. Quae cum socium* 1120 *laboris mei*[a], *fratrem Uodalscalcum, prae hominum multitudine capere non posset, alteram, quae tamen cum nostra erat itura, ascendit. Sed mox, pelago turbato, naves in tantum sunt disiectae, quod infra* 14 *dies nec loqui invicem potuimus nec*[b] *videre. Coepi ultra modum de amisso fratre contristari, ex tristitia infirmari, vixque Pisas valebam deportari. Ubi qualiter me frater idem*[c] *invenerit, quidve postea de me factum sit, ipse fideliter referat, animamque* Iul. 14. *meam vestris orationibus commendet*[d].

Heu[e] me, pater amande, quid agam? Orphanum et pupillum in exilio derelinquis filium, et tu ad patriam pergis et ad Dominum. Paucissima ponam verba, quia magis tunc iubilabam dolore, quam garriebam ore. Igitur quarto decimo[f], ut dictum est, die post innumera maris, famis et sitis pericula Pisas et ego perveni, sperans laboris et doloris mei finem, cum videlicet[g] dominum et patrem meum reperirem. Sed tristitia super tristitiam, illo iam in extremis posito, michi accumulabatur, nec ulla spes consolationis inveniebatur. Tum vero quantis pater filium amplectitur suspiriis, quantis filius patrem infundit lacrimis! Pretiosa in conspectu Domini mors eius testatur, dum, me qui perieram recepto, mox a Ps 115, 15. praesenti saeculo nequam erui precatur. Fratribus ergo suis et amicis per me valedicens, et ut in ecclesiae obedientia ad mortem usque permaneant exhortans, tamquam praesentia fastidiens, ad futura iam rapitur; usque ad ultimum enim spiritum nulla ex ore eius nisi vox psalmodiae auditur. Psalmus[h] autem hic erat, quem saepius replicabat: *Laudate, pueri,* Psal. 112, 1. *Dominum, laudate nomen Domini.* Cuius etiam[i] extremus versiculus egredientem comitatur spiritum eius, illud optabile his verbis praefigurans *Euge,* quod erat[k] in proximo auditurus, cf. Luc. 19, 17. qui in pauca fidelis, super[l] multa est[m] constitutus. Quos enim in Christo per euangelium genuit, hos digne in domo Domini ad gloriam, ut mater filios, laetus recipit. Itaque astante religiosissima Camaldulensis ordinis congregatione, post intimam peccatorum suorum confessionem, post olei sacrosancti unctionem, munitus dominicis sacramentis Idibus Iulii[83] Iul. 15. vita aeterna mortem saeculi commutavit praesentis. Depositus est autem in beati Michahelis monasterio[84] iuxta incomparabiles Pisanorum divitias, optimo archiepiscoporum mausoleo[n], ubi nesciuntur tenebrae, exclusae iugiter sole vel oleo. Nullus igitur[o] ex simplicioribus huiusmodi tamquam fortuitis, etsi adversis quantum ad humanum aspectum, scandalizetur casibus; cum Abrahae patriarchae divinitus praecipiatur, ut terram nativitatis suae egrediatur, Moyses et Aaron non in terra repromissionis moriantur, apostoli quoque per omnes terrae fines dispergantur, quatenus et nos, non terram[p] esse patriam sed coelum, verbis et exemplis instruamur.

CARMEN DE ITINERE ET OBITU EGINONIS.

Hic patris occasus, dum veri solis ad ortum
Tendit[q], et ad portum, qui nescit tempora casus.
Est tibi gaudendum pro tam praestante corona,
Fili, mente bona. Simul est quoque mente dolendum;
Nam velut orbatus remanes patre spirituali,
Et tibi causa mali reputatur, is[r] unde beatus.

a) nostri 2. b) vel 1. c) frater me 2. d) *in Khammii Hier. Aug. P. II. coll. p.* 132, *ubi haec ep. legitur, addita est clausula haec:* Valete. Data Pisis anno 1122 Idibus Iulii, *sic corrigenda:* V. D. P. a. 1120. 2. Idus Iulii. e) *rubricam:* Lamentatio Uodalscalci *addit* 1. f) decimo quarto 2. g) scilicet 2. h) Pasmus 1. i) et 2. k) erit 2. l) supra 1. m) es 2. n) mausolio 2. o) ergo 2. p) in terra 2. q) Tendat 1. r) reputat qui 1.

ignorabas; et postquam vobis notum factum est, ab eius obedientia discessistis. Multa etiam pro ecclesiae unitate atque servitio passi estis, et inimicis eius usque ad haec tempora fideliter atque viriliter restitistis. Nos itaque tam tuis, dilecte in Christo fili, Eginone abbas, quam fratris nostri Maguntini archiepiscopi petitionibus annuentes, et commissae tibi ecclesiae paterna sollicitudine providentes te in abbatis regimine permanere, et praedictos fratres tuos, si alias digni sunt, acceptos ordines obtinere et ad alios promoveri, ex consueta sedis apostolicae benignitate ac dispensatione concedimus. Ita tamen, ut fratres ipsi deinceps in ecclesiae unitate et obedientiae tuae devotione permaneant. Dignum est enim, ut qui se pro beato Petro tantis et diutinis exposuere laboribus, et per ignorantiam excesserunt, beati Petri benedictione donentur, et de benignitatis eius plenitudine consolationem misericorditer consequantur. Data Laterani 7. Kalend. Iulii.

82) Azzone, suffraganeo archiepiscopi Mediolanensis.

83) In necrolog. SS. Udalrici et Afrae apud Braun Not. hist. lit. VI, 51. Eginonis mors ad d. 14. Iulii revocatur.

84) de Burgo Pisarum. Ibi medio saeculo superiore sepulcrum Eginonis repertum, peramque pro beati Boni tumulo habitum esse, testatur Mittarelli in Annal. Camald. ad a. 1120.

1120. Sed tamen est pia spes, hic qua dolor alleviatur.
Scilicet optima res, qua iustus quisque beatur,
Nato reddit ubi patrem sinus ille paternus.
Ergo nos sibi[a] iungat ibi pater ille supernus!
O stile plangentis, quid per diversa vagaris?
Ut dolor est unus, sic una voce fruaris.
Finis ad hanc vocem verborum suscipiatur;
Finis enim[b] patris monet, ut finis teneatur.
Nam variis animus licet involucris subigatur,
Saepe tamen loquitur, quod semper quis meditatur.
Res miseranda nimis sub honore Dei referatur,
Ut pietas eius quam magna sit, hinc videatur,
Largus in auxilio miserorum cum doceatur.
Cum patre filius exulat. Unicus hos comitatur;
In specie famuli fur[c] ut Iudas toleratur;
Nam nichil officio distant, servus dominis similatur.
Iam procul a patria via deserti speculatur;
Qua[d] locus ad fraudem furis sub corde paratur.
Noctis adest tempus, magis ille dolo tenebratur;
Rebus enim cunctis, quibus illud iter vegetatur[e],
Direptis, abiit. Mortem fortuna minatur.
Sed Pater omnipotens spoliatis auxiliatur,
Spem tribuendo viae peragendae; nec dubitatur,
Munus enim magnum misero spes firma probatur.
Quid moror? Intratur heremus, tandem peragratur.
Octo tamen soles ibi cum sudore vagatur,
Cum latro terribilis[f], via difficilis patiatur.
Mai. Ecce laboris honor: prope sanctus papa moratur.
Tum volucres homines reputares, sic properatur;
Vix expectatur, quod ad illum perveniatur.
Suscipit inventus clementer, amat, veneratur.
Est locus, adventus patris huius ut expediatur,
Iun. 3. Qualiter in cathedra Romano iure locatur.
Omnis adest aetas, ibi[g] sexus uterque gregatur,
Cleri seu populi vox laetitia modulatur,
Quolibet ornatu via, qua transit, variatur.
Pompa triumphalis tibi, Caesar, tanta negatur,
Te veniente, decus patrum cum lege fugatur;
Huius in adventu lex iustitiae renovatur.
Cum socero pugnas, civile malum dominatur,
Per te nulla quies, dum Cato siti moriatur;
Hoc sed patre pio gens genti pacificatur,
Ecclesiaeque status ius in proprium reparatur.
Plurima signa Deus super infirmis operatur,
Eius per meritum dum quaeque febris relevatur;
Quod quia Tuscanus, Ligur, Appulus astipulatur,
Carmine praesenti per plura supersedeatur.
Ast ad eos, quibus iste stilus servit, redeatur:
Iul 1. Ad mare tendebant, ut ab hoste viae caveatur.
Navis ut aggreditur, submergens unda levatur,
Ut pater a genito miseranda sorte feratur.
Quam rerum faciem, nisi passus, quis[h] meditatur[i].
. . . .

a) si nos 2. b) nos 2. c) fuit 2. d) Quae 2. e) rugetatur 2. f) difficilis 2. g) ubi 2. h) quid 1.
i) *hic terminatur carminis fragmentum. Canisius asscripsit haec: „Videntur quaedam deesse, nam et hic in ms. alia manu aliena quaedam addita sunt, ne pagella scilicet vacaret."*

VITA THEOGERI

ABBATIS S. GEORGII ET EPISCOPI METTENSIS.

EDIDIT PHILIPPUS JAFFÉ M. D.

Optimis utilissimisque aetatis Salicae fontibus haud immerito annumeraveris eam, quam quoad exstat integram edituri primi sumus, Theogeri vitam. Suppeditat enim non iis modo uberem rerum materiam, qui in monasteriorum Germanicorum inquirunt memoriam, sed archiepiscoporum quorundam etiam res gestas hic illic illustrat, imprimis autem historiae Mettensis, quam gesta episcoporum huius urbis[1] *habent, lacunam satis abundanter explet. Augetur ultra monumenti nostri pretium, quod scriptor, extra artos rei suae cancellos egressus, et Cononis episcopi Praenestini, legati apostolici, actis lumen aspersit, et de ipsa Romana sede memoriae quaedam cognitione digna prodidit, quae nusquam reperiuntur alibi. Specimen illud inquam immutabilium ecclesiae Romanae consiliorum a Gelasio II datum, qui adeo nihil abhorruit a clariorum pontificum ingenio, ut quum ante papatum Heinrici V partibus iudicio acerrimorum libertatis ecclesiasticae defensorum nimio plus favisset, simulatque potitus pontificatu est, gravissimas cum imperatore inimicitias exerceret.*

Laborem autem scribendae Theogeri vitae sumpsit auctor et iussus et institutus ab Erbone, qui postquam monachus Sancti Georgii cum Theogero coniunctissimus fuit omnium consiliorum actorumque societate, Pruveningense prope Ratisbonam monasterium administrabat abbas ab a. 1121 *ad a.* 1162. *Est enim sic in lib. I. cap.* 8*:* Erbonem, unum ex antiquis Theogeri discipulis — qui nos ad scribendum compulit, nobisque scribenda praefigit, tanto utique verius, quanto et plenius universa cognovit. Neque enim potuit ignorare magistri facta discipulus, qui illi non solum domi forisque comes individuus, verum etiam in peregrinatione tota consolator ac socius eum usque sub ipsas suscepti pontificii infulas est prosecutus. *Similiter dictum de Erbone est in lib. II. cap.* 7*:* Unum ex discipulis qui cum eo (Theogero) exierant, cuius in toto hoc opere, quippe quod ipso auctore conscribitur, iugis celebrisque memoria est *cet. Aliorum quoque, qui res coram viderant, usus relationibus est scriptor, quemadmodum indicat in lib. I. cap.* 13 *verbis his:* Testati sunt nobis, qui in eius fuere contubernio *cet. et in cap.* 30*:* Nam quemdam a fratribus, qui nobiscum in monasterio commorantur, iam olim referentem audivi *cet.*

1) Vid. SS. X, 544.

Nomen quidem scriptoris incognitum est, verumtamen pro certo eum dicere monachum Pruveningensem possumus, quia Erbonem in lib. I. cap. 14 *his ipsis notat verbis:* abbas meus. *Possumus tempus etiam, quo confecit librum, satis accurate circumscribere. Etenim et Alberonem archiepiscopum Trevirensem commemorat lib. II. cap.* 2*:* apostolicaè legationis praeditum esse potestate, *id quod notum est die* 2. *Oct.* 1137 *evenisse, et vivo Ruoperto abbate Ottenburano, qui obiit d.* 15. *Aug.* 1146, *expeditum opus esse, lib. I. cap.* 29 *significat hoc modo:* in Uttenburensi coenobio Robertum sanctitate et gratia plenum hodieque superstitem praefecit abbatem. *Apparet igitur, eum regnante Conrado III scripsisse, idque spatio annorum* 1138 *et* 1146.

Totam Theogeri vitam dolemus nobis non esse servatam. Namque trunca legebatur in codice Sancti Georgii Villingensi, cuius et Mabillonius exemplum a Papebrochio missum[2] *conficiendis annalibus Benedictinis adhibuit, et Ruinartius apographum a Gamansio factum, quod Parisiis invenitur (Résidu St. Germain* 215*), edendum in Act. SS. ord. Bened. saec. VII. praeparavit; ex quo quidem apographo fragmenta libri II in Rec. des histor. XIV.* 207—220 *imprimenda curavit Brial. Desideratur autem tum initium libri I, tum utriusque libri exitus; quod damnum aliis quoque lacunis augetur.*

Editionis nostrae parandae subsidia erant haec:

1*) Parisiense apographum, quod quidem in usum nostrum transcripsit Bethmannus,*

2*) Mellicensia libri I fragmenta, manu saec. XVI in foliis sex* 4⁰ *descripta, quae Pezio quondam e monasterio Wiblingensi allata erant. Incipiunt verbis iisdem, quibus Parisiense exemplum, lacunaque ex capite* 14 *usque ad initum caput* 16 *relicta, primum capitis* 19 *quadrantem non excedunt. At lectiones a Wattenbachio ex iis delibatae tales sunt, ut eas paene omnes commode receperimus.*

Deficientes denique operis partes aliquo modo repraesentare licuit ex Trithemii Annal. Hirsaug. 1087, *qui Theogeri vitam, pleno quodam exemplo usus, summatim exposuit.*

Berolini, 3. *Idus Maias* 1855.

LIBER PRIMUS.

(1—7 Theogerus oriundus fuit ex Francia orientali, quam alio nomine Teutonicam vocaverunt antiqui, parentibus humili propagine satis; qui cum puer esset ingenio docilis et animam cum Salomone sortitus bonam, more suorum ad litteras ponitur et sub magisterio cuiusdam Manegoldi[3], praefecti scholarum in Alsatiae provincia, viri non solum doctissimi, sed etiam morum sinceritate integerrimi — qui christianus recte dicebatur et erat philosophus — optime institutus, in brevi doctus in omni genere scientiarum evasit. In omnibus namque artium liberalium disciplinis egregie fuit peritus et in musica singulari exercitatione consummatus. Nam factus postea in Hirsaugia monachus librum scripsit de musica[4] non solum utilem sed etiam valde instructum et elegantem. In psalterium etiam breves quidem, sed utiles et pulchros commentarios edidit, quibus ingenii sui vires manifestius ostendit. Epistolas etiam plures et ornatas scripsit ad diversos, et sermones varios sive homilias ad monachos. Postea vero quam diutius cum praenominato praeceptore suo fuisset obversatus et in omni varietate scripturarum simul et morum venustate optime instructus, abeundi licentiam ad suos obtinuit, quos non mediocriter sua eruditione laetificavit. Qui canonicus factus in ecclesia sancti martyris Cyriaci novae domus iuxta Moguntiam, omni tempore iustum prudentem ac moderatum se in cunctis exhibuit et

2) Vide Mab. Ann. Ben. 1119 Nr. 84.

3) postea praepositi Marbacensis; qui memoratur in bulla Urbani II d. d. 24. Mart. 1096 et Paschalis II d. d. 2. Aug. 1103 (Reg. pont. Rom. 4212. 4442). De eo cf. Bernoldi chron. 1094 SS. V, 459. et annotationem ibidem additam et Wilmansii annotationem 3 supra p. 180; praeterea Annal. Argentin. 1090—1096 apud Böhmer Font. III, 68 sq.

4) »Musicam Theogeri Metensis episcopi« edidit Gerbertus in SS. eccles. de musica II, 182—106. Cf. Pez Anecd. IV. pag. IX.

exemplar totius modestiae et honestatis fuit. Et quia, sicut diximus, in omni genere scientiarum doctissimus extitit, docendi munus ei a praeposito ecclesiae memoratae commissum fuit. Ad cuius magisterium quotidie plures docendi convenerunt, quos ille summa diligentia non solum in divinis scripturis, sed etiam in saecularibus litteris ad plenum instruebat. Deinde post annos aliquot negotium habens familiare, ad sanctum abbatem Wilhelmum[5] pro consilio venit in Hirsaugiam, nihil minus quam monachus fieri cogitans. Verum ad sermones sanctissimi patris tandem compunctus et divina miseratione praeventus, inter audiendam missam viro Dei celebrante pro ipsoque orante, cum iam esset abiturus, subito mutavit consilium et votum assumpsit monachorum. Contemptis itaque mundi honoribus et vanitatibus cunctis, pro Christi amore monachus factus est et futurae sanctitatis probatum mox dedit indicium, maxima sollicitudine vigilans in timore Domini, nihil plus appetiit, nisi quomodo illi placeret, cui se probavit[a].

8. . . . .

. . . . illis diebus nihil gloriosius, nihil amabilius terra Bavarica intra sua viscera suscepit. Qui multis virtutibus clarus 8. Idus Ianuarii, ipso videlicet theophaniae[b] Domini die, decedens[6], manifestatum sibi in caelis filium virginis meruit videre cum Magis, sicque in tabernaculo eius hostiam immolans iubilationis adorare cum illis, qui eo die oblatis muneribus misticis vagientem eum viderunt, et adoraverunt in cunis; ubi iam in spiritu congrue cecinit cum propheta: *Ego autem in iustitia apparebo in conspectu tuo; satiabor cum apparuerit gloria tua.* Itaque in ipso[c] templi vestibulo, loco videlicet suis meritis congruente, sepultus, suam illam, quam praesentia corporali destituit, suis ut credimus gubernat precibus sedem; in qua venerabilem virum Erbonem[7], unum ex antiquis Theogeri discipulis, habuit successorem: Qui nos ad scribendum compulit, nobisque scribenda praefigit, tanto[d] utique verius, quanto et plenius universa[f] cognovit. Neque enim potuit ignorare magistri facta discipulus, qui illi non solum domi forisque comes individuus, verum etiam in peregrinatione tota consolator ac[g] socius, eum usque sub ipsas[h] suscepti pontificii infulas est prosecutus. Haec nos extrinsecus inserere, affectus amborum non sine Theogeri admiratione compulerit, qui tales non modo collegas, sed et discipulos habere promeruit. Sed his omissis, coeptum historiae ordinem[i] prosequamur.

1121. Ian. 6.

Psal. 16, 15.

9. Igitur Theogerus, ut dicere instituneram, brevi tempore in omni genere virtutum perfectus emicuit. Frequens ieiuniis, pietate conspicuus, fide firmus, facile se maioribus suis studio virtutis aequaverat. Iam enim contra vanitatem atque iactantiam ita invictum spiritum gessit, ut illa vitia nemo fortius calcaverit; semper autem et iuvenes dilectione et senes honore praevenit. Ita pro qualitatibus singulorum suum in omnes ostendebat affectum. Abbati denique tanta se devotione substravit, ut nullum illius, quamlibet[k] arduum aut difficile vel indignum, non exsequeretur imperium. Quod ille ubi diutina ac[l] diligenti examinatione probavit, eum ut par erat pro vitae merito amare prae caeteris coepit ac suis saepe colloquiis cum senioribus, quorum in maioribus negotiis consiliis uti solebat, adscivit. Considerans quoque, quam esset subtilis ingenii, et illi et alteri perito nihilo minus viro Heimoni[m] id iniunxit officii, ut in omnibus divinae historiae libris, imo in toto tam novo quam veteri testamento quaeque erant scriptorum vitio depravata, corrigerent et ad antiquitatis regulam per distinctiones, subdistinctiones ac plenas distinctiones emendando perducerent. Quod venerabilis Theogerus cum tanto est studio executus, ut quod erat obscurum et paene[n] inextricabile, quantum ad litteram planum ac lucidum redderet, et sui sagacis ingenii evidens posteris indicium daret, maxime cum eadem eorumdem[o] apud nos correctio hodieque[p] perseveret.

10. Cum de die in diem proficeret, abbas eum loco ordine et honore provexit; ac tum primo in cella beati Gregorii papae[8] adhuc in diaconio suo prioratum administrare praecepit, volens utique in hoc ipsi[q], sibi suisque consulere: ipsi quidem, ut sua per hoc praemia cumularet; suis autem, ut eius institutione proficerent; sibimet ipsi vero, ut suam circa plurima sollicitudinem partito in alios onere temperaret. Factum est itaque per Dei gratiam

a) *hucusque descripsi summarium vitae Theogeri in Trithemii Ann. Hirsaug.* 1087. b) epiphaniae 1. c) *sic corr.* quo 1. 2. d) sed tanto 1. f) universe 1. g) consolatorem 1. h) ipsius 1. i) *deest* 1. k) quantumlibet 1. l) et 1. m) Herinoni 1. n) *deest* 1. o) earumdem 1. p) *deest* 1. q) ipso 1.

5) Hirsaugiensem 1071—1091. 6) Erminoldus, abbas Pruveningensis, quem constat d. 6. Ian. 1121 obiisse; cf. eius vitam, quam edemus infra. 7) ab a. 1121 ad 1162. 8) Reichenbacensi ad Murgam fluv., quae condi a. 1082 coepta, a. 1085 est consecrata. Vide Willehelmi abb. Hirs. tabulam apud Kuen Coll. Scr. II, 55. in Cod. Hirsaug. 94 (Bibl. des litterar. Vereins in Stuttgart I.), Wirtemb. Urkundenbuch I, 284.

id quod fidelis ille dispensator pie intenderat, cum quidem iste non sibi soli, sed et aliis
omnibus laboraret, adeo ut et fratres eius imitatione proficerent, et utrorumque profectibus
abbas intime gauderet, sperans sibi commune fieri, quidquid boni habuissent sui. Habuit
Rom. 6, 22 enim venerabilis Theogerus fructum suum in sanctificatione, cum sibi bene viventi socia-
rentur plures in sancta conversatione; finem vero vitam aeternam, quando vel quomodo
voluit is qui eum benedicens benedixit et multiplicavit, accepit. Qui postquam fidelem eum
Matth. 25, 21. in modico comprobavit, non multo post super multa constituit, quandoque constituendum
in caelis, ubi audiret a Domino, quod servus bonus et fidelis. Qui dum aliquanto tempore
iniuncto sibi laudabiliter fungeretur officio, volens eum abbas arctius ministerio vincire
divino, presbyterum eum ordinari expetiit, felicem fore existimans tali ecclesiam sacerdote.
Ille vero ut erat vir iustus, sacri altaris ministerium cum tanta timoris Domini reverentia
est executus, ut per proximos quatuordecim dies, quotiens ad id ventum est, ut collo suo
suave illud Domini quod nuper acceperat iugum, sanctam videlicet stolam, imponeret, adeo
ex sacrosancti illius[a] misterii[b] et sacramentorum consideratione deficeret, ut eam[c] vix
manu attingeret, vix humeris sustineret; prae nimio pavore vix ipse consisteret; ita stans
tremeret et tremulus staret, ut cum quanto timore spiritus eius[d] Domino serviret, etiam
stupore ipso corporis indicaret.

Psal. 106, 8. 11. In diebus illis diminutae erant veritates a filiis hominum, et non erat intelligens
Rom 3, 11. aut requirens Deum; neque rex vel[e] regni[f] principes tantum[g], sed et plurimi sacerdotum
averterunt sensum suum, et clauserunt oculos suos, ne viderent caelum, nec recordarentur
iudiciorum iustorum. Si qui enim forte tunc Romano pontifici debitam subiectionem profi-
teri audebant, vel principum iussu et sacerdotum instinctu ad necem vel ad supplicia rapie-
bantur. Ita ad perturbandam ecclesiae pacem universos[h] furor armaverat. Proinde confi-
Psal. 106, 8. teantur Domino misericordiae eius et mirabilia eius filiis hominum, quia non est sapientia,
Prov. 21, 30. non est scientia, non est consilium contra Dominum. Coepit namque ecclesia inter adversa
Eccli 25, 22. Gen. 3, 15. proficere, et caput colubri, qui multiplices calcaneo eius moliebatur insidias, virili constan-
tia armata conterere. Nec destitit pravis eius conatibus contraire, quoadusque traderet
Iud. 16, 7. Dominus inimicum Israelis in manu feminae. Tunc mirum in modum christiana religio,
quae ab aliis conculcari iam coeperat, in aliis aucta[i] refloruit. Nam fuere nonnulli, qui
mallent omnia vel extrema perpeti, quam ulla cum reprobis sorte misceri; adeo ut se a
noxia excommunicatorum[k] subtraherent, et saeculi actibus abdicatis solitudines peterent,
servorum Dei habitacula vel nova construerent, vel iam constructa ditarent, seque in per-
1084. petuum Dei omnipotentis servitio manciparent. Surrexit in diebus illis vir quidam religio-
sus et nobilis, Hezilo nomine, et[l] assumpto inde religioso et nobili viro Hessone, illius con-
9 silio et auxilio, prout pietas divina disposuit, in nemore umbroso et condenso[9] coenobium
aedificare instituit[10], cui tunc cella sancti Georgii nomen[m] est inditum, quando in ipsius
honore consecratum est monasterium. Quo in loco venerabilis pater Wilhelmus illorum
petitione compulsus, monasticam religionem instituit, et tres per successionem abbates[11]
imposuit. Sane medium eorum, hominem simplicem et quietum sibique tantum utilem,
non etiam alienis necessitatibus satis commodum, in locum pristinum revocavit et contra
12 canonum scita, diocesano episcopo[12] inconsulto et insciente, deposuit; quod factum aegre
tulit episcopus.

1088. 12. Nec mora, unus[13] e duobus, qui, ut diximus, loci illius fundatores extiterant[n] —
14 unus inquam, iam enim in Christo alter obierat[o, 14] — commendans Domino suam causam,
confugit iterum ad venerabilem Wilhelmum abbatem patrem[p] suum, et data sibi optione,
Theogerum adhuc tertium requirit abbatem. Quod ubi a fratribus auditum est, aegre feren-
tes tanti viri absentiam, tum ob veterem eius amicitiam[q], tum ob irrecuperabile, ut puta-
bant, principalis loci dispendium, quidam lacrimis, quidam permutatione vultus, quidam

a) *deest* 1. b) ministerii 1. c) iam 1. d) spiritus sancti animus 1. e) neque 1. f) regum 1. g) tantum *deest* 1. h) universus 1. i) avida 1. k) *excidit* societate *vel verbum simile.* l) *deest* 1. m) cellae nomen S. G. 1. n) extiterunt 1. o) abierat 1. p) fratrem 1. q) imitationem 1.

9) Nigra Silva. 10) a. 1084 teste Chron. S. Georgii ap. Ussermann Mon. Alem. II, 443. 11) Primo nomen Heinrico fuit (v. Cod. Hirsaug. p. 22); secundus fuisse Conradus fertur (v. Gerbert Hist. Nigr. Silv. I, 285). 12) Gebhardo Constantiensi 1084—1110. 13) Hesso. 14) Hezilo obiit d. 1. Iunii 1088, vide Bernoldi chron., SS. V, 447 et Chron. S. Georgii l. l., ubi Hesso legitur a. 1113 decessisse.

etiam stupore ipso corporis, singuli pro suis qualitatibus suum ostendebant affectum. Sed 1088.
et ipse venerabilis monasterii pater non sine moerore poterat amittere[a], quem amabat. Tamen ut erat totus caritatis et misericordiae visceribus plenus, adhuc pro loco illo desolato sollicitus, et veritus, ne novella illa plantatio nondum radicata, nondum firmi[b] roboris vigore solidata, ad cuiuslibet aurae impulsum vel quassata subverteretur vel etiam dampnose inclinaretur, providit hortulanum, qui ab aestu et a[c] frigore custoditam novellam illam ecclesiam in robur arboris produceret, quae procedente tempore ramos expanderet, floreret et fructum faceret. Theogerum itaque, licet totis viribus renitentem, designat abbatem, et multimodis consolationibus roboratum direxit ad locum[15]. Locus deinde diesque praescribitur, ubi vel quando a reverendissimo Gebhardo, qui tum[d] Constantiensis erat episcopus, electus ille abbas sollempniter ordinetur. Itaque ad id ventum est, ut loco vel tempore constituto infra missarum sollempnia sacris altaribus astaret episcopus, quasi hunc qui ad benedicendum[e] erat producendus, operiens; et ecce ille sacerdotalibus indutus vestibus cum suo abbate procedit. Tum demum episcopus, qui ad suam vel potius ad sacrorum canonum referebat iniuriam, quod praedecessor illius sine suo consilio depositus fuerat, nacta occasione, qua plenam beato Wilhelmo rependeret vicem, eum quem ad benedicendum obtulerat, Theogerum se nosse dissimulat[f]; et conversus ad offerentem, quisnam[g] esset is qui offerebatur, inquirit. Ille suum esse hunc monachum asserit, qui a fratribus novi illius monasterii expetitus, a se vero electus, ab ipso venerit ordinandus. *Ego plane*, inquit, *ministerium meum honorificabo; neque hunc neque vestrum quempiam, nisi vestrae obedientiae vinculis absolutum, deinceps ordinabo.* At ille, in cuius item sententia non minima residebat auctoritas: *Et ego*, ait[h], *quod meum est faciam; et necessariam humilitati eius non relaxabo custodiam, quin eam, quam imperare subditis debet, praelatis*[i] *obedientiam servet.* Dixit; et ad peragenda missarum sollempnia accedit episcopus. Theogerus inacte regreditur; et reliquum diei in hac altercatione consumitur: cum quidem episcopus auctoritate, abbas devotione certaret, ille, ut pontificiali ministerio maior haberetur auctoritas, iste, ut fratri ordinato maior inesset humilitas, laboraret. Tandem abbas, ratione vel potius rationabili necessitate compulsus, episcopo cedit, fratrem absolvit, et a debito obedientiae liberum atque absolutum in crastinum ordinari consensit.

13. Sollempni ergo benedictione accepta, sanctus vir ad monasterium redit; ibique non solum a fratribus, sed etiam a popularibus in voce exultationis et confessionis exceptus, in opus sibi creditae administrationis exurgit. Ac tum primum, quantum loci patiebatur oportunitas, monastici ordinis disciplinam ibidem observari constituit. Deinde ad construendum et locum et templum non minimum studii vel laboris impendit. Decoravit siquidem non solum templi faciem[k], sed et ecclesiam beatae Dei genitricis virginis Mariae, laquearibus et picturis; claustrum latum et spatiosum cum picturis et omnibus necessariis construens officinis, in quibus extunc et nunc et usque in saeculum viri spiritales in sancta conversatione viventes pro se vigilent ac pro totius ecclesiae statu aures divinae pietatis implorent. Neque vero animo eius per tot operum partes distributo minor inerat de internis sollicitudo; sed sicut internorum curam externorum occupatione non minuit, sic externorum providentiam[l] internorum sollicitudine[m] non reliquit. Sicut enim aedificiis construendis intendebat, ita nimirum interius subditorum moribus componendis operam dabat. Talem vero semet ipsum erga subditos exhibuit, ut cum esset prae cunctis contemplatione suspensus, singulis tamen compassione proximus videretur. Et hoc quidem vel ex eo maxime cunctis innotuit, quod si quando ad eum ob percipiendam poenitentiam fratres, quos alicuius delicti conscientia remordebat, accederent, ita flebat, ut etiam illos flere compelleret. Causas vero confitentium sibi nulli umquam, nisi Domino soli, ut pro his intercederet, loquebatur; magnum praelatis fidelium praebens discretionis exemplum, ne quando apud homines eorum accusatores fierent, qui sibi eos apud Dominum per humilem confessionem defensores parassent. Erat ergo bene agentibus per humilitatem socius, sed nihilo minus contra delinquentium vitia per zelum iustitiae[n] erectus. Postremo, ut omnem eius

a) ammittere 2. b) firmo 1. c) *deest* 1. d) tunc 1. e) ad benedicendum *deest* 1. f) dissimulabat 1. g) quinam 1. h) ut 1. i) praelatus 1. k) non templi faciem tantum 1. l) providentia 1. m) sollicitudinem 1. n) tristitiae 1.

15) Theogerum a. 1088 post d. 2. Iunii creatum abbatem esse, indicio est lib. II. c. 15, ubi a. 1118 paullo post d. 2. Iunii egisse tricesimum dignitatis eius annum dicitur.

industriam breviter includamus, omnibus omnia factus est, ut omnes salvos faceret. Iam
16 vero, ut de alio quodam incomparabilis sanctitatis viro Severus presbyter scribit[16], „in verbis eius quanta gravitas, quanta dignitas inerat! quam alacer, quam efficax et quam in absolvendis scripturarum quaestionibus promptus ac facilis!“ Testati sunt nobis, qui in eius fuere contubernio, raro se ex ullius ore tantum scientiae, tantum ingenii, tam boni et tam puri sermonis audisse. Quamquam in eius virtutibus quantula est ista laudatio! nisi quod mirum est, tot munera gratiarum in hominem unum posse conferri. Sane interiorem vitam illius et quotidianam conversationem eius et animum caelo semper intentum haud facile cuiusquam explicabit oratio; illam scilicet perseverantiam et temperamentum in abstinentia[a] et ieiuniis, potentiam in vigiliis, et in[b] orationibus noctes ab eo peractas et dies, nullumque vacuum tempus ab opere Dei, quo vel otio indulserit vel negotio, sed nec cibo aut somno quidem, nisi quantum necessitas exigebat. Nulla umquam hora praeteriit, qua non orationi incumberet aut lectioni vacaret, quamquam inter legendum, aut si quid aliud forte agebat, numquam animum ab oratione laxabat. Nemo illum umquam iratum, nisi forte peccantibus zelo iustitiae cogeretur irasci, nemo maerentem, nisi pro suis suorumque excessibus, vidit. Unus idemque semper, caelestem quodammodo laetitiam vultu praeferens, extra naturam hominis videbatur; nihil in illius ore nisi Christus, nihil in illius[c] corde nisi pietas, nisi pax, nisi misericordia inerat[d]. Sed et sermo illius non alius apud homines fuit, quam mundi illecebras et saeculi onera relinquenda, ut liberi et expediti Dominum sequerentur.

14. Erat ei consuetudo, communes fratrum anticipare vigilias, et misericordiam Domini matutinis precibus implorare. Nam[e] cum fratres ad decantandos matutinales hymnos exurgerent, ille iam psalmos saepe quinquagenos, saepe centenos, saepe totum ex ordine psalterium, vel id ipsum aliquotiens decantando, compleverat. Cumque iam exhaustus[f] viribus, quippe qui esset noctis profundae pervigil, putaretur: ille[g] veluti post pugnam fortior, ad laborem alacrior rediit[h], et ab omni corporis ignavia liber, psallentium chorum ingrediens, divinum cum caeteris cum tanta vigilantia complevit officium, ut illi quamlibet validus, quamlibet devotus[*, i] quis in opere Dei collaborare non potuerit. Ibi itaque usque ad finem officii matutini adeo immobilis perduravit, ut misero suo corpusculo — quippe cui soli semper ille se praebuit inhumanum, quod sine misericordia per aestus indagabat[k] et frigora — ne brevissimum quidem spatium ad sedendum indulgere voluerit, exceptis dumtaxat intervallis, quibus ex more omnes residere consueverant[l]. Qui dum in crastino se levaret, trina, ut moris est monachis, oratione praemissa, ad sanctum altare hostiam salutis immolaturus accedit. Ubi quanta se cordis contritione mactaverit, haud facile dixerim, cum quidem ille non tantum diebus, sed etiam noctibus quoque lacrimis quasi pane vesceretur; ita ut eius aptissime personae congrueret, quod de se propheta pronuntians
Psal 6, 7. ait: *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo.* Unde et de propheta praestantissimum illud orationum et vigiliarum studium vel exemplum crebro iunioribus ingerebat, felices eos pronuntiando, si partem vel exiguam temporis, quod eis erat indultum ad requiem, in Dei expenderent servitutem. Cumque
17 abbas meus[17], sicut apud eum nemo familiarius loquebatur, inquireret, quo tandem ingenio sibimet ipsi, praesertim resupino corpore, fessis artubus, posset extorquere vigilias, ille eum et caput et oculos levare cum manibus docuit, ut, dum manus extenderentur ad precem, labia moverentur ad laudem, ad lacrimas oculi cogerentur. Plane vir sanctus non aliter potuit, non aliter scivit docere, quam fecit; quamquam[m] virtutum eius excellentiam pauci admodum ex discipulis facili consequerentur effectu, cum quidem ille omnibus tam viribus corporis quam spiritus devotione praestaret.

15. Et quia fratrum humeros durissimis plerumque oneribus praegravabat, considerans eos ex viribus suis, nec leviter apud illum agi poterat, ut incolumi corpore de rigore propositi sui vel paululum relaxaret: necessarium valde tum illi tum vero maxime subditis erat, illud eius infatigabile ac quietis impatiens corpus virgam disciplinae per manum Domini misericorditer experiri, quatenus cum infirmis infirmus fieret, qui inter fortes fortior

a) abstinentiis 1. b) *deest* 1. c) ipsi 1. d) erat 1. e) *deest* 1 f) exhaustis 1. g) illud 1. h) redit 2. i) devotus* — excidium* *desunt* 2. k) *an* incedebat *aut* castigabat? l) *sic correxi;* consueverat 1. m) *sic correxi,* per quam 1.

16) in vita beati Martini, v. Sulpicii Opp. ed. de Prato I, 34. 17) Erbo Pruveningensis.

apparuit[a], sicque ex suis infirmitatibus disceret, aliis infirmantibus qualiter misereri debuisset. Accidit ergo, ut die quadam, dum equitando iter ageret, de equo corruens ita corpus omne collideretur, ut etiam in infirmiori corporis parte confractus, herniosus fieret, ac postea quoad vixit eadem infirmitatis molestia laboraret. Ex illo iam tempore vir sanctus non solum in subditos mitius[a*] agere, sed et adeo in semet ipsum didicit non saevire; cum tamen eius innocentiae puritas iugisque ad Deum intentio laborem pristinum conservaret. Nam quamvis deinceps aliquantulum sibi de rigore pristino relaxaret, ita ut non solum in choro consuetam cum fratribus sedendi vicissitudinem observaret, sed et crebris aliis horis etiam incompetentibus resideret aliquoties, iamque ad[b] opus Dei tardius quam soleret occurreret: alio tamen loco vel tempore, quicquid in conventu[c] neglexerat, plenius ac devotius studuit adimplere. Hinc est, quod cum forte in hieme circa horam diei tertiam, re ita exigente, in monasterio requisitus inveniri non posset, unus ex fratribus abiit, ut eum in capella lignea, quam ille orationis gratia frequentabat, inquireret. Ubi foribus clausis prorsus in terra iacens inventus est, adeo nive densissima, quae super eum a media nocte usque in horam tertiam ceciderat sine intermissione, coopertus, ut ne minima vestimenti fimbria compareret. Sic itaque calcantis super se fratris pedibus deprehensus surrexit. Cum ille vehementer exterritus ad fratres cucurrit exanimis, quo loco vel habitu senem iacentem offenderit, cum maxima omnium admiratione confessus. Vere beatum eius discipulorum contubernium tantae sanctitatis et fidei documento! cui ille iuxta dominicum praeceptum abnegando se ipsum et crucis Christi quotidie levando vexillum, quod erat impossibile facto, possibile fecit exemplo.

16. Videns interim humani generis inimicus in loco horroris et vastae solitudinis fabricam ecclesiae novellam exurgere, illaque alta ferarum stabula in servorum Dei habitacula commutari: ad gloriam Christi suique interitum id fieri sciens, vehementer indoluit; ac proinde, ut incendium suum ruina extingueret, non solum viri Dei perniciem, sed et loci illius ilico molitur excidium[c]. Mille itaque nocendi artes exerit[d], et quibus modis unius vilissimi ut sic dixerim domicilii septa dirueret, non invenit. Quid faceret et quo se verteret? Qui gloriabatur quondam in corde suo dicens: *In caelum conscendam, supra astra* Isai. 14, 13 et 14.
Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo! iam miser, extrema necessitate compulsus, ad nota sibi argumenta fallaciae illo suo more convertitur; et ut id quod intenderat tandem daret effectui, vulgi ignobilis, qui haud procul a monasterio in[e] Asenheimensi castro consederat, solatium petit, illudque contra virum Dei quibus poterat versutiis instigavit, ut eum vel affectum iniuriis de sedibus[f] penitus perturbaret, vel crebris iurgiis[g] lacessitum aliquatenus ab interna conditoris contemplatione retraheret. At vero vulgus insolens et, sicut est natura rusticorum, moribus importunum atque ad inferendam[h] iniuriam pronum, furibundum ac plena insania[i] evomit in Theogerum mille convitia, dicens: eum in aliena iura irrumpere suaeque ditionis solum incolere; non oportere monachos vel aestimari vel dici, qui de rapina viverent, qui locum, quem in varios usus olim ipsi communem habuerant, sibi proprium fecissent; postremo illos nihil novum quidem moribus suis facere, ad quorum cupiditatis hiatus explendos non maria omnia, non terrae sufficerent, nisi etiam[k] exiguum illud, quod supererat nemoris vel cespitis, retentarent. Illo in tempore Bercthold us[l] frater Geb- 1092
hardi episcopi Constantiensis in Alemania ducatum tenuit[m], vir scilicet seculi negotiis 1096.
occupatus, tamen admodum[n] christianus, qui[o] sanctum illum et virum et locum pio semper venerabatur affectu. Enimvero homines illi, velut equi indomiti spiritu nequitiae feruntur, effrenes atque in servum Dei tyrannice saevientes, iam omne eius monasterium ab[p] stirpe evertere cogitabant. Multis a sancto viro precibus, multis ab ipso duce terroribus saepe retenti sunt. Iterum moliuntur, iterum minis ac supplicationibus superantur. Ad ultimum, cum hostis ille versutus non[q] die non[q] nocte eos instigando quiesceret, ad evertendum, ut diximus, omne[r] illud monasterium alii sparos, alii lanceas, alii sudes praeacutas, uti unumquemque casus armaverat, manu ferentes adveniunt. Nunciatur interea duci, omne id hominum genus armata iam manu ad opus tam triste procedere; nec dubium, quin in proximo videat et in loco, quod lugeat, et in Theogero, quod doleat. Quibus continuo

a) *sic correxi;* appareret 1. a*) *ita correxit Wattenbach;* minus 1. b) ad *addidi.* c) *an* inconvenienter? d) exesit 1. e) *deest* 1. f) illius *addit* 2. g) iniuriis 1. h) inferendum 1. i) miseriae 1. k) et 1. l) Bertholdus 1. m) habuit 1. n) adeo 1. o) quod 1. p) a 1. q) neque 1. r) *deest* 1.

1092 retractis ex itinere, quo tenderent, immo quid intenderent debita cum indignatione perqui- 1096. rens, ubi parum oportunis[a] eorum responsionibus mitigatus, sciens genus servorum non nisi verberibus coerceri, per suos officiales virgis unumquemque compescuit; sicque tantam multitudinem[b] totam maerentem, partim inermem abire permisit. Tum vero accensis animis saevire acrius[c], ac nova in dies moliri contra Dei[d] servos, idque tantum agitare coeperunt, quatenus et[e] locus in solitudinem redigatur, et vir Dei cum suis non sine iniuria longius repellatur. Haec illis voluntas, hoc consilium fuit; sed de his Dominus longe aliter statuerat. Accepta quidem oportunitate arma corripiunt, ac sese[f] mutuo cohortantes locum adeunt, mirum in modum gaudente diabolo, quasi id tandem, quod diu moliebatur, expleverit. Iamque ad fores monasterii fortis ille exercitus eminus propinquabat, Theogero cum suis sacra de intus missarum sollempnia celebrante. At illi vix prima limina ingressi, ubi psallentium voces exaudiunt, mutata sententia arma animosque deponunt, ecclesiam supplices adeunt, de his quae contra virum sanctum stulte[g] commiserant, veniam postulantes. Unde quis dubitet, hanc Theogeri fuisse virtutem, qui homines furiosos, quos praepotentis ducis auctoritas tum minis tum suppliciis coercere non potuit, fusa ad Deum oratione compescuit, ut et illi gratias agerent, se errori suo non fuisse permissos, et fratres, qui sub eo Domino militabant[h], pacem et[i] tranquillitatem se gratularentur[k] adeptos. Omnes itaque, qui venerabilem virum mortali fuerant[l] odio persecuti[m], cum eo in gratiam redeunt, eumque ut patrem patriae diligere et venerari incipiunt, dona offerunt xeniaque transmittunt; complures etiam se suaque omnia dedentes, habitum religionis assumunt. Sicque factum est, ut etiam pars villae illius cum non modica quantitate agrorum in ius ecclesiae eiusdem legitima donatione pervenerit.

17. Nec valet ulla ratione perstringi, quantam rei familiaris inopiam tum quidem omni tempore tum vero maxime in ipso fundationis initio ibidem sustinuerunt, quotiens tunc[n] loco cedere, quotiens ad aliena monasteria alios mitti, alios certe omnino ex congregatione liberos dimitti debere decreverunt; cum tamen Theogerus sua eos patientia frangeret, consolationibus permulceret, meritis sustentaret. Quanti in illo sanctorum contubernio delicati et teneri panem siccum ceu summas delicias computabant! Lautiora alimenta non noverant; immo ad genialem refectionem aliquoties invitati, aut nulla penitus, aut quae inter tantos penitus nulla videntur[o], inveniunt. Cum quidem illi in reditu suo solitam psalmodiam cum tanta volentia[p] et exultatione concinerent, ut ebriosos putares; illius nimirum ructantes musti crapulam, quo servos suos Dominus inebriandos dixerat per prophetam, Act 2,13.15 quo circa horam diei tertiam maduisse discipulos Christi, Iudaei falso calumniati, nescientes perhibebant[q] testimonium veritati. Et quoniam[r] id exigit consuetudo monastica, ut tunc temporis pro illis oremus, quorum fuerimus liberalitate refecti: non immerito felices eos fuisse dixerimus, pro quibus a talibus oratum est, quorum et ventrem crapula non gravabat, et orationem devotio commendabat. Nam plane illis venerabilis pater hinc vinum Psal 59,5. compunctionis, quo ipsum praecipue Dominus cum propheta potaverat, inde aquas re- Psal 22,2. fectionis, super quas item a Domino educatus[s] fuerat, pleno caritatis poculo[t] propinabat; ut eorum esurire ac sitire non aliud foret[u], quam Domini facere voluntatem, ac tum demum se abunde refectos crederent, cum patris inhaerendo doctrinae, caelestis vitae dulcedinem praegustassent. Videres iam in eius disciplinatu non solum emeritos senes, sed et iuratos in sacra Christi tyrones totius noxiae temptationis expertes[v], cum quidem voluptas in senibus natura frigesceret, et mollior aetas longa inedia contabescens cibum potius quam Ephes. 6,12. lasciviam cogitaret. His profecto iuxta apostoli vocem non erat colluctatio adversus carnem et sanguinem; quippe qui iam omnem evicerant carnalem concupiscentiam per iugem abs- Coloss. 3,5. tinentiam, mortificantes membra sua super terram; in hoc utique non solum ipsius apostoli, sed et ipsius venerabilis Theogeri[w], tamquam filii carissimi, imitatores effecti, cuius caro vigore pudicitiae tum sanctimoniae novitate incomparabiliter floruit, ideoque et ecclesiam suam virginem castam exhibere Christo curavit. Unde nonnulli, qui ex illa congregatione iustorum aliquo levitatis instinctu fuga elapsi[x], a paternis institutis degeneri conversatione reciderunt, in suo confestim interitu, quoniam[y] iram Dei effugere nemo

a) *an* importunis? b) multitudinem tantam 1. c) saevire accensis animis acres 1. d) Christi 1. e) *deest* 1. f) se 1. g) *deest* 1. h) habitabant 1. i) etiam et 1. k) gratulentur 2. l) fuerunt 1. m) prosecuti 1. n) suo 1. o) viderentur 1. p) valentia 1. q) *sic correxi;* perhibent 1. 2. r) *sic correxit Wattenbach Pezium secutus;* quomodo 1. 2. s) eductus 1. t) praelo 1. u) fuerit 1. v) *sic correxi;* expertos 1. 2. w) Theogeri venerabilis 1. x) sunt et *addit* 1. y) quam 1.

mortalium valeat, experti sunt. Quales certe illos fuisse non dubium est, quorum unus aquis praefocatus, unus subitanea morte praeventus, unus a latronibus est interemptus.

18. Sed et alius[a] in monasterio frater adeo pigritiae ac sompno deditus fuerat, ut raro vel die vel nocte, quotiens ad agendum divinum officium cum fratribus in choro constiterat, vigilaret. Et licet Theogerus nunc eius latera pugnis tunderet, nunc genas alapa feriret, nunc in eius faciem lumen ardens defigi praeciperet: ille tamen acsi ebrius stertens, a sompno excuti omnino[b] non poterat; sed cum primum se is qui eum excitaverat[c] avertisset, iterum dormitavit. Quadam itaque nocte, cum infra nocturnos fratrem illum inutilem ac sompnolentum pulsando, trahendo, tundendo nihil proficeret, publica eum coram omnibus voce[d] corripiens: *Miser*, inquit, *et miserabilis*[e], *quid sompno deprimeris? Nihil tibi commune cum bonis; cum his certe, qui faciunt opus Dei negligenter, perpetua maledictione mulctaberis.* Quod ita fore, ut dixerat, ex eo cunctis innotuit, quod[f] post paulۦlum et ipse clam fugiens miserabili morte consumptus est. His ergo tamquam paleis ex area Domini separatis, ceteri qui in horreo patrisfamilias velut grana purissima remanserunt, laeti et alacres, ut iam diximus, in fame et siti, in frigore et nuditate Domino servierunt. Ita enim eos Theogerus sanctissimus instituerat, ut bonis omnibus abundare se crederent, si bonorum omnium largitori piis operibus complacerent.

19. Quodam itaque tempore adeo fames non solum in monasterio sed et[g] in omni circa regione praevaluit, ut se fratres illo in loco diutius subsistere posse non crederent, et hi, quibus pater piissimus officia exteriora crediderat, nimio maerore deficerent, quid tantae multitudini facerent nescientes; maxime cum ne comparandi quidem quotidiani victus copia ulla iam foret etiam veteris annonae. Seorsum itaque seniores quosque et consilio meliores assumunt, ac Theogerum media in sede componunt, rem omnem uti se habebat aperiunt idque efflagitant, quatenus quid facto[h] opus sit, habita secum deliberatione decernant, ut tanta multitudo fame[i] non pereat, quae in quotidiano quasi servitio vires corporis iam totas expenderat. Ubi dum diem vario sermone protraherent et per adversa[k] consilia finem causae competentem inquirerent, tandem in hoc universi consentiunt, ut quicumque locum illum aliqua seu pretii seu beneficii oblatione ditassent[l], ipsi quoque ibidem utcumque sustentandi residerent, caeterum[m] quique perfectiores[n] vel ad parentes vel ad alia interim monasteria commigrarent. Interim Theogerus e consessu[o] abierat; et quoniam ea[p] quae ad carnis curam pertinebant, ne dicam agere, certe vel audire vix poterat, ipse[q] alibi solitarius sedens orationi vacabat. At ubi finitim[r] omnes super his protulere sententiam, abbatem invitant, et in quo tandem universi convenerint, manifestant, dicentes, quod verbis plurimis ultra citraque habitis summa consilii sui haec fuerit, ut qui bonis vel beneficiis suis locum fecerint[s] ditiorem, ipsi quoque caeteris abscedentibus necessariam ibi habeant consolationem. Tum Theogerus, idem sibi placere, respondit: *Dummodo*, inquiens, *ego, qui a filo subtegminis usque ad corrigiam calceamenti nihil umquam huic loco contulerim, primus abscedam.* Illi hoc vehementer abnuere: abbatem vero nec debere nec posse discedere; alioquin non solum religionis ordinem, qui per eius diligentiam Domino cooperante fuerat institutus, destrui, sed et locum ipsum, cui Deo auctore iam praeesse coeperat, aiunt omni modo desolari. Et ille: *Ecquid est causae*, inquit, *me in monasterio residente, eos, quos in suo nomine congregavit Dominus, abigere? cum is, qui de*[t] *quinque panibus satiavit quinque milia hominum in deserto, clare etiam illis poscit escam in tempore oportuno. Neque enim*, inquit, *interficiet Dominus fame animam iusti, quando quidem non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* [Prov. 10, 3; Matth. 4, 4.] O quam sancta de Iesu pietate praesumptio! in qua et fidei suae evidens dedit indicium, et erga discipulos ostendit affectum; nimirum aestimans, quod, licet deficientibus mortalis vitae subsidiis, fame perire non possent, quos per eius ministerium Dominus congregasset in suo nomine. Et quid multa? ad hanc vocem dissipatum est omne illorum consilium, et mirifice protinus, uti ille promiserat, consolatus est Dominus populum suum. Eo namque tempore alienum aes grande conflarant, ita ut mutuo acceptas sexaginta libras argenti in quotidianos usus expenderint. Cumque iam praesens loci necessitas et imminens anni sequentis sterilitas adhuc eos amplius

a) aliquis 1. b) *deest* 1. c) se ipsum excitatum 1. d) voce coram omnibus 1. e) et miserabilis *deest* 1. f) quando 1. g) etiam 1. h) factu 1. i) tamen 1. k) diversa 1. l) ditent 1. m) caeteri 1. n) *an* pauperiores? o) consensu 1. p) *deest* 1. q) *hic desinit* 2. r) *vox alias non reperta; an* finitivam? s) facerent 1. t) quidem 1.

mutuare compelleret, sed unde redderent, non haberent: hominem iuvenem quendam Liutfridum nomine, civem civitatis Wangionum, genere et divitiis satis fortunatum, infirmum contigit advenire; Domino nimirum cum illo misericorditer destinante, quatenus et illius infirmitas spiritalibus solatiis iuvaretur, et ex eius abundantia ....[a] frumenti et vini omnique supellectili, omnibus quoque aedificiis tam ligneis quam lapideis, vel quidquid habere poterat in civitate. Statim monastica benedictione accepta, nocte tertia iam medium iter agente defunctus, receptus est[b] in aeterna tabernacula. Nam et exitus sui horam et beati Georgii adesse praesentiam, certis declaravit indiciis; sicque diabolo, quem in angulo viderat latitantem, virtute eiusdem martiris confutato, tradidit spiritum, a duobus, ut ipse perhibuit, dealbatis in conspectu Altissimi praesentandum. Theogerus vero tum aberat; nam paullo ante de monasterio illum contigerat proficisci. Statimque missus est nuntius, qui e vestigio sequeretur abeuntem et, ut ipse praeceperat, praedicti fratris sibi obitum nuntiaret. Illud[c] autem accepto tam gravi nuntio aegre tulit; et mox sub omni celeritate regressus, circa horam diei tertiam improvisus advenit. Et iam missa priore completa, ipse sacris indutus vestibus et ministris in eius adiutorium deputatis, alteram consequenter imponit, sicque cum fratribus flebiles exequias celebravit, lutum[d] iuvenis corpus honorifice sepulturae tradidit. Verum est, omnino verum est illud propheticum, *quia nihil deest timentibus eum;* quia maiore miraculo ex alienis facultatibus servorum suorum supplevit inopiam, quam si ex annuali[e] fructuum ubertate solitam illis praebuisset annonam.

20. Diversis iam et terris et gentibus celebre Theogeri nomen innotuit, nec solum ad aulam regiam, sed usque ad urbem urbium Romam sanctitatis eius fama pervenit. Eremitae aliique quamplures, qui vitam angelicam in reclusione ducebant, suis eum epistolis salutantes, eius se orationibus attentius commendabant; quodque magis stupeas, quidam eorum monitis eum[f] salutaribus informantes, quaedam in eius monasterio correctione digna, quae illum omnino latuerunt, quaeque per spiritum ipsi cognoverant, illi corrigenda denuntiabant. Ipse eum[g] Urbanus secundus[h], qui tum Romanus erat pontifex, quasi specialem sanctae Romanae ecclesiae filium, quippe quem apostolis et apostolicis viris, ut
18 pace eorum dixerim, caelesti sua conversatione coaequaverat, habebat[18]. Nec latuit regem, Theogerum, ex eius ministerialibus oriundum, segregatum longe a consortio hominum
Prov. 28, 1. habitare in eremo cum bestiis terrae, ubi in nulla[i] fortitudine quasi leo confidens absque terrore[k] constiterit, iam innumera utriusque sexus animalia pascenda[l] susceperit. Etenim sic factum est, cum non solum populares, sed et procerum multi, summis opibus derelictis, Theogeri expeterent disciplinam, eique nonnulli soboles suas, pueros scilicet et puellas, traderent educandas, ita ut infra paucorum annorum spatium in monasteriis monachorum et virginum animas fere septingentas susceperit procurandas. Ecce sic benedicitur homo, qui timet Dominum. Benedicens enim benedixit eum Dominus ex Syon multiplicatis scilicet filiis et filiabus, de quibus exultantibus animis diceret, et Domino gratias ageret Theogerus: *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus!* De quorum institutione vel vita quid loquar? cum eorum sanctitas in tantum excrevit, ut quidam ex eis miraculis coruscarent, quidam revelationibus edocti divinis ventura praedicerent, nonnulli per spiritum et diem et horam gloriosissimi transitus praeviderent, alii fratrum suorum, qui dudum obierant, animas in caelis receptas certis quibusque[m] indiciis comprobarent.

21. Nam ut pauca de pluribus quae nobis sunt comperta perstringam, quidam e senibus in monasterio virginum prioratus administravit officium; qui in nemore illo, quod eidem adherebat ecclesiae, ne quis ligna incideret, interdixerat, quatenus maiori post usui foret, cum processu temporum et altitudine et densitate crevisset. Sed ecce unus ex incolis, sanctissimi viri iussione contempta, in nemore interdicto ligna secare non timuit; et sepe commonitus, ut a tanta praesumptione desisteret, corrigi aut prohiberi omnino non poterat. Quodam itaque die is, qui eiusdem nemoris provisor extiterat, subito improvisus adveniens non sine gravi gemitu nuntiat, hominem ad tollenda ex eodem nemore ligna duo illic boum paria cum plaustro minasse, iamque excelsas lignorum trabes ingenti conatu succidere. At

a) *nonnulla apparet hic excidisse, ut* fratrum inopia sublevaretur; *truncata deinde est narratio de possessionibus Liutfridi monasterio collatis.* b) est *addidi.* c) *an* Ille? d) *an* lautum? e) amicali 1. f) cum 1. g) enim 1. h) sanctissimus 1. i) *an* sua? k) tenore 1. l) *an* innumeras u. s. animas pascendas? m) *an* quibusdam?

18) Theogero petente, monasterii sancti Georgii tutela et d. 8. Mart. 1095 ab Urbano II. et d. 2. Nov. 1105 a Paschali II. suscepta est; vid. Reg. pont Rom. n. 4148 et 4509.

vero venerabilis senex debita tandem super hoc commotus indignatione, ingressus ecclesiam, quae beati Sebastiani reliquiis ac patrocinio habetur insignis, coram altari extensis in caelum manibus stetit et interdictae sibi, immo omnibus generaliter monachis, his praesertim in locis, patientiae et taciturnitatis oblitus exclamat ipsius martiris nomine invocato, iurans per viventem in secula seculorum, nisi illum pestiferum ecclesiae suae vastatorem digna mox ultione feriret, nullum deinceps divinum officium in eius monasterio se acturum. Homo enim iste onusto iam plaustro, bobusque iam vinculis quibus inserta ista animalia conglobantur implicitis, parabat abscedere. Sed boves divina quadam virtute perterriti ac retroacti ridiculam in vertiginem ferebantur, ac sic portentosos[a] illos ordines miscuerunt; dumque aegre expediuntur, invisibili quodam modo subnervati invalidi prorsus ac inutiles facti sunt. Iusto plane iudicio Dei, ut ibi miser amitteret sua[b], ubi rapere solebat aliena. Vere iustus et misericors Deus, vere mirabilis in sanctis suis, qui virum sanctissimum ita pro alterius poena exaudivit orantem et[c] vere ecclesiae suae hostem perfecto odio persequentem, quatenus et facinus suum perdita re familiari homo reus agnosceret, et ipse reservatus ad poenitentiam de coetu fidelium non periret.

22. Dum quidam in monasterio frater vi febrium validissima teneretur, iamque ad exitum propinquaret, subito caelos aperiri, et[d] sibi beatum vidit adstare Georgium, qui susceptum eius spiritum Deo iubente deferat in excelsum. Mox conversus ad patres, et quid vidisset insinuans, in vocem exhortationis erupit: *Eia*, inquiens, *fratres mei, non vos pigeat certaminis, quo sub tanti ducis militia desudatis, per quem Dominus certantibus victoriam et victoribus dat coronam.*

23. Fuit item in monasterio quidam provectae aetatis et boni testimonii vir, qui sciens dissolutionem sui corporis imminere, iussit omnia, quae eius funeri erant necessaria, praeparari. Testabatur enim, beatos Petrum et Paulum, Andream et Iacobum cum caeteris apostolis ad suscipiendum eius spiritum advenisse; se adhuc solum illum dominum suum patronum monasterii beatum Georgium expectare. Post paululum vero evocato fratre, qui ex more deferebat obsequium: *Accelera*, inquit, *et meum in cinere et cilicio compone corpusculum; et veniant fratres et domini omnes; debeo enim iam resolvi.* Fecit ille, ut iusserat; et cunctis coram residentibus ac psallentibus laetus migravit ad caelos.

24. Quidam quoque e fratribus, qui nuper ad Deum accesserat, nondum percepta plenaria monachi benedictione defunctus est. Mox quidam e senibus, qui orationum et vigiliarum usu continuo lumen oculorum iam amiserat pridem, raptus in spiritu vidit defuncti animam per manus angelorum in caelum usque deferri, cum quidem ille obiisse quemquam nesciret, quoadusque post tabulae sonitum, quae monachis morientibus percuti solebat, recognovit, quis obiisset. Successit et aliud huic visioni miraculum. Cum in ecclesia Dei genetricis virginis corpus haberetur exanime, subito super ipsum feretrum videntibus cunctis radius insoliti splendoris emicuit, qui animam fratris in perenni claritate receptam evidentissime declaravit. Theogerus forte tum aberat; sed ubi primum in monasterium venit, et fratrem obiisse[e] cognovit, ac pro eo, quod nondum perfectus monachus excesserat, quasi salutis illius deplorare dispendium coepit, se vero arguere, per cuius negligentiam tantum in monasterio malum acciderit, praedictus itaque senex secreto consolatur[f] abbatem, clam visam suam illam dicens visionem; quam sanctus et venerabilis pater, praedicatione[g] simul et gratiarum actione sublata persona, quae hanc viderat, recognovit. Unde factum est, ut iam nemo de illius fratris refrigerio et gloria dubitaret, cum super hoc publice et privatim ostensa visio visioni concordaret. Vere beati, vere gloriosi viri isti, qui testimonio fidei probati inventi sunt in dilectione Dei.

25. Dicam breviter et de monasteriis[h] virginum, quomodo venerabilis Theogerus conventum feminarum in suum verterit[i] lucrum. Neque enim ab huius laudis titulo sanctimoniales excluserim; immo vero in feminis ea maxima inventa perfectio est. Erant enim etiam illae contemptu saeculi sublimes, iustitiae virtute gloriosae, castitatis laude praeclarae et, ut omnes earum dotes breviter complectar, patri similes. Ille ergo post virorum monasteria, quae viris tradiderat gubernanda, plures virgines tam nobilis quam medii et infimi generis, quas e diversis provinciis congregarat, in turbas congregationesque divisit; quae sub eius magisterio ac beati Benedicti institutis, horis canonicis ad persolvenda

a) portentos 1. b) sua *addidi.* c) ut 1. d) et *addidi.* e) abiisse 1. f) *sic correxit Bethmann*, consolatus 1. g) pro aedificatione 1. h) *an* monasterio? *vid. infra c.* 26 *et* 28. i) verteret 1.

divinae laudis officia in ecclesiam pariter confluebant, et unumquodque agmen matrem propriam sequebatur. Nullam esse licebat, quae non de psalmis aut aliis scripturis quotidie aliquid disceret. Diebus festis orationi aut lectioni vacabant[a], aliis vero instabant operi distributo[a]. Unus omnium habitus et, excepto victu et vestitu, nulli habere quid licuit. A viris tanta[b] separatio fuit, ut monasterium quae semel fuisset ingressa, raro ulterius, nisi mortua efferretur, exiret. Eis venerabilis pater viros sanctos et boni testimonii magistros imposuit, ipseque aliquoties sua eas presentia consolabatur, conscientias actusque singularum diligenter examinans, sciens nimirum, cui, quando vel quomodo de creditis ovibus[c] reddere debeat rationem. Qui quoties in conventum earum introivit, videres undique miro eum videndi vel audiendi studio circumfusas ruere Dei famulas,

Virg. Aen. I, 432

Ceu glomerantes apes, quoties liquentia mella
Stipant, et dulci distendunt nectare cellas.

Ita nimirum Deo dicatae feminae spiritalis patris praesentia delectatae, suis e sedibus singulae proruperunt, sanctum et venerabilem virum quasi florem paradisi pretiosum undique circumdantes, et divini eloquii favos, quos ille ore facundo[d] ac mellito gutture ructabat, in sui pectoris alveolo condebant. Quoties in illo castissimo sanctissimoque ancillarum Domini contubernio, Theogero introeunte, de loco vel ordine oborta contentio est! cum illi de caelestibus locuturo frequens auditorium facere praepararent, eaque se caeteris beatiorem crederet, quae pedibus eius vicinius residere meruisset. Iam eo pro debito officii sui (Cic. de off. I, 1) apte, ornate, distincte, quod est oratoris proprium, exhortatorium faciente sermonem, tum vero coeperunt virgines Christi trahere alta suspiria, lacrimas uberiores effundere, crebris intonare singultibus, ita peccata levia plangere, ut eas gravissimorum criminum reas putares; quamquam nonnullas earum solo caelestis patriae desiderio anhelantes id potissimum flevisse noverimus, quod vel brevissimo puncto temporis ab illis perennibus, de quibus ille disseruit, gaudiis differrentur.

26. Sed quia longum est, omnium earum constituta complecti, aut ea singillatim, quae ab eis sunt mirabiliter gesta narrare, dicam pauca de pluribus, quae nobis de admirabili fine comperta et grata legentibus fore et earundem .... Erat enim in monasterio virginum[19], in quo eiusdem patris cura vigilabat, sanctimonialis quaedam Beatrix nomine, quam hoc ordine ad Deum conversam accepimus. Siquidem in annis adolescentiae volebat ingredi vias seculi, sed Deo gratias! retenta est in manu forti. Nam praeclaris quidem orta natalibus, sed iam ipsis orbata parentibus fuit. Aspectu quoque deformis apparuit; atque idcirco dum a coaequalibus suis illius copula recusatur, ad nuptias Christi quodammodo compellitur intrare; sicque ad bene ac devote vivendum iuxta nominis sui etymologiam ipsa sua deformitas suffragatur. Videns etenim quispiam propinquorum puellam aetate iam nubilem, sed ad contrahendas nuptias nec opes habere nec speciem, prudenti usus est consilio. Sponso caelesti regi virginum et virginitatis auctori, quem puritas cordis, non corporis pulchritudo delectat, Beatricem virginem desponsare deliberat, ut cuius forma carnalium displicebat aspectibus, illibatam et carnis et animae puritatem regis pa- (Psal 44, 14) raret amplexibus, aemulans eam, de qua dicitur: *Omnis gloria eius filiae regis ab intus.* Puellam itaque omnibus modis renitentem, utpote tanti boni tantaeque delectationis expertem, deferri ad monasterium iubet, multum rogans, ut sanctimoniales feminae suum illi consortium non negarent. Suscepta ergo est in congregationem, ac post paululum spiritalium[e] nuptiarum dulcedine degustata, diebus ac noctibus piis operibus studens, sponsi sui inhaerere amplexibus coepit. Quae etsi forma despicabilis fuit, semet ipsam tamen non ignorans inter mulieres pulchram exhibuit; quia, dum ad auctoris sui similitudinem se factam meminit, iuxta praecepta quoque similitudinis ordinem incessit. Haec vero litterarum elementa non noverat, legis praecepta nesciebat; sed quia plenitudo legis est caritas, totam legem in Dei ac proximi dilectione servabat, et quod foris in cognitione non noverat, intus ei in amore vivebat; utpote quae iam inter alias sorores virtute continentiae, orationis, gravitate vitae, singularitate abstinentiae in immensum sanctitatis culmen excreverat. Cumque Deus omnipotens perennem iam laboribus eius mercedem reddere decrevisset, febre correpta ad diem venit extremum. Interim Theogerus improvisus

a) *sequitur lacuna exigua, ex rasura haud dubie orta; neque enim videtur deesse quidquam.* b) tantis 1. c) quibus 1. d) fecundo 1. e) spatium *addit* 1.

19) Amptenhusensi; vid. infra c. 28.

adveniens, virginem aegrotantem olei unctione linivit, traditisque ei salutaribus sacramentis sorores ad id idoneas in eius obsequium deputavit, ut cum dissolutionem corporis ipsius imminere sentirent, ei ac ceteris convirginibus nuntiarent. Iam corpus eius ab extrema fuerat parte praemortuum, in solo tantum pectusculo vitalis adhuc inerat calor, cum ecce medio noctis tempore, Theogero cum suis in secretiori cubiculo quiescente, uni Erboni ex fratribus, qui in comitatu eiusdem patris advenerat, huiusmodi visio ostensa est. Videbat, et ecce in oratorio duo psallentium chori constiterant, et sicuti sexus ex vocibus discernebat, impositam antiphonam alternatim nunc viri, nunc feminae decantabant; eo videlicet modo, ut percantatam ab ipso rursus principio repeterent, sicque diutissime gravi et suavi modulatione concinerent: *Veni, electa mea, et ponam te in thronum meum, quia concupivit rex speciem tuam*[20]. Quae videlicet antiphona, ut et aliquid de intervallis musicis loquar, in *f* incipiens et in septima[a] finiens ea enim fuerat, quae ad septimam[b], non quae ad tertiam[c] toni formulam[d] incedit, ex tetrachordo finalium in tetrachordum[e] superiorem ascendit, et cum in sex[f] chordis paene tota decurrat, septimam quoque superius, id est *b* synemenon[g], assumit. Per quod itaque dabatur intelligi, Beatricem virginem Christi beato fine perfunctam ad superna transferri et in septima, id est in requie ac beatitudine septima, debere constitui; eo quod in senario numero bonorum operum perfectio designatur, at vero in septima requies illa caelestis exprimitur, in qua sanctorum et electorum animae, deposito carnis onere, plena felicitate laetantur. Porro si a superioribus huius tetrachordi litterae numerentur, *b* rotundum ♮ quadratum sequitur, quia quisquis in hac vita notis illis quatuor virtutibus adornatur, hac lacrimarum valle transmissa, illam procul dubio perennis vitae beatitudinem consequetur. Ipsa vero *b* littera non quadrata, sed rotunda est, quia nimirum perennis illa requies ac beatitudo sanctorum nullo fine clauditur, nullo termino coangustatur. Haec de voce breviter dixisse sufficiat. Caeterum verba ipsa ac simplicem litterae sonum eiusdem virginis vocationi et laudibus aptissime convenire, nemo est qui nesciat. Tanta vero erat illius angelicae consonantia ac suavitas harmoniae, ut arbitratu illius, qui hanc licet in sompnis audierat, omnem sub caelo iucunditatem excederet, ac beatum fore se crederet, si tam suavibus et tam canoris sanctorum perpetuo interesse concentibus licuisset. Cumque et virgo Domini extremum iam spiritum ageret, et ille, quaenam esset beata haec anima, quae cum tantae laudis praeconio vocaretur e corpore, dormiens cogitaret: subito Theogerus a sompno cum suis excutitur, ac per sonum tabulae sanctimoniales feminae convocantur, quatenus, in quantum largiente Domino potuissent, egressum virginis orando protegerent. Quibus in obsequio funeris devote occupatis, virgo Domini spiritum reddidit, ex virgineo corpore cum sanctis virginibus habitatura migravit. Iacebat corpus exanime, aquis abluitur, linteaminibus obvolvitur; postremo ponitur, ut ad cellam sancti Georgii, quae quinque fere milibus aberat, deferretur. Moris etenim fuit, sanctimoniales feminas eodem in loco defunctas ad monasterium sancti Georgii sepeliendas deferri. Accedens interea frater indicat abbati, quid viderit. Tunc ille gaudens et gratias agens: *Ditabo*, inquit, *ecclesiam hanc dote bona, ut prima omnium Beatrix sanctissima hic habeat sepulturam, eiusque de caetero patrociniis et corpore locus habeatur illustris.* Itaque in aedicula, quae instar paradisi ecclesiae foribus praeminebat, virginem sepeliri curavit; ubi deinceps universas, quas ex earum contubernio viam universae carnis ingredi contingeret, humari constituit. Iam fere septem annorum evoluto curriculo contigit item, eodem venerabili patre in monasterio virginum commorante, quandam sanctimonialem feminam ex hac luce migrare. Sed iam in illa aedicula nullus sepulturae locus supererat, quoniam quae illo tempore ibidem in Christo obierant, omne eiusdem aediculae spatium occuparunt. Quam ob rem Theogero visum est, ut sepulcrum Beatricis, quae illic prima omnium posita fuerat, aperirent atque in ea illam, quae pridie obierat, sepelirent; credens nimirum praedictam Dei famulam tam longo temporum decursu in cineres penitus resolutam. Sed dum in eodem sepulcro ulterius fodiunt, velum quidem, quod sancto eius corpori superpositum fuerat, intactum inveniunt; fodientium vero nares et ora miri[h] odoris suavitas implevit, quae et per omne eius cellae habitaculum largiter emanavit. Quo viso sanctus et venerabilis vir iubet sancti corporis reliquias loco penitus non moveri, beatam[i] fôre pronuntians,

a) *sic correxi;* vim 1. b) vim 1. c) tergum 1. d) formula 1. e) metrachordum 1. f) vi 1. g) Synemenem 1. h) miris 1. i) beatum 1.

20) Legitur haec antiphonia in Breviario Romano: Commune virginum.

cuius sancta conversatio in odorem suavitatis accepta etiam Deum et homines dulciter oblectaret.

27. Alia quoque in monasterio virginum sanctimonialis femina morabatur, quae quantae fuerit sanctitatis, hoc solum, ut cetera omittamus, indicio est, quod ei et[a] infirmanti angeli obsecuti, et[a] morienti paradisi gaudia sunt promissa. Duae namque sanctimoniales feminae in eius obsequium deputatae lectulo aegrotantis iugiter assidere consueverant; a quibus quadam vice refrigerandi gratia sublevata, ubi refertur ad lectulum, repente hilarior facta subrisit. At illis mirantibus simul et requirentibus, quam ob causam sic riserit, petita et accepta ab eis securitate, ne id proderent: *Ideo*, inquit, *risi, quia vos ita fefellit vestra opinio, ut vestris me ferri manibus putaretis. Iam mihi enim duo speciosi admodum iuvenes adstiterunt, qui dextra laevaque suis manibus sustentantes, ferre ac referre atque in strato meo molliter me collocare curarunt.* Quo dicto conticuit, iterumque subrisit. Rursus ergo requisita, cur riserit, tres primos dextrae manus digitos levi motu circumferens, de hoc se risisse perhibuit. Illis vero nihil praeter vacuam eius manum cernentibus et ut manifestius rem insinuaret instantibus, a quadam sanctimoniali femina, quae illic dudum obierat, de pascuis paradisi illum amoenissimum, quem digitis circumferret, sibi florem allatum asseruit, idque sibi gaudio fore, quod iuxta eiusdem sororis oraculum in amoenissimas aedes esset in proximo migratura. Dixit haec, et dicta illius rei exitus comprobavit. Haec nos ad comprobandum earumdem virginum sanctitatem breviter commemorasse sufficiat. Nunc ad patris nostri Theogeri virtutes latius explanandas tota nobis vertenda narratio est, quamquam et in illarum virtutibus merito debeat collaudari, qui eas verbo et exemplo, ut has assequi meruissent, iugiter incitare curavit.

28. Sed mihi, priusquam reliqua eius acta commemorem, et hoc quoque relationibus inserendum videtur, quot[b] monasteria vel nova fundaverit, vel iam praelatorum negligentia seu ipsa temporum vetustate collapsa in statum pristinum Domino cooperante provexerit.
21 Construxit etenim in castro Luckesheim[21] monasterium monachorum, quod deinceps iuxta suum et suorum cuiuslibet successorum regatur ac dispensetur imperium. Quod videlicet castrum Salicae[c] gentis comes Volmarus[22] vir religiosus et nobilis obtulit, atque ut in militum castro monachorum fieret habitatio, postulavit. Theogerus itaque non solum istius petitionibus assensum[d] praebuit, sed et comitem ipsum extremum iam spiritum agentem monastico habitu induit, suisque intercessionibus illius morte dilata, ut toto triduo superesset obtinuit; quatenus perceptis ab eo salutaribus sacramentis ac rebus suis rite dispositis hac[e] vita demum decederet, iamque cum monachis monachus in eodem monasterio sepulturam acciperet. Aliud quoque in latere montis, qui a cella sancti Georgii quinque fere milibus disparatur, monasterium construxit Amptenhausen[23], in quo centum circiter mo-
24 niales feminas congregavit; ubi etiam, ut superius[24] diximus, Beatrix sanctissima, meritis suis perpetuae divinae propitiationis loco latura subsidium, prima omnium meruit accipere sepulturam. Aliam nihilominus iam pridem in honore beati Marci euangelistae fundatam[25], sed inopem et exiguam, ita moenibus ac possessionibus ampliavit ecclesiam, ut in hac quoque copiosa nec disparis numeri sacrarum virginum habitaret multitudo. Porro in Ut-
1102. tenburensi coenobio venerabilem virum Robertum[26] nomine, sanctitate et gratia plenum hodieque superstitem, praefecit abbatem. Alio item in loco, cui nomen ex re inditum est
27 — nam a possessore possessio vocabulum trahens, Hugonis-curia[27] in lingua Teuthonica nuncupatur — in hoc inquam abbatem constituit et ordinem pristinum reformavit. Sane abbatem monasterii Augustensis[28], qui cathedram suam deserens arctioris propositi desiderio

a) etiam 1. b) quod 1. c) Gallicae *Trithemius in chron. Hirsaug. ad a.* 1087. d) ascensum 1. e) hic 1

21) Lixheim, a secundo miliario Sarburgi, in dioec. Mettensi. 22) »Formarus (al. Folmarus) Mettensis urbis praefectus«; vid. Heinrici V. diplomata monasterio sancti Georgii tributa d. 28. Ian. 1108 et d. 16. Iulii 1112 ap. Gerbert Hist. nigr. silv. III, 41; Schoepflin Als. dipl. I, 189. 23) haud procul a Geisingen. Cf. Alexandri III. bullam monasterio sancti Georgii datam (Reg. pont. Rom. n. 8682), in qua cella Amitenhuisen appellatur. 24) cap. 26. 25) in Alsatia superiore. Cf. Alexandri III. bullam l. l. 26) Ruopertus, monasterio Ottenburano (dioec. Augustensis) abbas a. 1102 praefectus, obiit d. 15. Aug. 1146. Vid. Chron. monast. sancti Georgii l. l. 1102 et 1146, et Necrol. Ottenburan. ap. Hess Mon. Guelf. 291. 27) Hugshofen d. Argent. 28) Eginonem, abbatem Sancti Udalrici; quem una cum Theogero dedicationi monasterii sancti Petri in Nigra silva affuisse d. 30. Sept. 1113 legimus in tabula ap. Schöpflin Hist. Zar. Bad. V, 48. Cf. Uodalscalci narrationem, quam proposuimus supra.

sub eius magisterium se[a] contulerat, petente urbis episcopo[29], omni clero et populo, [29]
nonnullis ipsi sanctae conversationis fratribus sociatis honorifice remisit, suoque consilio 1113?
et auxilio in eodem coenobio religionem pristinam restauravit. Sed et alius quidam notae sanctitatis vir pastorali sollicitudine abdicata Theogeri expetiit disciplinam[30]; qui et post- 1111.
modum Admontensi coenobio praesidens[31], quid a magistro boni didicerit, discipulorum, 1115.
qui ab eo sunt instituti, conversatio manifestat. Caeterum in monasterio Gengenbacensi[32] missis illo fratribus ordinem quidem reformare iam coeperat; sed a Metensi ecclesia ad praesulatum electus, abbatem ordinare non poterat. Quamquam quod de hoc loco pie in- 1117.
tenderat, successor ipsius et ipse venerabilis vir Wernhardus, abbas scilicet quartus cellae sancti Georgii[33], per Dei gratiam mirifice mancipavit effectui. [33]

29. Erat ei sollicitudo ac ingens studium, ad contemptum seculi verbo et exemplo incitare fideles, ita ut pro exhortandis ad superna desideria animabus fratres religiosos circumquaque dirigeret, sicque ex utriusque sexus et aetatis hominibus perfectam Domino plebem pararet. Tantum vero tum temporis monasticae religioni deferebatur, ut quilibet huius professionis homuncio etiam magnis quibusque personis per multa discrimina, per plana, per invia, per anfractus viarum posset praebere conductum, et totius periculi securus nullum inimici formidaret occursum. Ea etenim fides in venerandis nostri ordinis cultoribus fuit, ut eum mirum in modum per confertissimos hostes deduceret inermis armatum; numquam magis tamen securum fuisse se crederet, quam si pro anima fratris iuxta dominicum vel praeceptum vel exemplum suam in mortem animam posuisset. Quo magis et illorum admiranda devotio et nostra deflenda desidia est. Nos enim peccatis nostris exigentibus dati sumus in opprobrium, alienigenis expositi sumus, spectaculum facti sumus
mundo et angelis et hominibus, ut in veritate propheticum illud nobis conveniat: *Decidit* Threa.5,16.
corona capitis nostri; vae nobis, quia peccavimus. Nam quia a patris institutis degeneri conversatione recedimus, profecto virtutibus vacui famam maiorum atque gloriam adaequare penitus non valemus.

30. Verum ut ea, quae coepimus, exequamur, venerabilis Theogerus singulari quadam sollicitudine ad concordiam studuit revocare discordes, eamque ei Dominus in oculis omnium largitus est gratiam, ut eius saepius interventu homines inimicissimi pacarentur. Statim enim ut comperit homines importunos qualibet occasione dissidere, ob eiusdem dissensionis litem dirimendam concitus properabat; et quem indebite cognovit offensum, debita ac si in eum ipse peccasset satisfactione placabat, tandemque eius genibus advolutus, reo veniam precabatur; nimirum humilitate vincendum existimans, quem ratione non poterat. Neque vero nobiles tantum, sed et humiles quoque nobili hoc humilitatis officio noverat reconci-
liare personas, ut vere iuxta dictum apostoli omni humanae creaturae propter Dominum 1Petr.2,13.
subici videretur. Nam quemdam a fratribus, qui nobiscum in monasterio commorantur, iam olim referentem audivi, quia dum esset adhuc in saeculo, a pravis hominibus circumventus et in castro munitissimo diutina captivitate detentus tandem per misericordiam Dei incolumis evaserit. Cum deinde milites duo, qui ob id maxime, ut pecuniam extorquerent, hominem innocentem afflixerant, scientes quod non impune id ferrent, si violatae pacis fuissent iudicio coarguti, satisfactionem debitam offerentes, lenire quem laeserant, conabantur. Huic spectaculo Theogerus forte intererat. Cum vero nec precibus nec satisfactione quidem debita moveretur, ac tum[b] demum paci diceret se consensurum, cum irrogatam sibi iniuriam talione debita[c] compensaret: noster ille pacificus pedibus eius suo illo more prosternitur. Tum vero ille perterritus et habens reverentiam de eo, veritus quoque, ne caelestis se ira consumeret, si tantum Domini contempneret sacerdotem, hunc protinus in ipso humili corporis apparatu, quo humi procumbere gestiebat, manu detinuit, cunctisque qui aderant importune clamantibus: ignoscendum inimicis, ignovit, in testimonium illius

a) se *addidit Bethmann.* b) *sic correxit Bethmann;* dum 1. c) debito 1.

29) Herimanno (1097—1133), a quo Eginonem a. 1109 »assumptum in amicum esse« narrat Uodalscalcus p. 439. 30) Wolvoldus, monasterio Usenhofensi (haud dubie a. 1111 inter Erchinboldum et Brunonem abbates) praefectus, »persecutionem advocati sui ferre non valens« in monasterium sancti Georgii se contulit. Vid. Vitam Gebehardi SS. XI, 42. 31) Wolvoldus, rogatu Conradi archiepiscopi Salzburgensis concedente Theogero, a. 1115 factus abbas Admontensis est. Vid. Vita Gebehardi l. l. et Auctar. Garst. 1115, SS. IX, 569; obiit a. 1137. Vid. Annal. Admunt. 1137, ibid. 578. 32) dioec. Argentinensis. 33) 1120—1134. Vid. Chron. monast. sancti Georgii l. l. p. 444.

sanctitatis hostiaeque assumens, quod tantus vir ad eius se inclinare vestigia non despexit. Theogerus itaque, ut totius caritatis spiritu affluebat, in eius amplexus et oscula ruit, sicque pace ad integrum reformata, eodem in loco gloriosa suae humilitatis indicia reliquit.

31. Fuere praeterea in Alsatia viculi[a] duo, haud grandi ab invicem sepositi intervallo, inter quos casu orta seditio, diutissime inter se discordantibus oppidanis, divina et humana commiscuit. Eo namque vecordiae processum est, ut bellum et vastitas civilibus studiis iam prope finem imponeret. Unde factum est, ut nonnulli, civilis discordiae diutina conflictatione pertaesi, caedem[b], incendia et alia hostilia, quae forte acciderent, praecaventes, partes ad[c] concordiam reducere laborarent. Sed cum nulla esset facultas, qua id daretur effectui, placuit tandem mutuae altercationis controversiam hac ratione discindere, ut Theogerus, qui magni apud eos meriti habebatur, causa utrorumque cognita, hanc secundum datam sibi a Deo sapientiam terminaret. Theogerus itaque evocatus ad placitum venit. Multis autem hinc inde sermonum conflictationibus habitis, tandem universi promittunt, iuxta viri Dei sententiam dextras societatis se daturos. At vero rusticus quidam, qui totus erat in causa, homini Dei animo coepit obstinato resistere, iurans per caput suum, eius sententiae se nullatenus consensurum. Ilico vir Dei ad preces supplicationesque conversus, ad eius vestigia se prostravit, cunctis qui aderant mirantibus, quod tantus vir tanta se humilitate deicere in persuadendo rustico dignaretur.

32. Sane vir Dei tot reconciliationes non linguae volubilitate, nec aliquo humano ut putabatur ingenio, sed revera spiritu divino et humili ut diximus supplicatione perfecit, quemadmodum ex subsequenti liquebit exemplo, in quo nimirum evidens mutatio dexterae Excelsi valet pensari. Siquidem in regione montium, quos ob asperitatem rupium Serras incolae appellant, duo militares homines morabantur, saevo[d] ac diuturno invicem certamine dissidentes. Sed cum plerique pacem inter eos cuperent reformare, alter eorum nulla ad hoc poterat ratione adduci, ut cum eo rediret in gratiam, a quo fuerat lacessitus iniuria. Cumque et ille ex conscientia digna metueret, et omni paene praesidio destitutum extrema necessitas perurgeret, sanctum adit Theogerum, multum rogans, ut eius interventu illius, quem offenderat, potuisset gratiam adipisci. Theogerus itaque, cuius semper ad portandam hominibus pacem pes facile movebatur, ob reformandam inter eos concordiam profectus est. Cuius adventu cognito, germanus illius, qui acceptam iam ultum ire parabat iniuriam, divino timore praeventus fratrem singularis admonuit, ut siquidem vel sibi vel suis bene velit esse consultum, precibus Theogeri omni animositate seposita facilem praeberet assensum. Quod ille coepit vehementer abnuere, iurans in anima sua, nullius se precibus ab iure gentium cessaturum, priusquam incendium suum ruina extingueret inimici. Quid multa? Theogerus, uti statuerat, condicta placito[e] die subito supervenit; statimque hominem illum tantus obtinuit tremor, ut viri Dei praesentiam ferre vix posset. Cui etiam mutata sententia libenti animo obtulit dicens, omnem se adversario pro eius reverentia remissurum iniuriam, siquidem nece patris sui teneretur obnoxius; adeo nimirum meritis sancti repente mutatus, ut ad primum eius intuitum faceret non rogatus, quod nullis umquam a se extorqueri precibus antea fatebatur.

33. Et quid mirum, si tantus vir crepitantes in cordibus hominum inimicitiarum flammas extinxit, cum ipsum humani generis inimicum ex humanis corporibus nonnumquam expulerit. Erat enim mira adversus daemones potestate, adeo ut si quos ab ipsis in eius praesentia torqueri contingeret, mirum in modum ipsos torqueret orando tortores, nec prius ab eorum insectatione desineret, quam suis e sedibus victi fugati abscederent. Quod si quando exorcizandorum daemonum Theogerus operam suscepisset, neminem manibus attrectabat, neminem sermonibus increpabat, neque ut plerisque moris est, disputando potius cum eiusmodi[f] quam orando confligere, vacua in ventum verba iactabat; sed admotis energumenis, aut hostiam pro eis obtulit salutarem, aut sanctis fratribus et quorum ipse conscientias noverat, exorcizandi iniungit officium, ipseque intrinsecus in solo oratorii iacens orationi instabat. Cuius quam sancta et pura fuerit oratio, multorum ab eo impetrata sanitas declaravit, cum quidem ille callide procuraret, ut etiam virtutem orantis de foris sentiret aegrotus, et ipso[g] interius posito auctorem facti non proderet. Tria tandem e pluribus eius virtutum insignia, quibus in hoc genere curationis emicuit, exempli gratia

a) incolae 1. b) *sic corr. Bethmann;* eadem 1. c) ac 1. d) saero 1. e) placita 1. f) eiusmodis 1. g) ipsi 1.

proferemus. Homo quidam correptus a daemone est; qui vinctus brachia ad eius limina trahebatur. Rogant parentes et qui eum adduxerant, ut fusa ad Dominum prece possessum a daemone liberaret. Theogerus itaque non de meritis suis, sed de Iesu bonitate praesumens, solvi hominem iubet. At ille in eum impetu facto saevire horribiliter coepit, acsi omne eius corpusculum foret morsibus consumpturus. Nec distulit sanctus crucis levare vexillum, neque quam in sublime porrexerat manum ante contraxit, quam hostis antiquus signi vitalis horrore in fugam actus abscederet. Nec mora is, qui fuerat possessus a daemone, in sua remeavit incolumis, talique de caetero caruit possessore. Ab eo nimirum perfecte curatus est, quem spiritus Dei plene inhabitando possederat.

34. Porro mulier quaedam ad eius habitaculum daemone durissimo agitata pervenit. Quam vir beatus nocte eadem manere in cellula iubet ac sequenti die ad altare virginum, ut pro ipsa salutarem Domino hostiam immolaret, adduci. Quae licet mente adhuc capta, quieta tamen omnimodis usque ad expletionem missalis officii perduravit, sanctamque eucharistiam de manu hominis Dei cum pristina sanitate percepit. Sicque domum ab altari digrediens, Theogeri meritis fugisse a se daemonem multis coram adstantibus apertis vocibus fatebatur, et grande hominibus spectaculum praebens, ad huius viri praeconium omnem paene totius provinciae populum incitavit. Audito enim tam ingenti miraculo, quotquot erant in regione obsessi, ad eius certatim limina trahebantur; quorum nonnulli, exigente id amicorum vel parentum incredibili fide, sanitatis gratiam sunt consecuti.

35. Quid vero nos adeo in eius admiratione id detinet, quod[a] eos, quos spiritus nequam invasionis suae peste corruperat, oratione interdum vel manus impositione curavit, qui nonnumquam ex obsessis corporibus sola sui praesentia daemones fugasse consueverat; ita ut unus e famulis, qui fuerat correptus a daemone, cum eum vir sanctus properaret invisere, priusquam ostium domus, in qua ille habitabat, attingeret, purgaretur. Certe iuxta tritum vulgi proverbium: *Quo semel attactus fuerit infans, formidat incendium;* ita nimirum malignus spiritus, cuius spiritalem potentiam fuerat iam pridem expertus, eius quoque corporalem timuit praesentiam opperiri.

36. Neque vero hoc sileam, quod quondam vir Dei, cum in episcopatu Augustensi constitutus Gunzensem[34] transire fluvium una cum solis occubitu voluisset, tanta eum reperit 34 inundatione refusum, ut sibi vel suis transitus per illum non pateret. Diu itaque in ripa fluminis demorati, quid agerent nesciebant, quia nec incoepto itineri supersedere iam poterant, nec se dare periculo satis tutum putabant. Cum unus e senibus, familiaris beati viri discipulus, qui tum eius fuerat capellanus, iocundo intulit dicens: *Signate, pater, fluvium, ut transeamus, quemadmodum Romam iturus in simili elemento beatus fecisse legitur Udalricus Augustensis episcopus*[35]. Quod ille simpliciter et quasi a sene serio dictum accipiens, ele- 35 vata manu fluvium signavit, et transiit et cum omni comitatu suo ad littus pervenit incolumis. Animadversum est autem eiusdem fluminis aquas repente adeo diminutas, ut raro quispiam eas facilius vel in aridissima aestate transierit.

37. Quadam praeterea die cum fratres, qui pene quotidie in operibus manuum desudabant, in monte foenum colligerent, repente vis imbrium tanta e nubibus videbatur erumpere, ut nisi hanc sanctus orando restringeret, quidquid in loco foeni fuisset inventum, inundatione pluviae deperiret. Vir autem Domini, qui fratres e cellula fuerat consequutus, protensis in caelum manibus stetit, nubesque consignans, eas ab inundatione cohibuit; ita ut fratres, tanti miraculi novitate perculsi, intermissis operibus starent stupefacti, eo quod immensa de nubibus aqua penderet et ne una quidem super terram fluviae gutta deflueret. Verum expleto iam opere redire ad vesperas iussi — instabat autem translatio sancti Be- Iul. 11. nedicti — ubi monasterium ingressi sunt[b], disruptis nubibus illa vis imbrium, quos sanctus interim orando cohibuit, cum ingenti mox sonitu supervenit, in hoc nimirum voluntati abbatis et vi sui deserviens creatoris, ut suum videlicet expleret officium et fratrum opperiretur ingressum.

38. . . . .

a) *ita corr. Bethmann*, quid vero 1. b) sunt *addidi*

34) Günz. 35) Cf. Gerhardi vitam sancti Oudalrici cap. 18, SS. IV, 406.

LIBER SECUNDUS.

1. Toto ergo Heinricianae persecutionis tempore abominanda haeresi ecclesiae unitas
37 scindebatur. Quae videlicet haeresis a patre[36] ad filium[37] velut haereditario iure transmissa
pervenit; in qua Deus quorumdam fidelium suorum corda temptavit, temptans probavit,
quibusdam vero calicem irae et indignationis suae quodam occulto iudicio propinavit. Cum
enim uterque, nimirum pater et filius, cum honore regio honorem quoque ecclesiasticum
affectando id obtinere contenderet, ut episcopalis electio ex regio arbitrio et voluntate pen-
deret, fuere nonnulli, qui ambitione praecipites dati, munus a manu, a lingua, ab obsequio[38]
certatim offerrent, et regia fulti auctoritate, ecclesiastici honoris cathedras occuparent. In
diebus illis Alberius quidam, ex imperiali prosapia oriundus, sed vita et moribus ignobilis,
regis quoque partibus favens, Mettensem episcopatum invasit[39] et per annos circiter viginti
quatuor miserabiliter non tam rexit, quam oppressit ecclesiam. Qui dum more mercenarii
importune et impudenter[a] lac et lanam ab ovibus extorqueret et gregem Dei omnino non
40 pasceret, insuper etiam regi impio praeberet auxilium, Romanus hunc pontifex[40] ab episco-
pali, quod diu indebite usurparat, suspendit officio. Sed cum nec sic quidem a malis suis
vel ausis exitialibus temperaret, fideles quique, qui in ipso episcopio morabantur, tyran-
nidis eius immanitatem pertaesi, communicato consilio causam suam Romano intimare
pontifici decreverunt. Quod tum ob id maxime factu difficillimum videbatur, quia inhu-
1116 mane nimis ac tyrannice saeviens imperator fines intrarat Italiae, ac passim locatis insidiis
vias omnes ac semitas observabat, ne quis doctus[b], qui inde responsa[c] factioni suae ferret
contraria, praeteriret. Eo enim in tempore inter Romanum pontificem et Theutonicarum
partium catholicos sacerdotes super ecclesiarum et regni negotiis frequentes internuntii
discurrebant; ex quibus soli, qui regis evasere custodias, ibant et redibant incolumes; si
qui vero in manus eius inciderant, infecto negotio ad suos nuntium reportabant. Videres,
pro nefas! viros religiosos et nobiles omnique scientia ad unguem instructos effossis oculis
et naribus detruncatis hosti ludibrio fore, multosque tum temporis pro defensione iustitiae
laborantes non mitius passos, quam si Romanae eos persecutionis immanitas occupasset.

2. Erat tum temporis Metis vir religiosus ac strenuus, et ipse Alberius[d] nomine, qui
in ipsa ecclesia tunc archidiaconatus officio fungebatur, nunc vero Treviris constitutus an-
42 tistes[41], insuper etiam apostolicae legationis praeditus potestate[42]. Hic dum, catholicorum
virorum consilio animatus et litteris, cor apponeret, ut quoquo modo miserabilibus[e] Metten-
sis ecclesiae ruinis occurreret: praedictus episcopus tanto eum odio est prosecutus, ut
multis affectum iniuriis etiam ex urbe propelleret. Ex eo iam tempore coepit Alberium rex
43 habere suspectum[43]. Audiens enim eum adversus mandata regia rebellem existere, in
furorem instinctu indignationis exarsit, atque ut incendium suum ruina illius extingeret,
multiplices viro molitur insidias, iubetque Alberium, sicubi fuisset inventus, ilico compre-
hendi. Sed cum nil minis[f] procederet, promissis etiam onerat suos, quo diligentius virum,
quem honori et regno suo insidiari aiebat, inquirerent, iurans per coronam et maiestatem
imperii, quingentis se talentis argenti Alberii oculos, si quis suorum suis praesentasset
obtutibus, compensaturum. Quanta autem eius tunc persecutio fuerit, quis requirat, cum
ad investigandum hominem unum ex imperiali edicto certatim plurimi moverentur; a quibus
multas perpessus insidias, toto paene orbe profugus agitur, nec ei uspiam tutus ad laten-
dum supererat locus, iamque pes eius ubi requiesceret non invenit. Alberius vero adiutus
oratione fidelium per terras et maria et per multa discrimina, per plana, per invia iens et
rediens, permansit illaesus, cum tamen frequenter in manus inimicorum ipsis quidem
ignorantibus incidisset, ita ut eadem navis simul utrosque transveheret. Sed perire penitus
aut periclitari non poterat, quem Deus ecclesiae quandoque praeficere disponebat. Ille
enim, uti sollerti pollebat ingenio, pro loco, pro tempore modo habitum mutans, modo co-
mam et barbam nutriens, modo per terram quasi debilis repens, intuentium oculos arte

a) *sic corr. Brial;* imprudenter 1. b) *an* domum *aut* tutus? c) *sic corr. Brial;* in responsu 1. d) *ita semper codex manuscriptus.* RUIN. e) *sic corr. Brial;* miserabilius 1. f) *sic corr. Brial;* vel minus 1

36) Heinrico IV. 37) Heinricum V. 38) i. e. triplex munus simoniacum. 39) Cf. Bernoldi chron. 1093, SS. V, 456; Gesta epp. Mettensium SS. X, 543. 40) Paschalis II. 41) ecclesiae Trevirensi praefuit Albero ab a. 1130 ad 1152. 42) d. 2. Oct. 1137, vid. Reg. pont. Rom. n. 5602. 43) Cf. Gesta Alberonis metr. et Balderici Gesta Alber. SS. VIII, 237. 246.

fefellit; interdum vero de manibus prosequentium fuga elapsus evasit; et Romam usque 1117. perveniens, Paschali, quam tandem ob causam advenerit vel quorum legatione fungeretur, innotuit. Asserit Mettensem ecclesiam episcopali penitus regimine destitutam; illum nomine non virtute episcopum, non pastorem, sed invasorem ecclesiae; in eo bonis pernitiem, malis praesidium fore; apostolicae sedis eum obedientiam detrectare, impii regis conatus sacrilegos adiuvare, tyrannidi potius quam pietatis operibus inservire, ac postremo fasque nefasque omne confundere. Multa praeterea de statu laborantis ecclesiae, de regis tyrannide, quaeve illi fuerant vel visa vel audita, narravit, et super his omnibus ex persona totius pene populi christiani consilium et auxilium Romani pontificis imploravit.

3. Romanus pontifex autem super tantis ecclesiae miseriis ingemiscens, rem ad fratres cardinales refert, et cum eis communicato consilio, mittit a latere suo Cunonem Praenestinum episcopum cardinalem[44], virum prudentem omnique auctoritate et gratia plenum, 44 idque iniungit officii, ut convocatis in unum catholicis provinciarum episcopis, praesentem ecclesiae motum habita cum eis[a] deliberatione componeret. Et hoc inter cetera in mandatis accepit, uti Mettensis ecclesiae filiis adesse et prodesse et nosse satageret, quatenus Alberio pseudoepiscopo abdicato dignum pastorem eligerent. Postquam ergo a Romano pontifice haec illi iniuncta legatio est, priusquam ad ea loca, quae a speculatoribus imperatoris noverat obsideri, pertingeret, nomen sibi habitumque scriptoris[b] induerat, et usquequo Remorum civitatem intraret, huius operis instrumenta ex humero eius suspensa pendebant, ut nihil minus quam Praenestinus episcopus putaretur. Sed ubi ad civitatem perventum est, ibi vero qualis sub scriptore[c] lateret apparuit. Statim enim non modo clerum et populum et nonnullos episcoporum coegit in unum, ac pro necessariis causis ecclesiae synodo celebrata, inter alia quosdam episcopos, qui vocati quidem, sed venire nolentes sedem apostolicam in eius contempsere persona, ab episcopali suspendit officio; indeque Alberium cum epistolis mittit ad suos, eumque obtestatur et monet, ut pro eligendo episcopo in locum illius, qui iudiciali sententia iam depositus tam a papa, quam a se fuerat[d], laboraret. Enimvero Metensibus in eligendo episcopo fuit non modica difficultas, quia et secundum canonum scita extra fines episcopii electionem fieri non licebat, et intra eosdem propter metum contrariae partis ipsa electio rite procedere non valebat. Spiritus autem Domini, qui induxit[e] fortem Abysai ut sequeretur David regem, ipse nimirum Alberium animavit ac suos, ut inirent canonicam ac idoneam electionem.

4. Venientes ergo in desertum ab omnibus locum, qui in extremis fere episcopatus finibus situs haud grandem gestabat ecclesiam, electi ex omnibus viri spiritu sapientiae pleni, nullaque secundum Dominum sive secundum ....[f] veneratione[g] indigni, in abditam partem basilicae secedunt, ibique de eligendo episcopo tractaturi, remotis procul arbitris, consederunt. Ibi primum Alberius litterarum, quas de mandato legati susceptas a Remis attulerat, sigillum aperuit, et quo magis solliciti magisque constantes in coepto negotio forent, publice eas tractari fecit. Earum vero exemplar infra scriptum est:

Cuno, Dei gratia Praenestinus episcopus et sanctae Romanae ecclesiae legatus, dilectis in Christo filiis et fratribus, abbatibus et clericis ad electionem Mettensis ecclesiae faciendam in Christi nomine congregatis, sancti Spiritus praesentiam et consolationem. Quoniam[h] *vos non ignorare sacros canones novi et qualiter episcopi electio facienda sit nosse, auctoritate et praecepto domni papae, insuper et rogatu domni Viennensis archiepiscopi*[45] *paucis vobis tantum* 45 *scribere duximus. Ne quis igitur vestrum de minori numero causetur, ipsius Domini voce moneo dicentis: „Nolite timere pusillus grex" et cetera, sicut alibi: „Ubi duo vel tres congregati* Luc 12,32 *fuerint in nomine meo, in medio eorum sum." Neque dixit: „Ego sapientia habito in multis,"* Matth 18,20 *sed: „Ego sapientia habito in consiliis." Neque conturbet vos discordia multorum. Iam nec* Prov. 8,12. *novum est nec inusitatum, ut in electione episcopi discors inveniatur sententia cleri et populi. Non maiori itaque parti, sed saniori sacra scriptura cedendum censet. Quapropter eadem auctoritate praecipimus, ut semota partium animositate, dignum ecclesiae Dei pastorem eligatis. Electo vero, quicumque ille est, ex parte Dei et ecclesiae omnem honorem habere praecipimus.*

a) eis *addidi.* b) *leg. forte* scirptoris *Brial.* c) scriptore *addidi;* sub ...... lateret 1. d) fuerat *addidit Brial.* e) *sic corr. Brial;* induit 1. f) hominem *deesse putat Ruinart.* g) *sic corr. Ruinart,* venerationem *cod.* h) quomodo 1.

44) Hanc legationem constat ad a. 1117 pertinere, propterea quod Cuno in papalibus anni 1116 bullis ad diem 22. Dec. usque testis reperitur, in eademque legatione de Paschalis II. obitu (21. Ian. 1118) certior factus est; vid. infra cap. 9. 45) Guidonis, qui postea ecclesiae Romanae praefuit Calixtus II.

1117. *Quod si quis*[a] *contempserit, excommunicationi subicimus, et domum eius domum discalceati in*
Deut. 25,10. *Israel nominari censemus, et tot animarum reum, quot prodesse poterat, decernimus, et in die iudicii grandi grandini eum*[b] *addicimus. Ceterum quae vobis lator praesentium ex parte nostra dixerit vel iniunxerit, tamquam ab ore nostro audiatis et audita implere non differatis.*

5. Lectis ergo his litteris, toto cordis affectu sancti Spiritus praesentiam invocantes, id primo deliberant, ne quem ex eis, qui profani illius episcopi fuerant impetitores, episcopali cathedrae subrogarent, quominus ambitionis vel invasionis, quaecumque illi adhuc viventi persona succederet, notaretur. Verum electione iam coepta, personis etiam aliquot designatis, de unaquaque quid sentiant singuli iubentur edicere. Sed dum alius aliud sua estimatione praeferret, ex studiis partium exorta dissensio est. At ubi videt Alberius, non facile eos in quamlibet consentire personam, nisi forte quae tantae sanctitatis esset et meriti, ut eius electioni contraire non possent: Theogerum abbatem monasterii religiosissimum atque honestissimum virum fore testatur, et quid de eo[c] ipsis videatur inquirit[d]. Cuius nomen ut est auditum a caeteris, tanto personam eius gaudio complectuntur, ut non inventus sit quispiam, qui non hominem vere episcopatu dignissimum acclamaret. Voluntas etenim Dei fuit, ut cito eis occurreret, quod volebant; quippe qui talem praecipue, quae superni inspectoris iudicio placuisset, in cathedram Metensis ecclesiae personam levare decreverant. Omnes ergo qui aderant, in eius electione concordant; et quasi iam electo pontifici obviam processuri, hymnum Deo gratulationis voce altisona concreparunt.

6. Sed quo facilius id quod intendebant[e] daretur effectui, silendum interim super eo, quod factum fuerat, decreverunt; veriti scilicet, ne forte, si latius sese huiusmodi fama diffunderet, violentia regis aut principum vel certe ipsius, qui se adhuc falso nomine episcopum venditabat[f], episcopalis electio cassaretur. Scientes vero, virum reverendissimum, cui tanta inerat cordis humilitas, nullatenus consensurum, si palam ad invisendam ecclesiam divinis legibus subarratam more ecclesiastico vocaretur, maxime cum vehementer, ne id fieret, contrariae partis obsisteret multitudo: sollicita inquisitione pertractant, quo tandem ingenio de monasterio illum excirent. Quapropter unanimi decreverunt assensu, quatenus ad eum nuntios cum litteris ex parte ipsius legati dirigerent, ut ei quantocius, qui iam legationis suae officio in Galliam properaret, occurreret. Ita sub sigillo litterarum, quas ex[g] persona legati a Remis allatas in conventu Alberius paulo ante dissolverat, per
46 abbatem Sancti Clementis[46] ac domnum Theogerum, tunc priorem Mauri-monasterii, dein vero Gorziensem abbatem, postremo Sanctae Rufinae episcopum cardinalem[47], subscriptas ad eum litteras direxerunt:

Cuno Dei gratia Praenestinus episcopus et sanctae Romanae ecclesiae legatus, dilecto fratri Theogero abbati, in cunctis huius vitae laboribus consolationem sancti Spiritus. Religionis et honestatis vestrae fama et, quam habetis in veritatis defensione, constantia Romanae ecclesiae vos notum et acceptum fecit. Unde cum in Gallias pro legationis nostrae officio venimus, Moguntinum archiepiscopum[48] *pro pallio, quod ei apportamus, conventuri et quaedam praecipua cum eo et aliis tractaturi, vos etiam vocare necessarium duximus, ut vestrae paternitatis consilium et testimonium habeamus. Abbatem Sancti Clementis, qui vos ad colloquii nostri locum conducat, misimus; et ut cum eo absque ulla dilatione veniatis, rogamus et praecipimus.*

7. Interim Theogerus in monasterio virginum, quod in honorem sancti Marci euange-
49 listae constructum[49], ad cellam sancti Georgii et eiusdem patris curam spectare diximus, morabatur. Ubi a legatis inventus, debito eos humanitatis excepit officio. Sed ubi ex litteris, quas ut a legato transmissas acceperat, cuius rei gratia vocaretur, agnovit, quales ei argumento insidiae pararentur ignorans, gavisus est valde, tum quod tanti viri dignus haberetur alloquio, tum quia idoneus putaretur, qui tractandis vel agendis ecclesiae negotiis
50 interesset. Qui usque ad cellam, cui Hugonis-curia[50] vocabulum est, legatos ecclesiae consecutus, summa omnium fratrum illic commorantium veneratione suscipitur, simulque cum sociis in secretiori cubiculo diversatus humane tractatur. Cum ecce unus ex fratribus adstans repente pro foribus, alterum e duobus, qui in obsequio senis inibi morabantur,

a) quis *addidit Bethmann.* b) grandinaci 1. c) eis 1. d) inquirit *addidit Brial.* e) *sic corr. Brial;* intendant 1. f) *ita corr. Brial;* vendiderat 1. g) sub 1.

46) Ancelinum; vid. Gall. Chr. XIII, 868. 47) Theodewinus ep. Sanctae Rufinae bullis papalibus testis subscripsit ab a. 1135 ad a. 1140; vid. Reg. pont. Rom. p. 559. 48) Adelbertum 1111 — 1137. 49) in Alsatia superiore; vid. supra p. 462, n. 25. 50, vid. supra p. 462, n. 27.

accersiens, cuius rei gratia tam subito et insperati adveniant, sciscitatur. Ille simpliciter, uti acceperat, legato Romanae ecclesiae senem celerius[a] asserit occursurum, eosque nuntios fore, qui sigilli eius impressione signatas seni litteras obtulissent, quique[b] illi usque ad colloquii locum debeant praebere conductum. Tum ille econtra: *Longe*, inquit, *aliter est!* quia electionis eius illo iam fama pervenerat, rei veritatem aperiens: *Vere*, inquit, *uti accepimus, Metensis ecclesia, pars utique consilii sanioris, ipsum elegit antistitem, et sub hac occasione eductum ex improviso rapere et episcopum creare disposuit.* Cum ille graviter ingemiscens, utpote amantissimi patris aequo animo numquam laturus absentiam, erupit in lacrimas tam valide, ut vox eiulantis intrinsecus audiretur. Quem ilico Theogerus accersens, causam moeroris inquirit. Tum quia eum vehemens occuparat, tum quia ipsum unice dilectum inde vix poterat vel leviter conturbare[c], adhuc ille perseverabat in fletu, et licet sepius requisitus, ut coram tot arbitris causam ploratus exponeret, extorqueri non poterat. Quod utique Theogerus intelligens ex consessus medio surrexit; sicque oportunitate accepta, quid de illius electione audierit, magistro discipulus flens et eiulans intimavit. Qui ilico obstupuit, ac nimium consternatus cellulam omnem eiulatu implevit; diuque deliberans, quidnam consilii caperet, ignoravit. Igitur electione patefacta, legati qui venerant, electum suum ex persona iam totius Mettensis ecclesiae honorifice et humiliter allocuti, ut sedem propriam inviseret, precabantur; asserentes, patere eam incursibus plurimorum, si ille tardius, qui solus expectabatur, occurreret; addentes praeterea, humana non posse ratione convelli, quod fieri divina potentia decrevit. Ille vero nihil hac ratione permotus, coepit vehementer abnuere: electioni se nullatenus consensurum; suae quidem nec aetatis nec esse virtutis, ut digne ecclesiam, praesertim tam in periculosis temporibus, gubernare possit; illud vero extremae dementiae fore, si invalidis humeris tam immenso oneri succederet. Hoc itaque in loco subsistens, unum ex discipulis, qui cum eo exierant — cuius in toto hoc opere, quippe quod ipso auctore conscribitur, iugis celebrisque memoria est, qui sibi etiam paulo ante, quod ipsum Metenses catholici in pastorem sibi adeo improvisum elegissent, indicavit — illum inquam, quia aetate validior, virtute praestantior, ac responsis huiusmodi ferendis aptior videbatur, ad Metensem ecclesiam indeque ad ipsum Romanae ecclesiae legatum cum epistolis misit. Ipse vero cum altero regressurus ad cellulam, legatis ac patribus intime valefecit. 1117.

8. Surgens deinde beati viri discipulus, ut ille praeceperat, profectus est. Qui cum eo loci pervenisset, ubi Mettenses congregati, electi sui opperiebantur adventum, toti illorum conventui hic litteras praesentavit, in quibus nimirum praeter[d] alias causas, quod ita in eo nonnihil efficerent[e], parentum illius

Longa retro series et avi[f] numerantur avorum, Virg. Georg. IV, 209

qui utique omnes vel sacerdotes vel filii fuerint sacerdotum. Quod ideo vir beatus, qui[g] totus humilitatis spiritu redundabat, ad hominum voluit pervenire notitiam, quatenus electionem ecclesiae saltem generationis suae infamia denotatus evaderet; et maxime cum iuxta canonum sanctiones liquido constaret, de tam infami stirpe progenitam nequaquam in partem curae pastoralis eligi debere personam. Videntes itaque, virum Dei definitioni cum nonnullo etiam, ut putabatur, honoris sui dispendio reluctari, prope iam omnes ab ipso defecerant. Sed profecto illi similem non facile poterant invenire personam, immo et difficultatem maximam in electione se perpeti, si unum post unum eligerent, formidabant. Quapropter omnia canonicae auctoritatis volumina recensentes, quinquaginta tres apostolicos episcopos, qui omnes vel sacerdotum filii vel nepotes extiterant, invenerunt. Nec mora, communicato consilio ipsum constanter eligere, immo canonice electum expetere decreverunt; non incongruum aestimantes, si in persona electi sui haec vel minima imperfectio remittatur, cum et in gravioribus causis saepe iudicium ex materia temperetur; quippe[h] quod ab hac lege iuxta canonum instituta foret omnimodis alienus, qui tot annis in monasterio honeste et laudabiliter per omnia conversatus esset. Proinde domnum Erbonem, qui in legatione eiusdem partis advenerat, ut coepto itinere supersederet, hortati[i], vim etiam, si ultra procederet, minabantur; veriti scilicet, apud legatum plurimum illis obesse eius praesentiam. Ille vero abbatis sui obedientia vel amore constrictus, cum flecti nullatenus posset, quin, ut ille praeceperat, pergeret excusatum: praefatus[k] Alberius, cui totius negotii

a) exterius 1. b) quippe 1. c) conturbari 1. d) pp *cod.* e) *an* quatenus in eo nonnihil deficeret? f) qui 1. g) qui *addidit Ruinart.* h) quia 1. i) *sic corr Brial,* hortari 1. k) *sic corr. Brial,* profatus 1.

1117. summa constabat, quatenus electum suum ex persona Metensis ecclesiae canonice a legato
expeteret, profectus est. Ambo itaque eodem itinere, non eadem intentione pergentes,
1118. apud Compendium, castellum nominatissimum atque in ea parte provinciae qua situm est
sedem regni, domnum Praenestinum episcopum inveniunt commorantem. Et ille quidem
pro ecclesia loquens, quem tandem elegerint[a], quodque ipsum electum scriptis ad eum ex
persona ipsius litteris, falsis praesertim, evocare temptarit, manifestat. Hic vero abbati
suo satisfaciens, ipsius litteras praesentavit, quae instar priorum, quas ad Metensem eccle-
siam paulo ante detulerat, inter alia, quae in illo deficerent, etiam ignobilitatem generis
praetendebant[b]. At ubi legatus cum dictis Theogeri facta composuit, quippe qui voce vel
litteris episcopali officio se fatebatur indignum, caeterum vita et moribus omni honore
dignissimus habebatur, felicem fore ecclesiam tali sacerdote pronuntiat, moxque electionem
apostolica auctoritate confirmat.

9. Sub eodem tempore de Italiae partibus legatus cum litteris supervenit, in quibus
Jan. 21 venerabilis pater Gelasius, qui beatae memoriae Paschali defuncto cathedram apostolatus
Jan. 24. acceperat, eundem Praenestinum episcopum tamquam fratrem carissimum officiosissime
salutavit, eique legationis, quo praecessoris sui tempore fungebatur, denuo commisit offi-
cium; atque ut fluctuanti ecclesiae pro viribus subveniret hortatus, persecutionem, quam a
51 rege iniquo patiebatur, innotuit[51]. Etenim apostolicus imperatorem, cui sancto annisu
favere ante videbatur, cum idem acerrime etiam omnes sequaces eius gladio spiritus per-
sequi et impugnare coepisset . . . .[c]. Ille eum maxime ordinationis suae die tri-
cesimo[52] pro insuperabili quam[d] habebat defensione et constantia a sede simul et ab urbe
Mart. 8. propellens, Burdinum quemdam scilicet in idolum fabricavit et quasi statuam in campo ad-
orandum instituit. Cumque venerabilis Praenestinus episcopus a latore praesentium super
Gelasii Romani pontificis introitu requisivisset, et utrumnam clerus et populus seu universi
catholici cardinales in eius fuerint electione concordes, illum cum unanimi consensu, totis
viribus renitentem, in Romanum pontificem electum respondit. Tum episcopus: *Papae!*
inquit, *Renuitne tantus vir in persecutionis tempore, in tanto turbine totius rei publicae pontifi-
ciali officio colla submittere! in quo nimirum quibusque securioribus etiam ultro se licuit sem-*
Isai. 6, 8. *perque licebit offerre illius exemplo, qui dixit: „Ecce ego, mitte me.“ Ego vero licet, Deo teste,
numquam in apostolatum animum intenderim, siquidem tum temporis affuissem, profecto hoc
pondus regiminis valentibus humeris suscepissem, quo facilius, quo liberius inimicum fidei chri-
stianae, qui ecclesiam Christi impugnare non desinit, expugnarem. Quid enim aliud est, in
hoc dumtaxat persecutionis tempore pondus portare regiminis, quam pro salute proximi semet*
Ezech. 13, 5. *ipsum obiectare periculis, opponere murum defensionis pro domo Israel, accedere ex adverso
et stare in praelio in die Domini? Ceterum pacis tempore, quo plerumque ex occasione regimi-
nis subrepunt appetitus honoris, illa potissimum tenenda sententia est, ne quisquam virtutibus
pollens nisi[e] coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus ne coactus quidem[f] accedat.* Porro
quidam in partibus nostris magnae auctoritatis antistes, qui Iuvaviensem hactenus strenue
53 gubernavit ecclesiam[53], audit, quod sanctae Romanae ecclesiae cardinalis, Iohannes voca-
bulo — sic enim dictus fuerat antequam papa fuisset electus — Romano more Gelasius
appellatus sit[g]: *Hem!* inquit, *Nullus illorum nequior Iohanne[54]; forte in Gelasio poterit
aliquid boni esse?* Talis eo tempore de Iohanne fama fuerat, quo in ministerio domni papae
55 Paschalis[55] Romae degebat. At postquam invitus, ut diximus, pontificalibus est infulis de-
coratus, ita repente cum nomine et animum mutavit, ut tempore perpetuo, quo supervixit
postea, piis operibus studens, ecclesiam mirifice illustraret; adeo ut etiam paratus fuerit,
contempta regis tyrannide pro libertate ecclesiae cum Petro et animam ponere. Haec,
quando nos tanti viri tempus admonuit, de eius vita et moribus commemorassè sufficiat.
Nunc ea, quae coepimus, exequamur.

10. Igitur legatus apostolicus libens, ut diximus, electioni ecclesiae assensum dedit,
ac tum demum celeberrimis Theogerum litteris evocavit, easque sigilli sui impressione

a) eligerent 1. b) *sic corr. Bethmann;* praetendebat 1. c) *locus corruptus ac mutilus.* d) quod 1. e) nisi *add. Ruinart.* f) quidem *addidi.* g) sit *addidi.*

51) Cfr. Godefr. Colon. 1118. 52) immo quadragesimo quarto, vide Reg. pontif. Rom. Nr. 4884. 53) Conradus 1106–1147. 54) Cf. Ekkehardi chron. 1116. SS VI, 251, ubi Iohannes Caietanus (postea Gelasius II) »regis fidelibus« annumeratur. 55) Fuerat enim Paschalis II papae bibliothecarius sive cancellarius, v. Reg. pont. Rom. p. 478, Annales Hildesh. 1118.

signatas porrigit [Erboni[a]] perferendas. Quas cum ille suscipere vehementer abnueret, 1118. dicens contra abbatem vel locum suum nequaquam litteras se habiturum; cardinalis nimium indignatus excommunicationis ei sententiam, si non eas mature susciperet, minabatur. Qui etsi minis eiusmodi non nimium moveretur, multorum tamen qui aderant aegre tandem consiliis acquiescens, litteras cardinalis, quas Theogero direxerat, suscepit deportandas. Itaque in sabbato sancto dominicae resurrectionis adveniens, invenit Theogerum vi febrium April. 13. validissimâ laborantem, eique quas a manu cardinalis acceperat litteras praesentavit. Quarum exemplar hoc est:

Cuno[56] *Dei gratia Praenestinus episcopus et sedis apostolicae legatus dilecto fratri Theo-* 56 *gero salutem et dilectionem. Litteras tuae fraternae dilectionis fratre Alardo referente audivimus, quibus Metensem ecclesiam, ut constanter et fiducialiter ageret, hortabaris. Nunc vero, Deo annuente, tam tuis quam aliorum monitis omnes eiusdem ecclesiae filii obtemperantes omnesque in canonica electione convenientes, pari voto parique consensu te in pastorem sibi a Deo provisum elegerunt. Unde nos unanimiter supplicantes rogant, quatenus electioni eorum assensum praebeamus, et qualiter te in pastorem habeant, quem intra terminos nostrae legationis morari cognoverunt, studeamus. Nos vero testimonium vitae et conversationis tuae investigantes, gratia Dei nil invenimus, quod sacris obesse possit canonibus. Quapropter, frater dilectissime, praesentibus litteris te commonemus et monendo apostolica auctoritate praecipimus, quatenus iniunctum tibi onus et curam sanctae Metensis ecclesiae, proprii pastoris solatio destitutae, subire non subterfugias, sed potius murum pro domo Israel te opponas, et ecclesiam Christi, inter instantes et immanissima rabie persecutorum fluctuantes procellas nutantem, illis resistendo sustentare et iuvare nullatenus dissimules, exemplo illorum sanctorum, qui in primitiva ecclesia curam pastoralem suscipientes, pro defensione ecclesiae se ipsos, cum oportunitas exigebat, periculis mortis tradere non dubitabant. Si autem, quod absit, monitis ecclesiae et nostris obedire contempseris, scias te procul dubio ordinis tui periculo subiacere, et ecclesiarum introitum, nisi obediendo acquiescas, tibi nullo modo patere. Quam ob rem dilectionem tuam iterum iterumque monentes praecipimus, ut iniunctam tibi obedientiam omni occasione remota suscipias, deinde suscepta obedientia domno Viennensi archiepiscopo et sanctae Romanae ecclesiae legato te praesentare non negligas, ut pontificalis ordinationis accepta benedictione digne in ecclesia Christi militare valeas.*

11. Vix pauci effluxerant dies, et venerandus vir Antonius Senoniensis coenobii pater[57] cum litteris supervenit, cui idem cardinalis episcopus mandando praeceperat, quatenus ad electum suum concitus properaret, et usque ad locum, quem ei domnus Alberius designarat, sub omni eum celeritate deduceret. Litterarum vero tenoris[b] quas detulit exemplar hoc est:

Cuno Dei gratia Praenestinus episcopus et apostolicae sedis legatus dilecto fratri Theogero Metensi electo, spiritum obedientiae cum spiritu fortitudinis. Cum filius Dei obediens fuerit Deo patri, tu econtra obedientiam subterfugiendo membrum illius te esse negasti. Vide igitur, reverendissime frater, ne inobediendo idololatra efficiaris et ignibus deputeris aeternis. Vides 1Reg 15,23 *enim ecclesiam Dei laborare, et concertare contempnis, sed magis requiescere elegisti, ut in aeternum laborares. Apostolica igitur te auctoritate commonemus et commonendo praecipimus, ut electionem Metensis ecclesiae humiliter suscipias, atque usque ad dominicam misericordiae* April. 28. *Domini legato Romano, Viennensi archiepiscopo, te praesentes. Quod nisi feceris, te ab omni divino officio sequestramus. Fratribus vero tuis per summam obedientiam praecipimus, ut consentiant; quod nisi fecerint, eidem sententiae eos subicimus. Nos enim per misericordiam regimen coenobii sancti Georgii tibi concedimus, donec oportuno tempore eidem ecclesiae dignum pastorem possis eligere. Sancta divinitas, reverendissime frater, te doceat obedire.*

12. Verum electus Domini, velut necessaria tandem ac probabili excusatione inventa, ne exequi debeat, quod iubetur, aegritudinem corporis, quae illum vehemens occuparat, exponit; aliasque nonnullas suae impossibilitatis causas adiciens Metensis ecclesiae vel ipsius legati legatos omnino frustratos infecto negotio abire permisit. Legi tamen in audientia fratrum illas, quas sub nomine cardinalis acceperat litteras, iubet, quatenus in tali

a) [Erboni] *addidit Ruinart.* b) tenor 1.

56) Et hanc et eam, quae sequitur, Cunonis epistolam »ex msc. abbatiae S. Georgii in Villingen« edidit Neugart Cod. dipl. Al. II, 44. 45. 57) Antonius monasterium Senoniense (d. Tullensis) rexit ab a. 1094 ad 1136, v. Gall. Chr. XIII, 1386.

1118 negotio, uti par erat, quod Dominus inspirasset, daret unusquisque consilium. Neque vero tum hoc, tum illud, ut in re dubia solet, singuli consultabant, sed unanimes omnes electioni ecclesiae modis omnibus reclamabant. Nec id quidem, an esset sanctus imperata facturus, sed id solum agitari coepit, quo pacto abnueret, quod legatus apostolicus in litteris praecipiendo mandarat. Et certe non deerant, qui totius fere negotii causam in illum superioris epistolae latorem graviter intorquerent, quasi qui legatum huiusmodi ingeniosa quadam machinatione confecerit, ut is scilicet, in quo solo situm erat omne eorum[a] solatium, Theogerus e medio tolleretur. Ceterum venerabilis pater discipulum, quem amabat, iam pridem per omnia devotum sibi ac fidelem expertus, nil de eo iniustum vel leviter poterat suspicari. Quapropter ipsum denuo ad cardinalem mittere — erat enim illi notissimus — habita cum fratribus deliberatione decrevit, ut tam apud illum, quam apud aures ecclesiae senem humiliter excusaret. Quod cum ille vehementer abnueret, quippe qui proxima legatione peracta, dura omnium fratrum invectione pulsatus: aegre tandem Theogerus obtinuit, ut benedictione percepta promitteret se ilico profecturum. Solus tamen ut pergeret, cogi non poterat, sed unum ex fratribus illiteratis comitem assumpsit, tum ut maior seniori[b] inesset auctoritas, tum ut ipse facilius, si secus forte res cederet, suspicionem contrariae partis evaderet, cum is quoque, qui illi hanc notam vel maxime imponebat, negotio interesset.

Mai. 13. Eo tempore venerabilis Cuno cardinalis episcopus Coloniae morabatur, ubi coactis in unum pluribus episcopis concilium celebrare decreverat. Alberius quoque primicerius longa iam expectatione suspensus Coloniam venit, ibique electi sui, quem quidem eo venturum audierat, opperitur adventum. Ceterum beati viri discipulus, qui eo iubente ierat excusatum, repertum in concilio Iuvaviensem archiepiscopum, quem nuper in exilium imperatoris saevitia coegerat[58], exoravit, quatenus suscepto abbatis ac fratrum suorum patrocinio, causam illorum agere dignaretur. Quo petitionibus eius facile tribuente consensum, ille concilio laetus iam ac securus intererat, nihil de causa diffidens, quam tantae facundiae tantaeque auctoritatis antistes se spopondisset acturum. Cum interim Metensis ecclesiae coepit electio ventilari; et ecce primicerius solus pro ecclesia loquens, a legato apostolico in audientia totius concilii electum suum canonice requisivit. Responsalis vero ipsius electi praefatum antistitem, uti memor sponsionis exurgens senem excusaret, admonuit. Tum ille considerans, electionem ecclesiae non posse cassari, respondit, nullum in se fore praesidium ei, qui tam obstinate Dei ordinationi resistere laboraret. Interim stabat Alberius, legatum apostolicum et universos totius concilii patres enixius interpellans, quatenus electum suum, auctoritate ipsorum vel ipsa iustitia fretus, obtineat. Cuius ilico responsalis in medium sese proripiens, cum a legato apostolico idoneam personam, quae vicem eius peragens pro ipso respondeat, poposcisset, ille vero prorsus abnueret quemquam se daturum, nonnullis qui aderant virum ut pro se ipse loquatur hortantibus, demisso vultu, voce supplicii ait: abbatis sui legatione se fungi; ipsum quidem ad praesens venire non posse, postulare vero domnum cardinalem et totius sacri concilii patres, ne seni invalido gravissimum pontificalis officii onus imponant; noverint illum aetate confectum, iam animo quoque
Verg. Ecl. IX, 51 minus valere ad haec, nam „omnia fert aetas, animum quoque"; postremo viderint, ne, dum uni loco in parte consulitur, in toto alius desoletur. Ad haec nonnulla cum adderet, cardinalis episcopus in sua sententia immobilis perseverat, dicens: non recte illum divinae voluntati resistere; virtutem et vires illi abunde a Domino administrandas; fratribus vero non defuturum idoneum provisorem; postremo frustra eum iam tempus redimere, qui procul dubio in praesentia esset quandoque venturus. Quid multis morer? Adeo vox ecclesiae per os primicerii illius clamantis invaluit, ut denuo illa episcopalis electio unanimi universorum sententia firmaretur. Porro unus e duobus, qui nihilominus[c] in legatione eiusdem patris advenerant, cum esset homo idiota et sine litteris, nihil horum quae loquebantur intelligens, suspicatus est, alterum minus quam tanti negotii pondus exigeret, de fratrum angustiis, de ipsius loci dispendio, de senis denique valetudine prosecutum; ac proinde conversus ad assidentes, verbis domni cardinalis multis exclamando coepit obstrepere. Quod sentiens cardinalis, mox in eum impetu facto, ut erat vir vehemens, significans indi-
cf. Cic. Brut. 15, 58. gnationem animi voce incondita, ut crederes illum potius latrare quam proloqui, os eius

a) *sic corr. Brial;* verum 1. b) *an* scitiori? c) *an* ut diximus?

58) Cf. Vitam Chunradi archiep. SS. XI, 70.

nitebatur obstruere. Ita nimirum tam ab ipso cardinali episcopo, quam ab aliis quoque qui aderant coercitus, conticuit. 1118. Mai.

14. Tum demum cardinalis episcopus domnum Erbonem, familiarem beati viri discipulum allocutus, signatas ei litteras praebet, quas ilico Theogero regressus ad cellulam praesentaret. Qui dum seni ad conficiendum iter sumptus deesse dixisset, ille vero inquit: *Veniat vel asino sedens, vel pedester incedens, dummodo nos amplius adventus eius dilatio non fatiget.* Ille vero orare obnixius coepit, ut potius fratri illitterato deferendas seni litteras daret; veritus scilicet, ne tota in illum suspicio redundaret, si legationi suae contraria reportaret. Quo facto, petita ex more licentia profecti sunt. Iamque confecto itinere cellae eminus propinquabant, cum ecce aures illorum velox fama praeoccupat, Theogerum nuper egressum cellula, in superiori adhuc parte provinciae commorari. Quem ilico frater illiteratus lator praesentium, itinere quo ad monasterium redire iam coeperat intermisso, e vestigio insequi conatus est, quatenus adhuc de foris constituto domni cardinalis litteras daret, eumque continuo fratribus etiam insalutatis abire compelleret. Ita unanimis omnium catholicorum in eius electione consensus, ita irrefragabilis ipsius etiam cardinalis in eius vocatione sententia fuit, ut is modo potissimum negotium accelerare temptaverit, qui primo vel maxime, ne quando fieret, contradixit. Illo ergo abeunte, domnus Erbo velut expeditus et liber solus ad cellulam rediit, nulli de litteris, nulli de electione quid loquens, sed omnia senis immo praedicti fratris adventui reservavit, illum singula, quae vel dicta vel acta sunt, nosse, illum etiam litteras habere, constanter testans. Qua fratribus expectatione suspensis, venerabilis Theogerus, nihil horum quae gesta sunt sciens, in sabbato pentecostes Iun. 1.
subito supervenit, adhuc fratre illitterato cum litteris casso labore provinciam pervagante. Cum interim Theogerus, aestimans, quasi pro inobedientiae culpa a sacri altaris ministerio se fuisse suspensum, discipulum quem amabat accersiens, post benedictionis verba sollempnia, an adhuc sacerdotali officio fungi debeat, sciscitatur. Ille vero, usque in feriam quintam instantis hebdomadae[59] — eas enim inducias cardinalis dederat — hoc illi licere, 59
respondit. Deinde plura volentem inquirere eadem, qua et[a] caeteros pollicitatione suspendit, dicens, fratrem illum cum litteris quantocius affuturum, monetque ex ipso potius sciscitari et quaerere causas. Interea frater, qui aegre expectabatur, advenit, legendas seni litteras dedit, easque vir sanctus publice recitari fecit. Nam quia vir Domini Viennensi archiepiscopo, uti cardinalis praeceperat, se praesentare neglexit, in praesentiam sui praesentibus eum litteris evocavit.

15. Igitur Theogerus ubi primum ex litteris, quid illi domnus cardinalis ex sententia totius sacri concilii mandasset, agnovit,

Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo, Virg. Aen. 1, 485

infelicem se ac miserum clamans, quod in tam graves aerumnas senectus inciderit, ut ea illi, qua coeperat, quiete iam perfrui non liceret. Ire tamen ac semet obiectare periculis, quia res exigeret, disponebat; satis fore aestimans, extrema omnia experiri, quam in hac animi obstinatione persistere, per quam utique super se et super locum illum excommunicationis malum induceret. Nec mora, rebus suis rite dispositis, postera die[60] — nec enim reniti diutius aut contraire, constantiae fuit — statuit proficisci. Iam cellulam omnem discessionis fama ipsius compleverat; fratres confusi et ad lacrimas plus quam satis erat[b] coacti, dissolutionem sui et amantissimi patris lamentabantur abscessum. Comites illi nonnulli de fratribus, quos ipse elegerat, et alia quae usui forent, praeparantur. Noctem illam in Dei laudibus Theogerus expendit, non somnus oculis, non requies animo ducebatur. Cumque diei matutinum prorumperet, missas privatas, quia proficisci statuerat, celebrare Iun. 2.
festinans, Spiritui sancto, qui eo die discipulis facile se infudit illapsu, sese attentius commendavit. Deinde loci ac temporis oportunitate captata, fratres accersiens, singulos exosculans, iter aggredi maturavit. Hora tertia, benedictione accepta, carpitur[c] via atque in ipsius legati praesentiam, uti praeceperat, perventum est. Iam in oppido, cui ex re nomen inditum est — nam ab eo, quod Rhenus et Mosella illic confluant, Confluentia nuncupatur — una cum archiepiscopo Coloniensi[61] aliisque nonnullis episcopis, qui omnes 61
apud Coloniam finito colloquio eo sese contulerant, morabatur. Hi omnes venerabilem

a) ad 1. b) erant 1. c) *sic corr. Brial,* coepitur 1.

59) diem 6. Iunii. 60) die 2. Iunii. 61) Friderico 1099—1131.

1118. virum, cuius sanctitatis opinio plerisque eorum iam pridem innotuit, reverenter excipiunt; ipseque praecipue cardinalis super eius adventu gavisus, complexus atque osculatus est hominem. Inter alia familiaritatis colloquia, quot in abbatia impleverit annos, sciscitatur. Porro illi in hoc dignitatis apice constituto iam annus tricesimus volvebatur. Quod dum inquirenti quantocius indicasset, ille subridens ad eos, qui forte tunc aderant, sermone directo satis eleganter lusit: *Nihil,* inquiens, *de aetate causabimur; nimirum maturus episcopus, qui et tot annis abbas fuerit.* Iacob hic crederes patriarcham coram Pharaone consistentem, qui numerum dierum suorum requisitus exposuit; nisi quod illi legato apostolico Pharaonis huius non est conferenda persona, quamquam et sic nonnulla ratione valeat defendi, cum quidem alius sit Pharao, qui de cruciatu pascitur Hebraeorum, alius, qui ad nutum Ioseph advenis frumenta largitur.

16. Cum deinde in sua singuli commearent, episcopus cardinalis una cum archiepiscopo Coloniensi Coloniam navigio redit, ducens secum electum hunc Domini sacerdotem; cum quo etiam praefatus archidiaconus iens, fidelem in omnibus ei praebuit obsequelam. Ibi eum Coloniensis antistes secum aliquamdiu benigne retinuit; deinde ad Tuitiense coe-
62 nobium[62], quod haud procul a ripa Rheni fluminis abest, postmodum vero ad[a] aliud, cui Glatebach[63] vocabulum est, destinare curavit. Ubi gravi infirmitate correptus, post paululum quidem Deo miserante convaluit, sed usque ad obitus sui diem eadem corporis mole-
64 stia laboravit. Ibi ergo per aliquot dies ab ipsius loci abbate[64] honorifice satis et humaniter tractatur; indeque Coloniam tendens, convenit episcopum. Quem secum ille deducens in castrum quoddam natura et arte munitum, quod ob altitudinem a nubibus vocabulum trahens Wolckenburg nuncupatur, cum multa militum manu profectus est. In ea profectione quidam ex parasitis, impudens et ignominiosa persona, quippe qui inter cetera suae vesaniae vel improbitatis indicia ante faciem hominum nudus incedere nequaquam erubuit, equo invectus, animo irreverenti ac motibus indecoris furioso impetu ferebatur, atque ut hoc genus hominum solet,

— nunc hos cursu nunc praeterit illos,
Verg. Aen. V, 583. Moxque alios iniit cursus, aliosque recursus.

Cumque iocando nonnullos in agmine hasta, quam manu ferebat, impeteret, nec a sancto quidem homo insulsus abstinuit, volens et ipsum ioci sui praestare participem. Verum praefatus ille beati viri discipulus, quem item e cellula coegerat, id fieri vehementer indoluit. Nihil tamen sine magistri sui iussu aut voluntate praesumens, conversus ad senem: *Vadam,* inquit, *et aliquem notorum, ut hominem istum ab hac compescat insania, commonebo, quatenus cum sui similibus pro voto lasciviens, saltem a vobis, quem minime id perpeti decet, abstineat. Non necesse est,* sanctus inquit, *super hoc quempiam fatigari; iste enim sine labore cuiusquam in brevi coercitus conquiescet.* Ille hoc simpliciter et quasi transitorie dictum acceperat; ceterum id senem spiritu dixisse praesago, rei exitus comprobavit. Interea ad castrum, quo ire decreverat, antistes pervenit, ubi electum sibique dilectum hunc Domini sacerdotem reverenter excepit, eique officiosissime obsecutus, talem se habere hospitem laetabatur, in quo re vera Dominum susceptum fuisse constaret. Cum interim sole ruente nox clauditur[b], et cunctis ex more coenantibus, improbus ioculator vino, plus quam sobrietas pateretur, indulget. Cum vero post paululum, ut in quodam eminentiori coenaculo noctem transigeret secuturam, per gradus altissimos nutanti, ut erat amens et ebrius, se ferret incessu, subito miser ad inferiora collapsus, priusquam vinum digereret, amarum mortis poculum epotavit. Unusquisque[c] dubitet, quin et iste vir sanctus partem acceperit de spiritu prophetarum, qui tam repentinum hominis illius praedixit interitum.

17. Interea cardinalis episcopus Germaniae partibus peragratis in Saxoniam intrare decrevit, et illarum quoque ecclesiarum in coetum vocare pontifices, tum ut illorum consilio quaeque ibi corrigenda corrigeret, tum vero ut propriae manus impositione Metensem electum in sacerdotem apostolicum consecraret. Iamque apud monasterium beati Viti martiris, cui Corbeia vocabulum est, ubi[d] tunc cardinalis morabatur, episcopi nonnulli
Iul. 6. convenerant. Aderat dies, quem eo anno beatorum apostolorum Petri et Pauli faceret octava[65] sollempnem, et quia dominica instabat[e], visum[f] est omnibus, ut ipso potissimum

a) ad *addidi.* b) *an* recluditur? c) *an* Unde quisnam? d) ubi *addidit Brial.* e) instabat *addidi.* f) visa 1.

62) Deutz. 63) Gladbach. 64) Christiano? Vide catal. abbat. Gladbac. ap. Binterim et Mooren Erzdioec. Cöln III, 54; cf. Gall. Christ. III, 745. 65) die sabbati.

die episcopalis electio compleretur. Quo die venerabilis Praenestinus episcopus cardinalis 1118. legatus apostolicae sedis Theogerum Metensem electum, virum irreprehensibilem, aetate Iul. 7. gravem, moribus maturum, apprime litteris eruditum, sustentantibus eum hinc inde duobus archiepiscopis, Iuvaviensi[66] scilicet metropolitano Bavariae et Magdeburgico[67] metropoli- 66 tano Saxoniae, in episcopum sollempniter ordinavit, aliis duobus episcopis adstantibus, quorum alter anulum illi et cophium[68], sandalia alter et chirothecas, immo omnia sacerdotalia 68 indumenta contulerat, quique ceteris exclusis in consecratione episcopi ob meritorum praerogativam soli videbantur admissi. Verum in hora processionis eiusdem venerabilis ac Deo dignus Iuvaviensis antistes sanctum Domini, quem, ut iam diximus, percipiendae benedictionis gratia procedentem a latere ambiebat, intuitus: *O*, inquit, *episcope, nequaquam in diebus nostris umquam hoc contigit, ut quemquam electum duo archiepiscopi dextra laevaque sustentando producerent, quemadmodum in tua persona per nos hodie divina dignatio voluit adimplere.* Nam cum esset vir altioris ingenii, tanti honoris privilegium infra centum circiter annorum spatium soli, ut ipse perhibuit, Theogero fuisse collatum, non poterat non mirari. Sane vir Domini toto illo consecrationis suae tempore tantas sine cessatione lacrimas fudit, ut cunctis se intuentibus et admirationi et venerationi fuerit.

18. Episcopali itaque benedictione accepta, beatus pontifex Theogerus primo apud idem monasterium quamdam in honore sancti Georgii martiris basilicam consecravit, ut specialem quem in abbatia patronum habuerat, eius quoque in episcopatu patrocinium benedictionum suarum primitiis compararet. Sed et ipsius Corbeiensis ecclesiae cryptam et altare beati Andreae apostoli, quod ad Ori[a] . . . .

. . . .

(20) . . . . . cumductus introitum vel exitum prohibebat, angusto tantum a latere ostio relicto, quo eadem subterranea officina adiri vix poterat; usque ad id loci caballus, cui sanctus insederat, recti itineris lineam derelinquens, duris morsibus obfirmatis, rectore contempto, cursu praecipiti ferebatur. Transire episcopum vel de equo descendere, hinc paries utrimque oppositus, hinc ingens praecipitium non sinebat. Iumenti denique regirandi ne spes quidem ulla iam fuerat, cum tanta loci illius angustia esset[b], ut si pes eius loco ullatenus moveretur et ipsum pariter et is qui insederat, in extremam illius carceralis aediculae foveam laberetur. Haud procul aberat discipulus quem amabat, ac nimium pro sene sollicitus, quem esset habitura res exitum, praestolabatur. Dei autem providentia actum est, ut animal brutum, animal inquietum, ac si solo fixum fuisset, staret immobile, sentiens quodammodo sanctissimum sibi assidere pontificem, cuius dignitati in tantum, ut ne motum quidem loco fuerit, deferebat. Tandem itaque retro caballus incedit, et ubi intraverat, caute se efferens, se pariter et sacerdotem vitae reddit incolumem. Ego quidem id quanta potui brevitate perstrinxi, et an satis diligenter expresserim nescio. Unum hoc scio, quod mortis discrimen evadere, nisi divino fretus auxilio, nequivisset.

21. Igitur regressus a synodo[69] in locum, cui Dierward[70] vocabulum est, praefato pri- Aug. micerio eum honorifice deducente pervenit. Ibi eum abbates et clerici quotquot erant in episcopatu sanioris consilii, saepe visitabant. Ibi mulieres quoque religiosae et nobiles sanctae eum intentionis studio frequentabant, cum quidem felicem se fore crederet, quae vel extremam vestimenti eius fimbriam contigisset. Ceterum dampnati illius episcopi socia multitudo civitatem eum ingredi non sinebat, cum quidem nonnulli hac ei intentione resisterent, quo sacerdotis iniuria[c] regis benevolentiam compararent. Neque enim rex quemquam nisi a se designatum haberi volebat episcopum, nedum[d] deponi annueret eum[e], qui illi et consanguinitate proximus et favore obnoxius videbatur. Iam plurimi dies effluxerant, et episcopus sanctus primicerio duce incertis sedibus vagabatur. Cuius etsi apud omnes sancta flagrabat opinio, ita ut eius se cuperent filios nominari — magna enim eius affabilitas ac mansuetudo multorum in se studia provocarat — solis tamen Metensibus, ut eum urbe susciperent, non poterat persuaderi. Eo namque vecordiae eorum progressa contentio est, ut in commune decernerent, quod si quis eum palam fateretur episcopum, proscriptis omnibus quae haberet, extra civitatem fieret. Unde consilium fuit, ut omnibus, qui

a) *hic nonnulla desunt cum toto cap.* 19 *et initio* 20. RUIN. b) esset *addidi.* c) *sic corr. Brial;* incuria 1. d) ne illum 1. e) et 1.

66) Conrado; cf. Vitam Gebehardi l. l. 67) Adelgoto 1107—1119. 68) Gall. *coiffe;* tegimen capitis. 69) Fritislariensi, quae d. 28. Iulii 1118 acta est. 70) *Dieulouard* ad Mosellam dioec. Mettensis.

1118. in eius obsequio morabantur, dimissis in sua, ad cellulam remearet episcopus, quousque schismaticorum cessante perfidia, Metensis ecclesia pacem fuisset adepta. Quod ille pro voto accipiens, assumptis comitibus profectus est.

22. Nec passus est diabolus tantis laboribus fatigatum vel paululum respirare; in hac via, qua ambulabat, tetendit insidias. Nam eremum illam, quae vulgo Vogasus appellatur, ingressus, in cellulam quandam, quae beati Georgii[a] reliquiis et patrocinio habetur insignis, una cum solis occubitu declinavit. Unde cum in crastino levaret, valedicens fratribus, coepta regione pergebat. Iam media dies coquente desuper sole fervebat, et quamquam corpus inane ieiuniis seniles etiam frangerent anni, animo tamen vincebat aetatem, iterque propositum fortis viator morae impatiens pergebat[b]. Cum ecce milites quidam, qui duorum Basiliensium clericorum instinctu insidias sancto tetenderant, quasi copiosam quam Metis avexerat pecuniam reperturi, statim irruunt. Cumque importune pecuniam, discussis etiam comitibus, quaeritarent, ille nihil nec eos[c] quaerentes vel voce moratus, psalmos tantum, quos cum illo suo familiari discipulorum pro defunctorum requie paulo ante cecinerat, pacifici cordis indices, ore adhuc volvere non cessabat. Primum autem a militibus circumventus et tentus, iussus descendere de equo, descendit; discussus denique et vacuus inventus, iussus iterum ascendere equum, ascendit; moxque ad se discipulo recurrente, defunctorum officium, ubi dudum omiserat, repetens, priusquam ei sermonis quippiam impertiretur, explevit. Unde factum est, ut milites ipsi nimium consternati tam irremissum eius in Dei servitio studium mirarentur. Tum vero discipulus conversus ad senem, num abire debeat an manere — ei enim a militibus discedendi vel manendi data est optio — sciscitatur. Abire eum potius et pro sua ereptione laborare episcopus iubet. Tunc milites quidem episcopum duxere captivum, discipulus vero liber abscedit, qui tamen magistro maxima cura et caritatis vinculis colligatus, magis carcerem patiebatur exclusus. Verum interiectis aliquot dierum spatiis, cum viris honestis reversus ad senem, cum eum protinus illorum auxilio recepisset, laeti et alacres per viam, quae ducit ad cellulam, profecti sunt.

23. Iamque ad coenobium Marbacense confecto itinere pervenere, sed illuc etiam senis iam fama pervenerat. Quocirca fratres inibi commorantes, religiosi videlicet canonici regulares, venienti obviam procedunt, cantuque melodo imposito, pleno eum exultationis
71 iubilo susceperunt. Huic forte concentui venerabilis ille Gerungus[71] intererat, qui ut in
72 prima huius operis parte[72] meminimus, Theogerum adhuc infra annos adolescentiae constitutum Hirsaugiam ad venerabilem Wilhelmum abbatem sub percipiendae ab eo poenitentiae specie destinarat. Erat vero iam aetate adultus, et canis albentibus caput aspersus, ac mirum in modum Theogero, quippe quem a die conversionis eius non viderat ultra, iam monacho et sacerdote, alumno vel hospite laetabatur. Beatus quoque pontifex Theogerus
Virg. Aen. I, 520. sene eminus agnito gavisus est valde. Postquam vero introgressi et coram data copia fandi est, manu eum utraque complexus et in oscula ruens intime salutavit, suum illum apostolum esse, per hunc se olim captum fuisse quodam dumtaxat salubri captivitatis genere, fatebatur. Tum ille: *Nequaquam,* inquit, *ita me cepisse poenitet, cui non modo captivitas illa non obfuit, verum etiam tantam honoris et gloriae contulit dignitatem, ut monachus primo, deinde monachorum abbas factus, postremo ad summum sacerdotium Deo volente conscenderit.* Ad haec episcopus: *Nec me apostoli mei,* ait, *consiliis umquam acquievisse poenituit, qui et sua per hoc praemia cumulavit, et Christo propitio desideratum in me pii laboris fructum invenit.*

24. Hic demum episcopus sanctus tum universis fratribus, tum illi praecipue suo, ut
Nov. Dec. volebat, apostolo valedicens, ad monasterium sancti Georgii, amicum virtutis habitaculum, convolavit. Tum vero quasi patri venienti omnes in albis obviam currunt, ac devotissime in eius occursu modulatis vocibus canunt. Deinde loci vel temporis oportunitate captata, honorifico salutatu in eius amplexus et oscula ruunt. Ex quorum ferventi proposito gaudio gratulatur episcopus, et cunctis in eius adventu gaudentibus quasi xenia de episcopatu deportans, spiritalem eis impertitur[d] . . . Per menses autem ferme quatuor inibi demoratus,

a) *leg.* S. Gregorii (*Münster in Gregorienthal; dioec. Basil.*). RUIN. b) *sic corr. Brial;* perlegebat 1. c) *an* inimicos? d) *Brial addidit* benedictionem.

71) Haud scio an sit idem Gerungus, qui praepositus Marbacensis in bulla Calixti II d. d. 30. Oct. 1119 (Reg. pont. Rom. 4949) memoratur, cuiusque mors ad a. 1130 refertur in Annal. Argentin. apud Böhmer Font. III, 73. 72) quae quidem intercidit.

quasdam basilicas in fundo monasterii sitas, accepta a Constantiensi episcopo[73] licentia, 1118. dedicavit, Deo nimirum misericorditer disponente, ut locus et familia beati Georgii, quae olim eius instruebatur exemplis, nunc etiam benedictionibus firmaretur. Interea certatim ad eum saeculares quoque homines confluebant, nec ullus frustra eo se convenisse conquestus est. Omnibus delectabile et iucundum laboris commercium fuit. Fatigatio enim itineris laboris viaticum reportavit. Quam autem universis carus fuit, in eius abscessu indicatum est. Postquam enim denuo ad episcopatum tractus est, quasi communi vulnere orbitatis excepto, pium singuli lugere parentem.

25. Cum interim catholica Metensis ecclesia episcopali regimine destituta quid ageret 1119. nesciebat, quod eorum, qui se ab electione canonica pro schismate segregarant, adhuc pars impia praevalebat. Tandem vero Gelasius apostolicae sedis antistes, hac dissensione comperta, clero et populo Metensis ecclesiae litteras misit, et ne quidem divinum servitium illic fieret, interdixit, priusquam idem episcopus fuisset ab urbe susceptus. Sed et metropolitanus Bruno, qui tum Trevirorum regebat ecclesiam[74], eiusque[a] electioni impie re- 74 pugnabat, eo quod se inconsulto et nesciente fuisset electus, tandem considerata ratione flectit animum; mittit Metensibus litteras, mandat per obedientiam, ut eum, quem sibi in pastorem elegerant, in sedem propriam revocarent. Accepta ergo legatione utriusque pontificis, Romani videlicet et Trevirensis, clerus et populus sententiae sanioris episcopum suum missis post eum litteris evocavit. Iamque quadragesimae dies magna ex parte trans- Mart. ierant et praesul piissimus, cum iam secundo vel tertio Metensis ecclesiae litteras accepisset, vix tandem exire compulsus, tristis admodum peregrinationem illam aggressus est, contestatus fratribus, multa se adversa passurum; quod postea probavit eventus. Qui Rheno transmisso cum ad Mauri-monasterium[75] venisset, assumens loci illius abbatem, 75 tendit ad civitatem. Occurrunt abbates, occurrit primicerius, et quotquot erant sanioris consilii de episcopi sui gratulantur adventu. Quos ille conspiciens, laetabatur quidem ad gloriam Christi, sed se indignum tantorum et talium fatebatur occursu. Neque tamen ad urbem accedere tutum primicerius aestimabat, cum quidem adhuc incertum studia in con- Virg. A II, 39. traria vulgus vel amore vel odio scinderetur. Quapropter in locum, cui Cappentia[76] vocabulum est, assumpto episcopo declinavit, ibique cum quibusdam abbatibus diem palmarum Mart. 23. celebravit episcopus.

26. Iamque aderat dies, quem coena Domini[77] vel indulgentiae diem populus christia- 77 nus appellat; quo ut chrisma conficeret, episcopalis officii ordo poscebat. Sed quid ageret, quo se verteret, ignorabat. In loco, quo manebat, quae tanto officio usui forent, habere non poterat; ceterum in civitate id fieri tumultuantis populi seditio prohibebat. Tandem consilium fuit, ut apud Gorziense coenobium eiusdem consecrationis compleret officium. Abbas loci[78] per nuntium de adventu episcopi perdocetur; et omnibus, quae rei utilitas 78 postulabat, rite provisis, pridie advenit episcopus. Iam passim fama disperserat, Gorziam Mart. 26. venisse pontificem, et ecce homines loci illius cum gladiis et fustibus exierunt tamquam ad latronem. Videres eodem modo vel tempore venerandum pontificem crucis levasse vexillum, quo pontifex summus non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum. Sicut enim ille Christi pseudodiscipulus magistrum et dominum in manus tradidit Iudaeorum, ita nimirum monasteriales illi, qui falso sibi monachorum nomen induerant[b], ad persequendum episcopum vulgus ignobile concitarunt. Vix itaque episcopus sanctus monasterii portam attigerat, et populus, qui insidias sancto tetenderat, universus e latebris furibundus erupit, et sublatis equis episcopi, omnem etiam comitatum invadit, adeo ut ipse primicerius de manibus persequentium vix fuga lapsus evaserit. Dum haec agerentur, episcopus sanctus intravit ecclesiam, et quid de foris ageretur ignorans, stetit ad orationem, cunctisque ei mortem minantibus, vitae invocavit auctorem. Tum quidam ex monachis, qui eius praesentia torquebantur, accedunt et cum gravi ironia eum hortantur abscedere, non se pati posse dicentes populi furentis insaniam, si quidem ibi fuisset inventus episcopus. At vero episcopus extremis periculis circumventus, illudque apostoli recolligens: *Foris pugnae, intus timores*, omnino quid ageret et vel quam in partem se 2 Cor. 7, 5. verteret, ignorabat. Tum vero spiritum consilii et fortitudinis tota mente concipiens[c],

a) *sic corr. Brial*, cuius 1. b) *sic corr. Brial;* induxerant 1. c) *sic corr. Brial;* corripiens 1.

73) Ulrico, 1111—1127. 74) 1102—1124. 75) dioec. Argentin. 76) an Chambrey? BRIAL. 77) Mart. 27. 78) an Warnerus? Vid. Gall. Chr. XIII, 888.

1119. Mart. 26. Ioh 18, 4. pontificalibus indui vestimentis et templo egredi maturavit, ut turbis furentibus semet ipsum obiciens, dominica voce: quem quaererent, sciscitaretur. Cerneres universos, qui eum sine causa fuerant persecuti, ita primo eius aspectu perterritos, ut ne motum quidem facere ausi extremae dementiae se ipsos arguerent, qui tale flagitium vel mente conceperint, ut in christum Domini manus scelestas extenderent.

27. His demum motibus utcumque mitigatis, abire episcopus et ad urbem statuit proficisci. Cum ilico abbas Sancti Clementis occurrit, et ut primo in monasterium suum declinaret, admonuit, ibique eum cum fratribus laeta processione suscepit. Sed ubi est auditum a civibus, venisse in urbem episcopum, furibundi ac pleni insania evomunt in Theogerum mille convitia, nec solum eum urbe propellere, sed et gladio minantur extinguere. Quod ubi nuntiatum episcopo est — necdum enim de templo exierat — assumpto loci illius abbate, in sacerdotalibus vestibus, uti a Gorzia advenerat trabeatus, procedit obviam inimicis, libens pro Domino quaecumque ei acciderent adversa passurus. Verum nonnulli ex civibus senem eminus contuentes, ita eum aggressi sunt, ut vix manibus temperarent, cum quidem sanctus placido vultu, mente tranquilla, infelicium amentiam per mitia verba cohiberet. Nam inter alios urbis praefectus advenit et, cuius rei gratia ad urbem accesserit, sciscitatur. Ille simpliciter et uti se res habebat, ad hoc solum se advenisse respondit, ut sibi creditam plebem sollicitudine debita visitaret; Metenses quoque non recte nec pro bono facturos, si ab iure suo episcopum prohiberent, qui curam ecclesiae domino apostolico, quod ipsi diffiteri non possent, cogente suscepit.

Virg. A. II, 650 Talia perstabat memorans, fixusque manebat

et in tantum praefecti aliorumque qui aderant sanioris mentis animos[a] mitigavit, ut non solum a tumultu ipsi quiescerent sed et alios quoque quos poterant sedare satagerent. Tum mulier quaedam fide et devotione mirabilis, illam de euangelio repraesentans, quae inter prementes sola tetigit salvatorem, coram adstante episcopo sellulam ponit et hunc per laciniam vestimenti leviter tangens, ut sederet, admonuit. Quo protinus residente, dum coram eo procidens adorasset, reverenter abscessit. Sed et aliae quaedam, quas nihilominus dilectionis eius ardor attraxerat, ambiebant saltem fimbriam vestimenti illius attingere, multum sibi et tactum prodesse credentes.

28. Cumque episcopus calceamenta iam solvere et nudis pedibus pararet ingredi civitatem, iuvenis quidam, officio clericus, nomine Constantinus, contribulis abbatis Beati Clementis, insano felle commotus furibundus irrupit; qui sancto insultans audacter, nec maledictis quidem nec manibus temperavit. Nam miser in tantam prorupit audaciam, ut stolam sacerdotalem de collo illius abriperet. Cumque et virgam pastoralem de manu episcopi violenter ablatam ad feriendum eum altius elevasset, vetitus ab eo, praefatum abbatem, cognatum videlicet suum, qui prope adstabat, tam valide percussit, ut caput virgulae ictu ferientis excussum longius resiliret. Specialis Theogeri gloria! Videtur enim in passionibus Domino quodammodo conferendus. Nam iuvenem illum, qui tantum Domini sacerdotem tam male tractavit, servi illius summi pontificis, qui illi alapam dedit, recte dixerim gestare personam, nisi quod ille quidem Dominum non credidit, quem cecidit, hunc vero et hic esse episcopum novit et ferire non timuit. Tum vero episcopus manus utrasque laetus ad caelum expandit, laudans clementiam Salvatoris, quod tanti ab eo habitus sit, ut haec pro nomine eius perpeti mereretur. Neque vero huius sceleris immanitate contentus, saevire acrius iuvenis coepit, et manus sancto iniciens, de manu illius anulum auferre temptavit. Quem ille barbatum[b] videns, nec ulla religionis indutum tonsura vel habitu, an esset clericus ignorans, clausa manu repulit a se hominem dicens, quod si[c] auferendus illi anulus foret, non laici cuiusquam, sed clerici consecrati manibus auferri deberet. Dum interim praefectus adveniens — dudum enim e conspectu abierat — vidensque episcopum sanctum a iuvene memorato tam graviter infestari, et duris eum sermonibus redargutum abire mox compulit.

29. Tum demum praefectus aliique, qui aderant, per nomen Dei episcopum obtestantur, ne civitatem ingrediens indiscretae multitudinis sibi odia concitaret, sed in quamlibet episcopii possessionem cum ipsis interim commigraret, ubi ei sicut domino et episcopo suo libere servirent, quousque imperatorem vel archiepiscopum super eius statu consulerent, dicentes, se iureiurando firmasse, sine utriusque eorum assensu nullum episcopum habituros.

a) animos *addidit Brial.* b) barbarum 1. c) *sic corr. Brial;* scilicet 1.

Quorum ille consiliis acquiescens, tunc quidem distulit ingredi civitatem, sed postera 1119.
die iterum in monasterium sancti Clementis advenit, ibique cum fratribus coenam Domini Mart.27.
celeberrime celebravit. Ipsorum vero consilio Trevirensem archiepiscopum conventurus
iter arripuit ipso die parasceue; sed eo apud Treverim non invento — iam enim ab archie- Mart.28.
piscopo Coloniensi ad sollempnitatem fuerat invitatus — pervenit ad eum Coloniae tertia feria April.1.
paschae. Adventus eius Trevirensi archiepiscopo gravis, porro Coloniensi gratus admodum
fuit; quo etiam succurrente, vix tandem feria quinta ad colloquium suum admisit. Tum Apr.4.
vero intimavit, statuisse se terminum usque ad festivitatem sancti Iacobi apostoli[79], in quo
cum episcopo Tullensi[80] et cum Verdunensibus simulque Metensibus apud . . . . tracta- 80
turus esset causam eius. Iam enim praeterita hebdomada venerant ad eum nuncii[a] Me-
tensis ecclesiae, Arnulphus scilicet custos et traductor[b] eius primicerius, et chrisma ab eo
acceperant et inducias illas composuerant, et illo annuente tam ipsius quam domni apo-
stolici super vagantes episcopos[c] edictum infregerant. Eas tamen inducias protestatur
episcopus tum sibi tum Metensibus catholicis graves fore, quippe qui tanto iam tempore
episcopali caruerant consolatione. Tunc archiepiscopus inquit: Non quidem se illi prae-
cipere, sed consilium dare, ut toto praefixi temporis intervallo ab episcopali se contineat
officio. Cui quaeso hunc dixerim comparari, qui tantum Domini sacerdotem ab immolando
prohibuit salutari? Longe dissimili intentione vel studio Petrus apostolus ab immolatione
corporis sui Dominum revocavit[d]; quoniam hic magistro per mortem crucis, illi vero sibi-
met ipsi per introitum catholici sacerdotis non nihil honoris et gloriae decedere formidarunt.
Petrus inquam magistrum noluit mori, in quo salutis suae summa constabat; archiepisco-
pus vero episcopum illum[81] abdicare timuit, qui se olim tamquam metropolitanum sufraga- 81
neus consecrarat. At vero episcopus sanctus, sciens, obedientiam meliorem esse quam
victimam, obedivit; abstinuitque, quousque archiepiscopus Coloniensis, Brunone iam Tre-
verim revertente, missis post eum litteris Theogero etiam ignoranti missarum sollempnia
celebrandi licentiam impetravit. In eius contubernio diebus plurimis commoratus, rogatu
ipsius plurimum populum in civitate sacro chrismate linivit et quasdam ecclesias dedicavit.

30. Verum beati Iohannis baptistae natalitio iam instante, Coloniensis antistes ad cu- Iun.24.
riam in insula Rheni constitutam[82] iuxta edictum imperatoris navigio tetendit, ducens se- 82
cum venerabilem hunc Dei sacerdotem. Ubi praefatus Trevirorum archiepiscopus cum eo
in gratiam rediit, et quia causam eius quantocius[e] . . . .
. . . .

[f]Interea Calixtus papa II, qui Gelasio successerat, venit in Galliam, habens in comitatu suo me-
moratum Praenestinum episcopum et alios cardinales multos. Qui convocatis Galliae episcopis in
civitate Rhemorum celebravit concilium, in quo sancti praesulis Theogeri electionem et ordinationem Oct.
cunctis assistentibus denuo confirmavit, ipsum Dei virum, quia concilio praesens interfuit, ut se murum
pro domo Dei opponere non cessaret, multimoda consolatione roboravit. Concilio Rhemensi tandem
soluto, Romanus pontifex Calixtus, secum ducens beatum Theogerum episcopum, Autisiodorensem urbem Dec.
petiit, et ibi nativitatem Domini cum suis cardinalibus celebravit[83]. Ab Autisiodoro papa Calixtus ad 83
Cluniacense divertit coenobium, secum ducens Theogerum venerabilem episcopum, quem Pontius abbas[84]
summae cum exultationis gaudio suscipiens, omne quod potuit humanitatis officium per se et suos ut
vero Dei famulo exhibuit. Calixto papa cum suis a Cluniaco discedente, sanctus praesul Theogerus in 1120. Ian.
eodem loco pauper et exul, Pontio abbate petente, remansit quatuor mensibus, tempus omne in con-
templatione divinorum et oratione consumens. Quarto iam mense ibidem exacto sanctum senem febris
mortalis invasit, qua nimium invalescente, homo Dei laetus mortem exspectans, praemunitusque do-
minicis sacramentis iuxta sanctae consuetudinem ecclesiae tertio Kalendarum Maii, hoc est penultima Apr 29.
die mensis Aprilis, ad dominum Iesum Christum, quem toto corde amaverat, transivit anno pontificatus
sui tertio non completo, anno videlicet dominicae nativitatis 1119, indictione Romana 12[85]. Sepultus 85
est in ecclesia sancti Petri Cluniacensis monasterii ad plagam septentrionalem iuxta parietem templi.
Ad cuius sepulchrum multa deinceps sunt caelitus visa miracula, de quibus scribere istic nihil propositum.

a) inimici 1. b) coadiutor *Brial.* c) vagantis episcopi 1. d) *sic corr. Brial;* evocavit 1. e) *reliqua defuerunt in codice.* f) *quae sequuntur, sunt Trithemii annalibus l. l. desumpta.*

79) Iul. 25. 80) Riquino, 1108—1126. 81) Albertum. 82) Cf. Annal. Hild. 1119, SS. III, 114, et Annal. Disibod. 1119. 83) Non Altissiodori, sed Augustoduni die 25. Dec. 1119 versatus Calixtus est; vid. Reg. pont. Rom. p. 532. 84) Cluniacensis, 1109—1125. 85) immo a. 1120 ind. 13. Annum indicant Annales Disibodenb. 1120 apud Böhmer Font. III, 205, diem kalendar. Gladbac. ibid. p. 359 et necrolog. Zwifalt. ap. Hess Mon. Guelf. p. 241.

VITA ERMINOLDI
ABBATIS PRUVENINGENSIS.

EDIDIT PHILIPPUS JAFFÉ M. D.

Memoriam cultumque sancti Erminoldi, primi abbatis Pruveningensis[1], *renovaturus, Ulricus abbas sextus decimus*[2] *anno* 1281 *negotium dedit coenobii sui monacho*[3], *ut de vita sancti exponeret*[4]. *Qui quidem asseverat, „se nichil circa rem gestam addidisse vel mutasse, nichil de proprio confinxisse, set ut fidelis ad se usque traduxisset antiquitas, sententiae veritate servata, stilum aliquanto temptavisse facere comptiorem*[5]; *seque id quod de vita tanti pastoris licet rudi eloquio, vero tamen, scriptum invenisset, calamo tradidisse ornatiori“*[6]. *Sed vix ambiguum habemus, antiquiorem pretiosioremve Erminoldi vitam in manibus ei fuisse nullam. Ea enim in libello nobis errata de ipso Erminoldo obiiciuntur*[7], *quae committi a scriptore sancti viri aequali vel eius aetati suppari nequierunt. Nec dubitamus, quin praeter narrationes sermone traditas*[8] *disiectis tantum usus sit relationibus scriptis, quemadmodum leguntur partim in codice traditionum Priflingensium*[9], *partim*[10] *in vita sancti Ottonis episcopi Bambergensis, eaque ut videtur in ipso monasterio Pruveningensi interpolata*[11]. *Erminoldi vitae subiecta ab eodem certe auctore est „pagella, omnibus accessuris basilicam coenobii Pruveningensis adhibenda“, qua res gestae sancti breviter summatimque traduntur.*

Editionem nostram instituimus, his usi codicibus:

1) **Pruveningensi** *membr. saec. XIII, qui saeculo XV translatus in bibliothecam Ratisponensem*[12], *inde ab anno* 1812 *Monachii servatur (Clm.* 13029, *Rat. civ.* 29). *Hunc maxime secuti sumus antiquissimum ac praestantissimum codicem, quem pariter atque eum, qui proxime memorabitur, humanissime excuti in usum nostrum iussit H. C. Föringer V. Cl.*

2) **Ratisponensi** 101, *nunc Monacensi Lat.* 13101, *membr. in* 4⁰ *saec. XIII; quo fragmentum tantum quidem capitis secundi continetur, cuius lectiones tamen quaedam singulariae consonant textui superioris codicis.*

1) ab 1114 ad 1121. 2) ab 1281 ad 1306. 3) Vid. cap. 1: »Erminoldi — qui gregis nostri tamquam aries;« c. 6: »Porro propter nos — qui praesentem locum incolimus« cet. 4) Vid. cap. 1 et 19. 5) cap. 1. 6) cap. 19. 7) quae quidem in annotationibus indicavimus. 8) cap. 9: »Proinde fide dignissimi seniores, qui vitam ipsius agnoverant, constantissime testabantur«. Cap. 13: »viam ostendendae sanctitatis ipsius duximus demonstrandam — compertam crebra relatione fide dignissimi senioris« cet. 9) Mon. Boic. XIII. 10) Cf. cap. 7. 11) Vid. vitas sancti Ottonis, quas Köpkius edet infra. 12) Descripsit eum Gemeiner in libro: Kurze Beschreibung der Handschriften in der Stadtbibliothek der K. freien Reichsstadt Regensburg. Ingolstadt 1791, Heft I, p. 22.

3) *Altahensis inferioris monasterii codice membr. in fol. saec. XIV, hodie Lipsiensi, Rep. II,* 59*a, de quo egit Naumann in Catalogo librorum manuscr. bibl. senat. civit. Lips. p.* 62. *Is vitam Erminoldi, rubricis instructam, habet usque ad initum caput* 25. *Deest autem et huic et sequenti exemplo totum cap.* 19, *idque proprium utriusque est, quod librarii Altahenses sanctis Alemanniae in cap.* 2 *enumeratis haec verba adiecerunt: „Altah ac Hyldenshaim Godehardo illustratur."*

4) *Editione, quam primam publicavit Canisius Ant. lect. II,* 508—564 *„e ms. codice monasterii in inferiori Altaha" et eo quidem, quam praecedens codex, corruptiore. Quod Canisianum exemplum repetitum est tum a Basnagio IV,* 93—112, *tum in Act. SS. Ian. I,* 335 *a Bollandio, qui libelli formam et digestionem nonnihil mutavit. Neque ita a Bollandiana editione discessit Veremundus Gufl in Vitis divorum Priflingensium Ratisbonae* 1755 *et* 1757, *quamvis sese „manuscripto bibliothecae Prufeningensis" usum esse simulet.*

Berolini Non. Iun. 1855.

LIBER PRIMUS[a].

1. Novissime diebus istis, in quibus proch dolor! iuxta psalmiste querelam defecit *Psal. 11, 2.* sanctus et diminute sunt a filiis hominum veritates, bonorum antecedentium sanctitatem et scripto recolere et memorie tradere posterorum[b], tam rationis instinctu monemur quam ipsa utilitate allicimur et profectu. Denique sanctus sanctorum, a quo sanctitas omnis tamquam a fonte primario scaturigine multiformi promanat[c] in sanctos, in rivulorum limpida puritate dum noscitur et laudatur, sui sitim in eis excitat salutarem, qui ab eo dulcedinem derivatam in suorum mirifica suavitate legendo presentiunt et pregustant. Accedit ad hoc, quod nos, qui futuram inquirimus civitatem, manentem in hoc seculo non habentes, *Hebr. 13, 14.* dum in huius vite ac vie procinctu eorum calles aspicimus, qui, tam adversantis mundi sinistram quam blandientis dexteram contempnendo, viam regiam incedentem[d] in medio[e] servaverunt, ipsi quoque rectorum recta sectando vestigia non abducimur ad intorta compita deviantium plurimorum, que[f] se sequentes illaqueant et illaqueatos inmergunt doloribus sempiternis. Postremo illud quoque sanctorum bona commemorando consequimur et scribendo, quod illorum eo ipso meremur auxiliis adiuvari, quo eorum virtutibus congaudemus et glorie. Dumque alios hec legentes ad studium boni bonorum accendimus et monemus exemplis, ipsorum nobis, quos provocavimus, intercessio consequenter[g] et a Domino nichilominus[h] certa remuneratio comparatur. Ista considerando ad beatissimi Erminoldi, Pruveningensis[i] ecclesie primi abbatis, gesta magnifica describenda cursum stili dirigimus, qui, gregis nostri tamquam aries quidam insignis et predux et fidelissimus prothopastor[k], ad caulas summi pastoris ethereas nos precessit. Nec tam arduum opus aggredimur, in nostris que nulle sunt viribus confidentes, set in eo, sine quo nec incipi potest bonum aliquod nec compleri. Animat nos preterea et id temptandi prestat audaciam ipse inchoationis huius instinctor precipuus et iniunctor, venerabilis scilicet pater, domnus Ulricus, sextus decimus abbas Pruveningensis ecclesiae, qui, antecessoris tanti virtutibus coexultans ac per hoc nequaquam carens ipse virtutibus, anno incarnationis dominice 1281 *1281.* primo autem[l] sui regiminis, onus hoc Atlantheum[m] nobis tamquam pigmeis imposuit, uno eodemque precepto suo ac iussu auctoritatis sue scutum opponens lingue calumpnianti, que nos presumptionis forsan argueret, et insufficientie nostre desperationis obicem auferens et ausum conferens ad iniuncta. Scriptum autem esse scientes: *Numquid Deus indiget* *Iob 13, 7.* *vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?* optantes nos ad exprimenda vera sufficere, nichil circa rem gestam addere vel mutare conabimur, nichil de proprio confingemus, set ut fidelis ad nos usque traduxit antiquitas, sententie[n] veritate servata, stilum aliquanto

a) LIBER PRIMUS *addidi. Capitum divisionem institui, codicem* 1 *maxime secutus. In* 1 *non legitur ea, quam addunt* 1 *et* 4, *rubrica:* Incipit prologus in vitam sancti Erminoldi primi abbatis in Pruefninge, rethorico stilo conscriptam. b) posterum 4. c) permanat 4. d) incedentes 3. 4. e) in medio *desunt* 3. 4. f) qui 4. g) consequitur 4. h) in quo laboramus 4. i) Priveningensis 4. k) protopastor 4. l) anno 3. 4. m) Atlanticum 4. n) sive 4.

temptabimus facere comptiorem, ne rei utilitas, tamquam Falerni nobilitas ac dulcedo, ob ruditatem incultioris eloquii, tamquam ob vasculi cariem, contempnatur; sepius etenim crater tornatilis et elegans potum bonum et bibilem meliorat, deformis vero cathinus[a] infusi etiam[b] nectaris minuit suavitatem.

Psal. 18, 5. 2. Igitur[c] cum apostolice predicationis in omnem terram sonus exisset, et in[d] fines orbis terre verba eorum, granorum more dispersa per campos mundi[e] latissimos et patentes in fructus proficerent copiosos, et ex omni natione que[f] sub celo est celi horrea messe fidelium replerentur, Alemanie[g] quoque[h] deserta in ubertatem versa, virorum illustrium[i] plures dignos agricole Christo manipulos protulerunt. Ex quibus Augusta quidem 4 rutilat Udalrico[1], Chunrado[k] Constantia[2] sufflorescit, alio Udalrico[3] Brischaugia[l. 4] venustatur, gloriatur Heinrico et Chunegunda[m] sua Babenberg[n] et Ottone[o]. Alia quoque Germanie loca quam plurima pluribus aliis tantis et tot exultant, quod — ut de hiis taceatur, quos vel hominum[p] segnis ignavia vel incuria successorum seu etiam diutini temporis intercursus memorie humane subtraxit, quos tamen indelebiliter continet vite liber, melius ac felicius semper in Dei presentia quam in nostra memoria brevi ac momentanea constitutos — si vel[q] horum omnium mentionem vellemus facere nominatim, quorum[r] nomina et virtutes vivacis scripture tenacitas adhuc quasi cuiusdam indicis ostensione presentat, numerositate sola vocabulorum capacissimi certe codices tenderentur[s]. Hec idcirco diximus[t], ut in gaudio recordemur, quoniam terra nostra per infidelitatem quondam sterilis peperit plurimos vere ac veraciter Samueles; qui licet in suo quisque loco divisi, in uno tamen spiritu, prout vult singulis dividente, soli Domino laudabiliter ut quondam ille Samuel servierunt in sanctitate et iustitia coram illo. Inter quos Deus omnipotens similem illum fecit in gloria sanctorum, de quo scripturi sumus, beatissimum scilicet Erminoldum, Pruveningensem primum abbatem, speculum sui temporis et exemplar et posterorum lumen et iubar illustre. Et tu ergo ecclesia Pruveningensis nequaquam minima es in principibus[u] monasteriis Alemanie; ex te enim exiit, non quidem carnis exortu set spiritus transitu ex hoc mundo ad patrem, venerabilis ille[v] dux, qui de vite secularis Egypto eductam, vice[w] pariter et virtute Moysaica, Pharaone id est principe mundi relicto, ad terram vere promissionis ut alter Iosue te precessit, Seon regem Amorreorum et Og regem Basan et omnia regna Chanaan, per que multiformis informitas intelligitur vitiorum, strennuo[x] ante congressu triumphans. Ad cuius actus illustres[y] tandem calamus se convertat, quem Spiritus sanctus et temperare et irrigare dignetur, qui eius, quem descripturus est, tamquam venerabilis templi sui, consecrator pariter extitit et possessor.

3. Beatus[z] igitur Erminoldus de gente Suevorum genitoribus[*] quidem exortus est modo seculi[a] satis claris. Qui, concesso sibi pignere[b] tali divinitus, Dei gratie non ingrati, filium suum in Hyrsaugiensi cenobio divinis curaverunt obsequiis mancipare, Anne illius utique spiritu non carentes, ut sicut alter Samuel a iuventute sua et usque in senectam et senium coram Domino ministrare consuesceret in eodem. In quo videlicet studio pietatis desiderium eorum attulit eis Dominus, nec sunt fraudati a desiderio suo, dum quod omni- Cf. Sap. 8, 19. modis[c] optaverunt completum sibique concessum in filio letabantur. Denique puer erat ingeniosus[d] et sortitus[e] animam bonam et ingenii quidem capacitate scientiam prepollentem, ac anime bonitate virtutes eximias apprehendit, bonitatem et disciplinam et scientiam doctus a spiritu, a quo profecto ductus est in desertum vite claustralis. Ubi licet a dyabolo[f] temptaretur, membrum tamen insigne capiti Christo coherens et capitis armatura triumphans, exivit vincens ut vinceret et victor coronam perciperet repromissam. Beati ergo[g] regulam Benedicti benedictus ipse a Domino tamquam regium[h] tramitem apprehendens, iter vite sue secundum illius statutum ita direxit, ut abbas ex monacho, magister fieri ex

a) calinus 3. 4. b) et 4. c) Incipit vita *rubricam add.* 3. 4. *Hic incipit* 2. d) et in fi *desecta sunt* 2. e) mundi *desectum* 2. f) que *desectum* 2. g) Alemannie 3. Alimaniae 4. h) quoque *desectum* 2. i) insignium 2. k) Chunrrado 2. l) Briscaugia 2. Hirsaugia 3. 4. m) Kuonegunda 2. n) Babenberch 3. 4. o) Altah ac Hyldenshaim Godehardo illustratur *addunt* 3. 4. p) hominis 3. 4. q) liceret 4. r) et *addit* 2. s) conderentur 4. t) diximus 4. u) praecipuis 3. 4. v) *hic desinit* 2. w) eductus vita 4. x) strenuo 4. y) cuius illustria 4. z) De origine sancti Erminoldi *rubricam add.* 3. 4. *) progenitoribus 3. 4. a) saeculari 4. b) pignore 4. c) omnibus 1. d) ingenuosus 4. e) est *add.* 3. 4. f) diabolo 4. g) igitur 4. h) regni 4.

1) Vid. Vit. sancti Oudalrici ep. August. SS. IV, 377 sq. 2) Vid. Vit. Chounradi ep. Const. ibid. 430 sq. 3) priore Cellensi, cuius vitae leguntur supra 251 sq. 4) Brisgowia, *der Breisgau.*

discipulo mereretur. Siquidem beati Wilhelmi, tunc Hyrsaugiensis abbatis[5], vite modum
ac formam ita moribus suis impressit, ita perfectionis illius studuit imitari vestigia, ut iam
qualis pater talis filius appareret et magister in discipulo videretur, et nulla iam posset esse
dubietas, super hunc Helyseum spiritum Helye[a] requievisse. Idem vero venerabilis Wil-
helmus apud ecclesiam sancti martyris Emmerammi in urbe Ratispona sub sancto Ra-
muoldo[6], eiusdem monasterii tunc abbate, prior extiterat, indeque[b] non fama fallaci so- 6
lummodo set veraci preconio meritorum longe lateque clarescens, ad Hyrsaugiensem est 1069.
electus ecclesiam, in qua beatus ut dictum est Erminoldus sub eodem spiritalis militie
tyrocinia taliter exercebat[7], ut non longi temporis interfluxu signifer ex atletha[c], ex satellite
campiductor et ex milite primicerius crearetur.

4. Denique[d] sanctitatis illius tam sonora vox in Rama audita est circumquaque, ut Cf. Matth. 2, 18. 5, 18
lucernam sub modio seu vase subiectionis ulterius tegi non sineret vel abscondi, sed super
candelabrum poni regiminis persuaderet. Unde factum est, ut tam fratrum electione com-
muni, quam Heinrici imperatoris eiusdem nominis quinti consensu atque favore, ad Lorsa-
censis ecclesiae regimen vocaretur[8], que regalis est abbatia, illisque diebus et in copia 1106.
rerum temporaliter habundabat[e] et in prerogativis plurimis dignitatum. Hic itaque fidelis
iste[f] servus et prudens super familiam Domini constitutus, subiectis[g] non tam preesse
studuit quam prodesse, nichil subditis faciendum iniungens, quod ipse exempli causa non
primitus pretulisset[h]. Etenim iugum ab adolescentia sua portaverat, et ipse maiorum fe-
rendo mandata, imponenda minoribus predidicerat temperare; Phariseorum scribarumque
nota prorsus inmunis, qui alligant onera importabilia et ea humeris hominum iuxta sen-
tentiam Salvatoris imponunt, ipsi ea digito non moventes. Non sic iste, non sic, sed instar Matth. 23, 4
boni pastoris forma factus gregis ex animo, creditas sibi vero pavit oviculas, pavit exemplo
sanctorum, pavit[i] subsidio temporali. Propter quod grex, qui datus est sibi pecus inclitum
suum, nec imminutus est numero sed adauctus, nec defecerunt sub eius cura subsidia tem-
poralia subditis sed creverunt. Etenim cum[k] in diebus sui regiminis et numero subditi sui
et merito pariter augerentur, nec de multitudine subiectorum nec de temporalium affluentia
nec de culmine[l] dignitatis intumuit, set magis in sanctitate atque profectu discipulorum
quam in excellentia prelaturae vel magisterii letabatur, quod perpendi faciliter poterit per
subiecta.

5. Fratrem[m] namque carnalem vir Dei habebat, preter tytulum sanguinis generosi
satis superque etiam[n] in divitiis habundantem[o]. Quadam[p] vero die cum venissent viri im-
peratoris, ut assisterent coram illo, affuit inter eos et ille viri sancti germanus. Cui ridens
augustus, animo forte iocandi: *Causa*, inquit, *tue dilectionis fratrem tuum regali prefecimus
abbatie, facientes sibi nomen grande iuxta nomen magnorum qui celebrantur in terra, ut
sedeat cum principibus et solium glorie teneat inter illos. In quo igitur maiestatis nostre mu-
nificentie respondebis?* Et ille: *Vera*, inquit, *esse per[q] omnia recognosco, que proponit vestra
serenitas, arbitrorque dignissimum, ut vestre non ingratus inveniar pietati.* Dictum duxit in
actum, nec multo post decentibus satis imperatorem muneribus honoravit, famulo Domini
Erminoldo tam dicta imperatoris quam facta germani penitus ignorante. Ceterum mox ubi
ad eum res gesta devenit, licet horum omnium nec conscius extitisset, Lorsacensem re- 1107.
signavit abbatiam[r, 9], tam cure se subtrahens pastorali quam vel note levissime symoniace 9

a) etiam *addunt* 3. 4. b) indeque *deest* 4. c) athleta 4. d) Quomodo sanctus Erminoldus prelatus est monasterio Lorsacensi in abbatem *rubricam add.* 3. 4. e) temporalium abundabat 4. f) iste *deletum in* 3. *deest* 4. g) tamen *addit* 4. h) pertulisset 4. i) desiderio et *addit* 4. k) tum 4. l) de deculmine 3. m) Quod resignavit prelaturam *rubricam add.* 3. 4. n) et 4. o) abundantem 4. p) Quodam 4. q) per *deest* 4. r) protinus *add.* 3. 4.

5) 1069–1091. 6) Falso. Nam annis 26 post Ramualdi mortem (is obiit a. 1000; vid. Annal. S. Emmerammi SS. I, 94) in vitam venit Wilhelmus; qui quidem esse a. 1091 desiit, quum teste Trithemio in Ann. Hirs. 1091 vixisset annos 65. Cf. Vit. Willihelmi supra p. 211. 7) Cf. Vit. Theogeri L. I, c. 8 supra p. 451, et Cod. trad. Prifling. in Mon. Boic. XIII, 4. 8) Ab Heinrico V. et abbatiam Laureshamensem (in dioec. Mogunt.) et episcopatum Spirensem d. 1. Nov. 1105 accepit Gebehardus, abbas Hirsaugiensis (vid. Annal. Hild. 1105 et Cod. Hirsaug. p. 7 et 8), qui Laureshamensibus partem Hirsaugiensium monachorum addidit, »magistrumque« imposuit Erminoldum. Vid. Cod. Laresham. I, 223–230. 9) At in Cod. Laresham. l. l. legimus, post Gebehardi episcopi Spirensis obitum (1. Mart. 1107, vid. Cod. Hirsaug. l. l.) Erminoldum ceterosque Hirsaugienses expulsos e monasterio Laureshamensi esse, ubi et asperitate morum et actorum protervitate in tantum odium incurrerant, ut tum apud imperatorem tum apud Paschalem II. papam arcesserentur.

1107. pravitatis. Advertendum est igitur, quam execrabile duxisset hic sanctus per tale se vitium maculasse, cuius[a] vel opinionem tanto opere declinabat, ut etiam[b] prelaturam retinere detestaretur, pro qua nichil umquam datum vel[c] prebitum esset adipiscenda, set pro iam adepta et de post facto frater suus imperatori grates per munera retulisset.

6. Relicto[d] igitur regimine Lorsacensi, tamquam bone opinionis ac fame diluvio ad arcam requiei sue, id est ad Hyrsaugiensem ecclesiam et ad suum Noe, beatum videlicet
10 Wilhelmum[10], tamquam emissa columba revertitur non sine ramo tamen, virentibus foliis venustato. Nam secuti sunt eum discipuli eius non minus quam quadraginta, quos aput Lorsacum sub spacio unius anni quo inibi prefuit[11] Deo collegerat, ut quam fructuosus in vera vite palmes hic esset, ipsa ubertate geniminis monstraretur. Denique in baculo suo,
cf. Genes. 32, 10 cure videlicet pastoralis, solus transierat ad Lorsacense cenobium, et nunc cum turmis discipulorum revertebatur Hyrsaugiam; quorum collectio, tamquam ramusculus de hac sancta radice consurgens, paterne virtutis gratia virescebat. Hii ergo ab eo separari non
Ioh 6, 69. sustinentes, sicut ovicule, dicentes non quidem verbo[e] set facto: *Verba vite eterne habes, ad quem ibimus?* pastorem suum usque Hyrsaugiam sequebantur. Ubi etiam[f] tamquam angelus Domini cum honore susceptus benignissime pertractatur, quippe cuius ibi sanctitatis preconia non latebant. Porro propter nos homines et propter nostram salutem, qui presentem locum incolimus, a Domino factum est istud, ut occasione quacumque hec[g] oliva fructifera et vere vitis habundans illic evelleretur et transplantaretur in hac vinea domini
1109. Sabaoth, quam dextera Domini per sanctum Ottonem, Babenbergensem[h] episcopum, tunc fundaverat[12] et compleverat, ut hec novella recensque plantatio de mundi Egipto translata mitteret altius sub tam industrio vinitore radices, dum quod sanctus Otto plantaverat hic rigaret utriuslibet meritis et obtentu, Domino dante desuper incrementum. Deo igitur nobis melius aliquid providente, quam humana sollertia prevaleret, actum esse non ambigamus, quod columbinam hanc animam et venalitatis ut dictum est symoniace putre contagium sic horrentem archa Hyrsaugie a prima missione recepit, ut occasione[i] hac secundario mitteretur, unde non esset ulterius reversura. Ipso siquidem tempore Deo dignus antistes Otto, episcopus Babenbergensis, monasterium sicut diximus Pruveningense fundaverat, cuius quidem possessionem ac fundum intercedente coemptione legitima[k] iustisque concambiis[13] nostro dominio comparavit, cum antea iuris alterius extitisset. Ceterum non humana voluntate allata est eadem fundandi voluntas, verum revelatione sibi facta divinitus evidenti, cuius, oportuna occasione accepta, hic modum ac seriem inseremus.

11 7. Heinricus[l] etenim[14], quintus eiusdem nominis imperator, Ratispone curiam sollempnem indixerat regni principibus universis, et misit scriptum suum hora curie memorate, convocatis dicere ut venirent. Itaque cum turba plurima conveniret et de civitatibus properarent ad curiam augustalem, affuit et venerabilis Otto Babenbergensis antistes, velut alter David[m] fidelis in omnibus, egrediens et regrediens et pergens ad imperium dicti regis. Verum Ratispone non habens, ubi caput suum reclinare valeret ad commodum, quoniam Domino disponente civitas ipsa repleta erat hominibus, quasi bruco domibus omnibus occupatis, memorabilis pontifex turbulentiam turbe tumultuose devitans, urbe relicta sibi ac suis elegit campi planiciem, quem nunc muri loci huius includunt. Hic igitur inter duas arbores nucum, que tunc órnaverunt faciem campi eiusdem, tentorium sancti presulis figebatur. De quibus nimirum arboribus etiam[a] longe ante, quam id quod nunc dicendum est eveniret, tinnitus est strepitus campanarum visus est multociens sonuisse, quem in vicinia demorantes non sine stupore frequentius audierunt, qui, ut re ipsa iam declaratur, futuram quandoque ibi cultus divini frequentiam utique portendebat. Quo in loco, cum dies abscesserat noctemque sol reduxerat iam occumbens, recumbens ibi vir Dei sompnum oculis suis dedit, dormitationem etiam[n] palpebris tempori congruentem. Et ecce, qui locutus est in visione sanctis suis antiquitus, ut iuvenes quoque nostri visiones videre per illum et senes nostri

a) cuius—declinabat *desunt* 4. b) et 4. c) licet 4. d) Quod rediit ad ecclesiam Hirsaugiensem *rubricam add.* 3. 4. e) verbis 4. f) et 4. g) vel 3. *deest* 4. h) Bambergensem 4. i) occassione 3. k) legutima 3. l) De fundatione ecclesie in Pruefninge *rubricam add.* 3. 4. Henricus 4. m) dictus 4. n) et 4.

10) immo ad Brunonem, qui monasterio Hirsaugiensi praefuit ab a. 1105 ad a. 1120. 11) ab 1106 ad 1107. 12) a. 1109; v. Cod. trad. Prifl. l. l. et Hugonis Ratispon. chron. 1109 ap. Böhmer Font. III, 489. 13) V. Cod. trad. Prifl. l. l. p. 2. 14) Haud parva est huic capiti similitudo cum narratione, quae in Vita Ottonis reperitur apud Canisium Ant. lect. II, 345; cf. infra.

sompnia sompniare demonstrarentur, novo Iacob patriarche suo, insigni videlicet Ottoni, 1109. ut merito Ysrael nomen acciperet, ad ymaginem et similitudinem sompnii prisci Iacob conforme omnino sompnium revelavit. Vidit etenim a lecto suo porrectam scalam celosque summitate tangentem, in qua etiam angeli ascensus suos atque descensus amicis vicibus alternabant. Quo profecto dabatur intelligi, non defuturos hoc in loco quam plures, qui ad proximum sublevandum cum Martha pia compassione descenderent et ascenderent cum Maria celsitudinem Domini contemplando. Vir itaque sanctus evigilans et prudenter intelligens, que videre meruerat, nichil eorum obmisit spiritaliter in fundatione consummatione ac[a] consecratione complere cenobii, que prior ille Iacob in visionis sue loco peregit, domum hic[b] Dei veraciter et portam celi quam plurimis construendo.

8. Monasterio[c] igitur hic fundato et consummato secundum Dei quam intellexerat voluntatem, virum vir sanctus ydoneum estuanti animo requirebat, qui Christi familie colligende in domo, quam sibi construxit, in tempore suo posset tritici dare mensuram, quique, ut rei eventus visioni congrueret, per scalam religionis hic ascensuros quindecim graduum verbo et exemplo posset docere mysteria, quoque[d] previo ascensiones in corde suo disponere[e] discerent pedetemptim in valle lacrimarum, in[f] loco, quem posuit ipse fun- Ps. 83, 6. 7. 8. dator, donec, dante benedictionem summo legislatore, euntes de virtute in[g] virtutem Deum Deorum in Syon videre perpetuo mererentur. Cum igitur quereretur inter dispensatores ut fidelis quis inveniretur, non est inventus similis illi, de quo nunc agitur, beato videlicet 1 Cor. 4, 2 Erminoldo, quem Dominus lucernam Christo suo paraverat, ut ardens et lucens huius cenobii ruditatem noviciam, et ob hoc cecucientem adhuc intellectu et affectu torpentem, et sanctitate conversationis accenderet et exempli et eruditionis atque doctrine splendoribus illustraret. Huius itaque famam beatus Otto comperiens, missis ad eum abbatemque[h] suum[15] epistolis, ab utrolibet impetravit, ut recens incultumque novale colendum assume- 15 ret, et iam preexercitus agricola manum ad aratrum mitteret sulcatricem, Pruveningensisque[i] cenobii terram patrio visitaret adventu et inebriaret sacre institutionis irriguo locupletaretque multiplici germine meritorum.

9. Missus[k] igitur de Hyrsaugia primus abbas ad nutum Domini, nostrum dictantis ho- 1114. Aug. norem, ecclesie nostre preficitur[16], benedixitque nobis Dominus ad introitum eius, in cuius utique nomine benedictus advenit non sine discipulorum atque confratrum honorabili comitatu. Denique in suscepti regiminis culmen ascendens speculatorem se domui[l] Ysrael meminit constitutum, ita pro animabus commissorum sibi pervigilans, tamquam redditurus pro eis Domino rationem et iuxta dictum beati Iob vere gallus habens intelligentiam subdi- Iob 38, 36. tos excitaturus ad bona, semet ipsum aliis[m] exercitii spiritalis[n] primitus excitavit; cavens utique reprobus inveniri vel sompnolentus, dum vigilandum aliis predicaret. Sane familiarissimum semper habebat instare vigiliis, orationibus et ieiuniis insudare, verbum Domini predicare, frequentius regnum Dei et iustitiam eius inquirere, anhelanter fugere gloriam temporalem, querere sempiternam. Proinde fide dignissimi seniores, qui vitam ipsius agnoverant, constantissime testabantur, nullam sibi septiformis spiritus gratiam defuisse, quod a considerantibus conversationem illius actusque magnificos faciliter poterat deprehendi. Nam quantum sibi omnis gloria mundi viluerit quantumque sibi mundus fuerit crucifixus et Gal. 6, 14 ipse mundo, si nullo virtutum eius indicio alio monstraretur, eo vel[o] solo diligentius advertenti patesceret, quod ad mentis eius constantiam declarandam, quam adversus tam seculi blandicias quam terrores habebat, hoc loco duximus subscribendum.

10. Heinricus[p] aliquando imperator cum propter excessus suos papalis excommunica- 1118. tionis sententiam incidisset[17], et tamen a religiosis ac magnis etiam prelatis ecclesie impe- 17 ratorie dignitatis intuitu honor sibi ac solita reverentia deferretur, ob fundatoris nostri prememorati, quem non modice diligebat, honorem pariter et amorem cum ipso fundatore, grandem sibi demonstraturus affectum, ad novellam eius ecclesiam visitandam cum nobilium et magnorum pompa multiplici, sicut mos est regius, adventabat. Iamque beatus

a) a 1. b) hinc 1. c) Quod S. Erminoldus factus est primus abbas in Prufuinge *rubricam add.* 3. 4. d) quique 3. 4. e) disponente 3. 4. f) in *deest* 4. g) ad 4. h) et abbatem 4. i) Prufingensis 4. k) Quam sancte vixerit in abbatia *rubr. add.* 3. 4. l) domini 4. m) ala 3. 4. n) spiritualis 4. o) vel *deest* 3. 4. p) Qualiter se opposuit Heinrico imperatori beatus Erminoldus *rubr. add.* 3. 4.

15) Brunonem, cf. Cod. trad. Prifl. p. 3. 16) Erminoldum m. Aug. 1114 electum abbatem Pruveningensem esse, docet Cod. trad. Prifl. l. l. 17) d. 7. Apr. 1118, v. Reg. pont. Rom. p. 523.

Erminoldus, pater videlicet monasterii, tam propter imperatorie celsitudinis claritatem quam propter concomitantis cum eo et invitantis reverentiam fundatoris, cum compulsationibus campanarum fratrumque processione canora et reliquiarum ac vexillorum multiplici apparatu longe insuper extra septa cenobii excepturus cesarem credebatur; set servus Dei Isai 55,8. talium se favori dissimilem demonstrabat. Non enim cogitationes sue cogitationes eorum, Ezech 13, 18. 10. neque vie sue vie illorum, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus et peccati[a] parie- Math 11,8. tem liniunt adulando, et propter hoc in regum domibus mollibus vestiuntur. Ceterum iste non ut harundo, hinc terroris inde[b] favoris vento quolibet agitata, sed ut columpna inmobilis, nec metu impellebatur nec inclinabatur gratia qualicumque, ut ei vel occursu sollempni vel blandicie salutationis applauderet, quem per sententiam apostolicam communione novit ecclesiastica tunc privatum. Proinde cum adventum imperatoris per prenuncios comperisset, omnia monasterii hostia obserari precepit, ne vel augusto eiusve comitibus ulla introeundi via pateret, firmiter prohibens et districte, ne quis egrederetur ad salutationem sibi[c] vel[d] exceptionis aliquam reverentiam exhibendam. Ipse vero imperatore adveniente, ad eum ante claustri septa procedens, ne vel ex fastu aliquo vel contemptu hec agere crederetur, eo insalutato: *Libenter*, inquit, *et officio salutandi et exceptionis congrua reverentia honorem tibi impenderem regium*[e], *imperator, si te communione privatum apostolice sedis auctoritate nescirem.* At[f] imperator ratus, eum hec non iustitie zelo set ex cordis odio vel rancore proferre, tamquam offensum pro eo, quod quondam ab eius fratre munera recepisset, propter que Lorsacensem resignaverat abbatiam: *Nimis*, ait, *inconsulte ac precipitanter honore vos tanto privastis.* Cui suspicioni Dei servus occurrens, columbina ut erat simplicitate respondit: *Novit Deus omnipotens corda scrutans et renes, non me huius, si dici posset, iniurie memorem vel ultorem, set me fecisse hec et dixisse iustitie defendende intuitu et pro papalis observatione mandati.* At venerabilis Otto episcopus medium se utrilibet interponens: *Neminem*, ait, *devitare*[g] *tenemur, de cuius nobis excommunicatione non constat.* Quo contra vir Dei, fortitudinis quo plenus erat spiritu roboratus, nec gratie fundatoris nec imperatorie deferens maiestati, quin veritatem libere testaretur: *Non possum*, inquit, *sententiam ignorare, quam ore meo memini promulgatam.*

Virg. Aen. II, 650 Talia perstabat memorans fixusque manebat,

a iustitie sue proposito non recedens. Quid queso in facto hoc sanctus iste minus fecisse Act. 5,29. videtur ab hiis, qui[h] sunt supra modum apostoli? quid ab hiis, qui *magis obediendum Deo quam hominibus* principibus sacerdotum in causa consimili[i] responderunt? quid apostolo Galat 2,11. Paulo, qui in casu ferme eodem ipsi se Cephe restitisse in faciem gloriatur? quid postremum[k] Ambrosio preinsigni, qui Theodosio[l] imperatori similiter ecclesie interdixit ingressum, donec pro commissis sceleribus penitentiam ab eo susciperet et compleret? Set enim si ad antiquiora recurrimus, numquid eum comparare non possumus Samueli, numquid non Nathan, numquid non Helyseo prophetisque quam plurimis, qui regibus temporis sui videlicet et[m] peccata sua coram inproperantes, vel ad penitentiam eos salutarem provocaverunt vel divinam eis interminati sunt terribiliter ultionem? Nimirum et imperator, in spiritu et virtute Helye ista fecisse beatum virum considerans, reverenter cum suis abscessit, non contempte maiestatis, ut suorum aliqui voluissent, ultus iniuriam, quod etiam[n] in summo pontifice ipsum iam fecisse viderant, set hominis Dei compertam deinceps semper amplius venerans sanctitatem, quam si canine adulationis cauda sibi cum ceteris allusisset; quod facile poterit per subscripta perpendi.

11. Denique[o] cum non multo post idem princeps transitum faceret ante cenobium cum multitudine militari, fratres ad opera manuum iuxta morem ortum[p] forte intraverant[q], quem vilis tunc sepes ambivit. Milites igitur, qui preibant et qui sequebantur imperatorem, cum fratres in orto viderent, arbitrati principem memorem sui contemptus, sibique placere volentes: *Ecce*, inquiunt, *cucullati, qui dominum nostrum temere despexerunt, nec imperialem sibi dignati sunt reverentiam exhibere, ipsum insuper suis foribus presumpserunt excludere cum contemptu. Dent ergo penas obprobrii et protervie quas merentur, luant ausus enormes, non ferant impune sprevisse cesareum dyadema.* Et milites quidem hec dixerunt et invalescebant

a) precii 4. b) nec terroris nec 4. c) sive 4. d) vel *deest* 3. 4. e) regum 3. *deest* 4. f) Et 4. g) debemus et *addit* 4. h) qui — ab hiis *desunt* 4. i) simili 4. k) postremo 4. l) insigni *addit* 4. m) et *deest* 4. n) et 4. o) Quod imperator prohibuit milites suos, ne lederent fratres sancti Erminoldi *rubricam add.* 3. 4. p) hortum 4. q) intraverunt 4.

voces eorum, odioque pastoris dentes lupinos in eius oviculas acuebant. Iam iamque[a] insultum facturi in pusillum gregem Domini videbantur, set evenit aliter quam putabant. Nam exiit edictum a cesare non speratum, ne fratres videlicet illius omnino presumerent molestare, vel verbo turbare vel facto. Sane non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis milites imperator, contra quos incitaturus exercitum credebantur; hoc[b] significante Spiritu sancto et demonstrante, quod meritum beati Erminoldi absentes etiam[c] filios defensaret, quoniam[d] etsi corpore absens tamen spiritu presens erat. Numquid igitur non Dominus magnificavit eum in timore inimicorum et in verbis suis monstra placavit, cuius absen- Eccli 45, 2 tis[e] etiam merita ipse princeps intelligens, proprie despectionis oblitus ea coram militibus attollebat! *Nolite,* ait, *tangere fratres istos et in eis nolite ullatenus malignari; novi enim cuius abbas eorum dignitatis sit coram Deo, novi cuius sit sanctitatis, qui etsi michi non detulit zelo iustitie, plurimum tamen eius confido me sanctis orationibus adiuvandum.* Nimirum prudens augustus prudenter adverterat, honorem imperialem sibi non tumoris alicuius fastu a sancto viro fuisse negatum, set magis in eo humilitatem obedientie mirabatur, qua maluit apostolico subditus inveniri precepto, quam cesareum adulando venari favorem. Denique ut appareat, quam[f] non ex tipo[g] superbie, set ex zelo iustitie principem Romanorum monasterii septis excluserit[h], nunc qua humilitate et benivolentia inferiores multo personas non solum exceperit, set insuper invitaverit[i] sibi licet et suis adversantes, duximus adnectendum; ut advertatur, quod altissimum mundi caput, quod honorandi etiam monasterii venit intuitu, non despexit ut vultuosus aut contumax, qui fratres mundo despectos, qui se suosque insuper molestare consuerant, ad refectionis solatium invitavit submissus et supplex. Quod in hiis, que subicimus, apparebit.

12. Etenim[k] fratres sancti Emmerammi nos aliquamdiu in principio crebris inimicitiis et insidiis fatigabant, inpedimenta profectui nostro que poterant obtendentes. Cumque de die in diem eorum contra nos odium ingravesceret, ad hoc usque devenit, ut per operarios suos ante portas claustri facto fossato, exitus nostros angustiores facere molirentur; et cum, nullo eis in talibus obsistente, huic operi diligenter instarent, venerabilis Erminoldus, ut labores eorum videret, egrediebatur foras instante iam hora refectionis, pacifice illos atque benigne salutans, et cum lassos fatigatosque videret, tam interne mentis eorum labori quam corporis externo sudori compatiens, ad prandendum eos obnixius invitavit, inductosque refecit hylariter et benigne, tantam illis inpendens humanitatem, ut magis ex caritatis saginarentur affectu, quam[l] etiam in patre sanctissimo et in fratribus attenderunt, quam in epulis que dabantur. Unde factum est, ut dimissi secum mutuo loquerentur, tam fratrum qui eos miserant detestantes invidiam et rancorem, quam viri Dei suorumque benignitatem et mansuetudinem admirantes. Quid, queso, qui hec lecturi estis, quid vobis videtur de isto, cuius filius sit? Nonne illius, cuius unigenitus in substantia nostre mortalitatis apparuit, fratresque, quos dignatus est adoptare per gratiam, spiritu eis[m] adoptionis infuso in quo clamarent: *Abba pater,* instruxit dicens: *Diligite inimicos vestros et benefacite* Rom. 8, 15. *hiis, qui vos oderunt*[n]; et quid ex hoc consequerentur[o] adiungens: *Ut sitis,* inquit, *filii pa-* Matth 5, 44. 45 *tris vestri celestis, qui solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos.* Nec inefficax fuit opus hoc caritatis[p] aut sterile, set in ipsis, quibus inpendebatur, sicut semen cadens in terram bonam, fructum peperit salutarem. Nam consilio inito regerentes in locum suum terram, quam egesserant, abierunt, nichil incommodi nobis ulterius ingerentes. Sic igitur, sic secundum Pauli doctrinam vir Dei vinci nolens[q] a malo, vicit in Rom 12, 20. 21 bono malum, inimicum cibans et potans, et per hoc super caput eius carbones congerens caritatis. Certe videmus hic virum Dei non imparem Helyseo, qui Syros ad se capiendum hostiliter venientes, Samariam introductos amice ne necarentur eripiens, cibo insuper refectos ac potu, ipsos domino suo remisit. Idem finis secutus est utrobique. Nam illi terram Israel ultra non addiderunt intrare, et isti nos molestare deinceps cessaverunt[r]; nisi quod Syros stupor timorque cohibuit, istos vero devicit benignitas caritatis. Diximus, qua constantia et virtute mundi spreverit[s] dignitates oblatas, qua illatas iniurias patientia tulerit aut devicerit mansuetudine; superest, ut qua indigentibus proximis liberalitate collata sibi

a) iamque iamque 3. 4. b) Hic 4. c) et 4. d) quomodo 4. e) absentia 3. 4. f) quoniam 4. g) typho 4. h) exclusit 3. 4. i) invitavit 3. 4. k) Quomodo fratres sancti Emmerammi pietate devicit *rubricam add.* 3. 4. l) quam — attenderunt *desunt* 4. m) eius 4. n) odiunt 4. o) consequenter 4. p) hic claritatis 4. q) volens 4. r) cessarunt 4. s) sprevit 4.

a Deo communicaverit, quamque in hiis contra deficiendi timorem in Domino confidentiam semper habuerit, ostendamus.

13. Curam[a] quidem sollicitam ac provisionem receptionemque peregrinorum ac pauperum inter virtutes ceteras, quibus claruit homo Dei, quasi spiritus sui sponsam elegerat specialem. Propter quod et in exercitii eius solebat amplexibus singulariter delectari, adeo quod egeni et pauperes ipso iam usu in necessitatibus suis cum omni ad eum securitate, tamquam ad debitorem quendam accedere presumebant, et quibus egebant, tamquam a 1 Cor 9, 19 quodam yconomo[b] suo fiducialiter postulare. Noverant[c] etenim, quod exemplo apostoli, cum esset liber ex omnibus, omnium servum se fecerat indigorum. Deus itaque[d] famulum suum temptare constituens, immo miserationis inolite sibi virtutem omnibus declarare, Ps 104, 16. vocavit famem super terram, omne firmamentum panis contrivit in tota Bawaria, ita ut plurimi propter inediam pauperes interirent. Ad Erminoldum igitur ex more concurritur. Reserantur cellaria, promptuaria patefiunt, distribuuntur pauperibus universa. Non enim prius pater sanctus in erogando defecit, quam[e] deficeret unde iam posset aliquid erogare. Psal 10, 2. Exhaustis siquidem omnibus officinis, ipse cepit egere, qui super egenum et pauperem intellexit[f]. Venerunt namque ministri qui dicerent[g], omnia claustri granaria vacuata, nec iam frumenta ad unicum etiam[h] prandium fratribus superesse. Quid ergo vir Dei nunc faciat anxiatus? Recurrat ad horrea? set vacabant; emat in foro? set precium emptionis in celestes thesauros manus pauperum deportarant. Ad Deum ergo convertitur, et tam- Iac 1, 5. quam factus in agonia prolixius orabat ad eum qui dat omnibus affluenter. Veri autem Ioh. 4, 23. adoratoris, adorantis patrem in spiritu et veritate, oratio erat huiusmodi: *Domine per natu-* Ioh. 12, 27. *ram, per gratiam vero pater, salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc* Ps 103, 27 *tante necessitatis, ut fratrum meorum oculi omnium in te sperent, et tu des illis escam illorum in tempore oportuno, quorum propter te victualia sunt expensa; tu itaque redde quod debes;* Luc 6, 38 *debes siquidem dantibus, qui dixisti: „Date et dabitur vobis.“* Huiusmodi quidem ad Dominum. Porro ad beatum Georgium[i], patronum ecclesiae secundum, simile erat huic, quod orabat: *Beatissime martir! ecce, preceptis salutaribus monitus et divina institutione formatus et iussu, dispersi, dedi pauperibus, que*[k] *habebant*[l] *qui Deo tibique in hoc loco deserviunt; nec habent iam quod manducent, et si dimisero eos ieiunos et non fuerint saturati et murmurabunt adversum me, calices et vestes et libros et alia ornamenta distrahere pro victu compellar*[m]*; tu ergo subveni, tu succurre, tibi enim revelavi causam meam atque necessitatem.* Huiusmodi famuli sui clamores Dominus exaudivit beati Georgii, quem mediatorem elegerat, interventu; nec eum distulit consolari. Nam statim in crastino nobilis quidam et dives, cuius Dominus cor tetigerat, supervenit, et honorans Dominum de sua substantia fratrum supplevit inopiam copiose, ita ut novi cuiusdam meritis Helysei pristina fames in Pruveningen, tamquam olim[n] in porta Samarie, pelleretur. Adhuc excellentiorem viam ostendende sanctitatis ipsius duximus demonstrandam, quibusdam forsitan incredibilem, set compertam crebra relatione fide dignissimi senioris, qui tanti miraculi testis et conscius fieri meruit et symmista.

14. Die[o] quadam cum ante ianuas staret ecclesie pater sanctus et fores essent clause, custode monasterii stante cum illo, cuiusdam necessitatis eventu ecclesiam ipsam Dei servus intrare volebat. Cumque custos propero cursu circuiens aperire abbati ecclesiam properaret, invenit eum, mirabile dictu, quem foris reliquerat, introrsus ante altare sancte crucis intente orantem in ipso loco, ubi nunc eius venerabile est sepulchrum, ianuis tamen ecclesiae non apertis. Cumque custos insolita novitate miraculi staret attonitus et stupefactus tante rei eventum apud se miraretur, surgens oratione completa vir Dei, custodi sub districte contestationis interminatione precepit, ne ante ipsius exitum de hac vita alicui hominum id quod viderat revelaret. Quid ergo dicemus ad hoc, nisi quod famulum hunc fidelem in Domino et Dominum in electo famulo suo laudare, benedicere et predicare non desinamus, qui quod in se ipso post resurrectionem suam discipulis suis ostendit, ostendit in servo similiter, antequam etiam[p] a corporeis[q] nexibus solveretur? Nichilominus ista legentes advertant, in quam solide humilitatis terra domum mentis sue vir iste[r] fundaverat,

a) De misericordia beati Erminoldi contra pauperes *rubricam add.* 3. 4. b) oeconomo 4. c) noverat 4. d) igitur 4. e) quoad 4. f) intellexerat 4. g) dixerunt 4. h) et 4. i) Georium 3. k) *alia manus addidit* non 1. l) habebam 4. m) compellor 4. n) olim *deest* 3. 4. o) Quod inventus est in monasterio clausis ianuis *rubricam add.* 3. 4. p) et 4. q) corporis 4. r) ille 4.

qui omnem flatum favoris humani ventumque popularis aure tanta cautela et studio devitavit.

15. Ecce iam precursoris nostri, qui exultavit ut gygas ad currendam viam celestium mandatorum, passus industrios et veloces pro tarditate nostra pigris calami gressibus subsequendo prorepsimus, quantumcumque in odore ungentorum[a] eius admodum delectati et post eum letanter currere gestientes; sed ecce, ubi e vestigio Helyam nostrum cum Helyseo consequimur, tristes metas attingimus, iam Baal pharisym[b], quod sonat virorum divisio, cf. 2 Reg 5, 20 e vicino nos terret, inter fratres dividens et abbatem, inter pastorem et agnos, inter discipulos[c] et magistrum. [d]Restat enim, ut[e] transitum eius de hoc mundo ad patrem et eius occasiones tristissimas exsequamur; tristes, inquam, non sibi set nobis, non sibi qui semper cupiebat dissolvi et esse cum Christo, set nobis quibus in carne utiliter permansisset. Propter hoc stilus[f] hinc refugit, manus trepidat et terretur, calamus ipse percellitur et formidat. Set enim velimus nolimus eundum est; cincti et astricti necessitate narrandi ducimur quo nollemus. Ergo quod superest inviti etiam[g] prosequamur.

16. Quia igitur omnes, qui volunt pie in Christo vivere, persecutionem secundum 2 Tim 3, 12 apostolum patiuntur, sanctus pater iste, quia a via iustitie flecti non potuit, non[h] potuit consequenter odia non incidere iniustorum[i]. Non enim potest diem vespertilio non horrere, non potest non[k] fugere lucem talpa, non potest solis aspicere noctua claritatem. Denique cum sanctus hic pater, commissi regiminis cura constrictus, sollicite super custodiam suam staret et vigilias noctis huius adeo[l] super gregem suum satageret observare, ut nichil omnino[m] relinqueret incorrectum, quod contra monastice religionis fieret instituta, licet tamquam vere[n] spiritalis[o] in spiritu lenitatis corriperet delinquentes, filii tamen Belial, qui cum sathan inter Dei filios numquam desunt, videntes et invidentes a suis se voluptatibus coherceri, nec sibi licere que licere volebant, crudelibus insectari ceperunt odiis se amantem. In tantumque diatim[p] vesanie prorumpebant, quod etiam[q] captabant in animam Psal 93, 21 iusti, et[r] sanguinem innocentem condempnantes effundere decreverunt. Et iam, malitia ingravescente, cultris acutis armati, diem mutuo statuentes, loci oportunitate captata, stabant in insidiis cum demonibus in occultis, ut interficerent innocentem in loco, quem sibi condixerant, quia inde[s] erat more solito transiturus. At quidam ista scientium Dei famulum premunivit, ne illo veniret, paratas sibi mortis insidias manifestans. Set vir iustus Prov. 28, 1 tamquam leo confidens absque terrore permansit, et tamquam equus glorie Domini, qui Iob[t] testante exultat audacter, in occursum pergit armatis, paratus cum Domino, immo pro Iob 39, 21 Domino, et in carcerem et in mortem ire. Hec dicenti sibi respondit: *Absit, ut paratam michi perdam[u] tergiversando coronam; vadam potius accepturus palmam, quam Dominus exhibet, tryumphalem.* Quid queso aliud erat hoc famulo dicere, quam quod Dominus ipse Petro iam dixerat: *Calicem, quem dedit michi pater, non bibam illum?* Erat hoc dicere cum Ioh 18, 11. psalmista: *Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo, gratias scilicet referens* Ps. 115, 13 *propinanti.* Ceterum quia parum est dicere[v] nisi facere consequatur, quod dixit et fecit, procedens ad locum, ubi mortem fuerat excepturus si Domino placuisset, eius exemplo qui passurus turbe processit obviam se querenti. Verum sicut Dominum captivare volentes occurrente ipso conterriti abierunt retrorsum et corruerunt in terram, donec se ipse capi permisit, sic servum Domini cupientes occidere, cum constantiam viri Dei viderent, irruit Exod 15, 16 super eos formido et pavor in magnitudine brachii Domini, suum tunc pugilem[w] protegentis. Illa igitur vice nemo in eum misit manum, quia nondum venerat hora eius, quam ille, cuius providentia in sui dispositione non fallitur, in subditorum bonorum adhuc solatium et salutem et ad cumulatiora famuli sui merita usque in[x] tempus quod voluit prorogabat.

17. Itaque[y] cum teneret iustus, ut ait Iob, viam suam nec iustificationem[z] quam cepit Iob 27, 6 tenere desereret, nam et semita vite sue quasi lux splendens iuxta sapientis eloquium pro- Prov. 4, 18. cedendo ad perfectum diem iam creverat, tante lucis aspectus filios tenebrarum offendit gravisque eis erat etiam[*] ad videndum, qui magis quam lucem tenebras dilexerunt. Proinde

a) unguentorum 4. b) Baapharisym 1. Baalpharisim 3. 4. c) discipulum 4. d) De transitu beati Erminoldi *rubricam add.* 3. 4. e) Restat ut 3. Restat vero 4. f) salus 3. 4. g) et 4. h) nec 4. i) ministrorum 3. 4. k) nec 4. l) sedulo 3. 4. m) nichilomino 3. nihilominus 4. n) pater 3. 4. o) vere *add.* 3. 4. p) tandem 4. q) et 4. r) et *deest* 4. s) inibi 4. t) Iob *scripsi pro* eo. u) impediam 4. v) dixisse 4. w) pigilem 3. x) in *deest* 3. 4. y) Quomodo beatus Erminoldus obitus sui tempus et horam praedixit *rubr. add.* 3. 4. z) suam *addit* 4. *) et 4.

cum tempus adesset, quo Dominus servum suum decreverat iam in pace dimittere, post pondus diei et estus mercedis eterne denario premiandum, iam filii pestilentes ac tanto patre prorsus indigni lupaliter, velut agni degeneres, in pastoris interitum conspirabant. Igitur unus talium campiductor infelix, nomine quidem Aaron, Absolon autem omine, patris videlicet[a] persecutor — cum non ut Aaron pontifex, sed cum esset carnifex Anni[b] illius — dyabolico exagitatus instinctu, loco[c] ad quem vir Dei venire necesse habebat diligentius observato[d], ligneum vectem utraque manu vibratum viribus totis insurgens capiti venientis illisit, tanto annisu percutiens sacrum caput, ut ad terram mox servus Domini sterneretur. Eo igitur instrumento mortis et genere, quo frater Domini est occisus, occiditur, ne glorie illius extraneus estimetur aut exsors, qui consors est passionis; quamvis hic ut ille non statim obierit, ut in hac potissimum die gloriosius sue mortis Domino sacrificium immolaret, qua Magi videlicet eidem tria munera mistica optulerunt. Denique si advertas, eadem dona nostrum Erminoldum intelliges optulisse, si per aurum, quod inter metalla malleo plus obedit, obedientiam; in mirra, que carnem a corruptione conservat et vermibus, castitatem; in thure, quod uritur et crematur ut fraglet[e], caritatis ardorem memineris designari, non sua propria sed communia requirentis.

18. Igitur ut in illam diem, tunc se sacrificaturus Domino, servaretur, ictu vectis
1121. accepto tabescens, viribus corporis cepit repente destitui, iamque ante festum epiphanye[f]
Ian. 5. lecto decubuit et in ipsius sacratissimi festi vigilia, fatiscentibus artubus, aliquamdiu iacuit nichil loquens. Et post pusillum ad se reversus, et elevatis oculis in discipulos qui astabant, hylari eos aspexit intuitu, set affatu hylariori omnes qui aderant iocundavit. Etenim requisitus, ad thronum Dei testatus est se raptum fuisse celestem, et verba bona et promissa se ibi consolatoria percepisse. *Letatus sum*, inquit, *in hiis que dicta sunt michi, numquam videlicet defuturum divinum obsequium in hoc loco.* Addidit etiam[g], sibi librum vite ostensum, fratrum nostrorum nomina mortuorum presentium ac futurorum ascripta litteris aureis continentem; *et hoc*, ait, *vobis signum, ut certum esse noveritis id quod loquor, cras inter maioris misse sollempnia, cantante choro ymnum*[h]*: „Gloria in excelsis Deo," egrediar ex hoc mundo.* Erat autem vigilia, sicut diximus, epyphanie. *Cavete igitur*, inquit, *cum signum mei transitus audieritis, ne quis error aut negligentia huius occasione in divino contingat officio, set paucis egredientibus, a ceteris cum omni devotione sacra missarum sollempnia more solito peragantur.* Ut igitur testimonia sua credibilia fierent et sciremus, quia verum
Ian. 6. est testimonium eius, sicut dixit evenit. Nam in sancto epyphaniarum die[18], hora qua dixerat anima illa beata domum corpoream ac terrestrem, non manu factam in celis acceptura, reliquit, introiens in potentias Domini sub ymno videlicet angelorum, ut ibi perhenniter inter angelos, ipsum *Gloria in excelsis* concinat et ymnizet[i]. Transiit autem anno Domini millesimo centesimo vicesimo primo, septimo vero postquam de Hyrsaugia mense Augusto vocatus est et ad Pruveningensem electus ecclesiam, quarto vero postquam a
19 venerabili Udalrico Pataviensi[k] episcopo[19], rogatu reverendi Hertwici[l], Ratisponensis epi-
21 scopi[20], ordinatus est sollempniter in abbatem[21]. Quis iam[m] queso non videat, ideo transitum eius ad eam[n] diem fuisse dilatum[o], qua Dominus sacrificia Magorum accepit, et intercurrentibus annis aliquot celos super se baptizatum voluit aperiri, et item[p] aquam convertit in vinum ad nuptias, ut liquido monstraretur, quod die eodem Erminoldus noster domum celestem introivit in holocaustis, et celi, qui regi patuerant, militi etiam[q] ipso die patere deberent, et quod molestiarum aque presentium inter convivas ethereos in vinum sibi essent eterni gaudii convertende? Quis eum preterea purpurata rosaria martirum introisse non credat, cum et iustitia sue causa mortis extiterit, propter quam persecutionem passus est occisoris, et in morte servaverit patientiam, nichil durum interminans inprecansque lictori, et cum postremo tanta[r] conscientie fuerit in eo securitas[s], ut, moriturum se presciens et prophetans, de divino curaverit magis officio quam de suis exsequiis ordinare? Erminolde igitur[t] abba pater, memor esto congregationis tue, quam possedisti ab ipso[u] sue fundationis initio, et in qua felicem cursum presentis stadii consummasti

a) *deest* 3. 4. b) agni 4. c) locum 4. d) observabat 4. e) fragret 4. f) epyphanie 3. epiphanie 4. g) et 4. h) *deest* 4. i) hymniset 4. k) *deest* 3. 4. l) Hartwici 4. m) enim 4. n) eum 4. o) translatum 4. p) in coena 4. q) eo 4. r) tantae 4. s) sanctitas 4. t) ergo 4. u) isto 3. 4.

18) Cf. Cod. trad. Prifl. p. 4. 19) ab 1092 ad 1121. 20) ab 1105 ad 1126. 21) d. 20. Mai. 1117. V. Cod. trad. Prifl. p. 3.

eterne glorie bravium[a] apprehendens. Ideoque suppliciter exoramus, ut gregem tuum, pastor bone, non deseras, set aput beatos cives tuos continua protectione custodias tuas oves, quas primus opilio pascendas a Domino suscepisti, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

19. Set[b] de beati patris nostri laudabili vita et transitu glorioso brevi calamo set veraci perstrinximus, ordinante ut in principio[c] et iubente venerabili patre nostro Ulrico, sexto decimo abbate Pruveningensi. Qui in eadem ecclesia primum quidem obellarius et infirmarius, demum prior efficitur. In quo constitutus officio, possessiones ac iura obellarie ac infirmarie, tam abbatum quam episcoporum aliorumque fidelium beneficiis et collata et deputata eisdem, pia instantia et sollicita per eosdem optinuit confirmari congruentibus et efficacibus instrumentis. Quorum omnium modum et ordinem in unum codicem colligens et compingens, quid, a quibus, vel sub quibus eisdem officiis sit collatum, quibus etiam confirmatum privilegiis per quoscumque, in eodem distinxit codice seriatim; ne ipsis officiis deputata distrahere vel eorum iura minuere vel mutare vel etiam abolere presumeret aut valeret aliquis posterorum; sicut patet eundem libellum diligencius intuenti. Demum anno 1281.
Domini millesimo ducentesimo octogesimo primo eligitur in abbatem in ecclesia memorata. Qui mox suscepto regimine, quod diu mente conceperat, beato videlicet Erminoldo reverentiam impendere quam valeret, protinus ubi valuit adimplevit. Porro arbitratus hoc obsequii maximam portionem, si beati patris merita non laterent, licet insufficientibus ad hoc nobis iniunxit, ut id quod de vita tanti pastoris licet rudi eloquio, vero tamen, scriptum inveniremus, calamo traderemus ornatiori, ut stili venustas alliceret ad legendum, et legentes et intelligentes viri beatissimi sanctitatem monerentur et discerent honorabilem honorare, ac per hoc cohonorari cum eo perpetuo mererentur.

20. Ea ergo, que dicta sunt utcumque, sufficiant. Duo tamen[d] annectimus, que post eius obitum contigerunt. Unum quidem quod uni[e] de nostris, alterum quod alterius cenobii fratri cuidam evenit, ut non solum a suis hic pater, set et ab eis qui foris sunt, testimonium habeat sanctitatis. Et primum quidem de nostro duximus ordiendum[f]. Erat aput nos monachus quidam provecte quidem etatis, set mire sanctitatis et simplicitatis in vita sua. Hic cum vocandus a Domino lecto decumbens ad exitum propinquaret, a deputato sibi ministro, si adesset aliquis, inquisivit; erat autem sabbatum, hora qua sonitu tabule ad mandatum[22] fratres more solito convocantur. Audiens igitur[g] nullum esse presentem: *Ecce,* 22
inquit, *video celos apertos et beatum patrem nostrum, venerabilem Erminoldum videlicet, assistentem in maxima gloria coram Deo; quod ut verum esse non dubitetur, in testimonium veritatis iam spiritum exalabo*[h]. Quo dicto, morte intercedente et sermonem confirmante, quod dixerat protinus comprobavit[i].

21. Accedat et alius testis, qui de remotis partibus venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine meritorum venerabilis Erminoldi. Frater quidam ex nostris, quodam vindemie tempore missus in Austriam, claustrum quod Kotwik dicitur hospes intravit, hospite quodam alio de claustro, dicto Gersten[k], casualiter cointrante. Igitur hora refectionis cum veniretur ad mensam, hospes hospiti ad vescendum pariter est adiunctus. Et cena facta cum fabularentur et secum quererent de diversis, ut fieri assolet, Gerstensis ille a fratre nostro diligentius inquisivit, si aliquando habuissemus abbatem, cui nomen fuerit Erminoldus, et audito quod sic, et quod insuper aput nos fuerit primus abbas, ille sic orsus est: *Quamvis,* inquit, *nullam omnino notitiam vel vite vel nominis eius prius habuerim, nuper tamen in veritate comperi, quia non est parvi aut mediocris, set maximi meriti coram Deo. Nam ex fluxu sanguinis mire vexatus, nimia nuper infirmitate et egritudine laboravi, adeo ut de vita etiam desperarem. Cumque sanctorum quam plurium pro evasione periculi postularem auxilia, ex nimia michi debilitatione*[l] *sompnus obrepsit. Et ecce rapi ad tribunal Christi me video, et pro culpis et negligentiis meis dura satis animadversione percelli; ubi dum animas plurimas pro diversitate et exigentia meritorum vel condempnari a iudice video vel salvari, oblatus est ei unus ordinis sancti Benedicti frater, ut videbatur*[m], *dampnationisque in eum iam*

a) p̄ııū 3. praemium 4. b) Set — sufficiant *desunt* 3. 4. c) diximus *excidit vel quid simile.* d) miracula *add.* 3. 4. e) unum 3. 4. f) Visio cuiusdam fratris post obitum eius *rubricam add.* 3. 4. g) ergo 4. h) exhalabo 4. i) Alio visio cuiusdam fratris *rubricam add.* 3. 4. k) Gērsten 3. Garsten 4. l) debilitate 4. m) videbat 4.

22) *Mandatum* significat ablutionem pedum, quae et in coena Domini inter canendam antiphoniam: *Mandatum novum do,* et singulis sabbatis facienda Benedictinis erat.

iamque debebat ferri[a] *sententia; set retractata est et remissa clementer, sancti nescio cuius magni, quem quidem videbam set non agnoscebam, optentu, inter cetera pro dampnando taliter allegantis: „Licet," ait, „Domine, frater hic vitam suam satis exegerit negligenter, irremuneratum tamen tua pietas non relinquat, quod numquam locum sue professionis deseruit, nec transgressus est finaliter obedientie sue votum." Sancto igitur*[b] *ista fiducialiter prosequente, animam rei iudex absolvi decrevit, orantis pro ea meritis complacatus. Quem cum optarem scire quis esset, ecce unus astantium iudici, ipsum venerabilem Erminoldum Pruveningensem abbatem esse, michi protinus intimavit. Hiisque peractis evigilo, mecumque retractans ea que videram, statui*[c] *omnibus quidem obmissis illius potissimum invocare*[d] *suffragia, cuius indubitatam expertus fueram sanctitatem. Quod cum per officium misse facere decrevissem set debilitas vocis obstaret, continuo michi tantas vires sensi collatas, quod sacris indutus, missam, que de uno confessore dici consuevit, a fine usque ad finem perfeci. Qua completa pristine sanitati sum integraliter restitutus.* Hec frater de Austria rediens dum nobis sepius retulisset, superveniens ille Gerstensis[e], cui res ipsa contigerat, sepulchro viri Dei devotissime visitato, fratris nostri narrationem personaliter confirmavit; qui et ipse, in Gersten[f] postmodum factus abbas, solebat supervenientibus hunc eventum frequentius enarrare.

22. In[g] hiis duobus, mandatis officio calami, quoniam[h] in eis visiones et revelationes Domini continentur, religiosis viris non diu post felicem transitum sancti patris ostense, ac per hoc quodam iure propinquitatis ad precedentia pertinebant, scientes quia hora est iam nos terminare sermonem, huic libellulo finem dantes, iugo boves absolvimus delassatos[i]. Porro unum est necessarium, ut videmus. Quoniam[k] enim ipsius libelli distinctio bipartita[l] est, prima quidem eius particula peregrinationem Hebrei nostri aput Egyptios huius mundi seu Babylonios continente, secunda vero in exitu Ysrael de Egypto presentis seculi et ingressu terre vere promissionis explicita; consequenter succurrendum et consulendum eorum opinioni existimamus, immo dubitationi eorum et diffidentie potius occurrendum, quibus vite laudabilis claritas, quibus preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius ostensa non sufficit, set nisi cum Thoma miracula tangant aut palpent et nisi signa videant et prodigia, non credentes cum regulo iudaizant[m]. Ut itaque tales, habentes tantam nubem testium interpositam, ad credendum vel ipsis[n] operibus invitentur vel potius compellantur: ad virtutes et signa, quibus mirificavit Dominus sanctum suum, etiam postquam de hac vita transivit, hodieque mirificat, transeamus, a fine libri prioris sequentis initium facientes, de ipsius tractaturi miraculis in libro secundo, de cuius in primo vita et transitu in principio erat verbum.

LIBER SECUNDUS[o].

23. Igitur cum iam Domino complaceret, ut tristitia nostra verteretur in gaudium, ut scientes eum celo vivere letaremur, quem defunctum seculo lugebamus, manifestavit se iterum Iesus ipsum angelorum fecisse consortem, quem ablatum humano dolebamus esse consortio. Manifestavit autem sic[p]. Honesta quedam mater familias[q], Christina vocabulo, cum matre sua Berhta[r] nomine, Deo valde devota, de civitate Ratispona Pruveningen fratrem suum visitatura accessit. Cumque die iam inclinato vehiculo domum reverti pararent, mater, quasi valefactura sanctis, pro[s] foribus monasterii, quia clausum erat, orare cepit attentius et subito miri odoris perfusa est suavitate; quem cum tacita[t] miraretur, ecclesiam aperiri petiit et optinuit, et intravit sensitque fraglantiam[u] illam de sancti viri spirare sepulchro. Divine igitur gratie non ingrata regratians, votum vovit Deo Iacob, quod famuli sui Erminoldi sepulchrum, de cuius meritis certiorari meruerat, per circulum anni totius nudis pedibus visitaret. Quod et implevit, numquam hoc vel pro vie profunditate vel madoribus pluviarum niviumve rigoribus intermittens. Et hec vidua — erat et turba civitatis multa cum illa ipsius exemplo, quoniam erat ex honestioribus civitatis — cepit viri Dei memoriam frequentare et illius auxilium in quibuscumque necessitatibus efficaciter experiri. Hoc initium signorum fęcit Iesus coram discipulis servi sui fidelibus, et manifestavit gloriam

a) fieri 4. b) igitur *deest* 3. 4. c) statim 4. d) coepi *add.* 3. 4. e) Gе̊rstensis 3. Garstensis 4. f) Gе̊rsten 3. Garsten 4. g) Incipit secunda pars de miraculis eius *rubricam add.* 3. 4. h) quomodo 4. i) lassatos 4. k) Quomodo 4. l) pipertita 1. m) iudaisant 4. n) ipsius 4. o) LIBER SECUNDUS *addidi.* p) De suavi odore sepulchri eius *rubricam add.* 3. 4. q) materfilias 1. r) Bertha 3. 4. s) prae 4. t) tacite 4. u) fragrantiam 4.

suam et dignitatem, quam iam accepit in celis, qui terrene dignitatis gloriam non quesivit. Et congrue satis a suavi odore incipere debuit sua glorificatio, qui se ipsum Deo in odorem optulit suavitatis, ut apte fracto alabastro sui sanctissimi corporis, meritorum ipsius et fame dulcis effunderetur ungentum[a], ex cuius odore domus ecclesiae redundantius impleretur.

24. Illud autem inter signa quam plurima Dominus sancto suo quasi privilegium speciale concessit, quod pueri egrotantes, ad eius, ut fieri solet, ponderati sepulchrum, vel continuo eius meritis convalescunt, aut ab egritudinis diuturnitate[b] mortis compendio protinus absolvuntur. [c]Quod[d] etiam cum pie memorie domnus Chunradus, Moguntinus 1200. archiepiscopus[23], fame preconio comperisset, cum diutina laboraret infirmitate, quam ex aere inconsueto in terra sancta[24] contraxerat, nec quicquam sibi conferret experientia me- 24 dicorum, ad sepulchrum viri Dei[e] cum marca argenti se ponderans cum clamore valido et lacrimis, exauditus est pro sue forma petitionis. Postulaverat etenim, ut a diuturnitate[f] languoris vel cita evasione vel beneficio saltem mortis absolveretur. Qui mox antequam sedem suam attingeret, morte intercedente[25] optinuit, quod petivit, beati meritis Erminoldi. Oct.

25. Vir[g] quidam re pauper et luminis orbitate pauperior, devotionis tamen[h] et fidei copiis opulentus, Pruveningen viri Dei beneficia petiturus ingreditur, et a pluribus, qui de villa vicina venerant et ante fores stabant ecclesie, ostenso sibi[i] sancti sepulchro, pueri se ducentis manu contra[k] altare locatus est, ut petivit; egressoque ductore, gressum baculo suo pretentans, ad sepulchrum devotus accessit, et humi prostratus postulavit, in fide nichil hesitans, ut lumen recipere mereretur. Moxque se sentiens exauditum, visu recepto egressus, ductori suo, videre se, dixit et omnibus, qui astabant, qui eum cecum viderant introisse ac sibi sepulchrum ostenderant requirenti. Hos ergo universos et testes sue illuminationis habuit et precones. Cumque illuminato congratulantium vox eminus audiretur — nam ipsi loquebantur ad invicem de hiis omnibus que acciderant — et[l] ille Deum ac famuli sui merita collaudaret[m], frater quidam ex hiis, quos barbatos[26] dicimus, superve- 26 niens maligno spiritu stimulatus et Dei gloriam non ferente[n], illum, qui Dei ac famuli sui beneficia predicabat, contumeliosis cepit obiurgationibus insectari, deceptorem eum ac mendacem appellans, et huiusmodi artificio venari elemosinas[o] largiores. Quod ille libera voce refellens abiit et recessit. At ille barbatus inveteratusque dierum malorum temerario Dan. 13, 52. ausu debachans[p], facto flagello de virgis, tribus ictibus tumbam patris sancti proterve percutiens, ore sacrilego: *Quiescas*, inquit, *tu Erminolde, et nos inquietare desistas*. Vix ista finierat, et[q] ecce Deus, ultionum dominus, ultione condigna coercuit blasphemantem. Nam facies eius, tamquam aqua ferventi perfusa, cepit incredibiliter estuare. Qui festinus egrediens de ecclesia, ad suum cubiculum properabat, ut lecto decumbens alleviationem aliquam expectaret. Erat autem magister opilionum. Quem unus de famulis suis e vestigio sequebatur, qui quidem blasphemias suas audierat, divine tamen nescius ultionis, blanda ipsum pro verbis suis admonitione corripuit, illo secundum similitudinem serpentis et surde aspidis nil penitus respondente, donec venerunt ad fontem iuxta, ubi iumenta monasterii adaquari solebant. De quo hausta sibi aqua per famulum, estuantem faciem spe refrigerii manibus infundebat, set vim virtutis sue oblitus est aque liquor, vicemque contrarii peragens elementi, urebat acrius patientem. Itaque lecto decubuit, ac inter flagella pharaonyzans, licet a pluribus ut resipisceret moneretur, secundum duriciam suam et inpeni- Rom. 2, 5 tens cor thesaurizavit sibi vindictam insuper ampliorem. Nam de die in diem cor eius erga Domini confessorem in sua duricia persistebat. Et quoniam apposuit adhuc peccare ei et in iram concitavit Excelsum, apposuit super eum Deus plagas horridiores. Nam percussus lepra terribili, ab hominibus est amotus. Et cum adhuc suaderetur, ut peniteret, declinavit cor suum in verba malitie ad excusandas excusationes videlicet in peccatis. Nam respondit, Psal. 140, 4.

a) unguentum 4. b) diurnitate 3. c) De archiepiscopo Moguntino, qui voti sui compos effectus est *rubricam addunt* 3. 4. d) Hoc 3. 4. e) *deest* 3. 4. f) diurnitate 3. g) *rubricam:* De ceco illuminato *praestant* 3. 4. h) *hic desinit* 3. i) in ecclesia *addit* 4. k) circa 4. l) *deest* 4. m) collaudavit. De quodam converso graviter punito. Frater 4. n) ferens 4. o) eleemosynas 4. p) debacchans 4. q) *deest* 4.

23) 1161 1177 et 1183—1200. 24) illuc anno 1197 profectus, domum a. 1200 revenit. 25 Cf. Abel König Philipp p. 348. 26) Barbati, Bärtlinge, erant fratres laici conversi, Laienbruder, de quibus sic est in Cod. Lauresh. I, 227: »Sunt ergo laici Miliensibus« (ita enim a milio, Hirse, non irridenter appellantur Hirsaugienses) »associati.«

se adeo non peccasse, quod mala talia meruisset. In huiusmodi igitur blasphemia perseverans cum prevaricator ad cor redire contempneret, factum est in una dierum, ut per ministrum apposita sibi mensa et desuper pane et potu, minister ad cibos pergeret offerendos; quibus allatis, quem misere vivum in obstinatione reliquerat, miserabilius in peccato suo mortuum reperit. Nam in arulam plenam carbonibus, quam gratia calefaciendi sibi habuit ante positam, facie prona ceciderat et exspiraverat preambustus. In quo patenter apparet, quod qui ceco fideli fuerat odor vite in vitam, isti blasphemo factus est odor mortis in mortem, in resurrectionem positus et ruinam hinc inde, cum diversa utrisque intulit stipendia meritorum, illum fideli devotione illuminans, istum percutiens pro reatu. Et sicut tumulus viri Dei ter virgis cesus est per protervum, sic triplici plaga percussus est inimicus: ardore videlicet faciei, dehinc lepre contagio, novissime vero morte pessima peccatorum.

26. Ceterum descripto rigore iustitie, ad solatia misericordie revertamur. Radoldus[a] nomine puer in monasterio tantum de auribus singulis noctibus sanguinavit, ut mane pulvinar ipsius alicuius animalis perfusum sanguine videretur. Qui cum esset ad tumbam viri Dei tertio ponderatus, illico restitutus est integre sanitati. Inter hec augebatur cottidie[b] credentium in Domino multitudo, patrocinia famuli sui requirens. Inter quos mulier quedam Iutta[c] nomine ad sepulchrum sancti nummo se ponderavit, quem cum in archellam[d] oblationum mittere debuisset, denario clam retento ad altare illum voluit optulisse; set dolum illico vindicta consequitur[e]. Nam est illi manus ita contracta, ut nec eam extendere nec nummum excutere prevaleret. Ad cor ergo[f] reversa flagello, redit ad archam denarium inmissura, statimque misericordia et veritas obviaverunt sibi, nam manum, quam dolus concluserat, veritas patefecit. Misso igitur nummo quo mitti debebat, gaudens mulier alium optulit ad altare. Cum[g] itaque turba venerantium servum Dei diatim accresceret, monachus quidam Wolfframmus[h] nomine, sepulchri custodie deputatus, super illud edificare proposuit ediculam cancellatam[i] per quemdam Bercholdum[k] nomine carpentarium, qui, homicidio perpetrato, nondum ecclesie reconciliari meruerat. Dictum opus incipiens consummavit. Porro Dei famulus, sacrilegum in ecclesiam illius ingressum et opera manuum cruentarum aspernans, solita beneficia requirentes per annos aliquot destitit exaudire. Quod cum fratres sollertius perpendissent, ipsam ediculam prudenti consilio removerunt. Set non statim finis, ut Dei ac sui famuli dedignatio placaretur.

1224. 27. Igitur[l] quia non obliviscitur misereri, cui proprium est misereri semper et parcere cum rogatur, aliquanto tempore iam decurso, anno millesimo ducentesimo vicesimo quarto
Ps. 105,30. dominice incarnationis stetit Phynees[m] et placavit, beatus Erminoldus videlicet, ut averteret iram eius, quem opus offenderat homicide. Quidam ergo Waltmannus nomine civis Ratisponensis a quodam Ruberto, qui fratrum vestibus preerat, sibi familiari, familiariter requisivit, cuius sepulchrum hoc esset, quod in medio monasterii cerneretur. Et audito, quod primi abbatis esset istius loci et quod idem fuisset vite sanctissime quodque in carne adhuc et post mortem miraculis claruisset, et ab hiis destitisset ad horam ex causa, que nesciretur[n], dictus Waltmannus illi Ruberto: *Scito,* inquit, *quod in brevi Dominus iterum eius merita declarabit. Vidi enim in visione, me cum multis intrasse hanc basilicam ad orandum, et ecce a parte capitis tumuli arbor, ut videbatur aurea, tante magnitudinis succrescebat, ut latitudo ramorum ipsius cunctam repleret ecclesiam, extra[o] ianuam insuper se protendens. Quo profecto portendebatur, quia, quod olim dixit Dominus domino meo unigenito suo, Christo passo*
2 Petr. 1,17 *in carne, hoc famulo suo similiter, etsi non sicut vox huiusmodi lapsa ad eum a[p] magnifica*
Ioh 12,28. *gloria, ipso tamen effectu esset in brevi dicturus: „Et clarificavi et iterum clarificabo.“ „Clarificavi“ videlicet degentem in carne vita insigni, transitu glorioso de mundo migrantem, virtutibus et miraculis iam defunctum, „et iterum clarificabo“ in novissima tuba, inter omnes electos, interim vero sequentibus signis, que pro negligentia et reatu quorundam pro tempore cessaverunt.* Quod et rerum eventus in proximo declaravit.

28. Siquidem[q] paucis diebus elapsis, vespere sabbati cum post officium vespertinum processio ante altare sancte crucis solito ageretur, quidam aderat inter multos, qui puerum

a) De debili curato et muliere correcta. Radoldus 4. b) quotidie 4. c) Ieruta 4. d) arcellam 4. e) consequebatur 4. f) igitur 4. g) Quod pro tempore cessavit a signis. Cum 4. h) Wolframus 4. i) cancelleratam 4. k) Berchtoldum 4. l) Quomodo iterum claruit signis et miraculis. Igitur 4. m) Phinees 4. n) qua nesciret 4. o) et extra 4. p) a *addidi ex 2 Petr.* 1, 17. q) De puero coeco illuminato. Siquidem 4.

cecum in brachiis deportabat. Cui cum ianua clauderetur egresso, Theodericus quidam monachus ei obvians, et videns puerum esse cecum, redire consuluit et sancti suffragia postulare. Populo itaque qui iam exierat redeunte cum puero, Deo ac famulo eius pro illuminatione puerili a cunctis obnixius supplicatur. Et continuo Deus, omnium exauditor, cecos oculos claro lumine revestivit, suum glorificans confessorem. Rogatus ergo pueri gerulus, apud nos aliquamdiu demorari ob tanti miraculi testimonium, recusavit, se quidem et puerum esse protestans patre ac[a] matre carentes, et de Gallia Belgica oriundos ex territorio Treverensi, seque puerum compassione fraterna ad diversos sanctos spe circumtulisse salutis, cuius subventionem expertus nunc esset beati Erminoldi glorie reservatam. *Ideo*, inquit, *iam propter quempiam non tacebo et propter aliquem non quiescam, donec ad solum natale regressus, annunciem huius sancti preconia circumquaque.*

29. Item[b] mulier quedam iuvencula de civitate Ratisponensi, a parentibus matrimonio copulata, ita post breve[c] est dissoluta paralysi, ut loquendi usum prorsus amitteret, oculo altero privaretur, dentes haberet ad invicem ita compressos, ut hora refectionis cultello vix solverentur ad escam; manibus quoque contracta et pedibus, miserabile sui spectaculum prebebat. Que, more solito ponderata iuxta sepulchrum viri Dei per suos, mox tam integraliter est sanata, ut que ab aliis deportari consueverat, pedibus sanis accederet ad altare et manibus ante contractis[d] offerret, et muto prius ore missam a sacerdote deposceret celebrari, oculoque recepto letissime remearet[e] ad propria cum amicis. Set[f] postmodum etiam cum gratias Domino redditura sepulchrum sancti frequentius visitaret, puellula[g] quedam allata est, cuius manus contracta erat omnino. Quam manum cum mulier ante dicta tumulo confessoris imposuisset, astantibus fratribus et orantibus pro eadem puella, clamans: *Och*, integra sanitate recepta, in momento in ictu oculi manum ante contractam extendens, ovum quod casu in tumba iacebat puerili more attraxit, iocunditatem et exultationem risumque excutiens universis.

30. Alius[h] quidam puer, carne feda in inferiori palpebra succrescente, turpem faciem preferebat. Quam carnem cum medici et cyrurgici[i] dicerent resecandam, amici, maius periculum metuentes, consilio saniori Deo et servo eius deferendum puerum spoponderunt. Cumque mane iter arripere surrexissent, misericordia prevenerat iam fideles, carnemque abstractam penitus invenerunt, in patrate rei signum sanguinea tantum macula remanente. Qui beneficio Domini non ingrati, votum suum[k] devote solventes ad tumbam sancti puerum adduxerunt, narrantes laudes Domini et virtutes eius fratribus universis. Puer[l] quidam[m] continuo vomitu fatigatus, etiam[n] nil penitus alimonie retinebat. Qui ad tumbam sancti ponderatus a suis, sine mora plenam adeptus est sanitatem. Quedam[o] mulier horrendo ventris adeo fuit inflata tumore, ut et[p] ab aliis et a se ipsa gravida crederetur, patiens crebras, sicut solent habentes in utero, punctiones; verum solito pregnantium tempore devoluto, cum se non esse gravidam comperisset, ad sancti viri suffragia[q] se convertens, ad eius memoriam se devovit. Et illico sanitate recepta, votum suum implevit, ad viri Dei sepulchrum cum oblationibus et Dei laudibus se presentans. Quedam[r] Agnes in sancti Pauli monasterio[27] monialis, incredibili tussis incommodo fatigata, ad invocationem famuli Dei se sensit continuo liberatam. Que tempore alio morbo simili repetita, repetita oratione ad Dei servum, secundo mox curata est per eundem.

31. Iuvenis[s] quidam dictus Ulricus de Cevren[t], dolore gravissimo capitis molestatus, ad sepulchrum sancti devote se ponderans sine mora est redditus sanitati. Mulier[u] quedam paupercula, gravissima dissoluta paralisi, per decem et octo ebdomadas[v] pro quantacumque corporis sui necessitate vel se movere de lecto vel surgere non valebat. Que de viri sancti virtutibus concepta fiducia, quodam diluculo vestibus suis induitur, in Pruveningen asserens se ituram; quam cum femine commanentes insanire pre infirmitate putarent, deduci ab eis ad hostium[w] adtente postulans inpetravit. Hic[x] inter tenentium manus

a) et 4. b) De paralytica curata. Item 4. c) tempus *addit* 4. d) sacrificium *addit* 4. e) remearit 4. f) De contracta curata. Sed 4. g) puella 4. h) De quodam puero curato. Alius 4. i) chirurgici 4. k) suum *deest* 4. l) De alio puero curato. Puer 4. m) cum *addit* 4. n) esset 4. o) Aliud miraculum. Quaedam 4. p) et *deest* 4. q) suffragia — ad viri *desunt* 4. r) Aliud miraculum. Quaedam 4. s) De quodam iuvene sanato. Iuvenis 4. t) Ceſren 1. Cevuren 4. u) De muliere paralytica curata. Mulier 4. v) hebdomadas 4. w) ostium. 4. x) Haec 4.

27) Ratisbonensi.

sanctum obnixius obsecravit, ut si votum eius sibi placeret atque devotio, vires ad ambulandum[a] sibi aput Dominum optineret. Nec mora, tanta celeritate quas ductrices habuerat cf. Matth. 19,30. antecessit, ut prime novissime et novissima prima in itinere videretur[b], et vix eam alie consequi prevalerent. Alia[c] mulier dicta Alheidis de villa vicina cenobio sic est percussa paralisi, ut ore retorto deformiter ad maxillam et uno oculo excecato horrendam faciem Ian. 5. circumferret. Hec in vigilia epyphanie, quando in crastino anniversarius sancti peragitur, Ian. 6. ad sepulchrum eius accedens eius suffragia intentissime flagitavit. Itaque mane regressa oravit eumdem sermonem, et statim ore ad statum pristinum reformato et oculo restituto similiter, plenam adepta est sanitatem.

32. Quidam[d] Hertwicus[e] de Chepeten[f] ex nimio morbi fervore raptus in frenesym[g], de manibus se tenentium sepe proripiens currensque per silvam more lymphantium ferebatur. Qui adductus ad tumbam sui domini[h] per amicos, sancti[i] optentu post modicum integre restitutus est sospitati. Alius[k] quidam Leutwinus de villa eadem a gravi nimis infirmitate iuxta idem sepulchrum sancti meritis continuo est sanatus. Mulier[l] quedam paupercula gressu carens de loco ad locum scabellis se manualibus promovebat. Hec ad sepulchrum viri sancti deveniens ipsius auxilium invocavit, et protinus consolidate sunt bases eius et plante, ita ut baculi sustentaculo ad ambulandum quolibet[m] sit contenta. Cocus etiam fratrum[n], Heinricus[o] cognomine Wirth, cum post febres acutas tybiarum[p] Dec. 25. oculorumque dolore maximo laboraret, in die natalis Domini summo diluculo ad sancti viri sepulchrum devotius orans accessit et statim sanitate recepta per illum, suscepit, Deus[q], misericordiam tuam[r] in medio templi tui[s], ubi famulus Domini requiescit.

33. Berhtoldus[t] quidam civis de Ratispona cum de terra sancta reverteretur, morbo cepit gravissimo cruciari. Porro in partes veniens Allemannie, auditis beati Erminoldi virtutibus per diversos, pro sanitate recipienda ipsum adtentius invocavit, in sue exauditionis indicium ante, quam domum suam intraret, postulans se curari. Quod fideliter petiit efficaciter consecutus, recepta immo prerepta potius integra sospitate, domum reversus est, ut petivit. Eiusdem[u] Berhtoldi filia filiam habebat Agnetam, cuius pudenda morbus horrendus, qui cancer dicitur, occupavit. Anxia ergo mater pro filia ipsam ad tumulum viri Dei perduxit, eiusque invocato suffragio pro filie sospitate, censum quinque nummorum se sibi promisit annis singulis oblaturam. Quo facto filia plene curata, materna devotio cito se gratulata est exauditam. Altera[v] quoque filia eiusdem Berhtoldi filium parvum habebat difficultate urinandi graviter laborantem. Cumque medicorum alii esse stranguiriam[w] alii vero calculum iudicarent[x], eumque incidere oportere testarentur, amici eius ponentes in Deo spem suam, beati Erminoldi patrocinia requirentes, non sunt fraudati a desiderio suo. Nam puer adductus ad sancti viri sepulchrum illico integraliter est sanatus.

34. Alius[y] item civis Ratisponensis, Opertus nomine, filiam quamdam habebat, Rapotonis uxorem, que oculorum dolore ferme cecata, ducta ad viri Dei sepulchrum, cum decem nummos in censu eidem promitteret annuatim, insperatam oculorum recepit protinus claritatem. Quidam[z] de ipsa etiam civitate Heinricus, qui Vicedominus appellabatur, simili dolore laborans, ductu amici sui cuiusdam, etiam Heinrici vocabulo, ad sepulchrum patris sancti deveniens simili devotionis affectu, effectu curationis simili est gavisus[*]. Filius[a] eiusdem Heinrici filium quemdam habebat, qui distortis pedibus difficili gradiebatur incessu, qui et ipse beati[b] Erminoldi meritis est curatus. Alio item[c] tempore idem Heinricus a Deo fluxu cepit sanguinis infirmari, ut nullo quicquam medicamento proficere se sentiret. Ad nota ergo sibi iam secundo patris sancti suffragia se convertens[d], iterum curari meruit per eumdem dominum nostrum, famulo eius fidei[e] manu contacto, cuius fimbriam olim tangens emorroissa[f] recipere meruit sanitatem. Hoc[g] iam tertio manifestavit se Iesus eidem Heinrico in sui gloriam confessoris.

a) deambulandum 4. b) viderentur 4. c) Item de quadam muliere sanata. Alia 4. d) De quodam frenetico curato. Quidam 4. e) Hartwicus 4. f) Chepen 4. g) frenesim 4. h) tumbam servi dei 4. i) Erminoldi *addit* 4. k) Aliud miraculum. Alius 4. l) De muliere quadam contracta et sanata. Mulier 4. m) *deest* 4. n) Aliud miraculum. Cocus fratrum 4. o) Henricus nomine 4. p) tibiarum 4. q) domini 4. r) *deest* 4. s) sui 4. t) De infirmo quodam sanato. Berchtoldus 4. u) De quadam muliere curata. Eiusdem 4. v) De quodam puero curato. Altera 4. w) stranguriam 4. x) indicarent 4. y) De dolore oculorum curato. Alius 4. z) Item de oculorum dolore fugato. Quidam 4. *) exauditus 4. a) De quodam debili curato. Filius 4. b) *deest* 4. c) Item de debili curato. Alio autem 4. d) revertens 4. e) fideli 4. f) haemorroissa 4. g) Hic 4.

35. In[a] castro Napurch[28] mulier quedam, dicta[b] Leukardis, cuidam iuveni matrimonialiter copulata, cum quadam die vitreis anulis[c] more luderet puellari, maritus offensus eo quod necessaria negligens vanis intenderet, maligni spiritus ei imprecans incautus invasionem, coniugi non coniugaliter maledixit. Statimque, ut vel vanitas huius vel illius acerbitas nimia puniretur, dyabolus mulierem invadens acerrime cruciabat et verba per eam blasfema[d] et turpia proclamavit, accedentium culpas eis improperans et peccata. Cumque sacerdotes super eam dicerent exorzismos[e], *Vestra*, inquit demon, *verba non curo, nec adtendo blateramenta*[f]*; repellendus Erminoldo reservor, ille accepit eiciendi*[g] *me potestatem.* Et mirati sunt universi qui aderant et ipsi horum nil intellexerunt, eo quod nondum ad partes illas viri Dei preconia pervenissent. Et murmur multum[h] erat de eo in populo, quem demon diceret Erminoldum, et dicebant ad invicem: *Quid est hoc, quod dicit nobis demonium? nescimus, quid loquitur*[i]. Cum itaque crederent se illudi, affuit de Ratispona Rubertus[k] quidam, qui diceret se intelligere id, quod dyabolus loquebatur[l]. Et incipiens interpretabatur illis, qui aderant, verba que dixerat inimicus, beati Erminoldi vitam et sanctitatem et miracula plurima manifestans. *Ille est*, ait demon, *ille est, de quo loquor.* Instructo ergo vehiculo mulier superposita in Pruveningen adducta est per amicos. Cumque deventum esset ad fores ecclesie, illa reniti manibus cepit et pedibus, set vi deducentium et labore non modico sepulchro est superposita viri Dei. Ubi cum fratres dicerent exorzismos et preces effunderent pro vexata, vix illa ne effugeret tenebatur, cum subito, Deo suum famulum honorante, mulier altius ingemiscens, *Ach! ach*que proclamans, quasi resoluta in sompnum protinus conquievit. Cumque ablata sepulchro in terra super plumarium reclinata fuisset et, an haberet melius, quereretur, optime sibi esse ac se liberatam esse respondit, set nil penitus virium habere. Igitur amici cum illa tota nocte ad sancti tumulum excubantes, mane viam arripiunt revertendi, et cum iter agerent, omnes[m] vocem huiusmodi demonis audierunt: *Etsi ad te accedere non presumo, a te tamen longius non recedam.* Sana tamen domum mulier est revecta. Non multum temporis intercessit, et ecce amici femine liberate, Deo gratias non agentes, obliti sunt benefactorum[n] eius et mirabilium eius, que ostendit eis in illa. Ideoque quante culpe ingratitudo sit aput Deum, meruerunt[o] protinus experiri. Denique cum Dei ac sui famuli beneficia magnificare inter suos et laudibus dignis attollere tenerentur, illi magis ea occultare ac tegere satagebant[p]. Cum ecce subito in patris sui conspectu, demon revertens in domum suam, unde exivit, novissima hominis istius peiora prioribus faciens, per os eius cepit horribiliter exclamare: *Que vos occultare nitimini, ego faciam omnibus manifesta.* Hoc dicto acrius eam cepit quam antea cruciare. Igitur amici eius merita ultione confusi, vexatione dante ut assolet intellectum, ad cor redeunt, de[q] sua ingratitudine penitentes. Itaque ad benefactoris sui refugientes auxilium, ut sui misereretur et patientis, negligentie ipsorum dignanter oblitus, humillime postulabant. Aput sepulchrum igitur viri Dei denuo pernoctantes, Deo[r] sui famuli merita declarante, mane sanam et incolumem receperunt. Sicque Dominum collaudantes, ut decuit, cum sana et leta letantes ad propria sunt reversi.

36. Mulier[s] quedam per octo annos oculo uno prorsus orbata, plena fide ad sepulchrum confessoris accessit. Que cum tota devotione mentis oraret, coram omnibus, qui ad annunciationis dominice festa convenerant, lumen ad revelationem insignium merito- Mart. 25. rum et gloriam Christi famuli declarandam leta recipit, turbam non modicam habens sue testem illuminationis et Dei et eius famuli laudatricem. In[t] parasceue quedam de Ratispona mulier puerum fere septennem adduxit ad memoriam viri sancti, distortos immo prorsus inversos pedes habentem ac impotem[u] ambulare. Pro quo dum mater tota die usque ad horam prandendi precibus institisset, integre puer restitutus est sanitati; qui et in miraculi perpetrati memoriam de fratrum prandentium manibus sepe postmodum panem et cibos accipiens domum detulit matri sue. Alia[v] quedam mulier puellulam ferme quinquennem[w], similiter pedes habentem inversos et numquam valentem aliquid ambulare, ad

a) De daemoniaca liberata. In 4. b) *deest* 4. c) annulis 4. d) blasphema 4. e) exorcismum 4. f) attendo plateramenta 4. g) reiiciendi 4. h) multus 1. multum 4. i) loquatur 4. k) Rupertus 4. l) diabolus loquatur 4. m) *deest* 4. n) beneficiorum 4. o) apud dominum meminerunt 4. p) satatagebant 1. q) de *deest* 4. r) Domino 4. s) De muliere monoculata curata. Mulier 4. t) De quodam puero debili curato. In 4. u) habentem ac impotentem *desunt* 1. v) De puella parvula curata. Alia 4. w) quinquigenem 4.

28) Naabburg.

sancti sepulchrum in vigilia penthecostes[a] apportavit. Et ecce inter compulsandum ad vesperas, plurima turba presente plantis eius ac pedibus ad rectitudinem restitutis, usum gradiendi recepit iuxtaque sepulchrum primo quidem pedetemptim obambulabat, deinde vero diatim magis magisque proficiens integraliter est curata. Geroldus[b] quidam civis de Ratispona filiam habuit, que morbo epylempsie[c] adeo vexabatur, ut cottidie bis vel ter elideretur ad terram. Pro qua dum parentes per dies triginta continuos ad sepulchrum sancti viri eam ponderare vovissent[d], implevissentque quod voverant, filia reddita est integre sospitati, obviantibus sibi Dei misericordia et voventium et reddentium veritate. Qui et sancti beneficio respondentes, curatam eandem ob viri Dei sepulchrum cum una candela per annos singulos optulerunt. Mulier[e] quedam, Alheidis[f] dicta, de Turtenwanch[g], omnium destituta membrorum officiis, viro Dei ad censum nummi unius annis singulis se devovit. Nec mora, que omnium membrorum usu caruerat, omnium membrorum gavisa est se usui restitutam.

37. Duo[h] quidam satellites simul ierant[i] ad predandum[k], et capta preda, quando dividunt spolia tales, ceperunt mutuo corrixari; uno accusante quod minus sexaginta denariis recepisset, altero propter domini sui potentiam, quem habebat, verba socii contempnente, et irrogante insuper illi contumelias et terrores. Ille iniurie accepte non inmemor exinde querebat oportunitatem, ut eum traderet[l] sibi fortuna, qui gravamen intulerat. Quadam itaque die lesus et lesor obviaverunt sibi, et iniuriatorem se agentem incautius iniuriatus gladio petiit improviso, vulneratumque gravissime ad terram usque prostravit. Quo iacente, super dolorem vulnerum eius addidit ampliora, et plagis inpositis, abiit, semivivo relicto. Delatus igitur ad hospitium lacero corpore, biennio lecto decubuit, ita quod nullatenus valebat assurgere de eodem. Uxor autem illius flebat cottidie et lugebat, eo quod, unde conduceret medicum, non habebat. Tabescente sic illo et illa merente, nocte quadam reverenda quedam matrona flenti uxori non per sompnum, ut assolet, set clarissima visione apparens: *Quare merore consumeris*, ait, *absque profectu? Virum tuum beato Erminoldo transmitte, et remittet eum incolumem.* At illa: *Quomodo eum sibi transmittam, cum de lecto nequeat se movere?* Respondit, que apparuerat: *Tantummodo voveat se iturum, et vires augebuntur.* Hoc dicto, disparuit. Uxor vero narravit viro, que viderat; qui, facto voto, mane accepto baculo iter aggressus, licet cum difficultate ad tumbam, sancti devenit, seque ponderans domum regreditur, plenam, ut credimus, postmodum capiens sospitatem[m].

38. Aurifex[n] quidam, Gotfridus nomine, gente Suevus, vir mire simplicitatis, in artis illius omni genere cunctis qui erant Ratispone peritior, gravissimam oculorum patiebatur infirmitatem, adeo ut unus oculus excecaretur, insuper versus in cruentam carnem et nigram. Non[o] habens pretium medicos conducendi, cum vetularum ac mulierum experimenta quam plurima sine profectu aliquo requisisset, audivit, mulierem peritissimam in huiusmodi esse apud Herbipolim. Ad quam dum pergere decrevisset, set careret expensis, consultum est ab amicis, ut obmissis omnibus, suffragia beati requireret Erminoldi; quibus ille consentiens, oculo argenteo fabricato, ad sepulchrum sancti cum eo se ponderavit. Mira res, sub spatio noctis unius, oculum sanum ac purum perspicacioremque recepit, quam ante morbum se meminit habuisse. Heinricus[p] quidam, civis de Ratispona, die quadam venit in Pruveningen[q], Deo et sancto suo supplicaturus. Qui audiens inter multos a sacerdote, qui celebravit, Dei famulum commendari, habere se filiam testabatur, que, cum octo annis numquam ad ambulandum terram suis pedibus tetigisset ipseque adductam eam tribus ponderasset vicibus ad viri Dei sepulchrum, adepta esset[r] integram sanitatem, *que firmis nunc*, inquit[s], *gressibus usque in diem nititur*[t] *hodiernum.*

39. Mater[u] familias quedam de Ratispona, cum per se venire non posset, nummum ad offerendum accendendasque candelas[v] per mulierem, manentem secum in domo, ad sepulchrum viri Dei transmisit. Que cum aliis mulieribus veniens, candelas quidem accendit, nummum optulit ad sepulchrum, set clanculo retrahens ipsum, et fraudulenter marsubio[w] suo eum imponere cogitabat et reservare. Set mirum in modum duo digiti,

a) pentecostes 4. b) De epileptica curata. Heroldus 4. c) epilepsiae 4. d) voluissent 4. e) De quadam muliere multum debili curata. Mulier 4. f) Alhaidis 4. g) Tütenwanch 1. Tutenwach 4. h) De quodam vulnerato sanato. Duo 4. i) erant 4. k) prandendum 4. l) cum *addit* 4. m) sanitatem 4. n) De dolore oculorum curato. Aurifex 4. o) autem *addit* 4. p) De puella debili curata. Henricus 4. q) Pruvening 4. r) est 4. s) inquit *deest* 4. t) utitur 4. u) De muliere fraudulenta correcta. Mater 4. v) accedendo absque candelis 4. w) marsupio 4.

quibus illum abstraxerat et tenebat, ita continuo sibi sunt constricti, ut eos nec ab invicem solvere nec nummum excutere prevaleret. Abiit ergo cum sociabus tristis et merens. Que cum venissent[a] in campum, causam ab illa fletus inquirunt. Illa suum confessa reatum, manum protulit subtractricem, digitis adhuc tenaciter coherentibus et tenentibus quod abstulerant in occulto. Quem cum mulieres avellere niterentur nichilque proficerent, saniori use consilio, cum rea regresse manum cum furto super tumulum posuerunt, pro absolutione furis Deum eiusque piissimum confessorem suppliciter invocantes. Statimque digiti, qui ad furandum auferendumque coheserant, ad restituendum laxati sunt et soluti. Denario itaque misso in archam, mulieres cum gaudio Deum laudantes et famulum[b] eius, ad propria redierunt. Accepit autem omnes timor et magnificabant Deum, qui hoc miraculum audierunt. Altera[c] quedam Leukardis tantam incurrerat surditatem, ut tinnitu aurium crebro nimium lederetur; que tumbam viri Dei tertio visitans, plenam adepta est sanitatem. Alia[d] quedam Perngard[e] tantum dolorem patiebatur in oculis, ut multo tempore clausis eisdem ceca esse crederetur; que cum ad auxilium viri Dei devota venisset, statim in ipso ingressu ecclesiae diu clausi oculi[f] sunt aperti. Apertionem autem eorum tanta est lacrimarum effusio subsecuta, ut vestes mulieris usque ad pectus adeo madidarentur, ut perfuse fluvio viderentur. Accessit ad tumbam, Deo gratias agens eiusque magnifico confessori; domum inde rediens, plena post modicum gratulata est sospitate.

40. Multa quidem et alia signa fecit Iesus, famulum suum honorans, que non sunt[g] scripta in libro hoc, que vel quorumdam simplicium fratrum humilitas ultro suppressit, vel aliorum incuria oblivioni tradidit negligenter. Hec autem, que auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis et seniores fide dignissimi, brevi calamo perstringentes, futura, quorum Deus sibi notitiam reservavit, adnectenda committimus diligentie posterorum. Nam fiduciam talem habemus in Domino, quod nisi requirentibus famuli sui dilecti suffragia devotionis et fidei vasa defecerint, sui oleum non deficiet Helysei, ipso prestante, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

Cum[h] fidelium pia devotio amplius et perfectius circa nota, quam incognita, moveatur,
ut universi, qui presentem sunt ingressuri basilicam, cenobii huius Pruveningensis origi-
nem ac profectum usque in hec tempora non ignorent, pagellam hanc omnibus accessuris,
vice speculi duximus adhibendam. Sciendum est igitur, quod anno post partum Virginis
gloriose 1109 beatissimus pater, sanctus Otto Babenbergensis epyscopus, divina revela- 1109.
tione premonitus evidenter, ut in gestis eiusdem plenius continetur[29], locum hunc in Dei 29
ac sancti Georgii martiris victoriosissimi fundavit honorem, eoque in domibus, habitaculis,
officinis claustro convenientibus, per ipsius studium et industriam laudabiliter consummato,
ac communito liberaliter et habunde[i] prediis, silvis[k] ceterisque possessionibus, quas neces-
sitas vite cenobialis requirit, fratres collegit et instituit in eodem, qui sub beati regula
Benedicti Deo ibi perhenniter[l] militarent. Collecto ergo conventu, beatum Erminoldum,
cuius sepulchrum in medio basilice cernitur, huic ecclesie primum Domino disponente pre-
fecit abbatem, evocatum tam multiplicibus quam supplicibus litteris de Hyrsaugiensi ceno-
bio, in quo sub beati Wilhelmi regimine monastice vite iugum portaverat ab adolescentia
sua. Unde iam pridem propter summam perfectionem vite laudabilis, cuius fame preco-
nium longe lateque percrebruerat[m], ad Loracensem ecclesiam electus est abbas, et ab
Heinrico, quinto nominis huius imperatore, regalibus sollempniter investitus. Cui ecclesie 1106.
cum paulo plus quam anno gubernatione sanctissima prefuisset, ac sub tantillo spacio tem-
poris non minus quam quadraginta Domino sancte relligioni filios aggregasset ibidem[n],
propter quemdam conscientie levem scrupulum, culpam timens ubi culpa omnino non erat,
dignitatem abbatie illius resignans, cum fratribus Deo collectis ad Hyrsaugiense cenobium 1107.
remigravit. Ubi cum suis iocunde receptus est et servatus, et aliquanto tempore demoratus
ibidem, demum anno Domini 1114 a venerabili fundatore nostro, huic loco, ut dictum est, 1114.
gubernando preficitur primus abbas, et rogatu venerabilis domni Hertwici[o] tunc Ratispo-

a) venisset 4. b) familiam 4. c) De surda curata. Altera 4. d) De dolore oculorum fugato. Alia 4. e) mulier 4. f) oculi *deest* 4. g) sunt *deest* 4. h) Epilogus supra dictorum. Cum 4. i) abunde 4. k) sylvis 4. l) perenniter 4. m) percrebuerat 4. n) et ibidem 4. o) Hartwici 4.

29) Cf. supra p. 484 n. 14.

nensis episcopi et consensu, per sancte memorie Udalricum Pataviensem episcopum in 1117. Mai. 20. abbatem sollempniter consecratur[30]. Cumque in cura suscepti regiminis, boni pastoris instar, verbo pariter et exemplo subiectos a malo retraheret, provocaret ad bona, nichilque negligeret faciendum, set invigilaret divinis operibus incessanter, dyabolus, sua dampna et Dei lucra videns et invidens cottidie crescere per eundem, quosdam malitie sue satellites ad sancti patris animavit interitum et armavit. Ne igitur venerabilis Christi confessor, qui regimine patriarchas, apostolos documentis et signis, virgines castitate concives habere meruerat, martirum quoque palma careret, post multas iniurias contumelias et terrores ab uno ministro dyaboli ligneo per insidias vecte percussus, aliquamdiu supervivens, tandem in sancto 1121. Ian. 6. epyphaniarum die, sub ymno[a] videlicet angelorum, ad angelorum regem et regionem glorioso fine transivit, sicut in ipsius festi vigilia, prophetico quo plenus erat spiritu, ipse predixerat, eo ipso nos, quod pro signo sui dederat vaticinii, certiorans, quod numquam videlicet divinum cessare deberet obsequium in hoc loco, quod et ex tunc usque in hec tempora, sicut patet, eiusdem patris ut credimus meritis et optentu in suo statu permanet et vigore. Spiritu igitur migrante ad celos, corpusculum sancti patris in eo, quod in presentiarum cernitur, sepulchro devote reconditum innumeris mox cepit virtute Christi miraculis choruscare[b], cecis visu[c] restituto, quam pluribus contractis et claudis gressu, resolutione turgentibus et inflatis, epylempticis[d], paraliticis[e], energuminis[f], demoniacis, surdis, emorroicis[g] sospitate potita, blasphemis vero punitis igne tabifico[h], lepra et morte postremo qua[i] merebantur, punitis etiam[k] et correctis accedentibus vel agentibus aliquid circa ipsius tumulum fraudulenter, sicut liber[l] miraculorum ipsius plenius manifestat[m]. Ceterum inter virtutes et signa, que diximus, non debet hoc minimum reputari, quod cum aliquanto iam tempore memoria sancti patris ab hominibus intermissa fuerit et neglecta, nunc tandem tam crebra visitatione accedentium et tam continua[n] renovatur, ut hoc quod de iusto per sapientem Eccli 39,13. scriptum est: *Non recedet memoria eius, et nomen eius requiretur a generatione in generationem*, ipso facto et evidentia in eo sit impletum. Propter quod et[o] profecto speramus, quod Deus omnipotens, in suo famulo glorificari et in se glorificare disponens eumdem, omnes, qui per ipsum Domini beneficia postulaverint[p] pie fideliter et adtente[q], misericorditer vel ad votum exauditurus sit vel ad fructum. Cursim ista perstrinximus et summatim, quatenus omnes, qui Dei ac famuli sui patrocinia postulaturi advenerint, ipsius aliqualibet merita cognoscentes, exauditionis sue fiduciam eo ipso concipiant ampliorem apud Deum, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

a) hymno 4. b) coruscare 4. c) viso 4. d) epilepticis 4. e) paralyticis 4. f) energumenis 4. g) haemorroicis 4. h) tabefico 4. i) qui 4. k) etiam *deest* 4. l) libro 4. m) manifestatur 4. n) accedentium iam continuo 4. o) et *deest* 4. p) postulaverunt 4. q) attente 4.

30) Cf. supra p. 490 n. 21.

VITA FRIDERICI EP. LEODIENSIS.

EDIDIT W. WATTENBACH PH. D.
TABULARIUS REGIUS WRATISLAVIENSIS.

Ecclesiarum cathedralium status saeculo XI medio florentissimus, labefactatus est turbis paulo post exortis, quibus etiam laeta olim Leodiensis ecclesiae gloria contrita est. Quam quum utcumque Otbertus, magnae constantiae vir, sub Heinrico V rege renovasset, mortuo pridie Kal. Februarias a. 1119 *episcopo, post Alexandri electionem et investituram adversariorum furor ecclesiam scidit, et contra ius et fas alterum pontifici Romano consecrandum obtulit. Fridericus iste, Namucensis comitis frater, bellis omnia miscuit, saevientibus per totum episcopatum Frederinorum et Alexandrinorum tumultibus, quos in Gestis abbatum Trudonensium*[1] *descriptos legimus. Obeunte a.* 1121 *Friderico, adversarii veneficii insimulati sunt; ipse, quum inter suos martyris loco haberetur, non potuit quin miraculis virtutem suam ostenderet. Alexander autem ille, a.* 1128 *sede Leodiensi iterum potitus, quum post quinquennium factione adversa praevalente rursus pelleretur, Fridericus ab omnibus praedicabatur, et miraculorum, quae, ut ait Anselmus Gemblacensis, ad eius sepulchrum visa a plerisque conjiciebantur, relatio, cum vita ipsius, ad alias ecclesias transmissa est. Eam igitur vitam Aegidius Aureae vallis monachus Renero vel Reinero tribuit, Sancti Laurentii Leodiensis monacho, cuius opuscula non pauca habemus. At neque in eorum catalogo, quem ipse Reinerus scripsit, vita Friderici legitur, neque vero Reinerus, qui a.* 1230 *obiit, haec scribere potuit, quum diu post mortem Friderici natus sit. Auctor enim huius vitae, praesentem se ipsum omnia vidisse plus semel profitetur, etsi diu post obitum episcopi, scilicet Alexandro iam altera vice expulso et mortuo*[2], *i. e. post a.* 1135, *haec scripsit, mortuo etiam Godefrido duce*[3] *qui a.* 1138 *obiit, et Godefrido Namucensi*[4] *qui a.* 1139 *in Floreffiensi quod condidit monasterio monachus factus decessit. Multum igitur auctor anonymus moratur in referendis miraculis, in vituperandis adversariis; res gestas paucas admodum memoriae servavit, sed data opera descripsit mortem episcopi, quam veneno ab inimicis ei ministrato attribuit. Confirmatur hoc Annalibus Rodensibus; refragatur silentium ceterorum, eius praesertim qui Gesta abbatum Trudonensium continuavit.*

Codicem novimus unicum Alnensis monasterii, quo post Molanum initio s. XVII Chapeavillius usus est; frustra mox eum quaesivit Henschenius, sed Edm. Martene

1) SS. X, 299—302. 2) cap. 2. 3) cap. 1. 4) cap. 4.

a. 1729 *inde produxit vitae textum, Coll. Ampl. Vol. IV. col.* 1023—1032. *Postea codex rursus aut periit aut absconditus est; nobis sola Martenii editio praesto fuit, sed hic magnam miraculorum partem omisit, quam restituimus ex Aegidii Aureaevallensis Gestis episcoporum Leodiensium, quorum cap.* 20—22 *ex vita nostra excerpta sunt, insertis duabus ex Gestis abbatum Trudonensium laciniis. Aegidius autem minus veritati studuit, quam honori episcoporum Leodiensium, quod iam in editione Cantatorii S. Huberti*[5] *animadvertimus. Eapropter Alexandri ut videtur honori consulens, omnem illam de venenata potione historiam omisit. Id argumento est, etiam alteram Friderici vitam, etsi verbis subinde leviter mutatis, ex solo Aegidio haustam esse, quia et hic plane eodem modo narratio de morte episcopi omissa est. Excerptum hoc Godefridus Henschenius a.* 1688 *edidit in Actis SS. Maii VI,* 726. *ex codice Sancti Laurentii Leodiensis saec. XV, iam Bruxellensi* 9742, *quem denuo contulit Bethmannus noster. Quibus subsidiis in emendando textu Marteniano paucis locis uti potuimus; miraculorum excerpta tantum damus ex Aegidio, qui ea teste Martenio maiore ex parte retulit: neque vero quemquam reliquorum iacturam aegre laturum esse confidimus.*

PROLOGUS.

1. Omnibus sanctae catholicae ecclesiae filiis, fideles qui sunt Leodii, unitatem spiritus in vinculo pacis. Benedictus pater misericordiarum Deus, qui multis persecutionum fervoribus decoloratam Leodiensem ecclesiam sub umbra alarum suarum protexit semper ac protegit a facie impiorum qui eam afflixerunt, filiosque suos in ipsa tot hostium oppressione cribratos sicut triticum, ne deficiant tolerantia donat. Quae facta sunt in ea his diebus de pastore nostro sancto Frederico, qui fuit vir clarissimus sanctitate ac genere coram Deo et omni populo, operae pretium duximus stylo memoriaeque mandare, ut non desit posteritati servandi ovile Domini cautela, ne fur qui non intrat per ostium, aliunde ascendens furetur et mactet et perdat. Vidimus enim quantas dederint ruinas, urbe oppressa multisque mortalium caesis, ad extinguendam canonicae electionis lucernam, domnum Fredericum, dux Lovaniensis Godefridus et advocatus Hasbaniae Wigerus, ceterique proceres Lotariae; sed gratia Dei longe aliter ac rati erant cessit. Coronarunt siquidem martyrio iustum, cuius memoriam auferre de terra nequicquam maturavere, ipsique non diu supervixere; enimvero aggravata super eos manu Domini post decessum sancti, Wigerus improvisa morte, dux longe maximo exantlatus languore interiit. At ne quis abusive martyrem me dixisse arbitretur, quod ignis incendium, quodve ferri supplicium gravius est, quam quod veneno interfectus, intolerabilia vitae protelavit supplicia? Verum rem ipsam exordiamur.

VITA SANCTI FREDERICI LEODIENSIS EPISCOPI.

1119. Ian. 31. 2. Antistite Leodiensium Oberto universae carnis viam ingresso, collecta fidelium synodo, de substituendo pastore consultum est, sapientium sententiae propalatae, ratio multa sed diversa variaque: pars siquidem amicum, pars proximum, alii alium delegere; nefas, dedecus, praeterea damnum et calumniam quisquis ratus est vinci, nec potuerunt libidini simul et usui parere, quia profecto haud facile recte consulitur ubi haec officiunt. Orta est proinde magnae dissensionis procella, tumultuantium fluctibus naufragante ecclesiae cymba. Discordare ab invicem clerus et populus, nobilitas et vulgus, quorumdam arbitrium approbari, quorumdam improbari, effusaque contentio super principes errare fecit eos in invio et non in via. Heinricus fons huius seditionis[6], causa dilationis domnum Fredericum praepositum, totius pacis et concordiae amicum, frivola appellatione invitat

5) SS. VIII, 566. 6) ut videtur, ille archidiaconus ecclesiae S. Lamberti, filius Cononis comitis, qui commemoratur in Gestis abb. Trudon. SS. X, 303.

ante metropolitanum episcopum. Interea Alexander, unus archidiaconorum et thesaurarius 1119. ac viceepiscopus ecclesiarumque sancti Martini sanctique Bartholomaei praepositus, vir consilio et sapientia clarus, ambitione obscurus, primates senatus seorsum ducit; alios muneribus, alios spe pecuniae, nonnullos honoris, si prosperaretur, desiderio allicit; sicque cor suum eis aperuit. Praebuerunt assensum quicumque fuerant factiosi, novarum rerum cupidi, seditiosi, adulatores falsitatis, omnes sub peccato venumdati; horum factione ratus quod deliquisset tutum fore, manum suam levavit ad fortia, nichil intemptatum relicturus, elevabaturque quodammodo dicens: *Ego regnabo.*

3. Ea tempestate rem publicam gubernabat Heinrici IV impia proles Heinricus, qui Absalon exemplo patre propulso regnum sibi usurpaverat; qua re quanta nostris diebus nefaria exarserint, reticere quam propalare praestat. Hunc Alexander similem sibi quaerens, cum sociis adiit; multaque pecunia, et ut fertur septem milibus librarum argenti, sacerdotium comparavit, ac rediens metu potius quam amore a duabus dumtaxat, quibus praesidebat, suscipitur ecclesiis. Nam domnus Fredericus reliquis ecclesiarum, ne profanae susceptioni interesse auderent, interdixerat, multa oratione consolans pavitantes, ut iactarent cogitatum suum in Domino, qui non dabit in aeternum fluctuationem iusto. Civem quoque notum Franconem, qui postmodum monachus obiit, misit, quinam huic funestae interessent electioni exploratum. Adiensque ille fores ecclesiae propter altare sanctae Gertrudis, speculaturus super arcam incubuit ad rem dissimulandam. Porro Alexander, pone sequentibus[a] duabus congregationibus ac duce Lovaniensium cum maximo militum et totius factionis eiusdem comitatu, ubi oratorium ecclesiae ingressus est, scillam ex more 7 pulsaturus arripuit[7], sed rupto fune nequicquam attemptavit; quod pro sinistro omine multi acceperunt. Cum ecce subintrans anachorita quidam, a tergo et ante dumtaxat caprarum pellibus protectus, crine longo, barba prolixa, pilosus undique et hispidus, astantem convenit Franconem: *Salve,* inquiens, *frater.* Siluit ille stupore, quisnam esset ignarus; neque enim parem se vidisse professus est. Postmodum dixit ei: *Scio quoniam quis sim ignoras, michi tamen notus es tu. Itaque audi verbum Domini; missus sum ab eo futura nuntiare tibi, ut per te res ceteris innotescant. Iste qui pro episcopo se habens nunc ingreditur, noveris quia non prosperabitur, neque stabilietur; proiectus est enim a facie Domini, ne dominetur in populo Dei. Elegit sibi Dominus alium secundum cor suum, virum totum ex sapientia et virtutibus factum; ipse pascet gregem Domini in sanctitate et iustitia, stans super speculam eius iugiter per diem, et super custodiam suam cunctis noctibus. Requies illi nulla erit, tribulationes multorum, improborum insectationes, quaqua versum pressuris attenuabitur, dies eius breviabuntur. Verum post obitum mira per eum Dominus operabitur, ad declarandum cuius sanctitatis cuiusque dignitatis fuerit. Succedet in pontificatu quidam haud aliam ob causam, nisi nobilitatis titulo. Ab initio prosperabitur, formidabitur; sed sensim deficiet, in finem vilipendetur. Tertius mundialem legem perdoctus ordinabitur episcopus, tamen non morietur.* His blande dictis maturius sese subripiens abscessit. Nec cunctatus ille ad praepositum rediit, quod viderat quodve audierat referens; missum est continuo ad revocandum, disquiritur ubique locorum, sed nequicquam: enim vero, utpote qui a Deo missus, non comparens inveniendi spiritus quaerentium se frustratus est. Verum de verbis prophetiae eius nichil cecidit in terra. Nam quod Alexander, qui elevabatur in episcopum, non permanserit, sed Deus domnum Fredericum in praesulem confirmaverit, et ei coronam iustitiae multis tribulationibus fabricaverit, defunctumque virtutibus et signis clarificaverit, praesens relatio continebit. At quanti habitus initio pro fastu Adalbero, qui domno Frederico successit, sed paulatim ex imbecillitate sensus et corporis viluerit; atque Alexander illi succedens, quantum primo formidatus sit saecularium terrore iudiciorum, sed post declinans in avaritiam, debilitatus sit: ad extremum quoque e multis emergentibus accusatoribus degradatus et exepiscopus obierit, omnes ipsi vidimus, et testes verae prophetiae sumus. Haec[b] in transcursu diximus ad comprobandum, quia Dei iudicium semper statuat in ecclesia sua dispensatores mysteriorum, bonos et malos secundum merita subiectorum. Nunc ad materiam redeamus.

4. Archiepiscopus Agrippinae Coloniae[8] zelo iustitiae armatus, excommunicationis 8 iaculum in Alexandrum iacit; legatos Leodium mittit, ne simoniace provectum suscipiant,

a) subsequentibus *Aegid.* b) Nec *Mart.*

7) cf. Ducang. s. v. *Investire.* 8) Fridericus.

1119. Mart. 23. auctoritate beati Petri suaque interdicens. Mandat praeterea primos ecclesiarum dominica in palmis in metropoli coram adesse, ipsa videlicet die qua domnus Fredericus invitatus erat. Quid multis? Itum est, eidem de inordinata appellatione satisfactum, Heinrico poenitenti venia data. Alexander secundum canonum decreta discutiendus accitur, nec adveniens anathematizatur. Leodienses in propria sede electionem habituri licentiam petunt, si April. 23. prospere cederet grates acturi; si secus, 9. Kal. Maii Coloniam regressuri. Reditur, synodus renovatur, consulitur super his, factione ducis res impeditur. Agrippinam recursatur; eo loci missa de Spiritu sancto perorata, et spiritu consilii adstante, domnum Fredericum, virum secundum cor Dei, delegere pari voto nec impari desiderio, acclamantes ipsum ordinandum praesulem, felicem fore tali ecclesiam pastore. Res ipsa hortari videtur, quoniam tempus ammonet, supra[a] ad sancti huius genealogiam repetere, et qua stirpe, queis maioribus oriundus prodierit, per excessum paucis disserere.

INCIPIT DE NATIVITATE SANCTI FREDERICI EPISCOPI.

5. Fuit enim insigni ex prosapia Pipini et Caroli magni haud obscuro loco Namucensi editus, patre Alberto, matre Ida; qui Albertus eiusdem Namucensis castelli comes opulentus, podagricus quidem extitit, verum militaribus armis famosus et insignis, trium filiorum germine floruit, quorum Godefridus primogenitus eidem iure successit, postque maximum vitae huius statum, schemate suscepto regulari in Floreffia[9], in senectute bona migravit. Alter secundis rebus felix Heinricus, Rupis comes militans. Tertius Trinitatis cultor Fredericus, nutu Dei ab ineunte aetate studiis liberalibus Legiae traditur erudiendus. Interea proficientibus in eo religiosae vitae meritis per accessum aetatis, matris ecclesiae canonicus efficitur, deinde archilevita ordinatur, eiusdemque ordinis gratiam moribus condignis executus, praepositus sublimatur.

Deliberaverat vero iam dudum peregrinari pro Christo. Quam deliberationem perficiendi tum nactus facultatem, procrastinare ulterius non distulit. Igitur ecclesiae tutelatorem dispensatoremque loco suo Andream sibi familiarem statuit. Praeterea bonae memoriae abbatem coenobii sancti Laurentii adiens Berengerum[10], omnem praeteritam actuum suorum viam in confessione revelavit, eiusque et omnium fratrum se commendans orationibus, Ierosolimam contendit, ubi quo affectu et desiderio sancta frequentaverit loca et adoraverit, vix dicere sufficit. Iam vero ad superiora redeamus.

Itaque, ut praelibatum est, Coloniae electus ex sententia totius cleri ac populi, suscepit iugum Domini, tametsi vitae periculum mortisque discrimen se suscipere non ignoraret. Oct. 20. Collecta subinde Remis synodo, summae sedis apostolicae pontifex[11] affuit, qui et electum Oct. 26. Domini chrismate sacro perunxit. Ita consecratus Leodium nudis plantis repatriavit[12]. Processitque obviam civium pars maior, exinde autem suscipitur a clero, et facta est laetitia magna in populo.

6. Fautores interea Alexandri contabescentes in se malitia recrudescunt, nullam quam ei inferre queunt, praetermittunt molestiam. Ipse nichilominus Alexander pace turbata castellum occupat Hoiense, ducis comitisque Lamberti[13] sibi promissum opperiens adventum. At domnus Fredericus et frater eius[14], principes militiae exercitus Domini, videntes quia multiplicata sunt mala, dederunt se murum pro domo Domini, periculis sese obicientes; dispositisque necessariis Hoium petunt. Incolae vero ultro fores aperientes, obviam pergunt, se suaque omnia dedentes; at illi ingressi[b] vineis ac machinis castellum expugnare aggressi sunt, cum interea dux magno cum exercitu nuntiatur[c] adventare. Cui ut obstrueretur transitus concurrentes quidam, pontem in securi et ascia deiecerunt. Ita ducis frustratus est adventus. At parte ex alia Lambertus comes per angustam semitam, quae inter fluvium Mosam et asperrimam rupem arctissime patebat, amotis equis propter loci difficultatem adventabat, prosequente militantium atque inferioris ordinis longa caterva. Cui

a) *fortasse* superiora *Mart.* b) ingressis *Mart.* c) *ita Aegid. et cod. Leod.*, nuntiaretur *Mart.*

9) Insigni monasterio ordinis Praemonstratensis, quod ipse Godefridus praesente S. Norberto fundaverat anno 1121. MART. 10) obiit a. 1115. Nov. 16. 11) Calixtus II. 12) Solebant quippe novi praesules cum ad episcopalem sedem primum, accederent possessionem adepturi, nudis pedibus urbem ingredi, quod hactenus observant in Gallia episcopi Belvacenses. MART. 13) de Muhel appellatur in codice Leodiensi, de Monte acuto in Gestis abbatum Trudonensium XI, 4. SS. X, 299. 14) Godefridus comes Namucensis.

frater episcopi occurrens, ubi audiri ab eo potuit: *Ergone*, ait, *contra me in arma venis, cui* 1119. *hominium iusta de causa fecisti?* At ille frendens ira: *Omne*, inquit, *hominium tibi hodierna die exfestuco.* Tunc comes: *Et ego*, ait, *te ut perfidum hac hasta per medium fallacis oris transfigo*[a]. Dixit, iactoque telo fauces eius, cum esset galeatus, traiecit. Hoc ille oppido sauciatus ictu ruit, captusque est ligandus in compedibus et manicis ferreis. Fateamur necesse est virtutis fuisse Dei, hominem armatum ab inermi viro vinci potuisse; quia nimirum sui divino quodam terrore perculsi versique in fugam erant[15]. Interea dux cum 15 gravi ira inefficax rediens, omnia municipia episcopii aut comitatus Namucensis cepit, omnesque fortes ubique locorum suo copulans agmini, Leodium in manu gravi peraccessit; reversusque est et ipse episcopus[b] una cum fratre suo, crebros et inexorabiles[c] eius aequipollenter expugnavit assultus, gratia Dei per omnia victoria triumphans[d].

7. Miserabile tum erat videre pontificem comprimi ab hostibus ferro, torre ac rapina palam saevientibus; ab occultis maxime, quos felicitas amicos, infortunium vero sibi effecerat inimicos, quique tametsi illi adhaerebant, partibus tamen favebant Alexandri; et quanto familiariores, tanto magis erant formidolosiores. Quae enim efficacior pestis ad nocendum, quam familiaris inimicus? Ab his ergo cum plerumque pastorali pervigilio sacrorum frequentanti loca insidiaretur, utque desisteret ab amicis rogaretur: *Num*, ait, *o carissimi, voluntati Dei contraire valemus? Testis est michi scrutans corda et renes Deus, quia occidi quam ab amore eius alienari malo. Sive enim morimur, ait apostolus, sive vivimus,* Epist. ad *Christi sumus.* Hac itaque fidei constantia invigilabat, nec iniquorum furor refrigescens Rom. 14,8. adeo exarsit, ut mortiferum veneni poculum pararetur. Quid ultra morer? completa est iniquitas eorum. Muneribus siquidem nescio quo[e] pincernarum eius corrupto, venenum poculo ipsius[f] clam miscuerunt. Ipse autem, ut erat adeo[g] honestae simplicitatis, inconsulto quidnam esset bibit. Infirmatus est, languor supercrevit, decidit in lectum. Confortati[h] sunt operarii iniquitatis, iteravere calicem mortis, bibit secundo sacerdos, dolor invaluit, virus singula membra pererravit, unum oculorum eius excussit, alterum extinxit. Cerneres omnibus venis inflatam cutem, et utris instar tensa vitalia. O quam triste erat videre tanta vexari calamitate sacerdotem sanctum, pium virum, nobilem, honestum, carne candida, pulchrum facie, statura procerum, cum vix ei respirare vitaliter saltem fas esset. Huc accedebat, quod infelicissimum infortunii genus est, pristinae memoria felicitatis. Quis non doleret? quid non pavoris? quid non ammirationis? quis non obstupesceret? O terque quaterque beati viri tanta tribulatione purgati, sicut aurum fornacis, miram patientiam! Cum non impar sancti Iob: *Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum,* Iob 1,21. immurmuraret.

8. Coepit interea suspiria longa trahere, mors et vita secus esse, cogebatur egredi anima debilitate; sed nequibat, quia nondum venerat hora eius, ut transiret ex hoc mundo. Ipse vero intra se ingemiscens incolatum suum prolongari, quippe cui mors quam vita potissima erat, flebat nocte ac die, ita desiderans ad Deum vivum, quemadmodum cervus ad fontes aquarum. Indignati interea fautores huius sceleris, quod non iuxta, ut rati erant, extemplo deficeret, et periret nomen eius, verbum iniquum constituerunt adversus eum. O nefanda crudelitas! renovaverunt poculum pestiferum, obtulerunt pontifici in extremis agenti. Quo hausto, tum vero mirum in modum ruptis intestinis, patentibus ossium medullis, penitus defecit, cilicioque sese superponi praecepit. Nec immemor dominicae vocis: *Dimittite et dimittemini,* pro eorum, qui obtrectatores sui esse videbantur, amarissime flevit Luc. 6,37 peccatis, et noluit consolari pro impiis, quia non sunt[i]. Quos tamen potuit accersivit, quod facere debuerant fecit, pedes eorum amplexatus est, veniam, quo magis compungerentur ad poenitentiam, petiit, illis quod deliquissent benigne indulgens. Accito praeterea domno abbate coenobii sancti Iacobi in Insula[16], potestate illum donavit quos excommunicatione 16 ligarat solvere, et si quis neci eius consentiens interfuisset, si secundo confessionis lavacro ablui vellet, non abnueret. Post haec heros laudabilis versa facie ad orientem, tanto revera illustrius mentis acie ad Deum lumen verum erecta, quanto minus oculorum lumine videbat,

a) *ita Aegid. et cod. Leod.* inficior *Mart.* b) Godefridus *Mart.* c) maximos *Aegid. et cod. Leod.* d) *sequuntur utroque loco pauca tantum de morte eius verba.* e) *ita Chapeav.* quem *Mart.* f) eius clam miscuit *Ch.* g) *deest Ch.* h) suntque o. i. confortati *Ch.* i) *excidisse verba aliquot patet.*

15) Acriter utrimque pugnatum esse, legitur in Gestis abb. Trud. XI, 9. 16) Olberto abbate sexto qui suffectus est Stephano anno 1112. MART.

Luc 23,46 compositis honeste membris: *In manus tuas commendo spiritum meum, o Christe pastor bone*, dixit, interque discipulorum manus corpus linquens exanime, feria sexta qua sanguine filii Dei redemptus est mundus, requieturus in sabbato, cum eo qui in ipso requievit ab
1121 Mai. 27. omni opere quod patrarat, animam caelo reddidit 6. Kalend. Iunii, quae assumpta est cum candidatis in comitatu caelestis agni. Irruit mox super collum eius sine ordine numeroque turba clericorum, pars caput, pars pedes, dextram alterque laevam osculari, lacrimis rigare; ille propter sedens complosis manibus lamentari, is praeterea crines barbamque maestitiae causa vellere, clamor ingens luctusque esse.

9. Pulsatis interea ex more signis, vix sedatis amicis, episcopaliter vestitus in sacrarium defertur. Nudatur ad lavandum corpus sanctissimum. Mira res! venenum ab ore oculisque et auribus eius ut rivulus aquae coepit defluere; rupta cute, consumpta carne, ossa lacte candidiora parere. Quod ipsi videntes admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos. Domnus Andreas tunc temporis praepositus, infra annum
17 Ultraiecti episcopus[17], perexsanguis expalluit, exclamavit, solo decidit veluti exanimis. Interea peracto demum officio, in medio templo locatur. Clerici et monachi congregantur, vigiliae perorantur, nox insomnis pervigilatur; orto sole missarum sollempnia peraguntur, ante maioris cancelli oratorium in faciem crucis Christi, per quem ei mundus crucifixus erat et ipse mundo, tumulatur. Plus de vita sancti huius explanare supersedemus propter scylleos canes, quorum nonnulli qui illum oderant, adhuc vivunt. Ceterum de miraculis, quibus secundum anachoritae vaticinium exuto homine nobiliter claruit, brevi absolvam ad
1Cor 12,6. laudem et gloriam ipsius, qui operatur omnia in omnibus, cui quod est esse perfectum est in saecula saeculorum. Amen.

18 10. Igitur anno 1122 ab incarnatione Domini, indictione decima quinta[18], translatus ad superos vir Domini Fredericus, terris deinceps insplenduit multis miraculorum signis, quibus ad laetitiam maerentium lamenta civium convertit. Mutatio dextrae Excelsi. In primis visiones de gloria eius monachis, clericis, laicisque visae sunt[a]; ne forte quod dici solet: *Multas curas sequuntur somnia*, opponatur ab obtrectatoribus, rumori relinquimus. Ceterum per 12 annorum curricula ad mausoleum eius multiplices infirmorum greges diebus ac noctibus excubabant. Nam ibi alii visum amissum, alii auditum, alii gressum recipiebant, alii loquebantur. Iam praeterea omnes sanabantur, nonnulli etiam parvulos suos pro benedictione deferebant.

1134? 11. Interea sanctorum apostolorum Petri et Pauli natalitius supervenerat dies, fidelisque Leodiensis populus, ne tanti viri sepulchrum luminis honore diutius careret, consultum convenit. Maiores natu fraternitatem initiandam sanxerunt, omnibus assentientibus ad hoc ipsum. Maturat interea quisque pro posse donationem. Sed dispositione Domini, qui sanctum virum mirifice parabat glorificare, in subsequenti dominica dilatum est. Neque vero bonorum vota dilatione minuuntur, immo praedicta die animaequiores adsunt. Virtutem plerumque sequitur invidia. Nonnulli siquidem clericorum nobiles, quibus, ut ait beatus Gregorius, nobilitas carnis pariebat ignobilitatem mentis, advenere, nichil religionis hoc inesse facto asserentes; debere potius ex praesenti donatione pavimentum super tumulum reparari, praesertim cum non esset de amicis episcopi, cui id suppeteret, hocque plurimum placere Deo et beato martyri Lamberto. Hac itaque religionis specie populum arcere nitebantur, ne terram, ex qua miracula fieri videbantur, raperent. Verum talium reprobavit consilia principum Dominus, votaque suscepit humilium, infra nonam puellam adultam nimiaque renum collisione natibus sese trahentem, ad tumulum sancti erigens sanam[b].

Praeterea puerum a nativitate caecum, eadem qua euangelicum illuminavit virtute,
Luc 24,25. sine luto et aqua Siloe. O stulti et tardi corde ad credendum! Parentes, affines et amici, praeterea omnes qui aderant, magno clamore in laudem Dei sanctique pontificis ecclesiam repleverunt super illuminatione adolescentis praefati. Tamen clerici pertinaci animo resistentes, nequaquam se credituros esse dicebant, nisi eos quos domi stipe sua pascebant infirmos sanari viderent. Dominicus tunc erat dies; instare ergo cum magna irrisione

a) *addendum videtur* quas. b) *hucusque textum dedit Martene; sequentia ex Aegidio supplevimus, collato codice Leodiensi.*

17) Andreas a. 1127 Goteboldo successit; sed a. 1123 hic indignationem imperatoris incurrerat, teste Ekkehardo SS. VI, 261. 18) a. 1121 ind. 14. mortuum esse constat ex Annalibus Leodiensibus SS. IV, 30; Anselmo SS. VI, 377; Gestis abb. Trudon. SS. X, 302.

coeperunt, operientes eventum rei, si quis eorum sanaretur; instar Iudaicae perfidiae, quae crucifixo Domino illudebat dicens: *Si filius Dei est, descendat de cruce, et credimus ei.* Sed Matth. 27, 42 neque tunc Redemptor noster de cruce descendit, qui tertia postmodum die resurrexit; neque modo Christi servus Fredericus hostium irrisioni paruit.

12. Tamen quarta feria, hora diei sexta, mulierculam in ipsa aegritudine decrepitam, virtute vere divina sospitati reddidit. Haec illorum sustentabatur agape, in[a] hospitali quod nunc ad Catenam vocatur[19]. Alia quoque puella, diuturna caecitate mulctata, ibidem iacebat, precabaturque obnixius, ut quam audierat tam mirifice curatam, videre mereretur, quatenus et subsidii et laudis esset socia; nec est fraudata desiderio suo, siquidem infra nonam visum recepit. Quaedam etiam anicula, cuius pedes natibus, et costis haeserant lacerti, vergente iam ad occasum sole, sospes exiluit eadem die, laudans et glorificans Deum et sanctum eius Fredericum; neque tantummodo sanari meruit, verum etiam ut iuvencula renovari. Ita virtus Trinitatis tribus miraculis sanctum suum die illa mirificavit. Dies quae illuxit altera, nichilominus miraculis est illustrata. Duae siquidem mulieres contractae ibidem pristinae sanitati sunt restitutae. Vir quoque ex eadem id loci convaluit infirmitate.

13. Percrebuit interea undique tantorum opinio gestorum. Quapropter aegra quaedam mulier, numquam biennio de cubiculo egressa, spe recuperandae sanitatis eodem se ferri postulavit; et super cathedram, manus enim sese tangentium pati nequibat, delata est. Intransque basilicam sancti Lamberti, qua potuit voce ferentibus se ait: *Iuxta sepulchrum sancti Frederici me locate. Sane cuius pietatis fuerit iste homo non ignoro, atque miserebitur michi, nisi, quod absit, ante Deum caritatis viscera mutaverit. Scio enim quantae bonitatis fuerit. Quis enim infirmus illum ignoravit? quis egenus eius ope non est usus?* Haec ea muliebri questu dicente, haud procul a tumulo posita est. Crevit dolor tum magis et desiderium salutis. Noctem ibidem cum duxisset insomnem, alterius diei primo mane exaudiente Domino desiderium pauperis, surrexit incolumis.

14. Eo ipso momento, stupore rei attonitis omnibus, aliud apparuit miraculum. Mulier quaedam eatenus dextrum perdiderat brachium, ut plus esset ei oneris quam subsidii; obstupuerat enim complicatum ac retortum. Haec ad sepulchrum sancti venerandum cum venisset, optatae saluti restituta est. Plurima similia similibus adderem, nisi occurrisset menti hoc praesens miraculum. Morabatur in suburbio haud longe ab oratorio sancti Bartholomei muliercula triennio aegritudinem passa, baculi potius quam pedum officio usa et idcirco contra fas a suo coniuge relicta; quae vicinorum elemosinis in obscuro vitam agens, opinione virtutum sancti pontificis illecta eo devenit. Cumque inter multos qui ibi adiacebant infirmos magis gravaretur, ad altare secessit sanctae Gertrudis; ubi ab omni semota tumultu patrem[b] misericordiarum orabat attentius, ne loci remotio esset sibi sanitatis dilatio. Sextae tunc feriae matutinum perorabatur a canonicis. Ecce autem plus minus ante ortum aurorae, cuidam assistenti sibi: *Iam,* inquit, *accipe hunc baculum, michi hactenus pernecessarium; ego vero sanitatis meae grates rependere vadam.* Cui eunti occurrere laudibus finitis canonici, rogantibusque illis retulit eventus sui historiam. Fit repente gaudium omnibus, chorum repetunt, *Gloria in excelsis Deo* decantant.

15. Succedunt magnis maiora; tertia enim feria ibidem deportata est quatuordecim annorum aegra, quae pene desperata iuramento addicit, nichil victus se esse sumpturam, nisi mereretur medelam. Res miranda! Quid ageret, quo se verteret, ignorabat; post clamores et dolores iacebat pene exanimis; altera iam fluxerat dies, pernox etiam in id miseriarum secundas exegit tenebras: sed orta die sanata est a Deo per merita sancti Frederici episcopi ab aegritudine. Altera die quaedam Hoyensis puella Leodium venerat ad emporium, emere sibi necessaria; ubi audiens quae id loci fiebant miracula, ob infirmitatem renum suorum rogatura eo declinavit; stansque et infirmos artus baculo regente sustentans, in medio ecclesiae, accessum enim vicinum multitudo clauserat: *Tolle,* ait, *hunc baculum, Domine, sanctique confessoris tui Frederici episcopi meritis sanitatem michi restitue.* Vas autem ibi positum stabat, in quo de terra sepulchri eius aqua permixta erat; ad quod

a) in – vocatur *desunt apud Aegidium.* b) matrem *cod. Leod.*

19) Hospitale ad Catenam conversum deinde fuit in gymnasium publicum, et etiamnum floret sub nomine Catenae. HENSCH.

illa, plus sanitatem sitiens quam aquam, accessit et bibit. Mira velocitas! Mox ut bibit, sanata convaluit, gratias egit. Ad huius quoque sancti memoriam mulier gravi laborans infortunio iacebat. Enimvero manui eius superexcreverat morbus, qui eam ab omni opere faciebat cessare. Haec igitur toto in oratione exacto die, inclinata iam vespera invisibiliter manum vehementi contritione affici persensit. Verumtamen id divinitus fieri perpendens, sustinuit patienter; cum ecce collatam sibi sanitatem mirata est.

Post haec ita pergit Aegidius:

Restant[a] et alia multa que de virtutibus huius sancti presulis dixissem, sed a quodam clerico conscripta esse inveni. Sed et vitam ipsius luculento sermone scripsit dominus Renerus monachus Sancti Laurentii Leodiensis, vir magne scientie, qui multa alia opuscula composuit. Sufficiat nostro hec operi inseruisse ad confirmandam predicti servi Dei prophetiam, qui multis eum miraculis post obitum illustrandum predixit.

a) *Eorum loco in codice Leodiensi haec leguntur:* Multa et alia per servum suum Dominus miracula operari dignatus est, que a quodam clerico scripta fuerunt; sed ea repperire nusquam potui. Hec autem que superius continentur, nonnus Renerus huius nostri monasterii sancti Laurentii monachus qui tunc presens fuit conscripsit, ut sermo viri Dei impleretur, qui multis eum miraculis post obitum suum illustrari predixerat. Et licet tanta circa sepulchrum eius Dominus mirabilia monstraverit, locus tamen sepulture eius modo ab omnibus ignoratur, quia quamvis in ecclesia antiqua sepultus fuerit, cum ecclesia que nunc cernitur fieret, forte sepulchrum eius iuxta murum aut in angulo aliquo casu contigit et sic a memoria hominum excidit.

NARRATIO DE ELECTIONE LOTHARII IN REGEM ROMANORUM.

EDIDIT W. WATTENBACH PH. D.
TABULARIO REGIO WRATISLAVIENSI PRAEFECTUS.

Lotharii regis electio ea de causa praecipue notabilis est, quia tum primum praevaluit sententia episcoporum, qui hereditariam regum successionem tanquam simoniae cuiusdam speciem abominabantur, et liberam tam in regno quam in ecclesiis electionem postulabant. Hoc iam anno 1077 qui Rudolfum eligebant constituerant, teste Brunone cap. 91; hoc Moguntiae anno 1125 omnibus persuaderi contigit, dum Fridericus Heinricorum heres a successione regni repellebatur. Quare magni aestimanda est relatio de comitiis istis, quam felici casu codex unicus nobis servavit, scripta ipsis illis diebus, scilicet ante discidium Lotharii et Friderici, quod iam Novembri mense accidit. Auctor, quem praesentem fuisse apparet, nomen suum celavit; clericum Austriacum fuisse dixeris, quia Liupoldi marchionis cap. 1. prae ceteris meminit; ecclesiasticae libertatis zelatorem ex disciplina Chunradi illius Salisburgensis archiepiscopi, qui plurimum pro Lothario eligendo laboravit. Accedit quod in monasterio Gotwicensi haec relatio inventa est, in codice 106, olim J 17, membr. in fol. saec. XII, qui Passiones Sanctorum continet; ultimo folio haec inscripta sunt. Retulit ille quae vidit; gravioris momenti res, quae secretius agebantur, penitus ignoravisse videtur. De his nihil hic invenies; solam rerum publice gestarum notitiam accepisse sufficiat. Quae alii de Lotharii electione scripserunt, pauca quidem nec pro rei gravitate, summa cum diligentia Jaffeus noster collegit in libro suo: Geschichte des Deutschen Reichs unter Lothar dem Sachsen; ibi etiam de tempore rei gestae disputatum est, qua de re Noster negligentius scripsit. Omnia inter diem octavum Kalend. Septemb. et ipsas Kalendas acta esse satis constat, sed singula suis diebus assignare non ausus sum, quum res minus certa esse videatur.

Posterorum nullus huius relationis meminit; solus Otto Frisingensis eam ad manus habuisse videtur, quum Chron. VII, 17. scriberet: Lotharius voto omnium renitens valde ac reclamans ad regnum tractus; *nam verba illa* renitens ac reclamans *etiam apud Nostrum cap. 4 legimus. Publici iuris eam fecit Hieronymus Pez SS. Rer. Austr. I, 570. ex codice Gotwicensi, anno 1721; eius*

editionem repetierunt anno 1721 *Eccardus, Quat. vet. Mon. p.* 46; *anno* 1722 *Rehtmeier Braunschw. Lüneburg. Chronica I,* 287; *a.* 1726 *Reuberus SS. ed. Ioannis p.* 404; *a.* 1751 *Scheidius in Origg. Guelf. II,* 484; *a.* 1766 *Olenschlager, Erläuterung der Goldenen Bulle pag.* 19; *anno* 1853 *Boehmerus, Font. Rer. Germ. III,* 570. *Ego codicem Gotwicensem anno* 1847 *denuo contuli, qui diligenter scriptus, alia manu coaeva correctus est; distinctionem capitum a Pezio commode institutam, servandam duxi.*

NARRATIO DE ELECTIONE LOTHARII SAXONIAE DUCIS IN REGEM ROMANORUM.

1125. Aug. 1. In curia nuper Mogontiae celebrata quid dignum memoria gestum fuerit, qualiter electio regis processerit, breviter cartae mandavimus. Congregatis igitur hinc inde principibus, legatis scilicet domni apostolici[1], archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prepositis, clericis, monachis, ducibus, marchionibus, comitibus, ceterisque nobilibus, quot et quantos nulla tempore nostro curia ceperat — utpote quos non imperialis ut ante potestas, sed communis maximi negotii necessitas assciverat — prima die Brixinensis electus[2], discussa electione sua et confirmata ab omnibus, ab episcopis quam pluribus in episcopatum sollemniter est ordinatus. Saxonum vero principes ultra Renum dispositis in ripa fluminis sine numero castris honorifice consederunt, et supra eos Liupoldus marchio cum duce Bawarico[3] cum magno militum collegio. Dux autem Fridericus adiuncto sibi episcopo Basilensi[a, 4] ceterisque Sweviae principibus, ac quibusque nobilibus, e regione ex altera Reni parte consederat, et facta seorsum principum collectione non modica, utpote qui animum iam in regnum intenderat et quasi spe certa preoccupaverat, fingens timorem Mogontiniensium, distulit ad principum venire colloquium: et paratus in regem eligi, sed non regem eligere, prius explorare volebat, quem ex omnibus principum assensus promovere pararet.

2. Convenientes igitur preter ipsum et suos omnes regni principes, gratiam sancti Spiritus hortatu domni cardinalis per antiphonam *Veni sancte Spiritus* invocantes, primo decem ex singulis Bawariae, Sweviae, Franconiae, Saxoniae provinciis principes consilio utiliores proposuerunt, quorum electioni ceteri omnes assensum prebere promiserunt. Hi itaque tres ex omnibus, tam divitiis quam virtute animi prestanciores, scilicet ducem Fridericum, marchionem Liupoldum, ducem Lotharium in concione designantes[5], unum ex tribus qui placeret omnibus, in regem eligi persuaserunt. Absente autem duce Friderico reliqui duo qui áderant, oblatum sibi regii nomen imperii, profusis lacrimis genibusque terrae defixis, humiliter rennuebant. Hoc itaque magnum decus, et memorabile nec prius auditum, iam nostro tempore Dominus suae concessit ęcclesiae, ut laicorum scilicet illiteratorum humilitas sanctissima ostenderit in maioribus non ambiendis, quam perniciose clericorum et literatorum in minoribus, magis tamen spiritalibus, ambicio dampnosa delinqueret.

3. Porro dux Fridericus ambicione cecatus, sperans sibi consequenter reservatum et quasi indubitanter conferendum, quod a duobus vidit humiliter refutatum, iam sine conductu urbem quam prius cum conductu ingredi metuebat, ingressus est, et principum conventui sociatus, in regem eligi paratus astabat. Surgens vero Mogontinus archiepiscopus[6] consultu requisivit a tribus prefatis principibus: utrum sine contradictione sive[b] retractione et invidia singuli quique tercio communiter a principibus electo vellent obędire? Ad quae verba dux Lotharius sicut et pridie, ne ipse ullatenus eligeretur humiliter expetiit, et eligendo cuicumque se ut domino et imperatori Romano obędire promisit. Idem de se marchio Liupoldus publice professus, et regni ambicionem et futuri regis emulationem sacramento a se removêre volebat. Requisitus ergo dux Fridericus, utrum ipse quoque sicut et ceteri ad totius ęcclesiae regnique honorem et liberae electionis commendacionem perpetuam idem

a) basilensis *c.* b) sine *manu prima, quod corrector coaevus mutavit.*

1) Evrardum et Romanum appellat Anselmus Gemblacensis, Girardum vel Gerhardum alii. 2) Reginbertus, abbas S. Petri Salisburgensis, qui eiecto Hugone fautore caesaris, spreta auctoritate regia a Chunrado archiepiscopo institutus erat; v. Mon. SS. XI, 76. 3) Heinrico Nigro, socero Friderici ducis Suevorum. 4) Bertholdo. 5) quartum, Karolum Flandrensem, noster omisit. 6) Adalbertus, a. 1111—1137.

quod ceteri fecerant facere vellet, sine consilio suorum in castris relictorum se respondere nec velle nec posse asseruit; et quia ad se exaltandum principum animos nequaquam unanimes usquequaque persensit, consilium suum et aspectum curiae iam exinde subtraxit. 1125. Aug.

4. Videntes ergo principes tantam ducis ambicionem tamque violentam quasi debitae sibi potestatis exactionem, quam ante sublimationem adeo efferri dominarique videbant, ne quando sibi preficeretur unanimiter refellebant. Postera vero die congregatis in id ipsum principibus, cum abesset dux Fridericus et cum eo dux Bawaricus, requisivit Mogontinus archiepiscopus, utrum uterque nominatorum in electione principum qui aderant, refutata a se designatione premissa, concorditer et benigne in eligenda quacumque persona principum voluntati vellent prebere consensum. Quod humiliter et devote simul utique laudabant, et quasi non amplius sollicitandi sed de alio quopiam eligendo[a] solliciti, simul in una sede considebant. Proinde cum, dimissis iam prenominatis, principes admonerentur ut communicato consilio diligenti ratione personam quererent, quam secundum Deum et honorem ęcclesiae regno preficerent, subito a laicis quam pluribus: *Lotharius rex sit!* clamor exoritur. Lotharius rapitur, Lotharius humeris imponitur, et regiis laudibus renitens ac reclamans extollitur.

5. Principes vero quam plurimi maximeque Bawaricae provinciae episcopi rem tantam inconsulte et inpetuose factam abhorrentes, et se de sedibus suis perturbatos debita cum indignatione conquerentes, ab aliis irati secedere et prorsus a curia infecto negotio recedere parabant. Mogontinus vero cum aliis quibusdam principibus hostium, ne quis egrederetur vel ingrederetur, observari[b] precepit; istis regem suum deintus concrepando circumferentibus, illis ad laudem regis quem ignorabant deforis cum summo clamore currentibus. Tandem cum principum dissensio iam eousque procederet ut et Lotharius de sua conprehensione[c] vehementer iratus vindictam peteret, et episcopi pro sua disturbatione dolentes erumpere quererent; domnus cardinalis ceterique sanioris[d] consilii principes tumultum illum vix tandem voce manuque sedantes universos ad sedes suas consiliumque redire perfecerant. Hic domnus cardinalis gratia Domini preventus episcopos seorsum conveniens, discessionis culpam in ipsos graviter intorsit, et nisi ad pacem et concordiam et ipsi redirent, et alios minus doctos sua informatione reducerent, predam, strages et incendia et quaecunque mala per hanc discessionem suboritura, ipsis ascripsit. Data demum oportunitate loquendi Salzburgensis archiepiscopus[7] cum episcopo Ratisponensi[8] pro se et honore regni honestissime disserentes, ad concordiam partes transferre laborabant, et sine duce Bawarico qui aberat nichil de rege se diffinire dicebant. Preterea de inconsulta raptorum vehementia, tam sibi quam rapto pro maiestatis honore non indebitę gravissima, debitam a primatibus iusticiam exigebant. Unde factum est ut praemissa debitae satisfactionis humilitate redirent in gratiam, qui precipitationis suae culpa concitavere discordiam.

6. Accito igitur duce Bawarico, iam sancti Spiritus gratia ad unum idemque studium animos omnium unire curabat, et unanimi consensu ac peticione principum iam primum Lotharius rex Deo placitus sublimatur in regnum[e]. Concordantibus itaque in ęlectione regis universis regni principibus, quid iuris regiae dignitatis imperium, quid libertatis reginae caelestis, id est ęcclesiae, sacerdotium habere deberet, stabili ratione prescribitur, et ceptus utrique honoris modus, Spiritu sancto dictante prefigitur. Habeat ęcclesia libertatem quam semper optaverat; habeat et regnum iustam in omnibus potentiam, qua[f] sibi per karitatem quaecunque sunt cesaris sine cede subiciat. Habeat ęcclesia liberam in spiritualibus ęlectionem, nec regio metu extortam, nec presentia principis ut ante coartatam, vel ulla peticione restrictam: habeat imperatoria dignitas electum libere, consecratum canonice, regalibus per sceptrum, sine precio tamen, investire sollempniter, et in fidei suae ac iusti favoris obsequium, salvo quidem ordinis sui proposito, sacramentis obligare stabiliter.

7. Denique rex Lotharius electus ab omnibus, expetitus ab omnibus, sequenti die in principum contione consedit, et primo ab episcopis universis scilicet 24 qui tunc áderant, et abbatibus quam plurimis pro imperii reverentia, pro confirmanda regni ac sacerdotii

a) *ita Pezius;* eligendi *codex, quod vix ferendum est.* b) *f.* obserari PEZ. c) conpressione *corr.* conprehensione *cod.* d) *ita Pezius correxit pro* senioris. e) *hic manus mutatur.* f) quam *cod.*

7) Chunradus, quem multum pro Lothario laborasse refert vitae auctor (Mon. SS. XI, 76) *cum in Fridericum ducem Sueviae cecidissent vota fere omnium principum.* 8) Hartwico, a. 1105—1126.

1125. Aug. unanimi concordia et pace perpetua, fidelitatem non indebitam de more suscepit[a]; a nullo tamen spiritalium, ut moris erat, hominium[b] vel accepit vel coegit. Deinde confluebant hinc inde regni principes, fidelitatem suam tam in hominio quam sacramento regi domino firmaverunt, et debitum regi honorem deferentes, quae regni fuerunt, a rege susceperunt. Videns itaque dux Fridericus contra Dominum non esse consilium vel potentiam hominum, qui tot tantorumque principum animos contra spem omnium collegit in unum, tercia demum die Ratisponensis episcopi ceterorumque principum consilio precibusque correctus ad curiam rediit; et ducentas marcas quibus eum rex prius inbeneficiare promiserat, satis honeste refútans, debitam regi iam domino suo referentiam exhibuit, et cum eo sic in gratiam et amiciciam tanto stabilius quanto liberius rediit. Tandem compositis omnibus rex predictus sub regiae maiestatis obtentu pacem firmam in omni regno Teutonico usque ad nativitatem Domini, et ab inde ad annum usquequaque communiter indixit: quam si quis infregerit iuxta cuiusque provinciae legem atque iusticiam severissime vindictam[c] exsolvere debebit.

a) *hinc iterum manus prior pergit.* b) hominum *codex, correxit Pezius.* c) vindicta *cod.*

VITA GODEFRIDI
COMITIS CAPENBERGENSIS.

EDIDIT PHILIPPUS JAFFÉ M. D.

Efflorescenti ordini Praemonstratensi allatum haud mediocre incrementum est a Godefrido comite Capenbergensi, qui, quum naturali quadam rerum contemptione tum Norberti exemplo incensus, arces suas in coenobia mutavit, divitias tradidit monachis, sese et uxorem et fratrem in potestatem novi ordinis redegit. Nec mirum est, monachos tanta beatos haereditate res gestas eius grato animo prosecutos esse. De actis enim Godefridi ter expositum est a fratribus Capenbergensibus.

Quam novis curis retractandam suscepimus antiquissimam Godefridi vitam, eam a sodalitatis Capenbergensis socio conscriptam esse, iam alii satis perspexerunt ex praefatione, ubi auctor Godefrido *inquit* comite Capenbergensis coenobii, hoc est loci nostri fundatore. *Falluntur autem, qui cum Gamansio*[1] *eum perhibent praepositum, et Ottonem I*[2] *quidem, fuisse. Monachum enim* 2 *sese abundanter declarat his capitis* 8 *verbis:* Novi praeterea unum e fratribus, qui mihi secum de Godefridi meritis conferenti hoc sermone respondit: „Eia, frater, quis est hodie“ *cet., et simili modo in capite* 10*:* Recolo quoque verbum bonum, quod a quodam familiarium nostrorum, qui optime noverat sanctum virum in hunc modum laetus accepi*:* „Vere“ inquit „frater, quid amplius tibi dicam?“ *cet. Degebat auctor vero iam ante annum* 1134 *in monasterio Capenbergensi; nam ibi se tradit cap.* 3 *quaedam ex Norberto*[3] *loquente* 3 *accepisse. Attamen cum ipso Godefrido nullus ei usus fuisse videtur, quum ne tenuissimum quidem eius necessitudinis indicium admisceat narrationi, imo et in praefatione se profiteatur ea tantum expositurum esse,* quae sub oculis fratrum nostrorum acta vel dicta sunt, *et alibi*[4] *etiam saepius provocet ad seniores, qui res coram viderint. Quamquam non debet dubitari, quin vivo Ottone, fratre Godefridi scripserit. Dum Godefridum enim non negligit* beatum *et* sanctum *appellare*[5], *Ottoni* venerabilis domni *nomen imponit*[6]. *At praepositurae* 6 *Capenbergensis per Ottonem inde ab anno* 1155 *gestae mentionem frustra quaerimus. Quamobrem, quum narrationem scriptor ad diem* 16. *Septbr.* 1150 *usque persequatur, pro certo dicere possumus, intervallo annorum* 1150 *et* 1155

1) in Act. SS. Ian. I. 835. 2) qui ab a. 1135 ad a. 1155 rexisse monasterium fertur. 3) qui quidem obiit d. 6. Iunii a. 1134. 4) cap. 5, cap. 7 cet. 5) cap. 2, 4, 5. 6) cap. 2, 10, 12.

absolutum librum esse. Quae quidem sententia comprobatur etiam hoc capitis 2 loco: De huius *(Norberti)* porro vitae sanctitate, archiepiscopatus dignitate, sancti quoque transitus felicitate si quis ad plenum dicere voluerit, singularis profecto libri ad hoc solum instituti magnitudine opus erit. *Apparet enim ex his verbis, nostrum, quum pennam regeret, Norberti vitae, quam scimus paullo* 7 *post a.* 1157 *conscriptam esse*[7], *notitiam habuisse nullam. — Hanc Godefridi vitam una cum tribus additamentis saeculi XII primus e codice Ilmstadensi publicavit Nicolaus Serarius; cuius editionem Iohannes Gamansius, locupletissimis adiectis annotationibus, reddidit in Act. SS. Ian. I,* 846—855. *Nobis autem quum nec Serarii exemplum nec scripti codices patuerint, unum editionis nostrae constituendae praesidium fuit recensio Gamansiana.*

Aliam vitam versibus scriptam, quam Gamansius l. l. p. 860—863 *e cod. Capenbergensi foras dedit, ab eodem, qui superiorem fecit, auctore profectam esse, veri simillimum est. Non enim modo ab illa discrepat nusquam, sed etiam utriusque vitae auctor diserte res easdem ipse de se commemorat. Sed in versibus tantulum inest rerum gestarum, ut eos facile praeterierimus.*

Nec tertiam vitam repetendam duximus, quae a Gamansio e cod. Carthusiae Coloniensis et cod. Capenbergensi edita in Act. SS. Ian. I, 857—860 *et* 1111—1113 *reperitur. Hic eam arbitratur ab Hermanno, qui praepositus monasterium Capenbergense administravit ab* 1171 *aut* 1172 *ad* 1210, *compositam esse. Sed id unum est asseverandum, scriptorem aliquanto post annum* 1204 8 *concinnasse narrationem. Idque ex eo suspicari licet, quod inter alios Isfridum*[8] *quoque, episcopum Raceburgensem (*1178—1204*), ecclesiam suam bene* rexisse *narrat; praeterquam quod eundem Isfridum ponit ante eum, cuius successor fuit, Evermodum (*1157—1178*), ut liqueat, auctorem ne Isfridi quidem aequalem fuisse. In conficiendo opusculo usus est imprimis antiquiore vita, cuius verba saepius recepit, praeterea additamentis illis, quorum supra mentio facta* 9 *est, et vita Norberti*[9] *et ignotis fontibus quibusdam. Satis igitur habuimus tum antiquioris vitae textum ex ea corrigere, ubicumque meliorem obtulit lectionem, tum quidquid novi continet, vitae nostrae excerptum subiicere.*

Berolini, 3. *Non. Sept.* 1855.

PRAEFATIO

Inaestimabilem beneficiorum Dei magnitudinem humani pectoris angustias exceden- Isai 63, 7. tem propheta sanctus considerans, quodam loco compunctus ait: *Miserationum Domini recordabor, laudem dicam ei super omnibus, quae retribuit nobis.* Alius item propheta supernae donationis infinitas in se divitias obstupescens, nec dignas gratiarum actiones apud se Ps. 115, 12. invenire sufficiens: *Quid retribuam*, inquit, *Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?* Unde nos quoque auctori omnium de tot donis ac bonis suis ingrati esse metuentes, divina quaedam aggredimur commendare magnalia, nobis quidem, hoc est nostrae professionis filiis, specialius exhibita, generaliter vero piorum omnium utilitati non mediocriter profutura. Verum non sublimitate sermonis, sed in Spiritus sancti cooperante gratia humili ac simplici cf Deut. 16, 21 eloquio dicenda dicemus, quippe qui nemus in domo Domini plantare legali decreto prohibemur. Solummodo res divinitus gestas memoriae mandare intendimus, nullique meliori ac doctiori haec eadem diligentius tractaturo praeiudicamus. Unde nec aemulorum dentes luridos formidare debemus. *Oculum enim columbinum*, ut ait quidam sanctorum, *gratanter suscipit pulcherrima ac modestissima caritas, dentem vero caninum vel evitat cautissima humilitas, vel retundit solidissima veritas.* Enimvero nostram imprimis arguimus negligentem

7) Vide infra Vit. Norberti. 8) Vide infra additamenta capitis 4. 9) Vide eiusdem capitis additamenta.

inertiam et inertem negligentiam, quod hactenus de beato viro Godefrido comite, Capenbergensis coenobii, hoc est loci nostri, fundatore, in laudem quippiam dicere neglеximus, qui tamen tanti viri meritis et industria, ut parum dicam, omnibus hodie bonis repleti sumus. Non enim satis eloquor, quid de hoc viro parturiat cor meum, dum attendo et perpendo sanctissimae conversationis eius insignia, tanti viri tam voluntariam paupertatem, tam humilem simplicitatem ac simplicem humilitatem, tam felicem denique omnium[a] ipsius consummationem. Et ecce ter beatus iste comes verus, quia verum regem comitatus et perseveranter imitatus est, ipse inquam in perenni tripudiat gloria, nobiscum autem memoria eius cum benedictione perseverat in secula. Memoria enim illius, ut scriptum est, [Eccli. 49, 1. 2] in compositione odoris facta opus pigmentarii, manet in seculum seculi, quasi mel et ut musica in convivio vini. Conabimur itaque, de hoc sancto aliqua locuturi, et gratas compendii metas non excedere et ea, quae sub oculis fratrum nostrorum acta vel dicta sunt, piis ac timoratis auribus explanare.

1. Temporibus gloriosi Heinrici, qui huius nominis quintus Romanum administravit imperium, fuit in Westphaliae provincia electus ac dilectus Dei Godefridus, qui nobilissimis ac regiae stirpis ortus parentibus, in timore Domini comitatus agebat officium. Pater eius Godefridus, mater Beatrix[10] dicebatur. Hic vero reverendissimus atque inter Dei amicos computari dignissimus avum habuit Hermannum comitem, qui, ut maiorum celeberrima relatione cognovimus, cum esset eleemosynator praecipuus, misericordiae operibus intentus, a tumultu militaris insolentiae quietissimus, adhuc vivens huiusmodi miraculum operatus est. Coecus quidam in illius degebat eleemosyna, qui die quadam ostensum sibi divinitus asserebat, quod visum recepturus esset, si aquam, de qua manus comes ablueret, oculis admovisset. Aquam igitur tulit, oculis adhibuit, protinus vidit. Ad sepulchrum vero eius hodieque nonnulla ostensarum virtutum demonstrantur indicia, quae oculis meis vidi, quaeque illic in testimonium reliquerunt hi, qui sanitate recuperata sospites inde reversi sunt. Huius itaque tanti viri nepos, Godefridus noster, ab ipsis iam adolescentiae primordiis coepit Deo devotus existere, et scintillante in se flamma inspirationis divinae, omni saeculari dignitati universaeque suae facultati satagebat renuntiare[11]. Fuit enim vir mansuetissimus, suavitate venerabilis, benignitate laudabilis, oculis stellantibus mirum in modum gratiosus, facundus eloquio, prudens in consilio, militiae quidem exercitio strenuus, sed regi supremo militare nudamque crucem Christi nudus baiulare inardescens quantocius. Interim vero si quando militari apparatu seu bellico procinctu personae suae necessitate detentus fuit, se ab omni circummanentium iniuria vel infestatione cohibuit. Cum autem interdum discursantes milites praedari et aliena, ut assolet, usurpare conspiceret, attestante quodam familiari eius tunc ministro postmodum autem fratre nostro, manus ad caelum expandit, lacrimas fudit, hisque verbis omnipotentiam Salvatoris exoravit dicens: *Domine Iesu Christe, tuae bonitatis altitudinem*[b] *imploro, ut me de medio iniquitatis huius eripias et in die iudicii*[c] *paratum et immaculatum inveniri praecipias. Scio enim, arbiter iustissime, quod in meum redundat caput, quicquid a meis delinquitur, omnisque dissimulationis meae negligentia tua merito districtione punietur.* Cuius petitionis fructu quemadmodum privatus non fuerit — nec enim Dominus privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia — [Psal. 83, 13.] subsequentium rerum tam fidelis quam mirabilis declarabit historia.

2. Igitur dum habitaret in castro, quod Capenberg* dicitur, loco nimirum spectabili situque ipso admodum salubri et delectabili, de loco eodem, quod divino quandoque mancipandus esset servitio, diversis fidelissimarum visionum ostensionibus revelatum est a Domino. Presbiter enim quidam Wicmannus[d] nomine in visu noctis aspexit quasi columpnam auream in Capenberg exurgere, atque ipsius caeli fastigia penetrare. Quo visu

* *Vitae II. cap. 2:* fuit in Westphalia castrum nomine Kappenberg, quod a situs sui qualitate mons Sion, id est specolationis[12], interpretatur.

a) *an* hominis? b) tuam *addit Vit. I, non habet Vita II.* c) illo *Vit. I,* iudicii *Vita II.* d) Wicmannus *Vit. I,* Wichmannus *Vit. II.*

10) neptis Ottonis de Svinfurt, ducis Sueviae ab 1048 ad 1057, et Irmingardis, quae quidem erat matertera Bertae, uxoris Heinrici IV imperatoris. Vide Annal. Sax. 1036, 1067 et Ekkehardi chron. univ. 1067 SS. VI, 679. 695. 199. 11) Godefridum et eius fratrem Ottonem iam anno 1118 »concepisse mente, voluntariam pro Christo paupertatem velle subire«, docet Theoderici episcopi Monasteriensis tabula apud Erhard Reg. Westph. I. Cod. diplom. p. 143. 12) Nam *kapen*, gaffen, significat *speculari.*

divinae laudationis claritudinem illic exercendam prudenter[a] intellexit, et astantibus, quod
futurum erat, verissime longe ante praenuntiavit. Unus praeterea ex amicis felicissimi
comitis Egebertus nomine, cum esset in itinere proficiscens ad comitem, noctu vidit
Capenberg urbem fore[b] nive candidiorem, quae usque ad alta nubium sublimiter conscen-
13 dens, ipsum caeli cacumen vertice pulsare videbatur. Quid referam de patrui illius[13]
filia, quae Gerbergis nuncupata, Monasteriensis coenobii[14] extitit abbatissa? Haec ergo
multa religione venerabilis cum beatum virum unice diligeret, et tam pro ipso, quam pro
subditis frequentium orationum excubaret pervigilio, quodam tempore sompno parumper
arrepto, vidit sibi iuvenem vultu sidereo praenitentem[c] et verba haec saepius eius in auri-
bus iterantem: *Locus Capenbergensis habitationis quam idoneus foret conventui spiritalis con-
gregationis!* Quod illa iocundissime audiens — iam enim diu id ipsum concupierat — cum
beato viro retulisset, ille prudenter atque humiliter in hunc modum respondit: *Neptis di-
lectissima, potens est dominus Deus hoc pro suo velle ordinare; nam ego id per me nequaquam
sufficio adimplere.* Et revera divina hoc providentia iuxta verbum eius consequenter adim-
1121. plevit, nec beatum virum sui cordis tam pio fraudavit desiderio. Apparuit enim in West-
15 phalia sub ipso fere tempore[15] eximium quoddam iubar ecclesiae, memorabilis ille Dei
praeco Norbertus, vir nimirum admirabilis gratiae, praedulcis eloquentiae, summae con-
tinentiae, informator ac propagator religionis canonicae, servorum Christi aggregator, coe-
nobiorum non paucorum fundator, tam habitu quam voce strenuissimus verae poenitentiae
Isai 40, 3. praedicator, ac per omnia illius propheticae iussionis executor, qua dicitur: *Parate viam
Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* De huius porro vitae sanctitate, archi-
episcopatus dignitate, sancti quoque transitus felicitate si quis ad plenum dicere voluerit,
singularis profecto libri ad hoc solum instituti magnitudine opus erit. Tanti ergo praedica-
toris cum circumquaque fragraret opinio, vir beatus una cum germano fratre venerabili
domno Ottone sitienter praeconem salutis adiit, verbum exhortationis devotus accepit;
actumque est Deo miserante, uti etiam praefatus Otto sensim atque gradatim seculum
calcare inciperet idemque sanctitatis propositum, quod in beato fratre suo iam dudum emi-
1122. nebat, arriperet. Quid multis immorer? Uterque paullo post, mutato seculari habitu, ton-
suram religionis cum habitu sacrae professionis assumpsit; uterque sub regula beati Augu-
stini ac sub obedientia memorati fratris Norberti Domino militare devovit. Vir Deo dignus
17 Godefridus coniugem suam, Friderici comitis[16] filiam[17], sacrum sumere velamen adhorta-
tionibus piis ac salutaribus effecit. Ipse quoque, cum esset maior natu, cum unanimi fratris
Mai. 31. consensu castrum ipsum Capenberg et omnia sua Deo fideliter offerens in die beatae Pe-
tronellae virginis, usibus ea pauperum Christi delegavit, tria videlicet exstruens coenobia*;
19 hoc est: Capenberg, Varlar[18], Elofstad[d, 19], quae singula praediis suis copiose locupletans.
eadem sub memorati patris Norberti ordinavit providentia.

3. Placuit itaque Spiritui sancto, qui in praecone veritatis habitabat, quique per illum
loquens in agro dominico fructus mirabiles operari dignatus est, placuit inquam ei, ut in
praenotatis coenobiis fratres regulam beati profiterentur Augustini, eo quidem tenore, uti
regulam eamdem aliquanto districtius, quam eatenus usitatum fuerat, observarent, esu scili-
cet adipis et carnium abstinendo, austeriore quoque habitu poenitentiae rigorem exhibendo.
Nam et amicus Sponsi Ioannes non exquisitis, imo naturalibus et silvestribus cibis pastus
est, et ab ipso Salvatore coram turbis ad eremum confluentibus de vestitus asperitate lauda-
20 tus est. Et ecce hic ordo noster[20], divina prosequente clementia, longe lateque protenditur,

* *Vita II:* praeter plures ecclesias sororum, quas fecit, tria coenobia fratrum — construxit.

a) frequenter *Vit. I,* prudenter *Vit. II.* b) *deest Vit II.* c) renitentem *Vit. I,* praenitentem *Vit. II.* d) *Vita II.* Elvenstad.

13) cuius nomen incognitum est. 14) S. Mariae Transaquensis. 15) Hoc loco haud dubie de exeunte anno 1121 agitur; mensibus enim Octobri et Novembri eius anni Norbertum Coloniae versatum esse intelligimus ex Rudolfi abbatis S. Trud. epistola SS. X, 331. 16) Arnesbergensis. 17) Iuttam. Gamansius enim in Act. SS. Ian. I, 839 ex »antiquo Capenbergae ms.« affert haec: *Godefridus, monasterii Capenbergensis fundator, duxit filiam Friderici comitis in Arnsberg, nomine Iuttam, ex qua nullam prolem suscepit. Otto autem in caelibatu ordinem ingressus fuit.* 18) prope Koesfeld dioec. Monasteriensis. Cf. Ecberti, episcopi Monasteriensis, tabulam datam a. 1129 in Act. SS. Ian. I, 844. 19) *Ilbenstadt, Ilmstadt* in Wetteravia dioec. Moguntinae. Cf. Adelberti archiep. Mogunt. tabulam, d. a. 1123, apud Würdtwein Not. de abbatia Ilbenstadt p. 6, Hugo Ann. ord. Praem. I. Prob. p. 661, Niesert Münst. Urkund. IV, 17. 20) Praemonstratensis.

et ut vere confidimus multo latius in futurum protendetur. Unde nec ambigere praesumimus, quin sancto dictante Spiritu et inchoatus fuerit et divinae ordinationis nutu promulgatus. Numquid enim non vineam istam in brachio excelso ipse Dominus, dux itineris, transtulit de Aegypto? Nonne ipse gentes, hoc est praedones et iniquos huius loci habitatores, eiecit Psal. 79, 9. 10. 12. a conspectu nostro, radices vineae huius ipse plantavit, quae iam usque ad mare imo et ultra mare palmites suos, opitulatione dexterae caelestis, extendit? Vereamur ergo id quod sequitur in psalmo, videlicet ne singularis ferus, hoc est antiquus noster adversarius, Ps 79, 14. 16 vineam hanc dextera Dei plantatam exterminet. Quod utique idem exterminator quo pacto, nisi quorumdam coenobiorum nostrorum scissura et singularitate, magis efficere solet? Contra orandus est vineae plantator atque mundator, uti palmites suos dignanter excolat, incensa igni et suffosa ab increpatione sui vultus perire concedat, vineam tenellam ac Psal 79, 17. novellam in abundantia suae benedictionis quandoque perficiat. Ipse autem praefatus pater Norbertus prae ceteris Capenbergense coenobium affectuosius diligebat; de quo etiam loco, quod non silebo, in conventu fratrum aliquando residens asserebat: *Fratres*, inquit, *carissimi cum aliquando non longe hinc positus essem, vidi certissime super locum hunc descendentem Spiritum sanctum. Contemplabar quoque alio tempore magnae claritatis lumen in circuitu loci huius exortum atque diffusum. Proinde, dilectissimi, glorificate Deum nostrum, quia hic profecto est mons sanctificationis illius, mons inquam est, quem acquisivit dextera eius.* Haec ego in eodem fratrum conventu positus audivi, ne quis forte perfidia nubilosus perspicue derogare praesumat veritati. Audivi nihilominus eumdem orthodoxae veritatis assertorem in communi capitulo haec, quae sequuntur, prosequentem: *Scio*, inquit, *unum ex professionis nostrae fratribus, cui de regula nostra studiosius indaganti, non quidem suis meritis, imo confratrum suorum orationibus beatus visus est Augustinus, qui auream regulam a latere suo dextero prolatam illi porrexit, seque ipsum luculento ei sermone intimavit, dicens: „Quem vides, Augustinus ego sum, Hipponensis episcopus. Ecce habes regulam, quam ego conscripsi; sub qua si bene militaverint confratres tui, filii mei, securi Christo astabunt in extremi terrore iudicii.“* Et quidem ista humiliter tamquam de alio prosecutus est; nos tamen ipsum fuisse, cui hoc revelatum est, indubitanter advertimus. Sed et duo illius magnalia, quae in hoc gesta sunt loco, dignum non arbitror praeterire silentio. Quodam tempore famem 1124. Westphaliae affuturam[21] 21 et ipsos etiam fratres parumper castigaturam in spiritu praedixit. Quae iuxta viri Dei praescientiam adeo gravis evenit, ut plerosque dira inediae calamitas extingueret. Accidit ergo die quadam, fratribus ad refectionem ituris, cum hospitibus ac pauperibus erogarent quicquid sibi abstinendo subtraherent, ut panis deesset alimoniae[a], ita ut etiam unde fieret inveniri non posset. Cumque vir Dei saepius intimasset, quod scriptum est: *Non affliget Dominus fame animam iusti*, ecce subito per fideles suos Prov. 10, 3. Dominus tantam panis abundantiam transmisit, quod fratres et sufficienter refecti sunt et advenientibus cum alacritate obtulerunt. Atque postmodum ex die illa numquam fratribus defecerunt oportuna subsidia. Tempore item alio cum vir sanctus quemdam vellet ex fratribus pro causa monasterii destinare, inveniens illum valida prostratum febre, iniunxit ei causam obedientiae, in virtute Christi solo verbo usus imperii: *Vade*, inquit, *et revertere, iamque amplius noli febricitare.* Statim ergo frater recuperatis viribus perfecit quantocius, quod a patre sancto fuerat iussus. Ita viri Dei sermo et causam obtinuit, et morbum diutinum repente fugavit. In praedicto quoque loco frater erat vitae[b] laudabilis, cui amicus fidelissimus, pro cuius defuncti anima multis invigilaverat precibus, nocte quadam astitit, eique familiari colloquio dixit: *Frater mi, gratias tibi ago, quod hactenus, etiam cum ceteri amici mei[c] vel affines immemores essent mei, tu nostri memoriam nullatenus omisisti. Et nunc adhortor, ut stabilis et immobilis in tuo persistas proposito, nec de ordine nostro[d], tamquam alium potiorem inventurus, fluctues animo, quia nimirum salubriorem animaeque tuae commodiorem tibi demonstrare non valeo. Nam et hoc veni nuntiare[e] tuae caritati, quod orationes confratrum tuorum quotidie recitantur super altare aureum, quod est ante oculos Domini. Hortor quoque, ne umquam obedientiae subterfugias imperium. Nulla enim virtute coram Deo sublimius ac fructuosius consequeris meritum.* Ait propheta, quod Psal 67, 24.

a) *sic correxi* alimonia. b) vitae *addit Vit. II.* c) mei *addit Vit. II.* d) vestro *Vit. I*, nostro *Vit. II.* e) et huc veni nuntiare *Vit. I*, ad hoc veni ut nuntiem *Vit. II.*

21) De fame exeuntis anni 1124 et ineuntis 1125 tradunt Annal. Hildesh. 1124 SS. III, 115, Anselmi contin. Sigeb. 1125 SS. VI, 379, Godefridus Coloniensis 1124 cet.

lingua canum Dei sit ex inimicis ab ipso. Conversi enim ex inimicis Iudaeis multi facti sunt
et hodie fiunt, lingua canum pro domo Domini contra inimicos latrantes. Et quasi quae-
reres: *unde tantum bonum?* respondet: *Ab ipso*, hoc est: a gratia eius, non a se ipsis.
Hoc diximus propter gratiam, quam operatus est Deus in fratre in tempore nostro
Hebraeo, qui post multos errorum circuitus Dei munere praeventus, coepit ardenti
desiderio fidem Christianam inquirere. Disputabat ergo cum Christianis conferens de
2 Cor 3, 15. lege ac prophetis. Cui cum dicerent ex verbis apostoli, quod velamen maneret super cor
eius, cogitabat, hoc non melius tolli quam signaculo crucis; coepitque signare se, occulte
tamen propter metum Iudaeorum. Et quia Iudaei signa petunt, ieiuniis et orationibus
intentus coepit efflagitare signum a Deo, quo posset advertere, si Dei gratiam percipere
mereretur. Quod cum obnixius ageret, ecce videt se Christi throno assistentem et cru-
cem auream super humerum dominicum refulgentem; cernensque quosdam ex Iudaeis
Isai 9, 6. prope astare: *Nonne*, inquit, *recognoscetis ipsum hunc esse, de quo Isaias loquitur: „Et factus
est principatus super humerum eius?“* Talique signo iam plene conversus, satagebat aliquos
etiam suorum de Iudaica liberare perfidia; et veniens Mogontiam in domum cognatorum,
germanum suum admodum parvulum manu apprehensum de medio Iudaeorum callide foras
civitatem temptabat educere. Sed operante maligno, per plateas gyrando una cum puero
coepit errare, ita ut portam, qua[a] egrederetur, invenire non posset. Cumque nimis in am-
bulando gyrovagus vexaretur, intelligens demum, ex maligno hunc fieri errorem, crucis
vexillo frontem armavit, et mox apertis oculis portam inveniens, laetabundus aufugit. Sic-
que secum erepto puero, in brevi dehinc baptismi gratiam percepit cum illo, ac prose-
quente caelesti dono, simul cum eodem non longe post nostrae militiae societati adu-
natus est.

4. Sed haec hactenus. Iam deinceps ad beatum comitem reflectamus articulum, et
qualiter serpens antiquus virtutes eius videns et invidens, per satellites suos illi obviare
1122. temptaverit, iam nunc adducamus in medium. Ubi primum sancti viri religiositas innotuit,
Fridericus comes, profanus et antichristianus potius quam christianus, avaritiae facibus
accensus, infremuit, fallaciae[b] commenta exquisivit, dicens filiam suam arte circumventam,
hereditatis quoque debitae portionem fraudulenta illi seductione sublatam. Qua occasione
diversis beatum virum affecit iniuriis, multis vexavit contumeliis, cum ille tamen expedi-
tissimam de omnibus redderet rationem et impudentem eius vesaniam, prout dignum erat,
Iuv. 6, 181. confidenter argueret. Verumtamen infelix ille non quiescens et plus aloes quam mellis
habens, cum aliquando suorum concione vallatus complura genero minaretur, multis astan-
tium tamen ob tanti viri reverentiam lacrimas continere non valentibus, vir Dei, conscien-
tiae vallo munitus, quo grassanti vesaniae aspirare fas non erat, omnem furoris illius im-
petum securus irridebat; vocatoque demum uno ex familiaribus suis, ait: *Forte infelix iste
me captivare disponit; tu vero patri Norberto dicito, quatenus, etiamsi incarceratus fuero, ne
quem pro mei absolutione laborem vel exiguum impendat. Ego enim pro lege Dei mei non
solum incarcerari, sed etiam in carcere mori utinam condignus inveniar. Ego in carcere Deum
meum deprecabor, in carcere misericordiam et miserationes eius alacriter praestolabor. Opto
siquidem, ut quemadmodum scopa usu detrita novissime flammis inicitur, sic corpus meum
Christi exhaustum servitio, tribulationis demum igne consummetur.* Ecce quanta beati viri con-
stantia! Omnia quidem pro Christo perpeti decernebat, sed pius Dominus nostris eum ad-
huc profectibus reservabat. Fridericus praeterea, inexplebili stimulante avaritia — quid
Virg. Aen. 3, 56. enim non mortalia pectora cogit auri sacra fames? — castrum Capenberg obsidere, ipsum-
que patrem Norbertum pro muris suspendere minitans* — nam

Quis metus aut pudor est umquam properantis avari? —

eousque mala malis adiciens iram sibi thesaurizavit, donec Altissimus, qui patiens est red-
22 ditor, condigna illum animadversione percussit[22]. Quem et unus e fratribus ante denuntia-
tum eius interitum a leone horrendo transglutiri per visum agnovit. Sed nec sic serpens
ille, uno licet succiso capite, a veneno suae conquievit invidiae, sancto quidem viro tribula-

* *In Vita II. leguntur haec, ex Vitae Norberti cap. 15 desumpta:* Patri Norberto comminatus est sic intonans, quod si ipsum haberet, cum asino suo eum suspenderet, ut aequa lance probaret, quis eorum ponderosior esset.

a) *sic correxi* quam. b) fallacia *Vit. II.*

22) Friderici, comitis Arnesbergensis, obitum ad a. 1124 revocant Annal.-Saxo et Godefridus Coloniensis.

tionem et dolorem exuscitans, sed in his quamquam invitus maiorem illi virtutis occasionem subministrans. Haec enim est inscrutabilis abyssus iudiciorum Dei, quae diabolum cum membris suis electorum cogit deservire profectui, cuius profundum et beatus apostolus intuebatur, cum diceret: *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,* Rom 8,28 *his, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Sola enim est divina vis, cui et mala bona sunt, dum eis competenter utendo, ne quid in regno eius temeritati liceat, boni alicuius effectum elicit. Quod in sequentibus luce clarius elucebit. Matronam igitur, quae sacrum velamen assumpserat, Franco quidam scelestus diabolico rapuit instinctu. Qui beato viro inermi forte obvianti, tantamque illius nequitiam pie persequenti, cum armatus et elatus diceret: *Tune ille es, qui detrimentis meis operam dare perhiberis?* vir sanctus, quemadmodum scriptum est: *In timore Domini fiducia fortitudinis, et iustus quasi leo confidens absque* Prov. 14,26; 28,1. *terrore erit,* constantissime respondit: *Ego detrimentis tuis nequaquam invigilo, quin potius hostis antiqui dentibus, cuius mancipium factus es, te summe eruere desidero.* Cumque ille vesaniens gladium arriperet, dicam, dicam, Virg. Ecl. 4,5

magnus ab integro seclorum ut noverit ordo,

dicam, quomodo vir Dei, tamquam ad victimam agnus ductus, sine voce astitit, cervicem protinus tetendit; sed nutu divino conterritus ille ferire non praevaluit. Numquid ergo hunc virum Christi martyrem non dixerim, qui non solum animo, sed et iugulo praeparato tam incunctanter se ingerebat martyrio? Quis hunc athletam separet a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Denique raptam suam, variis laborum anfractibus requisitam, cellulae demum restituit, et raptor ille morte pessima, quae peccatorum est propria, non longe post, lancea perfossus, interiit. Quid autem de nonnullis insensatis ministerialibus et servis etiam infimis referam, qui multis illum pulsavere conviciis, dicentes eum, amentem factum, sequi falsarium et impostorem illum Norbertum, tam sublimem huius mundi gloriam stulte deserere, seque desolatos et quasi acephalos relinquere? Verum inter omnia haec athleta noster dum omnes excipit assultus, permanet eiusdem patientia fortis ad omnes telorum nimbos,

reddit et has contra venerando pectore voces:

Si diligeretis, inquit, *me, gauderetis utique, quia ad Deum meum tendo, quia naufragium seculi huius praeterire desidero, quia creatori meo proximari concupisco.* In die vero assumptio- 1122 Aug. 15. nis beatissimae virginis Mariae, quae summa nobis est sollempnitas, quando et huius loci ambitus ab antistite[23] consecratus est*, quis digne commemoret, quales temptationum im- 23 petus, quantos impulsionum fluctus evicerit, aliis eum hinc trahentibus, aliis inde retrahentibus ac mira improbitate suggerentibus, ne tantae honestatis tantaeque spectabilitatis castrum desereret; cum et ipse antistes, carnem sapiens et cor in terra trahens, alterius ei mansionis concambium repromitteret. Sed Christi miles invictissimus et vere super Christum fundatus inter imbres et flumina, tot quoque ventorum flamina immobili persistens tolerantia,

nec terrore teri potuit, nec turbine frangi.

Fortis enim est, ut mors dilectio et aquae multae non potuerunt extinguere caritatem. Cant. 8, 6.7 Nihil servo Dei de multiplicis possessionis suae complacebat specie, quia sola pretiosae margaritae, hoc est caritatis divinae, claritas fulgebat in mente. Ministeriales centum et quinque praeter alias donationes gloriosas cum sufficientissimis possessionibus Monasteriensi ecclesiae donavit[24] praeter eos, quos ecclesiae Coloniensi aliisque locis, prout ipsi 24 oravere, contradidit.

* *In vitae II. cap. 1. leguntur haec:* Anno igitur Domini 1122 castrum hoc Kappenberg fit domus religionis. A quo tempore plures de fratribus nostris extra nos[a] in diversis locis episcopatus, abbatias, preposituras, praelaturas et dignitates alias sunt adepti, qui ecclesiis, quas rexerunt, in bonis pluribus profecerunt. Episcoporum autem horum, quos ab ecclesia nostra sic assumptos legimus, haec sunt nomina: Norbertus Magdeburgensis episcopus, Hisfridus[25] et Evermodus[26] Ratenburgenses episcopi, Walonus[27] Haveldensis episcopus, Wiggerus[28] Brandenburgensis episcopus, Flogerus (al. Arogerus) Sagensis episcopus in Polonia.

a) extraneos *videtur scribendum fuisse.*

23) Theoderico, episcopo Monasteriensi (1118–1127), die 15. Aug. 1122, teste eius tabula apud Erhard Reg. Westph. I. Cod. dipl. p. 149. 24) V. Ottonis tabulas ap. Erhard Reg. Westph. II. Cod. dipl. p. 5 et 6. 25) Isfridus ep. Raceburgensis ab 1178 ad 1204. 26) Evermodus episc. Raceburg. ab 1154 ad 1178. 27) Walo, ep. Havelberg. constitutus a. 1155 obiit inter d. 18. Apr. 1176 et 29. Iunii 1179. 28) 1138–1160.

5. Tandem ergo compositis rerum morumque secundis[a] in commune bonis, postquam a concussione dura

respirare datum est illi, claustroque fovere
pacificos sensus, et in otia solvere curas,

quam tunc[b] purgatissimis moribus enituerit, Deum testor, quod humani sermonis inopia nullatenus explicabit. Studebat primum in omnibus sui despectum appetere, indigna quaelibet atque extrema servitia non abhorrere, oblatam sibi a fratribus venerationem humillime
Matth. 11, 29 declinare. Alto enim corde retinuit, quod a magistro humilitatis accepit dicente: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* Verbum Dei audiens, seu orationem Domino fundens, uberrimis profluebat lacrimis, quae satis in illo declarabant ardorem ac devotionem internae puritatis. Qua de re unus quoque seniorum testabatur dicens: *De hoc viro sancto illud ego frequentius videns admiratus sum, quod cum una nobiscum ad communem discumberet refectionem, non modo mira ciborum polleret abstinentia, verum etiam tam uberrimis atque creberrimis lacrimarum rigabatur fluentis, ut stupens haec intra me reputarem: „Deus bone, quid in hoc agitur homine beatissimo? quae putas horum ratio gemituum, quae tantarum causa est lacrimarum? Num ex nimia spiritalis laetitiae se conficit abundantia, gratias nimirum agens et amantissima consideratione perpendens divina, quae hoc loco ipse in perpetuum ordinavit, ministeria, quaeque iam nunc adeo videt in sui fervere praesentia? Num, inquam, pro his magnificis Dei beneficiis in tantum gratulatur, ut a lacrimis tam affluentibus temperare non valeat? An vero potius tam immenso, tam impatienti, tam inconsolabili rapitur aeternorum desiderio bonorum, ut illius intuitu terrenorumque fastidio nihil omnino ei nisi flere libeat? Utriusque profecto causae salubris et laudanda religiositas, utriusque compunctionis beata talique Dei servo condigna sublimitas."* Haec senior noster, quae assidue oculis suis intuitus est, veraci ac fideli mihi testimonio prosecutus est. Semen praeterea verbi divini secundo corde percepit, tantaque ac tam crebra exhortationis gratia diffusa erat in labiis eius, ut pater Norbertus de ipso gratulatorie dixisse perhibeatur: *Postquam ego in praedicationis cursu lassatus defecero, Godefridum filium meum pro me[c] suscitabo more cervorum, qui cum se venatorum instantia supra vires lassari persenserint, alios pro se cervos exagitandos suscitare memorantur.* Proinde vel unum ex dictis eius, quod a fratribus didici memorabile, piae menti non ingratum erit advertere. Cum fratres exhortaretur non curare labia iniqua et detrahentium inepta mendacia, quia imperitos tantum

Hor. Ep. I, 16, 39 Falsus honor iuvat et mendax infamia terret:

Mendacium, inquit, *diu subsistere non valet, veritas autem stabilis perseverat et solida; mendacium enim in praecipiti sedet equo, veritas autem in asino.* Et recta plane similitudo: veri-
Ioh. 14, 6. tatem sedere in asino, quia Dominus meus, qui ait: *Ego sum veritas,* in asino sedere dignatus est. Corpus etiam suum et apostolico castigabat exemplo, ac perenni frangebat ieiunio, sciensque, quod

Summa quies nil velle super, quam postulat usus
Debitus, ut simplex alimonia, vestis et una
Infirmos tegat ac recreet mediocriter artus,

modicis omnino contentus erat, aquam frequentius bibens et, pane solo excepto, vix aliud quippiam alimentorum sumpsit. Cum autem fratres quidam tepidi de rigore ordinis relaxando illi suggererent, vir sanctus, Dei spiritus plenus, hac similitudine respondit: *Qui magnum fluvium navigio transmeare proponunt, longe superius a destinata ripa navigare incipiunt, quia violentia retorquentur incessabili, et velint nolint cum fluvio quodammodo descendere compelluntur. Ita et nos, fratres, qui hoc mare magnum et spatiosum manibus pertransire contendimus, ubi sunt reptilia quorum non est numerus, ad iugem[d] ascensum nostrum robo-
Eccli 19, 1. remus propositum, quia humanae torpor negligentiae semper in descensu est; et vereor plurimum, ne in futurum ordo noster descendendo vel prolabendo nimium — quia qui modica spernit, paullatim defluit — ad teporis[e] pristini relabatur decursum.*

6. Quodam tempore cum cives Monasterienses adversus comitem nostrum, seculari adhuc habitu detentum, iurgia concitarent et bella moverent, unus ex ministris eius cum suis complicibus in viciniam illam excurrens, praedam congregavit copiosam, animalia quoque multa, quae diripuerat, stante in porta comite, tamquam gloriabundus adduxit. Cumque vir pius, aequitatis amicus, inquirens quid hoc esset, rem didicisset ex ordine, continuo

a) *an* honorumque seculi? b) quantum *Vita I.* quam tunc *Vita II.* c) pro me *addit Vita II.* d) adiungere *Vit. I.* ad iugem *Vit. II.* e) temporis *Vit. I.* teporis *Vit. II.*

sancta indignatione permotus, ministris astantibus: *Ite*, inquit, *dicite praedoni iniquo, ne nostros umquam presumat adire conspectus, donec eis, quos impie laesit, satisfaciat, omnibus quae rapuit ad integrum restitutis. Si enim homines civitatis illius ad praesens nobis, prout forte sumus digni, adversantur, numquid ob hoc praesumptor iste villanos et innocentes quosque nostri sub nominis umbra depraedabitur?* Ad hoc ille perterritus, et nil tunc minus auditurum sese arbitratus, quantocius discessit, ex rapina nil sibi retinere praesumens, sua cuique multa cum sollicitudine resignavit. Itaque cum in Godefrido multa stupeamus mirifica, ea plus mirari solemus, quae in seculari dignitate bona executus est. Inter cetera caelestis gratiae dona, eximia quoque in viro Dei, necdum seculi rebus exuto, abundabat compassio. Nec leprosos aut quamlibet infimae conditionis aegrotos despexit, adeo ut, stupentibus ministris, pauperrimo cuidam apud se languenti pius atque humillimus visitator assideret. De sordidissimo eius vasculo una bibere non exhorruit, per omnia infirmanti se contemperans, et iuxta apostolicam eruditionem ita subveniens, quemadmodum sibi vellet subveniri, si eadem vel simili aegritudine laboraret. Illud quoque de hoc liberalissimo Dei servo nequaquam tegam silentio, quod gladio adhuc accinctus, dum iret ad visitandum Varlarense coenobium cum famulo suo Giselberto, quem postea conversum vidimus, occurrit mendicus eleemosynam petens. Mox vir misericordissimus nullatenus ferens vacuum abire pauperem, Giselberto ait: *Remansit, oro, quicquam in loculis?* Respondit ille: „*Etiam, domine.*“ *Da*, inquit, *pauperi*. Quo facto, rursus quaeri iussit, si quid adhuc foret residuum; iterum ergo datum est pauperi. Sed nec sic quievit sancti viri larga benignitas, quousque tertio quoque totum quod remanserat pauperi donaretur. Ita Trinitatis deificae verus confessor et cultor sine trino munere inopem praeterire nequaquam passus est. Famulo quoque suo dixit: *Demus quaeso egenis, quidquid valuerimus, quatenus Dei nostri bonitas novellam plantationem fratrum nostrorum in Capenberg et Varlare confirmare dignetur.* Cuius germanus Otto, quod praetereundum non est, cum esset apud Elofstat, illis in partibus divinae servitutis cultum dono Dei ampliavit. Manegoldus enim, vir nobilis et potens, cuius erant castra duo Hagen et Wirberg, ab adversariis suis una cum filio interemptus est. Remansit autem totius possessionis heres unica filia nomine Aurelia. Quam multis uxorem petentibus, erat enim satis elegantis formae, venit Otto, et dato ei perpetuae castitatis consilio, noctu eam non sine vitae periculo voluntariam abduxit. Deinde pontificali et regali auctoritate subnixus, multis et variis exegit laboribus, quod simul cum Aurelia hereditas tota divinis ministeriis mancipata est. Castrum igitur Hagen ipse delevit incendio, in altero autem fratrum et sororum hodie viget religio [29]. 29

7. Quantae vero puritatis, quantaeque simplicitatis devotione Godefridus cuncta reliquerit, et eo [a] responso ipsius, quo Eucruvino satisfecit, plenissime declaratum est. Ea namque tempestate, qua raptam a Francone matronam laboriose requisivit, fama, quae

Tam pravi fictique tenax quam nuntia veri Virg. Aen IV, 188.

est, mox undique percrebuit, comitem Godefridum, poenitudine ductum, suam recepisse coniugem, fratresque omnes de castro, quod iam religiosi occupaverant, cum iniuria perturbasse. Talibus figmentis ad Mosam usque vulgatis, venit de finibus illis Eucruvinus, nostri Heinrici [30] germanus, eumdem Heinricum secum sperans abcessurum; et salutato 30 comite, cum benigne susceptus foret, causam adventus sui requisitus exponebat dicens: *Veni, domine, fratrem meum, qui apud vos conversus est, quem et unice diligo, pristinae revocare professioni, quia iam pridem vos, receptis omnibus, universos fratres expellere coepisse, longe lateque nuntiatur.* Tunc vir Dei alacri vultu respondit: *Quid ergo? Nonne tuis, amice, oculis in praesentiarum comprobas, ficta esse omnia? Miror quidem valde tantae impudentiae figmenta. Qua enim temeritatis audacia mihi ea usurparem, quorum hodie nulla proprietas omnino mihi residua est, quaeque Dei solius sunt attributa servitio? Scis tu, Deus meus, quod etiamsi filios nutriendos ex femina illa suscepissem, stipem potius necessitatis nostrae ostiatim mendicando, parvulosque in cervice mea gestando conquirerem, quam eorum quippiam, quae Dei sunt atque servorum eius, aliquatenus temerare auderem.* Haec audientes qui aderant,

a) *sic correxi* ex.

29) Monasterium Wirbergense (in Hassia, prope Grunbergam) ab Immecha, vidua Manegoldi, in monasterio Ilbenstadensi sepulti, conditum esse, legimus in Heinrici archiepiscopi Moguntini tabula d. d. 30. Nov. 1149 ap. Guden Cod. dipl. I, 189.

30) monachi Capenbergensis.

tantam tanti viri sinceritatem altissimamque paupertatem usquequaque non sine fletu mirati sunt. Tempore quo maxime Friderici comitis adversus virum Dei fervebat persecutio, quemadmodum ab eodem furore suo vel ad modicum tyranni refracta fuerit immanitas, occultare non debeo. Accidit ut illis diebus apud Traiectum fuerit, praesente ac iubente imperatore Heinrico, comitum, marchionum, aliorum conventus nobilium; ubi et
31 ipsum contigit adesse Fridericum[31]. Dum ergo, tractatis nonnullis imperii negotiis, seorsim in secretario suo resideret imperator, considentes forinsecus principes, ut assolet,

Virg. Aen. VI, 160. Multa inter sese[a] vario sermone serebant[b].

32 Cum ecce unus Suevorum princeps[32] bene christianus, dissimulans omnino se quis esset Fridericus agnoscere, coepit illum facetissima urbanitate in illius senatus audientia confutare, hoc modo Godefridi nostri eiusque fratris conversionem inducens: *Paullulum,* inquit, *o heroes et commilitones, dignamini advertere. Auditum est et celebri sermone vulgatum in finibus nostris memorabile gratiae Dei miraculum, quod videlicet Capenbergenses comites duo, divina inspiratione compuncti, omnia sua domino Deo nostro reddidere, ita ut omnis hereditas ipsorum in obsequium pauperum Christi Deo iugiter servientium cedat in perpetuum. Felices nimirum viri multumque beati, quibus a Domino tantae virtutis est collata ingenuitas, tamque sublimis propositi feliciter est consummata voluntas, qui nostris diebus universis Christi fidelibus magnificum sanctitatis ac voluntariae paupertatis largiti sunt exemplum, se ipsos quoque non dubitantes humiliter in eorumdem Dei pauperum aggregare consortium! Sed ecce, o nefas, quidam in vicinia illa filius diaboli, Fridericus nomine de Arnesberg, tantae sanctitatis bonum, ut fama est, praepedire nititur, atque nubilo coecatus avaritiae in ipsum Deum, quod nullus ambigit christianus, infelicia bella machinatur. Ego vero si Deo nostro hic pessimus mortalium aliquando praedo praevaluerit, minus libenter ipsi Deo me deinceps serviturum profiteor, qui tantam nominis sui iniuriam propulsare noluerit. Nec tamen desperare queo, in conflictu isto Dei futuram esse victoriam.* Inter haec autem irrisoria principis verba infelix ille gravissima confusione deiectus, huc illucque vultum declinabat, loquentis aspectum ferre non sustinens, nec in tali conventu prae conscientiae impietate vel mutire praesumens. Hoc tamen compertum nobis et certum est, quod post conventum illum regressus domum, aliquantum coepit agere mitius, missoque nuntio, virum Dei magna cum lenitate deprecatus est, uti dignaretur Arnesberg ad suum venire colloquium. Hic sperans, eum de animae suae remedio quippiam tractaturum, paucis fidelium suorum assumptis, in assumptione beatae
Aug. 15. Mariae virginis confidenter venit ad locum. Ubi dum captivos compeditos et incarceratos plerosque reperisset — semper enim homo crudelissimus habebat, quos in catenis maceratos affligeret — super his more suo viscerali flexus clementia, primo omnium pro his rogaturus accessit. Verum ad omnes supplicationum blanditias ille velut pelagi rupes immota resistebat, non tantae sollempnitatis gratiam, non tanti viri reverentiam, non denique lamentabilem captivorum miseriam dignatus advertere. Quid autem mirum, si eo tempore homo saevissimus nullum pietatis admisit remedium, qui et ipsa mortis suae hora nullius preces, nullius consilium admittens, nec unum quidem ex captivis relaxare voluit? Mortuus est impius tam tetri, ut aiunt, putoris molestia, ut matrona, quae illi assidebat, ipsa etiam post paullulum expiraret; et percussione tyranni gratulantes captivi, tunc demum
33 absoluti sunt[33], frustra tamen, quia ex eis nonnulli diuturno carceris squalore infirmati, spiritum in brevi reddiderunt. Dolente autem Godefrido, causam sibi, pro qua vocatus esset, non aperiri, assumptum eum circumducere coepit Fridericus, murorum aedificia vel ceteram supellectilis suae varietatem ostentando; cum tamen vir sanctus omnia haec irrideret et cuidam suorum, qui id ipsum mihi attestatus est, innuens, haec auribus eius instillaret: *Existimat hic homo, me huiusmodi vanitatibus oblectari, sed ego hac vice velut ex necessitate morem ei gerere compellor, cum tamen pro cunctis eius, quas ostentat divitiis, putris calami pretium non commutarem.* Paucis deinde illum exhortatus, omnis protinus dilationis impatiens, festinavit ad reditum. Semper enim seculi tumultus molestissime ferebat, paradisum aestimans claustrale silentium, et dilectae sibi solitudinis quietem omnibus Croesi

a) sese *scripsi pro* se. b) *sic correxi* ferebant.

31) Fridericus, com. Arnesb., reperitur testis in diplomate Heinrici V, dato Traiecti die 2. Iunii 1122, ap. Mieris Charterboek I, 86. 32) Fuit hic fortassis Fridericus II. dux Sueviae. GAMANSIUS. 33) Mortuo Friderico duo castra eius, Wifelesburch et Rietbeck, destructa esse, narrat Annalista Saxo 1124 l. l.

superponens divitiis. Post haec vero, cum persecutoris sui cognovisset interitum, verae 1124. compassionis affectu memor clementiae, immemor malitiae, lacrimas fudit, per spiritum in se habitantem sciens, ad quae vel quanta supplicia talis anima iusto Dei raperetur iudicio. Venerunt quoque sub idem tempus nonnulli ex ministris eius dicentes: *Ecce, domine, qualis et quam ampla vobis obvenisset hereditas, si huius mundi gloriam, quam possidere valebatis, non ultro placuisset abicere.* Quos ille indignantis vultu reverberans: *Quid est,* ait, *quod pro magno iactatis? Numquid non omnia relicturus eram, quemadmodum et iste moriendo reliquit? Ecce interiit; nec iam sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius. Scis tu, domine Deus, quod etiamsi sic futurum praevidissem, nequaquam ob hoc tamen conversionis distulissem gratiam, nisi forte ad amplius dilatandam laudationis tuae servitutem. Quid porro magnum feci ea relinquendo, quae ipsa naturae conditione mecum permanere non poterant? Nonne*

Omnia, quae tempus peragit, quaeque exitus aufert,
Vilia sunt brevitate sui?

Respondete quaeso, num, si vobis opulentissimam civitatem una siliqua comparare daretur, siliquam illam tam lucroso commercio eligeretis subtrahere, plus diligendo siliquam, quam civitatem amplissimam? Ad quod illi cum respondentes dicerent: „*Hoc factu stultissimum*"; *Longe,* inquit, *stolidior, longeque vesanior est, qui quamlibet amplam huius mundi substantiam pro regno caelesti commutare dissimulat. Quis gloriabitur, imo quis merito de hoc remunerari postulabit, si auctori suo restituat, quod ab ipso accepit? Et tamen pius Dominus etiam in huiusmodi nobis occasionem salutis constituit, quod sola nimirum dignatione fit eius inexhaustae bonitatis.*

8. Novi praeterea unum e fratribus, magnae sanctitatis et gravitatis virum, qui mihi secum de Godefridi meritis conferenti hoc sermone respondit: *Eia, frater, quis est hodie mortalium, qui merita sanctitatis eius ad plenum aestimare sufficiat? Ego tanti miraculi exhibitionem per sacram illius praesentiam praesens expertus sum, ut longe inferius reputarem, si vel coeco mihi visum, vel claudo gressum, seu etiam surdo restauraret auditum. Solo enim intuitu sacrique vultus eius efficacia quotidie infestum a me repellebatur daemonium.* His auditis obstupui, fateor, et haec referenti: *Per illum,* inquam, *te obtestor, qui est vera caritas, ne huius tam fructuosae tamque divinae rei me fraudes notitia.* Tum ille: *Eo,* inquit, *anno, quo primum mutato habitu monasterium petii, multis me taediis hostis antiquus multisque temptationum aculeis incessanter aggressus est, ita ut ipsum daemonem scapulis meis quodammodo insidentem et intolerabiliter me ab omni operis devotione retardantem continua vexatione sentirem. Hunc ego daemonem aliquando vehementius insistentem, cum pro posse reluctans, in oratione coram altari sancto prostratus, divinum invocarem auxilium, Dominus mihi etiam visibilem ostendit, habitu deformem vultuque teterrimum. Quotiescumque igitur sic affligebar, currebam et inquirebam sancti viri praesentiam, et continuo eo viso, quasi quodam rore perfundebar, moxque fugam daemonis et mirabile tam corporis quam spiritus sentiebam refrigerium. Quodsi presentem forte videre non valebam, sed tantummodo solam vocem ipsius audire merebar, confestim non dissimili consolationis gratia refrigeratus sum, adeo ut nullatenus ambigere possem, talia in eo operari praesentissimam Spiritus sancti efficaciam. Quo spiritu ille illustratus, meas quoque me tacente cognovit angustias, et velut omnia in se mea expertus incommoda, congruam quoque consolationis vocem formabat dicens: „Frater mi, consolare, viriliter age, et quoties in tantum affligeris, ut ne unam quidem orationem coram Domino fundere praevaleas, sustine tempus miserendi eius, atque in spe futurae consolationis Dei respira, certissime sciendo, quia iuxta prophetae veridicam vocem: Si abiecit, et miserebitur* Thren.3,32. *secundum multitudinem miserationum suarum." Ita me dulcissimo sermone, et mellita Dei melle lingua refovebat, sicque annum fere continuum agonizabam, et quocumque die virum Dei casu aliquo videre vel audire non merui, gravissima, ut praefatus sum, daemonis infestatione conterebar.* Haec ego dicta vel acta sancti fratris nostri nequaquam passus sum tegi silentio, quatenus pia omnis cognoscat anima, quanta in Godefrido nostro reposita fuerit supernae gratiae magnitudo. Oportebat quodam tempore hunc Dei servum, adhuc ferentem gladium, cum fratrum ita poposcisset utilitas, ad imperatoris Heinrici, cognati sui[34], 34 venire colloquium. Erat autem capellanus eius Eppo, qui postmodum tanti viri exemplo conversus est, cui tamen interim non valde fuerunt accepta conversionis domini sui principia. Hunc ergo cum paucissimis famulis assumens, dum iter aggredi temptaret, ille

34) Cf. supra p. 515, n. 10.

66*

ausus est dicere: *Qualiter, o domine, tuum imperator adventum excipiet; quali putas vultu te
egenum aspiciet, et pauperem habitu, vel crine deformem; absque solita militum frequentia
modo ad se venientem?* Cui vir Dei placidissime respondit: *Hoc, frater, Deo nostro totum*
Prov 21,1. *committo, in cuius manu cor regis est, et quocumque voluerit, inclinabit illud.* Cum ergo
venisset ad palatium, imperator, licet variis occupatus negotiis, eum videns, reiectis omni-
bus a longe cucurrit in amplexus eius, exclamans atque dicens: *O cognate dilectissime, Deo
nostro immensas gratias ago, quod te videre hodie merui. Nec enim hac die talem ac tantum
tamque mihi praecipuum virum me visurum aestimavi.* Ita miro susceptum amore, magno
quoque cum honore detinebat, et prae ceteris ad capellani ruborem familiarius habitum,
demum non absque affectuoso moerore dimisit in pace.

9. Antistes quoque porro Monasteriensis cum, suggerentibus plurimis, castrum Ca-
penberg, ne in partem servorum Christi cederet, obtinere niteretur, plurimaque loca beato
viro in concambium cunctis acclamantibus offerret, ipse super petram vere fundatus con-
stantissime resistebat, ita respondens episcopo: *Frustra, pater, universi conantur, quicum-
que terroribus vel blandimentis propositum nostrum de loci huius mutatione, Dei dono inspira-
tum, impedire laborant; quia nulla feram ratione, ut me superstite deinceps in hoc loco mun-
danae vanitati serviatur, quin potius id elaborare necesse est, ut ubi hactenus licentiosa militum
grassabatur incursio, illic amodo caelestis obsequii succedat assiduitas. Sufficiunt enim prae-*
1 Petr. 4,3. *teriti dispendia temporis ad stultorum voluntatem consummandam, qui ambulaverunt, ut
scriptum est, in luxuriis et desideriis suis. Mihi credite, etiamsi quadruplo tantum possessionum
recompensantes offerretis, numquam castrum hoc ulterius seculi negotiis occupari consentirem.*
Tanta beati viri constantia talique responsionum strenuitate confutati, nil antistes, nil ceteri
omnes ultra super hac re temptare praesumpserunt. Sed et tyrannus, quem saepe iam
diximus, tremendum verborum eius fulmen expertus est, cum foret ex illis unus vir iste,
Apoc. 11, 5. de quibus legimus, quod: *si quis eis nocere voluerit, ignis de ore ipsorum egrediens, devorabit*
Iob 3, 8. *inimicos eorum.* Dum enim ingenitae libertatis memor, Godefridus contra se Leviatan
Exod 15, 15. mundi despectu suscitaret, mox conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit
furor, indignati sunt habitatores Chanaan. Quorum praecipuus Fridericus avaritiae flamma
succensus — halitus quippe diaboli prunas ardere facit — possessionibus comitis filiae oc-
casione inhiabat, instabat, exercitum adversus comitem ductabat, crebro placitabat, impie-
tate pro pietate utebatur. Condicta igitur die in magnae multitudinis frequentia collatis
multis hinc inde sermonibus, demum vir Dei innocentiae puritate conspicuus atque liberri-
mus huiusmodi fulminea sancti Spiritus iacula in illum contorsit, dicens: *Eia, miser homo,
quid tantopere infimis et caducis rebus aestuas? Quid finitimis inhias contempto limite agellis?
Numquid tu solus habitabis in medio terrae? Numquid mundum vorabis universum? Esto; et
quid tibi proficit, si totum mundum lucreris, animae vero tuae detrimentum patiaris? Tu qui-
dem filiae nobis occasionem adducis, verum universi novimus, quantus te insatiabilis avaritiae
obsideat morbus, qui, mundo teste, nec defuncti fratris tui[35] filiae[36] pepercisti, sed eadem
avaritia vesaniens, captivitatis eam iniuriis affecisti.* Inter haec verba mirabili confidentia
multorum cum stupore mentum illius apprehensum concutiens, adiecit etiam haec: *Ecce
facies tua iam iamque marcere incipit, ecce caro vultus tui iam contabescit; velis nolis iam
tempus imminet, quo resolveris in pulverem et redigetur in lutum cervix tua. Princeps et unus
ex huius seculi primis ore vulgari nominaris; sed timendum aestimo, ne in futuro seculo non
inter primos, verum*[a] *inter novissimos ac despectissimos computari merearis.* Tunc ille irri-
dens cum timore respondit: *Vos quidem, o domine, non tam a Deo Dei spiritu repleti estis,
quin ego fieri queam salvus aeque ut vos et vester ille servus seductor Norbertus.* Ita ergo
ignis, ut dixi, de spiritali caelo descendens, veritatis inimicum urebat atque consumebat,
1124. cruciabat, non illuminabat. Nec multo post infelix ille mortuus est, et respiravit mun-
dus, tali peste liberatus. Nam et fratres universos nunc minitando, nunc militari manu
terminis eorum proximando, tantis aliquando terroribus concusserat, ut unanimiter una
cum Godefrido ac patre Norberto facta invicem confessione, tamquam oves occisionis cer-
vices pararent, et portis ultro apertis, martyrium indubitanter atque alacriter expectarent.
Gen. 19, 5. Sed Dominus, qui servos suos, quos per vasa iniquitatis probat, de temptationibus novit

a) *delevi* nec *post* verum.

35) Heinrici de Rietbeck. 36) Eilicae, cf. infra.

eripere, iniquos vero in diem iudicii cruciandos reservare, egressum eius, insaniam ac superbiam sua potentia irridens, circulum in naribus et fraenum in labiis eius posuit, et 4 Reg. 19, 28. per viam qua venerat, omni quidem labore frustratum, sed voluntate non mutatum[a], redire coegit. Et ille quidem praefatis Christi pauperibus tamquam Saul malum David quaerebat cunctis diebus; verumtamen Dominus non tradidit illos in manus eius, istos per tribulationes examinans, illius vero malitiam mire tolerando contempnens.

10. Cum autem in medio fratrum positus, Godefridus vita refulgeret angelica, fratres eum universi, prout dignum erat, honorabant, et pristino dignitatis nomine comitem interdum nuncupabant. Sed ille, cuius exemplo humilitatis vitam quisque suam dispicere cogebatur, hoc honoris vocabulum vehementer expavendo refugit, fratribusque dixit: *Per caritatem Christi vos obtestor, dilectissimi, ne me, servum omnium vestrum, deinceps umquam tali vocabulo contristetis. Sub hoc enim nomine me in multis excessisse profiteor; meos quoque sub huius auctoritate nominis plurimum deliquisse, dolens et gemens recognosco.* Sed minimum est hoc humilitatis indicium, cum aliquando etiam, quod ad confutandam superbiam nostram silere non possum, se cloacarium domus nostrae humillima seu extrema servitute deiectus exhibuit. Porro caritatis et eleemosynae tantus amor eum devinxerat, ut ipse domum hospitalem, quae hodie cernitur, per se construeret, per se quoque inibi pauperum pedes, dominicae institutionis minister et custos, frequenter ablueret, ac nummos distribuendo singulis misericordiae opus impenderet, paternum circa eos affectum gerens per omnia, ita ut cum beato Iob veraciter loqueretur affectu: *Pater eram pauperum, et cor viduae con-* Iob 29, 16. 13. *solatus sum;* item: *Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea, quia ab* Iob 31, 17. 18. *infantia mecum crevit miseratio, et de utero matris meae egressa est mecum.* Dispersit enim omnia et dedit pauperibus, ut iustitia eius maneat in seculum seculi, et cornu eius exaltetur in gloria. Euangelici etiam praecepti non segnis imitator inimicos innocentiae puritate diligebat, omnesque obtrectatorum iniurias fortissimus patientiae custos magnanima aequanimitate sufferebat. Recolo quoque verbum bonum, quod a quodam familiarium nostrorum, qui optime noverat sanctum virum, in hunc modum laetus accepi: *Vere,* inquit, *frater, quid amplius tibi dicam? Vir, de quo agis, fundatus erat supra firmam petram.* Quis ordo fidelium ampliora his virtutibus expetat miracula, cum haec ipsa sint tam admirandae sanctitatis insignia? Illa nimirum sunt divinae operationis prodigia, quae cum reprobis non possunt haberi communia, et de quibus propheta gratulatur dicens: *Tu es Deus, qui facis* Psal. 76, 15. *mirabilia.* Verum praeter has aliasque spiritalis gratiae dotes, quas profecto mortale non capit ingenium nec digne promit eloquium, vir sanctus mirabili atque inaestimabili ad Christum transeundi flagrabat desiderio ac inenarrabilibus anhelabat suspiriis, propter quod et Dominus properavit educere illum de medio iniquitatis. Nam et frequenter, sociis in itinere quolibet residendo pausantibus, ipse, quemadmodum in exequiis mortuorum membra componi solent, manus et brachia sua composuit supinus, dicens clamore intimo gemituque vehementissimo: *O si veniat hora illa nostri transitus! o si ad hanc horam aptare ac praeparare me digneris, domine Deus meus!* Denique ut summi etiam patriarchae non 1125. deesset obedientia, dictum est illi a patre Norberto: *Exi de terra tua, et de cognatione tua,* Gen. 12, 1. *et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstravero tibi.* Ad quod sine mora implendum obedientissime paruit, iamque discessurus una cum venerabili domno Ottone fratre suo: *Ecce,* inquit, *frater mi, si quid hactenus residuum fuit, quod non perfecta renuntiatione calcavimus, iam funditus in nomine Christi deseramus, nihilque ultra proprium retinentes ad iter obedientiae alacriter properemus.* Venit ergo ad locum vere iuxta nomen suum a Domino praemonstratum, electum ac praedestinatum[37], ubi et origo nostri ordinis coepit, ubi 37 cum fratre acolythus ordinatus est, ibique quam plurimos angelicae suae conversationis exemplis roboravit. Post annum vero revocatus ad patrem Norbertum, iam archiepisco- 1126. pum Magdeburgensem[38], cum seculi pompam vel strepitum sancti viri aegre ferret aspe- 38 ctus, Domino electum suum remunerare disponente, lenta coepit pulsari aegritudine, acceptaque benedictione patris Norberti, ad Elofstadense declinavit coenobium, ubi hoc ordine post non multos dies migravit. Cum languoris molestia sensim per dies ingra- 1127. vesceret, aderat ei devota sollicitudine germanus eius Otto cum nonnullis fratribus, quibus

a) non immutatum *Vita I;* nec voluntate mutatum *Vita II.*

37) Praemonstratum dioec. Laudunensis. 38) Norbertus m. Iulio 1126 creatus est archiepiscopus Magdeburgensis.

1127. ipse, transitum suum se[a] iam iamque desiderare, perhibebat. Cumque astantium unus diceret: *Absit, domine; nequaquam nos desolatos relinquetis, nobis adhuc pernecessarius estis,* vir beatus velut indignantis vultu respondit: *Eia, frater, quid est quod loqueris? Ad*[b] *quid, oro, poenitentiae habitum suscepimus, ad*[b] *quid etiam pro Christo tota die mortificari contendimus, si non per labores hos quantocius ad Christum emigrare concupiscimus? Optandum mihi est via breviori pergere, atque ad conspectum vultus Christi, quem semper optavi, maturius pervenire.* Ad haec dicta cum germanus eius gravi se moerore conficeret, consolans eum beatus ait: *Idcirco, mi frater, universa propter Deum abdicavimus, quia nos ad huius horae necessitatem perventuros, hoc est morituros, certissime noveramus, praeoptantes atque satagentes, ne huius nos procella discriminis obruat imparatos. Amplectamur ergo hanc a corpore peregrinationem, faciamus de necessitate virtutem, gaudentes et gratias agentes, quod de labore ad requiem, de misera ad beatitudinem transmigramus. Nec enim poterimus operum nostrorum retributionem desideratam percipere, nisi contigerit hinc per mortis gustum exire.* Quia vero initium est retributionis in obitu securitas mentis, videres illum nihil haesitantem, nihil pavitantem, quin imo vehementer exultantem, ita ut liquido in hoc sancto recognosceres, quod fidelis servus, cum[c] vicinae mortis tempus agnoverit, de gloria retributionis hilarescit. Vigilantem enim illum invenit Dominus, castimoniae zona praecinctum, et lucernas exemplorum lucis gestantem in manibus. Deinde cum sacri olei fuisset liquore inunctus, pacis osculum fratribus dedit universis, ita dicens: *Ego quidem, fratres, gratia ordinis ac zelo divini honoris, quosdam vehementius quandoque allocutus sum. Unde si quem vestrum offendi, quaeso, ne dedignetur ignoscere.* His dictis, non sermone responsum sed fletibus, pariterque contristatis omnibus paullo post fratri sic locutus est: *Frater mi, audio vocem*
Matth. 25,6. *dicentem: „Exite obviam ei.“* Et facto item intervallo, cum frater, qui ei sedulus assidebat, ab eo inquireret, quid spei haberet, vir sanctus latino sermone respondit: *Magnam spem habeo. Iam enim pro toto mundo paullo diutius in hoc nollem morari exilio.* Post haec paullulum conquievit, apertisque mentis oculis cum ingenti subito exultatione dicebat: *Bene veniunt nuntii Domini creatoris mei.* Quo dicto debitum creatori reddidit spiritum, atque
Ian. 13. Idibus Ianuarii, quo die baptismum Christi sancta recolit ecclesia, beata illa anima, carne
39 soluta, aeternae regenerationis induit candidatum. Anno dominicae incarnationis 1126[39], aetatis autem suae ferme 30[40], migravit ad Christum, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

11. Porro Gerbergis abbatissa, de qua praefati sumus, unice sanctum virum diligens, saepius eum discedentem contestata fuerat, uti vel vivus vel mortuus in brevi eam visitaret. Cum ecce illi in ipso transitu apparuit miro decore redimitus, aureoque diademate coronatus. Quem illa, transitum eius ignorans, cum requireret dicens: *Quid est, dilectissime, quod sic coronatus incedis?* ille respondit: *Noveris, me modo sine dilationis interstitio, sine ullo gravis examinationis periculo, ad summi regis migrasse palatium; ideoque tamquam regis filium beata immortalitate coronatum. Quod ne aliquatenus dubites, ecce scripturam in diademate meo digestam agnosce.* Respexit[d] et attendit atque hoc modo digestum invenit:
Isai. 61, 10. *Induit me Dominus vestimento salutis, et indumento laetitiae circumdedit me, et tamquam*
Psal. 8, 6. *sponsam decoravit me corona.* Tum illa non ignorans quod scriptum est: *Gloria et honore*
Psal. 20, 4. *coronasti eum;* item: *Posuisti, Domine, super caput eius coronam de lapide pretioso,* divinum
41 advertit fideliter oraculum; statimque, nobis[41] adhuc ignorantibus, missas pro eo celebrari
Ian. 22. fecit, cum ecce frater eius post ferme dies decem veniens, felicem illius transitum hora eadem, qua nepti apparuit, completum omnibus denuntiavit. Post excessum sancti viri plurima sanitatum beneficia per illum Dominus operatus est, quae nobis quidem,

Virg. Aen. VII, 646. Ad quos vix famae tenuis perlabitur aura,

nec omnia comperta sunt, nec facile a quoquam singillatim enumerari possunt. Duo tamen ex pluribus operae pretium reor attingere. Est locus, in quo sanctimonialium cohabitat
42 multitudo, Eltene[42] nuncupatus, ubi una ex sanctimonialibus acerrimo dentium dolore laborabat. Cumque, ingravescente per singulos dies incommodo, nihil obtinere posset remedii,

a) se *addit Vita II; deest I.* b) Ut *Vita I et II.* c) cum *addidi.* d) Respondit *Vit. I;* Respexit *Vit. II.*

39) Godefridus quum ante Norberti electionem, Iulio 1126 actam, Praemonstratum profectus, exactoque anno ad eum iam archiepiscopum reversus, post paullo obierit d. 13. Ianuarii, et iter eius ad a. 1125 revocandum est, et reditus ad exeuntem a. 1126, et obitus ad d. 13. Ian. 1127. 40) Itaque anno 1097 natus Godefridus erat. 41) Cappenbergensibus. 42) *Elten, Altena,* dioec. Coloniensis.

turbata mens consilium denuo invenit. Misit enim Dominus in mentem eius beati viri memoriam, quem adhuc viventem bene notum habebat, et morte obita de virtutibus eius praeclara multa compererat. Hunc[a] toto cordis affectu coepit implorare, quatenus suis apud Deum precibus tanto subveniret dolori. Mira res; ubi completa est pie credentis et de sancto viro praesumentis oratio, dolor omnis aufugit continuo. Eodem quoque doloris periculo quidam ex nostris, qui sancto adhuc viventi familiaris extiterat, permultum vexatus et infirmatus est. Dictum est illi et consultum, uti ad brachii minuendum sanguinem phlebotomum posceret; quod agens, nihil omnino salutis consecutus est. Novissime cum edidicisset praedictum sanctimonialis remedium, coepit et ipse nostrum fideliter invocare patronum. Fecit hoc, et mox curatus est.* Hic Dei famulus spiritu nobiscum est, gaudens cum apostolo et videns ordinem nostrum ac firmamentum fidei, quae est in Christo. Cum enim e fratribus unus ad hymnos matutinos processurus celerius surrexisset, paullulum forte resedit in lectulo, et repentino sopore concidentibus eius oculis, egressa est processio. Moxque vir Dei clarus astitit dormitanti, et vocans eum ex nomine: *Frater mi*, ait, *surge quantocius, quia chorum iam ingreditur conventus*. Ad cuius illico vocem surrexit, et citato gradu fratres procedentes consecutus est.

12. Anno dominicae incarnationis 1148, indictione 11, praesidente sedi apostolicae 1149.
papa Eugenio, regnante glorioso Dei cultore Conrado et de peregrinatione sancti sepulchri redeunte[43], ut fratrum Capenbergensium satisfaceret desiderio, venerabilis domnus Otto 43
Elofstad profectus est, convocatisque fratribus dixit, se memorabilis Godefridi, germani sui, ossa Capenberg transferre iam tandem oportere: *Hoc enim*, inquit, *dum extremum hic spiritum ageret, a me toto postulavit affectu, quod et hactenus mea neglectum desidia, nunc demum oportunum est, ut sine dilatione gratanter adimpleatur.* Illico contristati omnes, aequalis omnium tremor ac perturbatio, una singulorum voluntas eademque sententia, numquam se tanti fundatoris ac domini sui fraudandos praesentia vel patrocinio carituros. *Istum*, aiunt, *locum desolare venistis vos qui patronum ipsius hinc auferre contenditis; quod si ullatenus praesumptum fuerit, omnes nos a maiore ad minorem de hoc coenobio in praesentiarum effugatis. Nobis enim oblatus, et nobis per divinae gratiae ordinationem donatus est. Quod ergo Deus nobis concessit, homo qualiter auferre praesumit?* Ad hoc venerabilis Otto respondit cum suis: *Poteramus quidem, fratres mei, vos apostolicae sedis litteris ad huius rei necessitatem etiam invitos compellere, poteramus liberius et audacius quodammodo vobiscum agere, si non magis optaremus omnia consummari vestrae universitatis assensione concordi. Iam siquidem diximus, quod hoc vivus expetivit, qui coenobium Capenbergense prae ceteris diligebat; sed et ego, quod diffiteri non valeo, id me promptius executurum, iam iam migraturo coram fratribus pollicitus sum.* Illi e contrario ut supra se discessuros iactitant, nec id ullius umquam terrore potestatis elaborandum, ut huic in tanto loci sui detrimento consensus unanimitatem adhibeant.** Et cum infinita surgeret altercatio, venerabilis Otto magno curarum fluctuans aestu, nunc huc, nunc illuc celerem dividit animum. Verg. Aen. IV 285. 287

In partesque rapit varias, perque omnia versat.

Novissime vocatis maioribus,

Haec alternanti potior sententia visa est,

* *Vita II addit haec:* Fuit in Kappenberg pastor quidam religiosam ducens vitam. Is quodam tempore usque ad mortem infirmatus est, et in ipso languore positus, multitudinis malignorum spirituum phantasiis pulsabatur. Cum igitur iam tandem esset desperatus, nocte per soporem est admonitus, quatenus locum sepulturae eiusdem Godefridi comitis visitaret et de beati viri eleemosyna reficeretur; fecit hoc et mox sensit se toto corpore sanum, fugitque subito phantasticus error ab ipso. Fuit sacerdos quidam de fratribus nostris, quem fistulae per multos dies adeo debilitaverant, quod vix moveri potuit. Hic alienis manibus ad ecclesiam portabatur. Interea dies anniversarius Godefridi comitis occurrit, et ecce frater iste difficulter repens ad ecclesiam pro vigiliis viro Dei celebrandis pervenit in chorum. Ubi medullis intimis, ac totus perfusus lacrimis, salutis flagitabat auctorem, quatenus interventu viri Dei sospitatem recipere mereretur. Oravit et exauditus est; nam indilate Godefrido subveniente, sensim mox properat vanescere morbus, proicitur baculus, subsequiturque salus.

** *Vita II:* Episcopus etiam Maguntinensis fratres eosdem defendit, ne suo solatio privarentur.

a) Hinc *Vita I;* Hunc *Vita II.*

43) Conradus reversus in Germaniam est a. 1149.

1149. Ian. 13. et ipsorum consilio ad hoc deflecti consensit, ut reliquias illas partirentur, quatenus et illius et nostri coenobii perpetuae stabilitatis et pacis forent tuitio. Denique cum id ipsum aegre permissum fuisset, atque ipso die transitus eius memorabiles reliquiae cum magni frequentia concursus de minori ad maiorem transferrentur ecclesiam, hoc quod eiusdem coenobii fratres divinitus accidisse mihi fideliter attestati sunt, ad Christi gloriam reticere non debeo. Matrona enim quaedam amplae satis familiae, Matthia nomine, quae eatenus febribus urebatur nec ab aliquo curari poterat, per eius medici omnipotentiam, qui per suae humanitatis praesentiam socrum Simonis a febribus liberavit, ad Godefridi reliquias repente sanata est. Unde ipsa quoque non ingrata deinceps ad sacram eius tumbam prae ceteris attentius excubabat, et sanctas reliquias indefessis orationum suarum frequentabat muneribus. Febr. 12. Post haec, pridie Idus Februarii, portio reliquiarum, quae nobis obvenerat, a fratribus nostris. cum summae devotionis alacritate suscepta est, ita ut in die illo novo quodam et mirabili gratulationis tripudio fratrum nostrorum perfusa universitas sit, et quodammodo nobis illuxerit iubilaeus, qui est annus iubilationis plenus. Nam sicut legimus:

Arator Act. ap. 2, 678.
Iubilaeus adest[a]; proprii distractio ruris
Antiquo donatur hero, servire coactos
Libertas amissa petit, mala debita laxat
Creditor, et limen patriae vetus aspicit exul,

ita nimirum et nostra societas in huius patroni adventu, velut antiquae servitutis moerore proiecto, novae libertatis et exultationis gratia donata est, sentiens per eum uberiorem divini respectus benedictionem consecutam. 1150. Sept. 16. Deinde anno sequenti, sextodecimo Kalendas Octobris, sacra ossa multis astantibus in sanctuario novo venerabiliter ab antistite Monasteriensi Wernero[44] reposita sunt. Ex quo nimirum tempore ipsa rerum experientia cognovimus, quod superni muneris abundantia intus et foris magis magisque cumulati sumus, ita ut historiae illius recordari possimus, qua dicitur: Gen 39, 5. *Benedixitque Dominus domui principis militum et multiplicavit tam in aedibus, quam in agris cunctam eius substantiam propter Ioseph.* Nos itaque, quemadmodum ille princeps exercitus, huic nostro Ioseph votis assiduis domum delegemus gubernandam, creditis illi omnibus, quia profecto nostra omnia sub meritorum eius manu perpetuo benedicenda et promovenda indubitanter confidimus.*

Porro[b] de antiquis possessoribus Capenbergensis castri, (qui de Magni Caroli et Widekindi regis progenie per Imezam, quae Xantis quiescit — quam[c], ut aiunt, sororis suae filiam Carolus, tamquam pacis obsidem, Widekindi filio dedit uxorem — et a cuius posteris curtem Wifde[45] obtinemus, descendisse traduntur, quorum hodieque in multis excellens

* *Vita II addit haec:* Apud Elvenstad manebat quidam potens, Godefridus nomine, qui in auferendis nulli hominum pepercit. Hic minabatur ore sacrilego, quod sacrarium ecclesiae de Elvenstad in brevi vellet mutare in haram porcorum, ita ut quaelibet illic pecudes licenter oberrarent, quas abigere nullus auderet. Quae verba adeo terribiliter frequenter fulminavit, quod desolationem loci quasi nullus dubitaret. Erat igitur ibidem quidam frater sacerdos, Dominius nomine, procedens cum baculo suo ad dispensatorem domus, apud quem flebilem hoc modo promebat querelam: *Eia, frater, quid erit nobis? nos senes quo ibimus? Vos quidem iuvenes levem feretis huius loci desolationem, quia mox locum alium vobis procurabitis. Nos autem imbecilles et decrepitos cui relinquetis?* Ad quem dispensator: *Quaeso, pater, ne turberis, sed vade ad sepulchrum pii fundatoris Godefridi nostri comitis, cui tam lugubres effunde querelas.* Quod et fecit, et curvatis ad sepulchrum viri Dei genibus, imoque trahens a pectore voces lacrimosas, sic oravit: *O vir sancte, spes et solatia nostra, tuus ecce locus diripitur, atteritur et conculcatur; nos famuli tui minis et terroribus exagitamur, et tu non curando dissimulas. Sta, quaeso, pro fratribus tuis, patrone sanctissime, a facie tribulationis nobis esto refugium, ne divinae laudis ministerium hic redigatur in nihilum.* Quid multa? oravit et exauditus est. Nam quarta decima die castrum praedonis illius funditus dirutum est; quem tota terra a finibus illis abiecit.

a) annus remissionis *glossa.* b) *tria, quae sequuntur, additamenta ab auctore vitae aliena esse, iam Gamansius vidit.* c) quia *Vit. I;* quam *Vit. II*

44) ab 1132 ad 1151. 45) Videtur *Wisele* esse, qui locus possessionibus ecclesiae Capenbergensis annumeratur in tabula Theoderici episcopi Monasteriensis ap. Erhard Reg. Westph. I. Cod. dipl. p. 149. Cf. Geisberg, Leben Godfrieds von Kappenberg in Erhard und Rosenkranz Zeitschrift, neue Folge II, 369.

claret magnanimitas) unum hinc Hermannum comitem una cum devotissima eius coniuge, Gerberge de Huneburg, Dei cultorem praecipuum, necessario inducimus; cuius stirpem ingenuam ad nos usque pertingentem silentio praeterire pro gratiae Christi commendatione non debemus. Deus enim omnipotens, cuius dispositio in sui ordinatione falli non potest, in huius filiis, hereditatem partituris, magnam suae bonitatis ostendit evidentiam, dum omnibus nefariae factionis traditione circumscriptis, vel unum internecioni subtrahendo futurorum utilitati reservare dignatus est. Eckericus enim quidam potens et nobilis, cum eisdem filiis, dominis suis, fidele iurasset dominium, coepit denuo illis, nil minus opinantibus, clandestinis machinationibus adversari, quaerens quibus eos dolis extingueret, quorum dominio integram fidelitatem et ore firmaverat, et beneficiis obligatus debebat. Dispositis tandem insidiarum latibulis, eos, velut ipsius causae in Lunensi[46] placito suffragaturos, humiliter, imo fraudulenter evocavit. Sed nutu divino tertius, qui et iunior erat, pridie pedem sauciatus, proficisci nullatenus assensus est. Quid multa? Veniunt ad fraudis opertum, et ex medio nemoris, quod hactenus de caede ipsa trahit vocabulum Grevenlo[47], prosilientibus hinc inde militibus, bini cum duobus fidelissimis famulis interempti sunt. Pro quo scelere non longe post homicida perfidus, capite truncatus, et sursum versis pedibus ignominiose suspensus est. Solus Godefridus, hoc enim nomen erat superstitis, domi ut diximus residens, evasit; de quo noster Godefridus ortus et nuncupatus, regionis Westphaliae lumen effulsit.

Praeterea factum est, ut comites Capenbergenses Godefridus et Otto, relictis omnibus, Christi se iugo subicerent, et habentes iuxta Sueviam castra duo Creinekke et Hilderadehusen, ministerialesque plurimos et ad duo circiter milia mansos, his quoque omnibus, sicut et ceteris, quantocius exui festinarent. Proinde Fridericus[48], Suevorum dux, opportunitatem nactus hos comites adiit, flagitans, cognationis gratia — nam ipsius horumque comitum aviae sorores fuerunt[49] — ut memoratas possessiones ab eius manu non elongarent, quia licet digne appretiari non sufficeret, libens tamen aliquantum pretii ad illorum offerret arbitrium. Cui, tamquam cognato suo, illustres viri plurimum benevolentiae impenderunt, deditque solummodo marcas quingentas, et pro marcis centum reliquias Ioannis apostoli, satis pertinaciter asseverans, huius quantitatem pecuniae, quam tantae gratiae thesaurum, se dare maluisse. Has igitur memorabiles reliquias venerabilis Otto, praecipuus Ioannis dilector, nostrae laetabundus invexit ecclesiae, atque in capite reposuit deaurato[50]; quibus et multo caritatis affectu reditus ad luminaria continua delegavit et dimidiam ad minus[a] argenti marcam emendis fratrum piscibus, sed et[b] ripa Rheni dimidiam vini carratam ad festive celebrandam eiusdem apostoli assumptionem[51] deputavit; similiter quoque in festo illius ad portam Latinam[52]. Haec itaque de patrono nostro tantisper libuit annotare, quatenus cum de thesauri huius veritate non ambigitur, amplior cunctis fiducia ferventiorque devotio in beati apostoli laudibus excitetur.*

Pater comitum Godefridi et Ottonis Godefridus vocabatur, mater eorum Beatrix. Pater eorum de Westphalia oriundus fuit, mater vero de Suevia. Defuncto Godefrido patre eorum

* *De eadem re protulit Gamansius in Act. SS. Ian. I, p. 844 „veterem hanc Cappenbergensis coenobii scripturam".* Noscant universi congregationis nostrae fratres, quod imperante Heinrico quarto fuit matrona quaedam praenobilis nomine Ulbildis[53], mater Heinrici[54] ducis de Bavaria, qui filiam[55] Lotharii imperatoris duxit in coniugem[56]. Haec matrona clarissima mittens ad imperatricem Constantinopolis, materteram suam[57], petivit sibi dari portionem aliquam de multiplicibus,

a) *an* administravit? b) *deest* a *vel* in.

46) *Lünen* ad Luppiam, haud procul a Capenberg. 47) i. e. comitum lucus. 48) secundus, qui obiit a. 1147. 49) Irmingardis, proavia Godefridi Ottonisque comitum, soror fuit Adelheidis, proaviae Friderici II ducis Sueviae. Vid. Annal. Sax. 1036, 1067; Ekkehardi chron. univ. 1067. Cf. supra p. 515, n. 10. 50) cui, teste Gamansio in Act. SS. Ian. I, 844 et 1111, inscripti erant versus hi:

Hic quod servetur, de crine Ioannis habetur;
Tu prece pulsantes exaudi, sancte Ioannes,
Tu pius Ottoni succurre precando datori.
Apocalysta, datum tibi munus suscipe gratum.

51) die 24. Iunii. 52) die 6. Maii. 53) filia Magni ducis Saxoniae, uxor Heinrici Nigri ducis Bavariae. 54) Superbi. 55) Gertrudim. 56) anno 1127. 57) ad Irenem seu Pyrisk, uxorem Iohannis

Beatrix maritum accepit Heinricum comitem de Ryetbeke, fratrem videlicet Friderici comitis antiqui de Arnesberg. Iamdictus comes Heinricus procreavit de Beatrice comitissa filiam nomine Eileke; quam Eilekam uxorem duxit comes Eigelmarus de Aldenburg[a], qui ex eadem Eileka filios genuit Heinricum et Christianum comites, et Ottonem fratrem eorum[b], et Eilekam matrem comitis Simonis de Tekeneburg[c].*

quibus illic abundare solent, reliquiis. Cuius illa acquiescens precibus, inter cetera transmisit crucem auream cum gemmis et catenulis aureis, in qua reclusus est sanguis naturalis de corpore Christi effusus, in tribus panniculis conglutinatus, capilli domini nostri Iesu Christi, pars crucis Christi, particula de tunica Domini, lacrimae quae fluxerunt de corde Mariae matris Christi, crines beatae Mariae, flores beatae Mariae, quos in manu habuit dum angelus ei Christi incarnationem nuntiavit, de vestibus eiusdem beatae virginis, capilli, crines et barba sancti Ioannis euangelistae, in tribus panniculis abundanter de sanguine beati Ioannis baptistae, et reliquiae sancti Augustini et sanctae Catharinae. Huius Ulhildis filiam,
58 nomine Iuttam[58], Fridericus[59] Suevorum dux duxit uxorem, obtinens cum filia crucem praefatam, quam in omnibus bellis collo suo appendit propter victorias, quas consecutus est per eam. His ita gestis factum est, ut comites de Capenberg Godefridus et Otto, relictis omnibus, Christi se iugo subicerent. Et habentes iuxta Sueviam castra duo multum sollempnia, ministeriales plurimos et mansos ad duo milia, haec Friderico duci praefato cognationis gratia — quia horum comitum avia et huius mater sorores erant[60] — benigne tradiderunt. Quibus pro debita recompensa, licet modica, dux idem Suevorum quadragintas dedit marcas et crucem memoratam; quam iam dicti comites incomparabiliter acceptabant libentius pecunia iam praescripta. Norbertus autem, initiator ordinis nostri et primus ecclesiae nostrae pater, per pecuniam huiusmodi in curia Romana confirmationem obtinuit ordinis universi. Has igitur reliquias venerabilis Otto, comes olim et tertius ecclesiae nostrae prae-
61 latus[61], quia praecipuus beati Ioannis dilector, ad nos laetabundus deduxit, reponens eas in capite deaurato; a quo successores eius cum cruce separabant easdem. *Sequitur fragmentum tabulae Ottonis hoc:* Crucem igitur praedictam auream cum gemmis et catenulis aureis et reliquiis memoratis ego Otto comes iam dictus, cum piae memoriae fratre meo Godefrido Capenbergensis ecclesiae devotus fundator, toti congregationi Capenbergensi conservandam in ea fide committo, qua Christus matrem suam sanctissimam caro suo Ioanni in cruce pendens commendavit. — *Fridericus I imperator quoque Ottoni comiti, qui baptismati eius anno* 1122 *interfuerat* (*dicit enim Ottonem „patrinum suum" in diplomate ap. Erhard Reg. Westph. II, Cod. dipl. p.* 191), *dono dedit spatio annorum* 1155 *et* 1172 *argenteam pelvim baptismalem, quam rursus Otto contulit ecclesiae Capenbergensi, quamque designatam in Archiv III,* 454 *reperis. Incisa est baptismi species; supra infantem legitur:* Fridericus imperator, *supra sponsorem:* Otto; *in margine autem sunt versus hi:*

Cesar et augustus hec Ottoni Fridericus
Munera patrino contulit; ille Deo.
Quem lavat unda foris, hominis memor interioris,
62 Ut sis quod non es, ablue terge quod es[62].

* *Vita II addit haec:* Comites Godefridus et Otto sorores habuerunt: Beatricem, quae conversa est in Capenberg et sepulta cum Eilica comitissa de Aldenburch ad sanctae Mariam Magdalenam, et Gerbergim, quam clam abduxit domnus Bernherus de Erperode.

a) *Vita II.* Engelmarus de Oldenburch. b) *Vita II:* Ottonem praepositum. c) Tytneburg *Vit. I;* Tekeneburg *Vit. II.*

Comneni (imp. ab 1118 ad 1143), filiam Ladislai regis Ungariae (1077—1095), quae fratrem habuit Colomannum regem (1095—1143), sororem autem Sophiam ex qua Magnus dux Saxoniae Wulfhildim filiam genuit. Vid. Anonymum de Guelfis ap. Hess. Mon. Guelf. p. 20, Turocz ap. Schwandtner Scr. rer. Hung. I, 140; Cinnami L. I, c. 4, ed. Bonn. p. 9. 58) seu Iuditam. 59) secundus. 60) Cf. supra p. 529, n. 49. 61) ab 1155 ad 1171 aut 1172. Vid. Act, SS. Ian. I, 843. 62) Cf. Ottonis tabulam ap. Erhard Reg. II, Cod. dipl. p. 85.

I. STEMMA KAROLI COMITIS FLANDRIAE AUCT. LANGEBECKIO.

1. COGNATIO MATERNA
ex parte avi Roberti Frisonis.

Balduinus V. Insulanus comes Flandriae † 1067. u. **Athela** fil. Roberti reg. Franc.

- **Balduinus VI. Hanoniensis** com. Flandr. † 1070 u **Richildis**, vidua Herimanni comitis Montensis
  - **Arnulfus III.** com Flandriae † 1072
  - **Balduinus I.** com. Montensis, u Ida filia Henrici IV. imp.
    - **Balduinus II.** com Montens u. Iolendis filia Gerardi comitis
      - **Balduinus III.** com. Montensis. u. Alexia Namurcensis comitissa.
        - **Balduinus IV.** com. Namurc. u. Margareta fil. Theoderici com. Flandr
- **Robertus Friso I.** com Flandr. † 1093. u **Gertrudis** vidua Florentii com. Holl.
  - **Robertus Friso II.** com. Flandriae. † 1111 u Clementia filia Willelmi Burgundi
    - **Balduinus VII. Hapkin** comes Flandriae † 1119. **Carolum** successorem instituens
  - **Philippus de Lo** ob. iuvenis — Concubina
    - **Wilhelmus de Lo** s. Iprensis. competitor comitatus Flandr 1128.
  - **Adela** regina Danorum m 1. **S. Canutus** rex Daniae † 1086. 2 **Rogerius** dux Apuliae † 1109.
    - [1] Ingertha m Folko Suetiae gentis nobilissimus.
      - **Arnulfus s. Arnoldus**, competitor comit Flandriae 1128
    - [1] Cecilia
    - [1] **Karolus** comes Flandriae † 1127. u **Margaretha** fil Rainaldi com Claromon'.
    - [2] **Wilhelmus** dux Apuliae † 1127
  - Ogiva abbatissa Messinensis.
  - Gertrudis m 1. Henricus, com. Brabant. 2 Theodericus, com. Alsatus
    - **Theodericus**, com Flandr 1128 † 1168 u 1. Suanehildis s. Margareta vidua Karoli. 2. Sybilla fil Fulconis reg. Hierosol
      - [1] Laurentia
      - [2] **Philippus**, com Flandr
      - [2] **Margareta**, u **Balduinus II.** Montens.
- **Mathildis** regina Angl † 1083 u **Wilhelmus Conquestor** rex Angl.
  - Robertus dux Norm † 1133 u Sibylla
    - **Wilhelmus** com. Flandriae 1127. † 1128 u. Iohanna soror reginae Francorum.
  - **Henricus I.** rex Angliae † 1135 u 1 Mathildis Scotica 2 Alisa Brabant.
    - [1] **Mathildis** uxor imp Henrici V.
  - Adela † 1137 m Stephanus com. Blesensis
    - **Stephanus** rex Angliae † 1154 u Mathildis

2. COGNATIO MATERNA
ex parte Gertrudis aviae.

Bernhardus II. dux Saxoniae u. Eilica

- **Gertrudis** m 1. **Florentius I.** comes Hollandiae. † 1061. 2 Robertus Friso I.
  - [1] Theodericus V comes Hollandiae † 1091.
    - **Florentius II.** com Holland. † 1122 u. Petronella, soror Lotharii imp.
      - **Theodericus VI.** com. Holl.
  - [1] Albertus, [1] Florentius et [1] Petrus, canonici Leodienses
  - [1] **Bertha** † 1094. m. **Philippus I.** rex Francorum † 1108
    - **Ludovicus** Crassus, rex Francor. † 1137. u **Adelais**. fil. Humberti com Maurienn
  - [2] Robertus Friso II
  - [2] Philippus de Lo.
  - [2] **Adela**.
  - [2] Ogiva.
  - [2] Gertrudis

II. STEMMA EREMBALDINORUM.

Erembaldus, castellanus Bruggensis, c. 1050 et a. 1067. 1089. ux. Dedda vidua Boldranni

- Robertus castell. Brugg. 1101. 1105, 1109.
  - Walterus, castell. Brugg 1113
  - Albertus.
  - Robertus puer decollat. 7 Mai. 1127
- Lambertus Nappin 1105, 1119
  - Lambinus Morwater.
  - Burchardus suspens. ex Apr. 1127.
  - Robertus [1].
- Desiderius Hacket castell. Brugg. 1115 1127.
  - Robertus 1133 [2].
  - Filia N. N. mar. Walterus Crommelin de Liswega [3].
- Ulfricus Cnop a turri praecipit. 5. Mai. 1127.
- Bertulfus praepositus S Donatiani Brugg. 1091 -1127. suspens. 11 Apr 1127.

1) Cf. Galbert. c. 16. 2) Tab. ap. Duchesne hist. gen. com. Gand. et Ghisn. p. 71. 3) Ibid. et Galb. 54. De reliquis vid. Galbert. c. 72 et Anonym. c. 2.

VITA
KAROLI COMITIS FLANDRIAE.

EDIDIT R. KŒPKE PROF.

Vix atrocius in Germania facinus viderunt saeculi duodecimi homines, quam Karoli Flandriae comitis caedem, a superbissimorum coniuratorum manu ante ipsas sacras aras vesana ferocia perpetratam. In quod nefandissimum crimen poenae cito citius a iusto Deo sunt immissae, ita ut vix funestius aliud in tragoediis excogitari possit, quod magis sacrum horrorem afferat. Duobus enim mensibus praeteritis crudelissima iam dederant supplicia sceleris auctores omnes; sunt maximis cum tormentis patibulo affixi alii, alii capite plexi, alii in singulari certamine occisi, alii de altis turribus praecipitati. Quibus omnibus illorum temporum scriptores eo vehementius commovebantur, quo splendidius clarebat inter illius aevi principes Karolus comes, quoque arctius cum potentissimis Europae regum domibus propinquitatis vinculo erat coniunctus. Filius Canuti Danorum regis, qui ante quadraginta circiter annos simili facinore in loco sacro percussus erat, Flandriae comitis nepos erat, Apuliae ducis frater, Franciae regis consobrinus Angliaeque regis nepos[1]*, ita ut Salicorum imperatorum stirpe exstincta, huic Karolo diadema offerendum esse nonnulli arbitrarentur.*

Itaque factum est ut haud pauca nobis relicta sint de Karolo monumenta historica. Praeter illos enim scriptores qui in transitu tantum Karoli caedis mentionem fecerunt[2]*, tres servatae sunt Karoli vitae, quatuor carmina in mortem eius metro elegiaco conscripta*[3]*, plura epitaphia et epigrammata*[4]*, narratio quae in memoriam Karoli in anniversario caedis die ex suggestibus publice legebatur*[5]*, quin immo tragoedia quaedam, quae iam seculo decimo quinto ludo scenico Brugis proposita est*[6]*. Multa denique exstant scriptorum testimonia et*

1) Vide tabulam genealogicam, quam superfluis recisis e Langebeckio repetivimus, quo magis haec propinquitas in aperto sit. Cui aliam tabulam Erembaldinorum addidimus. 2) Sugerius in vita Ludovici Grossi, Hermannus in narratione restaurationis abbatiae sancti Martini Tornac., quos vide apud Langebeckium IV, 194 in mantissa ex variis auctoribus ad acta sancti Karoli; vita et miracula sanctae Rictrudis auctore monacho Marchianensi anonymo II, 28. 30, Act. SS. Mai. III, Ordericus Vitalis XII, p. 884, Anselmus cont. Sigeberti, contin. Praemonstratensis, annal. Erfurdenses et Elnonenses ad 1127, chron. Sancti Andreae castri Cameracesii III, 34. 3) Cf. Du Méril poesies populaires lat. du moyen age p. 260. Quarum elegiarum una legitur in chron. Sancti Andreae l. l. ubi et haec verba: *Super huius comitis morte multi multa carmina flebili voce finxere.* Cf. infra annot. 4) Meyerus hist. rer. Flandric. 5) De qua vide Act. SS. Mart. I, 154. 6) l. l. p. 155. 156.

narrationes, quae magis magisque vera falsis miscentes, fabellas potius Roma- 7 *nenses quam historiam dicas*[7]. *Ex quibus historiae praesidiis tres tantum vitas hoc loco dare nostrum est, quarum una recentioris auctoris minoris est momenti, duae aliae Galteri et Galberti omni laude sunt dignissimae. Nam quamquam diversa est amborum scribendi ratio, tamen eodem veritatis studio ducti, testes sunt oculati in ipso rerum gestarum momento positi, qui eodem fere tempore quae viderant calamo exceperunt. Primo loco Galteri dabimus breviorem vitam, quae etsi gravissimarum rerum copia altera Galberti vita vincitur, tamen limatior est et politior.*

Galterus[8] *archidiaconus erat Morinensis i. e. Tervanensis*[9] *ecclesiae, seque fuisse Tervanensem ipse probavit*[10], *et Tervannensi episcopo Ioanni, a quo ad* 11 *vitam scribendam erat excitatus, libellum dedicavit*[11]. *Testis enim rerum erat veracissimus, et quae ipse viderat vel ab aliis acceperat fideliter narravit*[12]. *Paucis enim diebus ante Karoli mortem Ipras profectus erat, ob privatum quoddam negotium cum principe locuturus, verbaque memoria dignissima de morte pro veritate subeunda ex ipsius ore audivit et posteritati tradidit*[13]. *Oculatos dein habuit testes Eliam decanum, Frumoldum praepositum, Absalonem abbatem*[14], *qui comitis vel caedi interfuerant vel funeri; alia ex ipsorum coniuratorum narrationibus videtur hausisse*[15]. *Aliorum in universum tantum laudavit testimonia*[16], *et unum scriptum adhibuit librum, gesta Francorum Hiero-* 17 *solyma expugnantium*[17]. *Eodem anno* 1127 *quo comes interfectus erat, ipse, ni fallor, Galterus Romam, nescio quam ob causam, iter fecit, ibique ad Honorii secundi papae colloquium saepius admissus est, quem uno etiam loco narrationis suae auctorem fecit*[18], *in iis enim quae de testamento, quo Guilelmus Apuliae dux terram suam sancto Petro legaverit, litteris mandavit. Obiit ille Karoli frater uterinus die* 26. *Iul.* 1127[19], *itaque Galterum post hoc tempus Romae esse commoratum luce clarius apparet. Sed haud ita diu post in patriam redux, eodem anno aut ineunte anno* 1128 *ad librum componendum manum admovit. Nam Guilelmum, Normanniae comitem, quem Ludovicus VI.* 20 *Franciae rex exeunte mense Martio Flandriae comitem fecerat*[20], *legitimum Karoli successorem sine ullo dubio agnoscit*[21], *neque verbum quidem occurrit de Theoderico, Alsatiae comite, novo Flandriae competitore, cuius rumor venit in terram mense Martio* 1128[22], *neque de seditionibus, quae inde a Februario*

7 Quae ex vulgari rumore aliisque fontibus minime puris, et ex vernaculis Flandriae annalibus recentioris aevi collegit Ianus Lernutius in libro de natura et exitu Caroli comitis, Brugis 1621, de quo vide V. Andreae biblioth. Belg. et Act. SS. l. l. p. 154. Equidem illum librum non vidi neque alium, eiusdem ut videtur notae, Vita et martyrium Caroli boni, collegit I. Gregorius, Brugis 1630. 4. Quomodo recentioris aevi scriptores in vita Karoli vera falsis miscuerint, iam chronico comitum Flandriae ap. de Smedt I, 80, probatur, ubi etsi auctor Galterum legisse videtur, mera tamen commenta leguntur. E. g. iam hoc in libro Burchardum, Karoli percussorem, familia de Straten fuisse oriundum narrant, quod usque hodie repetierunt paene omnes recentiores; cf. Ian van Dixmude ed. Lambin. p. 156, etsi vitae scriptores probarunt et editores Act. SS. luce clarius evicerunt, Stratensem familiam fuisse illam, cuius tutor et defensor fuerit Karolus contra Burchardi odium.

8) Quod nomen in Galteri libro saepius occurrens scribitur etiam *Walterus, Gaulterus, Gauterus* c. 9. 28. Quod de Galtero et de Galberto scripserunt Foppens in bibl. Belg. I, 383; Histoire litt. de France IX, 139 sqq.; de Windt bibliotheek I, 25 minoris sunt momenti, nullusque fructus percipi potest.

9) Quod annotatur sub calcem codicis antiquissimi Sancti Donatiani cf. infra.

10) Tervannam appellavit *urbem nostram* c. 34. 45.

11) Cf. prologum.

12) ibid. *Quas vel ipse vidi vel virorum veracium testimonio indubitanter cognovi rerum veritatem* etc.

13) c. 27.

14) c. 31. 47.

15) c. 40. 46.

16) c. 6. 9. 11. 22. 37. 48.

17) c. 3. Sed memoriam potius ducem quam librum ipsum videtur esse secutus.

18) c. 2: *Ex cuius ore sacro hoc ipsum frequenter audivi* etc.

19) Falco Benevent. ap. Muratori VII; Meo apparat. chronolog. IX, 325.

20) c. 44.

21) ibid. *Regina Dei occulta sed iusta tamen dispositione — sororio suo — comitatum obtinuit.*

22) Galbert. c. 97.

eiusdem anni in Guilelmum motae sunt[23]. *Itaque vix nimium coniecturae dederis, si Galterum ante hoc tempus librum ad finem perduxisse statuas illis diebus, quibus in Flandria omnia videbantur esse pacata. De reliqua auctoris vita nihil est traditum.*

Eodem fere tempore ad vitam Karoli scribendam animum attendit alius auctor, etsi de Galteri laude minime detrahere velim, tamen longe accuratior illo, Galbertus, *quem non video quo iure notarium publicum fuisse volunt*[24]. *Galbertus Brugensis, sine ullo dubio clericus, vir erat*[25] *eruditus (Ovidium legit et Virgilium*[26]*) in rebus publicis valde versatus, quod libri etiam indole satis probatur, ipseque indicavit, quum multos imperatores, reges, duces et consulares viros se vidisse dicat*[27]. *Et quod est gravissimum, habes eum testem, qui multo plura quam Galterus suis vidit oculis, quique in copiosissima narratione vix alia quam quae ipse viderat litteris mandavit. Karoli enim caedem, et quae inde per sequentem annum et alterius dimidium redundarent funesta in Flandriam terram, in illo ipso loco, qui omnium malorum et turbarum quasi fons erat et caput, positus, auctor vidit, et qua vix accuratiorem invenias descriptione posteritati tradidit. Acta enim diurna condidit, in quibus per duos ferme annos perscripsit omnia quae memoria videbantur digna. Et quidem inde a 27. Febr. usque ad 22. Mai. 1127*[28], *quae singulis diebus gesta sunt in urbe et in Brugensis arcis obsidione tenacissima notavit. Quumque post coniuratorum interitum seditiones videret sedatas, pauca tantum de mensibus Septembri et Octobri a. 1127 scripsit, sed accuratos iterum confecit commentarios diurnos mense Martio usque ad Iulium exeuntem 1128*[29], *quo tempore Theodericus Alsaticus Flandriae comitatum victor obtinuit. Et inter ipsum armorum fragorem nullisque territus periculis, quibus ipse videtur fuisse expositus*[30], *haec omnia calamo excepit. Quod disertissimis his indicavit verbis, quibus et fidei et auctoritatis summum inest documentum*[31]: Inter tot noctium pericula et tot dierum certamina, quum locum scribendi ego Galbertus non haberem, summam rerum in tabulis notavi, donec aliqua noctis vel diei exspectata pace, ordinarem secundum rerum eventum descriptionem presentem, et sic, secundum quod videtis et legitis in arcto positus, fidelibus transscripsi; neque quid singuli agerent prae confusione et infinitatione notavi, sed hoc solum intenta mente notavi, quod in obsidione communi edicto et facto ad pugnam et eius causam congestum est, atque ad hoc quasi me invitum ut scripturae commendarem coegi. *Quae non vidit, facillime ab aliis potuit exquirere qui rebus interfuerant, quod accuratius annotare minime omisit, inter quos habet testes Karoli comitis capellanos*[32]. *Immo de*

23) Galbert c. 93. 24) Act. SS. l. l. p. 153 et Langebeck IV, 111 et post eos reliqui fere omnes. Nullus enim quod sciam exstat locus, quo eum revera notarium fuisse probari possit. Haud abs re esse credam, si hoc loco moneam nostrum Galbertum non esse confundendum cum alio viro eiusdem nominis, qui eodem tempore monachus Marchianensis vixit et de eodem Karolo comite scripsit. Est Walbertus sive Gualbertus, qui annis 1129—1131 miracula sanctae Rictrudis ad Saswalonem scripsit Act. SS. Mai. III, 118. In praefatione libri haec leguntur verba: *De cuius membranis ut ita dicam particulam aliquam apposui — in principio versuum de Karolo compositorum incomparabili et insigni comite.* Non videntur esse servati hi versus, neque satis patet utrum in universum in Karoli laudem an in mortem eius sint compositi. Nostrum Galbertum non fuisse monachum vix est quod moneam. 25) Prolog. *locus noster* i. e. Brugae, c. 25 *cives nostri*, ib. *suburbani loci nostri*, c. 27 *burgenses nostri*, c. 117 *inter Brudgenses nostros*, c. 121 *nos Brudgenses* etc., quae omnia enumerare longum est, quum sexcenties legantur. 26) c. 6. 81 27) c. 6. 28) c. 10 86. 29) c. 96 -121 30) c. 48 Isaacem unum coniuratorum suum appellat liberatorem, quod qua de causa factum sit, silentio praeteriit; sed coniicere licet, quum Karoli trucidarentur amici et fautores, Galberto etiam insidias esse structas ex quibus Isaacis auxilio evaserit. 31) c. 35. Cf. verba in prologo: *Neque equidem locum* etc. 32) c. 12. Aliorum testimonia in universum his proponit verbis: *Sicut aiunt, didicimus, audivimus,* quae loquendi formae unicuique legenti vel sponte se offerunt.

33 *priori vitae tempore ipsum comitem audivit narrantem*[33]. *Scriptas adiecit auctoritates epistolas Ludovici Grossi regis Franciae et Theoderici comitis tabulasque publicas, quas integras ex parte libro inseruit*[34]. *Sic condidit librum, etsi ipse spe metuque et tristitia vehementer erat commotus, quo lectoris animum non minus teneat quam commoveat. Quae veloci stilo in schedis annotaverat, pace paullatim redeunte digessit, limavit, librumque composuit, quem nescio cui dedicavit*[35]. *Sed quod viro inter res ipsas scribenti accidere potest, quum dies diem doceret, quam de rebus habebat sententiam et libri consilium mutavit. Primum enim apud animum hoc solum constituisse videtur auctor, ut, quod et Galterus fecit, in scribendis coniuratorum suppliciis libro finem* 36 *poneret, quod his indicavit verbis*[36]*:* In hac passionis subscriptione consequenter inveniet lector distinctiones dierum et gestorum, quae in ipsis facta sunt diebus usque ad vindictam subnotatam in fine opusculi, quam solus Deus exercuit in principes terrae, quos ab hoc seculo mortis districtione exterminavit, quorum consilio et auxilio traditio incepta est et ad finem usque perducta. *Et paullo ante haec leguntur:* Sed adhuc nondum huius fati miseria devoluta est ad finem, quin de die in diem non desinant vindicare praefati Karoli comitis mortem in omnes suspectos et reos et ubicumque profugos et exules. *Longe alia vero narravit ad diem* 6. *Mai.* 1128[37]*:* Et notandum, quod omnes fere quibus terra Flandrensis prohibita erat propter traditionem Karoli comitis — hoc tempore reversi sunt in terram etc. Igitur adhuc nullus interpellatus est nec respondit. *Quae vero supplicia coniurati dederint non in exeunte libro sed in medio in capitibus* 81—93 *legitur, itaque hoc loco opusculi terminum eum priori consilio posuisse coniiciam; quae vero ad bellum spectant inter Theodericum comitem et Guilelmum Normannum inde a capite* 93 *usque ad* 38 123 *quasi secundis curis addidisse videtur*[38]. *Quod aliis quoque satis probatur argumentis. Ad d.* 9. *Apr.* 1127 *est ei Guilelmus* comes noster, verus Flandriarum consul[39], *et ad diem* 30. *Apr.* 1128 *haec scripsit*[40]*:* Et quamvis Theodericus heres sit naturalis Flandriae et iustus comes et pius, Willelmus vero comes sit Flandriae inhonestus et civium terrae persecutor, tamen non iuste consuluerunt ii qui nunc miserabiliter iacent occisi, nec a traditione domini sui poterunt dici innocentes, — quorum consilio et violentia doli adhuc comes Willelmus erat in terra sua Flandrensi. *Vehementer enim viri religiosi animus eo agitabatur scrupulo, quid sit statuendum de duobus Flandriae comitibus, quos ambos esse legitimos negare non audebat, et quomodo tollenda sit illa controversia rei publicae sane funesta, utrum Guilelmus verus sit Flandriae comes, cui sacramento fidem promiserant, an Theodericus, qui propinquitatis lege comitatum suo iure sibi vindicare videbatur. Quae omnia ipse in fine* 41 *libri disertis verbis exposuit*[41]. *Aeque ac Galteri Galberti etiam vita reliqua tecta est tenebris.*

Duos igitur habemus Karoli vitae scriptores. Galterum politiorem et elegantiorem, Galbertum alterum, scriptorem etsi rudem et incomtum, tamen longe accuratiorem et copiosiorem inque rebus versatissimum, aequales ambos testesque oculatos veraces et sinceros. Quibus longe inferior minimeque cum iis comparandus tertius *est* vitae scriptor, *cuius neque nomen est traditum neque tempus*

33) c. 12: *Sicut in comitatu sedens saepe retulit.*
34) c. 47. 51. 52. 55. 107.
35) Nomen eius quem in prologo allocutus est, non servavit; editores Act. SS. p. 179 cives Brugenses esse voluerunt.
36) c. 14.
37) c. 111.
38) Editores Act. SS. p. 153 eandem fere sententiam proposuerunt; auctores hist. litt. de France volunt eum in c. 80 finem posuisse.
39) c. 56.
40) c. 109. Quibuscum est coniungendum quae dixit de Theoderico comite in capp. 108. 113. 114, ubi eum *comitem nostrum* nominavit.
41) c. 121. 122.

definiri potest accuratius, quo aridum suum et ieiunum librum confecerit. Natione Flandrus erat huius etiam vitae auctor[42]*, et ni fallor Brugensis; nam vidit* 42 *turrim illam, de qua coniurati sunt praecipitati, quam* adhuc hodie *centum ulnas altitudinis habere dicit*[43]. *Eumque duobus illis scriptoribus esse recentiorem indicavit alio loco, quo ei Karolus est unus* antiquorum comitum *Flandriae*[44]. *Alia temporis indicia desiderantur, et haud scio an recte coniiciam, si auctorem post Alsatorum comitum exstinctam stirpem i. e. exeunte saeculo decimo tertio vel ineunte decimo quarto scripsisse dicam. Quin Galteri et Galberti libros ante oculos habuerit dubitari nequit*[45]*, sed neque exscripsit eos neque hos solos secutus est duces, quod et erroribus eius probatur*[46]*, iisque quae de Erembaldinorum stirpe dilucide memoriaque digna exposuit*[47]*. Ideo-* 47 *que minime reiicienda videbatur vita illa, sed cum duabus aliis coniungenda.*

Posterioris aetatis scriptores inter suos auctores atque fontes Galterum habuerunt plurimi, Galbertum quod sciam paucissimi, sive quia copiosum librum perlegere longum erat, sive, quod magis credam, rarissimi tantum libri illius codices conscripti inque lucem prodiisse videntur. Galterum in auxilium vocarunt Sugerius in vita Ludovici Grossi[48]*, Albericus*[49]*, Iperius*[50] *et Adrianus de Bredt*[51]*, auctor chronici comitum Flandriae*[52]*, Meierus*[53]*; Galbertum, quod sciam, duo tantum auctores posteriores*[54]. 54

Galteri vitae Karoli novimus codices novem, ex quibus in nostrum usum vertere licebat quinque.

Primo loco ponendus est 1) liber ecclesiae sancti Donatiani Brugensis *mbr. fol. saec. XIII in. quem nunc possidet vir reverendissimus abbas Carton. In fine codicis haec leguntur:* Explicit libellus a domino Waltero venerabili Morinensis ecclesie archidiacono editus de vita et interfectione gloriosi comitis Flandrie et de vindicta in interfectores eius iusto Dei iudicio terribiliter exacta. *Hunc codicem, quem olim editores Actorum Sanctorum inspexerant*[55]*, summa cum humanitate nobis transmisit vir reverendiss. Carton, cui gratias quam maximas publice persolvere par est. Antiquissimum esse codicem vel inde patere videtur, quod Sancti Donatiani erat, in cuius ecclesia interfectus est Karolus; tribus constat quaternionibus, est splendidissime conscriptus unamque continet hanc vitam. Etsi librarii vitia minime desunt, tamen haud ita pauca quae exciderant verba saniores que habet lectiones, itaque hunc quasi primum ducem secuti sumus codicem.*

1*) *Cod. Sancti Audomari beatae Mariae de Clarimarisco*[56] *membr. fol.* 56 *saec. XIII, cuius debemus collationem viro doctissimo A. Hermand Audomarensi, ex illo sine dubio est descriptus, ut probant lectiones, in quibus illi duo consentiunt codices soli.*

1**) *Cod. Middlehill.* 4173 *membr. fol. saec. XIII inscriptus* liber sancti Martini Tornacensis, *cuius aeque notitiam habuerunt Bollandistae*[57]*, apud virum*

42) Quo iure editores Act. SS. p. 153 Danum eum fuisse voluerint non apparet, ut observavit Langebeck IV, 71. Neque scio unde alii hanc sibi opinionem duxerint auctorem fuisse Christianum de Pierre. Cf. Lelong bibliotheque III, 634; Sibbern bibliotheca Dano-Norwegica Lips. 1716, p. 163 et Moller in hypomnemat. ad Bartholinum p. 11. 43) c. 9. 44) c. 5; cf. etiam finem libri. 45) c. 6. 8. 9. 46) In quos incidit in stirpe Karoli constituenda c. 1; aliaque occurrunt vitia in c. 2. 5. 7. 47) c. 2. 48) Langebeck IV, 194. 49) ad 1127 Leibnitii access. hist. 50) Langebeck l. l. p. 207. 51) Chron. Flandriae l. l. p. 282. 283; de Galtero enim sine dubio et haec scripsit verba p. 282: *Historiam huius Karoli canonicus Sancti Donatiani descripsit;* neque Galterus neque Galbertus erat Sancti Donatiani canonicus. 52) Ann. Flandr. lib. IV, p. 40. 53) Apud de Smedt I, 81. 86. 54) Etsi de chron. com. Flandriae hoc non ita certo affirmem; sed cf. de Smedt l. l. p. 81 verba: *camisia cum sotelaribus.* 55) Est sine dubio *pervetustus codex Brugensis ecclesiae cathedralis sancti Donatiani* p. 153. 56) Archiv VIII, 80. 415. 57) p. 153.

58 *nobilem Th. Phillips inspexit Pertzius.*[58] *Ex codice Sancti Donatiani aeque videtur descriptus, ultima enim verba supra allata in hoc etiam codice repetuntur.*

2) *Cod. Atrebatensis olim Beatae Mariae Ursicampi* 80 *membr. fol. saec. XIII vitarum sanctorum continet collectionem, qui etsi mendis non caret, tamen textum praebet satis purum. Dolendum est quod barbara manu nonnulla folia sunt excisa. Hunc codicem contulit Bethmannus. Ex eodem ut ille sine dubio fonte fluxit*

4) *Cod. Brugensis olim Sanctae Mariae Dunensis membr. fol. saec. XIII, quem iam noverant Bollandistae*[59] *aeque collectionem continet vitarum sanctorum*[60]. *Ex quo apographum videtur esse*

4*) *Cod. Bruxellensis* 3196—3202 *pap. saec. XVII ex schedis Actorum*
61 *sanctorum*[61]. *Contulit duos hos codices Bethmannus noster.*

5) *Cod. Londinensis saec. XIII qui inscribebatur* Libellus de re, vita et interfectione gloriosi comitis Flandriae Karoli a domino Waltero venerabili Morinensis ecclesiae arcidiacono editus. *Anno* 1844 *in publica auctione Londini est venditus*[62].

6) *Cod. Paris. Arsen.* 90, *saec. XV, de quo quid statuendum sit nescio*[63]. *Neque de*

7) *Cod. Romano Vallicell*[64]. *Praeter hos Bollandistae noverant codicem Brugensem alium et codicem canonicorum monasterii Rubeae-Vallis*[65]. *Igniacensis codicis infra una cum Sismondi editione mentionem faciemus.*

Summe est dolendum quod in constituendo Galberti textu omnibus codicum praesidiis sumus destituti. Nam in tot bibliothecis, quae in Monumentorum usum sunt perquisitae, duo tantum inveniri poterant codices illique inferioris notae,

66 1) *Cod. Atrebatensis saec. XV*[66], *quem adipisci non potuimus, neque alterum*

2) *Apographum Paris. in schedis Stephani Baluzii Armoire II,* 1, 20[67] *in bibliotheca Parisiensi, quod est descriptum ex codice Antwerpiensi.*

Alios adhuc codices in notitiam virorum doctorum saeculi decimi septimi venisse et Duchesnius et editores Actorum Sanctorum probant. Ille enim iam anno 1631 *fragmenta nonnulla Galberti dedit ex codice quodam*[68], *quo postea usus est Oliverius Vredius*[69], *quemque suo tempore Ipris servari a Vredii genero Ioanne Bonartio syndico probant editores Act. SS. Praeter hunc codicem, quem in nonnullis locis conferendum curarunt, potissimum secuti sunt codicem antiquissimum, quem aut ipsius Galberti tempore aut non diu post exaratum esse coniiciunt, duosque codices Brugenses*[70]. *Qui omnes utrum penitus perierint, an in quibus tenebris lateant nescio. Vetusta exstat versio Gallica, cuius mutilum habemus codicem Hanoverae in bibliotheca regia; est chart. saec. XVI,* 4[71]. *Alium versionis codicem olim habebat Petrus Scriverius, qui Gal-*
72 *bertum librum Gallice scripsisse temere coniecit*[72]. *Quae quum ita sint, nobis nihil relictum est, quam quod paucis mendis remotis editionem ex Actis Sanctorum repeteremus, capitibus libri more nostro institutis.*

58) Archiv VIII, 7. IX, 500. 59) Act. SS. p. 153. 60) Arch. VIII, 99. 556. 61) Ibid. VIII, 520. 62) Bibliophile Belge I, 266. 63) Archiv VIII, 358. 64) Ibid. V, 469. 65) Act. SS. l. l. 66) Archiv VIII, 88. 67) Ibid. VIII, 324. 68) Histoire genealogique des maisons de Guines etc. Preuves p. 70. 69) Genealogia comitum Flandriae Brugis 1642, p. 149. 151; sed si quid video in his Galberti fragmentis Duchesnii librum secutus est. 70) Act. SS. l. l. p. 153. 71) Archiv VIII, 637. Desinit versio in verbis: *du conte les quelz menoient en chateau et ansy les huys du,* quod est in fine c. 36 nostrae editionis. 72) Act. SS. l. l.

Anonymi vitae nullus quod sciam iam exstat codex; qui membr. olim servabatur in bibliotheca academiae Hafniensis, magno urbis incendio anno 1728 *periit. Legebatur in eodem codice Aenothi vita sancti Canuti, sub cuius finem haec exstabant verba:* Explicit translatio sancti Kanuti regis et martyris. Item passio domini Karoli comitis filii eiusdem. *Ex quo codice varias lectiones ante incendium Arnaeus Magnaeus adscripserat margini editionis Meursianae, quod exemplar in suae editionis auxilium vocavit Langebeckius*[73], *quem nos variis codicis lectionibus servatis secuti sumus.* 73

Galteri editio princeps in lucem prodiit Parisiis 1615. 8. *sumptibus Cramoisy* Vita Caroli comitis Flandriae ab auctore Gualtero ex bibliotheca Sanctae Mariae Igniacensis. *Editor est Iac. Sismondus. Codex Igniacensis, qui latet hodie, eiusdem fere est notae ut* 1*; *varias eius lectiones signavimus littera* I. *In editione nonnullis locis plura verba exciderunt editoris negligentia. Eaedem reperiuntur lacunae in editione G. Henschenii et D. Papebrochii in Actis Sanctorum*[74], *itaque et hi viri alias accuratissimi textum minus diligenter constituerunt. Quos secutus est in suis quae dedit fragmenta D. Brial*[75] *et post eum Langebeck*[76] *qui et suas adiecit annotationes.* 76

Galberti fragmenta primus dedit Duchesnius anno 1631 *in libro supra laudato ex suo codice*[77]; *integram editionem primam debemus editoribus Actorum Sanctorum*[78], *a Langebeckio repetitam*[79], *et ex parte a Briale*[80]. *Gallice librum convertit Guizot vir celeb. in* Collection des memoirs[81] *et post eum Delepierre et Pernul in* Histoire du regne de Charles-le-Bon. *Bruxelles* 1830.

Anonymum primus cum Aelnotho edidit Hvitfeld Hafniae 1602. 8. *itemque ex codice Meursius Hafniae* 1631. 4. *quae editio repetita est in Meursii historia Danica Florentiae* 1746. *fol. a Lamio. Cum Magnaei dein lectionibus vitam dedit Langebeck*[82]. 82

In rebus explicandis praefationi et commentariis G. Henschenii et D. Papebrochii, qui uberrima doctrina sunt conscripti, me multa debere grato animo libenter confiteor. Quibuscum coniunxi Wegeneri accuratissimam commentationem Danice conscriptam Om Carl Danske greve af Flandern. Kjöbenhavn 1839. 4.

Scribeb. Berolini m. Martio 1849. *R. KÖPKE.*

VITA KAROLI COMITIS AUCTORE WALTERO ARCHIDIACONO TERVANENSI.

PROLOGUS IN VITA KAROLI COMITIS FLANDRIE[a].

Domino suo et patri merito sanctitatis totius reverentia devotionis excolendo, Iohanni, sancte Teruanensis ecclesie episcopo[b, 83], frater Walterus[c], dignationis eius inutilis servus, debitum omnimode subiectionis obsequium. Precepit humilitati mee auctoritas reverenda paternitatis vestre, ut, quia his nostris temporibus horrenda nimis a nefandis hominibus in partibus istis perpetrata sunt crimina, universo mundo execrabilia, et in ultionem eorumdem formidanda multum divine iusticie emicuerunt iudicia, pro eorum inmanitate equissima retributionis lance ponderata, et hec omnia quantum preteritis generationibus inaudita, tantum presentibus mirabilia: sicut gesta sunt, cuncta stilo percurram et ad noticiam 83

a) *ita* 1. prologus 1*. *deest rell.* b) *deest* 1*. c) Gaulterus 2.

73) IV, 71. 74) Mart. II, 163. 75) Recueil XIII, 334. 76) SS. rer. Danic. IV, 78. 77) p. 70. 196. 205. 234. 78) l. l. p. 179. 79) l. l. p. 112. 80) l. l. p. 347. 81) VIII, 237. 82) IV, 71.

83) Ioannes episcopus Tervanensis obiit d. 27. Ian. 1130; vide vitam eius in Act. SS. Ian. II, 794. Vitae auctor c. 37 dicit turbas ob Karoli mortem exortas vehementissime animum eius commovisse.

posterorum scribendo transmittam. Que omnia ideo scribi et scripto futuris temporibus manifestanda servari decrevit providentia vestra, ut eis lectis aut[a] auditis et boni, tanta superni[b] iudicis equitate considerata, in amorem ipsius ardentius excrescant, et mali, tam terribili divine ultionis iudicio cognito, per timorem ipsius a sua se pravitate compescant. Accessit etiam vestre iussioni domni Gozelini[c] decani et fratrum nostrorum amica mihi et omni cum honore semper suscipienda peticio, cui in cunctis Deo placitis optemperare ferventi opto desiderio. Vestre igitur sanctitatis auctoritate et fraterna cogente karitate, aggrediar — ipso qui linguas infantium facit disertas adiuvante, ac mee ariditatem lingue sue rore gratie irrigante et irrigando fecundante — quod iniungitis agere, virtute magis fretus obedientie, quam eius, quam nondum adeo ut id audere debeam assecutus sum, litteralis scientie. Conabor autem, quia etiam sic[d] placet vobis, omni nevo falsitatis et vulgaris incerto opinionis evitato, simplici tantum[e], ut potero, narratione referre que acta sunt, quatinus et superfluis verborum faleris et rethoricorum ornamentis colorum exquirendis minus intentus, fastidiosam sic caveam prolixitatem, ne[f] nimie brevitati studens, earum, quas vel[g] ipse vidi vel virorum veracium testimonio indubitanter cognovi, rerum lectoris cognitioni dumtaxat necessariam[h] occultare inveniar veritatem. Et ut facilius elucescat omne quod dicitur, totam sequentis seriem opusculi compendiosis comprehensam titulis, numeris singulorum pagine prefixis, disposui designare, quo videlicet lectori ceca quodammodo pagina tedium nequaquam pariat, et ad inveniendum quod queritur expeditior aditus pateat. Quodsi singula naturali non perstrinxero ordine, lectorem, precor, nequaquam id moveat, sed et posteriora cum se intulerint oportune aliquando anticipando premittere, et priora liceat ordine artificiali quandoque recapitulando subiungere, dum tamen, ubi exegerit[i] ratio, satis appareat quid quo gestum sit tempore.

INCIPIUNT CAPITA SEQUENTIS OPERIS[k]

a) *ita* 1. vel *rell.* b) *deest* 1. 1*. c) Gocelini 1*. Goscelini *rell.* d) si *addit* I. e) tamen 1*. I. f) *ita* I. ut nec *rell* g) *loco* vel *semper* aut 1*. h) *ita* I. necessariarum *rell.* i) exigerit 2. k) *ita* 2; *in reliquis codd. desideratur hic index, sed singulis capitibus praefixi sunt tituli.*

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIT LIBELLUS DE VITA ET INTERFECTIONE GLORIOSI COMITIS FLANDRIE KAROLI[a].

1. *De genere eius.*

Anno itaque verbi incarnati 1127, indictione 5, 6. Nonas Martii terre nostre pace 1127. Mart. 2.
sublata, quiete turbata[b], deleta honestate, extincta omni fere felicitate mortalium, guerra-
rum, laborum, turpitudinum et totius infelicitatis detestabile cepit exordium. Eodem enim
ipsius anni die in unius vita multorum vite periclitate, et ex una unius indebita morte mul-
torum iusto Dei iudicio mortes debite terribili quadam generatione sunt propagate. Tunc
namque secundum prophetam in memoriam rediit iniquitas patrum nostrorum in conspectu Ps. 108, 14.
Domini, et antiqua peccata nostra nova ceperunt ultione feriri, ut, in cuius manu post Deum
hactenus constitit[c] salus populi, eo de medio sublato, manifeste daretur[d] intelligi et[e] divini
iam in publicum prodiret censura iudicii, que prius latuerat in occulto prescientie Dei. Ipso
enim die in plurimorum perniciem execrabili quorundam scelere interfectus est Brugis in
ecclesia sancti Donatiani Karolus comes Flandrie, filius Kanuti martyris, regis quondam
Dacie[84], et Adhele regine, quam postea uxorem duxit Rogerus dux Apulie[85]. Ut autem 84
interfectionis eius occasionem et celestis vindicte animadversionem in mortis eius auctores
terribiliter exertam evidentius possimus ostendere, narratiuncule nostre exordium paulo
superius libet repetere.

2. *De martyrio patris et morte fratris eius et primordiis virtutum Karoli.*

Pater ergo ipsius, rex predictus, postquam suorum perfidia in ea ad quam timore mortis
confugerat occisus est ecclesia[86], Domino per eum operante signa et prodigia, inter 1086. Iul. 10.

a) *ita* 1. explicit prologus *desunt* 1**. I. l. de genere et vita, morte et vindicta K. c. F. gl. 2. Inc.—Karoli 4*. b) *desunt* 1. c) constiterat 2. constabat 1*. d) detur 1*. e) ut 2. quod I.

84) Hoc titulo in praeceptis usus est Karolus e. g. *Karolus filius regis Danorum* vel *Karolus Dei gratia comes Flandriae et filius regis Daciae*; cf. Martene et Durand Thes. nov. I, 347 et Miraei opp. diplomat. I, 84. 679. III, 323. Eadem formula in sigillis Karoli legitur; vid. Wegener p. 32. 85) filius Roberti Guiskardi cognomine Bursa. 86) In ecclesia S. Albani Otinensi, in seditione mota ob nimiam

87 martyres computatus apud Dacos, ex tunc et hactenus in magna veneratione est habitus[87].
Regina vero cum hoc filio suo parvulo[88] ad patrem suum Robertum[89], strennuissimum mar-
chionem, Roberti quondam Francorum regis ex filia Adela nepotem, cognomento Frisonem,
et matrem nobilissimam Gertrudem clara Saxonum stirpe progenitam[90], in Flandriam re-
1090. versa, ibique aliquanto tempore morata[91], memorato Rogero duci[a] a parentibus est nuptum
1111. data. Cui et filium nomine Guillelmum[b, 92] peperit, qui patri defuncto in ducatum successit,
et honorem acceptum morum ingenuitate et actuum strenuitate[c] multipliciter nobilitavit.
Sed audito unici germani sui exitu[93], primum quidem[d] inconsolabiliter[e] dolere, deinde
etiam ipse cepit letaliter languere. Qui ut se periclitari cognovit, Salernitanum archiepisco-
pum[94] et Troianum episcopum[95] advocavit, atque quod antea dum incolumis esset fecerat,
eorum quoque[f] testimonio[g] desiderans confirmari, quicquid mobilium vel immobilium in
terra possidere videbatur, beato apostolorum principi Petro eiusque vicario sanctissimo
96 pape Honorio[96], ex cuius ore sacro hoc ipsum frequenter audivi, iure perpetuo possiden-
1127. Iul 26. dum delegavit, ac deinde in confessione Domini ab hac luce migravit. Hic autem noster
Karolus annis pueritie transactis adultus, postquam milicie cingulum accepit, Iherusalem
sanctam, sepulchrum dominicum visitaturus, devotus adivit, ibique adversum paganos fidei
nostre inimicos arma ferens, Christo domino aliquanto tempore strennue militavit, et ei cui
pre omnibus serviendum esse prudenter advertebat, suorum primitias laborum et actuum
dedicavit[97]. Inde[h] divina ordinante dispositione, ad avunculum suum Robertum iuniorem
marchionem, in Flandriam revertitur, et ab illo eo quo talem iuvenem decebat honore
suscipitur.

3. *Memoria probitatis Roberti iunioris.*

Huius gloriosi principis quia mentionem nunc incidenter fecimus, opere precium esse
videtur, ut et[i] quedam virtutum eius insignia vel breviter commemoremus. Hic est enim
98 Robertus ille comes inclitus[98], superioris Roberti Frisonis filius, qui audito illo sancti et
1095. omnium seculorum memoria recolendi Clarimontensis concilii decreto, de venerabili scili-
cet dominice passionis et resurrectionis loco a paganorum manibus eruendo et christiane
1 fidei vendicando, continuo uxorem[99] et liberos[1], postremo cuncta que in mundo posside-
bat Christi domini servitio postponenda euangelice doctus iudicavit, et crucis eius in hume-
ris baiulando insignia, ac ipsius etiam corporalia qua poterat sequendo vestigia, illud apo-
stolice sedis mandatum tota fidei adimplere constantia cum aliis, quos eadem inspiraverat
1098. gratia, alacriter properavit. In qua expeditione et urbium terre illius, presertim Antiochie
1099. et sancte Iherusalem expugnatione, innumera fortitudinis et probitatis sue preclara dedit
inditia, quorum nonnulla illa que de gestis Francorum Iherusalem pro Christo expugnan-
tium scripta est comprehendit hystoria. Ex qua ad laudem eius hoc solum hic satis est
commemorari, quod ob invincibilem animi constantiam ab ipsis quoque Arabibus ac Turcis
2 Georgii filius scribitur appellatus[2].

4. *De reversione eius ab Iherusalem et morte.*

Igitur incredulis nationibus manu Domini valida debellatis, et in sancta civitate Ebre-
maro[k] patriarchatus honore, Godefrido duce regni diademate sublimatis, Domino prospe-

a) *deest* 1. b) Willelmum 1*. 4. I. Guillermum 1**. c) ing. ac stren. I. d) equidem 2. e) li *syllaba manu recentiore superscripta* 1. f) *deest* 1*. g) testimonia 2, testimonium *corr.* testimonio 4*. h) mox 1**. I. i) et *deest* 1**. 4*. I. k) *ita* 1. 1*. Arnulfo *rell.*

severitatem qua utebatur in vectigali exigendo. Dahlmann Gesch. v. Dänemark I, 203. 87) Cf. vitam S. Canuti Act. SS. Iul. III, 118. 88) Natus videtur Karolus esse anno 1084; vide Wegener pag. 8. 89) primum, filium Balduini VI Insulani, regnavit annis 1072—1093. 90) Erat filia Bernhardi II. Billungi ducis Saxoniae, vidua Florentii I. comitis Hollandiae. 91) Vide Langebeck scriptores rerum Danicarum III, 384. 385. 92) secundum, ducem Apuliae. 93) Karoli Flandrensis. 94) Romualdum. 95) Guilelmum. 96) Sedit a. 1124—1130. De hoc Guilelmi testamento hoc uno, quod sciam, legitur loco. Pandulfus Pisanus in vita Calixti II. apud Murat. III, 1. p. 419 refert, Guilelmum anno 1121 Constantinopolim iter facturum terram papae commisisse. Cf. Pagi ad Baronium ad a. 1121. 1127. 97) Quod quo tempore factum sit non satis patet; Langebeck coniicit anno 1107 vel 1108 cum exercitu illo Anglorum, Danorum et Flandrensium in terram sanctam Karolum esse profectum. 98) cognomine Hierosolymitanus, regnavit a. 1093—1111. 99) Clementiam. 1) Balduinum filium, de quo infra. 2) Detulit secum in patriam brachium S. Georgii, ut legitur in Sigeberti auctario Aquicinctino 1100. Robertum filium S. Georgii appellatum esse in gestis Francorum et

rante ad propria remeavit, et terram suam reliquo vite sue tempore magna insignis modestia feliciter gubernavit. Post prelibatam autem Karoli nostri susceptionem brevi tempore evoluto, in Francia apud urbem Meldorum[3] paucis diebus egrotans obiit[4], et in monaste- 1111. rio beati Vedasti, civitate Atrebatum, magno cum luctu universorum sepultus, filium suum, quem ex nobilissima coniuge sua Clementia[5] susceperat, Baldevinum adolescentulum heredem reliquit.

5. *De provectu filii eius Balduini.*

Qui non multo post a rege Ludewico muneris militaris et paterne hereditatis donum adeptus, domni Karoli precipue consiliis usus et institutionibus instructus, ad tantam fortitudinis et strenuitatis eminentiam in brevi excrevit, ut omnibus probitatem eius attendentibus appareret mirabilis[6], et finitimis quibusque non solum comitibus ac ducibus, sed ipsis 6 quoque regibus omnino fieret formidabilis. Cuius sicut virtus supra modum etatis eius subitaneis incrementis enituit, sic occulta Dei dispositione ceptis eius obviante, diu durare non potuit. Eo enim tempore Gillelmum[a] exheredatum[7], filium scilicet Roberti comitis, filii Gillelmi regis Anglorum, cognomento pilleati[8], quem videlicet Robertum ex Mathilde regina, prefati Roberti Fresonis[9] germana, sicut et fratres eius Gillelmum[b] et Heinricum 9 genuerat, quemque idem frater eius Heinricus rex Anglorum captivum tenebat, ipsum inquam Gillelmum adolescentem in sui tutelam patrocinii susceperat et armis eum[c] militaribus instruxerat. Et quia ei hereditatem suam Normanniam, patruo ipsius qui eam post patris ipsius captionem obtinuerat totis renitente viribus, restituere proposuerat, gravibus eam et crebris incursionibus infestabat. Cuius iam partem magnam cum oppidis et munitionibus sibi subegerat, reliquam fere omnem. ipso rege Heinrico rex armorum fortitudine nec opum amplitudine defendere valente, gladii sui timore mirum in modum contremiscere cogebat. Sed vere, ut ait propheta, non est fortitudo, non est prudentia[d], non est consilium Prov. 21,30. contra Deum, vere solus potens est, qui omnium potentiam quando vult et quomodo vult adnichilare potens est.

6. *De defectu eius et sepultura.*

Cum enim tanta ageret et multo maiora disponeret, scuto ipsius, ut aiunt, ictu adversi cuiusdam militis fronti eius illiso, et ex ipsius[d] illisione modico in eo quo salutiferum crucis signum imprimi consueverat loco tumore oborto, totum illud tante potestatis quod quasi in montem magnum tam cito excreverat culmen citius detumuit, et sicut fumus ad modicum parens evanuit[10]. Nam medicorum cura cotidie in peius proficiente egrotare cepit, et tan- 10 dem in villa Rosilaria[11] monachatus habitum summa cum devotione humilique supplicatione adeptus, cum illo quo circiter decem mensibus fatigatus fuerat languore anno Domini 1119, 15. Kal. Iulii vita defecit, et ad monasterium sancti Bertini delatus, cum immenso 1119. Iun. 17. omnium procerum terre fletu et miserabili planctu ante altare sancte crucis 13. Kal. eius- Iun. 19. dem mensis sepulturam accepit.

7. *De substitutione Karoli.*

Verumptamen, quamvis matre sua cum quibusdam aliis assentientibus ob amorem Gillelmi[12], filii comitis Philippi, filii prelibati Roberti Frisonis[13] — qui neptem ipsius comi- 13 tisse uxorem duxerat, quemque ipsa filio succedere maxime optabat — plurimum renitente, antequam ab hac luce migraret, hunc virum gloriosum, de quo agere proposueramus,

a) hic nobis dictus est curta hoza *annotavit manus saec. XV. in* 1. b) dictum rufum hic cum esset rex Anglorum domnum Anselmum Cantabrigensem archiepiscopum quem Henricus . . . . . rex . . . . . *in margine* 1. *manu saeculi XV.* c) eius 1*. I. d) *ita* 1. 1*.

aliorum Hierosolymitanorum apud Bongarsium, si quid video, non legitur; in capite 29 narratur S. Georgium cum aliis duobus sanctis in pugna apud Antiochiam christianorum fuisse ducem. 3) *Meaux.* 4) In bello contra Anglos ex equo lapsus obiit. 5) Erat filia Guilelmi principis Burgundiae, soror Calixti II. papae. 6) Ob magnam severitatem in iustitia habenda Balduinus VII. nominatus est Hapkin i. e. securis. 7) postea successorem Karoli Flandrensis. 8) Est Guilelmus conquestor. 9) primi. 10) In bello contra Anglos in Normannia gesto vulneratus est; cf. Hist. restaurat. abbat. S. Martini Tornac. ap. Dachery II, 896. Mortis annum et diem confirmat Karolus in diplomate quodam apud Miraeum I, 680. 11) *Rousselaer* in ditione Iprensi. 12) Alias Guillelmus castellanus Iprensis, dictus spurius, quia natus erat matre ignobili. 13) item primi.

Karolum, cuius probitatem prius et industriam in multis sepe probaverat, heredem[a] sibi ipse
14 instituerat, eique rerum omnium summam regendam ac disponendam tradiderat[14]; cui etiam prius nobilem puellam Margaretam, Reinaldi comitis Clarmontensis[b] filiam, matri-
1115. monio copularat, et comitatum Ambianensem cum castello Incrensi[c. 15] donaverat. Que omnia non tam illius iuvenis quam superni iudicis estimaverim gesta ordinatione, qui iuvenilis animi et maturis consiliis minus ydonei voluntatem quo voluit occulta sua inclinavit
Prov 1, 21. inspiratione. Scriptum quippe: *Cor regis in manu Domini, et quo voluerit inclinat illud.* Nisi enim hec ita fieri divini decretum arbitrii ordinasset, nequaquam apud illum talem animum unius dilectio trium, et hoc matris et consobrini ac consobrine, amori preponderasset. Quod etiam consequentium signis eventuum evidentissime declaratum est. Nam quis, rogo, tantos bellicarum fluctus[d] procellarum, contra eum enormiter exaltatos, tanta velocitate deiecit, nisi qui huius hominis ministerio ad tempus tranquillitati providere voluit eorum quos
Ps. 106, 29 fecit? Unde psalmista: *Statuit procellam eius in auram et siluerunt fluctus eius.*

8. *De tempestate guerrarum oborta.*

Etenim postquam eo quo premissum est ordine istius gubernacula terre regenda suscepit, continuo Clementia comitissa, pretaxatam ob causam, ceca stimulata invidia, quorundam etiam procerum terre sibi suffragante perfidia, duci Lovaniensi[e. 16] matrimonii federe se sociavit, et pactum concordie, quod inter Karolum et eam filius eius marchio Balduinus in ultimis agens composuerat, dissipavit, ac marito sibi cum comite Montensi[f 17] annuente, et rege Francie Lodewico, occulte tamen, ut a multis putatum est, ceptis[g] eius favente, de finibus Flandrie, cuius circiter 12 oppida tunc ipsa tenebat, eum expellere paravit[h]. Hugo quoque comes Sancti Pauli, cognomento Campus-avene[18], hac sue malicie
19 exercende[i] oportunitate perspecta, antiqua et inveterata prius[19] contra eum odia[k] renovare, et partes terre sibi contiguas incursare, et tam incendiis quam rapinis vehementius solito cepit more suo omnia devastare.

9. *De eadem auxilio Dei sedata.*

His ergo omnibus in exterminium eius unanimiter conspirantibus, et sevos guerrarum tumultus circumquaque in perniciem nostre gentis excitantibus, ipse, qui occulto sue virtutis iudicio dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum[l], et reprobat
Psal. 72, 10. consilia principum, *prospexit de excelso sancto suo, Dominus de celo in terram aspexit, ut audiret gemitus compeditorum et solveret filios interemptorum.* Fideli namque suo Karolo et contra eos rebellandi[m] inperterritam confidentiam et universos debellandi insuperabilem potentiam propitius concessit. Omnis enim ille bellorum circumfrementium strepitus, quanta suscitatus fuerat superbie feritate, tanta in brevi repressus est victorie celeritate.
Psal 92, 6. *Mirabiles* siquidem *elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* Neque enim tam mirandum arbitror, quod tantorum motus principum et eos pertinacissime insurgentes in brevi represserit, quam quod universis illis absque omni fere sanguinis effusione summum sui terrorem incusserit, in tantum ut post qualescumque pacis conditiones ab eo impetratas, nullus eorum rebellionem vel semel reparare, aut id de se suspicandi tenuissimam dare occasionem ausus fuerit. Comitissa itaque, et infelicius iam ducissa, inopinatis viri successibus pressa, pacem ab illo petere et quatuor oppida sua[n], scilicet Dichesmudam[o. 20] et Bragium[21],
24 Ariam[22] et Sanctum Venantium[23] ei guerpire[24] coacta est. Et que prius per guerram aliena disposuerat iniuste optinere, suis magna ex parte amissis, reliquo contenta didicit pace gaudere. Ipse tamen ei, sicut omnibus, fidem integram conservavit, et cum omni honore et humanitate eam deinceps tractavit. Hugonis vero in sua protervia perseverantis Sancti

a) *ita* 1*. *deest in rell.* b) carmontensis 2. c) merensi 1. d) fructus 2. e) *ita* 1, 1*. *verba* duci Lov. *post vocem* invidia *rell.* f) Montensi 4. g) ceptum 2. h) curavit 1*. i) *deest* 1*. k) odio 2. l) *ita* 1. 1*. potentum *rell.* m) debellandi 4. n) *ita* 1. oppidorum suorum *rell.* o) Dichesmuam 2. Dichemnam I.

14) In Balduini quodam diplomate apud Miraeum I, 83. ita subscripsit Karolus: *Ego Karolus consanguineus et successor comitis Balduini in praesentia ipsius id ipsum pro iustitia recognosco concedo et confirmo.* 15) *Encres* in Picardia; donavit Balduinus hoc castrum Karolo anno 1115, ut testatur Sigeberti auctarium Valcellense. 16) Godefrido sexto, barbato, duci Brabantiae. 17) Balduino III. 18) Candavena nominatur in Sigeberti auctario Valcellensi, Canna avenae ab Anselmo Gemblacensi. 19) ut a. 1117 cf. l. l. 20) *Dixmude.* 21) *Bergen* haud procul a Dünkirchen. 22) *Aire.* 23) *S. Venant* haud procul a Terouenne. 24) werpire i. e. festuca possessionis ius transferre.

Pauli castrum postmodum sibi traditum destruxit, et munitiones omnes in planiciem redegit, et ipsum in postmodum[a] quietius degere[b] et agriculture, quam prius circumquaque inhibuerat debachando, operam dare invitum coegit. Sed postea, ut dicunt, necessitate in voluntatem commutata, hoc ipsum visus est libenter amplecti, et quamdiu idem princeps advixit, commodius arbitratus est pacis securitate gratulari, quam rapinarum et incendiorum iacturis turbare et turbari. Galterum[c] quoque Hesdinii[d. 25] comitem, consueta fatuitate 25 et vecordia etiam ipsum rebellionem parare et cum Hugone conspirare deprehensum, non solum castro, sed et patria expulit, et alium ei successorem[26] statuit. Verum ultimo vite sue anno eius misertus, redditus aliquos ei competentes concessit ad sustentationem necessariam victus[e]. Comitem quoque Montensem et Thomam comitem Codiciacensem[f. 27], partes nostras pro viribus inquietare consuetos, tanta strennuitate perdomuit, ut non tantum ab iniuriis aliis inferendis temperarent, sed et sibi fortuitu illatas vellent nollent quieti tolerarent. Sic ergo universa perturbatione guerrarum auxilio Dei sedata, in conspectu eius siluit terra.

10. *De mansuetudine eius et aliorum elatione.*

Qua pacis tranquillitate potitus, qualem se quantumque exhibuerit verbis explicare nequaquam sufficio. Deo namque devotus, cunctis servis eius, ecclesiarum videlicet prelatis et quibuslibet religiosis omni se humilitate substernebat, et eorum mandatis reverenter obediens, correptiones, quibus eum pro loco et tempore redarguendum arbitrabantur, patienter et humiliter sustinebat, et emendationem in posterum et cautelam tota cum mansuetudine promittebat[28]. Quod idcirco in eius moribus magis nobis laudabile videtur, quia 28 hoc in aliis non solum huius mundi, verum etiam ecclesiastice dignitatis primoribus, raro et difficile invenitur. Quorum plerique postquam alicuius vel modice potestatis fuerint culmen adepti, et a subiectis quibuslibet ceperint honorari, naturalis mox conditionis et proprie fragilitatis obliti, et quasi quodam fastigio vanitatis elati, ceteros despiciunt, quos nature sibi equales ordine minime recognoscunt, sapientiores se et probiores omnibus credunt, quos dignitatis sorte precedunt. Qui dum mundi voluptatibus[g] dediti viciorum sordibus inquinantur, et superbie tumoribus inflati inaniter elevantur, reprehensionibus quorumlibet corrigi omnino dedignantur, quibus etiam magis frequenter exasperantur quam emendantur[h]; sicque, dum[i] nec Deum[k] nec homines metuunt, velut equi effrenes in[l] vicia in preceps ruunt. Et ut qui in sordibus sunt secundum scripturam amplius sordescant[m], Apoc 22,11 tremendo agitur Omnipotentis iudicio, ut non solum eis que reprimat desit correptio, sed et plerumque que vicia nutriat adsit adulatio; dum videlicet subditi que ab ipsis aguntur perperam non solum non reprehendunt, verum etiam, ut laudetur peccator in desideriis anime sue, laudant sepe placendi studio que rectitudinis zelo vituperare debuerunt. Unde in Ezechiele dictum est: *Linguam tuam adherescere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi* Ezech 3,26. *vir obiurgans, quia domus exasperans es*[n]. Et per prophetam: *Popule meus, qui beatum te* Isai. 3, 11 *dicunt, ipsi te decipiunt.*

11. *Qualem se correptoribus et subditis exhibuerit et pauperibus.*

Verum hic noster marchio venerabilis Karolus suis correptoribus mansuetum se et humilem exibebat, et frequenter etiam gratias agebat, et[o] ut auxilium ei divinum, quomodo[p] id quod docebant operaretur, suis precibus impetrarent, devota supplicatione petebat. In quo nimirum non tam hominibus quam Deo, cuius ipsi legatione funguntur, se obtemperare ac deferre arbitrabatur, sciens et prudenter advertens, quod ipsius voce[q] veritatis in euangelio dictum est: *Qui vos audit, me audit, et qui vos recipit, me recipit.* Luc. 11. 16 Ecclesias autem[r] et sue potestatis homines, secundum pravam aliorum principum consuetudinem, exactionibus[s] quibuslibet non solum non gravabat, sed publicis omnium utilitatibus intente providendo multipliciter relevabat, omnibusque in commune pii more patris sollicite

a) *ita* 1. 1*. in posterum *rell.* b) *deest* 2. c) Gauterum 2. Gualterum 4. d) Hisomii 4. e) ad — victus *desunt* 1. f) codinacensem 1. codiciacensem 4. g) voluntatibus 1. h) emendentur 1. i) cum 1. 1*. k) dum *addit* 1*. l) pro 1*. m) sordescunt. n) est 2. o) *deest* 1. p) modo *deest* 1. q) ore 1. r) etiam 1. s) exauctionibus 2.

25) *Hesdin* vicinum S. Paul. 26) fortasse Anselmum qui a. 1127 diplomati subscripsit. 27) *Coucy.* 28) Quod uberius exposuit Iperius II, 41.

providebat. Quod sane per hoc probari potest, quia cum illis duobus annis ante mortem
1125. ipsius preteritis[29] terre sterilitas et messium raritas magnam alimentorum penuriam in-
duxisset, ipse agricolis suorum reddituum, unde ipse vivere et familiam suam alere debebat,
magnam partem[a] misericorditer condonavit; et non tantum superfluas sed et plerumque
necessarias cervisiarum confectiones et potationes prorsus ad tempus[b] interdicendo et par-
citatis modum immoderatis imponendo, necessariam universis[c] vite sustentationem paterna
30 sollicitudine prudenter procuravit[d.30]. Decrevit etiam ut quicumque venalem faceret pa-
nem, non unum, ut fieri solebat, sed duos quamlibet parvos singulis nummis distraheret,
ut pauperi cuivis nummum forte[e] non habenti vel obolo emendi facultas suppeteret. Quid,
oro[f], faceret de maximis qui tanto opere providebat de minimis? Tempore quo quia multos
esse videbat egenos, per singulas curtes suas, quas multas habebat, eos deputavit centenos,
et de suo cotidianam eis stipem administrari imperavit. Preterea in quacunque urbe,
oppido, vel villa esset, innumeri ad eum cotidie confluebant, quibus ille alimenta, nummos
et vestimenta propriis precipue manibus distribuebat, adeo ut apud Ipram uno die 7800
panes eum erogasse ipsorum qui affuerunt memoria prodiderit. Neminem enim frustratum
a se recedere patiebatur, vestesque etiam, quibus admodum preciosis utebatur, sibi detra-
Matth 5,7. ctas eis frequenter largiebatur. Audierat enim euangelicum illud: *Beati misericordes, quo-*
Matth. 25, 40. *niam ipsi misericordiam consequentur*, et illud: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*
Quorum miseriis ita afficiebatur, ut cum eos in aliquo vexari aut affligi videret, ex totis
2 Cor. 11, 29. eis visceribus condoleret, implens et ipse pro modo suo quod apostolus ait de se ipso: *Quis*
infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? Ne autem in his omni-
bus quasi de tanta liberalitatis excellentia pro singularitate notabilis censeretur, alios quo-
que ad hoc[g] ipsum pietatis opus non solum exemplo, verum[h] etiam exhortationis verbo
crebro invitabat. Aiebat[i] enim tantam regni Dei comparandi oportunitatem piis fidelium
mentibus prorsus nequaquam esse negligendam, sed ideo ad presens in benedictione
seminandum, ut de benedictione in futuro metant vitam eternam.

12. *De severitate eius erga superbos ac barbaros ac sagacitate in causis.*

1 Cor. 9, 22. Verum ut secundum eundem apostolum omnibus omnia fieret, sicut humilibus man-
suetus, sic superbis apparebat severus; illos videlicet agnina mansuetudine[k] demulcens,
istos leonina severitate deterrens. Quorum etiam eas quibus pauperes opprimere[l] consue-
Psal. 81, 4. verant calumpnias iniustas[m] tanta rigoris districtione cohercebat, ut secundum prophetam
egenos de manu peccatorum liberaret, et pravorum maliciam, ne supra modum seviret,
refrenaret, ut quam non temperabat amor iusticie, saltem reprimeret timor vindicte. Bar-
barorum autem maritimas Flandriarum partes inhabitantium indomitam ante id tempus[n]
feritatem, humanum posthabito Dei timore assuetam crudeliter fundere sanguinem, mira
severitate cohercuit, et[o] quia sagittis maxime homicidia quasi de insidiis perpetrare con-
sueverant, ne omnino arcus aut sagittas[p] quisquam eorum[q] auderet habere[r] prohibuit.
Signa quoque, quibus in sublime levatis ad pugnas in id federatos[s] accersire[t] queque ob
insaniam nimirum bellandi[u] furentium bachas lingua illorum[v] vocare solebant, prorsus
31 erigi vetuit[31]. Ab universis autem eatenus[w] aut amabatur aut timebatur, ut in tanta effere
multitudine gentis vix aliquis[x] inveniretur, qui statutis eius publicam ob utilitatem promul-
gatis vel in minimo[y] contraire tutum arbitraretur. Veritatis autem et iusticie quantus
emulator fuerit hinc colligi potest, quod et in promissis implendis efficacem, et in causa-
rum meritis indagandis omnino se studebat exhibere sagacem. Nec in hoc ei deerat gratia
Dei, qua instruente quecumque tractanda essent negocia mirabili subtilitatis acumine ex-
aminabat, et iniquitatem deprehendens et reprehendens[z] equitatem vero exaltans et defen-
dens, iusticiam in cunctis pro viribus exaltabat. In quibus omnibus hunc ordinem sepius
observabat, ut, si quando clerici vel monachi religiosi necessitate aliqua cogente in sua[*]

a) magna parte I. b) ad 1. *desunt* 1. c) universi 2. d) procreavit I. e) fortem I. f) ora 2. g) ita 1. 2. *deest in rell.* h) *ita* 1. 1*. sed *rell.* i) agebat 1. k) lenitate I. l) *ita* 1. comprimere *rell.* m) *deest* 1. 1*. n) temporis I. o) et quia — prohibuit *desunt* 1. p) sagittam 1*. 2. q) *deest* 1. 1**. r) arripere 1*. s) confoederatos I. t) accersirent I. u) bellandi 1*. v) *ita* 1. illa *rell.* w) *deest* 1*. x) *deest* 1. y) *ita* 1. minimum *rell.* z) *deest* 2. *) *ita* 1. eius *rell.*

29) Anno 1124 et 1125 hiemem asperrimam secutam esse famem validissimam testatur Anselmus Gemblacensis. Cf. etiam annales Blandinienses Mon. Germ. V, 28. 30) Cf. narrationem restaurat. abbatiae S. Martini Tornac. apud Dachery II, 921. 31) Belgis *bake*, i. e. specula, pharus.

curia causas agere haberent, eorum ante alia et[a] querelas audiret et causas terminaret, et sic demum ad alia se tractanda converteret. Indignum namque prorsus et incongruum iudicabat, ut qui lectioni et orationi[b] vacare deberent, curie vel huiusmodi negotiorum[c] immorentur actioni, iuxta quod apostolus ait: *Nemo militans Deo implicat se negociis secu-* 2 Tim 2,4 *laribus.*

13. *De perversorum malicia adversus eum excitata.*

Cum ergo his et aliis multis vir inclitus polleret virtutibus, quibus enumerandis vel explicandis non sufficit omne quod dicimus, bonis eius studiis quanto amplius boni delectabantur, tanto magis mali torquebantur, quippe cum eius probitate eorum quibus invidebant vitam muniri, et suos viderent et dolerent conatus impediri. Et quia in aliorum perniciem malicia[d] eorum, timoris ipsius catenis[e] compedita[f], non permittebatur pro voluntate grassari, eius sibi videbantur salute periclitari, et quicquid alienis videbant accrescere, suis commodis arbitrabantur deperire. Quibus nimirum cupiditatis incentivis et rapacitatis aculeis incitati, prius quidem invidere, deinde occulta adversus eum odia exercere, et sic demum detractationibus[g] linguas laxantes, iusti vitam caninis dentibus lacerare cepere. In quo nimirum patrum suorum Iudeorum rite sequebantur vestigia, qui dominum Salvatorem eadem persecuti[h] probantur malitia, quam tanto ante commemoravit propheta, dicens in eorum persona: *Circumveniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est* Sap 2, 12. *operibus nostris.*

14. *De preposito Brugensi et domesticis eius.*

Erat illis temporibus prepositus quidam Brugensis, Bertulfus nomine, archicapellanus et cancellarius totius Flandrensis curie[32]; qui cum immensas arridente sibi seculo con- 32 gregasset divitias — quippe qui et ex paterna hereditate et principum, Karoli scilicet et antecessorum eius, liberalitate possessiones haberet amplissimas — ne quid temporalis ei deesse videretur[i] prosperitatis, propinquorum, amicorum et hominum suorum quos innumerabiles habebat turba magna sibi obediente, culmen adeptus est maxime potestatis. Quibus omnibus nimium exaturatus, in superbiam miser est elevatus. Quod[k] profecto, ut fidenter arbitror, gratia Dei protegente, ei nequaquam contigisset, si bona Dei creatura, ad viaticum hac in valle lacrimarum nobis concessa, humiliter uti, non autem ordine perverso frui ac delectari voluisset. Exstirpa, bone agricola, spinas de terra cordis mei, ut in ea, si non centenum vel sexagenum[l], aut ut minus tricenum afferat fructum semen verbi tui. Exaudi me cum illo sapiente tuo deprecante te: *Tantum victui meo tribue necessaria;* Prov. 30, 8 et, sicut optat patriarcha Iacob, panem ad edendum et vestimentum quo operiar. Cum Gen 28, 20 autem, ut ad propositum redeam, omnibus istius mundi bonis floreret lucis huius filius, divitiarum affluentia potentiam, potentia[m] vero parturivit ei et peperit superbiam. Qua elatus ceteros despiciebat, et tumore nimio inflatus iam sese non capiebat. Et quia qualis paterfamilias tales sunt et domestici eius, nepotes[33] eius et domestici, quos nimis carnali- 33 ter contra suam salutem infelix nutriebat et diligebat, dum prodiret quasi ex adipe iniquitas eorum, eadem qua ipse peste laborare ceperunt.

15. *De calumpnia servilitatis.*

Accidit autem, ut quidam[n] miles nobilis adversus alium nobilem in curia comitis de treugarum infractione placitaret, et ille, nota ei servilis conditionis obiecta, eo quod consanguineam illius prepositi, que comitis ancilla esse diceretur, uxorem duxisset, respondere ut libero refutaret. Quamobrem omnis illa prepositi cognatio in[o] intolerabilem[p] adversus comitem Karolum et militem illum exarsit iram; in omnes[q] enim hec videbatur redundare calumpnia. Causa ergo hec quidem diu ventilata, sed tandem est tali racione terminata, ut illa, que notata fuerat matrona, duodecima nobilium manu libertatem suam personaliter

a) et — ad alia *desunt* 1. b) *ita* 1. vacare debent vel orationi *rell.* c) *deest* 1. d) *ita* 1. nequitia *rell.* e) *ita* 1. I. catena *rell.* f) *ita* 1. impedita *rell.* g) detractionibus 1. h) persequi I. i) videntur 1. k) quo 1. l) centesimum 1. I. m) divitia affluentiam affluentia potentiam potentia 1. n) quidem 1. *corr. man. rec.* quidam. o) *ita* 1. etiam *rell.* p) *ita* 1. intolerabili — ira *rell.* q) omnis 1. *corr. man. rec.* omnes.

32) Vide diploma apud Miraeum III, 29. 33) Quorum nomina accuratius leguntur apud Galbertum et in anonymi scriptoris vita Karoli.

assensu comitis evendicaret[34], et querela comitis in reliquam illam parentelam salva maneret. Huius igitur[a] calumpnie talis suspensio domni Karoli[b] prima fuisse visa est interfectionis occasio; hinc namque gravissima contra eum ceperunt exercere odia.

16. *De inimicitiis Bruchardi et Thagmari.*

Serpens itaque ille antiquus et humani generis inimicus hanc sue malicie exercende oportunitatem speculatus, medium se malignantibus et superbientibus statim ingessit; et quia in ipsorum mentibus qui se regem gloriatur super universos filios superbie sui thronum regni collocavit, alium eis quo peius[c] irretirentur et deicerentur laqueum callidus preparavit. Quidam enim Burchardus, nepos prepositi illius, filius videlicet Lamberti fratris eius, homo nimis elatus et in oculis suis magnus, adversus Tagmarum[d. 35] vicinum suum — qui in elemosinis pauperibus et precipue monachis expendendis[e] magnum, ut ferebatur, studium habebat — et nepotem eius Galterum, graves licet ex minimis causis ortas exercebat inimicitias, et ex utraque parte cedes hominum faciebant non minimas.

17. *De conditione treugarum et infractione earum.*

Sed cultor Dei Karolus treugarum conditiones ab eis sepe pro potestate sibi a Deo commissa exigebat, et ad pacem etiam invitos crebro[f] compellebat[g], in eorum studens
Matth. 5, 9. numero inveniri quibus promittitur ipsa veritate dicente: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Verum prepositus et sui, qui sibi validiores et superiores videbantur, ad tutelam alterius partis eum intendere suspicabantur, et quia male sibi conscii livore mentis interius torquebantur, quod ad communem utilitatem facere laborabat, ad suam depressionem[h] fieri querebantur. Itaque invidia stimulante incitati atque[i] seviente ira exasperati et superbia inflante elati, Tagmarum[k] inopinatum et gratia treugarum nichil adversi formidantem ex improviso, federe pacis destructo, invadunt, et curte inferius irrupta, in superiorem eum munitionem anxie satis confugere compellunt, virgulta succidunt, et cuncta in inferioribus reperta dissipant, demoliuntur, et pessundant.

18. *De querela Thagmari et contumatia prepositalium.*

Qua iniuria Tagmarus accepta, querelam comiti non iniustam depromit, dampnum sibi non sine contemptu eius[l] illatum seque graviter periclitatum exponit. Illi vero a comite die et loco denominato[m] in causam vocati, contemptum contemptui superaddere et[n] contumaciter magis se absentare, quam vel per responsalem suam absentiam excusare, elegerunt. Quam quidem iniuriam vir prudens patienter dissimulavit, et eos interim expectare et ad correctionem tanti excessus leniter adhuc invitare deliberavit. Qui cum postea Brugis prepositum super[o] omnibus his familiariter convenisset, et modeste satis, ut ei moris erat, corripuisset, et ille tam ex sua quam suorum parte omnem emendationem in crastinum spopondisset, nichilo minus neglexit et nec ipse venit nec eos ad satisfactionem adduxit. Sed comes iterum et iterum provocatus, licet in despectum sui omnia fieri non dubitaret, equanimiter ferens, etiam tunc in contumaces iustam depromere vindictam dissimulavit, et emendationem iterum longanimiter[p] expectavit. Sed hoc frustra. Etenim pacientia ipsius abutentes et ipsius occasione in reliquum sibi impunitatem promittentes, in deterius superbia impellente prolapsi sunt, et quos oportuerat priores erratus penitendo emendare, et iustam domini sui iram vel sero satisfaciendo placare, culpas magis culpis accumulare et excessus excessibus audacter statuunt exaggerare.

19. *De rapina prepositalium absente comite.*

1126. Nam captata, cum in Franciam forte perrexisset[36], comitis absentia — omnibus enim iniquitatis operariis semper gravis erat et quasi carcer quidam intolerabilis eius presentia

a) ergo 1. b) *ita* 1. domno Karolo *rell.* c) *ita* 1. sepius *rell.* d) Tangmarum 2. e) expendensis 1. *corr.* expendendis. f) *deest* 1. g) compellabat 1. h) pressionem 2. i) *ita* 1. *deest rell.* k) Tangmarum 2. l) illius 1. m) determinato 1. n) et — absentare *desunt* 1. o) pre *corr.* 1. p) *deest* 1.

34) Est duodecim compurgatorum iusiurandum, qui una cum reo in iudicio iurabant. Bertulfi familiam servili conditione fuisse natam praeter Karoli vitae scriptores probat Sugerius in vita Ludovici regis; vid. Act. SS. Mart. I, 162. 35) de Straten, cuius occurrit mentio in diplomate quodam anno 1105 dato; cf. l. l. Fabellas quas protulerunt scriptores recentiores, Stratianos Karoli fuisse interfectores, accurate refutarunt Papebrochius et Henschen l. l. 36) Ludovico regi auxilium laturus contra Guilelmum IX. ducem Aquitaniae. Cf. Wegener p. 72 an. 1.

— copiosam congregant[a] et validam militum manum, et omnem fere incursantes circa 1126. regionem, domosque infringentes et mobilia queque diripientes, pauperes expoliant et quos[b] tanti pendebant[c], plerosque etiam[d] ferro trucidant. Quod quia preteritis temporibus fieri nequaquam consueverat, cunctis intolerabile nimis et crudele apparebat. Ab antiquo enim a comitibus terre nostre statutum et hactenus quasi pro lege est observatum, ut quantacumque guerra inter quoslibet homines emergeret, nemo in Flandria quicquam predari vel aliquem[e] capere aut exspoliare presumeret.

20. *De reversione comitis et vindicte deliberatione.*

Igitur reverendus tutor patrie reversus, tanta[f] criminum atrocitate comperta, graviter indoluit, et quia in sancta pace, videlicet infra septuagesimam, hec gesta fuerant, non tam suam quam Dei iniuriam, ut dignum erat, ultum ire statuit. Verum quia quonam[g] modo id vindicare[h] oporteret hesitabat[i], barones suos ut 3. Kal. Martii Ipram — ubi et ego ex[k] eius 1127. mandato, pro alio tamen negotio, presens fui — convenirent, et quid facto opus esset ex Febr. 27. sententia diffinirent, invitavit, et universa eo quo facta fuerant ordine in auribus eorum explicavit[l]; et ne se lesus[m] vindicare videretur, eorum de omnibus consilium flagitavit. Nec defuerunt qui se a Brugensibus inique spoliatos verberibusque et contumeliis affectos deplorarent, et iusticiam in nomine Domini[n] lacrimosis questibus expostularent[o]. Ubi diversis diversa dicentibus, tandem in hoc omnium convenit sententia, ut comes ipse partes illas presentialiter visitaret, et que gesta fuerant visu et auditu certius exploraret, et sic pro modo culpe modum temperaret vindicte. Qui licet malignas eorum adversum se machinationes nequaquam penitus ignoraret, presertim cum predictus Burchardus iam pridem dixisse accusaretur: *Si quis comitem occideret, quis eum vindicaret?* ire tamen decrevit, et milites non paucos secum ire precepit.

21. *De destructione munitionis Burchardi.*

Cum quibus in crastinum profectus, cum domos eversas, res omnes direptas et disper- Febr. 28 sas vidisset, et ne minima quidem vite subsidia pauperibus relicta cognosceret, hinc miserorum lacrimis, inde ingenite sibi misericordie compassionibus[p] permotus, alte ingemuit[q], et ex imis viscerum medullis longa trahens suspiria, lacrimisque suffusus obortis miserabiliter doluit. Et primum quidem munitionem ipsius Burchardi, quam iuxta habebat, quasi tanti mali seminarium et radicem incendit, evertit et funditus destruxit, ac deinde tam de his quam de aliis diligentius tractaturus Bruggas eadem die, heu! inde[r] numquam reversurus, perrexit. Sequenti die, scilicet Kalendas Martii, eo ibidem morante, et causas singulo- Mart. 1. rum cum equitate more suo examinante, dies in vesperam declinavit, et sol tam perversas pravorum hominum mentes veritatis lumine destitutas ostendens, quam[s] eas quas suis radiis illustrare consueverat mundi partes relinquens, illis spiritualem, his autem corporalem lucem subduxit, et filiis tenebrarum opera tenebrarum faciendi oportunitatem optatam induxit. Qui enim male agit, odit lucem.

22. *De legatione Guidonis et responsione comitis.*

Tunc, ut fertur[t], prepositus Guidonem de Stenfordo[37] et alios paucos qui familiares 37 comitis videbantur, sibi ascivit, eisque legationem suam iniungens, ad aulam eius quasi veniam pro nepotibus suis precaturos[u] misit. Et illi quidem quod iussi fuerant exequentes, comitem statim adierunt, et huiusmodi apud eum, sicut aiunt, non tam precem[v] quam querelam deposuerunt: *Sufficiat, inquiunt, domine, magnanimitati vestre, Burchardi pena et ignominia iram vestram vos hactenus exsaturasse*[w], *sufficiat vobis receptaculum eius ad ipsius et totius generis sui iniuriam vos incendisse. Iam vestre motus iracundie adversus eum frustra excitatos compescite, et iuveni afflicto iam parcens*[x], *et nimiis contumeliis lacessito nunc saltem sero ignoscite. Iam nunc, si placet, apud vos misericordie locum inveniat, quem pena indebite*

a) congregavit 1*. b) *in* 2. *desideratur sequens folium; exciderunt omnia usque ad verba* cepit insanire *in capite* 33. c) quosdam suspendunt I. d) *deest* I. e) aliqua 1*. f) tantorum I. g) quodam 4*. h) vindicari 4. I. i) gestiebat I. k) *deest* 1..4. l) replicavit 1. m) solus I. n) iusticiam ignominiae I. o) implorarent I. p) *ita* 1. compassione *rell.* q) ingemut 1. *corr. man. rec.* ingemuit. r) *deest* I. s) *deest* I. t) *ita* 1. ferunt *rell.* u) petituros 4. 4*. I. v) pacem 4. 4*. I. w) exaturare I. x) parcentes I.

37) *Steenvord*, municipium Casleto vicinum.

1127. *illata satis superque contristat et cruciat. Sed et circa genus ipsius odii vestri et ire impetus refrenate, et quos graviter offendistis vel nunc sera satisfactione placate.* His responsum perpaucis ita reddidit heros: *Quid est quod me motibus meis tantopere asseritis indulsisse, et Burchardo vestro inmerito iniurias contumeliosas intulisse? Quid enim dignum tantis Burchardi excessibus rependi, si unam eius domunculam, ipso nondum punito, incendi? Nonne multo magis iusticia exigebat eum que abstulit pauperibus ex integro restituere, et tantorum criminum in carne propria penas luere? Que ergo iniuste rapuit, iuste restituat, et conditionem sui generis agnoscat, et sic misericordiam quam querit inveniat. Nam qua ratione poterit indulgentiam optinere et rapinam pauperum retinere?*

23. *De furore prepositi et suorum nequitia legatorum.*

Hiis preposito perlatis, quamvis[a] hac comitis allegatione[b] nichil iustius dici valeret, utpote que et legis et euangelii mandatis congrueret, ille tamen, cum veritati ac rationi debuisset acquiescere, cecata mente cepit magis insanire, et[c] suis motibus nimium exasperatus, et diabolico spiritu inflammatus, dira inmurmurans et graves minas spirans, stimulos suis ad[d] arma concurrentibus[e] et sevientibus ministrabat[f], et quos refrenare debuerat, sue aculeis iracundie amplius incitavit. Auxit quoque furorem dementium et dementiam furentium, quod prefati legati non sinceriter egerunt, sed verba comitis depravantes et superbos iuvenum animos deterius exacerbantes, dixerunt quod numquam misericordiam a comite consequerentur, nisi se eius servos esse omnes profiterentur. Illi ergo ex stultis iam insani, preposito cum legatis illis, ut qui totum faciebat sic[g] facere nichil videretur, corporaliter amoto, pestiferum consilium mox inierunt, et de morte domini sui detestabili scelere tractare ceperunt.

24. *De coniuratione et quod comiti persuaderi non poterat.*

Diabolo autem consilia eorum aspirando preveniente et cooperando prosequente ac instigando provehente, in hanc tandem iniquitatis sententiam sex principes factionis eorum,
38 videlicet Vufricus[38] frater prepositi, prefatus Burchardus, et alterius fratris eius Roberti
41 filius Robertus[39], Guillelmus quoque Viroviacensis[h 40], et Ingramnus Esnensis[i, 41], et Ysaac prepositi consanguineus secreto[k] conspirant, ut comitem quantotius potuerint occidant, et id ipsum perficiendum et donec perficiatur celandum fidei, ne dicam perfidie, pactione coniurant. Et hec quidem in nocte sunt gesta, ut puta non lucis sed tenebrarum opera. Que omnia licet in occulto factitarentur, latere tamen prorsus[l] non potuerunt. Nam rumusculis quorundam delatum, et ipsi quod de periculo eius ageretur est nunciatum. Illi autem ut hoc crederet nequaquam potuit persuaderi, quippe quem conscientia sua non solum perperam hac in causa quicquam gessisse non accusabat, verum etiam de rectitudinis opere veraciter iustificabat. Quod nimirum iusto et occulto Dei iudicio actum fuisse facile crediderim, quatinus eius meritis, nostris peccatis, eorum quoque criminibus nefandis exigentibus, illi palma, nobis tristicia, et illis perfidis iusta acceleraretur vindicta. Sic enim, ut pie credi fas est, et illum requie optata donari, et nos quo indigni eramus defensore et protectore orbari, et illos nefarios condigna oportuit pena multari. O mira omnipotentis Dei in omnibus dispensatio!

25. *De elemosina comitis et oratione et interfectione.*

Mart. 2. Nocte itaque[m] illa exacta, cum gloriosus princeps paulo diutius solito in stratu suo quievisset[n], surrexit, manus lavit, et sic ad opus misericordie more solito devotus properavit. Sic quippe vitam suam ordinaverat, ut omnibus diebus operum suorum initia Domino dedicaret, ut scilicet antequam ad ecclesiam procederet, elemosinam propriis manibus pauperibus dispensaret. Quod etiam ob ingentem in Christo devotionem nudis pedibus consueverat celebrare, ita ut neminem in hoc pietatis officio sibi pateretur ministrare, sed singula fercula singulis offerens, singillatim singulorum manus summa osculabatur vene-

a) graius *corr. man. rec.* cum 1. cum 4*. b) legatione 1*. c) *hoc loco incipit textus cod.* 2. d) et 4. e) currentibus 4. f) ministravit I. g) ac si I. h) Viriomensis I. i) Hesnensis I. k) *ita* 1. *deest rell.* l) *deest* I. m) quoque 1. n) gemuisset I.

38) Vulfricus apud reliquos vitae scriptores. 39) alias cognomine *puer*. 40) *Werwyk* ad Lisam, Menin vicinum. 41) *Essen* prope Dixmude.

ratione. Huic quoque religiose consuetudinis cumulo nuper adiecerat, ut omni die quinque 1127.
pauperes novis vestimentis indueret et calciamentis. Quo elemosine sacrificio super sacre aram fidei humiliter oblato, se ipsum mox victimam placationis superimpensurus ad ecclesiam, paucis[a] comitatus militibus quippe per ospicia et oratoria ubique dispersis procedit, et coram altari sancte Dei genitricis Marie, quod in superiori parte ecclesie sancti Donatiani constitutum erat, in orationem se prostravit. In quo loco cum genua frequenter flectendo diutius oraret, et[b] semet ipsum Domino commendaret attentius, tandem pronum se in pavimento proiecit, et septem penitentiales psalmos pro suorum ablutione peccatorum, libello suo, in[c] quo conscripti erant, in conspectu suo apposito, supplex decantare incepit. Interim autem clero, capellanis eius videlicet, horas diei primam et terciam more ecclesiastico canente, cum, oratione dominica iam dicta, illi preces tercie, et ille quinquagesimum psalmum et ipsum quartum penitentialem, tribus iam dictis, recitaret — nam ita orare consueverat, ut a circumstantibus audiri valeret — magister fraudis et ductor sceleris Burchardus, sex sibi[d] spatariis ex clientela prepositi et sua adiunctis, lateri eius retro improvisus astitit et nudo eum gladio, ut caput feriendum erigeret[e], prius leniter tetigit. Qui cum faciem elevato capite ad eum converteret, frontem illam reverentissimam, superborum deiectricem, humilium erectricem, furibundus valido ictu percussit, et cerebrum eius in pavimentum excussit; complicibus quoque eius in hoc ipsum perpetrandum concurrentibus et eum unanimiter, nequidquam[f] tamen, cum primus ad mortem eius suffecisset ictus, ferientibus, pluribus caput eius vulneribus conciderunt, et brachium eius dextrum cum manu, qua eadem hora pauperi mulieri elemosinam petenti nummum vel potius nummos porrexerat, et alios petituris porrigendos tenebat, fere amputaverunt[42].

26. *Comparatio sceleris perfidorum et sceleris Iudeorum.*

Sed iam libet stilum a narrationis serie parumper[g] declinare, et enormitatem tanti facinoris ac facinorosorum illorum crudelissimam inmanitatem pro modo nostro vel tenuiter considerare. O nefandissime Burcharde, quid fecisti? O insanissime Bertulfe, quid consensisti? O omnes scelestissimi[h] huius criminis complices et ministri, quid disposuistis, quid egistis, quid peregistis? Quem, quare, quando, ubi, et quomodo occidistis? Certe dominum vestrum, certe pro sua iusticia, certe in quadragesima, certe in ecclesia, et hoc certe sine aliqua reverentia. Comparetur igitur, si placet, facinus vestrum facinori patrum vestrorum detestabilium Iudeorum. Illi nempe dominum suum[i] non tam manibus quam lingua extra portam civitatis occiderunt, quem tamen dominum suum nequaquam esse cognoverunt. *Si* 1 Cor 2, 8.
enim, ut apostolus ait, *cognovissent, numquam Dominum glorie crucifixissent.* Vos autem, quem dominum vestrum esse sine dubio cognovistis, in loco sancto et tempore sancto et lingua et manibus occidere non horruistis. Igitur scelus patrum vestrorum vestro scelere[k] non solum adequastis, sed etiam, si dici fas est, superastis. Unde timendum vobis et valde timendum est, ne quos supergressi videmini in culpa, illis quoque gravius iudicemini[l] in pena. Quorum etiam[m] exemplo locum et gentem congrue perdidistis, que ne perderetis tantum committere piaculum non timuistis. Et hec quidem, nisi digne[n] penitueritis, initia sunt dolorum.

27. *Commendatio martyrii comitis.*

Sed iam ab his tristibus convertamur, et de Karoli nostri exitu felici que leta sunt et omni gaudio recolenda intueamur. Quem profecto si diligenti cum discretione adtendimus, cum martyribus eum nonnichil habere commune, ut salva eorum reverentia loquamur, non absurde perpendimus. Nam ut scriptum est[o], *martyrem non tam facit pena quam causa*[43]; sed huius, rogo, ut ita dicam, martyrii que fuit causa nisi iusticia? Qui enim ideo occisus est, quia a rectitudine non declinabat equitatis, pro testimonio utique occisus est veritatis. Et ut noveris eum hoc mortis periculum sibi ab illis flagitiosissimis iam olim intentatum nequaquam prorsus ignorasse, et tamen iuste confidentia cause non declinasse, in

a) nullis 1. b) *deest* 2. ac 1. c) in - suo *desunt* 1 d) ibi 2. e) porrigeret 1. f) frustra 2. g) parumque 1. *corr.* per. h) sceleratissimi 1. i) *manu rec. superscriptum* 1. k) sceleri 1. l) *ita* 1. cruciemini *rell.* m) *deest* 1. n) *deest* 1. o) *deest* 1.

42) Reliquos scriptores qui atrocissimam hanc caedem litteris mandarunt vid. apud Wegener p. 86 an. 6.
43) Augustinus ad psalmum 34.

1127. Febr. 27. conventu procerum Ipre 3. Kal. Martii, sicut predictum est, congregatorum, cum de hoc pessimo Burchardi proposito mentio facta fuisset, audi quod de bone thesauro conscientie margaritum — iustus quippe ut leo confidit — protulerit. *Ego*, inquit, *ibo, et Deo protectore securus ibo. Ubi etsi me occidi forte contigerit, pro iusticia certe occumbere non tam periculosum quam gloriosum erit. De vindicta vero Deus providebit.* Ut autem conicere possis hoc ipsum eum non transeunter vel leviter dixisse sed prudenter, accipe quod ipse ab eo accepi. Cum siquidem eodem die ad vesperam prepositus clericorum regularium in eodem loco commorantium minas quorundam secularium sibi, superbia ipsorum impellente, intentatas[a] mihi[b] exposuisset, meque quid super his facere deberet consuluisset, communi consilio ad eum, utpote defensorem humilium, rem ipsam detulimus, et huiusmodi ab ore, immo ut post patuit, per os de corde eius responsum accepimus: *Quascumque*, inquit, *vobis minas intentent, certus sum quia quamdiu vixero, in nullo vos ledere presument. Quod etsi contingeret nos occidi pro veritate, quid hac, quaeso, gloriosius morte? Quid enim martyrio excellentius in gloria?* Quod procul dubio, quantum ego conicio, non dixisset, nisi martyrii amore flagraret. Vidisti igitur[c] que fuerit causa mortis eius; nunc vide, si placet, quod fuerit opus eius. Utique peccata sua iam pridem confessus fuerat, et pro eis tunc penitentiam agebat. Orationi eadem hora, ut dictum est, incumbebat, quam etiam elemosina acceptabiliorem Domino faciebat. Sed et si de terrenis contagiis alique ei macule adheserunt, sanguinis effusione et mortis amaritudine credibile est quod deleri potuerunt. Igitur interfectores eius sibi quidem mortis foveam effoderunt, sed eum per portam mortis ad vite ianuam introduxerunt, illum tunica mortalitatis exuerunt, et se confusione sua sicut diploide induerunt.

28. *De morte castellani et filiorum eius et Gualteri dapiferi.*

Hac namque cede peracta, sanguinem adhuc sitientes Theinardum[d] Brugburgensem
44 castellanum[44], qui forte prope aderat, ceteris diffugientibus, invaserunt, et multis vulneribus confoderunt. Quo facto continuo quos supra commemoravimus coniurati singuli cum suis satellitibus affuerunt, et universam villam, que instar civitatis frequens erat et ampla, nemine resistente perscrutantes, reliquos morti iam pridem ab eis destinatos circumquaque persequi studuerunt. Quorum duos, prefati videlicet castellani filios, Galterum[e] in[f] hospicio adhuc remorantem, et heu[g]! frustra fortiter repugnantem, et Gislabertum extra villam habitu mutato cum castellano Curtriacensi[45] effugere conantem, crudeliter interemerunt,
46 et sic demum ad perquirendum Galterum dapiferum[46], quem elapsum fuga timebant, redierunt. Sed cum castellanum confessionem sacerdoti fecisse, et corporis ac sanguinis Domini mysteria percepisse, et necdum obisse cognovissent, in ecclesiam rursus ad eum cucurrerunt[h], et per pedes eum arripientes ac per confragosam graduum inequalitatem impetuose trahentes, caput eius singulis illisum[i] gradibus confregerunt, et sic eum ante ipsius fores ecclesie pertrahentes, palpitantem adhuc in extremis, iterata cede eius spiritum eiecerunt. Galterum autem cum diu quesitum non invenirent, et de inventione eius iam desperarent, quidam puer eum dicitur prodidisse, et latibulum quod eum in tanta necessitate oportune satis occultabat, persecutoribus ostendisse. Qui ut se proditum sensit, veloci cursu protinus fugam iniit, et usque ad altare sancti Donatiani currendo anxius pervenit, et velo quod altari oppansum erat se quantum potuit operuit. Quo in loco eum ministri diaboli persecuti arripuerunt, et confessionis faciende quam solam petebat sibi facultate superbe negata, de ecclesia extrahentes occiderunt.

29. *Prepositales corpus eius alibi decernunt tumulari, sed resistunt ceteri.*

Corpus itaque domni Karoli, ministris eius passim latentibus, ac pre timore mortis nusquam apparere audentibus, cum non esset qui sepeliret, in eo quo interfectus est[k] loco aliquandiu iacuit; sed tandem clericorum inferius est delatum obsequio, et in chori positum

a) intentas 1. b) *deest* 2. c) *deest* 1. d) Theynardum 4. Tangmarum I. e) Gaulterum 2. Walterum 1*. 4. f) *deest* 1. 1*. 4. g) *excidit folium in 2, sequentia desunt usque ad verba* veneratione colligere. h) concurrerunt I. i) illaesum I. k) fuerat 1*.

44) *Brucburgh* prope Grevelingen; Theynardi nomen occurrit in tabulis publicis annis 1119 usque 1125. 45) Galtero cuius nomen in diplomate quodam invenitur; cf. Act. SS. l. l. pag. 172. 46) Est Galterus de Locris, quod est situm in territorio Iprensi.

1127. medio, tristi merentium frequentabatur officio. Rari tamen erant qui eum manifeste lugerent, vel qui aliqua super morte eius tristicie signa ostendere aut doloris auderent; tantus erat metus perfidorum, qui etiam decreto decreverant eum ibi nullatenus esse tumulandum, ne eius monumentum ad posteritatis eorum appareret obprobrium. Quo audito, Arnulfus abbas monasterii Blandiniensis[47] sequenti die velociter affuit, et eum in monasterio Mart. 3. suo sepeliendum deportare voluit. Quod cum prepositus cum suis libenter concessisset et abbas feretrum composuisset, continuo spiritu Dei excitati tam clerici quam laici, resistendi audatiam sumpserunt, et vehementer ne id fieret contradicere et cum armis etiam in faciem[a] eis violenter obsistere et improperare ceperunt. *Si nobis*, inquiunt, *dominum nostrum ne viveret abstulistis, numquid et mortuum auferre debetis? Qui ergo fecistis ne haberemus vivum, sinite habere vel defunctum. Confidimus enim, quia, quem*[b] *vivum habuimus patronum et protectorem, interfectum et iam martyrem multo magis habere poterimus fidelem apud Deum intercessorem.* Quid plura? Tandem prepositalibus et abbati prevaluerunt, et corpus domini sui in superiora ecclesie tumulandum reportaverunt. Qua hora populi fide fervente, et venerabilis Karoli, ut vere credi decet, merito exigente, quod divina operata est clementia miraculum non silebo.

30. *De contracto sanato.*

Puer erat a cunabulis nervis claudus contractis, qui non solum non incedere, sed nec etiam ullo pacto a terra se valebat erigere, persona quidem modica, sed occasione sue miserie plurimis satis nota. Nam et in elemosina monachorum Sancti Andree Brugensis circiter octo annos commoratus et eorum fuerat beneficiis sustentatus. Cui cum prior loci calamitati[c] eius et miserie compatiens, instrumentum[d] quoddam fecisset, quo adiutus non tam ambulare quam reptare valeret, qualitercunque se promovere cepit paulatim, et Bruggas usque hoc modo perveniens, in domo Reingeri thelonearii aliquandiu mansit. Hic ergo cum illa hora iuxta illud venerabilis viri[e] corpus adesset, et sub eius feretro supplex et optate munus sanitatis devote mendicans succubuisset, subito nervi illi diu contracti virtute prorsus divina laxari, et membra illa debilia erigi, et in usum ambulandi firmari ac solidari ceperunt; sicque gratia Dei et merito viri sancti plene sanitati ad integrum restitutus est, ut nulle antique debilitatis reliquie in eo residerent. Itaque qui debilis et tristis advenerat, sanus et gaudens et Deo gratias agens recessit. Et quia hoc in frequentia populi[f] gestum fuit, latere profecto[g] non potuit[48].

31. *De populi veneratione et prepositi obduratione.*

Igitur qui presentes fuerunt et tam evidenti miraculo gloriam martyris cognoverunt, tante largitori gratie Domino inmensas in iubilo laudes reddiderunt. Videres itaque[h] continuo innumerabiles promiscui sexus ac diverse etatis viros et mulieres certatim undique concurrentes sanguinem eius linteis reverenter extergere et ferramentis etiam a pavimento abradere, pilos capitis eius vel barbe gladiis furentium laceratos cum veneratione colligere[i], et hec omnia ad tutelam sui in posterum servanda omni cum diligentia et devotione recondere. Nec frustra. Nam et pilleus eius a quodam reservatus multa febricitantibus per Dei gratiam affirmatur sanitatis, fide preveniente, contulisse beneficia. Ne quis vero incredulus calumpnietur me hec omnia commentari et loqui ex proprio, Deum testor, quia, que de morte eius et miraculis rettuli, viri religiosi domni Helie Brugensis decani, Frumoldi Furnensis prepositi et aliorum clericorum et laicorum, qui se ea vidisse affirmabant, cognovi testimonio. Verum illo primo patrato miraculo cum fideles gratulantes ammirarentur et ammirantes gratularentur, et campane in laudem Domini pulsarentur, Bertulfus quidnam sibi vellet strepitus ille[k] dicitur inquisisse. Cui cum res ut contigerat exposita fuisset, non solum credere vel penitere recusavit, sed ad subsannandum et deridendum conversus, etiam ianuas ecclesie ne populus devotus confluere posset obserari imperavit. Et hec quidem, cum 6. Non. Martii 4. feria interfectus fuisset, 5. feria ut prelibavimus gesta sunt. Mart. 2. Mart. 3.

a) eius *addit* 4. b) *deest* 1*. c) calamitati — compatiens *desunt* 1. d) instrumentulum 1*. e) *deest* 4*. f) *ita* 1. 1*. *deest in rell.* g) *deest* 4. h) autem 4. i) *iterum incipit* 2. k) *deest* 1.

47) Regnavit annis 1117 — 1132. 48) Idem miraculum uberius expositum in narrat. restaur. abb. S. Martini Tornac. apud Dachery II, 896.

1127. Mart. 4. Itaque timore prepositi cleri et plebis repressa est confluentia, et domni Karoli sepultura usque in 6. feriam protelata.

32. *De sepultura comitis.*

Quo sane die pauci ex hominibus eius et clientibus convenerunt, et in illo quo occisus fuerat loco sarcofago ex lapidibus et cemento super pavimentum composito, in eo illum sepelierunt. Porro sacerdotes et clerici, quia id in loco homicidiis et humano sanguine polluto fieri ratio et auctoritas non sinebat, in alia ecclesia eum missarum et orationum sollempniis Domino commendaverunt. Prepositus autem et sui dum quasi adversario suo deiecto exultant, et de regno sibi comparando, ac si non sit qui contradicat, tractant et cogitant, tremendo divine districtionis iudicio que sibi vindicta pararetur ignorant. Illis nempe gaudentibus de sanguine et thesaurorum eius quos invaserant direptione, iustus iudex et equissimus retributor occulte disponit de ultione. O ineffabilis bonitas et iusticia Dei! Persecutores suos impios Iudeos usque ad quadragesimum secundum annum post passionem suam, hoc penitentie spacio eis indulto, misericorditer expectavit. Sed quia illi, non adtendentes quod pacientia Dei ad penitentiam eos invitaret, thesaurizantes sibi iram in die ire penitere neglexerunt, horrendis suppliciis eodem anno interierunt. Hiis autem iusti persecutoribus iuste tempus adbreviavit, et usque ad octavum diem ultionem vix protelavit. Illi enim quia primitiva in eis nutriebatur ecclesia, diutius, ut credo, fuerunt misericorditer tolerandi, hii autem, quia provecta iam ecclesia in eis et per eos scandalizabatur, citius extiterunt iuste iudicandi.

33. *De obsidione Brugensium.*

Mart. 9. Nam ecce octavo die quasi domno Karolo in sui vindictam quodammodo resurgente, Gervasius quidam[49], vicinus eorum, vir honestus et probus, congregato suorum circiter 30 equitum numero, castrum Brugense invasit, et eis resistere, quippe timore Dei super eos irruente, non audentibus, intravit, et eos in interiorem munitionem refugere coegit. Quod nimirum virtute divina factum non dubitaverim, cum illi et numero et viribus et munitione plurimum prestarent. Verum manus Domini paucorum fidelium corda confortabat, et multorum infidelium vires et animos effeminabat. Sed et Brugensium corda municipum ita superna inmutavit gratia, ut non solum iniuste[a] dominorum suorum parti non faverent, vel auxilium[b] preberent, quin immo eorum consortium penitus abhorrerent, et eos continuo in munitione qua confugerant, Gervasio iuncti obsiderent. Duo autem eorum qui necis domni Karoli cooperatores extiterant, intercepti et comprehensi, in conspectu aliorum, in penam nimirum et confusionem eorum, diversis suppliciis improbrosis, ut dignum erat, tormentati et sic tandem sunt necati, ac partim patibulis appensi, partim[c] in cloacas, ubi a dominis suis de muris prospectantibus videri possent, iactati.

34. *De fuga Ysaac et latebris eius.*

Porro Ysaac unus ex coniuratis, homo potens et dives, cum paullo remotius in loco multum munito habitaret, et illa hora in ecclesiam beate Marie iniuste et irreverenter ingressus fuisset — nam qui ecclesiam non timuerat superbe violare, ecclesie introitum debuisset humiliter vitare — ab obsidione hoc eventu forte interclusus, et nec ad modicum quidem domui sue disponens, vite quippe sue consulere cupiens, fuga protinus elapsus est. Cuius domum frater eius Desiderius, qui contra suos se Gervasio in ultionem sanguinis iusti coniunxerat, mox irrupit, et omnem munitionem eius propriis manibus incendio tradidit. Qui ipsum quoque Ysaac si in ea reperisset, haud dubium quin eum ob vindictam tanti criminis interfecisset. Vide quantum eis inspiratum fuerit odium iniquitatis, quod etiam naturalis vincebat affectum pietatis! In eo enim qui se complicem fecerat tam nefande inmanitatis nec Gervasius propinquitatis nec Desiderius adtendebat necessitudinem germanitatis. Ille vero diurnis ubi audebat latitans, et nocturnis horis qua poterat fugitans, ad domum sororis sue, quam prefatus Guido de Stenfordo uxorem habebat, devenit, et eius conductu usque ad monasterium sancti Iohannis Teruanensis in monte nostre civitati

a) iustae 2. b) faventer *addit* I. c) patibulis — partim *desunt* I.

49) de Praet, camerarius Karoli; nomen eius legitur in tabula publica anni 1123. Act. SS. l. l. p. 173.

inminente constitutum profugit. Nam quia monachus fieri divino vel humano coactus timore 1127. volebat, monachum quendam Heiamensem[50], qui ipsum ei habitum donaret, ibidem operiri 50 proposuerat, sed[a] latere non potuit.

35. *De divulgatione eius et monachatu, captione et interitu.*

Fama namque[b] volante delatum et per totam urbem confestim est divulgatum, quod in monasterio sancti Iohannis laterent, qui patrem patrie Karolum occidissent. Arnulfus ergo, filius Eustacii advocati, volens et ipse sanguinem comitis vindicare, in cuius ultionem iam orbem ipsum audiebat conspirare, nocte inminente apparitores suos eo dirigit, qui abbatiam circumquaque[c] tota nocte custodiant, ne qui latebant in tenebris effugere usquam valeant. Ysaac autem ubi insidias sibi esse paratas cognovit, ad domnum abbatem Folquinum tremebundus confugit, et ut optatum sibi monachi habitum ipse iam concederet, supplicatione humili et importuna satis tandem obtinuit. Verumptamen Arnulfus sequenti die cum suis monasterium adiit, et illum eductum et ex ipsius confessione deprehensum continuo veste monachali[d] exspoliari, et nudum ac discaltiatum revinctis post tergum manibus ad civitatem cum tumultu protrahi precepit. Ubi dum, ne qua monachatus in eo vestigia remanerent, capilli capitis eius omnes penitus abrasi fuissent, civibus utriusque sexus et diverse etatis undique concursantibus[e] et ut[f] perfidus et traditor statim suspendatur vel vivus incendatur vociferantibus, sed et ipso Arnulfo hoc idem adimplere totis viribus adnitente, tandem pater eius cum matre obstitit, et ut vivus aliquandiu servaretur filio invito extorsit. Quod etiam divinitus factum fuisse credibile est, quatinus prevaricator et labore pene presentis et timore mortis inminentis diutius torqueretur, et vel impenitens ęternis vel penitens purgatoriis tormentis interim[g] cruciaretur. Diebus igitur aliquot evolutis domnus Guillelmus, Philippi comitis filius, cuius superius mentionem fecimus[51], qui iam[h] 51 post mortem comitis magnam terre huius partem occupaverat, Teruannam venit, et eundem Isaac sibi reddi ab uxore advocati — nam ipse cum filio suo tunc aberat — impetravit. Quem fune collo eius illigato Ariam secum duci, et in audientiam totius populi scelera sua confitentem seseque omni supplicio dignum adiudicantem 13. Kalend. Aprilis suspendi Mart. 20. fecit[52].

36. *De obsidione aucta et munitione irrupta.*

Obsidione autem prefata, sicut dictum est, per Gervasium et Desiderium Brugis inchoata, Balduinus Gandensis et Daniel Tenremondensis[53] ab oriente, Galterus Lilariensis[54], Riquardus Gualnensis[55] et Theodricus Dicasmudensis[56] ab occidente, exercitu collecto, 55 eidem se obsidioni adiunxerunt, et inde se non discessuros, donec illos homicidas caperent et punirent, iureiurando confirmaverunt. Paucis itaque diebus exactis et assultibus aliquibus factis, die quadam murum ab australi parte ascendentes, et sese audacter intus proi- Mart. 19. cientes, perfidos illos violenter aggressi sunt, et eos omnes intra ecclesiam sancti Donatiani, quam feda prius cede contaminaverant, fugere compulerunt. Digne sane[i] pro meritis! Conveniebat namque, ut in eo potissimum loco, quem in contemptum Dei et sanctorum eius non fuerant crudeliter prophanare reveriti, diuturne tedio obsidionis, vigiliarum et famis incommoditates et sitis et assiduos inminentis timores mortis penaliter tolerare cogerentur inviti.

37. *De effugio prepositi et latibulis eius.*

Verum pridie quam hoc contingeret[k], illis intrinsecus inclusis et aliis forinsecus obsi- Mart. 17. dentibus, incertum utrum negligentia obsidentium vel industria — aiunt enim, quod et certius est, quosdam[57] eorum corruptos fuisse pecunia — preposito effugiendi permissa 57

a) sed potuit *desunt* 1. b) quoque I. c) *deest* 1. d) monachili 1. *corr. al. man. m—ali.* e) circumstantibus 4. I. f) *al. man. superscript.* 1. g) iterum 2. h) *deest* 1. i) satis 1. k) contingerent 1*.

50) *Einham* ad Scaldim e regione Oudenarde. 51) c. 7. Nepos enim Roberti Frisonis I erat competitor comitatus Flandriae, quum liberos non reliquisset Karolus. 52) immo 23. Mart., ut accuratius tradere videtur Galbertus c 48. 53) *Dendermonde* ad Scaldim; castellani sunt omnes. 54) *Lillers* inter Aire et Bethune. 55) Idem qui alias Richardus Woldman, de *Biest* vel *Berst.* 56) Patruus erat Ingrasni coniurati. 57) Walterum Butelgir, cf. Galbert. c. 41.

1127. est copia. Nam de fastigio muri ad terram fune demissus, et quorundam auxilio ab obsidione
latenter eductus, noctibus ambulando et[a] diebus delitescendo[b] ad domum Alardi Warnestu-
58 nensis[58], qui neptem illius Aganitrudem[c], castri quod dicitur sancti Audomari quondam
castellanam, habebat uxorem, miser iam et miserandus confugit. Quo in loco cum per tres
fere septimanas iam[d] delituisset, et presentia eius rumusculis quibusdam dubiis et incerta
vulgi opinione diffamari cepisset, iam eum ulterius inibi retinere non audentes, singulis
eum noctibus per diversa loca transmittebant, ut vel sic fugam eius[e] celarent, quam de-
Apr. 10. prehendi multopere metuebant. Diebus igitur pasche peractis, octava videlicet dominice
resurrectionis die, prefato domno Guillelmo Ipre forte tunc constituto huius occultationis
fama innotuit. Qui ut audivit, protinus exilivit, equum ascendit, et eundem prepositum per-
quirere magno cum strepitu et festinatione contendit. Domum itaque Alardi et omnia eius
latibula nec non et domum filie eius, in qua proxima nocte preterita miser ille quievisse
asserebatur, scrutati, cum quem querebant non invenissent, vehementer sunt irati, et pri-
mum quidem utramque domum illam, quasi pestiferi presentia viri contaminate et ob hoc
igne purgande fuissent, incendunt, ac deinde filiam eius prefatam in crastino, nisi prepo-
situs redderetur, menbris debilitandam comprehendunt. Unde et idem domnus Guillelmus
hominium Alardi[f] guerpivit, et eo diffiduciato, totum feodum eius saisivit, et de filie eius
dehonestatione, conditione quam[g] supra diximus, fide et sacramento securitatem fecit, et
sic inde recessit.

38. *De proditione eius ac morte.*

Re itaque in arto posita, quid facto opus esset Alardus et sui tractare ceperunt; et
cum hinc[h] filie sue non parcendum, inde preposito ipsius detrimento nichil sentirent salutis
conferendum, tandem prepositum decreverunt reddere, ut sic salutem lucrarentur vel filie
sue. Ut ergo, quod ipse[i] accusabatur, iuste perpeti cogeretur, de domo in qua eum retru-
serant[k], cuiusdam muliercule ministerio eum[l] educi et sic hiis qui ad eum capiendum
preparati fuerant tradi fecerunt. Igitur ad castrum Warnestunense eadem nocte perductus,
et ibi usque ad lucem servatus est. Ubi et presbiterum ad se vocari postulavit[m], et pecca-
torum suorum penitentiam agens, confessionem Deo et illi in conspectu omnium fecit, et
solo prostratus et pectus pugno percutiens, indulgentiam sibi a Domino tribui supplex
Apr. 11. oravit. Die autem facto, cum iam Ipram equo pergere ab his qui eum ceperant moneretur,
equitare quidem omnino recusavit, sed nudis pedibus, cum tamen gelu esset, incedere
maluit. Et cum iter arripuisset, quendam de clericis, cuius hec ipsa relatione cognovimus,
sibi accivit, et ymnum Ambrosianum: *Te Deum laudamus*, cum ipso antiphonatim cantare[n]
cepit. Quo dicto, horas beate Marie eadem supplicationis devotione cantando complevit, et
sic ad psalmodiam conversus, secum ipse sub silentio attente psallere studuit. Iprensibus
igitur obvium[o] eum suscipientibus et Ipram ducentibus, passimque pugnis, virgis, lapidibus
et marinorum piscium, qui illis in partibus grandes admodum capiuntur, capitibus cedenti-
bus, omnique genere contumeliarum afficientibus, in eadem[p] semper[q] pacientia, ne dicam
quod quidam: duritia, et silentio perseverabat, et fere usque ad ipsam mortem psalmos in-
desinenter ruminabat. In patibulo igitur collo et brachiis suspensus, et multa ferientium[r]
59 cede mactatus, tali ad ultimum exitu est exanimatus[59]. De quo[s] silendum non censeo[t],
quod quamdiu in prosperitate fuit[u], huiusmodi contumelias et irrisiones[v] plurimum ab-
horruit. Nam quibusdam ipsius familiaribus referentibus[w] certo cognovi, quod sepe, cum
de passione domini nostri Iesu Christi salutifera communis sermo inter domesticos inci-
denter haberetur, et pacientia eius ab aliis predicaretur, dicere consuevit: *Mirum cur Do-*
60 *minus talia pati voluerit. Certe si huiusmodi gartiones*[60] *mihi*[x] *taliter insultarent, iniurias
meas, presertim si omnipotens essem*[y], *impigre vindicarem, et illudenti mihi*[z] *saltem sputaculum
in faciem iactarem.* Vide quod, que intolerabilia maxime solebat iudicare, ea ipsa ad
augmentum miserie sue coactus est tolerare.

a) *deest* 1. b) *excidit folium in* 2, *desunt sequentia usque ad verba* ubi dum aliquamdiu. c) Agantrudem 4. d) *deest* 1. e) *deest* 4. f) *deest* 1. 4*. g) qua 1. h) inde *add.* 1*. i) fecisse *add.* 1. k) retruserat 4. l) ministerium eo 4*. m) oravit 1* n) decantare 1. o) obviis 4. p) *deest* 1. q) *deest* 1*. r) furentium 1. s) hic *addit* 1. t) sentio 4*. u) de *addit* 1*. v) contumeliis et irrisionibus 1*. w) *deest* 1*. x) *deest* 1*. y) opus esset 1. z) *deest* 1*.

58) *Waesten* ad Lisam e regione Comines. 59) Eum cum cane in patibulo suspensum foetidissime mortuum esse narrant Galbertus c. 58 et Sugerius. 60) hoc loco homines ignobiles.

39. *De pugna Guidonis et pena et amborum irrisione.*

Eadem autem hora domnus Gillelmus Ipra egreditur, et ad causam Guidonis de Sten- 1127. fordo, qui nuper eodem crimine, quod videlicet in mortem comitis consilium et assensum prebuisset, pulsatus fuerat, examinandam[a] proficiscitur. Qui videlicet Guido, dum contra impetitorem suum Herimannum cognomento ferreum monomachiam hac pro causa inisset, et primo quidem congressu et secundo superior in pugna fuisset, et eundem Herimannum armorum nimio pondere onustum[b], ipse eque gravi armatus lorica et galea, terre prostratum et proprii corporis et tanti oneris ruina depressisset, virtute Dei confortatus, ac si nullum sentiret pondus, Herimannus surrexit et[c] eum qui, ut dictum est, secundo superior fuerat[c], versa vice subiciens ad confessionem patrati sceleris urgere cepit. Quid plura? Divino tandem iudicio victus, et de crimine quo impetebatur convictus, et sic demum ad supplicium[d] mortis est addictus. Quod cum apud Rinningas[e, 61] factum fuisset, 61 continuo eum comprehenderunt et Ipram pertrahentes iuxta miserabilem illum prepositum in eodem patibulo ipsum quoque miserrimum iam eodem die 3. Idus Aprilis suspenderunt. Apr. 11. Ubi[f] dum aliquandiu pependissent et fetore sui aerem corrumpere incepissent, burgenses iterum consilium inierunt, et eos extra villam eiciendos et eos ibi diligentius reponendos esse decreverunt. Neque enim a tormentis vel mortuorum et irrisionibus abstinere poterant, quorum perfidia tali patre et domino se orbatos esse plangebant. Itaque arborem excelsam erexerunt, et rota plaustri desuper imposita, coriis boum quo diutius servari possent insutos, super eam illos invicem coniunctos et quasi mutuo complexu colligatos sedere fecerunt. Verum paucis diebus evolutis, cadavera eorum furtim inde sublata et tumulata sunt[62]. O tremenda nimirum divine districtionis iudicia! Quis enim suspicaretur 62 unquam, ut de Guidone taceam, Brugensem prepositum, huius quidem seculi filium splendidissimum et omnibus mundi istius divitiis affluentissimum, et post comitem solum fere totius terre huius potentissimum, ad tantam umquam miseriam esse deventurum, ut nec inhoneste vivere nec honeste saltem ei liceret hanc vitam finire? Sed qui potentes deponit de sede et alta a longe cognoscit, ac discretissimo[g] equitatis sue iudicio secundum opera sua singulis retribuit, ipse eorum celsitudinem deicere et potentiam ad nichilum redigere, quando et quomodo voluit, singulariter potens fuit.

40. *De fuga Burchardi et miraculo in navi.*

Porro Burchardus ille, quem primum marchionis venerabilis Karoli caput percussisse commemoravimus, cum multas sustinuisset angustias obsessus, humano quidem ad modicum usus auxilio fugit; sed divino ceptis eius obviante consilio, effugere minime valuit. Nam, sicut post[h] ex ipsius claruit confessione, de turri illa egressus[i], primum quidem aliquandiu latuit, ac deinde nocturno tempore sociis quibusdam itineris, quos sibi fideles non dubitabat, secum assumptis, fugam iniit, consultius arbitratus longinquas petere regiones, ut incognitus apud extraneos securius se occultaret, et egenam ac miseram vitam sic saltem protrahendo qualitercunque protelaret. Cum igitur ad aquam quandam[k, 63], quam 63 navigio eum transire oportebat, devenisset, naviculam in ripa preparatam invenit et in eam ascendit. Quam cum, ut in ulteriorem dirigeret ripam, a terra repellere temptaret, illa occulto divine virtutis pondere pressa inmobilis stetit et loco moveri non potuit. Quod ut sensit, totis cepit viribus uti, ut eam a ripa seduceret toto[l] conamine niti; cumque diu luctatus nichil prorsus profecisset, socios advocat et ad auxilium sibi ferendum invitat. Quibus statim cum ammiratione accurrentibus, et ad illam unam[k] modicam naviculam promovendam omnes quas habebant vires impendentibus, illa nichilominus velut murus inmobilis perseverat, quippe quam vis divina omnino inmobilem faciebat. O rem ammiratione dignam! O ammirandam, o predicandam Dei clementiam! O ammirandam[m], o detestandam Burchardi dementiam! Burchardus sceleris sui inmanitatem parvi pendit et negligit, quam lignum insensibile execratur et refugit. Navicula modica robustorum validis impulsibus virorum resistit[n], que unius manu pueri moveri et circunduci facile consuevit. Verum

a) examinandum 4*. b) onestum 1. *corr. al. man.* onustum. c) et — fuerat *desunt* 4*. d) supplicio 4. e) Riningas 4. f) *hoc loco incipit* 2. g) disertissimo 2. h) *deest* 1. i) est *addit* 2. k) *deest* 1. l) *ita* 1. quanto potuit *rell.* m) O rem — ammirandam *desunt* 1. n) *sic corr.* 1.

61) *Reningels* in territorio Iprensi. 62) in monasterio Formezele. 63) Lisam, ut vult Iperius.

1127 hec tua, Christe, sunt opera, qui errantes ad viam veritatis convertis et superbientes ad gratiam humilitatis vel vi reflectis[a], qui ne in eternum dampnes, plerumque temporaliter punis. Tu enim nunc per navicule inmobilitatem hunc virum iniquum ut suam nequitiam recognosceret et tuam iusticiam expavesceret monuisti, qui olim per asine loquelam prophete Balaam insipientiam corripuisti. Miser itaque ille hoc tandem miraculo compunctus, et ad cor quandoque reversus, navigium deseruit, et in terram se prosternens et reum pectus pugno percutiens, ac ubertim lacrimas fundens, reatus sui penitudinem multo cum gemitu gerere cepit. Prius namque eum huius peccati nunquam penituerat. Cumque post lamentum naviculam iterum movere temptasset, et eam ut prius inmobilem esse vidisset, voluntate Dei certius iam comperta, cepit desperare de salute sua temporali, et confestim tristis et merens consueta repetivit latibula.

41. *De proditione ipsius.*

c. 14 Cum autem diversis in locis diebus non paucis iam latuisset, et iuxta Insulam[64] in quoddam tugurium ductu cuiusdam servi sui casu divertisset, servum eundem itineris sui ducem ad domum Bernardi avunculi sui, ut panem sibi quo famelicam animam refocillaret peteret — esuriebat enim — transmisit. Et ille quidem quod iubebatur exequi cupiens, mandato eius libenter obedivit, et ad eandem perveniens domum, ad opus domini sui, utputa hominis delitiis assueti, delicatum panem petivit. Sed miro Omnipotentis iudicio, qui domini sui salutem querebat, invenit mortem, et[b] esurienti conferre cupiens quibus egebat alimenta, reo[c] preparavit que meruerat tormenta. Hac etenim occasione prefato Bernardo dominum suum, simpliciter tamen, quamvis per alias personas, prodidit, cui, utputa avunculo, nepotem suum nequaquam occultandum credidit. Iusto autem Dei agebatur examine, ut qui dominum suum occidere non fuerat veritus, ipsum quoque occidendum suus proderet dominum servus. Bernardus vero Hugoni fratri suo hoc idem protinus nuntiavit. Hugo ergo communicato cum fratribus suis consilio, licet nepotem suum[b] servare magis, si tamen
c. 15 auderet, quam prodere maluisset, Insulano tamen castellano[65] et burgensibus Burchardum se invenisse nunciavit, et ut cito venirent ac tanti criminis reum ultione qua dignum arbitrarentur punirent, mandavit. Cui profecto si parcere voluisset, haud dubium quin et ipse magnum salutis sue periculum incurrisset.

42. *De comprehensione eius et patibulo ac morte.*

Insulani vero mandato Hugonis audito, cum magno protinus tumultu perrexerunt, et Burchardum comprehensum Insulam duxerunt, et in foro ei patibulum paraverunt. Verum ille eterne formidine[d] dampnationis[e] ut timeret excitatus, et superne intuitu miserationis ut speraret animatus, se ipsum districte admodum accusare et cunctis dignum suppliciis cepit publice inclamare. Denique manum suam dexteram, que in effusione sanguinis iusti cruentum exhibuerat ministerium, ob penam tanti criminis exsolvendam[f] et indulgentiam promerendam abscidi flagitavit. Cum autem nemo esset qui hoc faceret, ipse sibi saltem eam amputandi[g] facultatem postulavit concedi. Verum utrumque sibi denegari consentiens, iterum ad sui accusationem et superne miserationis invocationem conversus est. Reatum ergo suum confitendo manifeste et plangendo, et divine respectum misericordie implorando, et ad hoc ipsum fiducialius sperandum misericordias antiquis peccatoribus exhibitas commemorando, omnium viscera circumstantium[h] ad pietatem et miserationem convertit[i], et ad lacrimarum effusionem universos pene lugubri sua lamentatione coegit, et ut per temporales carnis molestias eternas evaderet penas modis quibus potuit sategit. Itaque menbra sua ipse tormentis sponte aptavit, et rote radiis intricatus et in excelso stipite exaltatus, in eadem devotione, confessione et supplicatione ab hora diei nona usque ad crepusculum diei sequentis perseverans expiravit.

43. *De perturbatione post mortem comitis ac pace.*

Sed iam dignum est, ut articulum ad superiora tempora convertamus, et ea que prius quidem gesta, sed a nobis hactenus sunt pretermissa, referamus. Neque enim quecunque

a) *ita* 1. inflectis *rell.* b) *deest* 2. c) reo — tormenta *desunt* 2. d) formidinis 1. e) *deest* 1. f) abluendam 1. g) eam amp. *desunt* 1. h) *ita* 1. assistentium *rell.* i) *ita* 1. commovit *rell.*

64) *Lille.* 65) Rogero.

eodem tempore contigerunt, eodem etiam tempore dici potuerunt. Interfecto igitur Brugis, 1127. ut dictum est, marchione, fama mali tanti confestim circunquaque diffunditur, et ipsa eadem Mart. 2 die usque ad 30 fere leugas extenditur. Ubique ergo luctus, ubique gemitus et dolor ingens clericorum, monacorum, rusticorum, pauperum, postremo omnium in pace et tranquillitate degere et equitatem servare et servari cupientium. Raptores autem quilibet et iniqui, utpote vinculis quibus tenebantur diruptis[a] soluti — magis enim, sicut etiam[b] tunc evidenter patuit, Karoli refrenati fuerant[c] timore quam Dei — universa turbare, mercatores quosque et viatores rebus suis expoliare, et ipsos plerumque ligare et incarcerare ceperunt. Tanta namque fuit perversorum hominum rabies et nequitia, ut nec sancti temporis — nam quadragesima erat — eos cohibere valeret reverentia. Verum omnipotentis Dei subveniente clementia, in brevi repressa est eorum dementia. Prefatus enim Guillelmus domni Karoli consobrinus, mox ut mortem comitis nuntio deferente cognovit, eadem die comitatum sibi, frustra tamen, vendicavit, et Ariam[d] [66] oppidum munitissimum occupavit, et oppidanos 66 omnes fidelitatem sibi iurare fecit. Cumque et Sanctum Venantium, Casletum[67], Bellulam[68], Ipram, Bergensem quoque et Furnensem[69] terram pari modo sibi subegisset, motus raptorum in finibus illis cito repressit et pacem servari mandavit. Ceteri quoque barones terre invicem collocuti, Deo inspirante, paci consenserunt, et singuli partes suas defensare studuerunt.

44. *De adventu regis et ordinatione comitatus.*

Porro magnificus rex Francorum Ludowicus, audito quod consobrinus suus Karolus[70] interisset, et Guillelmus honorem sibi indebitum, presertim ipso non assentiente, invasisset, graviter tulit, et tam illum[b] ea quam usurpaverat dignitate privare, quam amici mortem desiderans vindicare, ad urbem Atrebatum circa mediam quadragesimam venit. c. Mart. 9. Quo etiam Gillelmum iuvenem, dictum Normannie comitem, a patruo suo Henrico Anglorum rege, sicut in initio huius opusculi commemoravimus[71], impie exheredatum, qui regine[72] sororem[73] nuper duxerat uxorem, venire mandavit. In qua urbe cum diebus ferme 15 commorati fuissent, et plures, qui sibi comitatum terre nostre competere assererent, Arnulfus scilicet nepos domni Karoli[74], Balduinus Montensis, et prefati Guillelmi, qui iam partem 74 terre nostre prelibatam violenter tenebat, nuntii frequentes hoc ipsum expetentes ad regem venissent, tandem regina, Dei, ut arbitror, occulta sed tamen iusta dispositione prevaluit, et animis quorumdam procerum multo ingenio ad sibi consentiendum inclinatis, sororio suo, Normannie comiti, 10. Kalend. Aprilis comitatus donum[e] optinuit. Mart. 23

45. *De impedimentis regie dispositioni obviantibus et comitis processibus.*

Cuius potentiam patruus[f] [75] eius ad sui detrimentum veritus crescere, eam totis viri- 75 bus et artibus quibus poterat contendit inminuere. Nepotem ergo suum Stephanum[g] Blesensem[76], Bolonie et Moritonii[77] comitem, transmittens, et per ipsum et per alios partis sue legatos multa tribuens et plura promittens, multorum animos potentium sollicitat, Flandriam hereditatem suam esse, et ex parte Roberti Casletensis[h, 78] avunculi sui sibi iure 78 competere affirmat, et hiis modis in suum eos favorem conciliat, ac ducem Lovanie[79], socerum suum, et Montensem comitem et Thomam Codiziacensem necnon et predictum Gillelmum sibi confederat. Hos omnes et eorum auxiliarios regie voluntati et ordinationi contraire, et profectus novi comitis modis omnibus impedire hortatur et instigat, non tam ut ipse Flandriam, quod forsitan fieri posse iam desperabat, optineat, quam ut vires comitis,

a) disruptis 4. 4*. b) *deest* 1. c) *deest* 2. d) Arigam I. e) dominium I. f) Henricus rex Anglie *man. saec. XV in margine* 1. g) Hic Stephanus post Henricum avunculum suum fuit rex Anglie. Fuit enim filius Adele filie Willelmi nothi regis Anglorum ex Mathilde sorore Roberti Frizonis ut docuit in 5. capite. *Ead. man. in margine* 1. h) et Frizo *superscr. ead. man.* 1.

66) Cf. vitam sanctae Rictrudis II, 30 in Act. SS. in 12. Mai. p. 105. 67) *Cassel* inter St. Omer et Ipern. 68) *Bailleul* inter Aire et Ipern. 69) *Furnes.* 70) Dilucide de hoc cognatione scripsit Iperius, ap. Martene et Durand Thes. nov. III, 591. 71) c. 5. 72) Adelheidis. 73) Ioannam. 74) Teste genealog. com. Flandr. Arnulfus nepos erat Karoli ex sorore eius primogenita. Duas reliquit Canutus rex filias, Ingertham teste chron. Skibyense iuniorem quae nupsit Folconi Sueco et Cacciliam Erici uxorem. Cf. Saxo Gramm. ed. Müller p. 592. 75) Henricus I rex Angliae. 76) filium sororis Adelae, postea Angliae regem. 77) *Mortagne* ad Scaldim. 78) cuius soror Mathildis mater erat Heinrici I regis. 79) Godefridum, cuius filiam Adelam in matrimonium duxerat.

1127. quas sibi periculosas suspicabatur, enervet et destruat. Rex autem cum comite Atrebatum civitate post aliquantum tempus egressus, primo Insulam, deinde Gandavum et Bruggas April. 5. egre tamen — nam ubique fere Anglici favores[a] plurimum impediebant — recepit, et obsidionem sua presentia roboravit. Unde comes post pascha reversus per Insulam et Betuniam[80], usque ad urbem nostram Teruannam pervenit, et ibi cum magno cleri et populi gaudio susceptus biduo mansit. Postea cum castrum quod dicitur sancti Audomari, castellano[81] et burgensibus[b] eum gratanter, conditionibus tamen quibusdam promissis, suscipi- April. 14. entibus, optinuisset et ibi paucis diebus moram fecisset, iterum Teruannam[c] transiens Insulam revertitur.

46. *Brugensium deditio et miraculum in alimentis et ecclesie purgatio.*

Interea rex Robertum reliquosque illos homicidas Brugenses de turri in quam confugerant[d] egredi et sese dedere coegerat, et in carcerem et vincula universos retruserat. Quorum narratione innotuit miraculum quod narro. Ex quo enim in eadem ecclesie turri obsessi morati sunt, nullo alimentorum, quorum non modicam illuc copiam contulerant, sicut nec si terram gustarent, sapore delectati sunt, sed postquam sese dedentes exierunt, continuo quem tanto tempore perdiderant gustum receperunt. Cum enim Roberto sitienti de eodem quo ibi inclusus bibere consueverat vino propinassent, optimum eius saporem protestatus[e] laudavit, seque ab ipsius initio obsidionis de bono vino non bibisse iuravit. Nesciebat quippe quod de hoc ipso quo solebat bibisset. Quod cum ei indicatum fuisset, opus Dei in suorum castigatione peccatorum recognovit, et divinam cum ceteris bonitatem collaudavit. Rex vero ecclesiam sancti Donatiani non solum sanguinis effusione, verum etiam eorum execrabili et inmunda habitatione multipliciter pollutam, cunctis inde spurcitiis elimatis purgari, corpusque venerabile[f] Karoli[g] quod ibi negligentius quam decebat tumulatum fuerat, in ecclesiam precepit aliam deportari, quatinus funus eius ibi diligentius curaretur et deinde congruo sibi honore in ecclesia rursus humaretur. Quod et factum est.

47. *De miraculo in corpore eius ostenso et eo tumulato.*

Verum quid ibi miraculi divina ostenderit dignatio, non videtur pretereundum silentio. Testati sunt enim mihi sciscitanti plerique qui affuerunt viri veraces et religiosi, quorum unum, domnum scilicet Absalonem Sancti Amandi abbatem[82], pro sue sanctitatis merito April. 22. dignum est hic nominari, quod, cum venerabile illud corpus, eo in quo illud ante 53 dies repositum fuerat monumento irrupto, detexissent, ad gloriam Dei et martiris sancti ostendendam in tantum a corruptione alienum inventum est, ut nec tenuissima quidem modici fetoris nebula exinde ascenderet, que[h] nares circumstantium sive funus idem contrectantium et curantium vel in minimo aliquatenus offenderet. Verumptamen cum quantum diximus iam tempus in monumento haberet, sic erat vulneribus crudis et omnino recentibus tractabile, ac si eodem die interfectus fuisset. Tanta quoque suavissimi odoris fragantia totum illum locum divinitus infudit et implevit, ut nulli fore dubium videretur, quod Deus fidelem suum glorificare voluerit. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Quod nimirum eo amplius mirabile iudicatur, quod humanorum cadaveribus corporum vix aliquod aliud fetidius estimamus. Ecclesia igitur domni Symonis Tornacensis episcopi ministerio[83], qui in hoc ipsum a rege de Francia fuerat accersitus, more ecclesiastico reconciliata, sepe[i] memoratum corpus summa reportatur cleri et populi devotione April. 25. et reverentia, et 7. Kalend. Maii in media tumulatur ecclesia in extremo examine resurrecturum in gloria[84].

a) fautores I. b) brugensibus 1. c) Teruanna 1. d) confringerant 1. e) *ita* 1. *deest rell.* f) venerabilis 1. g) *ita* 1. *deest rell.* h) sive 1. i) sed et I.

80) *Bethune.* 81) Odone; Sancti Audomari cives inter fautores Guilelmi fuisse comitis, ipse probat praecepto dato 14. Apr. 1127, quo iura et consuetudines civium confirmavit. Warnkönig I, app. p. 27. 82) Regnavit annis 1124—1146. Eundem eiusdem rei in sua narratione testem fecit Herimannus abbas Tornacensis 83) Idem etiam Noviomensis episcopus frater erat uterinus Margaretae uxoris Karoli; sedebat 1121—1148; cf. Narrat. restaur. Sancti Martini Tornac. p. 897. 84) Sancti Donatiani ecclesia anno 1794 diruta, Karoli ossa translata sunt in ecclesiam sancti Salvatoris; cf. Warnkönig Flandrische Rechtsgesch. I, 138. De reliquiarum cultu Sanderus hagiolog. Flandr. p. 51 refert: *Sacra eiusdem ossa e tumulo levata in sacrario canonicorum cathedralis ecclesiae sancti*

48. *De expeditione regali et traditione Iprensi.*

Quibus omnibus sollempniter, et eo quo dignum erat honore adimpletis, rex cum 1127. exercitu quem congregare poterat Ipram contendit, et sequenti die, 6. videlicet Kalend. Apr. 26. Maii, comite sibi ex condicto cum exercitu ex parte alia impigre occurrente, circa diei horam sextam illuc usque pervenit. Porro sepe memoratus Gillelmus, Philippi filius, regie maiestatis celsitudinem minus quam oporteret reveritus, extra oppidum ei[a], multorum et fortium quos sibi confederaverat virorum et armis fretus et animis, audacter occurrit, et contra universum illum exercitum acerrime dimicare cepit. Sed ille se agere fortiter arbitratus, dum hostibus obstinatissime repugnat, dum in adversarios aciem dirigit et instaurat, que sibi infelicitatis temporalis et adversitatis fovea preparata sit miser ignorat. Etenim iam pridem aliqui burgenses[b], qui sacramentis ei non semel tantum sed frequenter fidelitatem fecerant, cum quibusdam aliis hominibus ipsius de proditione eius conspiraverant, legatos inde ad regem direxerant, seque ei portas aperturos et Gillelmum tradituros iuraverant. Ve mundo ab scandalis! immo ve Flandrie a proditionibus! Mirandum nec minus miserandum, quod terra infelix, cui domino suo per proditionem orbari contigerat, non aliter quam per proditionem alium acquirere valebat; et hanc quidem pauci Iprensium disposuerant faciendam. Iudicaverant namque commodius regie voluntati parere quam imperiis Gillelmi et sibi suspecte potestati subiacere. Neque ideo, ut ferunt, quod ipsius personam in aliquo culparent, sed quorundam affinium eius dominium intemperantius futurum formidarent.

49. *Willelmus capitur, Ipra incenditur, Flandria subigitur.*

Itaque cum ab hora diei sexta usque ad nonam utrimque diversis concursibus ab aquilonali parte et orientali pugnatum fuisset, vexillo, quod in signum future proditionis super summum ecclesie sancti Petri fastigium ex proposito constituerant, adverse partis cuneos accersierunt, et porta meridiana aperta eos in oppidum susceperunt. Quibus protinus totam villam percursantibus, et rapinis ac incendiis universa vastantibus, Gillelmus destitutum se tum[c] demum persentiens, quod solum superesse videbat, fugam arripuit; sed fuga sera fuit. Fugientem enim eum Daniel Tenremondensis consecutus comprehendit, et armis exutum comiti Gillelmo captivum reddidit. Ipra igitur eodem die a porta septemtrionali usque ad portam australem spoliata et incensa, ac multitudine militum innumerabili comprehensa, rex et comes Mesinas[85] monasterium adeunt et Gillelmum captum secum abducunt. 85 Quem[d] cum postera die castellano Insule custodiendum commendassent, Ariam perrexerunt, et ea in deditione recepta, Casletum et reliquam illam inferiorem Flandriam facillime subegerunt, et sic tandem ad ulciscendam honorandi Karoli mortem Bruggas Mai. 4. iterum redierunt.

50. *De supplicio dediticiorum Brugensium.*

Fratrem ergo[e] prepositi Vulvericum, quem in mortem eius coniurasse supra memora- Mai. 5. vimus, cum aliis fere 28 deditiis e carcere productis, de excelsa turri precipitari fecerunt; sicque homicide illi condignis tante iniquitati cruciatibus interierunt. Qui quamvis non omnes consilio vel facto equaliter peccaverant, iniquitati tamen consentiendo et iniquis auxilium ferendo paribus quodammodo iniquitatis nexibus se omnes obligaverant. Et ideo quorum non abhorruerant iungi consortio, eorundem non inmerito sunt puniti supplicio. Robertum autem, quem et ipsum ex coniuratis fuisse supra ostendimus, quique ibidem[f] eo quod a populo vehementer diligeretur, et modis quibusdam excusabilior ceteris videretur, tute satis puniri posse non estimabatur, secum abducere decreverunt. Quem cum Casletum Mai. 6 usque perduxissent, et ille reatus sui multam[g] penitudinem gereret, extra oppidum eum capitis abscisione animadverti fecerunt.

51. *De improbitate Ingrasni et fuga.*

Dum ea geruntur Ingrasnus Esnensis, unus ex prenominatis coniuratoribus, qui patrui sui Theodrici Dicasmudensis presidio fretus usque in id temporis excusationes in peccatis

a) eis 1. b) brugeuses 1. c) tunc 1. d) que 1. e) quoque 1. f) quibus ibidem 1. qui ibidem 2. g) inultam 1.

Donatiani religiose adservantur. Fuit vir procera admodum statura, novem scilicet pedes longus. Cui longitudini corporis membra et ossa quae hodie magna cum admiratione ibidem spectantur, respondebant. 85) *Messines.*

1127. excusaverat, pro perfidie sue tenebris obcecatus, ipsius regis aspectibus et comitis se impudenter ingerere non erubuerat, et si quis eum super hoc crimine impetere auderet, viriliter sese defensurum esse iactaverat, diffidere cepit, et primum quidem apud suos aliquandiu se latendo continuit, ac deinde oportunitatem temporis nactus, omnibus postpositis sue consulere saluti gestiens, a patria profugit, et in terra nostra usque in hec tempora, me scilicet hec scribente, nusquam ultra comparuit.

52. *De Willelmo Viroviacensi.*

At Willelmus Viroviacensis, et ipse, sicut aliorum claruit confessione, coniuratorum unus, quem nimirum aliis intentus[a] et finis[b] ipsius expectatione suspensus intactum fere reliqueram, iniquitatem suam nequaquam tamdiu occultare valuit. Sed quod in occulto perpetraverat, indiciis continuo manifestis aperuit. Statim enim post comitis occisionem et thesauri eius direptionem Viroviacum regressus, non minimam inde secum attulit partem. Verum hoc sue nequitie fructu in longum letari permissus non est. Cum enim quasi adversario deiecto tripudiaret et de dampnis alienis insolenter exultaret, repentinus eum pavor invasit et territum de Flandrie finibus exturbavit. Audito namque quod frater suus Lambertus, qui tamen, ut ex[c] fine monomachie quam inde in curia sepe fati Gillelmi inierat claruit, innocens erat, super morte comitis impeteretur; et quod ipse ab eodem Gillelmo, cui[d] iam per subreptionem hominium fecerat, diffiduciaretur, timere cepit. Et primum quidem ad defensionem se paravit, sed in crastino ree tantum stimulis conscientie eum exagitantibus, cum nemo eum adhuc persequeretur, uxore et paucis suorum, rebusque
Mart. 7. quas evehere poterat, secum assumptis, sexto die post mortem comitis fuge se credidit.
Prov. 28, 1. *Fugit* nempe, ut scriptura dicit, *impius nemine persequente*. Castellanus autem Curtriacensis, qui et antea ei extiterat inimicus, statim ut fugam eius audivit, armata multorum militum manu munitus, Viroviacum contendit, et omnibus, que ipsius fuerant, mobilibus direptis, munitionem totam evertit, et nemine resistente, in tantum ut nec stipes in loco remaneret, incendit[e]. Ipse vero cum iuxta Tornacum ad villam quandam devenisset, Tornacensibus eum insectantibus et comprehendere ac punire temptantibus, uxore ac maiore suorum
86 parte rebusque fere omnibus amissis, vix equum nactus evasit et in partes Nerviorum[f, 86] duobus tantum sociis contentus secessit. Ubi monasterium quoddam monachorum adiit, et timore magis, ut postea patuit, humano quam divino compunctus, monachatus tonsuram habitumque presumpsit. Postea vero occasione uxoris, sine consensu cuius hoc fecisse asserebatur, paucis evolutis diebus monachatum deseruit, et ad seculum et ad arma derelicta sine retractatione mox rediit. In quo quidem facto evidenter satis claruit, illud religionis propositum quam fictus arripuerit[g]. Si enim vinculum uxoris vinculum compellebat solvi religionis, eis quibus tanto abusus tempore fuerat cur non abstinuit armis? Nunquid et hoc lex coniugii cogebat? Nequaquam. Nam si vere eum suorum reatuum peniteret, armis relictis, uxori, dum tamen illa maritale debitum exigeret, adherere et in sudore vultus sui pane suo vesci districto fatigatus ieiunio debuisset; nunc autem, ut multorum relatione comperimus, iram Dei non solum penitendo non curat placare, sed corde obstinato excusationes in peccatis excusare[h], et Deum magis irritans quam placans, peccatis peccata non veretur augmentare. Timendum est igitur ei, et pro eo etiam nobis, ne quia tardat converti ad Dominum, subito veniat ira Dei et in tempore vindicte disperdat eum. Forsitan ideo ibi tamdiu aliis punitis[i] servatur, ut, si in tempore sibi indulto non penituerit, et dono
87 misericordie Dei superbe abusus fuerit, iusto Dei iudicio gravius in fine feriatur[87]. Quod etiam de prefato Ingrasno non absurde sentiri potest. Et hec quidem omnia infra duos fere post mortem comitis menses consummata sunt.

53. *Conclusio libelli*[k].

Ecce voluntati vestre, reverende pater, immo iussioni, ac fratrum meorum pie peticioni prout valui parui, et materiam mei modum ingenii pariter et eloquii, ut in ipso apparet effectu, tantopere transcendentem vel contingere presumens, multorum me

a) attentus 1. b) sui 1. *in rasura.* c) *deest* 1. d) qui 1. e) *hoc loco desinit* 4*. f) Nervorum 2. g) arripuit 2. h) excusaret 2. i) punitus 4. invitis 1. k) *ita* 2. 4.

86) Hannoniam. 87) Marchantius tradit eum apud Argentinam captum et percussum esse.

reprehensioni simul et irrisioni exposui. Etenim stultus dum non loquitur, plerumque sapiens esse creditur. Silentium namque eius non tam putatur sensus inopia quam humilitatis custodia. Unde et ego si omnino siluissem, sapiens quidem putari potuissem, sed non eo amplius sapiens fuissem. Nunc autem, quia impericiam meam scribendo prodidi, sapientes, in quorum manus hec forte pervenerint, indignabuntur mihi, et alii quidem calumpniabuntur insipientem, alii idiotam subsannabunt, alii deridebunt[a] presumptorem, nonnulli quoque stultum merito inclamabunt. Quid ergo erit, pater sancte, quod me tanta rerum evidentia convictum poterit excusare? Possum equidem obedientie vestra mihi auctoritate imposite non incongruam causam obtendere, sed commodius arbitror calumpnias huiusmodi, etiamsi quomodo possem, nec[b] evadere, quam insipientiam meam pertinaciter excusando, tanto meorum cumulo peccatorum etiam addere fallaciam fructumque mihi humilitatis adimere, et in fastum me vanitatis inaniter extollere. Utilius est enim mihi[c], ut sciar insipiens, quod sum, quam ut estimer sapiens, quod non sum. Illud namque non infructuosum humili timorem, istud vero ruinosum superbo parere poterit, quod absit, tumorem. Quem cum omnibus aliis viciorum sordibus propitius a me dignetur avertere, qui omnem omnino superbiam sua dampnavit humilitate. Amen.

Explicit libellus a domno Waltero venerabili Morinensis ecclesie archidiacono editus de vita et interfectione gloriosi comitis Flandrie Karoli, et de vindicta in interfectores eius iusto Dei iudicio terribiliter exerta[d].

PASSIO[88] KAROLI COMITIS AUCTORE GALBERTO.

PROLOGUS.

Cum inter regnorum principes, quos circa nos cognovimus, summum gloriae ac laudis sibi adscribendi studium per militiae facinora enituisset, et eisdem affectus consimilis ad bene regendum inesset, minoris potentiae et famae principabatur imperator Romanorum Heinricus[89], qui, cum annos plures sedisset, sine herede diem obiit; minoris quoque famae 1125. Mai. 13.
ac virium rex Anglorum[90] sine liberis[91] degebat in regno, quam comes Karolus Flandriarum marchio, naturalis noster dominus et princeps, qui, quod militiae fama et generis nobilitatus regio sanguine, septennis[92] in comitatu pater et advocatus ecclesiarum Dei preerat, erga pauperes largus, inter proceres suos iucundus et honestus, adversus hostes crudelis et cautus, qui etiam sine herede a suis, imo nefandissimis servis, traditus et occisus, pro iustitia occubuit. Tanti quidem principis mortem descripturus, non elaboravi eloquentiae ornatum seu diversorum colorum distinguere modos, sed rerum veritatem solummodo exequi, quae quamquam stilo arido tamen memoriae fidelium scribendo commendavi peregrinum mortis ipsius eventum. Neque equidem locum et temporis oportunitatem cum animum in hoc opere intenderem habebam, quandoquidem noster locus eodem tempore solicitabatur metu et angustia, adeo ut sine aliorum exceptione tam clerus quam populus indifferenti periclitabatur occasu et rerum suarum et vitae. Igitur inter tot adversa et angustissimos locorum fines, cepi mentem fluctuantem et quasi in Euripo iactatam compescere, et iuxta scribendi modum cohibere. In qua animi mei exactione una caritatis scintillula suo igne fota et exercitata omnes virtutes spirituales cordis funditus ignivit, et subsequenter hominem meum quem a foris timor possederat scribendi quadam libertate donavit. Super hoc igitur mentis studio, quod in tam arcto positus, vestro[93] et omnium fidelium auditui in communi commendavi, si quis quicquam obgarrire et detrahere contendat, non multum curo. Securum enim me facit, quod veritatem omnibus apertam qui mecum eodem percellebantur periculo loquor, et eam posteris nostris memorandam commendo. Rogo ergo et moneo, si cui huius stili ariditas et huius opusculi exiguus manipulus ad manus venerit,

a) *ita* 1. indicabunt *rell.* b) non 2. 4. c) *deest* 1. d) *ita* 1. 1**. *In hoc adduntur haec verba:* Amen. Interfectus est venerabilis comes Karolus anno verbi incarnati M. C. XXVII. indictione quinta, VI. Nonas Martii.

88) Cf. c. 14. 89) quintus. 90) Henricus I. rex Angliae, obiit 1. Dec. 1135. 91) sine herede virili, minime sine liberis; praeter Mathildam genuinam filiam, Heinrici V. imperatoris uxorem, haud paucos habebat filios filiasque spurios. 92) Fere novem menses supra septennium Karolus in comitatu Flandriae regnavit. LANGEB. 93) Videtur auctor cives Brugenses alloqui. ACT. SS.

non derideat et contempnat, sed nova admiratione quae scripta sunt et Dei ordinatione
congesta nostro solummodo tempore admiretur, et discat potestates terrenas non despicere
vel morti tradere, quas credendum est Deo ordinante nobis esse prepositas, unde aposto-
I Petr 2,13. lus: *Omnis anima omni potestati subiecta sit, sive regi tamquam precellenti sive ducibus tam-
quam a Deo missis. Tamquam* enim non est similativum, sed confirmativum; *tamquam* vero
dicitur in scriptura sancta pro eo quod vere est, sicut est ibi *tamquam sponsus,* hoc est vere
sponsus. Non quidem promeruerant homicidae et potatores et scortatores et omnium vitio-
rum servi nostrae terrae, ut preesset eis bonus princeps, religiosus et potens, catholicus,
post Deum pauperum sustentator, ecclesiarum Dei advocatus, patriae defensor, et talis in
quo terreni imperii reliqua potestas bene regendi formam et Deo serviendi materiam assu-
meret. Videns ergo diabolus ecclesiae et fidei christianae profectum, sicut subsequenter
audituri estis, commovit terrae hoc est ecclesiae Dei stabilitatem, et conturbavit eam dolis,
traditionibus et effusione innocentium sanguinis.

1. Karolus itaque filius Cnutionis regis Datiae et matre oriundus, quae terrae Flan-
drensis comitum de sanguine processerat, ea affinitate cognationis a puero in patria nostra
altus est usque ad virile robur corporis et animi. Postquam vero militiae titulis armatus
est, egregium facinus in hostes arripuit, famam bonam et gloriam sui nominis penes regno-
rum potentes obtinuit. Quem quidem per plures annos in principem peroptaverant proce-
res nostri, si forte sic evenire potuisset. Igitur comes Balduinus adolescens fortissimus
1119. moriendo nepoti suo Karolo regnum simul et principibus contradidit et sub fidei securitate
commendavit. Cepit utique maioris consilii prudentia pius comes de pacis reformatione
disponere, leges et iura regni revocare, ita ut, paullatim pacis statu undecumque collecto,
1123. in quarto sui comitatus anno per illum omnia florerent, omnia riderent, omnia iustitiae et
pacis securitate et multiplici iucunditate fruerentur. Tandem videns gratiam pacis omnibus
iucundam, indixit per terminos regni, ut sub quiete et securitate absque armorum usu
communiter degerent, quicumque aut in foro aut infra castra manerent et conversarentur,
alioquin ipsis plecterentur armis quae ferrent. Sub hac ergo observantia arcus et sagittae
94 et subsequenter omnia arma postposita sunt in forinsecis locis sicut et in pacificis[94]. Qua
pacis gratia legibus et iustitiis sese regebant homines, omnia ingeniorum et studiorum
argumenta ad placita componentes, ut in virtute et eloquentia rhetorices unusquisque se
defensaret, cum impetitus fuisset vel cum hostem impeteret, qua colorum varietate oratorie
fucatum deciperet. Tunc vero habuit rhetorica sua exercitia et per industriam et per natu-
ram; erant enim multi illiterati, quibus natura ipsa eloquentiae modos et rationabiles pre-
stiterat coniecturandi et argumentandi vias, quibus nullatenus illi qui disciplinati erant et
docti artem rhetoricam obviare vel avertere poterant. Sed quia iterum suis fallaciis minus
cautis fideles et oves Christi in placitis illi convenerunt, Deus qui omnia ab alto speculatur,
corripere fallaces suos non despexit, ut, quibus eloquentiae bonum prestiterat ad salutem,
ipsis per flagella insinuaret, quia eo bono usi sunt ad propriam perditionem.

2. Inmisit ergo Dominus flagella famis et postmodum mortalitatis omnibus, qui in
regno degebant nostro, sed prius terrore signorum revocare dignabatur ad penitendum,
1124. quos pronos previderat ad malum. Anno ab incarnatione Domini 1124. in Augusto mense
Aug 11 universis terrarum inhabitatoribus in corpore solari circa nonam horam diei apparuit eclip-
95 sis[95], et luminis non naturalis defectus, ita ut solis orbis orientalis obfuscatus paullatim
reliquis partibus ingereret nebulas alienas, non simul tamen totum solem obfuscantes, sed
in parte, et tamen eadem nebula totum pererravit solis circulum, pertransiens ab oriente
usque ad occidentem tantummodo in circulo solaris essentiae, unde qui statum pacis et
placitorum iniurias notabant, futurae famis et mortis periculum minabantur universis.
Cumque neque sic correcti sunt homines, tam domini quam servi, venit repentinae famis
Ps 104,16. inedia, et subsequenter mortalitatis irruerunt flagella. Unde in psalmo: *Et vocavit famem
super terram, et omne firmamentum panis concurrit.* Qua tempestate non poterat solito more
sese quisque cibo et potu sustentare, sed contra morem tantum panis insumpsit epulator
semel in prandio, quantum ante hoc tempus famis in diversis diebus sumere consueverat,
96 atque sic per insolentiam est gurgitatus[96], et omnes naturales receptaculorum meatus

94) Loca pacifica igitur opposita sunt forinsecis, quae extra muros sita hostibus aggrediendi occasionem praebebant meliorem quam illa quae civitatis muris erant munita. 95) *L'Art de vérifier les Dates I,* 47. 96) i. q. ingurgitatus.

distenti nimietate repletionis cibi et potus, natura languebat. Cruditate quoque et indige- 1124. stione tabescebant homines, et adhuc fame laborabant, donec spiritum exhalarent ultimum. Multi quoque inflati sunt, quibus cibus et potus fastidiebat, quibus tamen utique abundabant. Quo tempore famis, in media quadragesima, etiam homines terrae nostrae, circa Gandavum 1125. et Legionem[97] et Scaldum fluvios commorantes, carnes comederunt, eo quod panis eis Mart 4 prorsus defecisset. Quidam vero ipso itinere cum transitum facerent ad civitates et castra, in quibus panem sibi compararent, nondum semiperfecto transitu suffocati, fame perierunt; circa villas et curtes divitum et castra seu munitiones pauperes cum ad elemosinas misero gressu devoluti venissent, mendicando mortui sunt. Mirabile dictu, nulli in terra nostra manserat naturalis color, sed talis pallor affinis et proprius mortis inerat universis. Languebant similiter sani et aegri, quia, qui sanus erat in compositione corporis, aeger effectus est, visa miseria morientis.

3. Neque sic quidem correcti sunt impii, qui eodem tempore, sicut aiunt, in piissimi comitis Karoli mortem conspiraverant. At comes egregius satagebat omnibus modis pauperes sustentare, elemosinas largiri in castris et in locis suis, et presens ipse et per ministros suos. Eadem tempestate 100 pauperes in Brugis omni die sustentabat, singulis illorum unum panem admodum grandem tribuens ab ante quadragesimam praedictam usque in novas eiusdem anni messes. Similiter in aliis castris suis idem disposuerat. Eodem anno edixerat dominus comes, quod, quicumque duas mensuras[98] terrae seminarent tem- 98 pore sementis, alteram mensuram terrae seminarent faba et pisa, eo quod hoc genus leguminis citius et tempestivius fructum proferret, unde pauperes citius sustentari potuissent, si famis miseria atque inedia eo anno non cessaret. Similiter per omnem comitatum suum preceperat, per hoc in futuro consulens pauperibus quantum poterat. Illos etiam ex Gandavo turpiter redarguit, qui passi sunt ante ostium domus suae mori pauperes fame, quos pavisse poterant. Cervisiam quoque interdixit confici, ut eo levius et melius abundarent pauperes, si a cervisia conficienda cessarent tempore famis cives et incolae terrae. Nam ex avena panes fieri iussit, ut saltem in pane et aqua vitam continuarent pauperes. Vini quartam sex pro nummis vendi precepit, et non carius, ideo ut cessarent negotiatores ab abundantia et emptione vini, et merces suas commutarent pro necessitate famis pro victualibus aliis, quibus levius abundarent et facilius pauperes sustentarent. A propria mensa sibi quidem subtraxit cotidie victum, unde centum pauperes et tredecim sustentabantur. Indumenta insuper nova, scilicet camisiam, tunicam, pelles, cappam, braccas, caligas, subtulares[99] a principio illius quadragesimae et devoti ieiunii sui, in quo statim traditus in Domino obdormivit, cotidie uni[1] pauperum erogavit, usque ad diem quem obiit in Christo; atque dispensatione tali et misericordi erogatione in pauperes peracta, sic ibat ad ecclesiam, ubi in oratione decumbens psallebat Deo psalmos, ibique audito ex more sacro denarios pauperibus distribuit, sic Domino prostratus.

4. Cumque in comitatu suo Flandriarum marchio Karolus pacis et gloriae decore de- Mai. 23 geret, Heinricus imperator Romanus diem obiit, et desolatum est regnum imperii illius et sine herede exheredatum. Igitur sapientiores in clero et populo regni Romanorum et Teutonicorum satagebant omnibus modis, quem sibi ad imperium regni providerent virum nobilem tam genere quam moribus. Igitur circumspectis terrarum et regnorum principibus, considerate inierunt consilium, quatenus illi sapientiores et potentiores in regno legatos idoneos, scilicet cancellarium archiepiscopi Coloniensis[2] civitatis, et cum eo comitem Godefridum[3] sollempniter transmitterent ad consulem Flandriarum Karolum Pium[4], ex parte 4 totius cleri et ex parte totius populi regni et imperii Teutonicorum, expostulantes et obsecrantes potentiam et pietatem ipsius, ut imperii honores et dignitates regias cum suis facultatibus pro sola caritate assumeret. Omnes enim meliores tam in clero quam in populo eligendum sibi eum iustissimo desiderio expectabant, ut si Deo donante ad ipsos dignaretur adscendere, coronatione et imperii exaltatione unanimiter sublimarent, ac regem illum lege predecessorum catholicorum imperatorum constituerent. Cumque legationem et expostulationem audisset Karolus comes, consilium cum nobilibus et paribus suae terrae subiit, quid super hoc ageret. At illi, qui ipsum iusto amore et dilectionis virtute dilexerant

97) Legia, *Lys.* 98) *arpent.* 99) alias sotulares, subtalares, *calcei.* 1) quinque pauperibus vult Gualterus c. 25. 2) Friderici. 3) Quem fuisse Namucensem comitem, fratrem S. Alberti episcopi Leodiensis, coniiciunt editores in Act. SS. 4) Quod unus confirmat Otto Frising. VII, 17.

1125. et ut patrem venerabantur, ceperunt dolere et discessum eius deflere, et ruinam patriae gravem fore, si forte eam desereret. Tandem illi traditores pessimi qui vitae ipsius inimicabantur consuluerunt ei, ut regnum et eius honores preriperet inter Teutonicos, persuadentes ei quantae gloriae et quantae famae sibi foret regem Romanorum esse. Laborabant miseri illi qua astutia, quibus dolis carerent eo quem postmodum, dum amovere non poterant, viventem tradiderunt, pro lege Dei et hominum cum ipsis decertantem. Remansit itaque in comitatu suo Karolus comes pro expostulatione suorum dilectorum, pacem et salutem patriae, quantum in se erat, omnibus demandans et constituens, catholicus, bonus, religiosus, cultor Dei hominumque rector providus. Qui cum secularis militiae facinora acturus foret, non habebat hostes circa terram suam, sive in marchiis sive in confiniis et terminis suis, quia timebant eum, aut pacis et dilectionis foedere coniuncti, potius munera et donaria in invicem transmiserant; sed certamina militiae secularis pro honore terrae suae et pro exercitio militum suorum apud aliquem comitum vel principum Normanniae vel Franciae, aliquando vero ultra regnum Franciae, arripuit, illicque cum 200 equitibus tornationes exercuit, qua in re famam suam et comitatus sui potentiam ac gloriam sublimavit. Quicquid ergo levitatis huius culpa deliquit, elemosinarum multiplici redemptione apud Deum emendavit.

1123. 5. Huius quoque vitae tempore contigit regem Hierosolymorum[5] in captivitatem Saracenorum cucurrisse, et desolata sedebat civitas Hierusalem absque rege suo, quem, sicut didicimus, christiani nominis milites qui militiae christianae ibidem studuerant odio habebant, eo quod tenax et parcus fuisset rex ille captus, nec bene rexisset populum Dei. Inierunt ergo consilium et communi consensu litteras direxerunt comiti Karolo, ut adscendens Hierosolymam, regnum Iudeae assumeret, et in loco et in sancta civitate imperii catholici coronam dignitatemque regiam possideret. Noluit igitur, super hoc accepto fidelium suorum consilio, deserere patriam Flandriarum, quam vita comite bene recturus foret, et satis melius quam adhuc rexisset, nisi traditores illi pessimi, pleni demonio, dominum et patrem plenum spiritu pietatis et consilii et fortitudinis enecassent. Proh dolor! quod tantum virum ab ecclesia Dei tollerent, de quo regem ecclesiae et populus orientalis imperii et Hierosolymorum civitas sancta simul cum populo christianorum peroptaverat et disposuerat simulque expostulaverat constituere.

6. Deficiunt quidem mihi vires animae et eius memoria simulque maior vis in anima, scilicet ratio ad laudandum bonum consulem Karolum, cuius meritis impares omnes estis vos terrarum principes, minus potentes, imperiti, indiscreti, incompositi moribus. Nam talis erat comes Karolus in fine vitae apud religiosos filios ecclesiae, qualis in meritis suis precellebat rectores et plures philosophos fidei christianae, et quamvis olim peccator et criminosus fuerit, in fine vitae bonae ex penitentiae fructu omnia cooperabantur ei in bonum et salutem animae perpetuam. Unde et ille ait *dicique beatus*

6 *Ante obitum nemo supremaque funera debet*[6].

Rom. 8, 28. Et apostolus: *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* In sacro loco igitur et in sacris orationibus, et in sacra cordis devotione, et in sacro quadragenarii tempore, et in sacra elemosinarum largitione, 7 et ante sacrum altare, et inter sacras reliquias[7] sancti Donatiani archiepiscopi Remorum et beati Basilii magni et sancti Maximi trium mortuorum suscitatoris, canes immundi, demonio pleni, servi dominum suum iugulaverunt. Nemo quippe ita est absurdus, ita hebes, ita stolidus, qui non adiudicaret traditores illos penis infimis et inauditis; qui inaudita traditione dominum suum, ipsi servi qui observasse debuerant, disperdiderunt. Igitur mirandum erat et singulariter memorandum, quod et multos viderimus imperatores, reges, duces ac consulares viros, nullum vidimus vel audivimus adhuc, quem ita deceret fuisse dominum ac patrem, advocatum ecclesiarum Dei, sicut ipsum condecuit. Sciebat enim esse dominus, pater, advocatus, pius, mitis, exorabilis, ad honorem Dei et decorem ecclesiae idoneus, quod vere satis probabile est, quia post mortem tanti viri protestati sunt super ipsius meritis omnes, et amici et inimici, extranei et vicini, nobiles et ignobiles, et cuius-

5) Balduinum II. qui anno 1124 liberatus est et obiit anno 1131. 6) Ovid. Metamorph. III, 136. 137. 7) Servantur etiam nunc reliquiae horum sanctorum Brugis argenteis mausoleis aut capitibus inclusae. S. Donatianus est urbis Brugensis et dioecesis totius patronus, eique templum cathedrale sacratum, et festus illi dies est 7. Oct. ACT. SS.

cumque terrae habitatores, qui saltem egregiam famam de ipso audierant, quanti meriti foret credendus apud Deum et homines, qui propter iustitiam Dei exequendam, et propter salutem eorum quos regebat more christiani rectoris occubuit. Quem homines suae pacis super illum magnificantes supplantationes tradiderunt, ut in psalmo: *Etenim homo pacis* Psal 40,10 *meae, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationes.*

7. Postquam igitur clementia Dei flagella subtraxerat, et molestiam temporis prorsus 1126. remotam frustraverat, cepit suae dignationis copiam terris commodare, et iussit vegetabilitate frugum horrea repleri, vino et ceteris victualiis mundum redundare, et quadam amenitate temporum iussu divino tota terra refloruit. Volens itaque comes pius iterum revocare honestatem regni, perquisivit qui fuissent de pertinentia sua proprii, qui servi, qui liberi in regno. Dum placitorum negotia agebantur, saepe comes presens aderat, audiens de disceptatione libertatis secularis et conditione servorum, scilicet quod in magnis negotiis et generalibus causis liberi responsa non dignabantur reddere servis. Quos quidem comes de pertinentia sua perquirere poterat, sibi vindicare laborabat. Unus prepositus Bertulfus Brugensis, et frater eius [8] castellanus in Brugis cum nepotibus suis Bordsiardo [9], Roberto, 8 Alberto [10] et ceteris de illa cognatione precipuis, elaborabat omni astutia et ingenio, quo- 10 modo a servitute et pertinentia comitis sese absentaret et subterfugeret; nam et ipsi de comitis pertinentia erant conditione servili. Accepto tandem consilio, prepositus ille neptes suas nubiles, quas educaverat in domo sua, militibus liberis in coniugium tradidit, ut quasi occasione illa nubendi ad libertatem secularem quodammodo accederent ipse et sui. Sed contigit, quod miles, qui neptem prepositi duxerat in uxorem, ad singulare bellum alium quemdam in presentia comitis appellaret militem, qui secundum suae cognationis propagationem liber erat; at appellatus indignationis sibi repulsa viliter respondit, scilicet se non fuisse de servili conditione, imo liberae dignitatis, secundum lineas sui generis propagatum, et ob hoc ad bellum singulare non se fore parem appellanti congressurum. Quicumque enim secundum ius comitis ancillam liber in uxorem duxisset, postquam annuatim eam obtinuisset, non erat liber, sed eiusdem conditionis erat effectus cuius et uxor eius. Indoluit ergo miles ille qui propter uxorem suam libertatem amiserat, per quam liberiorem se fore crediderat cum eam accepisset; indoluit ergo prepositus et sui, et ideo enitebantur omnibus modis se subtrahere a servitute comitis. Igitur cum veritatis indicio et seniorum regni relatu comes intellexisset, quod sibi sine cunctatione pertinuissent, conabatur ipsos suae servituti vendicare; et tamen quia prepositus et cognati eius a comitis predecessoribus usque ad hoc tempus de servili conditione non interpellatus nec pulsatus fuit, quasi sopitum et multis temporibus neglectum foret, omnium oblivioni tradebatur, nisi in predicta belli appellatione ad recordationis veritatem revocatum fuisset.

8. Ceterum prepositus cum tota nepotum successione post comitem in regno potentior et fama atque religione gloriosior, se liberum fuisse et cognationis tam antecessores quam successores suos confirmabat, et quadam superstitione et arrogantia sic se contendebat. A comitis igitur mancipatione et pertinentia se et suos subtrahere consilio et potentia laborabat, et ideo saepe improperabat comiti sic: *Iste Karolus de Dacia numquam ad comitatum conscendisset, si ego voluissem. Nunc ergo, cum per me sit comes effectus, non recordatur, quod bene sibi fecerim, imo laborat prorsus me cum toto genere meo retorquere in servum, perquirens a senioribus utrum simus eius servi. Sed querat, quantum velit, nos semper erimus et sumus liberi, et non est homo super terram, qui possit nos constituere servos.* Frustra tamen iactanter loquebatur; nam consul precautus detractionem prepositi et suorum intellexerat, et fraudem simul et traditionem audierat. Quandoquidem defensionis suae effectum habere non poterat prepositus et sui, quin libertate sibi usurpata carerent, maluit ipse cum tota nepotum successione perire quam servitute comitis mancipari. Perverso tandem et nefandi consilii dolo ceperunt de morte piissimi consulis seorsum tractare. et tandem locum et oportunitatem occidendi illum pretendere.

9. Laetus ergo prepositus erat, quod lites et seditiones ortas inter nepotes suos et Thancmarum, cuius parti iustae comes favebat, occasiones haberet tradendi comitem; nam universos milites provinciae nostrae tum pretio tum potentia tum petitione acciverat in

8) Desiderius Hacket. .

9) A Gualtero et aliis Burchardus, ab anonymo Fromoldus cognomento Borchardus appellatur. LANGEB.

10) Albertus et Robertus in anonymi vita S. Karoli c. 2. dicuntur filii Roberti castellani, ergo Borsiardi patrueles. LANGEB. Cf. infra c. 72

1126. auxilium nepotum suorum contra Thancmarum. Quem quidem obsedit circumquaque in loco, quo se vallaverat, et tandem collecta manu invasit validissime obsessos, et claustra portarum confringens, detruncavit pomeria et sepes inimicorum suorum. Absens tamen et quasi nihil fecisset consilio et dolo omnia fecit, omnem benevolentiam a foris pretendebat, et inimicis dicebat sese dolere, quod nepotes sui tot lites, tot homicidia peragerent, quos quidem ad omnia nefaria animaverat. In congressione ergo predicta utrimque ceciderunt eo die plurimi vulnerati et mortui. Quod cum intellexisset prepositus, quod iam congressio fieret, ipsemet descendit ad carpentarios, qui in claustro fratrum operabantur, et iussit ferramenta eorum, scilicet secures, illuc deferri, quibus detruncarent turrem et pomeria et domos inimicorum suorum. Misit ergo per singulas domos in suburbio ad colligendas secures, quae illic citissime delatae sunt. Cumque in nocte redissent nepotes eius cum 500 militibus armigeris et peditibus infinitis, induxit eos in claustrum et fratrum refectorium, in quo refecit universos diverso ciborum et potuum apparatu, et super hoc laetus et gloriosus erat. Cumque assidue sic affligeret inimicos et maximam in eis expensam faceret, qui nepotes suos iuvarent, ceperunt primo armigeri, postea milites depredari rusticos, adeo ut pecudes et armenta villicorum raperent et devorarent. Quicquid in suum usum possederant rustici, hoc nepotes prepositi violenter rapiebant et suorum sumptui deputabant. Sed a principio regni nullus comitum perpessus est rapinam fieri in regno, eo quod maxima mors et pugna inde contigisset.

10. Audierunt ergo rustici comitem venisse apud Ipram, ad quem nocte et clanculo usque ad 200 transierunt, pedibusque ipsius convoluti, obsecrantes paternum et consuetum ab eo auxilium, ut res ipsorum reddi iuberet, scilicet pecudes et armenta, vestes et argentum, insuper omnem ceteram suppellectilem domuum suarum, quae omnia rapuissent nepotes prepositi, et illi qui in expeditionem illius obsidionis cum illis et nocte et die
1127. pugnassent. Quas proclamorum conquestiones comes graviter ferens, convocavit consilia-
Febr. 27. tores suos et plures etiam qui de cognatione prepositi fuere, perquirens ab eis qua vindicta et quo rigore iustitiae hoc facinus iustificaret. At illi consilium dederunt, ut sine dilatione domum Borsiardi incendio destrueret, eo quod rapinam in rusticos comitis exercuisset, atque ideo maxime consiliati sunt domum prefatam destrui, quae quam diu staret tam diu lites et rapinas Borsiardus insuper et homicidia perageret, et sic viciniam prorsus vastaret.
Febr. 28. Descendit ergo super hoc consultus consul, et incendit domum et funditus mansionem eius destruxit. Tunc ille Borsiardus et prepositus et ipsorum complices ultra modum indoluerunt, tum quia comes in hoc facto videbatur consensum et auxilium prestitisse inimicis eorum, tum quia comes cotidie ipsos de servili conditione pulsaret, et ad sibi mancipandos
Mart. 1. omni modo laboraret. Sicque domo conflagrata, comes Brugas adscendit. Concessa igitur domo cum consedisset, venerunt ad eum qui familiares erant ei, et precautum reddiderunt dicentes, quod nepotes prepositi eum traderent, eo quod iam occasionem aptam pretenderent a conflagratione domus prefatae, quamquam, etsi hoc non fecisset comes, non minus tamen ab illis traderetur. Postquam vero comes cenaverat, adscenderunt coram eo intercessores[11] ex parte prepositi et nepotum ipsius, qui exorarent comitem, ut indignationem suam ab eis averteret, et sub amicitia sua miseratus eos reciperet. At consul omnia iusta se cum illis acturum et misericorditer etiam respondit, si lites et rapinas postponere deinceps voluissent, et meliorem domum insuper restituere Borsiardo se debere promisit. In loco tamen in quo domus combusta est iurabat se comitatum obtinente amplius Borsiardum nullam possessionem obtenturum, eo quod usque tunc iuxta Tancmarum manens, numquam nisi lites et seditiones in hostes et in cives cum rapina et cede ageret. Qui vero intercessores fuere, partim conscii traditionis, non multum super reconciliandis vexabant comitem, et quando propinatum ibant ministri, rogabant comitem ut de vino meliore afferre iuberet. Quod cum ebibissent, sicut potores solent, rogabant semel sibi propinari et abundanter adhuc, ut posteriore licentia et ultima a consule accepta, quasi dormitum abirent; et iussu comitis abundanter propinatum est omnibus illis qui aderant, donec accepta licentia ultima ipsi abissent.

11. Igitur Isaac et Borsiardus et Willelmus ex Werui, Ingrannus et eorum complices, accepto assensu a preposito, quod nec necessitate divinae ordinationis per liberam voluntatem quidem facturi erant, accelerabant. Nam statim hi qui mediatores et intercessores

11) Guido de Steinfordo.

1127. Mart. 1.

erant inter comitem et nepotes prepositi, concessa domo eiusdem prepositi denunciaverunt responsum comitis, scilicet quód nullam gratiam potuissent acquirere aut nepotibus aut eorum fautoribus predictis, sed hoc solum cum eis ageret, quod iustitiae districtione censura primatum terrae constituisset. Tunc prepositus et sui nepotes intro cameram abeuntes, accitis quos voluissent, custodiente ipso preposito camerae ianuam, dederunt dexteras in invicem, ut traderent consulem, et ad hoc facinus advocaverunt Robertum Puerum[12], convenientes illum, ut daret dexteram, id idem simul cum ipsis peracturus, quod et ipsi peractum irent, pro quo et dexteras in invicem contradidissent. At Puer nobilis animi virtute precautus animadvertebat grave fore, pro quo ipsum urgerent, restitit nolens ignoranter in taxationem illorum subduci, nisi presciret quid rerum acturos sese confirmassent, et cum adhuc cogerent illum, subtrahens se exire ianuam festinabat. Sed Isaac et Willelmus et ceteri proclamabant preposito qui tunc ianitor erat, ne Robertum exire permitteret, donec iussu ipsius coactus quod ab eo postulassent perageret. Statim prepositi blanditiis et minis iuvenis circumventus, rediit et dedit sub eorum conditione dexteram, ignarus quidem quid cum illis acturus foret, et statim confirmatus cum traditoribus requisivit quid fecisset. At illi: *Comes iste Karolus laborat omnibus modis ad destructionem nostram, et ut in servos sibi nos vindicet festinat, cuius traditionem iam coniuravimus, et debes amodo nobiscum eandem traditionem tam consilio quam opere peragere.* Igitur territus Puer et totus in lacrimas fusus ait: *Absit a nobis, ut dominum nostrum tradamus et patriae consulem. Imo revera, si non desistitis, ego vadam et aperte traditionem vestram comiti et universis eloquar, nec super hoc pacto consilium vel auxilium, volente Deo, umquam prestabo.* At illum fugientem ab eis violenter retinuerunt dicentes: *Audi, amice, quasi serio facturi essemus prefatam traditionem iam eam intimavimus, ut per hoc probaremus utrum in aliquo gravi facto nobiscum velis permanere; et quidem aliud quiddam quod adhuc tibi celavimus, causa cuius obligatus es nobis fide et taxatione, quod in futuro dicemus.* Et quasi in risum versi, dissimulabant traditionem. Descendit utique in locum suum unusquisque illorum, exeuntes a camera. Isaac cum tandem domum venisset, quasi dormitum ibat — expectabat enim silentium noctis — et mox conscenso equo rediit in castrum, descendens in hospitium Borsiardi et evocans eum ceterosque quos voluit, seorsum descenderunt in aliud hospitium, scilicet Walteri militis. Et cum introissent, ignem prorsus qui in domo erat extinxerunt, ne forte per ignem accensum innotesceret expergefactis in domo qui essent, et quid negotii contra morem illa noctis tempestate agerent. Securi igitur in tenebris consiliabantur traditionem fieri statim in mane, eligentes de familia Borsiardi animosiores et audaces ad hoc facinus, et spondebant eis divitias multas. Militibus vero qui interficerent comitem marcas quatuor[13], et servientibus qui idem agerent marcas duas obtulerunt, et confirmaverunt sese nequissima rerum taxatione. Reversus est itaque Isaac in domum suum circa crepusculum diei, postquam suo consilio ceteros animaverat et promptos ordinaverat in tantum scelus.

Mart. 2.

12. Igitur cum dies obvenisset obscura valde et nebulosa, ita ut hastae longitudine nullus a se discernere posset rem aliquam, clanculo servos aliquot misit Borsiardus in curtem comitis, precavere exitum eius in ecclesiam. Surrexerat quidem comes multo mane et distribuerat pauperibus, sicut consueverat, in propria domo, et sic ad ecclesiam ibat. Sed sicut referebant capellani eius, nocte, cum in lectum se composuisset ad dormiendum, quadam vigilantiae sollicitudine laborabat, mente quidem confusa et turbata, ita ut multiplici rerum meditatione pulsatus, modo in altero cubans latere modo residens in stratu totus languidus sibi ipsi videretur. Cumque in itinere versus ecclesiam beati Donatiani processisset, servi qui eius exitum precavebant recurrentes, denuntiaverunt traditoribus consulem in solarium[14] ecclesiae conscendisse cum paucis. Tunc ille furibundus Borsiardus et milites et servientes eius, simul acceptis gladiis nudis sub palliis, persequebantur comitem in eodem solario, dividentes se in duas partes, ita ut ex utraque via solarii nullus

12) Erat filius Roberti castellani, fratris Bertulfi praepositi ex secunda coniuge, hinc respectu seniorum fratrum Puer sive Infans cognominatus. LANGEB.

13) Quomodo marca debeat aestimari, non facile statui potest. Matthaeus Paris. ad a. 1235 asserit, computari quamlibet marcam 13 solidis et 4 sterlingis. ACT SS.

14) Apud Gualterum cap. 25: *superior pars ecclesiae.* Guizot in versione Gallica Collect. de mem. VIII, 237. in annotatione fusius de notione verbi *solarium* disserit deque situ loci illius in ecclesia S. Donatiani. Dicit fuisse solarium *une tribune placée au fond du choeur et où l'on assiste aux offices de l'église.* Delepierre et Perneel verterunt *galerie.*

1127. Mart. 2. eorum aufugeret quos tradere voluissent, et ecce! comitem prostratum suo more iuxta altare in humili scabello viderunt, ubi Deo psalmos decantabat, et orationes devotus simul et pauperibus denarios erogabat. Et sciendum quam nobilem virum et egregium consularem tradiderunt servi impiissimi et inhumani. Meliores et potentiores, qui a principio sanctae ecclesiae sive in Francia sive in Flandria sive in Datia sive tandem sub Romano imperio floruissent, progenitores eius fuerunt, de quorum traduce comes pius nostro tempore concretus et in virum perfectum a puero educatus, numquam paternos et regios excessit nobiles mores et naturales vitae honestates. Cumque ante comitatum multa insignia et egregia fecisset, arripuit sanctae peregrinationis viam Hierosolymorum, atque maris profunda transnavigando, tandem post multa pericula et vulnera pro amore Christi saepe perpessa, voto peroptato et laetissimo in Hierusalem adscendit, ubi etiam contra hostes christianae fidei strenue dimicavit, et sic veneranter adorato Domini sepulchro repatriavit. In qua peregrinationis necessitate et angustia didicit pius Domini vernaculus, sicut in comitatu sedens saepe retulit, quanta egestate pauperes laborarent, qua superbia divites extollerentur, et tandem quota totus mundus miseria concuteretur. Unde condescendere solebat egentibus, et fortis fieri in adversis, non elevari in prosperis, et sicut psalmista docet:
Psal. 98, 4. *Honor regentis iudicium diligit*, iudicio principum et virorum prudentum comitatum regebat. Cumque tam gloriosi principis martirium vita suscepisset, terrarum universi habitatores infamia traditionis ipsius perculsi, nimis indoluerunt, et mirabile dictu, occiso consule in castro Burgensi, in mane unius diei, scilicet feriae quartae, fama impiae mortis eius in
Mart. 4. Londonia civitate, quae est in Anglia terra, secundo die postea circa primam diei perculit
15 cives[15], et circa vesperam eiusdem secundae diei Laudunenses turbavit, qui in Francia a nobis longe remoti sunt; sicut didicimus per scholares nostros, qui eodem tempore Lauduni studuerunt, sic etiam per negotiatores nostros intelleximus, qui eodem die Londoniae mercaturae intenti fuere. Intervalla ergo vel temporum vel locorum predictorum nec equo nec navigio quisquam transiisse tam velociter poterat.

13. Ad hoc quoque traditionis facinus peragendum dispensatum est a Deo, ut audaces et presumptuosi de sanguine predecessorum prepositi Bertulfi relinquerentur, ceteris morte preventis, qui potentes in patria, dum viverent, fuerunt personae graves et divitiis affluebant, sed predictus prepositus in clero severitate gravissima degebat et non modice superbus. Nam sui moris erat, cum in presentiam eius aliquis accessisset quem optime novisset, ut, superbia animi sui dissimulante, ex indignatione iuxta se sedentes interrogaret quisnam esset, at tunc primum si placuisset ei accitum salutaret. Cum vero alicui prebendulam vendidisset canonicam, nulla electione canonica imo violenter illi investituram dedit; non enim aliquis canonicorum suorum audebat vel tacite ipsum redarguere vel aperte. In predicto fratrum loco ecclesiae beati Donatiani canonici valde religiosi et perfecte litterati olim, scilicet in principio prepositurae huius arrogantissimi prelati, fuerunt, qui eius superbiam reprimentes, consilio et doctrina catholica constrictum tenebant, ne quid inhonestum in ecclesia presumeret. Postquam vero in Domino obdormierunt, relictus sibi ille prepositus ad quicquid sibi videbatur, et quo eum impetus arrogantiae impulit, ferebatur. Siquidem cum esset caput sui generis, nepotes suos admodum enutritos et tandem militia precinctos omnibus in patria preferre studuit, et ut fama eorundem ubicumque innotesceret laboravit, unde ad lites et seditiones cognatos suos armavit, hostes eis quos impugnarent opposuit, ut sic fama per universos volaret, scilicet quantae potentiae ac virium ipse et nepotes eius fuissent, cui nullus in regno resisteret vel prevaleret. Tandem de servorum conditione pulsatus in presentia comitis, et simul a comite ad hoc elaborante, ut probaret eum cum tota successione servum fuisse, sugillatus, sicut predictum est, satagebat, qua fuga et qua astutia sese servituti opponeret, et qua virtute libertatem usurpatam

15) Num tam cito in Angliam et Londoniam fama mortis Karoli penetrare potuerit, non omni dubio caret. Constat autem, hanc famam Henricum regem Angliae haud parum turbasse, ut auctor est Henricus Huntind. edit. Savil. fol. 219 his verbis: *Anno sequenti* (1127 rex Henricus) *in quadragesima et pascha fuit apud Wodestoc, ubi nuntius dixit ei: „Carolus comes Flandrensis, tibi dilectissimus, nefanda proditione occisus est a proceribus suis in templo apud Brige; rex autem Francorum dedit Flandriam Willielmo nepoti et hosti tuo, qui iam valde roboratus, diversis cruciatibus omnes proditores Caroli multavit". Super his igitur rex anxiatus, concilium tenuit ad rogationes apud Londoniam.* Conf. Matth. Paris. pag. 70. LANGEB.

conservaret. Et cum aliter obstinatus non posset, traditionem, quam diu detrectaverat, tam 1127. inter suos quam inter regni pares nefando exitu consummavit per se et per suos.

14. Sed piissimus Deus iterum suos revocare dignatus est per terrorem signorum; nam circa viciniam nostram in fossatis aquae cruentae apparuerunt in signum futurae cedis, per quod a suo scelere evocari poterant, si indurato cordis zelo non conspirassent in tradendo comitem. Insuper saepius conferebant, si comitem interficerent, quis eum vindicaret, et quamvis ignorarent quid dicerent, „quis", infinitum nomen, infinitos, et qui sub certo numero non adscriberentur, notavit; quandoquidem rex Franciae cum gravi exercitu, et simul principes terrae nostrae cum infinita multitudine ad vindicandam consulis piissimi mortem convenerunt. Sed adhuc nondum huius fati miseria devoluta est ad finem, quin de die in diem non desinant vindicare prefatam comitis mortem in omnes suspectos et reos et ubicumque profugos et exules. Nos itaque terrae Flandriarum incolae, qui consulis et magni principis mortem deflemus, vitae eius memores obsecramus, monemus et rogamus, ut, audita vera et certa descriptione et vitae et mortis ipsius, quicumque audiveritis, deposcatis animae eius vitae aeternae gloriam et beatitudinem cum sanctis perennem. In hac passionis subscriptione consequenter inveniet lector distinctiones dierum et gestorum, quae in ipsis facta sunt diebus, usque ad vindictam subnotatam in fine opusculi, quam solus Deus exercuit in principes terrae, quos ab hoc seculo mortis districtione exterminavit, quorum consilio et auxilio traditio incepta est et ad finem usque perducta.

15. Anno 1127, 6. Nonas Martii, secundo die scilicet post introitum mensis eiusdem, Mart. 2. preteritis duobus diebus de secunda hebdomade quadragesimae, feria quarta subsequenter lucescente, concurrente quinto, epacta sexta[16], circa mane, dum pius comes Brugis in 16 ecclesia beati Donatiani, Remorum quondam archipresulis, in oratione decumberet ut matutinalem missam audiret, ex pia consuetudine elemosinarum suarum largitiones pauperibus erogabat, fixis oculis ad legendos psalmos et manu dextra porrecta ad largitiones elemosinarum; plures enim denarios capellanus suus, qui hoc procurabat officium, comiti apposuerat, quos in orationis actione pauperibus distribuebat. Primae horae quoque obsequium finitum erat, et de tertia hora responsum finitum, quando *Pater noster* oratum est, quando comes more suo officiose et aperte legendo orabat, tunc tandem post tot consilia et iuramenta et securitates inter se factas, primum in corde homicidae et traditores pessimi comitem devote orantem et elemosinas dantem, divinae maiestati suppliciter prostratum, gladiis confossum et saepius transverberatum, mortuum dimisere; sic sui sanguinis rivulis a peccatis abluto, et in operibus bonis vitae cursu terminato martirum palma Deus comitem donavit. In supremo ergo articulo vitae et mortis accessu vultum dignissime atque regales ad coelum manus inter tot verbera, ictus gladiatorum, quantum potuit, converterat, sicque suum Domino universorum spiritum tradidit, et se ipsum Deo obtulit sacrificium matutinum. Iacebat quidem corpus cruentum tanti viri et principis solum, sine veneratione suorum et debita reverentia servorum. Unde quicumque eventum eius mortis audierunt, miserandum funus lacrimis executi, tantum principem illo martirii fine functum Deo commendaverunt defletum.

16. Occiderunt quoque castellanum ex Brudburch[17], prius ad mortem vulneratum, 17 postea per pedes a solario, in quod conscenderat comes et ipse, viliter detractum in ianuas ecclesiae, foras gladiis dismembrabant. Hic tamen castellanus confessionem peccatorum suorum presbiteris ecclesiae ipsius confessus, corpori et sanguini Christi communicatus est more christiano. Nam statim occiso comite gladiatores illi, relicta comitis gleba et ad mortem castellano isto reducto in solario, excursum fecerunt in hostes illos, qui erant presentes de curia comitis, ut eos vagantes in castro interficerent, sicut vellent. Henricum militem quendam, quem suspectum habebat Borsiardus de morte fratris sui nomine Roberti, fugabant in domum comitis. Qui prostratus est pedibus castellani Haket[18], qui et ipse in 18 eandem domum cum suis conscenderat ad eam obtinendam, suscepitque Henricum et simul

16) Omnes hae notae chronologicae coincidunt in 2. Martii, qui erat dies Mercurii a. 1127, quae ideo annum et diem emortualem beati Karoli comitis verum et indubium faciunt. LANGEB. 17) Theynardum. 18) Desiderius Haket, castellanus Brugensis, erat frater Bertulfi praepositi. Anonymus cap. 2 vocat eum Disdir cognomento Haketh. Diplomati Karoli comitis de ann. 1119 subscripsit Desiderius Haket castellanus; vid. Miraei Opp. dipl. I, 679, Sammarthani Gall. Christ. T. V. instrum. p. 356. LANGEB.

1127. Mart. 2. cum eo fratrem Walteri ex Locris, et ab invadentibus illos vitae conservavit. Ipso momento proditi sunt iisdem gladiatoribus duo filii castellani ex Brudburch, interim in solario ecclesiae peccata sua confitentes, quorum scilicet filiorum militia bene apud omnes et simul eorum conversatio commendabatur. Walterus et Giselbertus dicti sunt, fratres genere, militia pares, elegantioris formae nobilitate, digni ut ab omnibus amarentur qui eos agnovissent. Qui mox, audita cede in comitem et patrem, suffugere satagebant; sed illos apud
19 Harenas[19] in exitu suburbii persequebantur equo excurrentes post illos traditores pessimi. Quorum alterum fratrem Eric nomine nefarius miles, unus quidem illorum qui comitem tradiderant, ab equo quo insidens fugeret deiecit, et deiectum simul cum persecutoribus interfecit. Alterum quoque fratrem in ostio hospitii sui in fugam prosilientem, ex opposito ei occursitantes gladiis traiecerunt. Quem unus civium nostrorum nomine Lambertus Benkin[a, 20] cadentem securi sua quasi lignum aliquod detruncavit; sicque illos fratres occisos beatitudini sanctae, quae in supercoelesti vita est, transmiserunt. Ceterum Riquardum
21 ex Woldman[21], illius oppidi virum potentem — cuius filiam nepos duxerat Thancmari, contra quem lites et seditiones hactenus prepositus et nepotes eius exercitaverant — per leugam unam persequebantur fugientem, qui cum suis militibus ad comitis curiam ascenderat, sicut plures principum qui eodem die sese preparabant ad curiam ituros. In qua persecutione frustrati proditores, redierunt usque in castrum, in quod clerus et populus loci nostri confluxerant, et attoniti quidem pro eventu rerum vagabantur. Qui vero in comitis amicitia prius, scilicet dum viveret, constiterant, timebant procul dubio, et ad horam latitantes ab aspectu illorum traditorum declinabant; qui vero de curia comitis ab amicitia eius pendebant, in fugam celeriter conversi, interim, dum tumultuabat populus, fugerunt. Gervasius camerarius comitis, quem priorem ad vindicandum domini sui mortem dextera Dei armavit, interim versus Flandrenses cognatos suos equo aufugit. Ioannes quidam serviens comitis, qui cameram observare consueverat, et quem prae servis dilexerat comes, fugit a mane equo currendo per devia usque in meridiem, et eo tempore meridiei pervenit in Ipram, divulgans ibidem mortem comitis et suorum. Quo tempore negotiatores omnium circa Flandriam regnorum ad Ipram confluxerant in cathedra sancti Petri, ubi forum et nundinae universales feriebantur, qui sub pace et tutela piissimi comitis securi negotiabantur. Eodem tempore ex Longobardorum regno mercatores descenderant ad idem forum,
22 apud quos comes argenteam kannam[22] emerat marcis 21, quae miro opere fabricata, suis spectatoribus potum, quem in se continebat, furabatur. In cuius fori confluxu cum fama universos de diversis locis percelleret, accinctis rebus suis et die et nocte fugerunt, secum infamiam nostrae terrae ferentes et ubicumque divulgantes.

17. Planxit ergo illum consulem pacis et honoris omnis homo, quicumque vel famam eius audierat. Sed in castro nostro, in quo occisus iacebat dominus noster et pater piissimus Karolus, nullus audebat aperte deflere eventum mortis eius, quasi ignotum suum inspicientes dominum, et quasi peregrinum suum videntes patrem, dolores et suspiria sine lacrimis reprimebant. Quos tamen dolores tanto gravius intus tolerabant, quanto sibi per lacrimas et eiulatus mederi non audebant. Nam nepotes prepositi et ille sceleratissimus hominum Borsiardus cum complicibus suis statim post fugam inimicorum suorum in castrum reversus, Walterum ex Locris requirebant sui milites et ipse, quem maxime oderant; nam de consilio comitis fuit et nocivus eis in omnibus, qui instigaverat ad hoc comitem, ut in servos sibi subiugaret totam illam cognationem prepositi. At idem Walterus quoque permotus angustia, se in organistro, scilicet in domicilio quodam organorum ecclesiae in eodem solario, quo occisus iacebat consul, occultaverat ab eo tempore quo interficiebatur comes usque ad reversionem nefandorum illorum in castrum, scilicet quando post fugatos hostes suos circa meridiem redierunt. Irruerunt igitur per ianuas intra templum et discursantes nudis gladiis et adhuc cruentis, clamore maximo et armorum fragore circa scrinia et subsellia fratrum ecclesiae requirebant, Walterum ex nomine vociferantes, et invenerunt castellanum ex Brudburch, quem in solario vulneraverant ad mortem, adhuc spirantem. Hunc per pedes abstractum tunc tandem in ianuis ecclesiae occiderunt; cuius annulum

a) *ita videtur legendum; edit.* Berakin.

19) Locus vulgo iam forum diei Veneris appellatur. ACT. SS. 20) Cf. infra c. 36. 21) *Woomen* prope Dixmude. 22) Germanis *Kanne.*

abbatissa ex Auriniaco ab eo in solario, dum spiraret, eo dante, susceperat, quatenus deferret uxori suae in signum suae mortis, et in signum omnium eorum quae per abbatissam demandasset uxori et liberis, quorum mortem ipse nisi post mortem suam ignorabat. Interea per loca et intra et extra ecclesiam requirebatur Walterus ex Locris; unus vero ex custodibus templi occultaverat illum, cui et ipse pallium dimiserat. Sed de loco in quo latuit dum strepitum armorum audiret et se ex nomine vociferatum, angustia mortis confusus, putans in ecclesia melius salvari, excurrit, et deorsum ab alta testudine scholarum saltans, inter medios inimicos fugit usque infra chorum templi, magno et miserando clamore interpellans Deum et sanctos. Quem ad manus persecuti sunt ille miser Borsiardus et Isaac, servus et camerarius simul et homo comitis Karoli, furentes in sacro loco, extractis gladiis et horribiliter cruentatis. Erant quippe valde furibundi et ferocissimi vultus, grandes in statura et torvi, et tales quos sine terrore aspicere nemo poterat. Borsiardus igitur crine capitis arreptum et vibrato gladio se extenderat ad percutiendum, et nullo intervallo differre hoc voluit, eo quod tam optatum hostem in manus teneret. Tamen clericorum interventu distulit eius mortem, donec, sicut ipsum arripuerat, educeret ab ecclesia. At ille captivus et mortis securus ibat clamitans: *Miserere mei Deus.* Cui illi responderunt: *Talem tibi rependere debemus misericordiam, qualem erga nos promeruisti.* Et a se propulso cum in curte castri eduxissent, illum servis suis interficiendum proiecerunt. At servi quam citissime morti tradiderunt gladiis et fustibus et clavis et lapidibus obrutum. 1127. Mart. 2.

18. Interim recurrentes in sanctuarium, circa altare requirebant si quis latitaret quem interficiendum preiudicassent, et servientes intro miserunt qui requirerent illud. Erant in priore sanctuario latitantes iuxta altare Balduinus capellanus et sacerdos, et Godebertus comitis clericus, qui solo timore angustiati, sic permanserunt considentes ad altare. In secundo vero sanctuario subterfugerant Odgerus clericus et Fromoldus iunior, notarius et ceteris de curia familiarior comiti Karolo, et idcirco magis suspectus erat preposito et suis nepotibus, simulque cum illis Arnoldus camerarius comitis latuit. Nam Odgerus et Arnoldus sub tapete uno sese cooperuerant, et Fromoldus subtus palmarum manipulos latibulum sibi composuerat, atque sic mortem expectabant. Tunc servi qui intromissi erant perquirentes et revolventes omnes cortinas, pallia, libros, tapeta et palmas, quas in ramis palmarum annuatim fratres detulerant, invenerunt primo Odgerum et Arnoldum, fratrem quoque Walteri ex Locris Eustachium clericum invenerant prius cum Balduino et Godeberto sedentem, ignorantes quis esset. Perquirentibus servis illis spoponderant qui inventi erant, pecuniam se daturos postea, si per eos celarentur. Cumque tandem redissent in chorum ad Borsiardum et Isaac et ceteros hi qui intromissi erant, adiuraverunt illos, ut accusarent, si quos reperissent, et facta revelatione, commotus est Isaac vehementissime in Fromoldum iuniorem furore repentino et gravi, ita ut iuraret Deum et sanctos, vitam eius non posse redimi auro tantae quantitatis quantae ipsum templum fuisset. Omnium quoque furorem in Fromoldum illum convertit, clamando neminem magis preposito et nepotibus suis apud comitem detraxisse. Tunc discussis foribus, irruperat statim Isaac, et arripuit Fromoldum cominus et educere disposuit. Quem cum vidisset, non credebat se ab Isaac capi, sed per illum a morte redimi, et ait: *Amice mi Isaac, te obsecro per eandem quae hactenus fuit inter nos amicitiam, observa vitam meam, et liberis meis, scilicet tuis nepotibus, per me conservatum consule, ne forte, me occiso, ipsi fiant sine tutore.* At ille respondit: *Illam habiturus es veniam quam detrahendo apud comitem nobis promeruisti.* Interim quidam sacerdotum seorsum venit ad Fromoldum, consulens ei, ut confessione peccatorum suorum Deo et sibi profiteretur. Quod cum fecisset, extraxit annulum aureum a digito suo vitae desperans, et per sacerdotem mandavit eum filiae suae. Interim consiliabatur Isaac cum Borsiardo, quid melius faceret, utrum ibidem occideret an vitae adhuc reservaret, donec extorquerent ab eo omnem comitis thesaurum, simul et ab Arnoldo camerario quem presentem captivaverant.

19. Interea canonici loci illius cucurrerunt ad avunculum illius Fromoldi iunioris, consulentes ei, ut prepositum conveniret pro vita nepotis sui, quem infra mortis actionem positum viderant, cuius mortem Isaac adiurasset. Tunc ille senior properando ad prepositum, in domum ipsius conscendit cum fratribus ecclesiae, provolutus pedibus eius, rogans et obsecrans, ut nepotis sui vitam defensaret. At ille tandem misit nuntium qui interdiceret nepotibus suis, ne Fromoldum iuniorem laederent. At illi, audito nuntio, remandaverunt hoc non posse fieri, etsi presens adesset. Quo relatu audito, interim senior ille procidit ad

1127. Mart. 2. genua prepositi, expostulando ut ipsemet descenderet ad salvandum illum; et ibat quidem non celeri gressu, sed nimis tardo, utpote ille qui parum de illo curaret, quem valde suspectum habebat. Tandem pervenit in sanctuarium, in quo nihil sanctum, sed omnia perversa agebantur. Rogatu ergo clericorum in suum ducatum suscepit omnes ibidem captos, sub hac conditione tamen, ut quando Isaac et nepotes eius requirerent commendatos sibi, ipse prepositus redderet captivos illos. Reversus est ergo prepositus, et in suum ducatum commendatos in cameram domus suae induxit, observavitque illos cautissime, aitque Fromoldo, quem captum abduxerat: *Scias, Fromolde, te in proximo pascha preposituram meam non possessurum, sicut sperabas; neque hoc apud te promerueram, ut sic detraheres mihi.* Et ille se innocenter egisse iurabat. Verum tamen fuit, quod nullus de curia comiti ita familiaris esset, cum viveret, neque ita carus sicut prefatus Fromoldus. Nam domum regali aedificio funditus post combustionem sui reaedificavit meliori et decentiori compositione, quam unquam constitisset prius; comparatione quoque illius, nulla aestimabatur in mundo melior vel utilior. Igitur cum intus clausi et obserati in captivitatem custodirentur, habuerunt saltem locum et tempus deflendi consulem pium, non dominum, sed patrem, et in familiaritate sibi ipsis parem, misericordem, humilem, mansuetum, divitibus et pauperibus in regno utilem. Loqui ergo ad invicem captivi illi non poterant prae dolore nisi suspiriis et singultibus, quos a profunda tristitia mentis trahebant. Miserandum facinus, in quo non licuit servis cum domino et patre suo mori, sed ad maiorem miseriam post ipsum vivere, cum quo egregia et honestissima morte erga Deum et erga homines a seculo melius transissent, quam cum dolore mortis domini sui viverent, et sub alio presidente consule, quod absit, traditores florere viderent. Et dum in hoc mentis languore consternarentur, nullus amicorum audebat vel latenter accedere illis, qui consolationis verba faceret, imo, si quis accessit, a vita desolabatur.

20. Inter haec cadavera occisorum, scilicet castellani et Walteri ex Locris, e castro efferebantur, et simul navibus imposita, castellanus et dilectissimi filii eius, et devehebantur ad proprias et domus et castra. Prepositus vero in domo sua cum canonicis suis deambulabat, excusans se verbis, quantum potuit, quia nihil huius traditionis prenovisset. Eodem die excursum fecerunt traditores illi in hostes suos, scilicet contra Thangmarum et suos apud Straten, et repererunt oppida eorum vacua et curtes desertas. Nam audito scelere quod factum est in morte comitis, timuerunt sibi maxime, eo quod defensorem suum perdidissent, et si forte obsidione angustiati includerentur a traditoribus, nullus foret ipsis adiutor, cum tandem intellexissent omnes regni pares in tradendo assensum prestitisse. Credebant enim multo graviora pericula in futuro et sibi et toti regno imminere, nihil possessiones suas curantes, sed hoc solum reputantes, si vitam propriam conservarent atque ad tutiora loca fugerent. Tunc traditores illi invadentes tam oppidum quam curtem Thangmari, omnia arma et supellectilem intro diripientes, simul cum maxima rapina pecudum et vestium rusticorum villae illius, atque sic rapina exercitata per totum diem, in vespera redierunt. Et non solummodo isti circa viciniam nostram rapinam fecerunt, sed plures qui traditionem presciverant, statim precurrentes ad transitus mercatorum, qui ad forum in Ipra feriatum ibant, ipsos simul cum oneribus suis rapuerunt. Audita quoque mortis traditione, Willelmus ex Ipra obtinere comitatum se credidit deinceps, et universos negotiatores, cuiuscumque loci fuissent, securitatem et fidelitatem sibi et suis iurare coegit, quos in foro capere potuisset, alioquin a se recedere non permisit, sed tam diu captivavit, donec omnia et securitates sibi peregissent; et hoc totum fecit consilio prepositi et traditorum nepotum ipsius. Iam eodem declivo ad vesperam die ex communi consilio prepositi et nepotum eius et complicum suorum claves de thesauro comitis a Fromoldo iuniore, quem captivum tenebant, requirebant, et similiter claves omnes de domo sive de scriniis et cistis, quae in domo erant, violenter extorserunt. Quas quidem Borsiardus et castellanus Haket et Walterus, 23 filius Lamberti ex Reddenburch[23], in suam potestatem susceperunt.

21. De corpore quidem comitis — animae cuius commendationem sacerdotes eo tempore fecerant, quando et castellanum eius Christo communicabant, latenter tamen — nihil interim actum est, quia corpus eius adhuc in ipsa occisionis positione cruentum et solum iacebat. Tractabant ergo fratres ecclesiae sollicite quid inde agerent, et quas sibi exequias prepararent, cum in eadem ecclesia divinum officium nullus auderet vel latenter agere, in

23) alias Rodenburg, nunc *Aardenburg* in Seelandia.

qua tanta cedes et facinus factum fuisse constabat. Tandem, accepta licentia a preposito 1127. Mart. 2. ex consensu fratrum, Fromoldus senior, linteo corpus nobile involutum, in medio chori in feretro positum, debita veneratione composuit, appositisque cereis quatuor, sicut mos noster est, accurate de cetero sollicitabatur. Quod funus mulieres solae circumsedentes pia lamentatione per illum diem et subsecutam noctem vigilanter observabant. Interea traditores illi inierunt consilium cum preposito et castellano suo, qua astutia corpus comitis asportaretur, ne opprobrium ipsis moveret sempiternum corpus, quod in presentia eorum fuisset humatum. Et habito callide consilio, miserunt propter abbatem in Gandavum, qui comitis corpus a loco nostro auferret et in Gandavum translatum humaret. Et sic clausus est ille dies, plenus doloris et miseriarum, in quo materia totius mali et perturbationis regnorum circa nos factae et maximae futurae emerserat. Nocte vero subsequente iussit prepositus ecclesiam undique armis et vigiliis premunire, solarium et turrim templi, in quae loca, si forte a civibus insultus fieret, sese reciperent ipse et sui. Et introierunt illa nocte milites ex precepto prepositi in solarium ecclesiae armati, premunientes turrim et exitus eius continuis vigiliis, timentes impetum et incursum civium fore contra se die sequenti et deinceps. Dominica post mortem consulis prepositus transmisit episcopo nostro Simoni Noviomensis Mart. 6. sedis salutem. Lator ergo litterarum Radulfus monachus Sancti Trudonis erat, in quibus obsecrabat episcopum illum, ut Deo conciliaret ecclesiam, in qua comes traditus, eo ignorante, iaceret; obtulit quoque excusationis suae argumenta, quibus canonice innocentiam suam coram universo clero et populo probaret. Igitur lator ille captus et ab iumento iactatus, non pervenit ad episcopum; quod audiens prepositus, valde timuit sibi. Feria quarta Mart. 2. et quinta prepositus mandavit per quendam garcionem Waltero ex Frorerdeslo[24], ut per Mart. 3. fidem, quam sibi et nepotibus suis dederat adiuratus, in auxilium sibi cum potentia sua festinaret, et transmisit ei 400 marcas argenti. At ille, accepta pecunia, simulabat se venturum, et nunquam venit, nisi ut ei et suis nepotibus noceret. Episcopus vero Simon, qui frater erat uxoris[25] comitis Karoli, persequebatur ecclesiam Brudgensis castelli, gladioque 2. anathematis sacrilegos et traditores illos percussit, et ne quis fidelium in eorum conspirationem et auxilium declinaret prorsus prohibuit, sin vero, sub anathemate omnes adiutores eorum in malo prefato damnavit.

22. 5. Nonas Martii, feria quinta, abbas ille, pro quo transmiserant in Gandavo, tota Mart. 3. nocte equitando summo mane venit in castrum ad prepositum et nepotes suos, expostulans comitis corpus, sicut ei spoponderant. Exiverat ergo prepositus, et convocatis castellano et nepotibus ipsius, qui comitem tradiderant, consilium habebat cum eis, qua astutia sine tumultu abbas auferret corpus. Statim vero pauperes, qui elemosinas expectabant pro anima comitis distribuendas a preposito — qui citius consilium intellexerant, eo quod preter pauperes nullus civium cum eis vellet ire, vel eos amplius frequentare — ceperunt diffamare, quod idcirco abbas venisset subdole et consilio traditorum, ut asportaret funus. Fecerat is parari feretrum, in quod ponendum erat corpus et equis transferendum. Interea pauperes insequebantur prepositum quocumque ibat clamantes: *Domine, ne fiat unquam, ut patris nostri et tam gloriosi martiris gleba a nostro loco auferatur, quia si hoc fuerit, locus et aedificia eius sine miseratione posthac destruentur. Aliquid enim pietatis et miserationis habebunt hostes et persecutores, qui supervenient huic castro, ne prorsus destruant ecclesiam, in qua fuerit corpus beati consulis venerabiliter sepultum.* Et exivit rumor maximus inter cives de auferendo corpore. Festinabat quidem prepositus et abbas ille, antequam rumor excitaretur in urbe, et fecit feretrum novum et nuperrime factum ad ablationem funeris usque ad ostium ecclesiae afferri. Introierant quidem milites, qui illud feretrum quod in medio chori stabat cum consule sublevarent, et in alterum feretrum quod ad ostium stabat transponerent. Tunc canonici loci eius accurrentes, violenter reposuerunt feretrum chori, dicentes se prius audire a preposito, qua de causa hoc iussisset. Et exierunt in castrum, ubi stabat prepositus et nepotes sui, et simul maxima civium turba cum eis, qui audierant rumorem tollendi corporis, et loquebatur unus seniorum coram omni populo: *Domine preposite, si iuste volebatis egisse, non sine fratrum consensu et consilio dedissetis tam pretiosum martirem, tantum regni rectorem, tantum ecclesiae nostrae thesaurum, quem nobis divina misericordia et dispensatio concessit martirem. Nulla ergo ratio est, quare debeat a nobis auferri, inter quos maxime et nutritus et conversatus est, et inter quos Deo ordinante pro iustitia traditus est,*

24) *Vlaerslo* prope Dixmude. 25) Margaretae.

1127. Mart. 3. *imo si auferatur, timemus destructionem et loci et ecclesiae; ipso enim interveniente, parcet Deus nobis et miserebitur nostri, ne forte, ablato eo a nobis sine omni miseratione Deus vindicet traditionem inter nos factam.* At prepositus et traditores, in indignationem conversi, iusserant tolli corpus. Igitur clamore magno irruerunt fratres ecclesiae ad fores templi, vociferantes non se dimissuros corpus piissimi Karoli consulis et martiris quamdiu viverent, quin potius ibidem morerentur quam permitterent auferri. Tunc quidem poteras vidisse clericos armatos tabulis et scabellis et candelabris et omnibus utensilibus ecclesiae, quibus repugnare poterant. Loco ergo tubae campanas pulsabant, et sic evocaverant omnes cives loci, qui cum rem intellexissent, armati accurrentes, extractis gladiis circuierunt feretrum comitis, parati ad resistendum, si quis auferre moliretur. Cumque tumultus fieret et intra et extra ecclesiam, voluit divina misericordia sedare filios suos ab insania et strepitu armorum. Nam cum subtus feretrum debiles et claudi iacerent, in ipso tumultu claudus, cui pes ad nates coheserat, cepit clamare et benedicere Deum, qui naturalem eundi motum pro meritis pii comitis reddiderat sibi in conspectu omnium astantium. Igitur fama illius miraculi sedavit universos. At prepositus et castellanus et traditores illi conscenderant in domum comitis timentes tumultum, et mandabant civibus, quod contra velle eorum nihil agerent de tollendo corpore. Reversus est ergo abbas ille, laetus quod evasisset. Prepositus vero ibat et redibat, consulens cum traditoribus et disponens quid acturi essent secundum rei eventum. Et continuo fratres ecclesiae requirebant artifices et operarios, qui scirent pro articulo temporisque necessitate speluncam sepeliendi comitem construere in loco illo, quo martirii palmam assumpserat. Et ad hoc faciendum festinabant modis super hoc exquisitis, ne forte per aliquem dolum surriperetur eis corpus adhuc inhumatum et adhuc magis habile ad tollendum. Clausus est ergo ille dies plenus turbationum et dolositatis pro auferenda gleba miserandi funeris.

Mart. 4. 23. 4. Nonas eiusdem mensis, sexta feria, canonici et prepositus ad explendas de more funeris exequias et sepulcro iam preparato, in ecclesia sancti Petri extra muros convenerunt, ubi missa fidelium defunctorum pro anima pii comitis est celebrata, ubi admodum pauci preter canonicos offerebant. Nam de curia nullus obtulit, nisi Balduinus capellanus, Odgerus iunior et Godebertus, clerici comitis. Redierunt postea et prepositus et fratres in ecclesiam beati Donatiani, ubi funus aderat, et intromissis pauperibus in ecclesiam, Fromoldus senior dispersit denarios, per manus tamen prepositi, omnibus qui volebant recipere egentibus, pro salute animae Karoli pii consulis. Quod quidem non sine lacrimis ille senior Fromoldus fecit, imo plures impendit pietatis lacrimas quam denarios; quippe maximus pauperum erat conventus, qui elemosinas susceperunt. Distributione vero elemosinarum consummata, corpus nobile in solario transportatum est, et presens iuxta monumentum consistens prepositus, deflebat tunc tandem consulem, quem rationis ductu recognovit patrem fuisse universae regionis Flandriarum, et talem illum planxit qualem quidem recognoscere obstinato animo indignabatur; et clausus est in sepulcro pro necessitate illius temporis constructo, etsi non sicut decebat, tamen consequente opere et artificio infra positus claudebatur. Nimirum anima eius, martirii purgata penis, suorum meritorum premia possidet penes ipsum qui sibi hoc ordine seculo mori dispensavit, et vivere in comitatu superno cum ipso Deo ac Domino, cui imperium, laus et gloria per infinita secula seculorum. Amen.

Mart. 5. 24. 3. Nonas Martii, sabbato, dimissus est Fromoldus iunior a captivitate circa diei illius vesperam; atque hoc factum est maximo labore intercessorum pro eo apud prepositum eiusque nepotes. Dimiserunt tandem sub conditione tali, quatenus infra octo dies post exitum a captione proximos, aut eis reconciliaretur nefariis in quorum manus inciderat, aut patriam abiuraturus deinceps exularet. Descendit quidem in domum suam cum amicis et familia sua, quae super quam dici possit dolore et timore mortis fatigata erat pro illo et pro se ipsa. Nam priusquam captus est, servientes eius nusquam prodire ausi sunt, quin se statim persequendos fore crederent, quia de eius familia erant. Epulabatur igitur cum amicis suis et familia, reputans pro certo se patriam abiuraturum prius quam in captivitatem traditorum reversurum, qui dominum suum prae ceteris se diligentem, et quem ipse prae se ipso fere diligebat, tradiderant. In eorum ergo amicitia antequam se unquam componeret, exilium perpetuum sibi delegisset. Gravissimum enim est viro cum inimico concordem esse et contra naturam, cum omnis creatura sibi inimica si possit effugiat. Cum

utique cenasset, disposuit domui et rebus suis, et licentia a singulis accepta, frumentum, 1127. Mart. 5. caseos et carnes servientibus distribuit ad se sustentandos per tempus, in spe habens, quod adhuc omnia quae modo prae necessitate relinqueret et prae dilectione piissimi consulis, dispensante Deo, gaudens et securus possideret. Et abscessit cum socero suo extra castrum et extra suburbium, in quo hactenus habitaverat, quem quidem amici eius et planctu et lacrimis Deo commendatum quantum liceret persequebantur. Eadem tempestate illi prefati traditores, obstinatissimi in omne nefas, excursum agebant in hostes Thancmarum et suos, ubi vilissimam repulsam passi, cum timore et verecundia in castrum redierunt.

25. Priore die ante Nonas primi mensis, dominica, Godescalc Thaihals ab Ipra inter- Mart. 6. nuntius ad prepositum Brugas venit in haec verba: *Dominus meus et intimus amicus vester Willelmus ex Ipra salutem et amicitiam atque in omnibus promptissimum auxilium quantum in se est vobis et vestris aperte demandat.* Cetera vero, quae pudor erat palam referre, postquam omnes ei applausissent, introductus in cameram, denudavit preposito et Willelmo ex Werui et Borsiardo, et eis quos intro ad se asciverant paucos, unde tota domus laeta deinceps fiduciam obtinebat in Willelmo, adeo ut comitem eum vocaret et assumeret. In quo mandationis occulto sapientes et qui coniecturas componebant, notabant traditionis nota Willelmum, qui traditores loci nostri in maturitate sceleris sui salutasset, et cum tota potentia sua ipsis auxilium promptissimum fide et scripto et securitate obtulisset. Cum ergo reversus est nuntius, captivati sunt mercatores Flandriae, de quocumque loco apud forum convenissent in Ipra, et constricti ut in Willelmo fidem, securitatem et hominia facerent, et sic in comitem sibi assumerent. Quod quidem consilio prepositi et suorum factum erat, sperantes se sic frustra[26] tradidisse pium comitem Karolum. Et quidem in consulatum sublimatus fuisset Willelmus eodem tempore, si statim Brugas descendisset ad faciendam vindictam domini sui et nepotis traditi consulis; sed quia non sic erat a Domino dispositum, necesse erat divinam sequi ordinationem tam principes alios quam populum terrae, et unanimes omnes fieri ad ulciscendam mortem consulis piissimi. Adhuc suburbani nostri loci aperte introierunt ad consilia dominorum illorum, prepositi scilicet et castellani et nepotum suorum nefandorum, et secreta consiliorum suorum perquirebant, ut sic astute rescitis eorundem dolis et machinationibus, cautiores in posterum forent. Quo tempore non cessabat prepositus et sui consulere et circumvenire quoscumque, ut sibi faverent, dando et promittendo plurima; nam mandavit Willelmo comitatum se donaturum, et ideo hominia et securitates exhortatus est illum ab omnibus accipere Flandrensibus, quos aut vi aut pretio cogere potuisset. Transmandavit Furnensibus prepositus, qui in eius amicitia steterant, ut securos et homines sese Willelmo constituerent. Mandavit quoque episcopo Noviomensi litteras, quibus excusationem suam obtulit, quod in traditione comitis nihil conscius fuisset consilio vel facto, quin et summa dilectione filiis ecclesiae, sibi scilicet et canonicis suis, consulendo succurreret, reconciliando ecclesiae loca, et ad celebranda divina officia sui pontificatus auctoritate et presentia ipse celeriter adventaret. Sub eodem tempore litteras direxit episcopo Morinorum Ioanni. Apud Kerseca[27] Roberto, qui neptem[a] ipsius prepositi duxerat, mandavit ut domum et loca sua firmissime premuniret, donec constituisset Willelmum Iprensem in comitem. Erat autem ille Robertus miles liber, antequam uxorem accepisset neptem prepositi, sed postquam annuatim illam tenuisset, secundum legem comitum Flandriae, servili conditione ad comitem pertinebat, unde conflictus inter comitem Karolum pium et prepositum et suos de servitute et libertate exortus est pernitiosissimus. Mandavitque idem pro Flandrensibus illis qui circa mare sibi vicini manerent, ut cum sua potentia sibi et nepotibus suis in auxilium venirent, si forte in regno et comitatu aliquis ad vindicandum insurgeret. Precepit potenter civibus nostris, ut loca suburbii circumsepirent fossatis et sepibus, quatenus contra quoscumque sese defenderent. Consepserant tempore eodem suburbium cives quidem, sed prorsus alia intentione quam ipsis et consultum et imperatum fuisset, sicut postmodum fuit manifestum. Igitur sepes et ligna comitis occisi et Fromoldi iunioris — qui proscriptione suarum rerum exilium suum expectabat — extra suburbium, et insuper universa quae ad opus sepiendi utilia sibi videbantur, castellano duce, diripiebant cives, et fabricabantur ad defensionem communem turres et propugnacula et exitus contra hostes. In quo ergo perficiendo omnes festinabant, tam clerus quam

a) nepotem *ed.*

26) id est impune. 27) Ex coniectura editorum Act. SS. *Kaeskercken* prope Dixmude.

1127. populus. Itaque nulla fuit requies nocte in vigilando et die operando, donec, consummato opere cirumsepiendi suburbium, custodes ordinarent ad singulas portas et turres et propugnacula, quatenus nemo exiret nisi cognitus, et nemo intromitteretur nisi civis.

Mart. 7. 26. Nonis Martii, feria secunda, divinae ultionis gladios evaginavit contra inimicos ecclesiae suae Deus, et commovit cor cuiusdam militis Gervasii in exercendam vindictam acrius et celerius quam eo tempore aestimabatur, et sic collecta ira sua, cum tota potentiae manu miles ille seviebat contra sceleratos illos, qui optimum principem pium et iustum in servitio Dei ad venerationem sui et sanctorum suorum prostratum humiliter in sacro tempore quadragesimae, et in sacro loco, et in sacra oratione dominum suum pessime servi tradiderunt morti, intra quos tutum se semper fore crediderat. Gervasius igitur, qui familiaris erat et fidelis domino suo piissimo Karolo, utpote qui camerarius eius extiterat, et ad eius consilia et dispositiones secreto et aperte accesserat, pro morte carissimi sui domini dolens et iratus, cum peditum exercitu truculento et militum corona et armorum densitate succinctus, circumvallavit se contra hostes Dei, et accurrens obsedit oppidum quod in 28 defensionem traditorum stabat premunitum valde nomine Rauenschot[28], quod quidem et ex loci difficultate et ex ipsa munitione invincibile fuit et inaccessibile, et accepit predam magnam in pecudibus castri illius et vicinorum. Nam eodem tempore securi degebant universi, qui ad illos sceleratos pertinuissent, credentes neminem in toto mundo vel velle vel posse insurgere contra dominos suos, eo quod tantae audaciae facinus illi miseri in dominum suum comitem peregissent. Excecaverat enim illos Deus, ita ut nihil rationis et consilii obtinerent, sed precipitati in omne malum ira et furore debriati, timore et pavore errarent, tam illi qui tradiderant comitem, quam omnes qui in eorum auxilio manerent. Quandoquidem securos se crediderant, et omnes in regno vel inferiores se vel amicos putabant, non erant precauti de incursione aliquorum contra se, et ideo cum Gervasius incursum ageret apud Rauenschot, maximam predam exercuit. At illi qui obsessi fuere ex inopinato incursu intercepti, valde attoniti eo maxime quod pauci fuissent, qui contra tot milia se defensarent, desperantes vitae suae, sese statim reddiderunt Gervasio, ea conditione, ut sua vita et membris salvis abirent. Irruerunt itaque, expulsis illis, equites et pedites qui obsederant oppidum, et vastabant quaecumque intro repererant. At illi qui sese reddiderant in obsidione, homines scilicet traditorum, aufugi nocte usque ad nos fugerunt, narrantes eventum rei preposito et suis, unde deinceps timore timuerunt assidue, statum mentis mutantes ab illa superbia et tumiditate, qua usque ad hoc tempus feroces et sine modo et sine humilitate paruerant. Robertus puer, cuius oppidum destruendum igne et ferro fuerat in brevi spatio, conabatur cum paucis excurrere contra obsidentes, sed cum tantam multitudinem prescivisset, omisit incursum. Quanto ergo timore et dolore laborarent traditores illi, et e contra quanto gaudio exultarent preter eosdem omnes alii, supersedere longum erat, eo quod pari intentione Deum ipsum incepisse vindictam omni ex parte intellexissent.

Mart. 8. 27. 8. Idus Martii, feria 3. Rauenschot oppidum conflagratum est et destructum igne 29 et armis, et iuxta Brugas domus Wlfrici Cnop[29] fratris prepositi, qui mortem comitis iuraverat, combusta est. Proinde accessum fecit Gervasius cum potentia sua versus castrum, in quo sese premunierant traditores, circumiens excursus et preveniens transitus illorum circa suburbium castri. Burgenses igitur nostri, audito quod Deus vindictam tam cito incepisset, in sola conscientia gaudebant, numquam ausi aperte congratulari vindicantibus propter traditores, qui adhuc securi et potenter inter illos ibant et revertebantur. Seorsim vero gratias Deo referebant, qui misericordiae suae oculis dignabatur revisere fideles suos in loco horroris et confusionis, qui et exterminare festinabat homicidas pessimos, qui hactenus flagellaverant populum Domini rapina, incendiis, vulneribus, omnis modi perturbationibus. Summiserunt autem secretos internuntios ad Gervasium et suos, componentes de fide et amicitia et fidissima securitate in invicem. Insuper coniuraverunt vindictam comitis sui, et ut die subsequenti intromitterent exercitum Gervasii ad se infra suburbium, et reciperent eos sicut fratres intra munitiones suas. Audita ergo legatione, Gervasius et sui quam laetiore et iustiore animo susceperunt internuntiorum verba, non potero explicare, scientes dispensatum a Deo fuisse quicquid in vindicando agerent. Coniuraverunt equidem

28) Num *Waerschoot?* 29) Gualtero 24. est Vufricus.

Gervasius et sui cum internuntiis civium nostrorum, et compositi sunt sub eodem sacra- 1127. mento fidei et securitatis in vindicando dominum suum et aequissimum consulem terrae Mart. 8. nostrae. Hoc totum latebat traditores illos et plurimos civium nostrorum prorsus, preter paucos sapientiores loci, qui seorsum et nocte composuerunt huiusmodi consilium salubre universis.

28. 7. Idus Martii, die quarta, quando octava dies illius illuxerat beati consulis, qui ad Mart. 9. veram octavam e terris transmigraverat, Gervasius ex condicto a civibus nostris infra suburbium susceptus est apud Harenas versus occidentem castri, quod illis traditoribus maximus occasus erat futurus. Sed ante hoc per domorum incendia terruerat eodem die Borsiardum et Robertum puerum et complices eorum, qui, visis domorum conflagrationibus, undique exiverant a castro, ut perspicerent incensores illos, si forte invadere possent. Namque orientem versus castri tres domus altiores incensae vibrantibus flammas ventis ardebant, et ad spectandum cives simul cum Borsiardo et militibus suis, ignorantes compositionem factam inter burgenses et Gervasium, excursitabant, et eorum pars plurima armata manu cum nefariis illis. Isaac quoque, qui vivente Karolo pio consule camerarius et de consilio et familiaritate comitis extiterat, qui caput traditionis erat, in excursu cum militibus suis ferebatur equo. Tandem cum sibi ad invicem adproximassent ex utraque parte milites, traditores videntes se non posse continere contra tantum exercitum, eo quod paucissimi essent, convertebantur in fugam; at persecutores illorum extentis cursibus insecuti usque in castrum profugos reddiderunt. Cum tandem in suburbium devenissent, Borsiardus et sui ante domum Desiderii[30] fratris Isaac restiterant paulisper, consilium per- 30 quirentes quid iam agerent. Interim Gervasius violenter persequens illos, venit occidentem versus ad portas suburbii, et ibi fide data et accepta a civibus, irruit infra cum validissima manu. Adhuc cives quiete solita in domibus suis substiterant, nam circa vesperam erat, et consederant cives plurimi ad prandium quibus non erat nota haec actio. Cum igitur traditores illi consulerent sibi et de fuga sua starent perturbati, minus prospiciunt irruere persecutores suos per plateas, qui hastis et lanceis, sagittis et universis armis impetebant illos. Porro tumultus maximus et armorum fragor et clamorum tonitrua omnes conturbaverant cives, qui ad arma ruentes parabant se, alii ut defenderent locum et suburbium contra Gervasium, qui prorsus ignoraverant pactum, alii quibus res fuerat nota irruerunt cum Gervasio totis viribus et fugabant illos traditores fugientes in castrum. Cumque inter cives res est manifestata de compositione et fide et iuramento Gervasii ad ipsos, tunc primum simul irruerunt per pontem castri super illos qui in parte sceleratorum e castro ad pugnam resistebant. In alio quodam ponte, qui versus domum prepositi dirigebatur, magnus conflictus pugnae fuit, in quo cominus pugnabant lanceis et gladiis. In tertio vero ponte, qui in orientali parte iacebat a castro et usque ad portas castri se tenebat, fortissimus congressus fiebat, adeo ut non tolerantes pugnae acerbitatem illi qui intro stabant frangerent pontem, et portas super se clauderent. Ubicumque ergo cives accessum habuerant ad castrenses, fortissime pugnatum est quoad usque illi non poterant sustinere, eo quod intercepti et a civibus traditi essent; vellent nollent quidem, agitati sunt infra castrum miseri illi, quorum magna pars vulnerata est, et simul exanimati metu et dolore atque lassitudine pugnae defatigati.

29. Interim Isaac in principio incursus Gervasii in suburbium fugiens, a loco in quo consiliabantur recepit se in domum suam fortem satis. Et cum pontem transisset, qui iacebat a suburbio ad domum ipsius, disiecit pontem et fregit, ne quis persequeretur eum fugientem. Qua tempestate interceptus est Georgius miles traditorum maximus, qui et ipse simul cum Borsiardo occiderat comitem; quem Desiderius miles, frater Isaac traditoris, equo deiecit et ei utrasque manus truncavit. Hic Desiderius, quamvis frater traditoris fuisset, non tamen conscius traditionis fuerat[31]. Fugerat truncatis manibus in locum ille 31 miserrimus Georgius, in quo se sperabat latere, sed statim accusatus cuidam Waltero militi Gervasii extrahitur. Nam sedens in equo miles ille precepit cuidam iuveni gladiatori ferocissimo, ut occideret. At ille irruens in Georgium, percussit gladio et deiecit eum in terram, deinde per pedes in cloacarium proiectum submergi ex malo merito suo gladiator

30) Desiderius frater Isaaci, de quo ap. Walterum supra c. 16. LANGEB. 31) Sibi ipsi repugnat c. 34. 36, omnino distinguendus est a Desiderio auctor infra in capp. 44. 93. Huic loco consentit praepositi fratre, cognomine Haket, de quo vide Walterus c. 34.

1127. ille coegit. Interceptus erat et quidam ex curte castellani Haket nomine Robertus, cursor
Mart. 9. et serviens eius, et occisus in medio fori in paludes trahebatur. Interceptus est quoque
quidam nefandissimus servorum Borsiardi Fromaldus nomine, qui fugiens latuerat inter
duas culcitras, indutus superpellicium mulieris quo se dissimularet. At inde retractus,
ductus est in medium fori, inspectantibus universis, suspensus est, fuste transfixo per suf-
fragines et crura, capite deiecto deorsum, ita ut verecundiora adverterentur versus castrum
32 ad dedecus et ignominiam illorum traditorum, qui obsessi stabant ad lobium[32] comitis et
ad propugnacula, inspectantes hoc fieri sibi ipsis in opprobrium. Non interim cessabant
trahere[33] sagittas ad invicem et iacere lapides et contorquere iacula a muris. Tandem
clauso die, noctis tempore metus et vigiliae utrobique agebantur, et insidiabantur sibi, si
quisquam se furaretur, ut fugeret ab obsessis, vel aliquis latenter per muros illaberetur ad
obsessos in eorum auxilium. Proinde per omne tempus obsidionis utrobique vigiliae et
insidiae agebantur. Saepissime vero invasionem fecerunt obsessi singulis noctibus obsi-
dentibus fortissimo congressu, et acrius pugnatum est nocte quam die, eo quod ob turpe
facinus sese in die non auderent manifestare obsessi, qui quoquo modo celari et evadere
posse sperabant, ut, si forte evaderent, nemo de eis crimen traditionis suspicaretur, et ideo
in nocte pugnabant tanto acrius, quanto se crediderant per principes obsidionis, qui eis
34 assensum innuerant, forte postmodum exire et a crimine faciliter purgari[34]. At principes
non curabant quid obsessis promitterent, et quota iuramenta facerent, solummodo ut pe-
cuniam et thesaurum boni comitis ab eis extorquerent. Et iure quidem sic fecerunt, acci-
pientes ab obsessis thesaurum comitis et insuper donaria multa, quandoquidem nulla fides
et iuramenta nulla illis debebant observari, qui legitimum et naturalem dominum suum
impiissimi servi tradiderant, et nimirum ab inimicis suis fidem et iuramenta, quae nulla
illis debebant, querebant sibi salubriter[a] observari, qui domino suo et patri totius comitatus
mortem intulerant. Iustius ergo ii qui consulem dilexerunt etiam in morte, qui et ad vin-
dictam convenerant, et ibi sustinuerunt metus, vigilias, vulnera, aggressus, et omnia quae
in obsidione perpeti solent adversa, iustius, inquam, obtinuissent castrum et thesaurum et
comitialia post domini sui mortem quam traditores pessimi, qui utrumque et locum et di-
vitias loci destruxerant. Huiusmodi ratione saepe colloquebantur sibi obsidentes et obsessi;
at obsessi solam in responsalibus suis excusationem traditionis pretendebant.

Mart. 10. 30. 6. Idus Martii, feria quinta, ad obsidendum accucurrit castellanus ex Ghendt[35] cum
sua potentia, et frater Baldevini ex Alst nomine Iwan. Nocte igitur preterita eiusdem feriae
quintae quia Isaac se conscium sceleris sciebat et damnabat — urgebat enim eum timor mortis
— cum solo armigero suo aufugit, simul et uxor eius et servi et pedissequae universaque
familia ipsius, et ubi contigit eos manere in tam arcto noctis aufugio, latuerunt; domum qui-
dem et curtem et maiorem supellectilem et reliquas res, quas hactenus potenter et libere
possederant, desertas et sine consilio in predam hostibus reliquerunt. Quo audito, summo
mane castellanus ex Gendt et Iwan cum multitudine obsidionis irruerant, diripientes omnia
quae usui suo ad asportandum invenerant. Tandem faculis igneis tectis suppositis incen-
36 derunt[36] domus et curtes, et quaecumque igne consumi poterant ibidem reperta. Quae
quam citissime omnia conflatione et ventorum fomentis et insania tempestatis ignis de-
structa sunt, et omnium admiratione testificatum est, scilicet nihil tanti aedificii et lignorum
tam celerem passum fuisse adnihilationem.

Mart. 11. 31. 5. Idus Martii, feria sexta, Daniel, unus de paribus regni, qui ante traditionem
comitis in amicitia alte fuerat cum preposito et nepotibus eius, acceleravit ad obsidionem,
simul et Riquardus ex Woldman, Theodoricus castellanus Dikasmutis oppidi, Walterus
37 butelgir[37] comitis. Unusquisque itaque istorum principum cum tota sua potentia venerat
ad vindicandam mortem comitis et domini sui. Qui quidem omnes postquam convenerant

a) salubiter *ed.*

32) Est extans pars domus ultra murum aut parietem infra tectum. ACT. SS. 33) Id est iaculari; cf. infra c. 36. 34) Praepostero ordine res hoc loco narravit auctor, nam de obsidionis principibus et comitis thesauro paulo infra mentio fit. Sed hoc in mente videtur habuisse auctor, ut in describenda obsidionis prima nocte ea quoque ob oculos poneret quae et in sequentibus noctibus fieri solerent. 35) Sigerus, ut ex litteris patet publicis. 36) Walterus c. 34 tradit domum Isaaci a proprio fratre Desiderio incensam. ACT. SS. 37) Butelgir, Belgis *boutelier*, Francis *boutilier*, lat. med. aevi butellarius et buticularius. Charta quaedam Karoli comitis a. 1119 data inter testes nominat Walterum buticularium et fratrem eius Cononem; vid. Miraei Op. Dipl. tom. I, p. 679. LANGEB.

cum civibus nostris, accitis quoque omnibus in obsidione[a] primatibus, coniuraverunt, 1127 Mart. 11. antequam permitterentur introgredi in suburbium, sese inviolabiliter observare loca et possessiones suburbii ad salutem et profectum civium nostrorum, deinde uno animo impetuque adversarios et homicidas impiissimos aggredi, expugnare, et Deo volente evincere, et nulli reorum parcere ad vitam, nec aliquo suo ingenio educere et salvare reos sed disperdere, et communi procerum iudicio agere ad honorem regni et ad salutem habitantium in eo; simul confirmaverunt, salvis quidem rebus civium et suis, et salva omnium re qui in obsidione laborarent, pro morte consulis vindicanda.

32. 4. Idus Martii, sabbato, edictum exiit a principibus, ut castrum ex omni parte qua Mart. 12. accessum haberent invaderent omnes, qui in obsidione consedissent; et quidem circa meridiem armaverant se milites simul cum civibus, et circuibant impetentes igne portas castri, in quo aggressu posticum, quod iuxta domum prepositi stabat, incenderunt. Ceterum cum maiores portas castri invaderent, subducta feni et stipularum arida congerie, et accito milite qui ignem stipulis ingereret, abintus castrum lapidibus, sudibus, lanceis, sagittis obruti sunt hi qui aggrediebantur, ita ut quasi molaribus petris a propugnaculis deiectis innumeri laesi et conquassati galeas et scuta, vix a portarum testudine, sub qua latitabant ut incendia administrarent, cum salute vitae aufugerent. Quemcumque igitur persequebatur lapis ab alto deiectus, quantaecumque fuisset virtutis et virium, passus est sui ruinam gravissimam, ita ut totus prostratus et confractus, moribundus et exanimis caderet. Qua infestatione armiger unus a foris sagitta traiectus cor expiravit. Tumultus et clamor utrimque grandis et gravissimus congressus fuit, stridor quoque armorum et fragor in altiori aeris repercutiebatur concavitate. Inferebatur tandem pugna vespertino tempore, et cum nihil praeter mortem et damnum obtinuissent a foris, subtraxerunt se a muris et propugnaculis castri, et collecta multitudinis suae parte, de futuro noctis periculo sollicitabantur, de quo aggressu obsessi magis et magis animati sunt, eo quod invasores suos, tot ruinis et vulneribus infectos, a muris propulsos vidissent.

33. 3. Idus Martii, dominica sub specie pacis utrobique observabatur. Priore die ante Mart. 13. Idus Martii, feria secunda, et feria tertia postea convenerunt burgenses ex Ghend, et avi- Mart. 14. Mart. 15. dissima turba predonum simul cum ipsis ex circa sibi adiacentibus villis ad obsidendum. Nam pro ipsis mandaverat castellanus ipsorum, ut collecta virtute et communione sua, armati et ad pugnandum, insultum facerent ad castrum singulariter et per se, utpote viri gloriosi in certamine et pugnae habentes scientiam demoliendi obsessos. Cumque sese singulariter in obsidione insultum facturos audissent, associaverunt sibi universos sagittarios, et ingeniosos operum artifices, et audaces raptores, homicidas, latrones, et quoscumque presumptores in omne belli nefas, atque 30 plaustra oneraverunt armis; pedes et equo accurrebant, sperantes se obtenturos maximam pecuniam, si forte se sibi redderent obsessi. Erat quippe validus et infinitus exercitus eorum. Qui cum iuxta portas suburbii accessissent, violenter ingredi ausi sunt, sed in faciem restitit eis omnis obsidionis quae intro occurrebat multitudo, et pene pugnatum fuit undique, nisi quod sapientiores sese composuissent in utraque acie. Nam datis dextris et acceptis, fide et sacramento iuramenti sese taxabant, quatenus eadem intentione eisdemque armis, et eodem consilio in obsidione cum ipsis iungerentur, salvo loco et rebus nostrorum civium, atque vernaculos et sagaces in pugna secum tantum retinerent, alios vero retrorsum remandarent. Ingressi sunt ergo cum maxima multitudine Gendenses illi et compleverunt locum circa castrum. Deinde paraverunt operatores et artifices eorum scalas, quibus muros conscenderent. Eodem tempore reversus est Razo butelgir[38] a Sancto Aegidio, et venit iustissime dolens pro morte 38 domini sui consulis cum sua potentia ad obsidionem.

34. 17. die ante Kal. Aprilis, feria quarta *cum sanctificatus*[39], in nocte sanctae Gertru- Mart. 16. dis, comitissa Hollandensis[40] ad obsidionem accessit cum filio suo et multa multitudine cum ipsa. Sperabat enim omnes obsidionis principes electuros filium eius in comitem, eo quod illud ei cives nostri et plures principum suggessissent[41]. Habebat quippe magnas gratias 41

a) subsidione *ed.*

38) Razo de Gavera in agro Alostano, qui in diplomatibus Karoli comitis scribitur mox butellarius, mox pincerna. ACT. SS. 39) Initium missae huius feriae quartae. ACT. SS. 40) Petronilla, soror Lotharii imperatoris, nupta Florentio II comiti Hollandiae, quo in flore aetatis a. 1122 mortuo, haec vidua pro filio suo Theoderico VI regimen comitatus sibi creditum tutorio nomine administravit. ACT. SS. 41) Nam Florentii II pater Theodericus V frater erat uterinus Roberti II

1127. Mart. 16. eis comitissa, et laborabat omnium procerum animos convertere in amicitiam sui dando et promittendo multa. Qua die Froolsus et Bolduuinus ex Somerenghen milites quasi a Willelmo Iprensi se venisse simulabant, denuntiantes principibus obsidionis, regem Franciae dedisse comitatum ipsi Willelmo Iprensi, et super hoc universos sollicitos reddidit, qui filium comitissae prefatae eligendum spoponderant. Astute ergo huiusmodi mendacium et simulate milites illi pro veritate annunciaverunt, ut ea astutia differrent concessionem principum obsidionis de suscipiendo filio predictae comitissae in comitem. Quo audito, principes indigne ferebant, si forte verum fuisset, Willelmum Iprensem comitatu a rege donatum. Coniurabant ergo et fide sese taxabant, nunquam sub illo comite Flandriae manente sese militaturos, nam omnibus suspectus erat et notatus in traditionem domini consulis.

Mart. 17. 35. 16. Kal. Aprilis, feria quinta, canonici Sancti Donatiani in meridionali parte castri per scalas muros conscenderunt, in qua parte scrinia et feretra sanctorum et reliquiarum suarum emiserunt, accepta principum super hoc licentia et consensu, transtuleruntque in ecclesiam beati Christophori, quae in medio fori consita est, cortinas et aulearia quoque tapeta, cappas palliatas et sericas, vestes sacras et librorum aggerem, et utensilia templi et cetera quae de pertinentia ecclesiae erant elata sunt. De redditibus comitis brevia et notationes, quae prepositus sibi et suo conservaverat Willelmo Iprensi, quia fortunam suam prorsus mutatam vidit, interventu Fromoldi senioris efferri perpessus est, sicut omnia sanctorum scrinia et armamenta templi invitus permisit auferri. Stabat igitur ecclesia sancti Donatiani sola et deserta tandem relicta traditoribus, qui in ea scortum haberent et cloacaria sua et coquinas et furnos, et immunda immundi agerent. Iacebat quoque ipse piissimus et Dei servus Karolus comes solus adhuc in loco, quo martirium susceperat, relictus suis traditoribus. Igitur postquam elata sunt omnia, quae permissa sunt efferri, canonici flentes et sine consueta veneratione portabant reliquias sanctorum in dolore et suspiriis et planctu; nullusque preter clerum et paucos in efferendo ea sacra permissus est ad muros ecclesiae, utrobique enim stabant armati, precaventes sibi, et inter tot arma tamen sanctos venerati sunt, pacem et viamen latoribus sanctorum offerendo. Extranea fuit quaedam et rara valde talis processio, in qua Algerus camerarius prepositi, cappam iuxta morem clerici indutus, crucem ferebat; nam cum vitae desperaret, tali dissimulatione evasit. Indoluerunt ergo omnes boni et universi civium de tali rerum eventu, laeti quidem quod reliquias sanctorum obtinuissent, quae in predam inimicis et raptoribus loci relictae in ecclesia fuissent, si remansissent, sicut cum captione castri et invasione ecclesiae postmodum apparuit. Et notandum, quod in tanto tumultu rerum et tot domorum incendiis, quae per ignitas sagittas nocte tectis suburbiorum iniecerant ab intus, et etiam latrunculi exterius, ut sibi aliquid furarentur, et inter tot noctium pericula et tot dierum certamina, cum locum scribendi ego Galbertus non haberem, summam rerum in tabulis notavi, donec, aliqua noctis vel diei expectata pace, ordinarem secundum rerum eventum descriptionem presentem, et sic, secundum quod videtis et legitis, in arcto positus fidelibus transcripsi; neque quid singuli agerent prae confusione et infinitatione notavi, sed hoc solum intenta mente notavi quod in obsidione communi edicto et pacto[a] ad pugnam et eius caussam congestum est, atque ad hoc quasi me invitum ut scripturae commendarem coegi. Scalae igitur structura talis erat: Primum latior scala cum suis claviculis fabricata est iuxta altitudinem murorum castri; a dextris et a sinistris vero conceptae sunt virgae tenacissimae ad modum parietis; in fronte vero scalae consimilis paries consertus est; super quam scalam altera scala strictior et longior simili opere constructa superimposita est iacendo, ut post erectionem scalae maioris minor scala infra murum laberetur, atque parietes dextrorsum et sinistrorsum et in fronte consepti in defensionem ascendentium undique starent.

36. Hic non est pretereundum, quod plures inclusi fuerant intra castrum, qui in morte comitis rei non fuere opere vel consensu, sed vel intercepti erant simul cum reis eo die quo clausi sunt infra muros primum. Itemque plures erant qui sponte introierant simul cum sceleratis, qui licet in opere et materiali occisione non adfuissent, assentiebantur tamen reis. Itemque plures et in prima et subsequentibus obsidionis ingressi erant diebus causa pretii et lucri; inter quos inmanis et in sagittando sagax et velox tirunculus unus nomine 42 Benkin[42] aderat. Hic circumibat muros pugnando, modo hac modo illac discurrens, quandoque

a) facto *ed.*

comitis Flandriae et Adelae ex Gertrude filia Bernhardi II ducis Saxoniae, quae primum Florentio I comiti Hollandiae dein Roberto I Flandrensi nupserat. 42) Hic infra c. 76. 78 cognominatur Coterellus.

solus ipse videbatur fuisse plures, qui tot ab intro vulneribus inficeret et numquam cessaret. Cumque ipse ad obsidentes traheret, tractus ipsius discernebatur ab omnibus, quia vel percuteret gravi vulnere nudos, vel iactata sagitta quos persequebatur armatos sine vulnere contunsos, stupefactos in fugam vertebat. Affuit etiam cum reis illis miles Weriot, qui a tempore iuventae suae fur et latro manserat; hic stragem maximam inter extra muros insultum facientes fecerat in obruendo et deiciendo lapides, qui sola manu sinistra utebatur[a]. Ad haec vero nefanda infinitus erat reorum et coadiutorum infra muros numerus, die ac nocte vigiliis, pugna, insultibus, labore quoque diverso desudantium; nam portas castri terrae et lapidum et fimorum comportationibus introrsum humaverant ab imo usque ad summum, ne exustione et incendio portarum facto ad eos forte ingrederentur a foris. Utique appositis ignibus in parte orientis portae grandes pene perustae fuerant, ita ut foramen maximum patuisset, nisi predicta materiarum mole obserassent. Tandem cum intrinsecus exitus portarum lapidibus et terrae aggeribus obruissent, a foris destruxerant utrobique pontes tam obsessi quam obsidentes, qui ad castrum directi olim fuerant, et ita nullus aditus relictus est inimicis vel exitus obsessis. 1127. Mart. 17.

37. Igitur cum securos fecissent se obsessi in exitibus suis, instabant obstruere fores templi ad meridiem et fores domus comitis, quae exibant in castrum, foresque quae a claustro se porrexerant in castrum, ut si aliquo suo infortunio curtem comitis perdidissent, sese reciperent in domum comitis et in domum prepositi, simulque in refectorium et claustrum fratrum et infra ecclesiam. Stabat autem ecclesia beati Donatiani aedificata in rotundum et altum, contecta fictitio[43] opere, ollis et lateribus cacuminata — nam olim tegumen ecclesiae lignorum compositione astruebatur — et elevata materia campanarii in altitudinem artificiosum opus eadem susceperat basilica; unde et honestatis suae fulgore preeminebat, velut regni sedes, et in medio patriae securitate et pace, iure et legibus undique terrae partibus salutem et iustitiam demandans. Quippe ignis dispendio omnis lignorum materies consumpta est olim, et ideo contra ignis molestiam lapideum et tale opus confinxerant ex ollis et lateribus, quod elementum igneum exurere non potuisset. In parte quoque eiusdem templi occidentem versus turris fortissima in eadem templi essentia altiore statura eminebat, in supremis dividens se in duas turres acutiores. Murus quidem circumcinxerat et domum prepositi et dormitorium fratrum et claustrum et pariter omne illud castrum, atque ille murus, quem tandem obtinere sibi presumpserant, propugnaculis et circumcursu ad extra pugnandum altior et fortior stabat. Et quamquam in se murus fortis et ascensoria firma fuissent[44], elaborabant nocte et die sese tutiores intrinsecus reddere, qui pugnaturos se fore contra universum mundum amodo intellexerant. Tunc tandem reminisci poterant proverbii sui: *Si interfecerimus Karolum, quis vindicaturus veniet illum?* Et vere, infiniti erant, et eorum ad vindicandum venientium incertus hominum preter Deum numerus erat, et ideo *quis* nomen interrogativum et infinitivum in proverbio eorum vim rectam et plenam obtinuit. Et sciendum, quia milites illi strenui intus quidem cum reis fuere, quibus semper animus exeundi vel extra a muro cadendi et labendi erat promptior, si forte locum habuissent, eo quod communiter sub nota traditorum adscriberentur, quicumque obsessi sunt cum reis. Quo rescito, principes obsidionis, collectis consiliariis et optimatibus maioris prudentiae, accesserunt ad muros, et usi sunt colloquio cum omnibus intro obsessis. Iusserunt igitur sibi ad spectaculum murorum evocari illos obsessos, qui rei non fuerant, et obtulerunt eis licentiam et potestatem, si vellent, exeundi ab obsessis, salva vita et membris eorum quorum quidem aperta foret innocentia; ceterum preter reos si aliqui exire vellent et probare innocentiam suam secundum iudicium principum, eadem libertate exirent, reis vero nulla dispensatione subveniretur, qui tantum facinus et ante hoc inauditum perfecerant crimen, imo inaudito plecterentur exterminio et ante hoc inaudita moriendi acerbitate. Igitur secundum edictum et pactum huiusmodi exierunt perplures, quia eorum erat aperta innocentia, aut parati fuerunt quibus minus credebatur probare innocentiam.

38. Tandem prepositus vultu tristiore et omisso maiestatis suae rigore et superbia, mente consternatus, accessit ad colloquium, et frater eius castellanus Haket usi sunt humili ratione in verbis huiusmodi. Responsalis quidem prepositi et omnium obsessorum erat

a) utebantur *edd.*

43) i. e. fictili. 44) Videntur hoc loco esse turres, muris hinc inde impositae, quas ascendebant defensores.

1127. Mart. 17. castellanus Haket, qui solus pro omnibus loquebatur, et respondit ita principibus: *Domini et amici nostri, qui nostri miserentur, si aliter nobis accidisset, aliquo vestigio dilectionis antiquae debent pietatis officia erga nos exhibere, quantum poterunt salvo honore suo et facultate. Rogamus ergo vos et obsecramus, principes terrae huius, et mementote quantae dilectionis bona consecuti fueritis a nobis, miseremini nostri qui mortem domini comitis vobiscum conquerimur, deflemus, reos damnamus, et prorsus expelleremus a nobis, nisi quod nostri sanguinis propinquitatem inviti quidem servamus in ipsis. Tamen obsecramus potentiam vestram, audite nos super nepotes nostros, quos reos dicitis, ut liceat eis per vos exeundi obtinere libertatem iam a castro, et deinde, instituta eis pena pro tam inmani facinore ab episcopo et magistratibus, abeant in exilium perpetuum, ut sic quoquo modo in cilicio et penitentia Deo mereantur reconciliari, quem graviter offenderunt. Nos vero, ego et prepositus et Robertus puer cum hominibus nostris parati sumus, secundum universi generis iudicium, satisfacere omnibus, quod innocentes sumus ab opere et consensu traditionis, et super hoc innocentiam nostram probare omnimodo parati sumus, si quis sub coelo hominum dignetur suscipere probationis nostrae argumenta. Dominus meus prepositus coram universo clero suae innocentiae probationem quantumcumque gravem se facturum offert, eo quod conscientiam suam mundam testetur. Requirimus iterum a vobis, ut salva vita et membris suis permittatis nepotibus reis et in traditione notatis habere in exilium eundi libertatem, et nobis verae probationis sententia purgari, militibus secundum ius seculare, clericis secundum scripta divina examinari liceat. Quod si fieri abominaveritis, volumus melius sic obsessi simul cum reis vivere, quam ad vos exire et turpiter mori.* Cumque complesset orationem castellanus Haket, exorsus est quidam militum obsidionis nomine Walterus respondere predictis: *Nullius beneficii memores esse vestri nulliusque dilectionis antiquae vestigia iure observare deinceps debemus, qui dominum comitem traditum, a nobis, sicut dignum fuit, tumulandum et deflendum, violenter seclusistis, simulque cum reis participastis thesaurum regni, et regalem aulam ipsius iniuste possidetis, impiissimi traditores domini vestri, ad quos amodo nihil pertinet de regno et comitatu. Omnia enim, tam vitam propriam quam rem extrinsecam, iniuste possidetis, quoniam quidem sine fide, sine lege vos fecistis, et idcirco omnes christiani nominis professores contra vos armastis, quoniam principem terrae huius pro iustitia Dei et hominum tradidistis, in sacro quadragenario, in sacro loco, in sacris orationibus Deo prostratum. Itaque deinceps fidem et hominia, quae hactenus vobis servavimus, exfestucamus, damnamus, abiicimus.* Aderat huic collocutioni totius obsidionis multitudo, qui statim, finita responsione ista, arreptis festucis exfestucaverunt illorum obsessorum hominium, fidem et securitatem, et separati sunt ab invicem colloquentes sibi animo irato et obstinato utrobique, hinc ad expugnandum, illinc ad resistendum.

39. Eodem die ab armigeris abbatissae Auriniacensis coenobii audivimus eventum Isaac, qui eadem nocte qua fugerat, cum se credidisset venisse Gandavum, venerat iuxta 45 Ipram. Fugit ergo inde usque in Steenvordam, villam Widonis generi sui[45], ubi accepto consilio, nocte Teruanniam descendit, et latenter et furtim monachicum habitum assumpsit. Ceterum rumor et requirentia universorum persequebatur fugientem, ut nullatenus lateret 46 quin statim veritatem rescirent. Igitur advocati Teruanniae filius[46], cum Isaac resciret, irruit in claustrum fratrum, et reperit in cuculla latentem in ecclesia et quasi psalmos ruminantem. Cumque captum eduxisset Isaac, virgis et vinculis coactum et flagellatum constrinxit, et ita extorsit ab eo, ut reos in comitis traditione proderet. Et respondit, confitens de se et aliis nominatim reis, superaddens plures fuisse qui conscii sceleris et administratores fuissent reorum, tradentium actualiter comitem, scilicet gladio materiali. Subiunxit quoque de coniuratione proditionis suae cum Borsiardo et Willelmo ex Werui, Ingranno de Esna et Roberto puero, Wlfrico fratre prepositi et paucis simul annumeratis homicidis pessimis. Et retulerunt aliqui, dixisse Isaac in suffossione unius quercus in pomerio domui suae adiuncto pecuniam radicitus abscondisse, quam milites loci nostri perscrutando et circumquaque fodiendo usque in viscera terrae ibant frustrati.

Mart. 18. 40. 15. die ante Kal. Aprilis, sexta feria, adductae sunt scalae adversus muros, et impetebant utrobique sese sagittis et lapidibus. Illi vero qui scalas adduxere, clypeis defensi et loricas induti progrediebantur. Multi equidem consequebantur ad spectandum, quomodo erigerentur ad muros scalae, eo quod ex viredine et humiditate graves essent et ponderis

45) i. e. sororii, ut probat ipse infra c. 58 et Walterus c. 34. 46) Arnulfus filius Eustachii advocati.

magni, in altitudinem habentes circa mensuras 60 pedum hominis, et in latitudinem pedum 12 scala inferior, et scala superior admodum strictior, sed longior parumper extitit. Cumque trahebantur scalae, iuvabat manus, vox et clamor trahentium, et resonabant clamores in aere altiori. Tunc Gandenses armata manu protegebant illos clypeis, qui scalas traherent; nam audito et viso tractu, obsessi super muros ascenderunt et ad propugnacula prodibant, obruentes lapidum infinitos iactus et sagittarum densitatem contra scalarum attrectatores. Ceterum animosi iuvenes et audaces, appositis parvulis scalis, quas 10 homines solebant ferre, volentes prevenire insultum maiorum scalarum, ascenderunt ad murum unus post alium. Sed cum aliquis in summitatem ascensum et super murum intentaret, illi qui ab intus latitabant, insidiantes ascensoribus, hastis et conto et telis deiecerunt herentem in scala, ita ut nullus tam audax, tam velox amplius foret qui auderet ingredi ad obsessos per scalas minores. Interim murum perforare satagebant cementariorum malleis et universis ferramentis alii, et magnam partem muri avellentes frustrati recesserunt. Sed cum trahentium multitudo prope muros conscendisset, et acrius utrimque pugnaretur in obruendo moles lapidum ab intus, densae noctis tenebrae prohibebant utrosque a pugna; et multa laesione accepta, Gendenses expectabant diem crastinum, quando universa simul cum ipsis obsidio, violenter erectis maioribus scalis, ingrederentur ad obsessos. 1127. Mart. 18.

41. 14. Kal. Aprilis, sabbato, cum lucescente mane obsessi in diversa vocati parte castri post pugnas quotidianas membra laxassent quieti, et cum paulisper securiores forent, quod hesterno die egregie pugnassent contra forinsecos Gendenses — namque ea securitate vigiles murorum preconato die introierant in domum comitis ad ignem tepefacere se propter asperitatem frigoris et ventorum, in vacuum relicta curte castri — cives nostri in meridionali parte, qua sanctorum reliquiae elatae fuerant, intro conscenderunt per subtiles scalas et latrices quas solus homo ferret. Intus quippe sine sonitu et clamore sese collegerunt in magnas acies et premunitas ad pugnandum, statimque ordinabant minores inter se ituros ad portas maiores, ut terrae et simul lapidum congeriem sustollerent a portis et introitum facerent extra consistentibus universis, qui hoc factum adhuc ignorabant. Portam quoque unam castri in parte occidentis repererant clausam firmiter clavi et sera ferrea, nullaque terrae et lapidum obiectione obrutam, quam ideo liberam observaverant, ut per illam reciperent et emitterent quos vellent traditores illi. Quam statim ipso accessu gladiis et securibus nostri burgenses aperuerant, et circa concitato clamore et strepitu armorum, intrinsecus in tumultum et concursum conturbaverunt exercitum in circuitu castri. Igitur irruerat gravissima obsidionis manus intra castra, alii ut pugnarent, alii ut raperent quaecumque infra reperirent, alii ut intra ecclesiam ingressi corpus beati comitis obtinentes Gandavum transferrent. Tunc traditores illi, qui in domo comitis gravi sopore soluti iacebant, terrore et clamore infinito expergefacti, ignari rerum eventus, discurrebant visum quidnam clamorum caussa foret. Et cum rerum pericula sibi inminere cognovissent, prosilientes ad arma, instabant prae foribus expectantes congressum. Quidam ex ipsis in ingressu civium nostrorum inter castrum intercepti sunt ad unam portarum, milites quidem plures, quibus custodia earundem portarum deputata fuerit in parte orientis, qui cum introgressis civibus tumultum subeuntes, cum nihil ulterius possent, sese reddiderunt misericordiae et pietati[a] captivantium. Quidam vero eorum diffidentes vitae suae, si a civibus caperentur, a muris dilapsi sunt, unus quorum in labendo precipitatus Giselbertus miles expiravit. Quem cum mulierculae traxissent in domum, et exequias sibi prepararent, castellanus Theodoricus[47] et sui rescitum mortuum illum caudae equi copulatum, per omnes plateas suburbii tractum, tandem in cloacarium in medio fori proiectum deturbavit. Igitur cum cives intellexissent illos velle resistere prae foribus in domo comitis, conscensis gradibus, quibus itum est ad easdem fores, securibus et gladiis detruncabant ianuas, et introgressi ad obsessos, fugabant eos per mediam domum eandem usque ad transitum, quo transire consueverat comes de domo sua in ecclesiam beati Donatiani. In hoc ergo transitu, qui arcuatus erat et ex lapidibus constructus, congressus maximus fuit, ubi cives cominus gladiis tantummodo pugnabant, eo quod obsessi ulterius fugere aspernarentur. Satis vires et animos suos tentantes, utrimque stabant inmobiles, sicut ipse murus, donec, collecta manu, cives non pugnando, sed ruendo in obsessos, in fugam converterent ipsos, scilicet Borsiardum, qui inmanis et iracundus, ferox et imperterritus, robore corporeo Mart. 19. 47

a) pietate *ed.*

47) Dixmudanus.

1127. Mart. 19. validior, restitit civibus semper in faciem, multos vulnerans, sternens et ictu malleatorio gladii sui attonitos plurimos deiciens. Simulque fugabant Robertum puerum, in quem nemo manum mittere volebat, eo quod audissent de eo quod innocens traditionis diceretur, atque imo magis, quod omnibus in regno et ante traditionem et post dilectior permanserat; fugere ille nobilis neglexerat, sed rogatu amicorum secutus est fugientes; et nisi caussa ipsius fuisset, ibidem Borsiardum et suos milites simulque omnes reos traditionis comprehendissent. Cumque sese traditores infra templum recepissent, non ulterius persecuti sunt eos cives, sed ad predam et spolia reversi sunt, discurrentes per domum comitis et domum prepositi et dormitorium fratrum et claustrum. Consimiliter fecerunt universi qui in obsidione aderant, sperantes thesaurum comitis se forte obtenturos, et supellectilem domorum infra muros positarum. Et quidem in domo comitis culcitras plures, tapeta, linteamina, sciphos, caldaria, catenas, ferrea claustra, vincula, compedes, nervos, boias, manicas, universae captivitatis adminicula ferrea, et fores ferreas thesauri comitis, et plumbeos ductus aquarum, qui a tectis aquas deduxerant, diripiebant, sine aliqua culpa credentes se rapere potuisse. In domo prepositi etiam lectos, scrinia, sedilia, vestes, vasa et universam supellectilem eius rapuerunt. In cellario tam comitis quam prepositi et fratrum quoque cellario, frumentorum et carnium et vini et cervisiorum copiam quantam rapuerint, infinitum relinquo. In dormitorio fratrum, quod vestibus pretiosis et caris stratum stabat, tam magnam rapinam exercuerunt, ut non cessarent a tempore ingressus in castrum usque in noctem ire et redire ad asportandum.

42. Obsessis ergo nihil preter solum templum relictum est, et absque eis quae in templo secum comportaverant victualibus, scilicet vino et carnibus, farina, caseis, leguminibus, et ceteris necessariis vitae. Hic pretereundum non est qui erant capita inter obsessos, scilicet castellanus Haket, Borsiardus, Robertus puer, Walterus filius Lamberti in Reddenburg, Wlfricus Cnop. Nam prepositus Bertulfus tertia nocte, id est nocte diei Iovis ante captionem castri[47*], data pecunia Waltero butelgir usque ad 400 marcas, de subtus lobium suum funibus appensus, elapsus est solus, melius confidens illi Galtero quam ulli hominum 48 super terram, qui tamen ipsum transductum in desertum locum, scilicet Mor[48], solum reliquit, expositum inimicis suis et derelictum fugae, cum tamen in loco illo sibi ignoto nesciret, quo fugeret et quem fugeret. Igitur obsessi in templo conscensa turre molares lapides obruebant super vagantes in castris, et predam universae supellectilis ferentibus gravem iniecerunt casum, ubi plures obruti letaliter perierunt. Sagittas statim direxerant contra fenestras turris victores castri, ut non posset in turri quisquam caput per fenestras emergere, cui non inicerentur mille sagittae, mille fundarum iactus, ita ut tota turris sagittis inherentibus hirsuta staret. Cumque nihil super hoc proficerent utrimque, obsessi flammas iniecerant in tectum scolarum, quod templo adiacuerat, per hoc volentes domum prepositi exurere, cui idem tectum vicinum fuit. At in illo facto frustrati, deorsum in pavimentum templi et in choro et in sanctuario interiore discursitantes, armati et precauti sollicitabantur, ne auderet aliquis per fenestras introgredi ad ipsos, aut per ianuas ecclesiae violenter irrumpere.

43. Summo igitur mane unus ex Gendensium turba iuvenis per scalam ascendens ad capitalem sanctuarii ecclesiae fenestram, gladio et conto perfringens opus vitreum et ferreum, illapsusque audaciter aperuit scrinium unum sanctuarii, ut predam quereret. Inclinus quoque revolvere ceperat, et manum hac et illac deducere, cum ianua scrinii gravis et in casum preceps percuteret furem et predonem illum, et reiecit a se emortuum; sed isdem mortuus plumarum congerie contectus, diu ibidem iacuerat, nam maximus plumarum cumulus in sanctuario iacebat. Interea dum diu a Gendensibus expectaretur ille iuvenis, et non rediret, volebant violenter conscendere per fenestram; nam iuvenem illum premiserant, velut audacissimum, per quem temptarent ingressum templi, et sic comitis corpus obtinere crediderant. Contra quos nostri cives armis occurrebant, nec unquam perpessi sunt Gendenses vel etiam loqui coram se de auferendo comitis corpore. Valde et supra quam mihi credat aliquis, indignati sunt cives nostri quod aliquis hominum a loco nostro corpus auferre moliretur. Contendentibus illis, exerebant gladios ad invicem et factus est tumultus et concursus universorum ad pugnam. Ceterum obsessi tunc, quantum poterant, infestabant victores, quorum sapientiores, audito tumultu et de victoria et lite, scilicet quod

47*) Mart. 17. 48) *Mor* sive *Moer* Belgis est locus palustris et uliginosus. ACT. SS.

1127. Mart. 19.

Gendenses contenderent se iure corpus comitis secum apud Gandavum transferre debere, eo quod suis scalarum instrumentis perterruissent obsessos, et coegissent eos fugere a castro, et quod nostri cives e contra assererent, nihil valuisse instrumenta eorum, nihil aliud in obsidione fecisse quam furari et sumptum gravem facere in loco nostro, dirimendo lites sedabant tumultum dicentes: *Nolite contendere, sed potius simul expectemus quoadusque Deus nobis et regno contradiderit comitem bonum et legitimum, cuius et principum regni et episcopi nostri et totius cleri consiliis de corpore fiat dispensatio.* Atque in hunc modum pacificati, instituerunt invasores templi viros armatos et audaces ad invasionem. Collecto ergo robore, impetuose introierunt et irruperunt ad ianuam templi versus claustrum, et fugaverunt obsessos a pavimentis inferius usque in solarium, in quo impie et fraudulenter tradiderant dignissimum terrae consulem, simulque cum domino suo servi arctati sunt, quamquam sine velle ipsorum cum domino suo consule clausi forent. Tunc tandem Gendenses in sanctuarium ingressi, requirebant iuvenem illum, quem in mane premiserant per capitalem sanctuarii fenestram, et repererunt in plumis conquassatum et mortuum, quem alii mentiebantur occisum a Borsiardo, cum illaberetur incaute in templum. Neque enim describere locus, quantus iactus fuisset lapidum a solario super victores pavimentorum templi, et quot obruti, conquassati, telis et sagittis vulnerati, ita ut totus chorus templi plenus iaceret cumulo lapidum, et nusquam pavimentum appareret. Parietes et vitreae fenestrae in circuitu et status simul et sedes fratrum deiectae sunt, et ita totum erat confusum et dirutum, ut nulla in templo facies sancta et integra maneret, sed turpi et informi deformitate horribilior staret quolibet carcere. Nam in solario obsessi preparaverant sibi propugnacula ex scriniis et tabulis altarium et formis[49] et scamnis et cetera supellectile 49 templi, et colligaverant ea funibus campanarum. Campanas quoque in frusta et plumbum, quo antiquitus contecta erat ecclesia, diviserunt, cum eo obruentes alios. Infra enim ecclesiam, scilicet in choro, pugnabatur acerrime, sed a turri et a ianuis turris tanta strages facta est, ut non sufficiat mihi describere neque percussorum et vulneratorum multitudinem prosequi.

44. Igitur domum comitis superiorem obtinuit Gervasius miles et camerarius et consiliarius comitum regni cum fortitudine magna, et iussit affigi signa sua in summa arce domus; namque ex invidia obsessorum hoc factum est, qui statim primo die obsidionis, etiam in die qua dominum suum servi impii tradiderant, signa contra inimicos ferebant. Unde Willelmus ille Iprensis signa, quasi dominus et terrae consul, ferebat contra quosdam, qui sibi redditus consulares solvere denegaverant, quia illum consulem fore aspernati sunt. Traditores quidem illi die primo obsidionis nihil humiliter agentes, quia principes regni sibi conscios in scelere suo et securos in eadem fide et amicitia crediderant, cum ipsis signa sua in suprema arce camerae comitis, et in summitate turris ecclesiae et in minoribus tribus, et in lobio prepositi simul in exitu portarum superbe prefixerant, ut per hoc appareret ipsos fuisse dominos, qui expectarent regni proceres, amicos et conscios suos, per quorum potentiam obsidionem destruerent, et inultum maneret quod consulem tradidissent. Desiderius frater Isaac obtinuit inferiorem domum comitis cum civibus nostris, et fixerat signum suum in lobio comitis maiore. Quem cum transeuntem Robertus puer in castro vidisset a turri, improperabat taliter: *O Desideri, non es memor, quod tu hactenus nobis consuluisti tradere dominum consulem? Fidem super hoc et securitatem tradidisti, et nunc viso infortunio nostro, gaudes et persequeris nos. O utinam liceret mihi exire! ad singulare bellum te evocarem. Deum testor, quod tu magis sis traditor quam nos, eo quod olim dominum, modo nos tradidisti.* Quod improperium non sine omnium nota tulit.

45. In domo quoque prepositi nepotes Tancmari, quorum caussa in parte traditio facta est, ut aiunt, prefixerant signa sua superbe et gloriose ac potenter. Quod valde aegre ferebant omnes. et cives nostri nimis indoluerant, eo quod prepositus et sui ante tempus traditionis viri essent religiosi, amicabiliter se habentes erga eos, et cum honore omnes tractassent in loco nostro et in regno commanentes. Hi ergo predicti, postquam obtinuissent domos et signa affixerant, quicquid intus repererant, quasi proprium possidebant. Intumuit ergo cor civium nostrorum contra nepotes Tancmari, et querebant occasionem pugnandi et interficiendi illos. Igitur ad vesperam sabbati illius, cum frumenta et vinum, quod obtinuerant in domo prepositi, apud rus suum emitterent nepotes Tancmari, occurrerunt eis cives

49) Sellae in choro canentium.

1127. Mart. 19. nostri in claustro, et extractis gladiis vas vini truncabant, et concitatus est tumultus infinitus, et clauserunt cives portas suburbii, ut nemo aufugeret nepotum illorum. At obsessi evocaverant cives, olim amicos suos, obsecrantes ut inimicos illos perderent, quorum caussa gravissimum nefas perpetrassent. Nepotes igitur Thancmari in eadem domo prepositi resistere cum non potuissent civibus, querebant subterfugere. Thancmarus ipse fugiendo pervenerat ad exitum unius portae, et quia clausa fuit, cum quereretur ab eo quid caussae fuisset tanti tumultus, mentitus est congressum fieri inter obsessos et obsidentes. Tandem latuit in domuncula una, quousque videret quid de nepotibus suis ageretur. Cumque cives per pontem sancti Petri et per pontem castri armata manu transirent, obviam eis occurrit Walterus butelgir et ceteri principes obsidionis, conatu gravi compescentes tumultum. Tot equidem lanceati stabant in foro, ut crederet aliquis superficiem hastarum silvam fuisse densissimam. Nec mirum, cum universi totius regni eodem die, tum pro preda, tum pro vindicta, tum magis pro auferendo consulis funere, tum pro admiratione omnium quae ibidem fiebant, in suburbium confluxerant. Clamabant itaque omnes Thancmarum et nepotes eius iure suspendi debere, eo quod eorum caussa comes occisus, et prepositus et eius nepotes obsessi, et plures de ipsorum familia interfecti et turpissima morte dampnati fuissent, ideoque non posse eos perpeti, ut parcerent eis, imo turpiori et magis crudeli nece dampnarent, qui dominos suos, prepositum et fratres simulque eius nepotes, potentiores et nobiliores in comitatu, fraude, seditione, coemptione facta, apud comitem deposuissent. Vix ergo turbatos cives principes cohibebant, quia castellanus Haket et Robertus puer cum amicis et propinquis ipsorum civium in turri altiore stantes annuebant brachiis et manibus, ut insultum facerent in nepotes Thancmari, qui ita arroganter in domum prepositi conscenderant, signa victricia affixerant, quasi suis viribus castrum expugnassent, cum eo tempore quo cives ingressi sunt violenter in castrum, nepotes Thancmari domi et in rure suo dormirent. Illa tandem conditione sedatus est tumultus, quatenus ipsa hora exirent domum et signa quae affixerant verecunde tollerent et discederent. At illi cum ductu principum periculoso sibi recesserunt inde, in tantum diffidentes civibus, ut unusquisque nepotum Thancmari equo et suo secum ductore insidente abscederet. Et sic relicta est domus sub tutela militum et civium nostri loci, et frumentum et vinum dispertitum est inter principes obsidionis et cives, quorum viribus victoria illo die consummata est. Et tandem clausus ille dies sollicitos nimis reddidit super noctis subsequentis temporibus observandis, et in curte castri et in claustro fratrum simulque in domo prepositi et refectorio atque fratrum dormitorio. Nam illo usi sunt consilio obsessi, ut claustri et domorum tecta circa templum flammis destruerent, ne accessum aliquo modo ad ipsos obsidentes haberent. Inde stupefacti custodes noctis sollicitudine et metu pervigilabant. Saepe obsessi clanculo egressi nocturnis horis incusserunt timores custodibus. Ceterum in tam arcto loco turris templi, traditores vigiles suos omni nocte obsidionis tubis et buccinis resonare iusserant et cornu canere, adhuc evadere sperantes, eo quod principes regni per litteras in turrim sagitta transiectas amicitiam et auxilium offerrent.

46. Prepositus vero conductorem habens fratrem Fulconis canonici Brudgensis, militem subdolum, ex precepto Walteri butelgir, nocte prescripta diei Iovis [49*] pervectus est equo 50 apud Kaihem villam [50] eiusdem Walteri et Borsiardi. Cumque parum ibi delituisset et accusatus fuisset, cum uno comite nocte Furnas ad uxorem suam fugit, et inde iterum, quia latere non poterat, in nocte sancta parasceue [50*] transivit ad Warnestum, sicut audivimus, eadem nocte, et fugam instituit et nudis pedibus penam peccatorum suorum sponte perpessus ibat, ut tanto peccatori Deus indulgeret, quod contra consulem pium deliquerat. Satisque probabile fuit, quia postea statim cum captus fuisset, pedum ipsius plantae excorticatae apparuerunt, quia in itinere nocturno ad lapides in tantum offenderat pedes, ut sanguis ex eis efflueret. Et vere gravissime vir iste dolebat, qui pridem omnibus imperitabat, divitiis et honore seculi pollebat, et cum in voluptate floreret, punctum pulicis ut iaculum formidaret, ecce! solus et infra terminos suos exul solus pererrabat. Revertamur ergo ab excursu isto ad vigilias noctis prefatae, in qua timores nocturnos cum ad invicem incuterent sibi tam obsidentes quam obsessi, pertesi et fatigati utrimque diem pro nocte transposuerant ad dormitandum.

49*) i. e. Mart. 17. 50) *Keiem* prope Dixmudam. 50*) i. e. Apr. 1.

47. 13. Kal. Aprilis, dominica, in nocte Benedicti abbatis, ex Atrebato rex Franciae 1127. Mart. 20 Lodewicus mandavit principibus et baronibus obsidionis predictae salutem, fidem et auxilium; insuper omnem gratiam pro vindicando nepote suo et Flandriarum aequissimo consule Karolo, quem iustius decuerat fuisse regem quam pessimorum traditorum comitem: *Non habeo quidem ad vos ad presens transeundi oportunitatem, eo quod festinantius cum paucis huc descenderem auditum et scitum eventum rei et obsidionis. Non enim sapienter mihi agere visum est in manus traditorum terrae incidere, quoniam, sicut intelleximus, plures sunt adhuc qui super obsessos dolent, et eorum sçelera defendunt, et ad eorum evasionem omni modo laborant. Igitur quia terra conturbata est, et coniurationes iam factae sunt in personam Willelmi, ut violenter regnum obtineat, et contra eum omnes fere de civitatibus adiuraverint, se nullo modo Willelmum illum in comitem recepturos eo quod spurius sit, natus scilicet ex nobili patre et matre ignobili, quae lanas carpere, dum viveret ipsa, non cessaret, volo et precipio vobis, sine dilatione coram me convenite, et communi consilio eligite comitem utilem, quem vobis aequalem et terrae et incolis preesse consenseritis. Nec poterit diu terra sine consule fore, nisi cum graviore periculo quam modo inmineat.* Cumque perlectae sunt litterae coram universis, ecce! dum nondum respondissent litteris regis utrum irent an non, supervenit alius nuntius nepotis[51] comitis Karoli, demandans principibus obsidionis salutem et naturalem erga omnes terrae inhabitatores dilectionis affectum: 51 *Certum est vobis omnibus meae sorti et potestati regnum Flandriae post mortem domini mei consulis iure cognationis pertinere. Idcirco considerate et caute agere vos volo super electionem meae personae, et premonitos vos rogo, ne me alienum a regno faciatis, qui iure et ex debito propinquitatis, si mihi remandaveritis, comes futurus, iustus, pacificus, tractabilis, et utilitatis communis atque salutis provisor accurro.* Tunc principes simulque omnes qui audierant litteras ab Elsatan a nepote consulis transmissas fictitias asserentes, nulla animadversione responsionis agebantur, eo quod res publica laboraret, et rex e vicino conventum acceleraret, neque sine longa opera pro eligendo nepote illo se tractare posse previderent. Utilissimum ergo preanticipantes consilium, ex imperio regis preparabant se ituros feria secunda et tertia. Postea tamen ex industria et consilio singulari principes, convocatis civibus, proruerunt in eadem dominica ad arma, et invaserunt obsessos in turri. Quodque ideo factum est, ut perterritos obsessos magis exanimarent[a] et pavidos redderent, quod in discessu subito ad regem a principibus facto non auderent a turri exire vel aufugere. Congressus quidem gravis utrimque factus est, et adhuc obsessos latebat cur in dominica insultum facerent in eos, cum omnes ceteras de preterito tempore dominicas in pace observassent. Exierunt igitur secunda et tertia Mart. 21 feria apud Atrebatum locutum regi, ordinatis illis, qui turrim nocte ac die armati caute et Mart. 22. fideliter, ne quis obsessorum subterfugeret, observarent.

48. 10. Kal. Aprilis, feria quarta, Isaac captus est et suspensus, liberator meus[52], Mart. 23. finitis tribus hebdomadis ab occisione comitis, ante annuntiationem sanctae Mariae et ante in ramis palmarum. Lambertus Archei a turri elapsus evasit, fugiens apud Michem villam, navicula devectus. Hic de consilio Borsiardi fuit, et nequiter semper egit consiliando, agendo, et ad omne nefas instigando dominos suos, idcirco odiosus erat omnibus, qui in obsidione dolos illius audierant. Cumque a tempore obsidionis intra castrum clauderetur, usque ad tempus quo fugam subiit ad omne negotium quod intus agebatur strenuus erat, in sagittando peritissimus, in iaculando hastas et universa tela fortior, qui quidem stragem mortalem fecerat in hostes. Qui cum fugeret, a civibus requisitus est diluculo, et per totum illum quo fugerat diem, nam a turri cum se furaretur, exclamabat eis qui obsederant turrim Borsiardus, quando et ad quem locum suus consiliarius et tam familiaris fugisset. Tandem cives constipaverant villam, in qua fugitivus ille latuit, et a latibulo extractum reduxerunt eum captivum, et suspendio in foro nostro illum perdidissent, si eo tempore affuissent primates obsidionis, qui in Atrebato regno consuluerunt. Cuidam tandem Gerberto civi nostro sub fidei securitate commendatus, cuius ille cognatus fuit, qui illum cautelae custodia in vinculis constrictum usque ad presentiam primorum comitatus conservavit, ut illorum iudicio constaret quicquid fieri percenserent de illo.

49. 9. Kal. Aprilis, feria quinta, Woltra Cruual retulit nostratibus regem Anglorum Mart. 24. cum illo Iprensi Willelmo concordiam laudasse, pecuniam infinitam simul et milites 300

51) Erat ille Theodericus Alsatus consobrinus Karoli; Adelae matris sororem Gertrudem in matrimonium duxerat Theodericus Lotharingiae dux. 52) Quod alias silentio praeteriit auctor. a) examinarent *ed.*

1127 Mart. 24. prestitisse in auxilium ad obtinendum comitatum Flandriae. Quod cum falsum foret, tamen simulata fraude quasi credibile diffamavit. Nam vere constitit illum Willelmum Iprensem suscepisse de thesauro comitis Karoli Anglicae monetae 500 libras per manus nepotum prepositi Bertolphi, qui impiissimi traditores sibi et regno preferre conati sunt eundem Willelmum, qui ab eis quidem pecuniam, consilium et auxilium obtinuerat, et cotidianis litteris missis in invicem et remissis mutuas voluntates et conscientiarum secreta loquebantur. A rege ergo Anglorum mentitus est miles prefatus Willelmum suscepisse donaria pecuniarum, volens tegere traditiosam conscientiam Willelmi, qui vere a traditoribus submissam pecuniam acceperat, per quam solidarios[53] compararet, et sic cum virtute cum comitatum obtinuisset, traditores suas voluntates consequenter per ipsum consummassent. Nullus vero primatum obtenturus in regno voluit aliquid consilii vel internuntii traditorum aperte suscipere, eo quod statim sub nota traditionis conscriberetur. Ideo ille Willelmus tegebat conscientiam suam, et pecuniam a rege mentitus est sibi fuisse transmissam, quasi nihil commune haberet vel secreti cum traditoribus, qui tamen manifeste ante tempus obsidionis salutem et auxilium litteris signatis mandaverat preposito et suis[54]. Qua tempestate Giselbertus, nepos traditorum, castellanus Bergensis[55], qui sub nota traditionis erat, ad castellanum Sancti Audomari[56] subterfugerat, offerens excusationem suam et innocentiam se paratum probare coram rege et paribus regni.

Mart. 25. 50. 8. Kal. Aprilis, feria sexta, annuntiatio Domini, quo etiam die passus est Dominus[57], Mart. 26. celebrata est. Sabbato in ramis palmarum machinamento et dolis Gendensium actum est, ut per ducatum magni preconis et Ansboldi militis et civium quorundam nostrorum assensum, simulque ex consensu traditorum, nocte huius sabbati transacta, introirent in castrum et corpus piissimi comitis per manus traditorum a fenestris solarii eiusdem Gendensis coenobii fratres susciperent, et manticis et saccis collectum transferrent. Expectaverant quidem monachi duo per totum illud tempus oportunitatem furandi corpus. Cum igitur armati circa turrim deambularent illi qui monachis ducatum prestiterant, vigiles perterriti cornua circumquaque personuerunt, et evocati cives et observatores turris irruerunt contra preconem magnum et Ansboldum militem et suorum complices, fugantes illos et vulnerantes quosdam timore mortis nimis affectos. Pepigerant vero monachi coadiutoribus suis 100 marchas argenti se daturos, si forte per illum glebam consulis obtinerent. Igitur rescito eo, quod furtim et pretio aut quoquo modo alio monachi vellent corpus consulis auferre, cives precauti cum vigilanti turba sollicitae magis sese observantiae dedere.

Mart. 27. 51. 6. Kal. Aprilis, dominica in ramis palmarum, convenerunt burgenses nostri in agrum quod suburbio adiacet intra septas villae, convocatis undecumque Flandrensibus circa nos, coniuraverunt simul super sanctorum reliquias sic[58]: *Ego Folpertus iudex iuro me talem electurum comitem terrae huius, qui utiliter recturus est regnum predecessorum suorum comitum, iura potenter contra hostes patriae obtinere poterit, affectuosus et pius in pauperes, Deo devotus, semitam gradiens rectitudinis, et talis fuerit qui utilitati communiter patriae velit et possit prodesse.* Consequenter ergo omnes meliores civium iuraverunt, ex Isandica[59] Alardus scabinus cum sua potentia, ex Ostburg[60] Haiolum cum illius loci potestatibus, ex Reddenburg Hugo Berlensis cum[a] illius loci fortioribus, ex Lapscura[61], Ostkerca[62], Utkerca[63], Liswega[64], Slipen[65], Gistella[66], Oldenburg[67], Lichtervelda[68], Ladbeca omnes fortiores et meliores simili sacramento iuraverunt, eratque multitudo maxima coniurantium in id ipsum.

Mart. 30. 52. 3. Kal. Aprilis, feria quarta, in succinctione campanarum, reversi sunt ex Atrebato principes nostri, qui ad regem exiverant pro consulendo regno et eligendo consule secundum consilium regis Ludewici, Franciae imperatoris, atque omnium baronum ipsius et terrae nostrae electionem, et iuxta prudentem et patriae utilitati probabilem examinationem, cum tali relatu laeti et gaudentes, salutem et fidem ex parte regis et baronum denuntiantes nobis et omnibus terrae incolis, atque illis precipue qui ad faciendam vindictam pro morte domini Karoli consulis assidua obsidione desudaverant: *Rex Franciae Ludovicus omnibus regni filiis bonis salutem et gratiam et cum regali potentia in virtute Dei et fortitudine*

a) et *ed.*

53) stipendiarios milites. 54) Cf. supra c. 20. 25. 55) Frolulphus ut patet ex litteris. 56) Odonem. 57) i. e. erat dies Veneris. 58) De his et sequentibus cf. Warnkönig I, 140. 59) *Ysendyk* in Seelandia. 60) *Oostburg* ibidem. 61) *Lapschuere.* 62) *Oostkerke.* 63) *Uitkerke* in littore maris, in Flandria. 64) *Lisseweghe.* 65) *Slype.* 66) *Ghistel.* 67) *Oudenburgh* quae tres villae sitae sunt inter Brügge et Nieuwpoort. 68) *Lichtervelde* inter Dixmude et Thielt.

1127. Mart. 30.

armorum, invictissimum suae presentiae subsidium. Quia patriae ruinam simul cum comite tradito gravem previdentes indoluimus, severitatis rigore et inaudito ante hoc tempus supplicio vindictam acturi convenimus; et ut deinceps terra suo consule noviter per nos electo reconcilietur et convaleat, quicquid in subsequenti litterarum serie audieritis, obedite et facite. Igitur Walterus butelgir litteras protulit regis signatas coram universis civibus nostris, qui confluxerant simul in agrum predictum ad auscultandum regis mandatum, atque viva voce litteris testimonium confirmans, ait: *Audite, o cives nostri, quid consilii et negotii apud regem et eius barones actum sit et prudenti examinatum iudicio. Principes Franciae et primi terrae Flandriarum iussu et consilio regio elegerunt vobis et terrae huius consulem Willelmum puerum, natum ex Normannia, nobilem quidem genere, et hactenus inter vos ab infantulo educatum in puerum et inde in iuvenem fortem. Quem iuxta omnem consuetudinem bonam consuescere liquet, et qualem vultis talem habiliter flectere poteritis ad omnes bonos mores mansuetum et docilem. Ego quidem elegi ipsum, Robertus Betuniae, Baldwinus ex Alst et Iwan frater eius, castellanus ex Insulis*[69]*, et ceteri barones sublimaverunt illum in comitatu, fidem, securitatem et hominia ei fecimus secundum omnem modum predecessorum suorum comitum Flandriae. Ipse etiam nos pro merito nostri laboris donavit terris et prediis traditorum, qui secundum principum omnium iudicia proscriptione dampnati sunt, nihilque ipsis rerum vel miserationis preter gravissimam vel inexcogitatam adhuc mortem relictum constat. Precipio ergo et volo ac consulo absque dolo vobis, suburbanis simul omnibus qui assistitis, ut suscipiatis noviter electum comitem Willelmum et a rege comitatu donatum in dominum et consulem vobis. Ceterum et si quid est quod suae potestatis iure donari poterit, sicut teloneum et census terrae, libenter vobis condonari teloneum volentibus simul et censum mansionum vestrarum infra suburbium, me ipso denuntiante ex parte regis et comitis novi, condonabit absque dolo et malo ingenio.* Auditis ergo litteris et voce litterarum latoris, cives procrastinaverunt responsum de receptione seu electione novi consulis concedenda sibi, ut, accitis Flandrensibus, cum quibus eligendi sacramenta constituerant, simul aut concessionem facerent aut legationis regiae litteras refutarent, et quia tenuerant diem sermonum longis protractibus, reversi sunt cives a loco oratorio, ex communi consilio mandantes pro Flandrensibus tota illa nocte, ut electionem in persona novi consulis factam concederent aut reprobarent.

Mart. 31.

53. Pridie Kal. Aprilis, feria quinta, postquam convenerunt cives cum Flandrigenis, ex communi consilio consenserunt, ut in sabbato sancto paschae 20 milites et 12 e civibus seniores et prudentiores exirent obviam nuntiis regis apud Rauenschot oppidum ad colloquium, ibique Gendenses expectarent adventum nostrorum. Nam ex civitatibus Flandriae et castris burgenses stabant in eadem securitate et amicitia ad invicem, ut nihil in electione nisi communiter consentirent aut contradicerent. Qua in re burgenses nostri non sine Gendensium consilio agebant, qui a latere sibi vicinius assederant. Ibant itaque, sicut preordinaverant, in eodem sabbato sancto. Rex quoque, sicut in Atrebato preordinaverat, cum noviter electo comite descendit apud Insulas, ubi hominia facta sunt comiti, sicut in Atrebato, et inde descendit in villam nomine Dinsa[70] in itinere, quo iturus erat in Gandavum. In eadem vero villa expectavit rex Gendenses, qui reciperent novum comitem secundum preceptum suum et electionem primorum terrae. Igitur concorditer actum est inter nostros et Gendenses de receptione novi electi, ut susciperent eum in consulem et terrae totius advocatum.

Apr. 1.

54. Kal. Aprilis, feria sexta, in die parasceue, castellanus Haket a turri evasit solus, et transivit apud Liswega, et ibi latuit cum filia sua, quam ibidem duxerat olim miles magni generis et divitiarum plenus[71]; expectabat enim ille fugitivus quid deinceps ageret. 4. Nonas Aprilis, in sabbato sancto paschae, quidam cives nostri et Gendenses qui a colloquio reversi sunt, elegerunt Willelmum in comitem sibi et patriae, hominia, fidem et securitatem facientes comiti secundum morem predecessorum suorum comitum. Eodem die Gervasius constitutus est castellanus in castro nostro Brudgensi a rege et comite novo, cui suum meritum nondum per hoc meritum recompensatum est, cum tot et tanta in obsidione egisset, quae memoriae diligenter commendo lectorum. Nam in ipsa hora, qua tradebatur comes Karolus, ipse flendo et crines vestesque discerpendo, complosis manibus, clamabat discurrens in castro haec: *Heu! quod solus vindicare non possum dominum meum et aequissimum*

Apr. 2.

69) Rogerus. 70) *Deinza* inter Gent et Courtray. 71) Walterus Crommelin, probante praecepto quodam a. 1133 apud Duchesne in Hist. geneal. com. Gand. et Ghisn. p. 71. Cf. infra c. 104.

1127. *principem terrae nostrae, quem etiam nullus hominum defensare aut vindicare presumit.* Ibique principium vindictae ipse solus Gervasius constituit, et postmodum, secum Deo ipso
April. 3. pugnante, feliciter consummavit. 3. Nonas Aprilis, dominica sancta paschae, in Theodosiae virginis, littera dominica B, in expectatione suspensus erat et clerus et populus pro adventu regis et comitis apud nos. Quo die illi traditores pessimi communicaverunt se corpori et sanguini Christi, nescitur tamen per quem sacerdotem hoc factum fuerit. Eodem die sagittis infestabant in castro transeuntes obsessi et pessimi traditores, nullius fidei et reverentiae termino, sub expectatione turpissimae mortis sibi futurae vitam continuantes.

April. 5. 55. Non. Aprilis, feria tertia *Aqua sapientiae,* in crepusculo noctis, rex simul cum noviter electo consule Willelmo, Flandriarum marchione, Bruggas in suburbium nostrum venit, cui obviam processerant canonici Sancti Donatiani, reliquias sanctorum afferentes, et in sollempni processu regio more regem et comitem novum cum gaudio suscipientes.
April. 6. 8. Idus Aprilis, feria quarta, convenerunt rex et comes cum suis et nostris militibus, civibus et Flandrensibus multis in agrum consuetum, in quo scrinia et reliquiae sanctorum collatae sunt. Et silentio indicto, lecta est charta libertatis ecclesiae et privilegiorum beati Donatiani coram universis in presentia regis et comitis, ut contra ea quae privilegiorum paginis conscripta et a catholicis Romanis pontificibus sancita, et a nemine catholicorum regum et comitum corrupta constiterant, rex in sua persona simul et comes nullo temerario ausu se opponeret, sed potius regiae dignitatis prerogativa veneraretur sancita et suae potentiae corroboraret imperio. Libertatem vero eligendi canonice et sine simonia prepositum ex concessione domini papae, sicut privilegii sui inscriptione contentum est, se habere protestati sunt fratres eiusdem ecclesiae, quem quidem prepositum rex, si presens afforet, canonice et sine simonia electum potestativi officii sui ministerio et dignitate prelationis sublimaret et in locum prelationis subrogaret; quodsi rex non afforet, comes eiusdem potestatis officio functus, concessionem canonice electi prepositi et in locum subrogationis, et in propria persona et suorum faceret secundum predecessorum suorum catholicorum principum morem. Lecta est quoque chartula conventionis inter comitem et cives nostros factae de teloneo condonato et censu mansionum eorundem, quatenus pro pretio electionis et susceptionis personae novi consulis reciperent a comite libertatem huiuscemodi, ne teloneum aut censum deinceps ipsi aut successores loci nostri comiti vel eius successori solverent, sed perpetua illa libertate donati, sicut in charta conventionis conscriptum erat ad confirmandam libertatem eandem iuramentum a rege simul et a comite expostulatum susciperent, scilicet ne rex aut comes amplius per se vel per ministros pro solvendo teloneo et censu cives nostros aut ipsorum in loco nostro successores inquietaret, sed bono animo et sine malo ingenio et non subtracto tam privilegia canonicorum quam condonationem teloneorum et census inviolabiliter conservaret. Sub hac[a] ergo conditionis compositione iuraverunt rex et comes super sanctorum reliquias in audientia cleri et populi. Subsequenter quoque cives iuraverunt fidelitatem comiti, sicut moris erat, et hominia fecerunt ei et securitates, sicut prius predecessoribus suis naturalibus principibus terrae et dominis. Ut igitur benevolos sibi comes cives nostros redderet, superaddidit eis, ut potestative et licenter consuetudinarias leges suas de die in diem corrigerent et in melius commutarent secundum qualitatem temporis et loci. Tandem sacramento iusiurandorum confirmatis omnibus, reversi sunt rex et consul in hospitium, ubi delatae sunt in omnium audientia litterae huiusmodi ab iis qui obsidionem fecerant in Reddenburg primatibus: *Nos quoque huius obsidionis exactores electum novum Flandriarum consulem electuri erimus ex nostra parte, sub hac conditione quidem, ut in consuetas expeditiones, insuper pravas principum exactiones et telonea nova, quae doloso consilio Lamberti in Reddenburg noviter et preter ius consuetudinarium terrae instituta sunt, a nobis et a nostris viciniae incolis amplius amota damnes et destruas, et libertatem obtineant rustici nostri exeundi et depascendi pecudes suas super terram quae dicitur Mor sine coemptione prava instituta a Lamberto. Insuper de coemptione gravissima mansionum in Erdenburg, volumus quoddam medium regem et comitem ponere, ut per 12 nummos tantummodo redimatur unusquisque nummorum illorum, quos secundum positionem mansionum hactenus 16 nummis redimebant filii post mortem patrum suorum. Nobis ipsis quidem legem statuimus, ut si expeditio ex parte comitis nostri fuerit indicta, ille qui excusationem non habuerit legitimam, emendabit comiti 20 solidos. Super iis omnibus assensum tuum, domine rex, et concessionem et confirmationem comitis novi expostulamus,*

a) hoc *ed.*

quatenus iuramento confirmet omnia, quae in hac charta conscripsimus et audientia omnium [1127.] *promulgata constat. Monemus et obsecramus tam regis quam comitis personam et eius omni-* [Apr. 6.] *potentiam, ut Bertulphum prepositum et eius fratres Ulfricum Cnop, Haket castellanum, Robertum puerum, Lambertum ex Reddenburg cum filiis ipsorum, Borsiardum, et reliquos traditores numquam heredes fore permittant deinceps in comitatu Flandriae.* Cumque perlecta fuisset charta huiusmodi in conspectu universorum, iuravit comes novus se confirmare et concedere bono animo et sine malo ingenio et non subtracto omnia quae expostulaverant ab ipso. Ac deinceps per totum reliquum diei tempus hominia fecerunt consuli illi qui feodati fuerant prius a Karolo comite piissimo, suscipientes nunc similiter feoda sua et officia et quaecumque obtinuerant ante iure et legitime.

56. 7. Idus Aprilis, feria quinta, iterum hominia facta sunt comiti, quae hoc ordine [Apr. 7.] suae fidei et securitatis termino consummata sunt. Primum hominium fecerunt ita: comes requisivit, si integre vellet homo suus fieri, et ille respondit: *Volo*, et iunctis manibus amplexatus a manibus comitis, osculo confederati sunt. Secundo loco fidem dedit is qui hominium fecerat prolocutori comitis in iis verbis: *Spondeo in fide mea me fidelem fore amodo comiti Willelmo, et sibi hominium integraliter contra omnes observaturum fide bona et sine dolo;* idemque super reliquias sanctorum tertio loco iuravit. Deinde virgula, quam manu consul tenebat, investituras donavit eis omnibus qui hoc pacto securitatem et hominium simulque iuramentum fecerant. Eodem die Eustachius ex Stenvordia in Sancto Audomaro prius interemptus a civibus, et postea in conflagrationem illius domus qua subfugerat iniectus, in cineres combustus est; ipse enim sub nota traditionis talem perpeti mortem promeruit. Eadem die in Brugis comes dedit Baldwino ex Alst 400 libras preter 20, eo quod ipsius viribus et consilio maxime post regem in comitatu valuerit. 6. Idus Aprilis, feria [Apr. 8.] sexta, similiter hominia facta sunt comiti. 5. Idus Aprilis, sabbato, rex ibat apud Winen- [Apr. 9.] dala[72], locutum Willelmo illi Iprensi, adulterino comiti, pro concordia facienda inter ipsum [72] et verum novumque comitem. At illi adulterino comiti indignum fuit supra modum inire concordiam cum vero Flandriarum consule vel aliquam pacis compositionem se facturum, quia eum despectui habebat. Rex igitur aegre ferens superbiam et contemptum adulterini Iprensis comitis ipsumque dedignatus, ad nos usque reversus est. 4. Idus Aprilis, dominica, [Apr. 10.] comes noster, secundum consilium regis et principum, iturus fuerat apud Sanctum Audomarum, sed quia paucos habebat secum in via in quibus confideret, nocte ad nos rediit.

57. 3. Idus Aprilis, feria secunda, prepositus Bertulphus traditus est in manus illius [Apr. 11.] adulterini comitis, qui ideo magis studuerat et labore assiduo perquisierat, quo loco latuisset, ut, captivato eo, et divulgato quod prepositum Brudgensem cepisset, suae potestatis famam precipue emendaret, si de eo vindictam fecisset gravem. Nam, sicut prescripsimus[73], [73] in maturitate traditionis ab Ipra mandaverat eidem preposito apertam salutationem et suis, in quo famam suam turpissimam et traditiosam reddiderat per omnes regnorum fines. Igitur cum cepisset eum profugum et exulem in patria et inter parentes, tamen non satis poterat excogitare, quo mortis supplicio perderet, cuius conscius traditionis dicebatur. Et quamvis ille adulterinus calliditatis et astutiae taliter argumentis videretur probare innocentiam suam, tamen Deus, cui nihil resistit, cuius auctoritate dictum est: *Nihil occultum,* [Matth. 10, 26.] *quod non reveletur,* hanc inhumanam turpitudinem et tanti principis sui traditores fidelibus suis manifestavit, damnavit, proscripsit, precipitavit. Tantus erat tumultus, clamor et concursus Iprensium et totius viciniae circa captivum unum hominem, ut non possimus aequiparare eum. Et sicut aiunt, saltando, choros ducendo, diversis applausibus preibant et consequebantur prepositum, trahentes eum funibus longioribus a dextris eius et sinistris, ita ut ordo trahentium in longum et ab invicem in latum procederet, ut sic ab omnibus olim vir ille dignus et potentissimus verecunde et ignominiose derideretur; nudus prorsus preter braccas, luto et lapidibus obrutus, trahebatur. Preter clerum et paucos qui dudum religiosum virum cognoverant, nemo miseratus est illum. At ille tot iniuriis fatigatus totque opprobriis et tunsionibus lesus, mortis suae supplicium eminus expectabat, ante cuius mentis faciem poterant ad memoriam merito reduci omnia quae egerat, si aliquod vivendi spatium turba in eius mortem corruens prestitisset. Poterat quidem reminisci, si debuit, quomodo violenter intrusus, et viventi preposito Ledberto, viro honesto et propter Deum omnia patienti, superpositus iniuste, et contra Deum in templo Dei prelationem usurpasset,

72) *Wynendale* inter Brügge et Dixmuide. 73) c. 25.

1127. Apr. 11. prebendulas simoniaca heresi commutasset, nepotes suos stipendiis ecclesiae in omne facinus armasset, et nunc tandem catholicum et de regum stirpe progenitum nobilissimum principem Karolum suo aut assensu aut consilio morti tradiderit, qui sicut inter sui supplicii angustias profitebatur, si voluisset, defendisse a traditione poterat. Ante mentis quidem oculos prefixisse poterat, quantam in clero gratiam quantumque honorem, famam, divitias, vires, reverentias Deus ultro contulisset, cuius dispensatricis Dei gratiae, dum eam quasi propriam et naturalem possidet, penitus non est recordatus; namque sic fuerat 36 annis implicitus omnibus predictis virtutibus et vitiis, ut nullo modo explicari posse
74 videretur[74]. Si quis velit audire multiplicitatem sui generis et magnitudinem factorum, mirabilem magis pugnam Dei et manum eius, quam contra ipsos destruendos exercuit, credere liquet. Et quamquam locum genealogiae eius describendae hic obtinere videar, tamen videor mihi satis operae inceptae labore sufficere et eius descriptionibus supersedere, in qua eventum obsidionis et non adulterinum exordium generationis prepositi et
75 suorum proposui me executurum[75]. Proinde ibat vir ille, olim gloriosus nunc ignominiosus, olim venerabilis nunc turpis, inmoto vultu et oculis in coelum directis, et, nisi fallor, Deum miseratorem humanae conditionis qua ipse indutus in regno mundi homines regit, invocabat sine strepitu vocum, sed in secreto mentis sibi invocaverat semper adiutorem. Tunc unus persecutorum percusso capite eius fuste, ait: *O superbissime hominum, cur indignaris respicere et loqui principibus et nobis, qui habent potestatem perdendi te?* At ille nec respicere curabat eos, et suspensus est in medio fori Iprensium iuxta supplicia furum et latronum in patibulo, et braccas detraxerunt ei, ut illa verecundiora corporis apparerent. Nihil turpe vel ignominiosum erat quod in eius supplicium non inferrent. In quo patibulo brachia in crucem extensa et manus insertae sunt, et caput transiectum per foramen eiusdem patibuli, ita ut reliquum corpus viri predictis suis membris suspensum quasi alienis laqueis suffocatum moreretur. Cumque primo loco suspenderetur, et in ipso instrumento patibuli adhuc vir ille pedum articulis summatim sustentaret corpus, ut saltem sic vitae miserandae prolongaret spatium, venit ad eum inter tot millia lapidantium et iacturam facientium ille adulterinus comes Willelmus, et indixit omnibus silentium et ait: *Dic ergo mihi, o preposite, per salutem animae tuae te obtestor, dic, inquam, quaeso, qui sunt preter te et Isaac et preter apertos traditores, adhuc latenter nocentes et culpabiles in morte domini mei Karoli comitis?* Et ille coram universis respondit: *Aeque tu, sicut et ego, nosti.* Tunc furore arreptus Wil-
76 lelmus ille, lapides et lutum iacere in prepositum illum et interfici[76]. Et ecce! qui pro piscibus emendis in foro convenerant, uncis ferreis, fustibus et sudibus corpus viri dissipabant, nec in eo instrumenti adminiculo, quo pedum articulis se sustentabat, sinebant diutius sustentari, sed propulso eo a sustentaculo, suspendium et vitae dispendia sub acerrimae mortis tenebris inferebant. At ille moriens conquestionem fecit pro traditione, qua ipsum Walterus, miles ex Sarran et homo suus, tradiderat in eandem mortem, qua iam emoriebatur; qui cum ducatum prestitisse debuit, decepit. Iprensium igitur turba, furens in mortem prepositi, canis viscera contorserat circa collum eius, et os canis ad os eius iam vitalem spiritum expirantis opposuerunt, aequiparantes cani ipsum et facta ipsius.

58. Eodem tempore Wido, miles famosus et fortis, qui de consilio comitum Flandriae precipuus fuerat, in eandem traditionem conspiraverat, eo quod neptem prepositi uxorem duxisset, scilicet sororem Isaac. Unde quidam Hermannus Ferreus, miles fortis, statim occiso Karolo consule, in presentia illius Iprensis adulterini comitis, ad singulare bellum Widonem evocavit, quia dominum suum nequiter tradidisset. At Wido paratum se defendere de superimposita traditione semper fore prosilivit. Et determinatus est eis dies, quo predictus prepositus mortis suae etiam pertulerat tormenta. Statimque mortuo preposito, omnes qui affuerant reversi sunt ad curtem, in qua bellum indictum fuit inter Hermannum Ferreum et Widonem, et pugnatum est acriter ab utrisque. At Wido deiecerat equo adversarium suum, et lancea resurgere conantem, quoties voluit, stravit. Tunc adversator ille propius accursitans, equum Widonis gladio traiciens evisceravit, de quo tandem lapsus Wido, extracto gladio impetiverat adversarium. Erat quidem occursus alternis ictibus mucronum continuus et acerrimus, donec fatigati pondere et sarcina armorum, uterque

74) Itaque inde ab anno 1091 praepositus fuisse videtur. Anno 1089 Reinerus erat praepositus Sancti Donatiani teste diplomate; cf. Act. SS. Mart. I, 156.

75) Quod nihilominus fecit infra c. 72.

76) Deesse videtur *iussit*, aut tale quid. LANGEB.

reiectis clipeis luctaminis viribus pugnae victoriam accelerarent. Et cecidit ille Hermannus 1127.
Ferreus in terra prostratus, cui Wido incumbebat maniculis ferreis ora et oculos contun- Apr 11.
dens militis. At ille prostratus, sicut legitur de Antheo, a frigiditate terrae vires paullatim resumpsit, et callide dum quiesceret Widonem de victoria securum reddidit. Interim manum suavius subducens usque ad inferiores loricae oras, in qua parte non fuerat Wido premunitus, raptum per testiculos, collectis viribus ad puncti unius momentum a se propulit, in quo rapticio pulsu tota de subtus natura corporis rupta, ita prostratus defecit Wido, ut victum et mortuum se fore exclamaret. Tunc comes volens per omnia famae suae in hoc bello consulere, iussit eundem Widonem iuxta prepositum suspendi in eodem patibulo iam mortuum, ut, sicut pares fuerant in tradendo, ita pares morerentur in tormento. Post haec vero utrorumque corpora virorum rotae plaustri superposita, in malo altissima fixae, videnda universis transeuntibus proposuerunt, brachiaque mutuis quasi amplexibus ad colla flectentes, imaginem tradendi et consulendi de morte domini et gloriosi ac piissimi consulis Karoli, illis iam per tres dies mortuis, insignibant. Venit itaque ad nos et in presentia regis armiger unus, qui eodem die intererat et viderat utrosque suspensos in Ipra, prepositum et Widonem, adnuncians eventus eorum. Acclamatum est statim illis qui in turri obsessi sunt, quomodo captus et mortuus fuerit dominus illorum prepositus, et quia amodo nihil restaret eis, nisi quod se redderent regi tractandos secundum quod nequiter egerant. Igitur dolor et anxietas et luctus et suspiria vexabant miseros illos et omni spe vitae destitutos; fortius quam principes obsidionis obsederant eos metus et desperatio.

60. Eodem die Gervasius iusserat carpentariis turrim ligneam disiungere, quae erecta erat ad invadendos muros prius et nunc inutiliter stabat; cuius trabem fortissimam specialiter separatam ab aliis preparari iusserat et arietem fieri, quo pertunderetur paries templi. At obsessorum sagittarii sagittas mittendas cum ex percussione nervorum arcubus curvatis intentarent operariis ab arce turris in qua degebant, arcus et sagitta imposita eo ipso tractu, qua trahere festinabat, decidit a manibus trahentis. Quod factum inspicientes milites, qui citati presentes et oppositi in opere artificum astiterant, protegentes illos artificiose operantes machinas rerum, sicut sunt arietes, sues, iactatoria, scalae et consimilia, quibus muros et lapideas compositiones destruere solent, eventum pessimum fore vaticinati sunt ex casu arcus et sagittae obsessorum. Eodem die ad vesperum gravis tumultus obortus est inter Gervasium et suos et cives nostros; nam ex imperio regis et precepto eorum principum obsidionis, qui cito perditionem obsessorum accelerare tentabant, quique sumptus magnos omni obsidionis tempestate expenderant, vigiliis et impugnationibus assidue laboraverant, ex communi, inquam, ipsorum consilio et edicto regio universale decretum confirmatum erat, ne aliquis auderet e tota obsidentium multitudine accedere ad turrim et loqui obsessis, ne forte intimaretur eis quo ingenio caperentur. Lex quoque posita est propter transgressores talis, ut, si quis contra hoc decretum faceret, in captivitatem proiceretur, et communi principum iudicio plecteretur. Igitur unus e civibus, qui sororem cuiusdam militis obsessi duxerat, clanculo accessit ad turrim, requirens ab illo genero suo vasa et vestes quas sibi prestiterat, et ille quae habuit reddidit vasa. Cum in reditu civis ille transiret per forum, miles Gervasii unus qui preceptum regis et principum et domini sui susceperat, et potestatem etiam capiendi transgressores precepti, persecutus est civem illum, et tentum violenter captivumque reduxit secum usque ad domum comitis. Continuo tumultus infinitus factus est inter cives, et prosilientes ad arma, invaserunt domum comitis et familiam Gervasii, quae se ab intus fortiter defendebant. Clamaverunt enim se numquam velle pati dominium cuiuspiam, imo in sua potestate staret hoc malefactum corrigere. Cumque diutius tumultuassent, Gervasius in medium eorum protulit haec verba: *Nostis, o cives et amici mei, quod secundum vestram petitionem et rex et comes iam constituerunt me vicecomitem loci nostri, et secundum regis et principum decretum actum est, quod miles meus iam civem et vicinum vestrum ceperit decreti transgressorem, meamque personaliter dignitatem contempsistis in hoc facto, domum comitis et familiam meam invasistis in ea, et tandem sine ratione armata manu in presentia regis prosiluistis. Nunc ergo, si vultis, vicecomitatum caussa iniuriae mihi illatae omitto, fidem et securitatem inter nos firmatam dissolvo, ut pateat omnibus vobis, quia dominium super vos obtinere non quero. Si ergo placet, coram rege, sepositis armis, conveniamus, ut iudicetur inter nostros et vestros.* Cumque finisset orationem, ascenderunt simul coram rege, et compositi sunt iterum fide et amicitia ad invicem sicut prius.

1127. Apr. 12. 61. 2. Idus Aprilis, feria tertia, rex in dormitorium fratrum cum prudentioribus et consiliariis suis conscendit considerate prenotare, in qua parte ingeniose aggressum presignarent in templum. Erat namque dormitorii domus adiuncta templo, ita ut ingeniorum instrumenta prepararentur in illa, quibus parietem templi pertunderent et ingrederentur ad obsessos. Namque cum illi miseri inferiora templi obtinere non poterant, gradus quibus in solarium ascenderetur lignis et lapidibus obstruxerant, ut nullus ascendere vel ipsi descendere possent, tantummodo sese a solario et turribus templi defendere conantes. Inter columpnas quippe solarii specula et status suos ex scriniorum aggeribus et cumulis scamnorum prostituerant, e quibus lapides, plumbum et rerum moles deicerent super invasores templi. In turri quoque consequenter prae foribus fenestrarum tapeta et culcitras 77 suspenderant, ne funda et arbalistis[77] forsitan percuterentur intrinsecus, cum turris a foris aggrederetur. In suprema quidem turrium arce stabant fortiores iuvenes obsessores, qui molares lapides sternerent super discurrentes in curtem castri. Atque sic inordinabiliter in templo Dei ordinatis rebus suis, expectabant mortis suae finem, nihil reverentiae et honoris conferendo beato funeri, quod in solario inter ipsos sepultum iacebat, preter hoc solum, quod vix dominum suum recognoscentes quem tradiderant, eius ad caput cereum prefigerent, qui assidue in honorem boni consulis arderet a die obsidionis primo usque ad diem quo introgressum est violenter ad ipsos. Nam farinam et legumina circa tumbam comitis reposuerant, quibus cotidie in usus suos assumptis vitam continuabant. Cumque rex et sui studiosius exquirerent et presignarent locum pertundendi templum, Robertus puer per unam fenestrarum templi caput efferens, loquebatur militibus regis, obsecrans eos, ut internuntii eius forent ad regem, humiliter inquiens omne iudicium principum terrae et baronum domini sui regis velle subire, ut in lege ipsorum merito suae excusationis aut vivere promereretur aut supplicio dampnationis, si se non excusaret, exterminari. Nec ullus hominum ausus est internuntiorum verba in regis presentiam proferre, tam graviter indignatus est rex illos traditores vel etiam videre. Ceterum cives nostri et milites regis et universi qui audierant, quam humili oratione exorasset iuvenis dominum regem, in lacrimas fusi condoluerunt ei, imprecantes pro eo domini misericordiam.

Apr. 13. 62. Idus Aprilis, feria quarta, confinxerant mendacium obsessi de morte Borsiardi, quatenus exorta lite inter Robertum puerum et ipsum, gladio occubuisset traiectus, existimantes per hoc animos principum a severitate mitigari, ne tanto furore invaderent deinceps, sicut prius, et a turri evocabant mortem Borsiardi, quam mendose diffamabant; alii eum evasisse asserebant. Quo audito, rex percepit obsessos illos iam diffidere sibi, timore et anxietate deficere, contantique animo edixit, ut milites sui se armarent et invaderent templum. Quod ideo factum est, ut in congressu illo deficientes et lassati, in posterum obsessi illi non valerent toties tot assultus et invasiones sustinere, sed magis cedere et locum victoriae christianae catholico regi Ludewico et militibus suis dare. Erat quidem in obruendo lapides et mittendo iacula utrimque gravis aggressus a meridie usque in vesperam. Quo die rex accepit claves a decano Helia de sanctuario ecclesiae beati Christofori, eo quod accusatus ei fuerat thesaurus comitis Karoli in eodem sanctuario fuisse repositus. Et cum introisset rex, nihil preter sanctorum reliquias invenit. Verum quippe fuit cuppam auream cum suo operculo et cannam, scilicet argenteum vas vinarium, prepositum de rapina comitis a nepotibus suis quasi pro dono in partitione rapinae accepisse, et eadem vasa pro salute animae suae ad operam ecclesiae Deo obtulisse. Cum ergo obsidio fieret, et fratres reliquias et feretra sanctorum a castro efferrent, in quodam scrinio illa duo vasa secreto et sub simulatione reliquiarum sanctarum imposita extulerant pariter cum ceteris reliquiis sanctorum, atque custodiendum illud scrinium commendavit decanus prefatus cuidam simplici presbitero Eggardo in ecclesia domini Salvatoris, signatum sub veneratione dignissimarum reliquiarum. Quod quidem scrinium quam devote ille simplex sacerdos susceperit, et posito eo in sanctuario preces effuderit, atque animae suae salutem depoposcerit, testantibus compresbiteris eiusdem ecclesiae, manifestum fuit, omnique nocte candelas, cereos et luminaria et lampades accensas preposuit, non satis se venerari reliquias illas posse credens. Revera satis sacerdos ille promeruerat, ut, cum novo comiti redderentur vasa illa, semel aut plus ex eisdem vasis presbiter ille bonum vinum bibisset. Hunc igitur thesaurum rex querens, circumquaque miserat investigatores et insidiatores.

77) i. e. arcubalistis. Gallice *arbalete*.

qui latenter thesaurum Karoli comitis recolligerent, nihilque super hoc profecit. Unde rex 1127 etiam Robertum puerum secundo die ante discessum suum apud Franciam flagellis cesum Apr. 13 coegit, ut, si quid de thesauro meminisset, quis partem aliquam possideret regi intimaret[78]. 78 Cuius accusatione eodem die comes novus et rex obtinuerunt vasa predicta, sicut in subsequenti dicturi sumus. Alii obsessorum evocaverunt Borsiardum aufugisse, ut sub illo mendacio parcius impugnarentur.

63. 18. Kal. Maii, feria quinta, aries, qui instrumentum factus est ad pertundendum Apr. 14. parietem templi, adductus est in fratrum dormitorio in eadem septa extrinsecus, iuxta quam intrinsecus corpus boni consulis sepulturae commendatum Deo suo iacebat. Statimque artifices arietis ascensoria graditiva erexerant in altum, et ablato pariete ligneo dormitorii, qui propinquior templo steterat, summitatem ascensoriorum ibidem subduxerant, quatenus usque ad murum et parietem templi gradatim possint armati progredi quicumque auderent. Nam fenestra in aedificio templi primo ex ordine antiqui operis illo patuit, quo iam artifices ascensoria direxerant. Sed paulisper inferius temperabant instrumentorum aditus, ita ut subtus fenestram percussiones arietis preordinarent, et pertuso pariete lapideo, eandem fenestram quasi pro ostio libere ingressuri obtinerent, erantque gradus latissimi, in quorum fronte decem milites simul in latum ad pugnandum starent. Quibus preordinatis, trabem maximam funibus suspensam in eadem parte super gradus illos ad perforandum templum direxerant et laqueos eidem innexos et simul armatos iuxta laqueos, quibus trahere retrorsum a templo in altum reductam, et in virtute et fortitudine retractam ad parietem templi percutere callide et argumentose constituerant. Super capita quoque ascendentium tegmina ex virgis inserta trabibus et connexa fuerant, ut, etsi tectum dormitorii aliquo ingenio ab obsessis infringeretur, sub contextura virgarum securi agerent arietis impulsores, et parietes ligneos simul ante se proposuerant ad defensionem sui, ne iaculorum et sagittarum percussionibus ab intrinsecus lederentur. Igitur retro a muro et pariete templi reducto per laqueos ariete, quantum extensis brachiis suspensi possent, uno impetu et uno clamore arietis ruinam et casum valde ponderosum virium suarum fortitudine et maximo conatu templo appulere, ex cuius singula percussione maximus lapidum cumulus in terram corruit, donec tota maceries et paries in eo loco quo contusus est perforaretur. In capite eius quoque arietis ferramenta solidissima trabem premunierant, ita ut nullo ingenio offensam aliam pateretur quam illam quae vi molis et roboris sui sibi a se ingereretur. Longus igitur labor tundendi fuit a meridie inceptus, et post vesperam finitus.

64. Interim obsessi illi, presentientes debilitatem parietis et perfossionem citius futuram, quid agerent dubii et inconstantes, tandem intus ardentes composuerant carbones pice et cera et butiro delinitos, quos tecto dormitorii iniecerant. At in momento carbones adherentes tegulis, flammas vento flante vibrabant, ita ut maximae flammae concitatae circumquaque tectum corriperent. A superiori itaque turri iaciebant molares lapides super tectum dormitorii, in ea parte qua aries pertundebat templum, ut utrumque et ignem iniectum tecto ne quis extingueret defenderent, et lapidibus obrutis et de alto precipitatis super perfossores templi a periculo introitus sese observarent. Tot et tanti lapides obruti non impediebant exactores arietis. Cum igitur super capita sua ignis flammas vibrantes conspexissent milites, unus ex illis tectum ascendit, et inter tot iactus lapidum et iaculorum ignem vix extinxerat. Patuit igitur post tot percussiones arietis foramen maximum in pariete templi, qui citius satis quam credebatur perfossus est, eo quod a tempore antiquae exarsionis templi, pluvia et inundatione imbrium totum aedificium ecclesiae quasi putridum staret, quia hactenus sine tecto ligneo nudum fuit. Tunc clamor infinitus elevatus est extrinsecus, et universi qui in foribus impugnaverant obsessos et in choro inferius et undique, per fenestras et in omni parte, qua accessum poterant sibi prestitisse, rescito eo quod perfossum fuisset templum, acriori animo et cupidissima victoriae audacia decertarunt; qui quidem omnes a meridie usque in vesperam constanter utrimque aggressi sunt, pene deficientes labore pugnae et armorum ponderositate. Sed iam intellecta arietis perfossione, recreati et animositate confortati, quasi iam ad arma proruissent primum, infestare ceperunt obsessos et sine simulatione persequi. At miseri obsessi, cum numero fuissent pauci, satis pauciores erant in pugna, qui simul in uno loco pugnandi non habuerant gratiam, sed ad omnes accessus, scilicet in foribus, fenestris, choro et in eo maxime

78) Cf. infra c. 84.

1127. Apr. 14. loco, quem aries iam possederat, incommoda vitae perpessi iam divisim undique repugnantes, ab inimicis suis dispendium et perditionem deinceps suspiciebant. Illi quidem qui in templo contra arietis exactores lapides, sagittas, contos, sudes et universi generis tela contorserant, timidiores ideo fuerant quod pauci essent, et quod complices illorum divisim et pene deficientes prae labore diutino, contra tam gravem exercitum pugnarent, insuper armorum egentes, unde se tuerentur non haberent; quantum tamen ausi sunt, obstiterunt[a]. At quidem illi exactores arietis et ceteri milites regis et nostri loci iuvenes armati et audaces avidique pugnae, cum ex adverso inspexissent obsessos, iam animos revocaverant suos, prae oculis cordis habentes quam egregie pro patre et patria moriendum foret, et quam honesta victoria vincentibus proposita esset, quamque scelesti et facinorosi fuissent traditores illi, qui de templo Christi speluncam sibi fecissent, et quod magis videbatur, quam avide et cupide propter thesauri et pecuniae domini consulis rapinam irruerent super obsessos ipsi, et idcirco solummodo festinabant. Sed cuiuscumque animi fuissent, sine ordine, sine pugna, absque omni respectu armorum sese uno impetu per medium foramen precipitaverunt, ita ut simul irruentes locum et tempus auferrent obsessis pugnandi vel aliquos interficiendi. Non enim cessabant ruere, donec sine interruptione quasi pontem se ipsos fecissent, et quod mira Dei gratia dispensatum est, sine vitae suae periculo mortali ingressi sunt, alii ruendo, alii offendendo, alii intrusi violenter, alii surgere conantes a casu prosternentes, alii, sicut solet fieri in tanto tumultu, sine ordine irruentes, vocibus et clamoribus atque cursuum et ruinae armorumque stridore et fragore non solum templum, sed omne castrum et viciniam eius replentes introrsum, sicut exterius Deum laudantes et benedicentes pro victoria, qua victores suos honestavit, regem et suos sublimavit, super omnia maiestatis suae Deus nomen glorificavit, ecclesiamque suam ab inquinatoribus in parte mundavit, et gloriosum illum martirem suum consulemque bonorum tunc primum deflendum pia veneratione et oratione fidelium suorum circumfultum donavit.

65. Quod igitur prius non licuit, tunc tandem Fromoldo iuniori licuit, ex longo desiderio et ardenti animo vota Deo pro salute domini sui consulis offerre, lacrimis et cordis contritione sacrificium mactare et gaudio gaudere pro inspectatione loci, in quo dominus suus humatus quiescebat, et tunc primum exequias preparabat domino suo, quem per tot dies sepultum, id est 44, videre non poterat. Neque enim corpus eius, sed solum vidit a foris sepulchrum, optabat quidem et oris et cordis oratione deprecabatur, ut Deus in die resurrectionis communis inter rectores fideles et summos suae presentis ecclesiae principes, concederet sibi tandem dominum suum Karolum principem duplici gloria sublimatum videre, et cum ipso manere et gloria contemplacionis Trinitatis sanctae cum illo perenniter beatificari. Reputaverat igitur pro grandi dono, quod iuxta tumbam domini sui liceret sibi mortem deflere, casum totius patriae conqueri, et quem viventem dilexerat, iam traditum a servis summa dilectione exequi. Non sine lacrimis quidem hoc faciebat. O Deus! quot eo die tibi vota tuorum fidelium dignabaris suscipere, et quicquid intermissum fuerat in eadem ecclesia culturae divinae, nimirum recompensatum fuit ea hora magnitudine et multiplicitate iustorum votorum. Stabat itaque cereus ardens ad caput consulis, quem posuerant in honorem et venerationem domini sui traditores illi. Postquam ergo irruerant in templum super obsessos, et clamor concitatus est fugiendo, retraxerant se tam a pertusione quam a foribus et a propugnaculis suis pessimi hominum, conscensaque turre ad se defendendos in gradibus resistebant persequentibus. Igitur victores christianissimi milites regis Franciae gradus obstruere et intercludere festinabant, lapidibus et lignis, scriniis et trabibus et ceteris supplementis, ita ut nullus obsessorum decedere posset in solarium, in quo consul iacebat. Et ascendens rex in templum, planxit mortem nepotis sui Karoli, et apposuit custodiam, quae cautius observaret turrim; alternis argo vigiliis regis milites observabant turrim cum obsessis. Quicquid igitur inventum est in solario illo quod rapi potuit, omnium preda fuit. Tandem canonici eiusdem templi per scalas a choro in solarium conscendentes, ordinaverunt quosdam de fratribus, qui singulis noctibus vigilias circa sepulchrum comitis agerent. Cumque, confractis utensilibus templi, nihil in priori statu permansisset, circumspexerunt altaria et mensas altaris Deo custode permansisse inmota, et congaudentes congaudio fratres quicquid deinceps obtinuerunt, non iure vel merito, sed pro solo Dei dono obtinuerunt. Conclusit ergo Deus diem illum in conclusionem inimicorum suorum et in victoriam fidelium, exaltando nomen imperii sui in omnes terrarum

a) obsteterunt *ed.*

fines. Non tamen desistebant obsessi illi vigilias suas sibi in turre instituere, cornibus canere, et quasi adhuc aliquid hominii[a] obtinuissent, in tam arcto imperiose agere, se ipsos non recognoscentes fuisse miserrimos; dati enim fuerant in reprobum sensum. Quicquid ergo deinceps egerunt, nec Deo nec hominibus probabile fuit, sed reprobatum et odiosum. *1127. Apr. 14.*

66. 17. Kal. Maii, feria sexta, convenerunt burgenses coram rege, proni in terram, et adoraverunt eius dignitatem, quatenus pro precum et servitiorum suorum meritis Robertum puerum exeundi ab obsessis libertate donaret, et eius innocentiae purgationem legitimam susciperet. At ipse rex petitiones eorum se facturum assensit, salvo honore et gratia propriae personae simulque principum terrae, sine quorum consilio nihil super eo acturum statuerat. 16. Kal. Maii, sabbato, castellanus Gandensium cum Arnoldo ex Grandberga[79] et collectis proceribus viciniae suae antevenit, regem obsecrans omni modo pro liberatione Roberti pueri. Cui rex ait, nihil cum honore suo posse eis consentire absque principum communi consilio, alioquin contra fidem et iuramentum suum ageret. *Apr. 15. Apr. 16.*

67. 15. Kal. Maii, dominica *Surrexit pastor bonus*, nunciatum est regi comitem novum Flandriae in Sancto Audomaro cum honore, more predecessorum comitum terrae, gratanter susceptum[80]. Nam obviam processerant pueri, arcus et sagittas ferentes, ad occursum comitis agiles et velociores, turmatim procedentes, quasi per pugnam resistere simulantes, succincti et preparati arcubus intensis et nervis, quibus, si expediret, sagittando invaderent comitem et suos. Viso ergo puerorum occursu, consul et sui quidnam sibi voluissent per internuntium requisivit. Et acclamaverunt comiti quatenus feodum, quod a predecessoribus suis semper pueri nostri obtinuerant: *Hoc a te obtinere iuris erat nostris, circa nemorum saltus in festis sanctorum et aestatis tempore licenter vagari, aviculas capere, spiriolos[81] et vulpes sagittare et huiusmodi puerilia recreando satagere. Haec ergo licenter egimus hactenus, et volumus eadem a te licentia ludorum nostrorum mores deinceps renovare.* Proinde succedenter cives obviam armata manu processerant, expectantes puerorum suorum reditum et comitis novi adventationem. Igitur comes Willelmus, qui aetate iuventae pubescebat, puerilia vix tempora excedens, iucundo animo ludicra[b] pueris morose[82] concessit, et plausu et adiocatione cum pueris, vexillum et signum puerorum arripiens, iocundabatur. Cui laudes canere et tripudiorum voces personare ceperant, cum cives eminus prospicientes viderunt a pueris sollempniter comitem susceptum, et cum plausu et pacis veneratione circumfultum, ad ipsos usque descendentem. Igitur postquam simul convenerant et comes et populus, cum processione clerus loci eius honoris ac gloriaë sublimatione obviam venit in thure et cereis, sicut mos est in susceptione comitatum noviter obtinentium; vocum iubilatione et melodiarum consonantiis personantes, omnibus civibus applaudentibus, susceperunt, et usque infra ecclesiam eadem melodiarum suavitate sollempniter perduxerunt. Ubi debitum orationis Deo obsequium catholice electus devote obtulit, simulque pro eo populus et clerus, ut ipso administrante comitatum Deus ita regeret et protegeret, quatenus deinceps pace et salute et comiti et Deo sua redderent; post susceptionem vero hominia et securitates fecerunt. A Teruannorum urbe quidem descenderat in Sanctum Audomarum. *Apr. 17. Apr. 14.*

68. Illa quoque tempestate Hugo Campus-Avennae et Walterus ex Frorerdeflo cum suis apud Ariam castrum insultum fecerant, ubi Willelmus ille adulterinus comes Iprensium intus se et suos receperat, et locum et castrum premunierat. Ipse enim comitatum arripuerat, violenter obtinuerat Flandriarum castra et munitiones adhuc plures, scilicet Ipram castrum, Formeselam oppidum[83], Casletum castellum, Furnum castrum, Ariam castrum et omnem viciniam circa castra predicta, et Bergas castrum et cetera. Ipse namque de linea comitum spurius erat, atque ea affinitate cognationis comitatum obtinuisse existimaverat. Duos igitur milites prefati principis deiecerunt, et equos quinque lucrati sunt. Eadem tempestate Baldwinus ex Alst et Razo cum gravissimo Gendensium exercitu obsederant castrum Oldenarda, in quo comes de Montibus[84] se et suos introductos premunierat, ad invadendum regnum Flandriarum, quod sibi iure cognationis iustius pertinebat.

69. Nam, ut paulo altius retexamus comitum, predecessorum suorum, originem, Baldwinus comes Barbatus[85] principium generis subsequentium comitum fuit. Hic vero cum

a) *an* dominii? b) ludica *ed.*

79) i. e. Gerardiberga vel Gerardimontium, *Geersbergen, Grammont*, ad Denderam in Flandria orientali. 80) vide Walterum c. 45. 81) i. e. esperiolus, escurellus, sciurus, Gallice *écureuil*. 82) i. e. accurate. 83) *Voormizeele* prope Ipern. 84) Balduinus III. 85) Barbati cognomen alias tribuitur huius patri Balduino IV. Arnulfi iunioris filio, qui anno 1034 mortuus est. Sic diplomati Roberti regis

1067. diem obierat, in Insulis humatus est. Habuit itaque duos filios post se heredes terrae Flandrensis, Baldewinum et Robertum. Utrosque quidem pater, dum viveret, uxores ducere 86 precepit, et Baldewinum[86] in Haenau Richildem comitissam de Montibus accipere in coniugem fecit, de qua genuit filios duos vir eius; alter eorum vocatus est Baldewinus[87], et alter eorum Arnoldus[88]. Robertus igitur duxit Gertrudem comitissam Holdlandensem uxorem[89], de qua post peractam traditionem genuit abbatissam Messinis[90], et Gertrudem[91], matrem Simonis[92] et Gerardi, quae quidem ducissa fuit in Elsatam, Theodericus dux eam duxerat; genuit etiam matrem Karoli comitis Adalam, quae a primo viro soluta, in Salerniam duci[93] nupsit. Vir quoque eius primus, rex Daciae Cnuto, a suis traditus, in ecclesia occisus, martirium pro iustitia moriendo cum sanctis possidet. Cumque ille primus pater 94 Barbatus Baldwinus viveret, filios suos alterum a sinistra et alterum a dextera[94], quasi duas alas, quibus per omnes terras suas volaret, expanderat; ipse quoque medium, scilicet Flandriam solus regebat.

70. Cumque plenus dierum bonorum obiisset, senior filius eius Baldewinus comes de Montibus cum uxore sua Richilde comitatum obtinuit Flandriae. Igitur timens, ne aliqua inquietudo vel traditio per fratrem suum Robertum sibi fieri posset et filiis, hominium et securitatem a fratre sibi fieri requisivit et filiis suis. Cumque super hoc cum principibus consilio habito utile fore tam patriae quam sibi prenosset, arcessito fratre suo consule Aquatico Roberto, in Brudgis curiam suam convocavit, simulque pares et barones totius sui comitatus. In quorum omnium presentia promulgavit huiuscemodi verba: *Ego Flandriarum comes Baldewinus, in posterum volens precavere patriae huic et liberis meis, ne a fratre meo per dolos et traditiones filii mei et incolae terrae meae aliquid iniuriae et exheredationis patiantur, obsecro et precipio fratri meo Roberti comiti Aquarum, ut fidem et securitatem iuret filiis meis post mortem meam, ut neque fraude vel subtracto vim et dolum inferat filiis meis post obitum meum, sed in sua et suorum persona fidem filiis meis, scilicet nepotibus suis, iurabit et tenebit, ipso vivente, sicut melius sciri poterit; et dabo sibi munera et donaria multa sub eadem conditione.* Igitur in ecclesia beati Donatiani in Brudgis iuramentum factum est super sanctorum reliquias infinitas, quas afferri comes Baldewinus preceperat, in presentia omnium, qui eo tempore tam pares quam principes erant in terra, et, acceptis donariis 1070. consul rediit. Igitur cum Balduinus vir Richildis in Brugis obiisset, filius eius Arnoldus, cui patria pertinebat, cum mater versus Montes et viciniam maris[a] rediit, circa Casletum et Sanctum Audomarum et illas partes conversabatur. Nondum enim iuvenis ille arma acce- 95 perat, sed militiae virtutem arripuerat. Audierat namque Robertus comes Holdlandensis[95] patriam relictam nepotibus suis adhuc parvulis aetate, et matrem puerorum simul se a confinio circa Bruggas iacente subtraxisse, habuit occasionem per hoc et principium oportunitatemque traditionis. Misit latenter et in dolo ad principes et maiores viciniae circa mare, scilicet in Isendica, Ostburg, Reddenburg et Brugis, et ad Flandrenses marinos, et pretio et sponsionibus confederavit sibi eos, quatenus ipse per illos patriae comitatum obtineret, 96 nepotesque qui parvuli et inutiles extitissent propelleret[96]. Habuit quendam clericum in familia sua, qui internuntius huius traditionis fidelis fuit; qui cum toties Bruggas veniret et circa confinia Flandriae, cepit rumor diffamari, quod clericus ille traditionis internuntius esset. Tunc ille subterfugiens alio tempore iterum mandata domini sui deferens principibus, simulaverat se fuisse cecum, et preeunte duce suo, ipse subsequebatur suspensis manibus et palpitans baculo, sicque peregit corde et oculis cecus traditionem mortis et cecitatis. Igitur cum omnibus principum patriae animos, fidem et securitatem comes Holdlandiae obtinuisset, navibus insidens cum armata manu clanculo tantummodo venit in

a) *ed.* matris

Francorum anno 1034 additum *signum Balduini comitis Flandriae honestae barbae.* Hic autem Balduinus V. Pius est Insulanus cognominatur. ACT. SS. 86) Balduinus VI. hic est, dictus Montensis, qui per uxorem Hannoniam obtinuit, anno 1070 mortuus. ACT. SS. 87) Balduinus I. comes Montensis. 88) alias Arnulfus III. Infelix, anno 1072 occisus. Conf. Lambertum ad a. 1071 et Sigebertum. Chron. S. Andreae castri Camerac. II, 33. 89) Cf. supra c. 34. 90) Ogivam. 91) quae primo Heinrico comiti Brabantiae, postea Theoderico duci Lotharingiae superioris nupsit. 92) ducis Lotharingiae. 93) Rogero. 94) Robertus Friso obtinebat insulas Zelandiae cum vicina hodiernae Flandriae parte, quam Quatuor-ambactarum appellant. ACT. SS. 95) Comes Holdlandensis vel comes Aquarum dictus est, quia Gertrudem, viduam Florentii I. comitis Hollandiae duxerat, et tutor Theoderici V. regnavit. 96) Quod confirmat Hermannus Tornacensis apud Dachery II, 892.

Flandriam, accitisque omnibus traditoribus clanculo, nocte quadam signum dederunt com-
plicibus suis, ut in loco qui dicitur Clipello domum incenderent, et illic ad signum flammae
convenirent. Cumque eodem signo omnes convenissent, fuit eorum turba multiplex et
valida, et abierunt deinceps aperte persequendo puerum Arnoldum, qui eo tempore in
Casleto rem ignorans degebat cum paucis, qui etiam conscii traditionis puerum dominum
suum exhortabantur, ut cum patruo suo traditore bellum iniret, et quia iuste resisteret ei,
victoriam ei promittebant a Deo concedendam. Igitur puer Arnoldus animatus ad bellum
cum militibus admodum paucis occurrit, quem in ipso tumultu belli ipsi servi sui qui eum
armaverant et armorum celaturas prenoverant, quasi extranei et alii essent quam servi,
deiecerunt puerum dominum suum et gladiis iugulaverunt, traditoque domino suo, universi, 1072.
qui in parte pueri pugnaverant, in fugam conversi, alii interfecti, ibidem exspiraverunt,
alii lethaliter vulnerati, mortem in paucis vitae flatibus perpessi sunt. Multi quidem mortui,
multi vulnerati multique capti sunt[97]. Securus ab hoste comes Robertus cum exercitum 97
suum pererraret, quidam Wlfricus Kabel, qui fidelis adhuc permanserat cum puero, quem
interfectum ignoraverat, in virtute et cum potentia sua cepit Robertum consulem tradito-
rem illum et coniecit in captivitatem. Sedato ergo tumultu illius diei, convenerunt omnes
pares patriae, et obsederunt undique castellanum illum Wlfricum in Sancto Audomaro, et
coegerunt illum reddere Robertum comitem, quem cum reddidisset, in consulem patriae
prestituerunt. Frater igitur Arnoldi traditi pueri, qui superstes remansit nomine Baldewi-
nus[98], heredes post se reliquit, de quorum linea iste puer de Montibus comes et miles stre- 98
nuus, iure patriam obtenturus Flandriarum, nunc audita traditione consulis Karoli, pro iure
hereditario requirit patriam et hereditatem suam Flandriam totam. Facit igitur quod potest,
et novo comiti nostro suum facere parum est, et notandum in hoc facto antiquae traditionis
illud propheticum: *Quoniam Deus iniquitates patrum solet vindictae severitate corrigere in* Deut 5, 9.
tertiam et quartam generationem.

71. Robertus itaque ille, qui nepotem suum tradidit, primus numeretur, filius quoque 1093.
ipsius Robertus, qui in Atrebato iacet, secundus et successione et comitatu. Post quem 1111. 1119.
filius eius Baldewinus[99] comes, qui in Sancto Audomaro iacet, tertius fuit. Post illum vero
comes, optimus omnium consulum consul, terrenae dignitatis sidus et lumen precipuum,
quartus fuit, in cuius traditione et martirio Deus antiquae traditionis terminavit vindictae
correctionem, et pro iustitia patriae occisum transduxit in requiem sanctorum, in eodem
loco in quo olim iuratum est. Utrumque Deus in secunda traditione dispensavit, et antiquae
traditionis vindictam exercuit, et pro iustitia morientem statim inter sanctos martires
suscepit. Igitur postquam Robertus comes ille, qui nepotem suum tradiderat, in consulatu
sedisset, traditores Flandriae qui sibi comitatum tradiderant, semper suspectos habuit, et
ad suum consilium nullo modo accedere permisit. Igitur videntes se a consule suo con-
tempni et despici, seorsum inierunt consilium, ut dolo interficerent consulem, et fratrem
Arnoldi pueri traditi nomine Baldewinum in consulem susciperent, sicut iustum erat, quia
iustior heres Flandriarum erat; iterum sicut olim in desertum locum convenerunt, tractan-
tes mortem inferendam domino suo. Cumque accepta oportunitate tradendi rediissent,
unus militum qui interesat traditioni ad pedes comitis provolutus accusavit ceteros nefan-
dae traditionis illius complices, qui mortem comitis iuraverant. Igitur ad bellum accusati,
per consulem evocati et convicti, decollati sunt alii, et alii exilio dampnati, plures quippe
proscripti. Tandem si dignum esset auditu, quod vere non est, sed admiratione sola scri-
bendum, in quarta vel tertia generis linea Deus vindicavit consequenter in genere tradito-
rum scilicet antiquam traditionem novis periculis, novo genere precipitationis.

72. Paullo superius igitur principium generis prepositi et nepotum suorum recogno-
scere libet[1]. Boldrannus castellanus fuit in Brudgis, cuius uxor erat nomine Dedda vel
Duva. Huius Boldranni homo et miles fuit Erembaldus, de Furnis natus. Imperata fuit 1047
quaedam expeditio Flandrensibus, et itum est equis et navibus pro defensione patriae usque 1049.

97) Quod factum est in pugna apud Casletum commissa. 98) Quorum Richildis mater in Germaniam ad Heinricum IV. regem fugerat; at iterum in fugam versa in Hannoniam se cum filio recepit qui a. 1085 se Flandriae comitatu abdicavit. Idem ex Ida Heinrici IV. filia reliquit Balduinum II, qui ex Iolenta Gerardi comitis filia genuit Balduinum III. Cf. quae in narrat. restaur. abbatiae Tornac. l. l. abunde narrantur. 99) septimus, *Hapkin.* 1) Cf. anonymum de passione S. Karoli c. 2.

2 ad locum periculi et insultus terrae[2]. Cum vero navibus perlaberentur Scaldim fluvium Boldrannus castellanus et Erembaldus miles suus, cui prae ceteris confidebat, ceterique plures omnes loricas induti et ad pugnam preparati, venit nox, et fixerant anchoram in medio amne, ut diem expectarent. At prefatus ille Erembaldus adulterio abutebatur saepe uxore domini sui castellani. Illa quoque adultera, sicut aiunt, promiserat adultero suo vicecomitatum, si forte vir eius cito moreretur; unde adulter semper domino suo machinabatur mortem. Facto quoque noctis silentio, dum castellanus ad mingendum in ora stetisset navis, ille Erembaldus retro accurrens, longe a navi proiectum dominum in profundum torrentis aquosi precipitavit. Hoc vero dormientibus ceteris factum est, et nemo preter adulterum illum sciebat, quo devenisset castellanus ille, qui absque liberis submersus erat. Reversus ergo Erembaldus, adulteram suam duxit uxorem, et facultatibus opum domini sui
3 emit vicecomitatum[3]. De qua uxore genuit prepositum Bertulfum, Haket, Wlfricum Cnop, Lambertum Nappim[4], patrem Borsiardi, Robertum quoque castellanum post ipsum secundo loco[5]. Post ipsum Robertum filius eius Walterus castellanus tertio vicecomitatus loco
6 heres successit[6]. Post hunc Haket castellanus fuit[7], sub cuius tempore Karolus comes traditus est. In hoc ergo gradu quarto punita est in successores suos antiqua precipitatio Boldranni nova ista precipitatione, quae facta est ab propugnaculis camerae comitis in Brudgis, et forsitan dispensante Deo punitum est in eis peccatum parentum, sicut in Exodo
Exod.10,5 legitur, ubi ait Dominus ad Moysen in 33. capitulo eiusdem Exodi, ubi leges de universis protulit Deus, dicens: *Ego sum dominus Deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filiis, in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me.*

1127. Apr. 17. 73. Revertamur igitur ad describendum in Oldenarda eventum, quia comes de Montibus cum burgensibus eiusdem loci et militiae impetu irruit super Gendenses, et conversos in fugam alios interemit, alios vulneribus interfecit et multos cepit. Maior quidem fugientium pars submersa est fluctibus ipsis, qui navibus devecti obsidionem preordinaverant;
8 prevaluerant enim comes et sui circa fines illos. Castrum quoque Ninive[8] obtinuerat, et satellites suos in eo posuerat acutiores et fortiores. Eodem die in Brugis armiger unus a turre per funem elapsus est, qui statim captus, trahebatur ad carcerem, et in eo intrusus diem suae perditionis, quamvis nolens, expectabat.

Apr. 18. 74. 14. Kal. Maii, feria secunda, iterum cives nostri ad genua regis devoluti, deprecabantur pro Roberti liberatione. Indignatus vero rex, despexit eos, qui toties ipsum vexarent, et iratus, iussit servos suos accelerato ire et ferramentis turrim succidere. Statimque ferramentis demoliebantur turrim inferius. Quibus succidentibus, obsessos timor mortalis invasit, ita ut sine modo stupore laborarent, cibus eis et potus fastidiret, omnes sensus hebetarent[a] et languerent. Proinde macerati esurie et siti, cum sufficienter haberent quo vitam continuarent, evocabant illos quos foras viderant vagantes in curte castri, qui casum et ruinam turris succisae iam in parte expectabant, quia vehementi sitis ariditate arescerent, simulque esurie et fame languerent, et mira Dei dispensatione factum est, ut ipsis traditoribus vinum suum acidum et sine sapore iam haustum et potatum feteret, frumenta et panes putrida saperent, et aqua insipida eis nihil prodesset, ita ut gustu et odore putrido fastiditi, fame et siti pene defecissent. Hac igitur egestate coacti, querebant exeundi a turre licentiam et abeundi in quemcumque alium locum, quo principes decernerent ipsos ituros. Succisores igitur turris iam gradus avulserant, et parumper restabat, quod in brevi succisum, casum et ruinam gravissimam faceret.

Apr. 19. 75. 13. Kal. Maii, feria tertia, cum intellexissent, turris maioris partes succisas et periculum ruinae inminere — namque ad singulas malleorum percussiones in summitate turris senserunt repercussiones et mutationes, et turrem iam quasi trepidantem et contrementem — timore infinito timentes, inierunt consilium, ut ante sese regis potestati redderent, quam oppressi in ruina et casu turris suffocarentur. Evocabat ergo Robertus puer se et complices

a) habetarent *ed.*

2) Quod tempore Balduini Insulani factum esse voluut editores Act. SS. Mart. I, 158. annis 1047—1049, quum ille cum Gotefrido Lotharingorum duce in Heinricum III. arma levasset. Cf. Hermann. Aug. ad h. a. 3) Ex Miraeo editores actorum SS. Mart. I, 158. attulerunt duas tabulas a. 1067 et 1089 quas subscripsit *Erembaldus castellanus de Brugis.* 4) in tabulis a. 1105 et 1119. l. l. 5) Cuius castellani nomen occurrit in tabulis a. 1101. 1105. 1109, quarum mentionem ex Miraeo et Sandero factam vid. l. l. 6) Subscripsit tabulae a. 1113. Vid. Duchesne Hist. gen. com. Gand. et Ghisn. p. 67. 7) Nomen eius legitur in tabulis a. 1115. 1117. 1119. 1122. Cf. Act. SS. l. l. 8) *Ninove* ad Denderam.

suos regi reddendos, illa tamen conditione, ut ipse Robertus absque carcere teneretur, 1127. quamquam et ceteri truderentur in carcerem. Habito ergo principum super hoc consilio, Apr. 19. rex secundum expostulationem obsessorum concessit exeundi libertatem, eo quod utillimum erat illos sponte se reddere et sine periculo mortis obsidentium et turrim succidentium. Exierunt ergo singulus et singulus usque ad 27 versus domum prepositi per fenestram in gradibus turris obliquatam; ceterum qui corpulentiores erant per funes elapsi sunt a maiori fenestra eiusdem turris. Robertus puer commendatus est militibus regis custodiendus in camera comitis superiore, at ceteri omnes in carcerem detrusi sunt. Voluit tandem pro civibus nostris rex quasi magnum quiddam facere, et commendavit eis Robertum puerum custodiendum in compede et nervis ea conditione, ut iudicio principum postmodum tractandum regi et comiti redderent. Cives vero pro grandi dono sub predicta conditione susceperunt in custodiam iuvenem adhuc ephebum.

76. Hic vero notandum quomodo Deus traditores illos in paucitatem redegerit et genere et loco. Ante hoc facinus quidam fortiores et meliores eiusdem sanguinis predecessores obierant, quos ex nomine retexere longum esset; ad ultimum isti pessimi relicti sunt, per quos dispensatio Dei consummata est, traditio completa, patria desolata, rapina exercitata, manus omnium contra omnes armata. Cum igitur impune fecisse existimassent omnia quae traditiose egerant, et nullus hominum auderet vindictam inferre, soli Deo relicta est vindicta, qui statim coarctavit eos et timore concussit, ut non auderent extra vicum nostri loci prodire, sed magis consiliati sunt villam et suburbium nostrum sepire et circumfodere, sicut supra memoravimus. Statim die octavo post mortem consulis per obsidionem in castro clausi, deinde cum castrum fuisset invasum a nostris, in turrim fugati, magis coarctati sunt, deinde in carcerem trusi, in tantum arctati sunt, ut non possent simul omnes sedere, nisi tres aut quatuor ad minus stetissent. Tenebrae, calor et fetor et sudor inficiebat illos, et desperatae vitae horror et incertae mortis futurae turpitudo. Maximae eis fuisset pietatis quidem donum indultum, si sic mori licuisset quomodo fures aut latrones suspendio perierunt. Igitur cum in turri sese prepararent exituros, unus iuvenum per fenestram altiorem turris, gladio proiecto, prosilire presumpserat, et sese raptim in cursu animaverat. Quem quidem reatus conscientiae condemnaverat, fortis animi sui libertatem corpore exequi paratus erat; in ipso ergo raptu alii eum retinuerunt, et simul cum ipsis in carcerem ire perpessus est. Multi vero ex nostris civibus, viso periculo iuvenis et miseria captivorum, flebant, quia sine lacrimis dominos suos captivatos ire in carcerem videre non poterant. Exierunt tandem pallidi illi miseri, signa traditionis in facie portantes, livore et inedia deformiter signati. Tunc quippe in exitu ipsorum concurrentium in turrim infinitus erat numerus, et omnia quae ibidem repererant pro preda abstulerunt. Tumultuantibus vero et discurrentibus nostris in turri, Benkin coterellus fune a turre in terram demisso elapsus est, et latuit qua potuit, donec per noctem transfugisset apud insulam in mari quae dicitur Wlpem[9]. Quem quidem unanimiter requirentes, etiam in cloacariis et in inmundis 9 locis latuisse illum crediderant. Spe lucri et obtinendi thesaurum comitis fere omnes, qui in obsidione tunc aderant, in turrim conscendere satagebant. Tunc Gervasius castellanus milites suos armatos intus posuit, qui tumultuantes et ascendere volentes deinceps prohiberent; et obtinuit vinum traditorum optimum, etiam coctum vinum[10] quod consulis erat, bacones[11], caseorum pisas[12] 22, legumina, farinam triticeam, ferramenta etiam optima qui- 12 bus panes excoquerent, omnemque supellectilem, et vasa quibus utebantur optima. Tamen de thesauro comitis nihil ibidem repertum est.

77. 12. Kal. Maii, feria quarta, rex ibat ad Reddenburg videre situm loci, et qualiter Apr. 20 ille Lambertus se circumvallaverat, qui traditionis nota et crimine culpatus, obsessus erat. Quo die fulgore solis et levitate aeris Deus mundum circa nos renovavit, quia traditores et templi et ecclesiae coinquinatores expulerat a sacro loco, concludens eos in carcerem. Huius ergo gratiae Dei donis letificati fratres templi, omnimodis ablutionibus pavimenta et parietes et altaria templi mundando, nihil reliquere quod non abluerent; gradus qui succisi fuerant reaedificaverunt, et quasi renovato templo, novis utensilibus et reaedificationibus locum suum exornaverunt. 11. Kal. Maii, feria quinta, consutum est corium cervinum, in Apr. 21.

9) in Seelandia ex adverso Walchern. 10) Gallice *vin cuit, Malvoisie*. 11) Bacones ab Anglico et Gallico *bacon*, Flandris *baecke-speck*, lardum, caro porcina. ACT. SS. 12) Caseorum pisae erant certa eorum pondera sive quantitas. Pro *pisa* scribebatur etiam *pesa, peisa* et *pensa*. LANGEB.

1127. Apr. 21. quo corpus comitis imponeretur, et scrinium quoque fabricatum est, quo imponerent et clauderent.

Apr. 22. 78. 10. Kal. Maii, feria sexta, preteritis iam septem hebdomadis primae eius sepulturae, sepulchrum comitis destructum est in solario, et corpus ipsius inde cum thymiamate et thure et pigmentis venerabiliter sublatum est. Nam fratres illius ecclesiae crediderant corpus comitis iam fetere, et neminem posse perpeti mortalem fetorem, eo quod per 13 septem hebdomades, a die sepulturae in solario factae in feria sexta primo[13] usque in feriam sextam, quae fuit succedenter in 10. Kalendas Maii, sepulchro commendatum esset. Igitur preordinaverant, ut in sublatione corporis a tumulo, incenso igne, iuxta positionem comitis thymiamata et thus posita in igne concremarent, et ita, si quid fetoris a tumulo spiraret, virtute odoris salutiferi reprimeretur. Cumque sublato lapide nihil fetoris sensissent, corpus in corium cervinum involutum in medio chori feretro imposuerunt. Rex ergo, collecta civium et universorum multitudine, in templo expectabat, donec episcopus[14] et 15 cum ipso abbates tres[15] ab ecclesia sancti Christophori cum omni clero procedendo cum scriniis sanctorum Donatiani, Basilii, Maximi obviam funeri et regi in ponte castri occurrerent, et in eandem sancti Christophori ecclesiam cum lacrimis et suspiriis referrent corpus beatum. Ibique episcopus cum omni sacerdotum choro celebravit commendationem et missam omnium fidelium defunctorum pro salute animae boni comitis. Eodem die captus est Benkin coterellus[16], et in rota malo superinfixa ligatus, disperditionem vitae perpessus, omnium spectaculum fuit; apud Harenas quidem illo tormento miserabiliter mori promeruerat.

Apr. 23. 79. 9. Kal. Maii, sabbato, edictum exiit a rege et principibus, ut apud Ipram et Stathan[17] expedirent se cives et prepararent ad obsidendum. Apr. 24. 8. Kal. Maii, dominica, consecrata est ecclesia sancti Salvatoris in Brudgis; ignis enim conflagratione exusta erat illa ecclesia et altaria confracta. Apr. 25. 7. Kal. Maii, feria secunda, quia ecclesiae beati Donatiani altaria non fuerant confracta, episcopus reconciliationem celebravit ecclesiae summo mane. Deinde rex et populus, precedente episcopo et abbatibus et omni clero loci eius, processit ad ecclesiam sancti Christophori, et relato corpore beati consulis, domini et patris nostri Karoli, ad ecclesiam beati Donatiani, in medio chori celebriter Deo suo commendatum corpus tumba decenter clauserunt. Exequiis igitur sollempniter completis, rex et episcopus introduxerunt in statum prelationis Rodgerum prepositum in medio fratrum eiusdem ecclesiae. Eodem die rex et castellanus noster Gervasius cum magno exercitu versus Statan et Ipram simul cum civibus nostris transierunt. Eodem die festum erat Marci euangelistae. Et notandum, quod tria maxima dona contulit Deus ecclesiae sancti Donatiani illo die, quoniam reconciliari sibi Deus dignatus est ecclesiam illam, corpus boni consulis in ea custodiri concessit, eidemque ecclesiae in prepositum Rodgerum accommodavit.

Apr. 26. 80. 6. Kal. Maii, feria tertia, rex et comes cum gravi exercitu obsedit Ipram, et facta est tornatio et militiae utrimque acriter occursus, quando ille adulterinus comes Willelmus cum 300 militibus ad unam portarum pugnaret contra comitem novum. Igitur pessimi illi Iprenses, sicut seorsum pepigerant cum rege in alia parte villae, introduxerunt regem et eius exercitum infinitum. Et introruentes concitaverunt clamores et incendia domorum ex abrupto, rapinam quoque exercuerunt, quando ille adulterinus comes Willelmus obviam 18 raptoribus occurreret, ignorans traditum fuisse castrum simulque se ipsum et suos[18]; quem igitur comprehendit rex et comes, et captivum apud Insulas traduxerunt custodiendum. Multi quidem post mortem Karoli consulis ascenderant ad illum, sicut capellani et ministri et solidarii et servi de familia cotidiana comitis, eo quod isdem adulterinus comes Iprensis de linea comitum progenitus fuisset. Furnenses quoque cum ipso militabant ea de causa, ut si forte perstitisset in consulatu, inimicos suos disperderent eius viribus et potentia. Sed quia Deus pravorum mentes percutit, in contrarium illis accidit. Nam inimici eorum, audito eo quod Iprensis Willelmus captus fuisset, incursum fecerunt in possessiones et domos et familias hostiles, et igne et ferro demoliti sunt omnem substantiam eorum quos

13) Cf. supra c. 23. 14) Simon Tornacensis. 15) Quorum duo fuerunt, Absalon abbas S. Amandi, cf. Walter. 47. et Hermannus Tornacensis. Cf. Narration. rest. abb. Tornac. apud Acherium II, 898. 16) Coterelli dicebantur viliores homines, quod in cotis sive cottis, i. e. in casis et tuguriis degebant. ACT. SS. De eo cf. supra c. 36. 76. 17) *Staeden* inter Ipern et Brügge. 18) Quod fusius narravit Walterus cap. 48, 49.

oderant; et ita non fuit miseris illis satis, quod capti sunt, quin etiam dispendia rerum sua- (1127. Apr. 26.) rum domi paterentur. Ergo et militiae et domi persequebatur Deus traditores illos, qui cum suo Iprensi consule in mortem domini et advocati terrae conspiraverant. Omnia ergo quae ille Iprensis Willelmus possederat, comes noster obtinuit, milites quoque captivavit, et plures a terra fugavit. Victoriose itaque a nostris eo die actum est, et reversi sunt cum plausu et rapina maxima.

81. Kal. Maii, dominica, relatum est nobis in Insulis Borsiardum captum fuisse, et (Mai. 1.) rotae malo superinfixae alligatum, vixisse diem illum et subsecutam noctem, et tunc turpi mortis suae dispendio periisse. Qui equidem promeruerat infinite mori, si toties mori potuisset, cum causa sui sceleris tot post ipsum sint puniti, proscripti, precipitati, suspensi, et decollati, de cuius interitu omnes fideles gratias Deo obtulerunt, qui tantum homicidam ab ecclesia sua exterminare dignatus est. Et bene dispensatum est in transacta temporum molestia, cum amenitate Maii mensis gratiam pacis et status terrae nostrae Deus restitueret, suspenso Borsiardo et captivatis suis complicibus. Igitur divertens se rex ibat versus Oldenardam, ubi comes ex Montibus infestaverat terram nostram, ibatque per Gandavum. Sed et comes noster precesserat regem, et incenderat manu violenta suburbium usque ad turrim lapideam; et plures igitur, qui suffugerant in ecclesiam illius loci, simul concremati sunt usque ad 300, ut aiunt.

82. 4. Nonas Maii, feria quarta, rex absque comite rediit Brudgas. 3. Nonas Maii, feria (Mai. 4. Mai. 5.) quinta, postea circa meridiem, comes rediit ad nos, quem fratres ecclesiae sancti Donatiani cum processione susceperunt primitus, ubi oratione et oblatione in altari secundum morem predecessorum suorum Deo perlata, reversus, in domum comitis Karoli ipse comes potenter ascendit, ibique pransus est. Erat tumultus et turba maxima circa et infra castrum expectantium, quid de Roberto et captivis fieret. Igitur rex de hospitio suo egressus, pervenit usque ad comitem; quia vero domus plena fuerat populo et ministris et militibus, descendit comes in plateam et curtem castri, et consecuti sunt eum universi, qui in aula constiterant. Cumque vidisset domum vacuam, sicut preordinaverat, fecit fores obserari domus suae, et assumptis sibi principibus solis reascendit. Tunc disposuerunt quidem, a qua parte traditores illi a turre camerae deicerentur. Quo preordinato, misit rex et comes spiculatores[19] ad carcerem, qui callide evocarent primum Wlfricum Cnop, fratrem prepositi Bertulphi, et sub dissimulatione qui missi fuerant mentiebantur carceratis, quod rex misericorditer acturus foret cum ipsis. Sub illa ergo misericordiae spe, sine dilatione e carcere egressi sunt. At non simul egredi captivos permiserant; nam primo illum Wlfricum eduxerant, et per intrinsecas vias domus usque ad propugnacula turris suprema traductum, ligatis manibus retro dorsum, et sic mortis suae principium deorsum prospicientem spiculatores deiecerunt. At ille miser nihil indutus preter solam camisiam et solas braccas, decidit in terram toto corpore fractus et destructus, parum vitae reservans, qui statim lethaliter expiravit, spectaculum quidem factus et opprobium sempiternum sui generis, imo totius terrae Flandrensis, a nemine defletus, periit. Secundo loco eduxerunt Walterum militem, filium Lamberti ex Reddenburg, usque ad precipitium, et ligatis manibus illius ante et non retro, ipso momento voluerunt eum precipitare. At ille rogabat milites regis qui iuxta stabant caussa Dei, ut spatium sibi Deum orandi preberent, et miserati illum, dimiserunt eum orare. Cumque perorasset, proiectus est iuvenis elegantioris formae, et in terram decidens, suae mortis periculum insumpsit et statim expiravit. Subductus est quoque miles nomine Eric, et similiter precipitatus, decidit super ascensorium ligneum, et avulsit gradum ascensorii qui quinque clavis fixus erat; et mirabile erat, quod de tam alto precipitatus adhuc sedens in terra, signo sanctae crucis se signavit. Quem cum mulieres vellent palpare, unus militum a domo comitis proiecit inter illas lapidem grandem, et sic prohibuit accessus earum. Non utique totus intrinsecus poterat longius vivere, cui hoc ipsum quod vixerat post casum non vita, sed miseria moriendi fuit Ut igitur enumerandi omiserim ordinem, similiter omnes reliqui precipitati sunt simul 28, quorum quidam sperabant evadere, quia inmunes traditionis extiterant; sed quia fata eos trahebant[20], imo divina ultio coegit, cum illis qui traditionis rei fuerant precipitati sunt.

83. Pridie Nonas Maii, feria sexta, in festo sancti Ioannis, quando in dolium missus (Mai. 6) est, rex repatriare incipiens, a Brudgis discessit duxitque secum Robertum puerum captivum.

19) hastatos. 20) Virgil. Aen. V, 709.

1127. Mai. 6. In exitu ergo iuvenis illius, burgenses nostri prosequebantur illum oculorum lacrimis et planctu gravi, quia multum dilexerant illum; non enim propter infamiam viri nostri loci ausi sunt ipsum sequi. Qui respiciens fletum et miserationem civium, ait: *En amici mei, quia vitae meae subvenire non poteritis, tandem rogate Deum, ut animae meae dignetur misereri.* Haud longe abierat a castro, quo pedes militis copulari rex iusserat de subtus ventrem equi, in quo ascenderat captivus. Postquam ducatum comes regi prebuerat, rediit ad nos in castrum.

Mai. 7. 84. Nonis Maii, sabbato. Postea decanus Helias reddidit novo comiti kannam argenteam et cuppam auream Karoli consulis cum operculo aureo, quae prepositus Bertulfus, cum in fugam se daret, decano commendavit. Robertus puer comiti insinuaverat thesaurum istum, antequam a Brudgis discessisset, quia, ut aiunt, per flagella rex extorsit ab eo, 21 ut insinuaret, si quid de thesauro comitis repositum novisset[21]. Super hoc multi admirati sunt simplicitatem decani Heliae, qui cum cuiusdam quasi sanctitatis rigore hactenus degisset, per susceptionem rapinae huius nimis declinavit — cum ea auctoritate Dei inter-Levit. 5, 2. dictum sit *inmundum ne tetigeris* — qua suae sanctitatis ac simplicitatis tenorem simulaverat. Namque thesaurum illum invitus comiti reddidit, per hoc satis ostendens quantum rapinam illam amaverat. Dicebat quoque prepositum Bertulfum vasa illa ecclesiae sancti Donatiani pro salute animae suae contulisse, per hoc excusare credens innocentiam suam. In hoc quoque omnes aperte cognovimus, quod prepositus ille in suum usum vasa consulis in partitione thesauri susceperat, et non valens secum deferre cum fugeret, reliquit illam miserrimam rapinam decano suo.

85. Licebit subsequenter subfigere[a] de penitentia Borsiardi et eorum, qui cum ipso comitem tradiderant Isaac et aliis. Asserunt, quod Borsiardus ille recognosceret peccatum suum, et pro eo doleret et peniteret, ita ut obsecraret omnes inspectatores patibuli sui, quatenus manus ei truncarent, quibus dominum suum Karolum occiderat. Et exoravit omnes, ut saltem deprecarentur et expostularent Deum pro salute animae suae, cum nullam in vita ista salutem promeruisset, et Deum omnipotentem, quantum scivit et potuit, 22 sibi propitium fore interpellavit[22]. Ceterum hi qui precipitati sunt cum in propugnaculis proni despicerent, signo sanctae crucis se signabant, et nomen Christi Iesu invocando in ipso adhuc casu ruentes vociferabantur. Sed quia statim post facinus peractum excommunicati sunt traditores illi, propter rigorem iustitiae non sunt ante perditionem nec post ab episcopo absoluti, et ideo in triviis et locis campestribus extra cemiterium sepulti iacent. Isaac ergo cum inter monachos monachali habitu lateret, et previdisset irruentem in se turbam, ait abbati: *Domine mi, si animus mihi esset pugnandi, non sine multorum strage capi me permitterem, sed quia me reum fateor traditionis, omnia mala et ipsam mortem temporalem amplector, ut in hoc presenti in me puniatur quod in dominum meum graviter peccavi.* Accessit 23 ergo filius advocati Teruanniae[23] comprehendens Isaac, et in vincula proiecit, donec adulterinus ille Iprensium comes adveniret et de eo iudicaret. Isaac quoque expectabat eundem Willelmum, credens per illum evadere se posse, eo quod traditionis conscius fuisset. At postquam venerat comes ille, dissimulans conscientiam suam ream fuisse, precepit Isaac suspendi, quia Karolum comitem tradiderat. Isaac vero in via, qua apud Ariam castrum trahebatur ad suspendium, profitebatur aperte, quia tradiderat dominum suum, et rogabat tumultum populi, ut obrueret ipsum luto et lapidibus et fustibus, nihil satis penae credens sibi potuisse inferri in hac vita, qui tantum facinus perpetrasset. Venerabatur ergo iacturas, ictus, lapides et omnes punitores suos, et eis gratias egit, quia dignabantur tam gravem peccatorem disperdere. Tandem cum pervenisset ad locum suspendii, salutabat stipitem arboris, et laqueos simulque arborem osculabatur, et ipse suo innexuit collo dicens: *In nomine Domini meae mortis supplicium amplector, et precor vos omnes, ut mecum exoretis Deum, quatenus ista mortis acerbitate punitum fiat in me, quicquid miser ego in dominum* Mart. 23. *meum deliqui.* Sicque laqueo subductus, mori turpiter promeruit. Bertulfus prepositus a Deo multa acceperat suae mortis signa. Nam cum Brudgis custos ecclesiae in camera langueret, introivit prepositus ut visitaret illum, statimque confractae sunt trabes, qui tectum subrexerant super caput ipsius, ita ut vix evadere a camera se credidisset. Alio quoque tempore trabs vento impulsa, recte super cathedram et sedilia iuxta posita, ubi

a) subfugere *ed*

21 Cf. supra cap 62. 22) Vide supra cap. 81. 23) Arnulfus filius Eustachii; cf. quoque supra cap. 48.

prepositus potenter et imperiose sedere consueverat — ipse vero eodem tempore Furnis erat 1127. — et funditus confracta sunt omnia, quaecunque in ipsa ruina comprehensa fuerant. Alio quoque tempore, cum prepositus transiret per Ipram iuxta patibulum in foro positum, in quo postmodum suspensus est, ait militibus suis: *Deus omnipotens! quid est quod hac nocte somniaverim! Vidi ego per somnium, quod in hoc eodem patibulo fixus starem.* Derisitque huiusmodi visionem, et pro nihilo eam reputavit. De ipsius vero pena et non de penitentia quicquam audivimus[24]. Robertus puer usque in Casletum ductus, iussu regis decollatus 21 est, sed confessus peccata sua, percussori suo condonavit, quod eum morti daturus erat.

86. 12. Kal. Iunii, sabbato, in vigilia pentecostes, Eustachius noviter in Furnis a novo Mai. 21. consule Flandriae constitutus, Oldgerum olim camerarium Bertulfi prepositi secum captivum Brudgas in presentia omnium de curia comitis adduxit, ut ille captivus insinuaret comiti, qui de canonicis vel laicis obtinuissent a preposito Bertulpho thesaurum et predam Karoli consulis, sive a nepotibus eiusdem prepositi. Inculpavit ergo decanum Heliam pro 300 marcis, Litteram canonicum pro 200 marcis, Robertum custodem ecclesiae pro culcitris et palliis et argento, Radulphum magistrum pro sex scyphis argenteis, Robertum filium Lidgardis pro 100 marcis argenti. Huiusmodi mendacia confinxerat sibi ille Oldgerus, ut sic gratiam mereretur evasionis suae obtinere. Simile veri tamen videbatur multis — eo quod ille decanus Helias iam antea per accusationem Roberti pueri reddidisset cannam argenteam pensae 21 marcae, et cuppam auream cum aureo eius operculo pensae auri septem marcarum ipsi comiti — multum argenti adhuc retinere tam decanum illum quam quosdam eius canonicos, sicut postmodum patuit. Nam custos ecclesiae Robertus, introiens et libere exiens ad traditores illos in omni tempore obsidionis, accepit ab ipsis maximam pecuniam ea conditione, ut, si traditores illi evasissent, ille presbiter et custos eis redderet quae in custodiam acceperat. Postquam ergo dampnati sunt miseri illi, voluit custos ille astute dissimulare pecuniam. Finxit igitur se Hierosolimam iturum, et oneravit tres palefridos fortes et dimidium, et abiit a castro nostro summo mane, et sic asportavit predam Karoli comitis offerendam Christo in Hierusalem. Pro huius ergo facto, omnium suspicio retorsa est in canonicos illos. Eodem die reddidit Littera tres marcas argenti ipsi comiti, quas detinuerat ex argento prepositi. 11. Kal. Iunii, dominica sancta pentecostes, comes Mai 22. et castellanus Gervasius et Walterus ex Frorerdesflo et milites Flandriae qui aderant iuraverunt, pacem sese pro posse suo conservaturos per totam terram Flandriarum.

87. Post festum sanctae Mariae in nativitate, quod est 6. Idus Septembris, sabbato scilicet, comes noster fecit secum adduci apud Bruggas Willelmum illum Iprensem, quem Sept. 10. in invasione Iprae captivaverat[25], et clausit eum in suprema camera castri Bruggensis cum fratre suo Thiebaldo Sorel[26]; qui cum per sex dies commorati sunt concaptivati, Thiebaldus 26 commendatus est Everardo militi cuidam ex Gendt ad custodiendum. Moxque prohibitum est Willelmo illi Iprensi, ne per fenestras foras perspiceret, sed intra domum tantummodo spatiaretur; appositi sunt etiam vigiles et custodes cum illo, qui cautissime observabant illum.

88. 16. Kal. Octobris, feria sexta, in nocte sancti Lamberti, ex unaquaque vicinia circa Sept. 16. nos et ex civibus Bruggensibus meliores et magis fideles simulque castellanum Gervasium iurare precepit comes pro honore terrae, ut vera assertione profiterentur, quis Karolum comitem occiderit, vel quis eos interfecerit qui cum ipso prefato consule occisi sunt, quis rapinam comitis et secum occisorum vel hominum et familiae comitis rapuerit, quis in auxilium eorum traditorum post mortem domini totius patriae se associaverit, vel quis cum impiissimis illis ante obsidionem vel post permanserit, vel quis illos traditores et illorum complices sine licentia principum, qui castrum et ipsos infra obsederant, eduxerit, et ideo ab eis pecuniam et thesaurum comitis Karoli acceperit clanculo, quis illos postea detinuerit et auxilium prestiterit, quos rex et comes communi consilio terrae baronum reos condempnaverant et proscriptioni decreverant. Igitur post coniurationem consederunt simul in domo comitis, et accusaverunt apud nos 125, et in Reddenburg cum Lamberto, quem traditionis reum notaverant, 37.

89. 15. Kal. Octobris, sabbato, in die sancti Lamberti, comes iturus versus Ipram, Sept. 17. requisivit a burgensibus nostris teloneum. At illis ingratus erat comes, ideo quod de

24) Cf. supra cap 57. 25) Vide paullo supra cap. 80. 26) Nulla alias Thiebaldi huius uspiam mentio fit. Forsan Willelmi Iprensis frater uterinus fuit. ACT. SS.

1127. Sept 17. redditibus telonei milites sui feodati fuerant a tempore omnium predecessorum suorum comitum. Vexabant enim consulem milites sui, eo quod burgensibus condonasset teloneum quo ipsi hactenus feodi exstiterant; et illud non posse confirmabant comitem iuste sine suorum militem assensu cŏndonare, nec iuste ipsos cives ut eis condonaret consulem expostulasse. Unde invidia concitata est inter cives et inter comitem militesque suos. Secundum legem ergo obsidionis, quam principes decreverant, comes et sui post accusationem agere studuerunt; namque lex et decretum tale statutum fuit: *Quicumque eduxerit contra assensum principum obsidionis quemquam de obsessis, quali pena erat mulctandus eductus, tali tormento dampnabitur eductor.* Itaque cum multi fuissent de obsessis clanculo et pro pretio educti, iam parentes illorum qui in obsidendo traditores occisi erant flectebant se ad genua comitis, obsecrantes, ut sibi ad occidendum vel puniendum daret illos, qui clanculo et furtim et traditiose obsessos eduxerant, aut illos seductores a terra eiceret. Sicque constrictus ratione consul, accusatos ante se precepit stare, volens ipsos secundum legem obsidionis tractare. At illi responderunt, sese non fuisse legitime accusatos, sed caussa invidiae et odii et non caussa veritatis; summopere tamen rogabant consulem, ut secundum iudicium scabinorum terrae ipsos tractaret, tam de nota traditionis quam de cuiusque suspicionis respectu. Plures quidem reconciliati sunt comiti de accusatis, quos adhuc persequebantur nepotes et filii et cognati eorum qui in obsidione occisi fuerant, vel quia traditores subduxerant, qui dominum terrae Karolum simulque patrem ipsorum tradiderant; sicut fuerant 27 filii castellani[27] ex Brudburg, qui in presentia etiam novi comitis appellare festinabant Everardum ex Gend, qui obsessos scilicet illos eduxerat caussa pecuniae, qui patrem et fratres occiderant suos simul cum comite patriae. Audito illo, maior pars accusatorum se subtraxit, quos conscientia mordebat propria. Accepit ergo comes consilium, et convocatis baronibus suis decrevit, quatenus illos proscriberet accusatos, qui hominium Karolo comiti fecerant, et insimul auxilium prebuerant traditoribus obsessi cum ipsis, sed et alios ad satisfactionem susciperet, et alios misericorditer sine iudicio reciperet in gratia sua.

90. Factum est ergo Dei districto et horribili examine, quod Walterus ex Frorerdeslo, unus parium terrae, in quadam militiae expeditione, ex proprio cursu suo ab equo precipitatus, totus confractus langueret, et postmodum in paucis diem obierit. Verum quippe fuit, illum conscium fuisse traditionis domini sui et patris universae terrae Flandrensis. Qui etiam, ut certissima securitate cum traditoribus consisteret, adoptivum quendam filium sutoris, quem uxor eius sibi mentita est filium fuisse, copulavit coniugio nepti prepositi Bertulphi. Crediderat enim verum fuisse sibi filium pater, quem olim fraudulenter mater, quasi uxor Walteri prefati, peperisse dissimulabat. At infans, quem pepererat, statim in ipso partu obierat. Supposuit ergo filium sutoris, qui circa idem tempus genitus fuerat, et emortuum quem pepererat clanculo uxori sutoris submisit, dans ei pecuniam, ut fateretur se peperisse illum emortuum, et viro suo quod factum erat celaret. Cumque crevisset ille furatus et adoptivus filius, et omnes crediderant vere filium fuisse illius Walteri, venit prepositus et dedit neptem suam, filiam filii fratris sui, illi furtivo filio uxorem, ut firmiter ad omnem fortunam simul per illud coniugium consisterent, audaciores, fortiores ac potentiores forent. Igitur post mortem ipsius Walteri profitebatur publice uxor eius, puerum illum non esse verum filium suum sed adoptivum, quem isdem Walterus apud burgensem quendam posuerat in vadimonium pro 300 libris. Sicque arte Dei delusa est ars prepositi, qui cum vellet superbe et gloriose per illud coniugium cognationem suam extollere, filio sutoris Dei arte deceptus eam copulavit. Nemo vero ausus fuit manum mittere contra Walterum, quamvis traditionis conscius fuisset, erat enim par terrae illius, alter a comite. At Deus, cui vindicta relinquebatur, morte languida a fidelium aspectu exterminavit illum.

Oct. 8. 91. 8. Idus Octobris, sabbato ante festum sancti Richarii, iussu comitis abductus est Willelmus ille Iprensis ad Insulas et commendatus castellano illius castri. Timuit cives nostros et etiam a terra proscriptos, ne aliquo dolo eicerent in Brugis a captivitate Willelmum, et vi irruerent in castrum. Notandum quod, occiso comite Karolo, Borsiardus et sui sceleris participes, more paganorum et incantatorum, nocte qua primo sepultus erat comes Karolus, acceperunt sciphum plenum cerevisiae et panem, considentes circa sepulchrum, posuerunt potum illum et panem in mensa sepulchri, edentes et bibentes super beati comitis corpus ea fide, ut nullo modo illum quis vindicaret.

27) Theynardi; cf. supra c. 16.

92. 9. Kal. Novembris[a], feria secunda ante festum sancti Amandi, Baldewinus ex Alst 1127. Oct. 24 obiit. Qui unus etiam par parium Flandriae, domini sui Karoli traditionis notatus malo, non longe post hac vita potitus expiravit leviori occasione mortis, dum scilicet cornu flaret, et iam vento arteria intrinsecus turgente, totius capitis sui vires ad flandum laborarent, ex abrupto medulla cerebri, a naturali loco concussa, erupta est per vulnus antiquitus factum in fronte. Quod cum ventorum et proprii spiritus tumor disruperat, ebullierant medullae quae in cerebro iacuerant, ita ut meatus narium, oculorum et simul gutturis suffocarent, et sic mortuus ense Dei plagas mortales sustinuit. Tandem cum suprema vita spiraret, monachilem habitum accepit, et sic more christiani militis a seculo migrabat. Igitur isti duo prescripti principes terrae, cum e vicino et interposito intervallo obiissent, omnibus terrae incolis in ore et memoria fuerant, ita ut de subita morte eorum tractarent, quos post mortem domini Karoli Deus tam veloci sententia a vita privaverat, et tam levis causae moriendi ipsis occasionem ordinemque disposuerat. Contra morem christianum quidem in obsidione egerant cum preposito et aliis[28], quos a captivitate eduxerant. Nam accepta pecunia a preposito et suis, postquam subductos contra regis et principum decreta per devia diverterant, nudos et solos in locis campestribus dimiserunt, quousque ipsi vagantes et pererrantes campos et villas, capti sunt et miserrimae mortis exterminio dispersi.

93. 16. Kal. Ianuarii, sabbato, tertia hebdomada finita adventus Domini, eodem anno Dec 17. in quatuor temporibus, Desiderius frater Isaac illius predicti traditoris mortuus est, qui traditionis conscius, non promeruit ulterius vitae felicitate perfrui. A tempore ergo obsidionis nusquam ausus est prodire ad curiam comitis, nisi latenter; nam plures fuerant in comitatu nostro, qui illum appellassent ad bellum et reum traditionis convicissent, si aperte ad curiam exiisset. Insuper interdictum est a comite novo eidem Desiderio, quamquam forte ad curiam ascenderet, ne sibi propinaret; nam in curia unus ex propinatoribus ipse constiterat.

94. Kal.[b] Augusti retro, itaque in festo sancti Petri in Augusto, habitis nundinis in In- Aug. 1. sulis, cum comes voluisset quendam de servis suis ibidem in foro capere et iussisset capi, cives Insulenses ad arma ruebant, comitem et suos extra suburbium fugaverunt, alios de curia verberantes, et Northmannos in paludes precipitantes, plures aliis et aliis affecerunt lesionibus. Statimque comes obsedit Insularum omnia loca, et coegit cives sibi reddere marchas argenti 1400, si saltem illo modo repacificarentur. Unde concitata est invidia maxima inter cives illos et comitem, ita ut deinceps sibi suspecti utrimque starent.

95. 3. Nonas Februarii, feria sexta post festum purificationis matris Domini, insur- 1128. Febr. 3 rexerunt burgenses in Sancto Audomaro contra comitem, eo quod iniuste volebat comes preferre illis castellanum loci illius, qui violenter res et substantiam civium illorum diripuerat et adhuc rapere satagebat; obsedit quoque Sanctum Audomarum cum gravi exercitu. At cives introduxerunt Arnoldum[29], nepotem Karoli consulis, et hominia ei fecerant et securitates, ut, si forte perduraret comes novus in iniusta obsidione, ad illum Arnoldum se converterent. Eadem tempestate nix et glacies et frigus et orientis ventus simul inhorruerant super faciem terrae, et ideo timebant insultum comitis, reddideruntque pro repacificatione 600 marcas argenti. Unde maxima invidia excitata est inter cives illos et comitem, et deinceps facti sunt sibi suspecti.

96. 14. Kal. Martii, feria quinta ante septuagesimam, insurrexerunt Gendenses contra Febr. 16. castellanum suum, eo quod iniuriose et perverse semper egisset contra ipsos, qui transtulit se ad consulem, quem ad repacificandum se et cives adduxit. Igitur comes, volens opprimere cives et eisdem violenter anteponere castellanum prefatum, ibidem per aliquot dies expectabat. Tunc cives, sicut pepigerant cum Daniele principe et Iwanno[30] fratre Baldwini, posuerunt comitem ad rationem, et convocatis universis in Gandavo, Ivan prolocutor civium statutus est, et sic orsus est: *Domine comes, si cives nostros et vestros burgenses et nos amicos ipsorum iure volueratis tractasse, non aliquas exactiones pravas et infestationes debueratis nobis intulisse, imo ab hostibus defendisse et honeste tractasse. Nunc ergo contra ius et sacramenta, quae pro vobis iuravimus de condonato teloneo, de confirmanda pace et de ceteris iustitiis, quae homines huius terrae obtinuerant a predecessoribus bonis terrae consulibus, et maxime tempore domini Karoli, et a vobis, vos in propria persona fregistis, et fidem vestram et nostram, qui in id ipsum vobiscum coniuravimus, violastis. Manifestum est, quantam violentiam et rapinam in Insulis fecistis, et quantum cives in Sancto Audomaro persecuti sitis*

a) Octobris *ed.* b) Idus *ed.*

28) Cf. supra c. 42. 29) Cf. Walter. c. 44. 30) Cf. Annales Elnonens. Mai. 1127.

1128. Febr. 16. *iniuste et perverse, nunc quoque in Gandavo cives, si potueritis, male tractabitis. Sed cum sitis dominus noster et totius terrae Flandriae, decet vos nobiscum rationabiliter agere, non violenter, non perverse. Ponatur curia vestra, si placet, in Ipra, qui locus est in medio terrae vestrae, et conveniant principes utrimque nostrique compares ac universi sapientiores in clero et populo in pace et sine armis, tranquillo animo et bene considerato, sine dolo et malo ingenio, et diiudicent. Si potueritis comitatum salvo honore terrae deinceps obtinere, volo ut obtineatis; sin vero tales estis, scilicet exlex, sine fide dolosus, periurus, discedite a comitatu, et eum nobis relinquite idoneo et legitimo alicui viro commendandum; nos enim mediatores sumus inter regem Franciae et vos, ut sine honore terrae et nostro consilio nihil in comitatu dignum ageretis. Ecce! Tam nos fideiussores vestros apud prefatum regem quam burgenses totius pene Flandriae perverse tractastis contra fidem et iusiurandum, tam ipsius regis quam nostri, et subsequenter nostrorum omnium principum terrae.* Igitur comes prosiliens exfestucavit Ivannum, si ausus esset prae tumultu civium illorum, et ait: *Volo ergo, reiecto hominio quod mihi fecisti, parem me tibi facere, et sine dilatione bello comprobare in te, quia bene et rationabiliter adhuc per omnia in comitatu egerim.* At Iwan renuit. Et determinavit diem, feria quinta in capite ieiuniorum, 8. Idus Martii, quando pacifice in Ipra convenirent. Igitur comes descendit Bruggas, et convocatis viciniae illius militibus, precepit ut ad diem positum secum et ad ipsum armata manu festinarent, convocatisque civibus in Brudgis, conquestus est eis quam inhoneste ipsum a terra expelleret Iwan et sui, si possent, exoravit- Mart. 8. que eos, ut secum fideliter starent. At illi annuerunt. Igitur ad diem ascendit comes manu armata, et implevit Ipram militibus et coterellis preparatis et ad pugnandum accinctis. Ascendit quoque Iwan et Daniel iuxta Ipram, scilicet in Roslara, et premisit internuntios ad comitem, dicens: *Domine comes, quia dies in sacro ieiuniorum tempore positus est, cum pace et sine dolo et armis sed rationabiliter venisse debueratis, et non fecistis, imo contra homines vestros*[a] *pugnaturus presto estis, mandant vobis Iwan et Daniel et Gendenses, quia dolose ipsos interficere venistis, hominia, quae inviolabiliter hactenus vobis servaverunt, exfestucare per nos non differunt.* Et exfestucaverunt ex parte dominorum suorum internuntii illi et abierunt. Ante hoc tempus Iwan et Daniel transmiserant per castra Flandriae mandantes salutem: *Obsides et fideiussores dabimus adinvicem, si vos vultis cum honore vivere in terra, ut, si violenter velit comes irruere super vos vel nos, undique ad mutuam nostram defensionem concurramus.* Annueruntque eis id libentissime se facturos, si cum honore terrae et suo comite isto tam perverso carere possent, qui nulli rei intenderet, nisi quo astu cives suos persequi potuisset. Et adiunxerunt: *Ecce! patet quomodo mercatores et universae terrae Flandriae negotiatores obsessi sunt caussa comitis istius, quem vos in comitatum dignissimi patris Karoli subrogastis, et iam per annum istum consumpsimus substantias nostras, et insuper quicquid in tempore alio sumus lucrati, aut iste comes abstulit aut nos infra terram istam clausi et obsessi ab inimicis eius consumpsimus. Videte ergo, qua ratione isto careamus raptore et persecutore nostro, salvo tamen honore terrae et vestro.* Interim comes in Ipra insidiabatur Danieli et Iwanno, congregans sibi universos terrae milites.

Mart. 11. 97. 5. Idus Martii, dominica prima quadragesimae, fama vera nos percellebat, quod 31 iuvenis Theodoricus, nepos Karoli consulis[31], ex Elsatan venisset in Gandavum ibique expectaret, donec, propulso isto comite cum suis Normannis, ipse in consulem susciperetur. Et valde mirandum est, quod Flandria tot dominos susciperet, et eodem tempore puerum de Montibus, et Arnoldum, quem in Sancto Audomaro subintroduxerant, et istum qui iam expectat Gandavi, et istum nostrum abusivum comitem, se recepturum parata foret. Nam istum Normannum, consulem nostrum, Theodericus castellanus et ipsius cognati et amici, Arnoldum vero illi in Sancto Audomaro, comitem de Montibus illi de Atrebato et in confiniis, Theodoricum istum Iwan et Daniel et Gendenses in comitem assumere festinabant.

Mart. 16. 98. 17. Kal. Aprilis, feria sexta, cives Brugensium[b] corruerunt in castrum, inquirentes si Fromoldus iunior domum comitis implesset frumento et vino et ceteris victualibus, ad opus comitis Willelmi observandam. Eodem die audito quod comes veniret in suburbium Brudgis, obviam ei si forte venisset, clauserunt portas, nolentes illum deinceps tenere pro comite. Sabbato in quatuor temporibus, iam transacta plena prima ieiuniorum hebdomada, Mart. 17. in 16. Kal. Aprilis, Gertrudis virginis, castellanus Gervasius imperavit sese preparare

a) *ita Duchesne;* nostros *ACT. SS.* b) burgensium *ed.*

31) Cf. supra c. 47.

omnes qui in vicecomitatu[a] eius habitarent, ut in Toreholt[32] expediti ad bellum conscen- 1128. derent feria quarta post sabbatum prescriptum, ibidem expectantes, donec comes noster Mart. 17. Willelmus ipsos deduceret contra Danielem et Iwan pugnaturos. 12. Kal. Aprilis, in Bene- Mart. 21. dicti abbatis, castellanus noster Gervasius a Toraholth in Bruggas rediit cum suis, retulitque quod Arnoldus, nepos Karoli comitis, iam secunda vice subinductus erat in Sanctum Audomarum fraudulenter a quibusdam civium. Quo rescito, comes Flandriae Willelmus cum potentia valida ab Ipra accurrit in Sanctum Audomarum, ac in ecclesiam sancti Bertini obsessum fugavit, volens incendere ecclesiam, coegitque ut Arnoldus ille abiuraret prorsus Flandriam, simulque illi qui cum ipso obsessi fuerant. Et hoc eodem die reversus est comes in Ipram, preparans se ut sequente die invaderet Iwannum et Danielem cum expeditione imperata in Toraholt. Eodem die, scilicet feria quarta, cives nostri et maritimi Flandrenses nostri coniuraverunt, ut simul deinceps starent pro tuendo honore loci et patriae.

99. 10. Kal. Aprilis, feria sexta, transmissis litteris, illi ex Gend simul Iwan et Daniel Mart. 23. dicebant nostris burgensibus, ut usque in diem lunae proximum previderent sibi, utrum deliberarent prorsus permanere cum Gendensibus et prorsus exfestucare comitem, an prorsus persisterent cum consule Willelmo, et contradicerent Gendensibus et ipsorum dominis ac amicis. Ultra prescriptum diem igitur nolebant in ambiguo suspendi cum Brudgensibus. 9. Kal. Aprilis, sabbato *Dixit Rebecca*, audierant Brudgenses, quod comes ex Mart. 24. Alstra[33] satageret descendere Bruggas, contradixerunt ei locum et castrum suum. Remanserunt comiti per castellanum Gervasium, ut alias se diverteret, donec inimicos suos extirpasset a Flandria, et tunc primum redderent ei locum et castrum in Brudgis. Requirebant quoque ab eodem Gervasio castellano, ut profiteretur ipsis utrum deliberasset, an prorsus remanere in fide et securitate eadem cum ipsis, an prorsus ab ipsis cum suo consule recedere. Eodem die circa vesperam viderunt transitum comitis apud nos versus Maldenghem[34], statim ad arma prosilientes cives nostri, in exitibus portarum restitissent comiti in faciem, si ad Brudgas descendisset, et portas undique clauserunt contra illum. Eodem die Cono frater Walteri mortui ex Forerdeslo introivit ad cives nostros, et in medio fori coram universis iurabat, se cum sua potentia deinceps cum civibus fideliter persistere. Erantque civibus nostris coadiutores milites, Walterus[35] ex Liswega et sui, et illi ex Ostkerca, Hugo Snaggaerd et fratres sui.

100. 8. Kal. Aprilis, in dominica in annuntiationem sanctae Mariae, euangelium lege- Mart. 25. batur *Omne regnum in se divisum desolabitur*, ad Brudgenses nostros, tam ad clerum quam ad populum viciniae nostrae mandarunt Hollandiae comitissa[36] et frater eius Theodoricus adoptivus comes Gendensium et nostrorum civium salutem: *Quicquid a predecessoribus nostris consulibus legittime possidetis, et per me firmius obtinebitis, si quidem me in comitatum subrogatis. Mercatoribus vestris et totius Flandriae pacem et liberum negotiandi prebebo transitum, simulque soror mea comitissa idem prebebit, eatenus tamen, ut obsides demus invicem recipiendi mea a vobis et liberam prestandi vobis negotiationem.* Statim castellanus Gervasius transivit ad comitem in Maldenghem, consulens ei ut versus Ipram ascenderet, quia in Maldenghem quasi obsessus teneretur, si Gendenses in eum excursum forte fecissent. Statimque Brudgenses transmiserunt propter Danielem, ut cum sua potentia ad ipsos in Bruggas descenderet. Interim cum castellano ex Brudburg Henrico[37] Arnoldus, quem in Sancto Audomaro olim susceperant in comitem, satagebat cum auxilio et consilio regis Angliae, ut comitatum Flandriae obtineret. Itaque terra Flandriae divisa est, ut alii adhuc fidem conservantes et hominia comiti Willelmo, cum ipso militarent, alii peroptarent Theodoricum, sicut Daniel et Iwan et Gendenses ac Brugenses, alii Arnoldum, sicut illi in Sancto Audomaro et vicinia illa, alii comitem ex Montibus preferendum crederent. Igitur in tanta divisione desolata est terra.

101. 7. Kal. Aprilis, feria secunda, castellanus Gervasius noluit cum Brudgensibus Mart. 26. nostris deinceps commanere, eo quod comiti Willelmo contradixissent locum contra eum, et superadoptassent Theodoricum sibi in consulem. Igitur extra castrum Bruggarum Gervasius mandavit pro melioribus civium, et habuit cum eis huiusmodi orationem: *Quia fidem unico domino meo, comiti Willelmo, adhuc servo, a quo separari secundum legem seculi non*

a) vicecomitatum *ed.*

32) Tourhout. 33) *Aaltere* inter Gent et Brügge. 34) *Maldeghem* a Brügge orientem versus haud procul a finibus Flandriae et Seelandiae. 35) Walterus Crommelin, gener Haketti castellani. Vid. c. 54. 36) de qua supra c. 34. 37) Erat filius Themardi cum Karolo comite occisi. ACT SS.

1128. Mart. 26. *potero salvo honore meo, non potero vobiscum commanendi licentiam habere, qui tantum feceritis comiti contemptum. Sed quia vos amo, ibo ad comitem, perorabo pro vobis, quatenus usque in dominicam proximam induciet de vobis, ita ut si vos comiti potuero componere, faciam; sin vero, cautos vos faciam de omni molestia, quam comes inferet vobis, si eam prescire potero. Uxorem meam, filios et filias et res meas adhuc infra castrum habitantes, precor, honeste conservetis usque in determinatum diem.* Et concesserunt ei omnes cives nostri fideliter 38 sese observaturos. Eodem die Steven ex Boulara[38] introivit ad nos cum circa 40 militibus. Excursum fecerunt milites nostri ante domum Thancmari. Eodem die Iwan et Daniel Bruggas induxerunt Theodoricum ex Elsatan, ut in comitem assumeretur; occurrerant ei cives nostri, applaudentes ei.

Mart. 27. 102. 6. Kal. Aprilis, feria tertia, in mane Thancmarus et nepotes ipsius domum et mansiones proprias in Straten combusserunt, quia, si hoc non fecissent, Daniel et Iwan cum suo Theodorico combussissent. Didicimus revera, quod Iwan et Daniel illi Theodorico hominium et securitatem non fecerant adhuc, sed ducendo eum per castra Flandriae populum et milites commoverent ad eligendum illum in consulem. Nam sine licentia et as- 39 sensu ducis Lovaniae[39] electionem facere Iwan et Daniel non poterant; sic enim fidem duci utrique dederant, ne Theodoricum illum in consulem eligerent sine consensu ducis. Eodem die audivimus, quod Willelmus Iprensis a captivatione productus Cortracum venisset, ut consilio et viribus suis et suorum forte iuvaret consulem Willelmum, a Bruggis et a Gandavo expulsum. Quia ergo Iwan et Daniel, duo ex paribus et principibus Flandriae, a rege Angliae donaria plurima susceperant, et plura erant pro expulsione nepotis sui, scilicet nostri consulis Willelmi, accepturi, nihil absque consilio regis facere deliberarant, seu 40 absque consilio ducis Lovaniae, cuius filiam[40] rex Angliae et idem dux daturus erat Arnoldo nepoti consulis piissimi Karoli, quem eodem tempore Furnenses et castellanus ex Brodburg in comitem susceperant, et hoc consilio et auxilio regis Angliae. Interrogabant tandem cives nostri ipsos Iwanum et Danielem: *Cur ergo istum Theodoricum ad nos usque perduxistis, si fidem, securitatem et hominia ei vos priores, et nos secundo loco, non fuerimus facturi?* Responderunt: *Quia cum apud Bruggas veniret, nobiscum venit, et nos cum ipso, ut videret situm loci, et temptaret, quo animo eum susciperent Brudgenses, et qui cum* Mart. 29. *ipsis stabant amicitia et securitate coniuncti.* 4. Kal. Aprilis, feria quinta, illi milites ex Ostkercka ex nomine inscriptos pargameno sese et plures alios transmiserunt consuli Willelmo in Ipra, et exfestucaverunt fidem et hominia, quae olim fecerant ipsi eidem consuli.

Mart. 30. 103. 3. Kal. Aprilis, feria sexta, expectabant Brugenses reditum Danielis et Iwani, qui antea exiverant suburbium clanculo cum militibus suis. Nam determinaverant civibus nostris hunc diem, in quo hominia et securitates facerent Theodorico ex Elsatan, simulque Gendenses et Brudgenses et qui cum ipsis coniuraverant. Haec autem feria sexta hoc[a] anno bissextili, in anno preterito erat feria quarta ante diem paschae proxima. Eodem die in vespera reversi sunt ad nos in Brudgis Iwan et Daniel et Hugo Campus-Avenae. Et relatum est, quod Willelmus Iprensis ille captus libertate donatus fuerit a consule Willelmo Normannorum. Statim postquam pransi sunt, tam principes quam populus convenerunt in exitu castri apud Harenas omnes, ibique elegerunt Theodoricum ex Elsatan in consulem totius Flandriae, feceruntque ei hominia Iwan et Daniel in presentia universorum, lexque data est omnibus, qui pro traditione comitis Karoli proscripti habebantur, revertendi in curiam huius novelli comitis, et si auderent, secundum iudicia principum et feodatorum terrae, si miles erat et ad curiam comitis pertinuisset, excusationem facerent; sin vero, secundum iudicia scabinorum terrae sese quisque notatus purgaret. Superaddita est a consule principibus suis et populo terrae libertas de statu rei publicae et honore terrae meliorandi omnia iura et iudicia et mores et consuetudines ipsorum terram inhabitantium. Et notandum: quod in anno preterito ista eadem feria reversi sunt principes obsidionis ex Atrebato, qui exiverant a nobis pro eligendo consule terrae secundum regis Lodewici consilium ac preceptum, Iwan et frater eius Baldevinus ex Alst, Walterus ex Forerdeslo et ceteri terrae compares; redeuntes ad nos cum alacri animo, denuntiaverunt nobis sese cum rege Franciae elegisse Willelmum puerum ex Normannia libere et legitime in comitem et dominum

a) *ita Duchesne*, ante feriam sextam *Act. SS.*

38) *Boulare* prope Grammont. 39) Godofridi I mariti Clementiae, viduae Roberti II comitis Flandriae.
40) Itaque praeter Alisam, uxorem Heinrici I regis, Godefridus dux Lovaniae aliam filiam habuit.

universae terrae nostrae[41]; et quod consule Willelmo cum baronibus suis considente in 1128. Ipra in solario quodam, ut consilium acciperet, quid facturus foret contra noviter electum Theodoricum, consulem Gendensium et Brudgensium et complicum eorum solummodo, decidit ipsum solarium in terram, et corruerunt simul considentes in eo, ita ut unus ipsorum pene casu ipso prefocatus expirasset.

104. Pridie.Kal. Aprilis, sabbato, interim clerus et populus reversi sunt apud Harenas, Mart. 31. et super feretrum sancti Donatiani iuravit comes, sicut prediximus, et dati sunt inter consulem et clerum et populum obsides Iwan et Daniel, illa omnia consulem adimplere et scienter non fraudare quae iuraverit. Deinde Gendenses fidelitatem iurabant, et deinde Brudgenses consuli, et hominia fecerunt. Eodem die Lambertus ex Reddenburg venit Brugas, ut se a traditione excusaret. Kal. Aprilis, dominica *Laetare Hierusalem*, in medio quadra- Apr. 1. gesimae, Theodoricus susceptus est in consulem, et cum processione in ecclesia sancti Donatiani in Brudgis et more predecessorum suorum comitum ascendit, et pransus est in aula et domo comitum, et per totum diem Brudgenses nostri elaborabant pro introducendo castellano Gervasio, quem fideliter dilexerant. Erant tamen aliqui Brudgensium, homines quidem eiusdem Gervasii, qui nequiter agebant contra, seorsum inito consilio cum quodam Waltero, genero Haketti castellani, quem superponere Gervasio moliebantur.

105. 4. Nonas Aprilis, quae feria in preterito anno erat sabbatum sanctae paschae, Apr. 2. modo vero feria secunda, introivit Gervasius castellanus in castrum Bruggarum ad consulem Theodoricum in multitudine militum suorum et burgensium, qui fideliter ipsum dilexerant, stansque coram universis ait: *Domine comes Theodorice, si Deus hanc gratiam contulisset nobis et patriae, ut vos statim post mortem domini nostri et nepotis vestri Karoli presentem habuissemus, neminem in comitatum preter vos suscepissemus. Notum ergo facio omnibus, quod a consule Willelmo prorsus discesserim, hominium et fidem et securitatem, quam hactenus sibi servaverim, reiecerim, eo quod pares terrae et omnis populus illum condempnaverint, sine lege, sine fide, sine iustitia Dei et hominum adhuc in terra errantem, vosque heredem naturalem et dominum terrae iustum cum honore et dilectione susceperint. Volo ergo hominium et fidem vobis facere, sicut domino naturali terrae et de cuius conditione nos sumus, officium et feoda, quae a predecessoribus vestris hactenus tenui, a vobis recipere volo. Si quis vero vicecomitatum contra me impetit ex parte Haketti, qui ante me castellanus proxime fuit, in presentia vestra et parium terrae satisfacturus presto ero.* Sicque, finita oratione, factus est homo Theodorici consulis. Deinde per reliquum diem fecerunt hominia consuli omnes, qui feodati fore debuerant in comitatu, et per reliquos dies deinceps. Statim pacem ipse consul componere festinabat in omni comitatu suo inter illos, qui hactenus in invicem discordias et lites gravesque pugnas exercuerant.

106. 8. Idus Aprilis, feria sexta, Lambertus ex Reddenburg ferro ignito purgabat se in Apr. 6. presentia comitis Theodorici a traditione et morte domini Karoli consulis; Daniel et Iwan non interfuerunt. 5. Idus Aprilis, feria secunda, quidam Iprensium venerant coram consule Apr. 9. Theodorico in lobio domus suae in Brudgis, denuntiantes quod idem comes in auxilium veniret civibus Iprensibus, ea conditione, ut, si cives consulem Willelmum ab Ipra expellerent, statim die altero comes Theodoricus in auxilium civium eorundem intraret ad ipsos.

107. 4. Idus Aprilis, feria tertia, consul Theodoricus cum feodatis suis et burgensibus Apr. 10. Brudgensium excursum fecit versus hostes suos, qui in Oldenburg et Gistella consederant, et quia undique premuniti erant fortiter ad resistendum, comes cum civibus in media via rediit. Eodem die misit rex Franciae litteras huiusmodi civibus nostris: *Volo ut in dominica palmarum octo viros discretos a vobis mihi in Atrebato transmittatis, de singulis quidem castris Flandriae totidem sapientiores evocabo, coram quibus et universis baronibus meis retractare velim rationabiliter, quid sit questionis et pugnae inter vos et comitem vestrum Willelmum, et statim laborabo pro pacis conformatione inter vos et ipsum. Si quis de civibus non ausit venire ad me, conductum secure prebebo veniendi et redeundi.* Statim cives super remittendis litteris rationis et consilii studium inierunt, dicentes: *Quia rex iuraverat ante susceptionem Willelmi comitis, nullam coemptionem vel pretium se velle et debere accipere pro electione consulis eiusdem, et postmodum 1000 marcas pro pretio et coemptione aperte susceperit, periurus est. Item quicquid civibus in telonio condonavit, et quicquid super hoc simul cum rege iuravit se inviolabiliter conservaturum, violenter fregit. Et cum obsides dedisset, ipse comes pro*

41) Cf. supra c. 52.

1128. Apr. 10. *confirmatione omnium eorum quae civibus condonaverat et dederat, ipsos fefellit obsides. Igitur cum tandem apud Ipram diem nobis determinasset et paribus terrae, ut se componeret nobiscum, sicut omnes sciunt terrae incolae, armata manu predictum castrum anticipavit, ut violenter nobiscum ageret, et ad quicquid vellet, nos constringeret. Itaque sine ratione, sine lege Dei et hominum nos in terra hac clausit, ne negotiari possemus, imo quicquid hactenus possedimus, sine lucro, sine negotiatione, sine acquisitione rerum consumpsimus; unde iustam habemus rationem expellendi illum a terra. Nunc ergo iustiorem terrae heredem in consulem nobis elegimus, filium sororis[42] consulis Karoli, virum fidelem et prudentem, secundum morem terrae sublimatum, fide et hominio nostro stabilitum, naturam et mores et facta predecessorum suorum digne imitantem. Notum igitur facimus universis, tam regi quam ipsius principibus, simulque presentibus et successoribus nostris, quod nihil pertinet ad regem Franciae de electione vel positione comitis Flandriae . . . .[43] sine herede aut cum herede obiisse, terrae compares et cives proximum comitatus heredem eligendi habent potestatem, et in ipso comitatu sublimandi possident libertatem. Pro iure ergo terrarum, quas in feodum tenuerat a rege, cum obierit consul, pro eodem feodo dabit successor comitis armaturam tantummodo regi. Nihil ulterius debet consul terrae Flandriae regi Franciae, neque rex habet rationem aliquam, ut potestative seu per coemptionem seu per pretium nobis superponat consulem, aut aliquem preferat. Sed quia rex et comites Flandriae cognationis natura hactenus coniuncti stabant, eo respectu milites et proceres et cives Flandriae assensum regi prebuerant de eligendo et ponendo illo Willelmo sibi in consulem. Sed aliud est prorsus quod ex cognatione debetur, aliud vero quod antiqua predecessorum Flandriae consulum traditione ad iustitiae examinatur instituta.*

Apr. 11. 108. 3. Idus Aprilis, feria quarta, Leonis papae, nepotes Thancmari cucurrerunt super Brudgenses apud Harenas, evocantes et allicientes cives adhuc impransos et comitem Theodoricum et suos milites ad militias faciendas. Igitur campanas custodes templorum et milites lituos pulsantes, fugabant eos procul a Brudgis. Subsequenter vero expeditiores militum nostrorum et civium ascenderunt iterum adversus hostes suos in Gistella, et coegerunt quosdam, ut leti fuissent, si forte liceret eis hominia facere comiti nostro Theodorico et super hoc obsides dare, ne unquam fraudem sibi facerent. Apr. 23. 9. Kal. Maii, feria secunda post dominicam paschae, comes noster Theodoricus equitabat ad Insulas, et vicinias illas obtinuit. Interim Lambertus ex Wingihina[44] cum paucis militibus excursum fecit contra Bruggas, et simul cum illo nepotes Thancmari incenderunt domum Fromoldi iunioris, notarii comitis, quae domus defensabiliter steterat in Berenhem[45]. At consul Wilhelmus ad regem Franciae ascenderat eadem tempestate apud Compendium, qui locus est in Francia, quatenus a rege acciperet consilium et auxilium, quomodo Flandriam obtineret. Episcopo nostro Simoni Noviomensis sedis libere reddidit duodecim altaria, quae in feodum acceperat, ut advocatus et defensor staret ecclesiarum Dei, quae in Flandria sunt, eo tenore, quatenus episcopus banno et excommunicationis verbo dampnaret omnes quicumque Flandrensis terrae cives suscepissent consulem Theodoricum et ad potentiam consulatus promoverent, atque comiti Willelmo violenter et sine iudicio superposuissent. Hoc ergo pacto episcopus misit litteras in Gandavum, et suspendit inibi ecclesias a divino officio.

Apr. 30. 109. Pridie Kal. Maii, feria secunda, Lambertus ex Reddenburg, qui sub nota traditionis fuerat usque dum satisfecisset comiti Theodorico per igniti ferri examen, in Ostburc obsederat inimicos suos in validissima manu; etenim asciverat sibi ex insulis maris circumquaque homines et amicos cognatosque suos fere 3000. At contra illum illi ex Reddenburg collegerant et peditum et equitum manum validam. Cum igitur utrimque accessissent illi ad obsidendum et isti ad liberandum obsessos, intervenit nuntius comitis Theodorici, scilicet castellanus Gervasius, volens differre bellum, quousque comitis in presentia pacificarentur. Sed quia pertinaces fuerant Lambertus et sui ad occidendos obsessos, noluerunt aliquo modo differre quin obsessos percuterent. Igitur dum insultum tot milia facerent, et obsessi egregie sese defensarent, ex improviso illi milites ex Reddenburg, qui in auxilium obsessorum in alia domo eventum belli expectaverant, armati equis et pedibus alii et alii, tamen respectu obsidentium pauci, prosiliebant. Statimque strepitum et clamores infinitos in aera moventes illi, qui prosilierant, perterritos et prorsus attonitos reddiderunt obsidionem

42) immo amitae; Theodorici mater Gertrudis erat soror Adelae, matris Karoli. 43) Exciderunt nonnulla verba; ex coniectura ACT. SS. *si eum contigerit* vel tale quid. 44) *Wynghene* inter Brügge et Thielt. 45) Num *Erneghem* inter Brügge et Dixmude?

facientes in tantum, ut fugam inirent, et clipeis et armis abiectis, ad cursitandum in 1128. fuga sese succingerent. Tunc illi prius obsessi in armorum virtute egressi, simulque et Apr. 30. illi ex Reddenburg a tergo persequentes eos qui sese fugae dederant, omnium inimicorum illorum capitales et duces truncabant; ceterum de peditibus quos voluerunt enecabant. Sed et vulneratorum infinitus erat numerus et occisorum liberorum virorum numerus erat. In hac ergo pugna notandum, quia Lambertus ille, qui nuper excusaverat se ferro ignito non tradidisse Karolum consulem, modo occisus est. Nam quamdiu erga Deum humiliter egit, Deus illi quod in domini sui morte egerat indulsit. Igitur post liberationem igniti examinis, cum isdem Lambertus et sui sine aliquo respectu misericordiae superbe cum 3000 paucos obsedisset, et eis obstinatus, quantum in se erat, non parceret, nec propter Deum nec propter sacramentum iurandi, quod comiti Theodorico fecerat, ut nullam in propria vel suorum persona seditionem moveret, voluisset pugnam et stragem obsessorum differre, merebatur ipse occidi, oblitus misericordiae Dei et dispensationis, qua eum reservaverat vitae, cum omnibus occidendus videretur, si tamen dignos penitentiae fructus, sicut promiserat Deo et ecclesiae, institisset. Cum enim servus humiliter agit cum domino pro suo reatu, dominus indulget servo secundum legem penitentiam[a] agenti. Cum vero homo iuste agens in alium hominem perverse egerit, et Deus iudex inter utrosque adsciscitur, fidem iuste agentis Deus iuvat, iniustum hominem a causa prosternens et in obstinatione sua confundens. Unde fit, ut in bello alter iniquus prosternatur, in iudicio aquae et ferri iniquus, penitens tamen, non cadat. Notandum vero, quod isti occisi in Ostburg, primitus consilio et dolis suis Theodoricum comitem in Gandavo et Brudgis prestituerunt et Willelmo comiti supposuerunt. Et quamvis Theodoricus heres sit naturalis Flandriae et iustus comes et pius, Willelmus vero comes Flandriae sit inhonestus et civium terrae persecutor, tamen non iuste consuluerunt ii qui nunc miserabiliter iacent occisi, nec a traditione domini sui poterunt dici innocentes, quorum consilio et violentia doli adhuc comes Willelmus erat in terra sua Flandrensi.

110. 6. Nonas Maii, in nocte feriae quartae, illi qui in Gandavo in domo comitis a Mai. 2. civibus illis adhuc obsessi tenebantur, eo quod in parte Willelmi consulis persisterent, exierunt et platearum domos plurimas incenderunt. Cumque cives pro ignis destructione laborarent, securibus exciderunt iactatoria ingenia, scilicet mangunellas[46], quibus lapideam 46 domum et turrim, in qua degebant obsessi, prosternerent. Eodem die, scilicet quarta feria, Gervasius castellanus Brudgensis cum militibus obsidere voluit in Wingchina in parte comitis Willelmi agentes. At illi strenui milites occurrerunt Gervasio, et ipsum illum vulneraverunt, et de armigeris duos ceperunt, equos et palefridos lucrati sunt.

111. 3. igitur in Nonis Maii, sabbato, revoluto anno instabat dies anniversarius omnium Mai. 5. illorum, qui de turri precipitati erant pro morte Karoli comitis. Et notandum, quod in hac eadem septimana occisi sunt in Ostburch Lambertus filius Ledewif, et cum ipso plures quorum consilio et traditione Theodoricus Flandriae superpositus violenter est Willelmo Northmannensi. In hac eadem hebdomada satagebat rex Franciae in pridie Nonas Maii, Mai. 6. dominica *Misericordia Domini*, convocare archiepiscopos, episcopos et omnes synodales personas in clero, et abbates, et discretissimos tam in clero quam in populo, comites et barones ceterosque principes, ut ad se in Atrebatum convenirent, habiturus consilium de istis duobus consulibus, quem eorum cum regia potentia expelleret aut quem stabiliret. Quo tempore Theodoricus in Insulis et Willelmus errabat in Ipra. Tota vero terra in periculis agitabatur, in rapinis, incendiis, traditionibus, dolis, ita ut nemo discretus viveret securus. Igitur utrobique expectabant, quod consilium aut quae sententia daretur in curia et conventu tot prudentum et discretorum virorum, et quae pericula in futuro timerent, cum omnia pericula sibi superventura timerent. Et notandum, quod omnes fere, quibus terra Flandrensis prohibita erat propter traditionem Karoli consulis, et hoc secundum iudicia principum et baronum terrae, hoc tempore reversi sunt in terram hac simulatione et dolo, ut, si quis esset qui eos auderet interpellare de traditione, ipsi interpellati responderent, vel secundum quod miles erat, in curia comitis, vel secundum quod inferioris conditionis, coram scabinis et iudicibus terrae. Igitur adhuc nullus interpellatus est nec respondit. Et memorandum, quod cum iam primo comes Theodoricus in Insulas conscendisset, quaedam

46) Mangana, magnella, manginella, mangunella, machina, quae ad turres quassandas applicabatur. ACT. SS. *Ingenium* igitur hic ut iam saepius antea machina est bellica.

a) poenitentiae *ed.*

1128. incantatrix occurrit illi descendens in aquam illam, quam comes transiturus erat per pon-
tem iuxta incarminatricem; at illa conspersit consulem aquis. Igitur, ut aiunt, comes
Theodoricus languebat in corde et visceribus, ita ut comestionem et potum fastidiret.
Cumque milites eius indoluissent super eo, ceperunt incantatricem, et ligatis manibus et
pedibus, stipulis et straminibus succensis impositam combusserunt. Ab illo ergo tempore
Mai. 9. usque in 7. Idus Maii Cono ex Frorerdeslo in Winendala, et illi qui in Winchina cum Lam-
berto arma ferebant contra comitem Theodoricum et suos, non desistebant depredari villas
circa se et rusticos simulque cum rebus ipsorum violenter auferre. At Brudgenses fossatis
novis circumdederunt se, vigiliis et insidiis suis et suorum militum sese defensabant. Qua
47 tempestate villa Ostcamp[a] [47] depredata est prorsus a militibus Willelmi consulis.

Mai. 14. 112. Pridie Idus Maii, feria secunda, Brudgenses impetebant illos in Winchina, et
vulnerati sunt utrimque plurimi, et mortui quidam. Non tamen oppidum illorum obsesso-
Mai. 15. rum destructum est. In Idibus Maii, feria tertia, Willelmus comes, collectis militibus suis,
48 invasit preconem [48] in Ostcamp, et fugavit illum in ecclesiam eiusdem ruris, et clausum
intus obsedit eum, appositisque ad fores templi ignibus, ipsas fores conflagravit. Interim
burgenses nostri occurrerunt ei armati in Ostcamp, et cum perspexissent et consulem et
milites eius et flammas ignium in templo, perterriti fugerunt, et plures capti sunt eodem
die. Cum ergo in fugando et in persequendo cives nostros comes excurreret, preco ex
Ostcamp cum paucis e templo prosiliebat, et evasit periculum ignis, et captus est unus
militum qui in evasione eadem exiverat a templo, burgenses vero nostri fugerunt, timore
et pavore perterriti, simulque quia conscii erant sibi, quod eundem comitem Willelmum
iniuste expulerant et tradiderant; et quidam eorum in furnos campestres latuerunt, de
quibus extracti, captivi sunt abducti.

Mai. 21. 113. 12. Kal. Iunii, feria secunda, fama retulit ex Lens [49] regem Franciae fugisse ab
Insulis, ubi comitem nostrum Theodoricum obsederat per quatuor dies. Eadem tempestate
Gendenses evisceraverant quandam incantatricem, et stomachum eius circumferebant circa
Mai. 29. villam suam. 4. Kal. Iunii, feria tertia, comes Willelmus, collecta maxima manu militum
50 et peditum, invasit Bruggas, et usque in portis et cingulis [50] et infra fossata nostra insultum
impetuose et animose inferebat; utrobique alii interfecti, alii perplures sunt vulnerati. Tan-
Mai. 30. dem in vespera reversus est apud Iadbeca [51]. 3. Kal. Iunii, feria quarta, comes Willelmus
rapuit iterum apud Ostcamp rusticos et milites cum armatis, et violenter abduxit apud
Mai. 31. Winendala et Oldenburg. Pridie Kal. Iunii, in die ascensionis Domini, ex Oldenburg misit
quendam monachum nomine Basilium comes Willelmus, precipiens notario suo Basilio, ut
52 ad se festinaret, eo quod in presentiam suam berquarii [52] et custodes curtium et reddituum
suorum rationem debitorum suorum reddituri venissent. Igitur monachus ille detentus est
in Brudgis per Iwannum et Gervasium castellanum et Arnoldum nepotem Karoli consulis,
qui priore die a Brudburg venerat Brugas. Eodem tempore comes Willelmus Oldenburg
circumsepiri et fossatis firmari precepit, ubi se et suos recipere ordinaverat. Igitur nemo
ruricola circa nos securus erat, sed cum omni supellectile sua aut ad nemora subterfugerat
et latitabat, aut infra Bruggas ascendit, vix ibidem vitae suae aut rerum securus.

Iun. 10. 114. 4. Idus Iunii, dominica sancta pentecostes, comes Theodoricus venit Bruggas,
conquisitis circumadiacentiis villarum circa Gandavum, et in maximo gaudio susceptus est
Iun. 11. a nostris. 3. Idus Iunii, feria secunda, milites et latrunculi quidam, qui erant in parte Wil-
lelmi consulis, ex Iadbeca prodibant, et quasi speciem pacis ferrent, cum milite quodam ex
nostra parte manente sermones et salutationes conferebant. Huius ergo equitis nostri domus
defensabilis et firmissima stabat, in quam omnes circummanentes et plures ex civibus
Brudgensibus res suas comportaverant, quas ibidem tutius salvarent. Interceperunt ergo
equitem illum in curte sua secure vagantem, et traditum vulneribus interfecerunt, et do-
mum, eodem expulso equite, violenter obtinuerunt. Statim comes Theodoricus letus cum
innumera multitudine advolans, obsedit eos coegitque eos obsessos, ut sese redderent.
Quos tamen salvis membris abire dimisit, et equitem dominumque illius domus bene in
Iun. 12. propria domo restituit, feria tertia, scilicet pridie Idus Iunii. Eodem pridie Idus Iunii

a) Orscamp *ed.*

47) *Oestcamp* prope Brügge meridiem versus. 48) scultetum. 49) inter Bethune et Douay. 50) i. e. limitibus. 51) *Iabeke* occidentem versus prope Brügge. 52) i. e. berbicarii, ovium pastores.

audientes milites consulis Willelmi, qui in Oldenburg et Iadbeca et Straten iacuerant ut 1128. Iun. 12. insidias pararent nostro comiti Theodorico et nostris, quod cum tota potentia sua obsidionem Theodoricus fecisset extra in remotis villis a Brudgis, accurrentes circa 60 precursores, incenderunt domum vicinam castro Brugensi, allicere volentes cives nostros, quos fortassis sic caperent. Magis vero ideo nos impetebant, ut Theodoricum consulem per ignis fumum et flammas ab obsidione revocarent. Igitur castellanus Gervasius cum militibus occurrens ad insultum insidiatorum, cepit duos milites strenuos, Walterum nepotem Thancmari, per quem occasio et causa seditionis et pugnae totius originem habuit inter Borsiardum, illum traditorem comitis Karoli, et Thancmarum, cepitque alium cum Waltero militem. Sed isdem Walterus lethaliter vulneratus erat in captione illa. Cives vero Brudgenses manus prae gaudio complosas conferebant, animi exhilarationem non satis sibi invicem ostendentes pro tam bono suo successu. Nam tandem post tot mala, post tot predas et domorum incendia, et post tot homicidia in nostros perpetrata, captus est Walterus ille a nostris, qui caput et principium fuit totius mali terrae nostrae, pro cuius dolis Karolus consul traditus est, non quod ipse tradidisset, sed hostes suos Borsiardum et suos ad tradendum compulisset. Haec quoque dico secundum sensum vulgi et secundum furorem animi illorum, qui modo captivum Walterum prefatum suspenderent, aut novo et inaudito mortis fine dissipassent, si comes permisisset. Nam viso igne iuxta Bruggas, comes Theodoricus iam ab obsidione revertens, cum tota multitudine accurrit, sed ante accursum ipsius capti sunt illi duo et ceteri insidiatores retro fugati. Eodem die Walterus ex Somerengem[53] et milites et pedites cum eo, qui quidem ex nostra parte militabant, apud Haltras capti sunt. Eodem die Daniel et Iwan apud Ruplemunda[54] super ducem Lovaniae 50 milites ce- 54 perunt. Eodem die miserunt Iprenses secreto litteras Brudgensibus, quatenus privatim et in tuto loco aliquos sapientiores nostros et suos vellent convenire, et de honore comitatus utiliter agere.

115. 14. et 13. Kal. Iulii comes Theodoricus ascenderat cum comite Frederico in Iun. 18. Iun. 19. Gandavum, et collegit sibi infinitum exercitum de Axla[55] et Buchold[56] et Was[57] et confiniis illis; adduxit quoque instrumenta iactatoria, quibus deiceret domos defensales et oppida inimicorum suorum. Applicuitque cum gravi exercitu ad Tiled[58], et obsedit domum Folket 58 militis. Igitur 12. Kal. Iulii, feria quarta, Brudgenses occurrerunt comiti cum suo castellano Iun. 20. Gervasio et cum infinita Flandrensium multitudine, qui cum ipsis coniuraverant. Consederunt ergo foris nocte sequente circa domum predictam. Igitur comes Willelmus iuxta subsequens exercitum circumspexit, quota foret turba et exercitus, qui militem suum obsederant, nec parum indoluit de iniuria illa et grassanti arrogantia obsidentium. Elegerat namque Willelmus comes prius emori, quam tantum opprobrium sui sustinere. Igitur 11. Iun. 21. Kal. Iulii, feria quinta et die quarto ante festum sancti Ioannis baptistae, circa mane in Oldenburg ab abbate illius loci[59], religioso et prudenti viro, penitentiam suorum peccato- 59 rum devotus suscepit, et vovit Deo, ut deinceps pauperum foret advocatus et ecclesiarum Dei. Similiter omnes strenui milites eius voverunt, circumcisisque crinibus et reiectis vulgaribus indumentis, camisia et lorica, ceteris armis induti sunt, humili voto apud Deum et fortissimo zelo progredientes ad bellum, veneruntque in vertice montis qui eminebat iuxta exercitum Theodorici consulis, ibique preordinabant sese ad bellum. Fecit ergo Willelmus comes tres turmas equitum, et obtinuit primam suorum aciem, cuius ipse dux primum insultum facere se constituit. Ex adverso itaque Theodoricus comes similiter ordinaverat acies suas, in quarum una ipse et Gervasius castellanus capita erant, in altera comes Frethericus; curtatisque hastis utrimque paullatim sese aggressi sunt in virtute hastae et gladii, cecideruntque infiniti. Cominus pugnabant non aliter quam morti se offerrent, in media arma inimicorum corruebant; ante quidem sese preiudicaverant mori in bello, quam a comitatu expelli. In aggressu enim primo Daniel, qui caput erat militiae Theodorici consulis, volebat se inferre cuneis Willelmi consulis, ibique deiectus est comes Fredericus, et contra illum iunctus[a] Riquartus ex Woldman in priore iunctura[b. 60]; plures quippe et 60

a) *ita Duchesne*; vinctus *Act. SS.* b) *ita Duchesne*; vinctura *Act. SS.*

53) *Somerghem* inter Brügge et Gent. 54) ubi Rupela in Scaldim exundat. 55) *Axel* in Seelandia. 56) *Bouchoude* in confiniis Flandriae et Seelandiae. 57) terra Wasia inter Gent et Scaldim inferiorem. 58) *Thielt.* 59) Hariulfo, cf. chron. Aldenburgense ed. Vandeputte. 60) Ita emendat locum Adelung in lexico; *iunctura* est pugnantium concursus.

1128. Iun. 21. infinitae fiebant in invicem iuncturae[a]. Tandem gladiis contendebant. At pars et cuneus ille, in quo Willelmus comes pugnabat, deficere incipiens, retro in fugam se convertit, quam Daniel persequebatur cum suis. Cumque utrimque laborarent, illi in fugiendo, illi in persequendo, secunda pars cuneorum Willelmi consulis, quae ad insidiandum latebat, prosiluit in adversas facies Danielis et suorum; et quia recenti virtute et unanimi consensu exhortati fuerant et instructi ad bellum, in nullo hesitantes, hastis et gladiis persecutores illos interruperunt. Tunc comes Willelmus a fuga velociter resiliens, sese cum suis recepit, unoque cursu et animo virili ac robore corporum suorum crudelitati armorum et dispersioni inimicorum insistebat. Igitur universi qui cum consule Theodorico pericula belli sibi inminere previderant, in diversa armis disiectis nudique prorsus fugerunt, adeo ut cum comite suo preter decem milites nulli commanerent. Willelmus quidem comes et sui loricas proicientes, leviores equis insidentes, tunc tandem victoriae suae fructum consecuti, hostes alios occiderunt, alios ceperunt. Circa mediam noctem ad Bruggas rediit comes Theodoricus; ceterum quo Willelmus comes redierit, non audivimus. Tunc nostri loci coniuges viros suos, filii patres, servi et ancillae dominos suos perditos deflebant, casum et infortunium belli perquirentes, tota nocte et deinceps fletibus et suspiriis languebant. Summo diluculo igitur cum exirent nostri ad mortuos suos, iterum a militibus Willelmi capti sunt. Tam gravis persecutio et multiplex captivitas nostrorum nunquam audita est contigisse in nostris partibus ante hoc facinus belli. Infinita vero pecunia data est pro captivatis nostris redimendis Willelmo comiti et suis, et sic quodammodo iterum terra nostra depredata. Tandem audientes nostrates, quod Willelmus comes ante ingressum belli se Deo humiliter subiecisset, penitentiae remedium insumpsisset, crines et superfluas vestes ipse et omnes sui truncassent, post belli infortunia sua cives nostri simul cum suo consule Theodorico crines et vestes circumciderunt, et ipsi quoque presbiteri nostri ad exemplum inimicorum tandem penitentiam predicaverunt, et post tot damna, spolia et captivitates in nostros peractas indixerunt ieiunium universale, et ferebant cruces et scrinia sanctorum in ecclesiam beatae Mariae in Brudgis, ibique excommunicaverunt omnes sacerdotes Brudgenses ex nomine Willelmum comitem Northmannum: Thancrannus decanus, Eggardus, Sigebodo, Heribertus, Fromoldus senior, Theodoricus presbiteri; feceruntque vovere consulem Theodoricum coram universis, quod, si aliqui ex Iprensibus sese ad ipsum converterent, misericorditer eos susciperet, sive de omni comitatu quicumque se converterent similiter ad ipsum, non exheredaret eos.

Iun. 24. 116. 8. Kal. Iulii, dominica, in die sancti Ioannis baptistae, in ecclesia beatae Mariae crucifixus, qui stabat in pavimento ad adorandum fidelibus, per se ipsum et Dei virtute a loco, in quo firmiter fixus steterat, sursum levatus decidisset in pavimentum, nisi quidam custodum ecclesiae casum manibus preripuisset. Qui quidem custos iterum solito loco infixit crucifixum illum, et cum abiisset, iterum, sicut primitus, ab infixione levatur, et ruere ceperat idem crucifixus. Tunc omnes, qui ad adorandum stabant, accurrentes iterum infixerunt, putantes casum illum evenisse ex incuria infigentis. Sed circumquaque conspectantes, incuriam nullam hoc fecisse probaverunt.

Iul. 4. 117. 4. Nonas Iulii mensis, feria quarta, in translatione Martini episcopi Turonensis ecclesiae, obsedit comes Willelmus Nortmannensis cum gravi exercitu domum magni pre- 61 conis in villa Ostcamp, adducens instrumenta iactatoria, magnellam et pyrrira[61], quibus deiceret domum prefatam. Sed Theodoricus comes cum civibus Brudgensibus et Flandrigenis circa Bruggas, et infra fossata et sepes eiusdem domus simulque Arnoldus Wineth sese opposuerunt, utrumque vero exercitum fluvius diviserat, qui domum illam predictam orientem versus muniebat. At ex illa parte, in qua Willelmus insultum fecit, domus illa sepibus et fossatis firma fuit. Multi igitur in aggressu belli et pugnae in invicem utrimque mortui seu vulnerati sunt, sed domus et fossata et sepes eius firmiter perstiterunt. Tandem turrim ex una et turrim ex altera parte oppositam erexerunt, quibus conscensis, acriori modo pugnaverunt. Tunc exercitus Willelmi, eo quod ventus ex occidente duriter perflaret oppositum sibi hostium cuneum, comportari iussit undecunque fenum, herbam, tecta domorum, frutecta et omnem materiam, quae subministraret impletionem fossatorum, ut sic intrarent ad hostes oppositos. At illi de intus ignem pice et uncto veteri et cera levius

a) *ita Duchesne;* vinctura *Act. SS.*

61) petraria, Gallice *perrière*.

ardentem machinae iniecerunt, et ita igne consumptum est quicquid coniectum fuit. Eiusdem quidem machinae ardentis fumus, ventorum stridore agitatus, in oculos irruit eorum qui ignem iniecerant ab intrinsecus; hastis et telis et sagittis multi occubuerunt infecti. Sedit igitur Willelmus ille sex dies in obsidione illa, in quibus diebus tot militias, tot tornationes exercitabant milites utriusque exercitus. Nam cum fluvius profundus esset inter utrumque hostem, querebant omni tempore obsidionis milites Willelmi vada et transitus fluvii, quibus transire non differebant, avidi pugnae et belli, utpote illi qui fortiores armis et numerosiores erant multitudine. Sexto ergo die, qui erat 7. Idus Iulii, feria secunda, circa vesperam, videns Willelmus, quod nihil proficeret in obsidione domus illius, transire iussit milites 400 per vada fluvii, et combusserunt domum Ansboldi militis et domos fratris et sororum eius; tunc exercitus eius recessit. At nostri fugerunt in Bruggas, et vicini qui circa nos commanebant, cum omni supellectili sua et pecudibus fugientes, intraverunt ad nos in Bruggas, tremore et pavore attoniti, noctemque illam insomnem duxerunt. Eadem die monachi Sancti Trudonis et eorumdem cellula, iuxta Ostcamp sita, prorsus depredata est, ut nec libri vel calix sacrificii ibidem remaneret. Notandum quidem, quod nullus sapientum inter nostros Brudgenses ausus erat vera profiteri de casu et infortunio et fuga nostra. Quicumque enim aliquid veritatis profitebatur, illum traditorem loci nostri et fautorem Willelmi consulis deturpabant, mortemque subito minati sunt. Nec mirum, quia Deus obstinabat corda eorum, ne omnem veritatem vellent audire. Tamen cruces et processiones per ecclesiam a clero delatas subsequentes, magis Deum ad iram quam ad placationem provocaverunt, quia in obstinatione animi in malis et in superbia et pugna contra potestatem a Deo ipsis prelatam se[a] erexerant. *Omni quidem potestati omnis anima debet esse subdita*, sicut ait apostolus. Igitur si in loco illo, unde pessimae traditiones emerserant, infortunia contingerent, bella, seditiones, homicidia, opprobria sempiterna totius Flandriae, nonne iure idem locus debetur omnibus malis? Et si ecclesia fratrum patitur quae in Brudgis est, nonne merito, quia prepositus eiusdem ecclesiae causam malorum intulit? Et quamvis nemo auderet annuntiare bannum et anathema archiepiscopi nostri et episcopi ceterorumque suffraganeorum episcoporum eius, audivimus et cognovimus quidem vere et nos fuisse merito in banno positos et in prohibitione divini officii, eo quod superposueramus comitem comiti et infinitas mortes per hoc intulimus universis. Presbiteri nostri et clerus nostri loci preparaverunt sese ad pugnam cum populo et turba, male illius memores, quod starent quasi muros pro domo Israel.

1128. Iul. 4. — Iul. 9. — Rom. 13, 1.

118. 5.[b] Idus Iulii, feria quarta, in translatione Benedicti abbatis, Christianus de Gistela et fratres Walteri Pennati-mendacii venerunt Bruggas per conductum Danielis. Et posuit Christianus filium suum in obsidem, et fratres prefati duo remanserunt obsides pro Waltero fratre suo compediti in domo comitis, quae est in Brudgis. Ferebant igitur secum Christianus et milites eius Walterum illum, donec viderent, si aut convaleret aut moreretur, utpote illum qui vulneratus ad mortem languebat. Iul. 11.

119. 4. Idus Iulii, feria quinta, dux Lovaniae obsedit Alst cum gravi exercitu; et venit sibi in auxilium comes Flandriarum Willelmus cum 400 militibus. Interim apud Brudgenses multa mendacia volitabant de negotio obsidionis prefatae. Contigit interim, quod in Brudgis molendinum aquis inmersum undique dilapsumque destrueretur, et aqua, quae ad plagam meridiei munierat castrum et suburbium Brudgense, in loco quo molendinum concluserat aquas, elaberetur fere tota. Inde commoti cives accurrebant, et fimo, lignis, terra aquas effluentes obstruebant. Imputabant igitur suffossionem molendini factam fuisse furtive ab inimicis suis, eo quod ita post defluxum aquarum castrum et suburbium ipsorum ad ingressum pateret hostibus. Multi aderant divinatores et laici et sacerdotes, qui adulabantur civibus nostris, predicentes eis quaecumque sciebant cives voluisse audire. Si quis vero sapiens de negotio obsidionis aut de loci et civium periculis inminentibus verum profitebatur, vilissima repulsa impetitus ab ipsis obmutuit. Adhuc vero languebant cives nostri in extorquendo pecuniam ab invicem, quam comiti Theodorico transmitterent in expeditionem obsidionis prefatae. Similiter illi ex Gend laborabant. Erantque in Alst obsessi Iwan et Daniel et comes Theodoricus cum forti milite satisque in bello probato. 8. Kal. Augusti, feria quarta, in die sancti Christophori, reductus est Walterus Pennatum-mendacium in captivitatem Brudgis; et redditi sunt obsides, qui pro eo dati et usque ad id temporis observati fuerant. Iul. 12. — Iul. 25.

a) *deest ed.* b) quarto *ed.*

1128. Iul. 27. 120. 6. Kal. Augusti, sexta feria post transfigurationem Domini in monte Thabor, dignabatur Dominus suae previsionis et nostrae simul persecutionis ponere in hac seditione quodammodo finem, quia comes Willelmus Northmannus, dum in assultu prefatae obsidionis se pretulisset hostibus penes castrum Alst, deiectus ab equo, dum sese in pedes recepisset, et manum dexteram ad oras armorum deduceret, quidam peditum ab hostibus prosiliens, lancea eandem dexteram consulis in palma perfigens, medium brachii quod ad- 62 iunctum manui coheserat, perfodit, et lethali vulnere infecit[62]. Quem milites sui collegerunt, utpote dominum suum miserando occasu morientem, ac per totum illum diem mortem celando inimicis, sine planctu et eiulatu voces et clamores dolorum compresserant, tanto acriori mentis angustiati confusione. Dux igitur Lovaniae querere satagebat, ut se et suos componeret cum comite nostro Theodorico, et totius discordiae in invicem habitae causas in iudicio Iwan et Danielis et regis Angliae commendavit. Concessione ergo compositionis utrimque laudata, dum rogabat comitem nostrum Theodoricum, ut ducatum preberet consuli Willelmo revertendi cum suis pacifice ab obsidione, cumque omnem comes Theodericus duci super hoc assensum prestitisset, ait dux: *Ecce! quem in tantum virtus tua persequitur hostem, Willelmus comes e vulnere lethali expiravit.* Igitur prosiluit unusquisque utrimque, alius ad deflendum tanti et tam precipui militis occasum, alius ad excitandum hostes in exultandum, alius ad denuntiandum his qui domi remanserant, ut sibi precauti rerum suarum non nisi vigilanter et preconsiderati agerent. Volitabat enim undique rumor et fama mortis principis illius, et qui in fide et securitate eiusdem consulis decertaverant, ad tutiora loca sese conferebant. Tunc cum planctu infinito et clangore excelso corpus militis strenui feretris impositum ad Sanctum Audomarum humandum transtulerunt.

121. Ceterum Theodoricus comes inimicos suos persequebatur ubique, et conflagratione ignis eos vastavit, captivavit, disperdidit, nisi qui gratiam eius ante conflagrationem ipsam aut pecunia aut aliter conquisierant. Ascendit igitur Theodoricus comes apud Ipram Iul 29. 4. Kal. Augusti, dominica, cum infinito militum auxilio et obtinuit Ipram. Cives vero Brud- 63 genses et milites et solidarii eorum exierunt, et depredati sunt villam Ridevorda[63] et domos combusserunt. Igitur Lambertus ex Ridevorda et Lambertus ex Winchina, aliqui ex Folketh et Tileth, et plures alii de confiniis nostris, qui in auxilio consulis Willelmi certaverant, sese in oppido Winendala receperunt. Illi quoque qui in Ipra cives in parte constiterant Willelmi, cum Isaac apud Formesela sese contra comitem Theodoricum firmaverunt, ubi exercitata est militia maxima. Et notandum, quod cum in tantis periculis Brudgensium locus fuisset, ut cives nullo consilio sibi posse nisi a solo Deo mederi credidissent, et ideo cordis sacrificio Deum placassent, dispensatione solita Deus subvenit ipsis; nam consulem Willelmum gladio sui iudicii enecavit, sed illo quippe modo, ut non in propria sed in alienae pugnae causa, scilicet ducis illius cuius in auxilio militabat, emoreretur. Proinde nos Brudgenses a morte illius innoxii deputabamur, quoniam quidem nemo e nostris ipsi intulerat mortem, imo eodem tempore, quo functus est a vita, nos timebamus illum procul dubio ad nos obsidendos futurum. Illi etiam ex Ostkercka milites, qui de consilio comitis Theodorici et nostro pendebant, eadem die, qua obiit consul Willelmus, improperabant nobis quod traditores fuissemus, et recesserunt a nobis. Interea apud Bruggas nuntius venit, qui mortem denuntiaret Willelmi consulis; quo audito, cives et omnes nostrates Deo referebant gratias pro tanta liberatione sua et rerum suarum. Igitur mirabilis dispensatio Dei, quae hoc modo principem illum mori dispensavit, ut in ducis prefati obsidentis Alst auxilio obiret extra consulatum nostrum. Et quamquam contra nostrum comitem et nostrates in parte pugnaret, non fuit quidem alicuius alterius causa illius pugnae et obsidionis quam ducis. Et licet Willelmus comes libenter quacumque occasione nostrates impugnaret, et ideo in auxilium ducis maxime conscendisset, eius pugna aut eius mors ibidem a Deo prefixa non imputabatur nisi duci; ducis enim miles in hoc fuerat, nec ibidem pro comitatu primo, sed pro salute et honore ducis, velut alius quislibet solidarius, mortuus est. Contendunt aliqui quod nostrates, postquam expulerant Willelmum consulem, superopposuerunt ei Theodoricum comitem, et eundem argento et consilio et omni facultate tam consilii quam pecuniae undique confirmatum in castris et omnibus locis, in quibus prevenire poterant, Willelmo illi opposuerunt ad resistendum; illo enim modo non potuerunt innocentes a morte illius

62) Consentiunt Hermannus Tornac. p. 893, Willelmus Gemmet, Anselmus Gembl. ad 1128 et Henricus Huntingd. 63) *Ruddervoorde* vicinum Brügge.

probari. Alii dicunt ducem impetisse Theodoricum, quia presciebat, si ipse Theodoricus forte regnaret et persisteret in consulatu Flandrensi, multa mala posset in posterum inferre sibi, et fortassis a ducatu expelleret, aut saltem dotem illam, pro qua comes Theodoricus satagebat ducem coram imperatore appellare, violenter auferret. Comes Willelmus pro consimili causa in predicta ducis obsidione impugnabat comitem Theodoricum, quia sciebat hunc emoliri, quo astu a consulatu expellere ipsum potuisset; attamen sibi iniuste et traditiose sciebat illum Theodoricum sibi superpositum fuisse, et ideo utrique poterant rationabiliter et comes Willelmus pro causa ducis et pro propria iniuria ibidem recte occubuisse, et comes Theodoricus pro dote a duce expostulata iuste et pro comitatu oblique tradito ibidem restitisse duci et Willelmo comiti. 1128. Iul. 29.

122. Queratur ergo, cum per mortem alterius Deus pacem vellet restituere patriae, cur magis dispensavit, ut moreretur Willelmus comes, qui iustiorem causam regendi terram obtinuit, et quare non citius mortuus fuit Theodoricus comes, qui iniuste superpositus videbatur, aut qua iustitia Deus concessit ei consulatum, qui violenter arripuit dignitatem. Si igitur neuter eorum bene suscepit comitatum, iure utrique erat auferendus. Attamen quia iure hereditario Theodorico consuli pertinebat comitatus, iure eum possidet; et si iniuste videatur arripuisse, tamen quia olim ante electionem illius Willelmi, qui mortuus est, per litteras directas primatibus Flandriae requisiverat[64], quod sibi pertinebat, quamquam et tunc non sit exauditus ab illis, non minus debebat petere et conquirere hereditatem suam, quae iniuste sibi ablata est, et alii iniuste a rege Franciae vendita. Igitur post tot controversias preponimus iustiorem causam Theodorico comiti, qui non iniuste dicitur superpositus consuli Willelmo, imo ille comes mortuus ipsi Theodorico iniustissime superpositus est, et per coemptionem ex regis potestate potestative comes effectus. Igitur illum ex antiqua iustitia Theodoricum vitae reservavit, et suae hereditati restituit, illumque morte a consulatu removit, qui quantumcumque potenter viveret, totam terram vastaret, omnesque terrae incolas ad bellum civile provocaret, legesque Dei et hominum confunderet, quem lege districta Deus viam universae carnis ingredi non sine malis meritis suis adiudicavit. Nec enim comes Willelmus de omnibus quae in vita possedit secum post mortem permanere fatebitur inter umbras, quas ad penalia loca premisit, nisi militiae laudem; bonus enim in militia dicebatur. Igitur tantam iniuriam, quia nulla potestas humana corrigere aut potuit aut voluit[a], secundum lineam districti examinis sui Deus correxit. Ideoque in homines Flandriae iram et flagella indignationis suae intulit, quia omnium erat in arbitrio positum ante deliberare, previdere et discutere et summa diligentia perquirere, Deumque contrito corde et piae mentis sacrificio super hoc placare, quem sibi et patriae dominum prestituerent, et electum amarent et venerarentur. Quia ergo hoc neglexerunt, eum, quem incaute dominum susceperunt, tyrannum et vastatorem totiusque mali exactorem perpessi sunt, eundemque post electionem et susceptionem in consulatu nullam viam vel mores honestos predecessorum comitum, principes aut baiuli[65] aut consiliarii terrae docuerunt, sed ad predam et argutas fallacesque causas instruxerunt, quibus pecunias infinitas super cives et burgenses terrae conquirerent et quandoque violenter extorquerent.

123. Igitur Theodoricus Flandriarum marchio ab illo mortis Willelmi tempore regnavit, et peragratis castris, scilicet Atrebato, Teruannia, Sancto Audomaro, Insulis, Aria, in quibus locis more bonorum predecessorum suorum venerabiliter susceptus est a clero et populo, et fide et hominio confirmatus, tandem ad reges Franciae et Angliae ascendit, suscepturus ab ipsis feoda et donaria regalia. Complacuit ergo sibi utriusque regni scilicet rex Franciae et rex Angliae super comite nostro Theodorico, et investituras feodorum et beneficiorum, quae ab ipsis sanctissimus et piissimus comes Karolus obtinuerat, gratanter dederunt.

PASSIO KAROLI COMITIS AUCTORE ANONYMO.

1. Ad omne spirituale spectaculum adstans homo Dei Karolus, ex ardore compunctionis lacrimas ubertim fundebat, et Salvatoris vestigia, quae corporaliter non poterat, votis

a) noluit *ed.*

64) Cf. supra cap. 47. 65) i. e. ballivi.

et desideriis ambiebat. Presentia quoque eius ubique plurimum proficiebat, quoniam, dum diversitas hominum ex omni parte concurrentium pro mercimoniis vel hospitiis litigarent, ipse superveniens omnes placabat, mitigabat, conciliabat; nec erat quisquam tam procax et temerarius, qui eius auctoritati obviare presumeret. Patre enim Dano et Danorum rege
68 progenitus, matre vero Franca, Lodewici regis Francorum sorore[66], exortus, feliciter viam et vitam nobilitatis exegit, et Roberti comitis iunioris filiam, heredem scilicet comitatus Flandriae, in uxorem duxit[67], et ita dominium Flandriae obtinuit. Patrem etiam suum consobrinum regis Angliae[68] sciens, tanto nobilius et audacius se habebat, quanto viciniores tam sanguinis quam terrarum gradus regi Franciae regique Angliae possidebat. Ita ubique utilis, ubique largus, ubique amabilis, ubique formidandus et reverendus decernebatur. Et, quoniam non solum gesta vitae eius, sed et exitum vitae eius, mortis scilicet, prelibare satagimus, dicendum est paucis, unde radix peccati exorta sit, quae tantum talemque virum ad mortis impedimentum compulit.

1049? 2. Tempore Roberti Fresonis comitis senioris[69], qui et Robertus barbatus dictus est, habens filium Robertum comitem iuniorem, fuit Bruggis quidam pretor nomine Holdrannus, habens dapiferum nomine Eremboldum, virum quidem officii gnarum, sed infidelem in dominum et ipsius domini maculantem thorum. Qui Eremboldus in tantum perversitatis deiectus est, ut ipsum dominum suum, in quodam ponte Bruggis cum populo dimicantem, inter ceteros mucrone confoderet, et perfossum inter tumultum in mortem precipitaret.
70 Uxor[70] vero Holdranni adulterum suum, mariti proditorem, accepit in maritum, unde innotuit, quod consilio perfidae coniugis Eremboldus tam grande piaculum subiit. Denique Eremboldus tali successu factus est Bruggensis castellanus, et genuit filios Robertum, Lambertum Nappim, Disdir cognomento Haketh, Ulfric et Bertulfum, postea Sancti Donatiani prepositum. De Roberto nati sunt Walterus et Albertus, de secunda coniuge natus est Robertus, infans dictus. De Lamberto Nappim nati sunt Lambinus Morwater et Fromoldus, cognomento Borchardus[71]. Sed illis primogenitis duobus Lamberto Nappim et Roberto de medio factis, filii eorum magnificati sunt potentia et divitiis in tantum, ut Balduinum, comitem iuniorem, filium Roberti comitis senioris[72] et Clementiae[a], deriderent, et dominium ipsius nec non nobilitatem totius Flandriae vilipenderent. Abundabant enim rebus, tumebant honoribus, et qui se eorum favori non subdidisset, rebus vel vita vix frui potuisset.
73 Bertolfus etiam, Eremboldi proditoris filius, dum largitate secundi Roberti comitis[73] eccle-
1091. siae sancti Donatiani prepositus factus fuisset, nimio tumore fastus agebatur, et ita se elevabat, ut stellas coeli vix sibi superesse[b] aestimaret[c].

3. Tantam illorum arrogantiam cognoscens miles Dei Karolus comes, secreto prudentique consilio cepit cum paucis suorum tractare, quonam modo illorum temeritatem aliquatenus reprimeret, et tam suas quam predecessoris sui Roberti comitis iunioris iniurias vindicaret. Quod consilium Bertulfum non latuit, sed per quosdam clientes rumigerulos manifeste sibi innotuit. Comes vero Karolus, parvipendens hanc illorum notitiam, cepit arctius cum bonis disquirere, quomodo valuisset eorum inmensam superbiam ad modicum moderari. Quodam igitur tempore Bertulfus prepositus, cum suis nepotibus in conclavi vescens, garriebat in comitem absentem verbis stultissimis dicens: *Unde hoc nobis, ut Danus iste nos concutiat et opprimat? Unde illi comitatus, qui non regis, immo unius cocorum in Dacia fuit filius? Vos, o electi iuvenes, vos, os meum et caro mea, cur patimini eum super vos insurgere et gloriam potentiae vestrae minuere? Stercora valetis, qui exuli peragratori caput non tollitis, ut de cetero pacem teneatis. Si perimatur sordidus iste Danus, quis apponet ad ulciscendum manus?*

4. Hiis et similibus incitamentis seducebat iste iuvenes rationis ignaros, modestiae nescios, elationis cupidos, et ad sanguinem paratos. Quibus et promittebat, si Danum istum

a) *pro* Clementiae *editiones pessime legunt* dementiae. b) *ita Magnaeus emendat; ed.* subesse. c) existimaret *Meurs.*

66) Immo matertera regis Ludovici. 67) Uxor Karoli erat filia Rainaldi comitis Clarimontani; itaque etiam quae sequuntur falsa esse nemo non videt. 68) Iterum errat; non Canutus pater, sed Adela Karoli mater consobrina erat Heinrici I. regis Angliae. 69) Sequentia tempore Balduini Insulani facta esse coniiciunt editores Act. SS.; cf. supra Galbert. c. 72 ubi Holdrannus appellatur Boldrannus, et forte rectius. *Praetor* hoc loco est castellanus. 70) Dedda. 71) Fromoldi nomen neque apud Gualterum neque apud Galbertum legitur. 72) immo iunioris. 73) Ex Galberto c. 57 coniicere licet Robertum fuisse primum.

occiderent, immo sordidum dedecus ex Flandria tollerent, quod unus eorum comes fieret, et totius Flandriae honorem, quem iam grandi sorte acceperant, funditus in perpetuum illorum progenies obtineret. *Videtis*, ait, *quia me patruum vestrum, probitate et sapientia prefultum, ad ignominiam servilis conditionis, tametsi secreto, retorquere minatur. Qui si me in servum redigeret, vos et semen vestrum in perpetuum servitute subiugabit. Cavete igitur non mihi, quin et vobis, ne malitia quae in me nunc inchoatur postmodum in vobis perficiatur. Inite consilium, firmate pactum, ut quicumque manus in illum iniecerit, ab aliis in perpetuum sustentetur. Illo enim perempto, statim thesauros ipsius arripiamus*[a], *et si quis magnatum mortem eius ulcisci voluerit, sensum et voluntatem eius copia argenti retundamus. Tu vero, carissime nepos Borcharde, presidium et turrim in quovis tui iuris et tuae exactionis loco festinanter construe, ut si, quod melius de te confido, in crudelem nostri generis vastatorem te iniecisse manus constiterit, et ibidem refugere valeas et tueri*

5. Tunc Fromoldus, qui superbo argumento Borchardus vocitabatur, in villa Straten[74] nomine, in qua exactionem et ius a comite obtinebat, in parochia scilicet sancti Andreae apostoli, non longe a Bruggensi civitate, accepta sententia acerrimi lupi, presidium et urbem construxit; et cepit quasi in presagium futuri magni mali rapinis et calumpniis incumbere, et omnes vicinos depredationibus vexare. Proinde vir quidam sibi vicinus, dives ac ingenuus, nomine Thamemarus[b], compulsus est dominum Karolum comitem adire, et presente conventu scabinorum in tribunali querelam deponere. Cumque reverendus comes rapinas comperisset exerceri in loco camerae suae tam proximo — camera enim antiquorum comitum dictum est Bruggense oppidum, — contristatus est ad cordis fundum, et decrevit omnino non relinquere inultum Borchardi tam sceleratum facinus[c]. Tamen id ulcisci noluit, nisi premissa et cognita sententia scabinorum, sine quorum iudicio nil datur posse vel velle comitibus, ne cuiquam videretur inferre preiudicium. Hinc a scabinis adiudicatum est, ut domus et presidium, unde fiebant exercitia rapinarum, more antiquo per manus principis ignibus traderetur ad correctionem malorum. Et factum est ita. Nam comes iustus et rectus idem municipium iniectis[d] ignibus combussit, et scandalum grave pauperibus abstulit. Sed quia scriptum est: *Necesse est, ut veniant scandala;* unde alios movit, Matth. 16,7.
inde sibi propinavit. Nam etsi ante hoc malum et incendium odium malorum in eum confluebat, ex hoc tamen maiori ardore succensa excreverunt, donec iniqui peragerent quod iam conceperant. Sepissime quidem dicebatur sancto comiti, quod a suis servis esset occidendus, quod ille nec pavescens nec credens omnino non curabat. Conscius vero sibi magnae et diffusae nobilitatis, veluti regis Daniae filius, regis Francorum regisque Angliae proximus consanguineus, contempnebat illorum valde murmurosas minas, et videbatur ei fabula, quasi mus leonem vellet interficere.

6. Accidit itaque, ut sacrum ieiunium quadragesimale prae manibus haberetur, et 1127.
adesset hebdomada secunda, feria quarta, orto iam sole, cum miles Dei Karolus in ecclesia Mart. 2.
beati Donatiani ante altare sancti Spiritus[75] solo procumbens, libellum manu teneret et psalmos decantaret, concinentibus etiam clericis horas dierum, repente Borchardus, lorica Gualter. 15.
vestitus et nudo gladio fretus, cum suis complicibus de domo prepositi exiens, ecclesiam subiit et comitem Deo intendentem nec tale quid suspicantem, forti annisu[e] cervice tenus percussit in caput, et, eiecto cerebro, corpus palpitans denuo percussionibus quassavit. Complices vero eius plura iacenti vulnera inflixerunt: et sanctum sanguine suo madidum reliquerunt. Fit repente concursus et motus curialium magnus, fama volat, occisum esse comitem, et, quod vix cogitare quisquam potuit ut fieret, stupent et horrent impletum. Hinc Borchardus convertit se ad interimendos comitis amicos, et Thamardum castellanum de Brochburgh repertum vulneravit. Sed ipse et complices sui post advertentes, quod con- ib. 28.
spiraret et loqueretur — querebat enim confessionem facere — apprehenderunt pedes eius, et de superiori solario Sancti Donatiani trahentes eum in plateam, ante pretorium precordiis gladios infixerunt, effugantes spiritum eius. Inde currentes foras Walterum Locrensem insequuti sunt, quem in scholis scholarium absconsum reperientes sub scamno interfecerunt. Totus vero locus Bruggensis applaudebat Borchardo et suis, ac si diceret:

a) *cod* accipiamus, *A. Magn.* b) *ita in utraque editione nomen legitur.* c) *deest in cod. A. Magn.* d) *editiones male legunt* in rectis. e) innisu *edit.*

74) Ipse iam auctor ut multi alii post eum Erembaldinorum familiam cum Stratensi saltem hoc uno loco confudisse videtur. Cf. Act. SS. Mart. I, 154 sqq. 75) Altare b. Mariae virginis habet Gualt. c. 25.

1127. *Cras aut perhendie iste comes factus, regnabit super nos, feremus ei auxilium, ulciscatur se de*
Mart. 2 *inimicis suis.* Duo igitur filii Thamardi Gilebertus et Walterus, ignorantes hanc illorum
sevitiam, pausabant in hospitio. Quos ut fama perculit, Walterus quidem in lecto sedens
et surgere cupiens occisus est, Gislebertus vero in iumento fugere cupiens a clientela prepositi
tentus est et interfectoribus contraditus. Sicque isti duo egregii milites perempti
sunt, ob hoc quod a domino comite eminentius propter suam probitatem et patris fidem
diligerentur. Thamardus istorum genitor et Walterus Locrensis ferebantur comiti dedisse
consilium, quod castellum Borchardi combureret, et idcirco interfecti sunt.

7. Hiis ita patratis, curritur ad portam aerarii comitis, diripiuntur vasa aurea et argentea,
implentur sacculi universorum argento, et quicumque mortem sancti comitis non horruit,
grandi metallo locupletantur. Agit Bertulfus letum diem, gaudet et exultat, manibus
plaudit, pedibus saltat, et de morte domini sui inmoderatius ovat. Convenitur et Fromoldus,
comitis alumnus precipuus, monetur minaciter, ut thesauros potiores aperiat, alioquin
tormenta corporis se sciat subiturum. Ille cernens tantam surrexisse malitiam, excusat se
humiliter, et quod maiores ac minores thesauros ipsi iam diripuissent, verbo veraci affirmat.
Illis autem non credentibus, imo credere dissimulantibus, exuitur Fromoldus vestibus,
75 deponitur in dolium aquae frigidae, sicque frigus et famem sustinens recluditur[75], ne a quovis
visitetur. Cogitabant enim hostes pessimi, ut et ab eo vitam tollerent, quia comitis habebat
familiaritatem et precipuam amicitiam, et ei fidelissime serviens multam penes eum
obtinuisset prerogativam. Comes enim beatus, quia virum tam probatae fidei et valentem
ingenio et commisso fidelissimum agnoverat, atque in negotiis agendis cernebat strenuum,
ampliori eum dilectione fovebat. Nutu superno evasit mortem, qui cum iniqua gerentibus
timuit inire sortem.

8. Bertulfus autem, non iam sanctae ecclesiae prepositus, immo principi tenebrarum
suppositus, sentiens inmane nefas quod perpetravit execrari ab omnibus — iam enim
populus amaricatus supra modum dolebat de nece principis sui, quem indebita morte servi
dampnarant impii, — misit ad quosque qui tunc erant optimates, promittens non suarum
sed comitis pecuniarum multam partem se collaturum, si venirent et parti suae faverent.
At illi expavescentes horribile et nefarium opus, responderunt unanimiter, quod non ad
illum, sed contra illum quantocius properarent. Ille vero timens, sed confisus de numero
complicum et de copia thesaurorum, convenit amicos et nepotes et ipsorum sequaces, et
iussit muniri turrim ecclesiae sancti Donatiani. Iussit inferri infinitam copiam omnigenae
Galbert 76. annonae, scilicet farinam, lardum, vinum copiosum, aquas sufficientes, aleas, scacos,
ancillas et servos; molas, furnos ad panem coquendum, et quicquid humanae vitae suffragari
potest, fecit exstrui ibi, ne pugnaturis quid deesse videretur.

9. Igitur Bruggenses cives animadvertentes Borchardum et suos pessime egisse atque
perpetuum improperium promeruisse, consilio accepto, renuntiaverunt illis, et omnem
spem auxilii negaverunt. Aldeburgenses vero milites adsultum etiam contra eos gesserunt,
et quantum ex illis, mortem sui principis ulcisci temptaverunt. Rex autem Franciae mortem
sui militis inultam nolens relinquere, cum hominibus curiae suae advolavit, et licentia ab
April. 5. episcopis et sacerdotibus accepta, ecclesiam possedit. Illo autem tempore gradus altissimi,
Galbert 61 ex lignis et lapidibus exstructi, a camera comitis ad ecclesiam in summitate aeris pendebant,
per quos ab ecclesia hostes, imo canes pessimi, dum scilicet in ecclesia obsiderentur,
in domum comitis fugiebant, ubi etiam si quando possidebantur, iterum in ecclesiam
revertebantur. Tandem rex moram ultionis non ferens, gradus destruxit, et ab ecclesia
fugere non valentes iratus obsedit. Illi autem, diu in turri se continentes et multa patien-
ib 42. tes, fumo subtus in ecclesia facto devicti sunt. Nam dum in turri fumum vellent devitare,
et caput vellent a fenestris exponere, volantem nubem sagittarum nullo modo perpessi
76 sunt. Fumo itaque ipsos magistrante[76], descendunt, et qui prius vultus luporum habebant,
iam vultus supplicissimos in veniae precationem offerebant. Rex autem, ut iustus iudex,
veniae nesciis negavit veniam, et a summa comitis camera quosdam per pedes ad humum
deici fecit, cuius camerae altitudo ulnas 100 adhuc hodie implet; Borchardum vero in rota
penali confregit. Bertulfus autem, tarda penitentia motus, Ypris in iumenti dorso ligatus
77 vectus est[77], ibique in equuleo positus, suspensis utrimque a latere eius canibus, a mendicis

75) Hoc fabellam esse probat Galbert. cap. 19. 24. 76) i. e. cogente. 77) Rem aliter se habuisse docent Walterus et Galbertus.

et leccatoribus[78] lapidatus ad mortem est, et ita infelicem animam exhalavit. Plurimi 1127. etiam qui fugerant tam in Franciam quam in Angliam, mandato regum edicto per intersignia tenti sunt, et iusti principis mortem morte sua expiaverunt.

10. Interea corpus felicis comitis clerici Sancti Donatiani componentes et linteis amicientes, in eodem loco, ubi passionem subiit, sepultum paucis diebus condiderunt. Cuius sanguinem, quo altare et ecclesia respersa sunt, mulieres pro affectu detergebant et posteris recondebant.

11. Anno inc. dom. 1127.[a] indictione quinta, facta est haec cedes beati comitis Karoli in solario ecclesiae beati Donatiani confessoris, Remorum pontificis, 6. Nonas Martii, Mart. 2. regnante Lodewico, filio Philippi, annis 20. Manifeste igitur sacrae scripturae auctoritate probatur, quod et iustis premia meritorum et impiis penae distributae sunt. Sed quo tempore, qua die, quo loco Karolus comes occisus est? Tempus quadragesima, dies quarta feria, locus ecclesia Dei et altare seu sanctorum cubilia, ubi enim peremptus est supra solarium, ibi infra requiescebant non paucorum membra sanctorum; et hoc in augmentum malitiae et nequitiae gestum est, ut viri iniqui tempori et diei sive loco parcentes tantam perversitatem perpetrare non renuerent; unde et ipsi et tota posteritas eorum perpetuum opprobrium noscuntur invenisse. Et utinam ipsi soli hanc infamiam possiderent, et non toti genti Flandrigenarum externae nationes[b] tam grande dedecus incuterent!

a) *in utraque editione male legitur* 1124. b) nationis *ed.*

78) i. e. helluonibus, faece populi.

RUPERTUS DE INCENDIO TIUTIENSI

ET

DE CUNONE EPISCOPO RATISPONENSI.

EDIDIT PHILIPPUS JAFFÉ M. D.

Fuit in clarissimorum saeculi XII. theologorum numero Rupertus, a puero nutritus Leodii in Benedictino sancti Laurentii monasterio[1]*, ac per Heribrandum monachum, posthac abbatem eiusdem coenobii (*1115—1130*), litteris eruditus*[2]*. Primis annis postquam vestem monachicam induit sub Berengario abbate*[3] *(*1076—1115*), exercitationem mentis contulit ad carmina religiosa et scripta historica conficienda. Ex illis enim erant* libellus hymnorum in laudibus Spiritus sancti[4]*,* alius de diversis scripturarum sententiis*, tertius* versu heroico de incarnatione Domini*,* cantus de sanctis Theodardo martyre*,* Goare ac Severo[5]*. Historias autem conscripsit iis temporibus:* Chronicon Sancti Laurentii Leodiensis*, quod legitur supra SS. VIII,* 261*; et „de eadem materia aliud opusculum sapphico confectum metro",* vitam sancti Augustini*,* vitam sanctae Odiliae virginis[6]*, quae quidem evanuisse videntur.*

Interea tantum abfuit, ut ecclesiae imperiique discidium non curaret, ut haud ambigue pontificiae causae non sine incommodo suo se adiungeret. Quamvis enim ad legitimam presbyteratus iam pervenisset aetatem, ab Otberto episcopo Leodiensi, Heinrici IV imperatoris studiosissimo Wibertinique schismatis consorte, recipere dignitatem abnuebat, donec mortuo a. 1106 *imperatore discordiarum tempestas parumper consedit*[7]*. Auctus tandem eo honore, totum se*

1) V. Gesta abb. Trudon. SS. X, 302 et infra n. 15. 2) V. SS. VIII, 261. n. 4. 3) Vide Ruperti chron. S. Laur. Leod. SS. VIII, 277. 4) Rup. in Matth. lib. XII. Opp. ed. Paris. 1638. II, 117: *Iam quale initium fecerim — scribendo libellum hymnorum in laudibus Spiritus sancti non praeteribo. — Sic incipiens, magnam intus versabam materiam, per angustum foramen ubertim prodire non valentem, dum metricis pedibus verba ligando, ut in scholaribus assuetus eram, longum in paucis sermonibus laborem insumerem. Nondum enim — cum suscipere potuissem, ordinem presbyterii susceperam.* Sunt Ruperti hymni duo ibidem p. 117 et 131. De variis operum Ruperti editionibus cf. Hist. lit. XI, 584 et append. p. 28. 5) Vide Reinerum de Scriptor. monast. apud Pez Thes. IV, 3, 25. 6) Vide Reinerum l. l. De vita S. Odiliae cf. Mabillon Acta SS. III, 2, 486. 7) Rup. in Matth. lib. XII. Opp. II, 118: *Eatenus diutina Christi ecclesiam vexaverat discordia propter sedis apostolicae scisma, quae tamen mortuis auctoribus paululum conquieverat. Propter illam et propter alias quoque causas multi, et qui magis videbantur religiosi et ecclesiasticam puritatem diligebant, episcopos suos in suscipiendis ordinibus devitabant . . . Et ego quoque illos ordinatores, qui infames fuerant, devitabam, et iccirco ordinem presbyterii, iam praeordinatis quibusdam iunioribus, nondum susceperam . . . Interea paulatim amor illius sacerdotalis*

ad sanctas litteras pertractandas dedit[8]. *Et primo quidem scripsit* *de divinis* 8
officiis[9] *Opp. II*, 717—852, *cui operi se ipse declarat anno* 1111 *intentum*
fuisse[10]; *nec dubium est, quin paullo post ediderit etiam* *commentarium in*
Iob[11] *Opp. I*, 1034—1118. *Iam vero tantam sibi paraverat claritudinem, ut*
Wibaldus ille, qui gravem postea personam sustinuit, e monasterio Stabulensi
cum praeceptore suo se Leodium audiendi Ruperti causa conferret[12]. *At contra* 12
multorum odium invidiamque incurrit altercatione, quae ei orta est cum duobus
illis disciplinarum theologicarum principibus, Willelmo de Campellis episcopo
Catalaunensi et Anselmo decano Laudunensi[13]. *Etenim spatio annorum* 1113 *et*
1115 *quum adversus eosdem libellum* *apologeticum de voluntate Dei*[14]
Opp. II, 894—901. *foras dedisset, utriusque scholae inimicitias sibi contraxit.*
Non enim supervacanea solum et inutilia dicebant ab eo volumina effici, tenui-
tatemque eius monstrabant, qui altus intra coenobii parietes, magistris illustri-
bus operam non dedisset[15], *sed haereticarum etiam opinionum adeo eum accu-*
sabant, ut Berengario abbati morituro (16. *Nov.* 1115) *utile videretur, doctum*
monachum suum commendare tutelae Cunonis abbatis Sigebergensis[16]. *Certumque* 16

officii menti sese infudit, tantumque excrevit, ut dicerem patri meo spiritali (Berengario abbati), *me non velle amplius reniti, imo velle ire, cum primum iuberet, et suscipere iugum Domini. Gratulatus est, et ut primum affuit tempus ordinationis, hunc sacrum licet indignus ordinem suscepi.* 8) Rupertus ibid.: *Ad hoc ergo interim differebar, ut prius in isto gradu* (presbyterii) *consisterem et tunc demum ad tractandas ecclesiastico more scripturas, legitimam acciperem oris apertionem . . . Ego autem extunc os meum aperui.* 9) Librum hunc mittens Cunoni episcopo Ratisponensi, in epistola praefixa Opp. II, 717. haec scripsit Rupertus: *Primitiae sunt istae cunctorum operum, quae mihi a Domino provenisse gavisus es. Multa eorundem operum tuo nomine attitulavi, nonnulla nomine Coloniensis archiepiscopi Friderici. Hoc autem, quod primum erat, et alia pauca sine splendore cuiusquam tituli dimiseram.* 10) De divin. off. lib. VIII. c. 4. Opp. II, 799: *Hoc sancto paschae sabbato, quo caereo annus ab incarnatione Domini millesimus centesimus undecimus inscriptus est* (1111. Apr. 1.), *in ecclesia S. Laurentii ad praecedentes eiusdem diei matutinos, extinctis de more cunctis luminaribus, dum eorum ultimum extingueretur et ad canticum euangelii haec antiphonia a domno abbate Berengario imponeretur: „Mulieres sedentes ad monumentum", ecce repente ante pedes illius proiectum cecidit ipsius, quo firmiter substrictus erat, cingulum. Ille, solutum esse et sic cecidisse suspicatus, — inclinavit se, ut tollens illud rursum sese accingeret. Cumque manus iniecisset, ut illud sibimet circumdaret, nodum, ut erat fortiter astrictus, non cedere sibi, ultra quam dici potest admiratus est. Intendenti et secum cum stupore magno reputanti, quidnam hoc sibi vellet, ecce vox facta est et sibilum tamquam aurae tenuis audivit dicentem sibi: „Sic potuit clauso Christus prodire sepulchro".* 11) caret enim dedicatione, ideoque ex primis Ruperti operibus est; cf. supra not. 9. 12) Wibaldum a. 1115 Leodii *sub scholari disciplina* fuisse, liquet ex eius ep. ap. Martene Coll. II, 541 (Cf. Ianssen, Wibald von Stablo und Corvey p. 8 not. 4). Eius igitur est ep. in Ruperti Opp. II, 936. qua *Rupertus Tiutiensium abbas* de laesione virginitatis interrogatur; sic enim est in ea: *Peto etiam, ut apologeticos vestros* (cf. infra n. 14), *quos illustribus scripsistis viris, nobis mittere velitis, quoniam cum in Matthaeo locus ille venisset: „Fiat voluntas tua sicut", invenimus calumniatoris vestri sententiam, quam praeceptor meus respuit, et in vestram ingressus est. Verum quamquam uterque nostrum libros eosdem vestros, dum adhuc essetis Leodii, legissemus — nam illuc propter vos et opera vestra de Stabulaus veneramus — tamen eorum sententiam non facile totam tenere potuimus.* Accedit, quod ipse Rupertus in opusculo de laes. virg. Opp. II, 937. Wibaldi nomen ita indicat: *Cum tuas, dilectissime in Christo frater W. litteras accepissem* cet. 13) amice autem librum de divinis officiis impugnat Guillelmus, abbas S. Theoderici Remensis, epistola apud Tissier Bibl. Cist. IV, 130. 14) cap. 1. Opp. II, 894: *Haec idcirco nunc ad vos dicere incipimus, o magistri temporibus nostris inclyti, Wilhelme Catalaunensis pontifex et Anselme Laudunensis lucifer, quia de vestris scholis hoc se quidam nostrorum accepisse fatetur, ut diceret, quia Deus malum fieri vult.* Hoc opusculum *apologeticum* dictum esse liquet ex Reineri libello l. l. Compositum autem est non ante 1113, quo quidem anno Willelmus Catalaunensis episcopus creatus est teste Chron. S. Petri Catalaun. 1113 apud Bouquet XII, 276. nec post 1115 ut sequentia docent. 15) Rup. in epist. praemissa libro de divinis officiis Opp. II. 718: *Dicebatur adversus me: „iste scribit, quod necessarium non est; sancti scripserunt, sanctorum scripta sufficiunt et superabundant; non sufficimus legere, quae sancti scripserunt, nedum haec, quae isti ignoti sine auctoritate de corde suo scribunt"*; in libro de regula S. Benedicti Opp. II, 911: *Ex eo pauper ego reputatus sum, quod a puerilibus annis monachus et coenobii claustris fui contentus sive detentus, et non circuivi mare et aridam, sicut divites negotiatores illi; — dixerunt: „Quis est hic? qui magistros et praeceptores nostros saltem videre numquam dignus fuit."* cet. 16) Vid. Mon. SS. VIII. 261. n. 4.

est, Rupertum post Berengarii obitum aliquamdiu in monasterio Sigebergensi
17 *habitasse Cunonisque et patrocinio et largitate esse perfructum*[17]*, licet con-*
tentio illa longius extenderetur. Nam ipse Anselmus Laudunensis studuit
Heribrandi abbatis Sancti Laurentii (die 19. *Nov.* 1115 *consecrati) animum*
litteris missis[18] *alienum a discipulo reddere, idque effecit, ut Leodium in iudi-*
cium vocaretur Rupertus[19]*. At ibi criminatio sine dubio repulsa ab eo est;*
paullo post enim circiter anno 1116 *de eadem causa egit fortiter novo opusculo,*
quod inscribitur de omnipotentia Dei[20] *Opp. II*, 901—910, *quin etiam mox*
tantum sibi confisus est, ut a. 1117 *iter in Franciam ingrederetur, disputando*
21 *adversarios confutaturus*[21]*. Laudunum autem vixdum pervenerat, quum alter*
eorum, Anselmus, die 15. *Iulii* 1117 *vitam posuit; itaque Catalaunum profectus,*
acerbe ibi nec sine successu luctatus est cum Willelmo episcopo. Eo inimicius
eum insectabantur, qui e scholis illis erant, in his Norbertus[22]*, Praemonstra-*
tensis ordinis auctor — quem vicissim Rupertus eo tempore oppugnavit libello,
23 *qui est inscriptus Altercatio monachi et clerici*[23] *Opp. II*, 934, 935. —

17) Rup. ad Cunonem in libro de regula S. Benedicti Opp. II, 911: *hoc saltem tibi iucundum esse et venerabile videri debet, per quem fieri coeptum est, ut scribere volenti nummus non deesset, membranula non deficeret.* Cf. infra n. 25.

18) quae leguntur in Guiberti Opp. ed. d'Achery p. 642 et ap. Mabillon Annal. Ben. ad a. 1116.

19) Rup. in prologo libri de omnipotentia Dei Opp. II, 901: *Pene istud mihi contigisse sentio, o doctores nostri et boni auditores Dei S. et A., qui cum abbate meo H(eribrando) coram illustri viro, vestrae ecclesiae archidiacono simul et decano H(einrico), cognitores causae nostrae adfuistis, et iniuriam, quam sustinui, indoluistis. Loquutus enim fueram in lingua mea, libellum scribens de voluntate Dei, propter temeritatem quorumdam dicentium: quia vult Deus malum fieri. Et causa ista nimios contra me tumultus excitavit quasi defendentium omnipotentiam Dei; aiunt enim: „Si, non volente Deo malum fieri, nihilominus malum factum est et fit, consequitur, quod non omnipotens sit".* Cf. de regula S. Benedicti lib. I. Opp. II, 911.

20) Compositum est sub abbate Heribrando, ut ex prologo patet v. supra n. 19, et vivo Anselmo Laudunensi, ut docet cap. 16. Opp. II, 909. itaque intervallo inter d. 19. Nov. 1115 et 15. Iulii 1117.

21) Rup. de regula S. Benedicti lib. I. Opp. II, 912: *Ivi in Franciam, ut potissimum contra magistros illos proelium disputationis committerem; — alter eorum magister simul et episcopus (Willelmus), alter quovis episcopo famosior, quamvis ipse non esset episcopus (Anselmus). Mirum mihimet nunc est illud recordationis meae spectaculum, quomodo solus ego, vili asello residens, iuvenculus, uno tantum puero comitatus, ad exteras tam longe civitates, ad conflictum contra tales profectus sum, quibus adesse et os et ingenium et magnam tam officii quam magisterii dignitatem noveram, nec defuturum, quod et factum est, ut magistrorum pariter et discipulorum coetus quasi non parvus conveniret exercitus ad me audiendum, ad me convincendum. Illud autem magis mirum videtur, quod, me ingrediente civitatem, iam dictorum alter et praecipuus magistrorum, ultimum trahens spiritum, statim post ingressum meum vitam finivit* (obiit Anselmus d. 15. Iulii 1117, teste Auctario Laudunensi SS. VI, 445), *alter, cum quo acerbum habui conflictum nescio an integrum annum supervixerit.* (Mortuus autem est Willelmus demum d. 18. Ian. 1121, vid. Sim. Dunelm. 1121 apud Twysden Histor. Anglorum Scr. 243).

22) Rup. ad Cunonem in libro de regula S. Bened. Opp. II, 914: *Unus ille, quem nosti, vir bonae conversationis sed novae conversionis, magni nominis sed dubiae opinionis, iam praelatus et praedicator sed fere numquam subditus sive auditor, familiariter a me quasi pro studio legendi praestari sibi rogavit aliquid de meis opusculis; et praestiti illi opusculum de divinis officiis. Accepit, abiit, legit, quantum et quamdiu voluit, et post multos dies librum remisit, nihil dicens aut rogans boni sive mali. Cum ecce post dies complures audio, et a multis mihi nunciatur et ab exteris quoque civitatibus fratres eruditi mittuntur ad me interrogandum, utrum verum esset annon, quod de me fama longe lateque disperserat, scilicet me dixisse, me scripsisse: Spiritum sanctum de Maria virgine esse incarnatum. — Mihi compertum est, auctorem criminis, imo falsae criminationis huius illum esse, quem dixi, et ex lectione libri, quem commodaveram illi, male aucupatum fuisse istud; — librum proclamavit haereticum, flammis exurendum, et hoc in medio imperitorum, multorum quoque omnino litteras ignorantium, qui sequebantur et audiebant illum. — Hoc erat in silentio mordere, hoc erat occulte detrahere, me praetermisso librum circumferre et aliis simplicioribus capitulum ingerere. — Nescio, unde illum offendissem, nisi quod non mihi per omnia placebat, vel satis cautum videbatur, quod cum esset iuvenis et de vita saeculari noviter conversus, repente expetito sacerdotio, publicum arripuisset praedicationis officium, asserendo ut ferebatur: quod cum auctoritate apostolica undecim suscepisset praedicationis remedio curandos episcopatus. Fateor illud mihi adhuc et sapientioribus plerisque videtur, quod aetati et pristinae eius conversationi ordo iste, qui omnibus bene convenit, maxime convenisset: ut non ante praelatus quam subditus, sed ante subditus quam praelatus esse studuisset.* Norbertum his verbis significari, vitam eius, quae edetur infra, legenti patebit.

23) Ex cod. Augiae minoris hic titulus legitur ap. Hugon. Ann. ord. Praem. II, 299: *Conflictus Roberti Coloniensis*

vexabant enim Rupertum repetitis criminationibus, tantumque profecerunt, ut ei „pene omnis licentia scribendi tolleretur“.

Meliore fortuna uti Rupertus coepit post Otberti episcopi Leodiensis obitum (d. 31. Ian. 1119). Scissa enim in duas factiones ecclesia Leodiensi, quum Alexander et Fridericus de episcopatu contenderent, una cum posteriore, iussu Friderici archiepiscopi Coloniensis d. 23. Mart. et d. 23. Aprilis Coloniam adeunte[24], eodem pervenit, nec postea reversus Leodium est[25]. Degebat autem ex 24
eo tempore in monasterio Sigebergensi, ususque patrocinio tum Cunonis abbatis tum Friderici archiepiscopi, cui ille eum commendaverat[26], in studia intermissa denuo incumbebat. Cunoni, cui iam librum de Trinitate et operibus eius Opp. I, 1—650. conscriptum annis 1115—1117[27], dedicaverat, nunc despondit commentarios in Iohannem[28] Opp. II, 208—449. et in cantica canticorum de incarnatione Domini Opp. I, 984—1034; ad Fridericum archiepiscopum Coloniensem misit commentarium, hortatu eius confectum, in apocalypsin Iohannis[29] Opp. II, 450—602; petente Marcwardo, abbate 29
Tiutiensi, Lantberti vitam sancti Heriberti[30] novo sermone rescripsit[31] Opp. II, 875—890.

Mortuo eodem Marcwardo (die 11. Sept. a. 1119 aut 1120), Rupertus a Friderico archiepiscopo Coloniensi abbas Tiutiensi monasterio praefectus est[32]. Quo fungens munere varia emisit opera. Admonente enim Rudolfo, Sancti Trudonis abbate (1108—1138), conscripsit Annulum seu dialogum Christiani et Iudaei[33]; hortatu Albani, abbatis Sancti Martini Coloniensis, 33

abbatis cum Norberto. Misit Rupertus de eadem re epistolas ad Everhardum abbatem Brunwilarensem (1110—1123) Rup. Opp. II, 935. et ad Liezelinum canonicum apud Martene Thes. I, 285. 24) Vide Vitam Friderici supra p. 504. 25) Rupertus ad Cunonem de regula S. Bened. Opp. II, 917: *Quorsum istud? Videlicet ut recogites, qualem ob causam ego absens pene fuerim iudicatus, quatenus omnis mihi licentia scribendi tolleretur. — Cum tribulatio patriae immineret* (mortuo Otberto 31. Ian. 1119), *me dissimulante exire et reverti ad te, qui me magnopere invitabas, sine dubio manum meam apprehendit angelus Domini et per obedientiae ianuam eduxit me: dum sanctae memoriae Fridericus in episcopum electus (cuius causam conscius et testis Deus tantis tamque crebris miraculis defendit atque illustravit) secum huc, ad Agrippinensem metropolim, cum electionis suae testibus adduxit me. Ex tunc obedienter hic ego passus sum detineri, et succedentem tribulationem non sensi, imo dulce consolationis refrigerium inveni.* 26) Rup. ad Cunonem in epistola, libro de div. off. praefixa, Opp. II, 718: *donec venires tu amicus et patronus fidelis, per quem ego innotescerem sacerdoti Domini, sacerdoti ecclesiae Agrippinensis.* 27) in ep. enim ad Cunonem, huic libro praemissa, Opp. I, 1. scribit Rupertus, se opus, quod „*ante Cunonem cognitum* (i. e. ante 16. Nov. 1115) *incoepisset, triennio perfecisse*“. 28) teste epistola, quae in Ruperti Opp. ed. Coloniae 1526 praefixa huic operi est. 29) Tria, quae proxime dixi, opera quando scripta sint, accurate demonstrari non potest; at ante a. 1125 edita ea esse, liquet ex catalogo operum, quem Rup. inseruit libro de reg. S. Ben. Opp. II, 914, eo anno consummato. 30) quam quidem reperis supra SS. IV, 739 sq. 31) Rup. in praefat. Vitae S. Her. Opp. II, 875: *Tu mihi hoc opus, venerande pater Marcwarde, imposuisti, quatenus sancti archipraesulis Heriberti vitam, prioris styli rubigine subobscuram, novo rescriberem stylo. Dignum te, cui obaudire deberem, existimari, licet monachicam sub tuo regimine militiam professus non fuerim; tu namque de coenobio Sigebergensi assumptus, et quasi virgultum viride de illo deliciarum horto translatum, et in ecclesiam eiusdem b. confessoris Christi transplantatum, sanctae religionis, quae illic pene exaruerat, fructum redivivum protulisti.* In hoc opere Rupertum circiter anno 1119 fuisse, intelligitur ex not. 32. 32) V. Gesta abb. Trudon. SS. X, 302. — Pabo abbas Tiutiensis etiam anno 1117 in vivis fuit, teste tabula Friderici archiep. Colon. apud Lacomblet Urk. I. p. 186; Rupertus autem, quem scimus d. 23. Mart. vel 23. Apr. 1119 monachum Coloniam pervenisse (v. supra), iam d. 6. Ian. 1121 praefuit abbatiae Tiutiensi, ut docet Friderici archiepiscopi tabula apud Kremer Akad. Beitr. III. Urk. p. 34. Sequitur, ut et Marcwardus, qui Paboni abbati successit, obierit d. 11. Sept. (v. Kal. necrol. Gladbacense apud Böhmer Font. III, 361.) anni 1119 vel 1120, et Rupertus inter d. 11. Sept. 1119 et 6. Ian. 1121 abbatiam regendam susceperit. 33) edidit Gerberon in Anselmi Cantuar. Opp. p. 524 sq. Hoc opusculum ante librum *de glorificatione Trinitatis* scriptum esse, intelligis ex eius prologo, Rup. Opp. II, 133; nec dubito, quin prologi *Annulo* praemissi verbis primis: *Sciebam, pater mi, R. abba venerabilis*, Rudolfus abbas S. Trudonis indicetur, quem quidem constat hospitio Ruperti anno 1121 usum esse (v. Gesta abb. Trud. SS. X, 302. 303), et de quo haec leguntur (ibid.

34 antiquam passionem sancti Eliphii[34] retractavit Opp. II, 890—894; opusculum de laesione virginitatis Opp. II, 936—942 composuit auctore Wibaldo, monacho Stabulensi[35]. Praecipuis vero fautoribus eius, Friderico archiepiscopo et Cunone abbate optantibus, annis 1123 et 1124[36] explanationem priorum sex prophetarum Opp. I, 651—858, et opus de victoria verbi Dei[37] Opp. II. 602—717. elaboravit; paulloque post etiam sex posteriores prophetas Opp. I, 858—984. exposuit, incitatus ab Erkenberto abbate Cor-
38 beiensi (1106—1128) et Reginhardo priore monasterii Helmwardeshusensis[38].

Anno 1124 ad Willelmum, episcopum Praenestinum, sedis apostolicae legatum in Germania versantem, nonnulla Ruperti opera detulit Cuno, abbas Sigebergensis; ex quibus ille commentarium priorum sex prophetarum delegit Romam auferendum[39]. Eodemque anno ipse Rupertus in Italiam profectus, et Romae die 25. mensis Decembris[40] Honorii II papae affuit initiis, et celeber-
42 rimum monasterium Casinense adiit[41]. — Reversus domum, anno 1125[42] tracta-

p. 304): *Cum Iudeis frequenter lene habebat colloquium, non disceptando neque exprobrando, sed duritiam cordis eorum palpatu et fricatione emolliendo.* 34) quae legitur in Act. SS. Oct. VII, 2, 812 sq. Cf. Mengozi canonici S. Martini Coloniensis ad Rup. epist. ap. Martene Thes. I, 290. 35) vide supra n. 12. 36) Quum Rupertus anno 1125 scriberet opus *de regula S. Benedicti* (v. infra n. 40), iam duodecim prophetarum commentarium confecerat, ut patet ex catalogo eidem operi inserto (Opp. I, 914); mensibus autem Iulio, Augusto anno 1124 nondum transegerat nisi priores sex prophetas (v. n. 39). Itaque quum biennio post inceptos sex priores, ingressus posteriores sit (v. n. 38), constat et illos annis 1123 et 1124, et istos intervallo annorum 1124 et 1125 effectos esse. 37) Vide not. 38. 38) Prolog. in sex posteriores prophetas Opp. I, 858: *Ante hoc biennium duodecim prophetarum volumen ingressus, et ex ipsis sex anteriores perscrutatus, cum ad Naum pervenissem substiti. Quae causa properantem animum offenderit, iam nunc dicam tibi, o Erkenberte abba venerabilis, qui coenobio Corbeiensi praesides. — Tu quippe mihi scribere dignatus es, ut tractarem et posteriores. Causa haec est, cur opus illud intermisi, quia Cuno, reverendus pater coenobii Sygebergensis, putans me opus illud usque ad finem perduxisse: „Scribe" ait „mihi librum de victoria verbi Dei". Non destitit, donec animum, quo volebat, intendi; et ecce consummavi illud opusculum de victoria verbi Dei. Vix evaginaveram, et ecce admonitionis tuae memor, diligens animus sex posteriores prophetas, quos omiseram, respexit . . . Quae hactenus dicta sunt, iam calamus scriptoris usque ad ultimam fere dictiunculam perscripserat, et cum ecce duo fratres Helmwardeshusensis* (sic scilicet pro *Helmwardes, Busensis* scribendum fuit) *coenobii supervenientes, brevem porrexerunt epistolam . . . Ait inter caetera scriptor epistolae, prior ipsorum, scriba doctus et sacrarum scripturarum fidelis alumnus, nomine Reginhardus, de quo non dubito, quod priorum sex prophetarum exemplar a te, cui transmiseram, fuerit consecutus: „Sed debes" inquit „adhuc amori, debes honori et obsequio Dilecti, per ipsum autem et propter ipsum nostro desiderio, ut verba oris eius, sicut coepisti, usque ad finem aperias, ne, si propter difficultatem eorum tepidius forte sicut non fortiter cucurrerimus in odorem unguentorum eius, tibi imputetur, qui introductus in cellaria regis, occultasti divitias sponsi, quas ibi conspexisti; explanationem dico duodecim prophetarum, cuius partem iam dudum tanta perscripsi aviditate, ut viderer nunc primum tali me studio mancipasse; quanto magis autem in parte delector, tanto vehementius in expectationem totius exaestuo".* 39) Praef. libri de glorific. Trinit. Opp. II, 133: *Olim dum tu, amantissime mi Cuno, Ratisponensis ecclesiae praesul venerabilis, legato sedis apostolicae, domno Wilhelmo Praenestino episcopo* (quem mense Aug. et Sept. a. 1124 in Germania fuisse docent Gesta Godefridi archiepiscopi Trevir. SS. VIII, 201.), *quaedam ex operibus nostris demonstrasses, et ille, ut vir studiosus et apprime eruditus, intente legeret atque amplecteretur, inter caetera libuit eum sciscitari, si aliquid operis edidissem de processione Spiritus sancti. Quod quia satis desideranter sciscitatus est, tu nimirum pro bona voluntate pene indoluisti, quod non haberem quod per illum deportari posset ad vestigia sanctae apostolicae sedis de materia huiuscemodi, ut esset quasi margarita super opus illud, quod, ut tu putabas, velut aurum ille exoptavit et secum tulit: videlicet explanationem in sex priores ex 12 prophetis.* 40) Rup. de reg. S. Bened. lib. III. Opp. II, 928: *Mediocra loca dixit (S. Benedictus) illa, in qualibus et ipse habitavit; ubi tamen et praesenti anno, die natalis Domini, quando in his regionibus acerrimum frigus vineas nostras fere omnes interemit — quod nunc universa haec provincia deplorat — cum essem Romae, grandia tonitrua et tempestas fuit valde importuna; adeo ille aer a nostro aere diversus est.* — Hoc loco agi de d. 25. Dec. a. 1124, intelligimus ex Ekkehardi chron. 1125 SS. VI, 263. et Godefrido Coloniensi 1124, qui de asperrima anni 1124 in Germania hieme referunt. 41) Rupertus ibidem: *Bracas habentes nos sumus, qui in provinciis bracatis habitamus; non habentes Scoti sunt et Britanni, nec multo minus illi, inter quos ipse pater (Benedictus) habitavit, quippe ubi hodieque vestigia supersunt eiusdem moris nequaquam honesti, sicut et nos ipsi vidimus, cum in locis illis hospitantes inter homines divaricatos ad prunas sederemus.* 42) ut liquet ex not. 40.

bat, flagitante Cunone, regulam sancti Benedicti Opp. II, 910—933; proximoque anno 1126, quum Cuno constitutus esset episcopus Ratisponensis, simul in duobus scribendis operibus occupatus erat[43] *de gloria et honore filii hominis super Matthaeum Opp. II, 1—131 et de glorioso rege David ex libris regum*[44]. *Misit postea etiam ad Honorium II papam librum de glorificatione Trinitatis et processione sancti Spiritus*[45] *Opp. II, 131—208.*

Grave incendium, quo die 28. Aug. 1128 perculsum Tiutium est, ansam praebuit Ruperto scribendi eodem anno[46] *eum, quem proposituri sumus, libellum minime spernendum. Eo enim non damna solum flammis facta enarrat, sed veterem loci historiam etiam illustrat, saeculo quarto incipientem. Addidit paullo post*[47] *novissimum suum de meditatione mortis opusculum Opp. II, 862—871*[48]*; quo nondum perfecto*[49] *vitam reliquit die 4. Martii*[50] *anni aut 1129 aut 1130*[51].

De incendio Tiutiensi librum protulit in publicum primus Witlichius, Coloniae 1573, posteaque saepius operum Rupertinorum editores non sine vitiis exscripserunt. In nostra igitur recognoscenda editione optimum Witlichii exemplum secuti sumus, praetermissis contemplationibus illis piis quidem, nec vero historicis, quibus ut caetera Ruperti opera hic quoque refertus liber est.

Annexuimus de vita Cunonis abbatis Sigebergensis (1105—1126), post episcopi Ratisponensis (1126—1132), fragmenta, quae inveniuntur in libro XII operis de gloria et honore filii hominis super Matthaeum, scripta anno 1126 paullo postquam Cuno Ratisponam electus pervenit. Et ea quidem ex Ruperti operum editione Coloniensi anni 1526 p. 182—186, caeteris editionibus emendatiore, descripsimus.

Berolini, 5. Idus August. 1855.

1. Ecce quomodo criminator sathan nostram quoque consideravit ut peccatorum negligentiam, ne dicam ut sancti Iob innocentiam, dum suo more circuit terram inquietus et perambulat eam. (Iob 1, 7.) Scitis haec, fratres dilectissimi, qui una mecum in hoc monasterio Tiutiensi Domino deservientes, iram simul et misericordiam eius in medio flammarum mirabiliter estis experti, quemadmodum propheta dixit ei: *Cum iratus fueris, misericordiae recordaberis.* (Habac. 3, 2.) Scitis, inquam, vel scire debetis, quia nisi clemens ipse male petenti potestatem denegasset, nisi parcere iussisset, hodie quoque nostri amici, videntes plagam nostram, timerent et secundum similitudinem amicorum beati Iob nonnulli de nobis male iudicarent. Non solum autem inhibitus est, ne totam, ut coeperat, amburendo pellem nostram auferret, verum etiam sicut de illo dicit Dominus ad eundem Iob: *Numquid feriet tecum pactum,* (Iob 40, 33)

43) Vid. Ruperti epist. operi de divinis officiis praemissam Opp. II, 718 et de gloria et honore cet. lib. VIII. Opp. II, 68.

44) Istud opus est nondum editum.

45) Post Cunonis episcopi initia paulloque ante incendium Tiutiense (1128. Aug. 25.) confectum hunc librum esse, intelligitur ex eo, quod in operum catalogo non memoratur, qui insertus est epistolae a. 1126 scriptae, Opp. II, 718. et ex cap. 19 libri de incendio Tiutiensi v. infra.

46) Vid. infra de incend. Tiut. c. 2.

47) Rup. de medit. mort. lib. I, c. 2, Opp. II, 862: *cuius videlicet opusculi scribendi mihi occasio fuit periculum ignis, quod praecedente libello denarravi.*

48) Attribuuntur Ruperto etiam opera haec: 1. In librum ecclesiastis Opp. I, 1118—1161; sed hoc ab alio auctore esse profectum, iam prima verba docent: *Domno Gregorio, clarissimae memoriae viro, S. humilis atque dominicum peripsema salutem;* 2. De vita vere apostolica apud Martene et Dur. Coll. IX, 969—1028. Cf. Hist. lit. XI, 583.

49) Vid. Reinerum l. l.: *cuius aliquantam partem dum confecisset, mortem obiit.*

50) Vid. Kalend. necrol. Gladbac. ap. Böhmer Font. III, 358.

51) Ruperti obitus a diversis ad annos 1127, 1128, 1135 revocatur, v. supra SS. VIII, 261, n. 4. Sed successor eius, Rudolfus abbas, quum iam in tabula Friderici archiepiscopi Colon. a. 1130 data (Lacomblet Urkund. I, 204.) inveniatur testis, ipsumque Rupertum constet die 28. Aug. 1128 incendio interfuisse, non dubium est, quin is, quo obiit, dies 4. Martii ad a. 1129 aut 1130 pertineat.

Rom 8, 28. *et habebis eum servum sempiternum?* et sicut apostolus ait: *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ita accidit et nunc. Rem ipsam, ut gesta est, enarrare libet hac intentione, ut sciant nostri quoque posteri et nulla temporum vetustas abolere possit de cordibus nostris memoriam glorificationis, qua glorificatum est in tanto incendio sacramentum corporis dominici, sicut viderunt oculi nostri, et liberationis, qua liberatum est a pressura flammae templum hoc, in quo invocamus nomen Domini, taliter ut a multis visa sit praesentia divinae protectionis, videlicet quasi species hominis pulcherrimi desuper incumbentis et circumfluentium flammarum impetum manu obiecta repellentis. Cum haec diligentius scriptis enarravero, haec mihi merces a Domino sit, ut non me arguat ingratitudinis, Luc. 17, 17. quemadmodum redarguit illos de quibus ait: *Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt?* Similiter namque et nos redargui conveniret, nisi et cor et os nostrum praesentaremus in gratiarum actione, verbi gratia, ut diceret ipse: *Nonne istis manifesta Dei virtute de tanto incendio reservatum et sanctum et vivificum sacramentum, quo sine dubio emundatur lepra peccatorum, et gratiarum actiones ubi sunt?* Res igitur taliter acta est.

1128. Aug 25. 2. Anno praesenti, qui est ab incarnatione Domini 1128, 8. Kal. Septembris, prima vigilia noctis, subito exortus ignis mediam vici plateam corripuit, qui vento agente concitatus, in brevi ultra modum invaluit. Erat autem siccitas nimia nimiumque diutina, et undique circa domos horrea collectis nuperrime et comportatis frugibus copiose referta. Repente ergo conflatum, sine mora crevit incendium, quo non solum Rhenus liquidus resplenduit et vicina Colonia reluxit, verum etiam regio haec omnis et tota fere provincia lucem undique tristem et horribilem suspexit. Denique per stadia ferme ducenta et eo amplius ignis paruit, remque adhuc ignorantibus coelum ardere visum est. Quid animi vobis pariter ac mihi tunc erat, fratres carissimi, cum per turres et interturria videretis appropinquantes atque imminentes insanos exercitus flammarum, assilientes atque irruentes phalanges grandium scintillarum! Turres enim circumstantes odiosas nobis mira velocitate victrix flamma comprehendit, et nostras quoque domos sive officinas usque ad ipsum claustri coenobialis aditum uno impetu pervolavit, totumque istud castellum, mirum dictu, quasi unum effecit caminum, ita ut de proxima civitate prospectantibus milibus hominum videretur id, quod verum erat, totum hoc monasterium flammis esse circumdatum atque coopertum. Causam post haec dicam, cur turres iam dictas odiosas nobis fuisse 52 vel esse dixerim[52]. Quid ergo tunc erat animi! Nonne horruit visus, nonne expavit auditus, nonne corda tremuerunt et omnes corporis sensus stupendo aufugerunt? Me ipsum perpendo; memet ipsum, recolens qualis in illa tentatione inventus fuerim, magis reprehendo. Iob 13, 11 Denique illud mihi pene accidit, quod supradictus Iob dicit amicis suis: *Statim ut se commoverit Deus, turbabit vos et terror illius irruet super vos.* Quid enim? Numquid iustorum est et eorum, qui perfectae fidei sunt, turbari[a] statim ut ille se commoverit, et ruina terroris eius opprimi? Nonne potius hoc eorum est, statim ut senserint eum esse commotum, consurgere et tenere eum? Tales quippe dolens propheta Esaias defuisse vel Isai. 64, 7 deesse in gente peccatrice: *Non est*, ait, *qui invocet nomen tuum, non est qui consurgat et teneat te.* .... Ego vero maxime turbatus fui, quippe qui pene nudus aufugi, et sedi procul ab incendio, procul ab ista periclitante domo, memor sancti David, qui cum tantorum 2 Reg. 15, 14. 17. 25 vir esset meritorum, nihilominus repentino turbatus nuncio, festinavit egredi, *ne veniens*, ait, *Absalon occupet nos*, et egressus pedibus suis stetit procul a domo, et *si invenero*, ait, *gratiam in oculis Domini, reducet me, et ostendet mihi arcam et tabernaculum suum.*

3. Interea, dum adhuc primas concessae sibi praedae partes festinus ignis voraret, ulterius linguam praetendens cunctos luce maligna terreret, quidam de fratribus raptum 53 e sacrario ferens corporale[53] dominicum, longo hastili superne illigatum, flammis obvius stetit, sperans, quod tam sacrae supellectili cessurus foret ignis omnisque potestas inimici. Cumque tali modo non cederet ignis, ille, persistens fide non ficta et temeritate non improbanda, ipsum hastile cum corporali mediis flammis fortiter intrusit, aliquamdiu agitans quasi saevientem confoderet ignem, donec usque ad ipsum prorupit flamma rebellis eumque pene afflavit. Tunc demum absistens, et hastile quod tenebat partim ambustum, corporale autem illaesum, mirum dictu, et incontaminatum ignibus abstrahens, quantocius

a) turbati W.

52) Vid. infra c. 8. 53) i. e. linteolum, quo hostia obtegitur.

absolvit et convolutum flammis quo potuit altius iniecit, optans et sperans, quod ex immis- 1128. sione eius, Domino volente, opprimeretur et deficeret quasi strangulatus ignis. At ille, Aug. 25. videlicet magnus et a Deo permissus ignis, miro modo corporale integrum occulta et incognita vi de medio sui reiecit et longius repulit in eam villae partem, quae sibi concessa non fuerat, et ubi, sicut manifestum est, nihil nociturus erat. Quem non delectet tantum vidisse vel videre miraculum! Denique corporale iam dictum sic integrum et illaesum relatum est, ut tamen signum habeat non indecorum, videlicet lineam subrufam, cum sit ipsum, ut prius erat, totum candidum. Hoc nimirum melius placet, quam si nulla penitus incendii nota inesset, quia clarius ex hoc memoriale est et inter omnem eiusmodi sacram supellectilem agnosci debet.

4. Cum itaque solutis habenis totum, ut iam supra dictum est, castellum intus et exterius possideret incendium, me procul sedente inter intactas ab igne domos, ita tamen ut spectare possem illud triste spectaculum, scilicet undantia cacumina flammarum, stetit in editiore tecto, qui diceret ardere ipsam sancti Urbani basilicam, videlicet sitam ante valvas monasterii parochianam ecclesiam. Actum putavi, et de liberatione ipsius monasterii pene desperavi, nisi quod in memet ipso canebat spiritus meus: *In ira misericordiae memor eris.* Cf. Habac 3, 2. Deinde post moram non modicam coepit illud quoque intra memet ipsum canere interior homo: *Benedico te, pater domini mei Iesu Christi, quia per filium tuum ignis extinctus est a latere meo.* Et ita factum erat. Venerunt quippe continuo, qui dicerent, decidisse incendium salvumque et incolume reliquisse cum claustro monasterium; tantum autem conlaterales domos sive officinas omnes cum areis in favillam et cineres esse redactas. Quis hoc sperare poterat! Quis, nisi Deus, hoc facere potuisset, cuius auxilium multitudo populi utriusque sexus, ex ulteriore Rheni littore prospectans, suppliciter et devotissime inclamabat! Viderunt enim plerique illorum, et hoc publice fatentur quia viderunt, virum speciosissimum, super monasterii culmen laevo latere sive cubitu innixum et sublevatum, manu dextera impetum ignis abigentem, qui iam turrim campanariam introrsum corripuerat. Audito hoc bono nuncio, revertebar post noctem tristem die reddito, et ecce parochianus Aug. 26 sacerdos ecclesiae supra memoratae, nomine Stephanus, divulgabat, mihi maxime denarrare properans, dulce et iucundum miraculum, signum valde bonum, magnumque et evidens vigilantis circa nos divinae propitiationis indicium[a].

5. Pixidem ligneam et in ea corpus dominicum habuerat, secus altare de more repo- Aug. 25. situm in fenestra sive absida introrsus in muro, tegulis ligneis compacta cum ostiolo et sera. Erant autem cum iam dicta pixide et alia vascula ad sacrum ministerium pertinentia, videlicet alia pixis hostias continens non consecratas, ampulla quoque vinaria et ipsa stagnea, et vasculum thuris et candelae et aliquid lini, quorum meminisse nos exigit causa tanti miraculi. Denique in illa fortitudine vehementis incendii, cum non solum ipsa basilica, verum etiam totum castelli spacium quasi unus esset caminus — multo maior, quam ille Babylonius ignis, cuius flamma diffusa est supra fornacem quadraginta novem cubitis , Dan 3, 47 cum fragmenta quoque trabium ardentium decidentia, signa quoque metallica miro modo ardendo sponte concrepantia et concrepando ardentia de altitudine ardentis campanariae turris excidissent, non solum fracta verum etiam pene liquefacta, et taliter prolapsa omni materia, coangustatum intra muros basilicae amplius saeviret incendium, arsit simul et ipsa absida cum omnibus supra dictis, quae intus erant reposita, nimirum leviter et cito pro magnitudine incendii[b] sicut stipula vel quasi exiguum foeni. Sola autem pixis illa cum corpore dominico incolumis et intacta permansit. Mox ergo ubi sacerdos iam dictus accessum habere potuit — dolens, ut fatebatur, quia, cum turbaretur instante incendio et aliqua exportaret vel exportari faceret, oblitus fuerat tollere corpus dominicum — amovit quantocius congeriem lignorum favillarumque ardentium, et introspiciens reperit hoc insigne miraculum. Protinus excipiens, et cunctis videntibus, qui aderant, illud fidei nostrae sacramentum demonstrans atque divulgans, venit ad me gaudens, et suam oblitus negligentiam propter abundantiam laetitiae, licet non sine tristitiae nebula pro dampno quod acciderat. Nox enim quaedam adhuc toto die illo erat in cordibus nostris, et quasi gravi sompno pressi, mentis nostrae oculi nondum valebant prospicere ortum solis, id est claritatem divinae praesentiae, fulgentem circa nos sive in medio nostrum tribus miraculis, isto pergrandi et caeteris duobus, quae supra narravi. — Sequens erat dies dominica, et Aug. 26

a) iudicium *W.* b) incendium *W.*

1128. Aug. 26. ego circa horam fere tertiam perrexi, et multis sequentibus vel praesentibus locum intuitus sum, et opus virtutis consideravi admiratione dignum; cum quo et illud accedebat ad gaudium, quod altare considerabamus inviolatum, cum cohaerentes altari lapides magni, qui coram strati iacebant, fracti et in frusta divisi essent magnis molibus fragmentorum, id est trabium ab incendio fractarum et ardendo cadentium.

6. Laudare ergo Deum debuimus, et apertis magnitudinem virtutum eius declamare vocibus. Sed numquid digne laudare sufficimus? Sunt enim haec tua, Christe, miracula. Non dissimilis gloriae illi, qua glorificatus es tu cum tribus pueris tuis in medio Babyloniae
Dan 3, 92. fornacis, pronunciante rege Nabuchodonosor: *Ecce ego video viros quatuor solutos, et ambulantes in medio ignis, et nihil in eis corruptionis est, et species quarti similis est filio Dei*; vere, inquam, gloriae illi est gloria ista non longe dissimilis. Denique quod fuit illic tam magnus ille caminus ignis fortiter succensus imperio regis illius, qui typum gerebat diaboli, hoc fuit nocte illa totum castellum istud in unum ignem conflatum et quasi unus caminus effectum, ut supra diximus. Areis sive horreis nostris et caeterorum, quae novis messibus plena erant, flammas aedificiorum in immensum augentibus, cum undique circumvallatum et altitudine flammarum coopertum non laederetur monasterium, nonne pueri tui, Domine, scilicet fratres omnes et multi qui intus confugerant pauperes, in medio ignis ambulabant? Tu enim, fili Dei, prompta gratia cum eis ambulasti, et huiusce dignationis tuae tria testimonia dedisti signa haec, quorum duo viderunt, qui videre voluerunt vel ad videndum accesserunt, scilicet corpus tuum cum vasculo, in quo erat repositum, et corporale incommutatum, sicut saraballa puerorum illorum commutata sive adusta non fuerunt. Tertium, quod fuit species viri super monasterium incumbentis, non omnes, qui aderant vel prospiciebant, viderunt, sed tam multi credibiles et auditu digni se vidisse fatebantur, ut non credere illis aut saltem dubitare nefas putemus. Alias autem quid de visu hominum quaerimus? Tanto incendio nihil resistere aut superesse potuisset, nisi actu praesens adfuisset tua potentia, Deus. Perinde te laudavimus et laudamus, et adhuc laudationem tuam loquetur os nostrum, et sancto nomini tuo benedicemus. Populus quoque, ubi corpus Domini procedentes circumtulimus — erat enim ut supra dixi dominicus dies, quo in memoriam dominicae resurrectionis sollempni more processio agitur — claro coniubilavit concentu, sacerdote supra memorato reatum suum confitente cum fletu coram omnibus, eo quod, cum caetera quae potuit incendio praeriperet, istud unicum redemptionis et salutis nostrae sacramentum tollere fuisset oblitus. Ego una vobiscum, fratres carissimi, supra dictum corporale et pixidem illam pro summis reliquiis tansferre ad maius altare, et hoc monostichon superscribere dignum duxi:

Hoc corpus Domini flammas in pixide vicit. . . . .

8. Causam nunc dicere libet, cur *turres huius castelli adiosas nobis mira velocitate*
54 *victrix flamma comprehendit*[54]; hoc enim pollicitus sum subiungendo: *Causam post haec dicam, cur turres iam dictas odiosas nobis fuisse vel esse dixerim.* Attendite ergo, carissimi, quam iusto dolore super eas doluerim, quam perfecto odio non lapides sive parietes, sed iniustitiam, quae in illis habitat, ego oderim. Debuerat enim totum castelli huius spacium
Levit 27, 28. 21. esse legale sanctum, quia sic in lege Domini scriptum est: *Quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, et possessio consecrata ad ius pertinet sacerdotum.* Quis autem nesciat, castelli huius possessionem Deo et domino nostro Iesu Christo sanctaeque genetrici eius, perpetuae virgini Mariae, fuisse consecratam? Narrat enim liber vitae vel
55 actuum patris nostri beati Heriberti[55], quia cum coenobium construere optaret in honore Domini et iam dictae matris eius, beatae Mariae semper virginis, secundum votum cuius monitorem habuerat Othonem imperatorem, simulque scire cuperet, quo in loco fieri hoc placitum esset eidem sanctae Dei genetrici, apparens ipsa per visum dixit ei: *Surge et Tiutiense castrum petens, locum in eodem mundari praecipe; ibique monasterium Deo mihique et omnibus sanctis constitue, ut ubi quondam habitavit peccatum et cultus daemonum, ibi iustitia regnet et memoria sanctorum.* Erat autem tunc in eodem castro curtis pertinens ad servitium episcopi. — Porro de constructione castri diversa opinio est, aliis opinantibus fuisse opus Iulii Caesaris, aliis asserentibus, quod tempore, quo imperator Constantius et filius

54) Vid. supra c. 2. 55) Vid. Ruperti Vitam Heriberti archiep. Colon. c. 13, Opp. II, p. 881; cf. etiam Lantberti Vit. Herib. SS. IV, 746, et Vit. Meinwerci SS. XI, 135.

eius Constantinus expeditionem in Galliis habuerunt, constructum fuerit ab eodem Con- 306. stantino, devictis Francis. Hanc opinionem firmiorem esse asserit titulus, non multos ante annos inventus in tabula lapidea inter fragmenta murorum, et ipsa in partes divisa, ita tamen ut partes ipsae ad invicem coniungi possent. Qui huiusmodi erat: *Constantinus pius Romanorum imperator augustus, devictis Francis, castrum Ditensium in terris eorum fieri iussit. Milites turrim cum interturrio fecerunt. Haec duodeviginti vota fecerunt*[56]. Et quidem 56 nota est historia, quod Constantinus Francos et Alemannos magnifice devicerit, et reges eorum bestiis obiecerit[57]. Sed quia Iulii Caesaris res gestae in Galliis famosiores habentur, inde haec opinio magis vulgata est, licet nullis fulta scriptorum monumentis, quod ille huius quoque castri conditor extiterit. — Mansit autem idem castellum pulchritudine et fortitudine praecipuum usque ad imperatorem Othonem primum. Huius germanus Bruno, Coloniensis ecclesiae archiepiscopus[58] a beato Severino vicesimus quartus, simul cum tanta nobilitate morum quoque probitate et insigni pietate praeclarus, fregit illud, fratris sui iam dicti imperatoris iram quae futura erat non veritus, quae adeo vehemens fuisse fertur, ut eum ad reaedificandum compelleret nimis invitum, nisi idem imperator cita fuisset morte praeventus[59]. Sextus ab illo, videlicet Brunone beatae memoriae archiepiscopo, 59 sanctus Heribertus taliter, ut supra dictum est, Domino consecravit idem oppidum, immo ruinosi ut ita dicam fragmenta oppidi, construendo in medio eius coenobium Deo in honore dominae nostrae sanctae Mariae perpetuae virginis, totumque ad hoc opus locum sic emundavit, ut nullam secularium habitationem in ea relinqueret[60], dans illis, quos inde excedere iussit, foris habitacula muro extrinsecus contigua, sicut hodie noverunt et testantur quam plurimi, et maxime ipsorum posteri, tenentes easdem domos beneficiales ad huius ecclesiae ius dominationemque respicientes.

9. Debuerat igitur, iuxta sacrae legis edictum supra memoratum, sanctum esse Domino totum castelli huius spacium, id est nullam pati communium sive secularium rerum contaminationem; qualem vidimus et audivimus in plerisque locis magnum saepius attulisse offendiculum sive scandalum fratribus, Deo sacratis et propositam debentibus religionis monasticae puritatem. Fere usque ad nostra tempora perseverat, sicut scitis, huic monasterio vestigium aliquod iuris antiqui, ita ut claves huius castelli nullo contradicente haberet prior sive praepositus monasterii[61], et clausae tota nocte non aperirentur portae 61 usque ad diem hora competenti. Nunc autem longa praedecessorum nostrorum negligentia, dum secularibus sese nimis accommodant, tantam aluit licentiam, ut illud propheticum dicere nobis conveniat, praesertim quibus optabilis est et grata religio quique bono zelo zelamur pro Domino: *Haereditas nostra versa est ad alienos, domus nostrae ad extraneos.* Thren. 5,2. Castellum quippe occupaverunt et non tantum turres et interturria sibi ad inhabitandum reparaverunt homines, honesti quidem secundum seculum, verum etiam subterturria, quae dicunt cellaria, quasi specus caecos et angulos pene occultos talibus personis locaverunt, qualium vita dubia est, conditio ignota, fama obscura; ita ut gravibus in circuitu nostro personis tale sit de habitaculis istis iudicium et sic de illis iudicent, tamquam de quibusdam officinis immunditiarum, et idcirco dicere non dubitent, iuste hoc accidisse incendium non solum intus his qui fecerunt, verum etiam foris illis, qui facientibus consenserunt meque

56) Hic titulus, exceptis verbis: *Haec duodeviginti vota fecerunt,* legitur etiam ap. Donatum Vet. inscr. thes. II, p. 220; Orellium Inscr. lat. coll. I, p. 240; Steiner Cod. inscr. Rom. Rheni II, p. 100 cet. — Alteram, quae huc spectat, inscriptionem e »vetusto codice«, eiusdem nostri *Ruperti* Vitam sancti Heriberti continente, vulgavit primus Surius II, 246, repetierunt Witlichius in Ruperti de inc. Tuit. libro p. 11 in marg.; Gelenius de admir. magn. Colon. p. 81; Brower et Masen Ant. Trev. I, 205; Muratori Nov. thes. vet. inscr. I, p. 259 cet. Est autem haec: *Virtute*[a] *domini Constantini maximi pii felicissimi invicti augusti suppressis domitisque Francis, in eorum terris*[b] *castrum Divitensium sub praesentia principis sui*[c] *fecerunt devoti numini maiestatique*[d]; *duodeviginti haec vota fecerunt.* Uterque titulus igitur debetur Ruperto, qui certe bis diversa ratione uno elogio licentius usus est. 57) Cf. Eutropii breviar. X, c. 3; Panegyricum VI Eumeni Constantino c. 10. 11. 12, ap. Iaegerum Panegyrici veteres I, p. 386. 389. 393; Panegyr. VIII incerti Constantino c. 23 l. l. p. 541. 58) cuius vitae leguntur supra SS. IV, 252—279. 59) Erratum. Obiit enim Bruno annis octo ante mortem Ottonis I (a. 965). 60) Cf. Heriberti tabulam ap. Lacomblet Urkundenbuch I, 94. 61) secundum Heriberti tabulam l. l.

a) Virtuti *Gel.* b) terris . . . mil. castr. *Gel. et Brower.* c) sui . . . devoti *Gel. et Brow.* d) maiestatique eius *Gel. et Brow.*

reclamantem aut litigio depresserunt aut silentio destituerunt. Plane, etsi aliae fuerunt causae incendii, dicere non dubitem, quin causa ista maxima fuerit et iudicio Domini actum sit. Videram quippe in sompnis antequam fieret, et nonnullis vestrum aliquoties cum admiratione retuleram pavorem huiusmodi. Aderat atque instabat exspectantibus nobis quasi dies iudicii, cum videremur consistere quasi in orientali parte monasterii cuiusdam, versi ad occidentalem plagam. Interea signa de turri pendentia fragore horrisono concrepuerunt, et hoc videbatur quasi adventantis iudicis praenuncium. Et nullam quidem personam in eodem visu aspeximus, sed repente ab aquilone per patentes fenestras ignis horribilis crepitans et in partes plurimas scintillans insilivit, et ante facies nostras disiectus cecidit, nos tamen, id est me et eos qui simul stare videbantur, nequaquam attigit, nisi quod in visu illo immensa erat magnitudo saevi horroris. Sed numquid argumentis sive coniecturis egemus, ut sciamus vel credamus, quod non casu sed iudicio corripientis Domini factum
1Cor.11,32. sit istud, praesertim cum dicat apostolus: *Dum iudicamur autem a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo dampnemur?* O ergo utinam vel sic correpti iudicio praesenti, iudicio modico et tolerabili, sententiam timeant atque effugiant futuri universalis iudicii hi, qui sacratum Deo locum invadere praesumentes, vota beatorum pontificum supradictorum quantum in ipsis fuit perfregerunt, ne dicam irrita fecerunt, quia videlicet irrita fieri non
Ephes.2,20. potest devotio sanctorum, qui superaedificati super fundamentum apostolorum nequaquam dignum arbitrati sunt, superaedificare super fundamentum paganorum seu quorumlibet hominum mortuorum. . . . . . .

Isai. 28,19. 11. Fratres mei, secundum scripturam dicentem: *Et sola vexatio dabit intellectum* fere mihi contigit. Vexatio namque, quam vidistis me perpeti, quam audistis in dolore vocis
1126. quasi parturientis toto anno, immo et fere biennio, priusquam inundaret hoc flagellum
1127. incendii, dedit intellectum auditui. Occasio enim mihi fuit, quatenus melius intelligerem id, quod verum est, conditores civitatum terrenarum male in scripturis sanctis et ante et post diluvium denotari tamquam architectos sive municipes adversae civitatis, quae contraria est civitati Dei viventis, Hierusalem coelestis . . . .

13. Qua tandem voce, qualibus verbis exprimere potero magnitudinem vexationis, quae ut supra iam dixi hunc intellectum dedit et adauxit auditui? Vehementer quippe vexatus sum, et ut hoc breviter dicam, pene mihi contigit oculum meum dextrum eruere et proicere a me, pene accidit dextram manum meam et pedem abscindere et proicere a me. Scandalizabat enim me ita, ut pene ab isto recedere loco deliberassem, dum turrim reaedificare domumque firmam extruere inchoaret tanta loci importunitate, tanta claustri huius infelicitate quantam nulla umquam anima religiosa tolerare aut saltem videre posset patienter, si res ad effectum perducta fuisset. Turris quippe est angularis, id est in angulo stans, qui duos venientes e diverso parietes claustri coniungit. Mirum, quod ille meus dexter oculus, dum eiusmodi opus iniret, non videbat aut videre nolebat, initium fore destructionis id ipsum opus nostrae professioni, quam tamen venerari et promovere solitus fuerat. Etenim quid aliud sperari poterat? Spiritalis namque propositi viris aut feminis silentium solitudinis libertas vel securitas et quaedam munitio est, et contra strepitus eiusmodi quasi captivitas est. . . . .

14. Pene igitur tunc, ut supra dixi, et luscus et mancus et claudus effectus sum propter eiusmodi scandalum, nisi quia pepercit mihi oculus ille, et manus illa continuit se et pes in velocitate operis cursu, quo coeperat, desiit currere, non tamen absque offensione non sine invectione non absque suae puritatis turbatione. Nam maluit quidem ratione vinci de opere cessando, quam usquequaque scandalizare me perseverantem operando, sed non simul existimare voluit, quod sic simpliciter scandalizatus essem, tamquam unus de
Matth 18,10. pusillis, de qualibus Dominus dicit: *Videte, ne contempnatis unum de pusillis istis. Dico enim vobis, quia angeli eorum in coelis semper vident faciem patris mei, qui in coelis est.* Quae ergo vel qualia perinde perpessus fuerim, poteram praesentibus inserere scriptis, nisi quia res macrae sive exiles non facile conquisitis decorantur verbis, et ut quidam sa-
Cic Tusc. 1, 3. pientium sive eloquentium secularium: *Mandare quemquam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et ocio et litteris* . . . . Denique et ego, cum per occasionem scandali supradicti solito maiores increvissent mihi fluctus tentationis, tanta in tribulatione fui, tantam in abscondito, id est in mente, tempestatem pertuli, ut pene victus deliberarem

deponere pondus curae huius monasterii, multum immemor illius virtutis et indiscretus ad 1126. 1127. memorandam constantiam illius victoris, cuius nunc melius memini, quia quantacumque in tribulatione fuisset, quantamcumque in abscondito tempestatem pertulisset, non ipse onera dorso abiecit, sed *Deus,* ait scriptura, *dorsum eius ab oneribus divertit.* Eo usque sustinuit Psal. 80, 7 laudabiliter et expectavit patienter, donec Deus diverteret. Turbatus erat interior sensus meus et idcirco vim discretionis pene amiserat, ut tanti exempli, sive horum similium memoria foras excluderetur.

15. Sed praevenit me pervigili custodia custos Israel, qui non dormit neque dormitat, et corripuit correptione sensibili quidem, sed non effabili, scilicet nutu quodam, quem dum senseris, non indiges ab homine doceri, quod fortissimus sit . . . .

17. Confortatus itaque redii, velut qui melius iam intelligerem consilium sapientiae, dicentis: *Si spiritus, potestatem habens, ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.* At ille Eccli. 10, 4. spiritus, potestatem habens nimirum a Domino, qui potestatem dedit, ut tentaret sanctum Iob, cuius memini in exordio, quae videlicet potestas est iusta, voluntas autem eius semper iniusta, numquid ascendere desiit? Immo pertinaciter ascendit, ita ut parum videretur valere nobis quod cessatum erat ab aedificatione supradictae munitionis, quia nostrorum quidam amicorum abusi temporis oportunitate — sciebant enim offensionem sublimioris[62], cui anima nostra secundum Deum subdita esse debuit — licentiam acceperant nobis ignorantibus, et aedificabant turres alias et domos intrinsecus, nobis quidem contradicentibus sed subsistere non valentibus. Totum tempus illud, totum annum illum ego memorans 1127. quid de me ipso censeam? Qualem me tempestas illa invenit? Qualem me ipsum mihi ostendit? Nimirum nisi suggeret paracletus inter caetera illud quoque, quod Salvator dicit nobis: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, et sicut lucerna fulgoris* Luc. 11, 34. 36 *illuminabit te,* hodie plus nimio timerem, quia in verbis forsitan modum excessi et minime moderatus sum vehementiam doloris acerrimi. Summam scire vultis? Ego tantillus tam magni ducis Iosue partim exemplo uti non dubitavi, qui loquens in spiritu Dei, dura imprecatus est illi, qui reaedificaret muros Hiericho . . . . . .

18. Quid multa? Tandem post diutinam vexationem illud consilium animo incidit, 1128. quod unus amicorum beati Iob dixit, recte quidem si personam prudenter considerasset cui dixit. *Voca ergo,* inquit, *si est qui respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere.* Mortua Iob 5, 1 est enim uxor illius, cuius opus vel aedificium maxime nos contristabat, et per hanc, ut reor, occasionem mitius coepit agere, quatenus mecum eiusmodi placitum iniret, ut domum quam aedificare coeperat subter turrim, quam ut suam reaedificaverat, nobis cederet partim pro anima sua, partim accepta pecunia. Nam domus illa distribuendae eleemosynae videbatur accommoda, utpote secus introitum portae castelli sita. Cogitavi ergo tam diu vexatus, ut ad aliquem sanctorum me converterem, videlicet construendo in honore illius oratorium super portam eandem, ita ut contiguam haberet praedictam domum hospitalem. Converti autem me ad beatum Laurentium, nimirum aliquem sanctorum, et ad hanc partem speciali gratia satis idoneum secundum finem suum. Finis enim eius hic fuit, quod sanctorum pauperum pedes lavit et linteamentibus extersit, et de thesauris vel facultatibus ecclesiae, quas dispensandas susceperat, fideliter eis ministravit, mox gloriosum peracturus martyrii triumphum[63], unde et memoria eius in benedictione est cum istis venerabilibus 63 antiquioris scripturae verbis: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi.* Psal. 111, 9. Hunc ergo congruum ac fidelem ratus fore tutorem, ieci quantocius futuri oratorii fundamentum, et prout tempus permisit — instabat autem asperitas hyemis — structura fornicibus erecta usque ad aequalitatem portae surrexit; quam, ut a nivibus pluviisque hybernis protegeretur, protinus levi materia et stipula oportuit cooperiri. Eiuscemodi tecturae eventus, fratres mei, qualis extitit! Cum enim supra dictum foris extra muros grassari coepisset incendium et hi, qui turres ut supra iam dictum est in suum ius transtulerant, ad easdem Aug. 25. certatim convolarent, mobilem ferentes supellectilem ad altitudinem atque munitionem, ut sperabant igni inaccessibilem sive impenetrabilem, repente advolantes scintillae, et super stramen quo tegebatur opus iam dictum demissae, in ingentem flammam eruperunt; quae videlicet flamma, multo efficacior quam bellica quaelibet machina, turrim quae proxima stabat per sublimes fenestras tenuesque rimas ingressa, et deinde in aliam tertiamque perniciter prosiliens, totum denique castellum et quicquid in turribus ligneum[a] erat sibi in

62) an pontificis Romani? 63) Cf. Vit. sancti Laurentii ap. Surium IV, 585. a) lignium W.

1128. Aug. 25. pabulum concessum corripiens, horribile cunctis fecit spectaculum, ita ut totum hoc non solum circumdaret, verum etiam cooperiret monasterium.

19. Ad te igitur facta conversio nostra firmetur, o beate Laurenti, et tu sis, qui re- 64 spondeas vocantibus nobis iuxta praesagium memorandi oromatis[64], quo mihi osculum dare visus es in conspectu domini Iesu Christi regis aeterni, quasi iam venientis cum nubibus, ut videret eum omnis oculus, et cum eo sanctorum milia, quos inter tu igneus et quasi serenus, ignis vultu pariter et vestitu rutilans, apparebas. Qui cum venerit, nonne examinabitur mundus secundum similitudinem huius incendii, quod enarravi, maxime quia de medio tantae conflagrationis, de exaestuatione tam ingentis camini salvum et incolume dominicum corpus emicuit? Aut numquid huic rei, quae nobis accidit, tam magnum quod futurum est iudicium inepte assimulari dicimus? Minoribus utique rebus, auctore Domino, idem iudicium sive regnum coelorum assimilatur; denique assimulatur triticeae messioni, assimulatur sagenae sive retiaculo piscatoris, assimulatur modico fermento in tribus farinae satis, assimulatur etiam grano sinapis. Quo istorum sive his similium minus extitit huiusce iudicium incendii, ut non debeamus per eius similitudinem existimare nos esse commonitos de ira ventura, id est igne universalis iudicii, praesertim ubi tam multipliciter operata est praesentia seu providentia iudicis eiusdem, qui tunc omnia simul iudicabit. Etenim sicut illud magnum et extremum quatuor partibus agitabitur iudicium: pars quippe una erit eorum qui iudicabuntur et per iudicium condempnabuntur, itemque pars una illorum qui non iudicabuntur sed cum Domino iudicabunt, et alia illorum qui non iudicabuntur sed sine lege peribunt, quia legem non acceperunt et sine lege peccaverunt ideoque iam iudicati sunt, ita fere accidit et nunc. Mulier una, huius incendii flammis circumvallata et effugere non valens, miserabiliter concremata est. Nostrae autem res partim concrematae sunt, et non ipsi nos. Corpus autem et corporale dominicum nihil ab incendio pertulit. Turres autem, super quibus nobis erat molestia, quamvis nihil sentientes, horribili spectaculo combustae sunt. In nobismet ipsis ergo, quorum res aliquae perierunt locus autem salvatus est nobiscum, similitudinem illorum non inutiliter advertimus, qui tunc iudica- 1 Cor. 3, 15 buntur et per iudicium salvabuntur, iuxta illud apostoli: *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Eheu, quam timui ne illud opus meum arderet, quod mihi in hac vita maior consolatio est, scilicet opus librorum, quos elaboravi, maximeque illorum, quorum adhuc extra locum istum exemplaria nusquam erant. Unum illorum erat opusculum, quod nuperrime conscripseram de glorificatione Tri- 65 nitatis et processione Spiritus sancti[65] novem tomis sive libellis; et pro hoc fere ita sollicitus eram, sicut negotiator, caeteris omnibus amissis et de omnibus desperans, saltem unam quam forte nuper emerat reservare cuperet margaritam. Porro in concrematione mulieris, quamquam de illa desperandum non sit, nonnulla similitudo est eorum, qui iudicabuntur et per iudicium condempnabuntur, id est dampnationem, quam ista in corpore perpessa est, ipsi in corpore pariter et in anima perpetientur. In corpore atque corporali dominico, quod nihil ab incendio pertulit, nonne aliqua similitudo est eorum, qui non iudicabuntur, sed cum Domino iudicabunt? In turribus vero, quae nihil sentientes combustae sunt, nonne aliqua similitudo est superborum, qui legem non habentes, ut supra dictum est sine lege propter turritam superbiam suam peribunt? Potius enim hominum turribus, quam ipsis qualibuscumque christianis hominibus similitudinem ascribimus dampnationis illorum, qui sine lege peribunt, quia sine lege peccaverunt, et idcirco sine lege peribunt, praesertim quia talium opera fuisse traduntur hominum, qui sine lege peccaverunt; gentiles enim fuerunt. . . . . . .

2 Cor. 8, 12. 23. . . . . . . convertor ad te[66] cum sacrificio bonae voluntatis, *quae si prompta est,* ait apostolus, *secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet.* Et quidem si vita comes fuerit, spero, quod habebit voluntas haec effectum, ut impleat votum, quod incepit supra memorati operis, ut tu, qui es in regno coelesti cancellarius dignus regis Christi et sanctae eius genitricis reginae praepotentis, sis etiam specialis patronus et tutor huius loci Deo dicati et eidem perpetuae virgini, nec vacet alicui potentiae seculari praeesse arcibus istis iamdudum semirutis et nunc semiustis; quia non expedit omnino monasticae professioni cohabitationem pati, sive tam imminens confinium alienae conversationis. Verumtamen quomodocumque proveniat finis sive consummatio manu facti huius,

64) ὀράματος, visionis. 65) Cf. supra p. 629 n. 45. 66) ad sanctum Laurentium.

quod a me iactum est, fundamenti, spero quia voluntas, quae ut iam dixi prompta est, accepta erit . .

RUPERTUS DE VITA CUNONIS EPISCOPI RATISPONENSIS.

(EX LIB. XII. OPERIS IN MATTHAEUM.)

Nunc ad te[67] sermo meus liberior dirigitur, discipule veritatis, desiderator sanctitatis, 67 amator filii Dei eiusdemque filii hominis, episcope bonis omnibus amabilis. Iam dudum in hoc gaudeo et pro hoc tibi iure gratulor, quia praeclare in te quoque lucet experimentum veritatis, quae in euangelio secundum Marcum dicit: *Amen dico vobis, nemo est, qui reli-* Marc. 10, 29. 30 *querit domum aut fratres aut sorores aut patrem aut matrem aut filios aut agros propter me et euangelium, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc domos et fratres et sorores et patrem et matrem et filios et agros cum persecutionibus, et in saeculo futuro vitam aeternam* . . . .

Igitur ut dicere coeperam, congratulabamur tibi, episcope venerabilis, quia magnum in te experimentum lucet huius veritatis. Domum quippe unam nescio quantulam et propinquos aliquos, ut percepi, non infimos, nonnihil agrorum habentes in una civitate[68] reli- 68 quisti. Et ecce dominus factus es in hoc tempore eiusdem civitatis. Numquid non centies tantum est? Praeter hoc autem haec spes in sinu tuo reposita est, quod in futuro seculo vitam aeternam habebis. Laudi eius, qui quos ante tempora secularia praescivit et praedestinavit sanctos omnes, ipsos et suo quemque tempore vocavit, iustificavit et magnificavit, illud adscribendum est, quod te non qualicumque tempore, sed in ipso ingressu ferventis adolescentiae vocavit cita vocatione, ut eum, quem quasi in ingressu mundi posueras, retraheres pedem, et relictis omnibus, patria quoque sive provincia nativitatis tuae longe post tergum dimissa, peregrinus ad monachicam vitam confugeres, in montem spiritalis victoriae suo nomine praesagum: vocatur enim Sigeberch . . . . . .

Et tunc quidem sciens reliqueras omnia propter Christum, sed nondum sciebas, quod ea reliquisses propter euangelium, id est idcirco, ut aliis multis euangelizares Christum. Ipse autem sciebat, qui te vocaverat in opus praedestinatum. Illud quoque nesciebas, futuri huius ministerii quoddam esse initium, quod acceptum desuper datum optimum, scilicet boni ingenii vel perspicacis intelligentiae talentum, factus iuvenis sub obedientia patris spiritalis[69] impendebas non solum iunioribus, verum etiam coaevis tuis, non magis prae- 69 ceptor scientiae, quam exemplar disciplinae monasticae. Unde et ipsum talentum sive donum acceptum merito in te crevit iuxta illud: *Qui habet, dabitur ei et abundabit.* Quid Matth. 13, 12. multa? Tunc super clarissimum candelabrum non contemnendae altitudinis posita est lucernula Dei, quando tu, quem illuminabat lux vera et verus accendebat ignis, regimen suscepisti ecclesiae Sigebergensis[70]. 1105.

O quam multi iam extunc in lumine gaudere coeperunt! Omnis simplex oculus longe lateque manentium, maximeque in domo magna, quae est Agrippinensis sive Coloniensis ecclesia, flammam tui luminis libenter aspiciebat; et si quis erat nequam oculus, qui tibi adversaretur, hoc ipsum, quod sibi gravis esses etiam ad videndum, fateri non audebat. Tanta erat tui luminis auctoritas, ut statim contra se dictum putare posset illud propheticum: *Vae, qui dicitis malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras lucem et lucem tene-* Isai. 5, 20. *bras.* Interea dum familia Domini, super quam tu fidelis servus et prudens constitutus eras, cui corde flammato et ore lucido vitam aeternam euangelizabas, merito et numero augeretur ac multiplicaretur[71], tu tamen in oculis tuis parvulus et fere nullus eras; quod 71

67) Cunonem. 68) Ratisponae. 69) Reginhardi abbatis Sigebergensis. 70) Cunonem a. 1105 creatum abbatem esse, docet Rupertus in epistola, libro de Trinitate et operibus eius praemissa: *Nosti haec, pater mi, Cuno abba venerabilis et venerabilium studiosissime litterarum, quod eo maius est, monachicae columna religionis, qui in monte Sigebergensi, ad memoriam sancti archangeli Michaelis, iam ecce annum ab ordinatione tua agens duodecimum (qui est ab incarnatione Domini millesimus centesimus septimus decimus, cum indictione decima), Christo fideliter obsequendo, bono hactenus imples odore domum Domini.* Et die 24. Nov. 1105 iam ei abbati diploma tribuit Heinricus IV, ap. Lacomblet Urk. I, p. 171. 71) Cf. Cunonis abbatis tabulam iam ante 1121 scriptam ap. Kremer Akad. Beitr. III, Urk. p. 34, in qua ipse narrat haec: *Nam (Deus) de non multo plus quam sexagenario*

maxime percipiebant hi, qui familiares tibi erant, quique tecum de salute animae familiarius colloquium habebant . . . . . .

Manifestum iam te habere non dubitamus iudicium sive experimentum, quod via tua Domino abscondita non fuerit et iudicium tuum a Deo tuo non transierit, quia cum nescires, cum presens non adesses, imo longe remotus abesses, Ratisponensis ecclesia, pastore suo
1126. viduata[72], pastorem te, id est pontificem, sibi elegit[73]. Quae magna est gratia donumque
Ephes. 4,11. pontificis magni, qui coelos penetravit, quemadmodum apostolus dicit: *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios autem euangelistas, alios autem pastores et doctores.* Cum clerus et populus in partes pro eligendo sibi pastore divideretur, fieretque periculosa partium contentio, aliis hunc aliis illum clamantibus, iamque prope esset, ut in seditione invalescente ad arma concurreretur, unus sapientior caeteris, cuius cor Deus tetigit, repente tuum nomen in medium protulit, teque eligi consuluit et protinus totus ille partium motus conquievit et in te unum, quae divisa fuerat, unitas ecclesiae concessit . . . . .

Inter haec non praeteribo illud, quod valde placet oculis nostris, quia nonnihil habes
74 de imitatione beati Martini. *Iam vero sumpto episcopatu*, ait scriptor vitae eius[74], *qualem se quantumque praestiterit, non est nostrae facultatis evolvere. Idem enim constantissime perseverabat, qui prius fuerat, eadem in corde humilitas, eadem in vestitu eius vilitas erat, atque ita plenus auctoritatis et gratiae implebat episcopi dignitatem, ut non tamen propositum monachi virtutemque desereret.* Vidimus te, praeclarae civitatis episcopum, vervecum[a] pellibus et pulla desuper cappa coopertum sive affibulatum praecedentem, et euntes post te
75 praeclaros utriusque tam clericalis quam laicalis ordinis spectabiles viros[75], peregrinorum murium pelliculis secundum morem vel honorem suum coloratos sive defloratos, in eo sapientes, quod episcopum se habere vel sequi gauderent, talium contemptorem, censu divitem, affectu vel habitu pauperem, in corde humilem, in vestitu vilem, in mensa sibi communem[b], cum dignitate episcopi propositum monachi virtutemque non deserentem.

Hoc esse dixi de imitatione beati Martini. Unde non vanam fuisse constat illius sanctimonialis visionem, quam audisti. Referebat, dictum sibi per visum: occurrendum esse beato Martino festo die suo in ipsis rogationum diebus tunc imminentibus, quae ante ascensionem Domini ex more celebrantur. Mirabatur illa pro nuncio huiuscemodi, sciens et in somnis quoque memoria tenens, festum beati Martini non agi diebus illis, sed longe alio tempore anni: undecimo die mensis Novembris. Non ergo multum attendens visum velut ociosum reticuit, donec tu, quem venturum esse non ante visum illum sciebat, electus
Mai. 16. advenisti[76] die rogationum. O quanta cum laetitia cleri et populi, quanto cum tripudio non solius civitatis, verum etiam totius patriae, quantis cum laudibus Christi civitatem introisti!

a) vernecum *Opp.* b) communi *Opp.*

numero nos ad centum viginti diebus nostris provexit fratres. 72) Hatwico, qui mortuus est d. 3. Martii 1126. 73) Cf. Annal. Disibodenb. 1126, Hugon. Ratispon. chron. 1126. 74) Sulpicius Severus, v. eius Opp. ed. de Prato I, p. 16. 75) ecclesiae Ratisponensis legatos, electum Ratisponam deducturos. 76) Ratisponam.

TRANSLATIO GODEHARDI EPISCOPI HILDESHEIMENSIS.

Godehardi episcopi, cuius vitam supra T. SS. XI. protulimus, corpus anno 1132 *auctoritate Innocentii II papae et concilii Remensis a Bernhardo episcopo Hildesheimensi elevatum, et paullo post in honore eius monasterium constructum est, ut ex chronica Hildesheimensi*[1] *constat. Rei gestae historiam non multo* 1 *post clericus quidam Hildesheimensis calamo commisit, adiecto miraculorum numero, quae patroni sui auxilio perpetrata ex ore testium susceperat. Cui quidem libello saeculis XIII, XIV et XV appendix miraculorum, quorum unum iisdem fere verbis apud Caesarium Heisterbacensem legitur, a diversis auctoribus collecta accessit.*

Opusculum ad calcem vitae Godehardi 1) *ex codice quodam Sancti Godehardi Hildesheimensis Lipsiae a.* 1518 *prodiit, saeculo sequenti*

2) *a Browero subsidio codicis ecclesiae Hildesheimensis antiqui inter Sidera Germaniae a.* 1616 *repetitum est, cuius editionem*

3) *Henschenius in Actis SS. Antwerpiensibus T. I, Maii p.* 521 *sqq. et*

4) *Mabillonius in Actis SS. Ordinis sancti Benedicti saec. VI, Parte I. p.* 430 *sqq. plurimum secuti sunt, praeter quod Henschenius apographo codicum Sancti Michaelis Bambergensis et coenobii Bodeccensis adiutus paucas eorum lectiones T. VII. Maii p.* 582 *inseruit. Ultimus*

5) *Leibnitius SS. Brunsvicensium T. I. p.* 505 *sqq. Henschenium fere ubique secutus, Mabillonii vero nulla ratione habita, textum nonnullis Henschenii adnotationibus illustratum repetiit.*

Post quos editores licet nullo codicum subsidio adiuti, textum haud sine fructu iterum recognovimus.

1. Gloria summo Creatori, humani generis reparatori, qui non nostris meritis sed sua immensa bonitate dignatus est confessorem suum beatum Godehardum pontificem, ad salutem omnium credentium hominibus nostri temporis revelare, et eum qui pro longinquitate temporis iam quadam nube oblivionis obfuscatus fuerat, ut tandem ab incolis nostrae ecclesiae veneraretur, voluit nationibus diversarum terrarum manifestare; ut gloria ipsius non tantum ad domesticos fidei attingeret, sed etiam in exteras nationes se dilataret. Qualiter autem et quo ordine translatio praedicti confessoris nostri facta fuerit, non turgido eloquio vel nitens grandi cothurno, sed simplici stilo aggredior describere; non confisus

1) SS. VII, 855.

Psal 80,11. ingenii mei igniculo, sed illo euangelico dicto: *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud.* Et Matth 10,20. iterum: *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris mei qui loquitur in vobis.* Per scripturas enim res praeteritae et brevi tempore in oblivionem tradendae ad memoriam revocantur, et per res virtuose in ecclesia gestas, cum leguntur, fideles accenduntur, et torpores mentium discutiuntur.

1128. Anno dominicae incarnationis 1128, obitus vero beati Godehardi nonagesimo, Bertholdus[2], vir venerandus et in omni ecclesiastica religione perspicuus, utpote scientia litterali admodum eruditus et morum honestate valde decoratus, cathedrae nostrae ecclesiae praesidebat, quam discrete gubernando et religiosos viros undique ex diversis ecclesiis ad se colligendo adeo sublimavit, ut diversas cellas suis temporibus aedificaret, et in spiritali conversatione dulci adhortatione confirmaret. Quo residente in communi conventu cleri sibi commissi, et de populi ecclesiae nostrae[a] utilitate, uti mos eius erat, semper pertractante, Deo faciente, uti post effectus indicavit, ex inproviso sermo de patrono nostro, beato scilicet Godehardo, exoritur; item atque item a pluribus replicatur, conquerentibus et condolentibus, se tam misericordem habere patronum, et condignum sibi in ecclesia Dei non exhiberi honorem. Nam quantam misericordiam et quam manifestam gratiam praedictus confessor fratribus nostris, suis meritis, apud Deum obtinuerit, ab ipsis viris auctorabilibus in praedicto conventu existentibus, omnibus manifestatur. Per quod mentes assidentium omnium non solum exhilarantur, sed qualiter laudes ipsius in ecclesia Dei multiplicentur, unanimiter omnes accenduntur. Praedictus enim antistes noster Bertholdus privatam gratiam sibi a patrono nostro concessam omnibus assidentibus indicavit, et qualiter eum pium intercessorem apud Deum esse cognoverit, non sine contricione cordis fratribus nostris enumeravit. Nam tempore iuventutis suae cum ipse inter caeteros adolescentes ludicris rebus esset intentus, contigit ut ipse in suburbio nostrae civitatis quendam laicum non voluntarie lancea perforaret, et eum quasi mortuum ad terram prosterneret; qui quasi semivivus domum deducitur, lecto affigitur, et usque ad mortem periclitatur. Sed praefatus antistes noster dolens et moerens in diversa rapitur, se sacris ordinibus quasi homicidam esse repellendum angustiatur, et ita in diversas cogitationes animus ipsius invitatur. Tandem nutans quasi navis deprehensa in fluctibus maris, ad patronum nostrum beatum Godehardum, ut ad portum tutum se dirigat, spem suam in eum quasi anchoram in firmum littus infigit, ut ab imminente anxietate eum eriperet, corde contrito et humiliato spiritu postulavit. Sed vir vulneratus dum iam esset in agone positus, ipse fide firmus ad sepulchrum sancti patroni nostri se prostravit, totamque noctem in oratione pernoctavit, et magis rugitu cordis quam propalatione vocis misericordiam imploravit. Sed tandem prope termino noctis vigiliis defatigatus et dolore conturbatus, quietem intrare compellitur. In qua ei et statura et forma patroni nostri in visione, quam[b] tamen numquam[c] in hac vita viderat, certissime manifestatur. Nam dum adhuc esset inter vigilias et adultam quietem, persona patroni nostri ei in visione apparuit, ut missarum solemnia celebrari faceret ei diligentissime indixit, et ut officium: Luc 1,13. *Ne timeas, Zacharia, exaudita est oratio tua*, decantari faceret, continuo adiunxit. His visis excitatus, orationes suas magis ac magis continuare instituit; sed in via nuncium suscepit, qui certissime aegrum evasisse mortem nunciavit. His auditis corde et animo exhilaratur, Deo caeli benedixit, qui nobis talem patronum in ecclesia nostra reservavit.

Fuit vero tunc temporis in conventu nostro sacerdos quidam religiosus Adelbertus nomine, qui regulari vita in cella beati Bartholomaei, quae sita est in orientali plaga nostrae civitatis, vivebat; qui cum audisset quae praesul noster narravit, videns tempus idoneum, et ipse gratiam a Domino collatam patrono nostro omnibus intimavit. Dum enim ipse quadam nocte patrocinia sanctorum implorando, altaria nostrae circuiret ecclesiae, tandem iuxta sepulchrum beati confessoris se prostravit; sed surgendo manu indiscrete, tenendo sarcophagum eius, se sublevavit, et ilico pollex eius de propria iunctura emarcuit. Videns autem iam sese manu debilitatum, supplex et gemebundus se ad terram prostravit; veniam et misericordiam a beato Godehardo postulavit, et statim in proprium locum sine mora et laesione pollex resiluit.

a) de universali utilitate *cod. Bodecc.* b) quantum *Brow. Mab.* c) quam *Brow. Mab.*

2) sedit annis 1119—1130 Mart. 14; vide Chron. Hildesh. supra SS. T. VII, p. 855.

Audiens haec magister quidam de monte sancti Mauritii, Reinardus nomine, vir provectae aetatis, et ipse manifestam gratiam patroni nostri expertus, cum oportunum videret, non eam subticuit, sed omnibus in conventu nostro existentibus evidenter patefecit, dicens. Fuit enim puer quidam custodiae ipsius addictus, in clericali arte erudiendus, qui epileptico morbo, quem vulgari nomine caducum appellant, adeo vexabatur, ut quotidie sexies ad minus ad terram prosterneretur, et usque ad mortem nimia fatigatione periclitaretur. Hic quadam die ad patrocinium beati confessoris nostri deducitur, sed in via bis ad terram prosternitur. Orationes ad tumbam ipsius pro eo funduntur, eleemosynae pauperibus largiuntur, et perfectae sanitati redditus [a] in domum ipsius regreditur.

His tribus signis in communi conventu ab auctorabilibus viris recitatis, omnes hilari mente percipiunt, ipsum antistitem nostrum, quod voluntarie per se faceret, instigant, ut omnibus modis elaboraret, qualiter beatum pontificem nostrum Godehardum inter caeteros sanctos Dei canonizaret. Sed dum in rebus minimis, nedum in maximis, in quibus laetum exspectamus finem, divinum invocandum sit auxilium, placuit omnibus, ut speciales ubique in ecclesia nostra funderentur ad Deum pro hac causa preces, ne quid incassum vel inconsultum contra nutum Domini inciperemus, quod ad bonum effectum perducere non valeremus. Igitur statutum est, ut omnes tam maiores quam minores finita matutinali hora ad tumbam ipsius beati patroni nostri Godehardi convenirent et sese humiliter ad terram prosternerent; et psalmum *Benedixisti, Domine, terram tuam,* corde contrito et humiliato Psal 84
Domino decantarent. Statutumque est, ut in singulis coenobiis in territorio nostrae ecclesiae constitutis speciales pro eo fierent orationes et eleemosynarum largitiones; quia impossibile est multarum non exaudiri voces orationum. His ergo aliquanto tempore peractis, ecclesia nostra nova tribulatione concutitur. Nam praedictus pastor noster, proh dolor! nobis ex hac vita subtrahitur, et omnis ecclesia nostra tanto pastore desolata conturbatur. 1130.
Sed qui consolatur miseros in tribulatione sua Deus, non permisit ecclesiam suam in Mart. 14.
fluctibus huius saeculi sine gubernatore diu fluctuare, sciens quia ubi non est gubernator, corruet populus; nam omnis ecclesia nostra simul coadunata Bernardum summum praepositum, virum omni clericali scientia eruditum et moribus optimis decoratum, communi consensu cleri et alacritate populi, reclamantem et omnibus modis renitentem seque indignum vociferantem, in spiritalem pastorem elegit; et usque ad cathedram summi sacerdotii perduxit. His ita gestis, causa patroni nostri, quae propter tribulationes nostras iam aliquantulum deciderat, redintegratur, et quo ordine ad effectum perduceretur, ab omnibus elaboratur.

Sed cum canonica censura propter illusiones daemonum, quae frequenter in ecclesia Dei in talibus contigerunt, statutum sit, ne quis sine apostolica auctoritate, et vita ipsius per viros auctorabiles approbata, canonizaretur, quod tamen in praecedentibus tum propter difficultatem tum propter longinquitatem itineris causam nostram valde retardaverat, factum est Deo annuente, ut quod ante sine magna impensa ac summo labore non poterat ad effectum perduci, id nobis quasi ante ostium inopinate deferretur. Nam in Leodicensem civitatem curia indicta est, ubi Innocentius papa cum Romana ecclesia et magna parte Galliae, cum Lothario rege et fere universis episcopis Theotonicae regionis convenerunt, ut de violentia Romanae ecclesiae per Petrum Leonis perpetrata, qui tum temporis papatum sibi violenter usurpavit, pertractarent, et qualiter illud idolum in templo Domini positum destruerent elaborarent. Factum igitur est, ut ad dominicam Laetare Ierusalem[3] ad 1131.
praedictam civitatem multi catholici viri tam cum apostolico quam cum rege convenirent, Mart. 29.
et de communi statu ecclesiae pertractarent. Inter quos praeses noster Bernardus cum maioribus nostrae ecclesiae assistens, videns oportunitatem ultro sibi collatam, ipsum apostolicum cum omni curia Romana aggreditur, vitaque pastoris nostri coram ipsis recitatur, et ut et per eum in ecclesia Dei canonizetur, devotissime preces funduntur.

Sed cum consuetudo sit Romanae ecclesiae in generali concilio sanctos Dei canonizare, quod tunc temporis in Remensem civitatem in festo sancti Lucae indictum fuerat, accepto consilio petitionem ecclesiae nostrae usque in praedictum locum distulit, ibique diffiniturum

a) *ita Bodecc.* perfecte sanatus *edd.*

3) Papam iam d. 22. Martii a rege receptum fuisse, ex Anselmo Gemblacensi constat; sed d. 29. Martii praecipua sollemnitas fuit, qua Lotharii et Innocentii adversarii excommunicati sunt.

1131. certissime promisit. His ita gestis, antistes noster, apostolica promissione animatus, laetus regreditur, et ab omnibus devote suscipitur, et quae sibi responsa sint enarrantur. Tunc omnes audientes quae per apostolicum promissa sunt, unanimiter laetantur, precesque apud pontificem nostrum devotissime funduntur, ne se tantae promissioni subtrahat, sed licet laboriosum sit, ipse se tamen una cum maioribus ecclesiae nostrae ad indictam

Oct. 18. synodum repraesentet. Iam dies advenerat, in qua synodus universae ecclesiae citramontanae indicta fuerat. Tum vero praefatus antistes noster Bernardus una cum metropolitano Magdeburgense[a] Norberto, qui tunc temporis in ecclesia Dei magni nominis fuerat, et maioribus ecclesiae nostrae ad praefatam synodum iter instituit, et Deo annuente, cum magna prosperitate et oportunitate ad Remensem locum pervenit. Ubi honorifice suscepti, dum iam synodus aliquot dies esset celebrata, antistes noster Bernardus apostolicum Innocentium cum suis cardinalibus convenit, et de causa patroni nostri beati Godehardi usque eo induciata devotissime submonuit. Sed Deo annuente et id faciente, omnes unanimes et concordes in sua petitione invenit, ut post ipsa res indicavit.

Nam postera die cum in synodo generali apostolicus resideret, nullo admonente sed Deo faciente, apostolicus ad omnes luculentam orationem habuit, in qua disertissime[b] petitionem nostrae ecclesiae de patrono nostro exposuit, et ut assensum praeberent, devotis-

4 sime postulavit. His ita gestis, episcopus Tarraconensis[4], vir religiosus et litterali scientia eruditus, quo ordine translatio fieri deberet exposuit, scilicet si ea quae dicebantur de patrono nostro, ecclesia nostra per legitimos testes ac iuramento comprobaret. His vero verbis apostolicus se interposuit, et se a principibus terrae nostrae adeo in Leodicensi ecclesia certificatum fuisse asseruit, ut non opus esset id secundo testificari, quod lucidius sole posset comprobari. Auditis autem quae ab apostolico dicebantur, omnes unanimiter ut canonizetur assensum praebent, et ut laudes Domino persolvantur admonent, qui dignatur servos suos ab infirmitate huius carnis eripere, et inter sanctos et electos suos collocare. Continuo *Te Deum laudamus* canitur, laus omnipotenti Deo persolvitur, et sic demum coadunata synodus terminatur. Tum vero antistes noster, munitus apostolicis litteris, ad nos usque regreditur, et a clero et populo benigne suscipitur; litteraeque apostolicae reserantur, quibus recitatis Deo laudes persolvuntur. Tenor vero apostolicae concessionis sequitur in haec verba:

Oct. 29. *Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis, clero et populo Hildenesheimensi salutem et apostolicam benedictionem. Veniens ad nos venerabilis frater noster Bernardus, episcopus vester, in plenaria synodo quae Remis per Dei gratiam fuerat congregata, attestatione fratrum nostrorum episcoporum et abbatum et aliorum qui secum venerant, sanctae memoriae Godehardum episcopum vestrum laudabiliter vixisse in mundo, et tam in vita quam post mortem multis miraculis coruscasse asseruit. Unde nos cum fratribus nostris omnipotenti Deo gratias referentes, habito eorum consilio et collaudatione, quia eundem in coelis cum sanctis credimus coronari, ipsum inter sanctos honorari praecipimus; mandantes vobis ut eidem beato viro sollemnitatem in vestra ecclesia statuatis, et ad eam annualiter convenire curetis. Data Remis 4. Kalendas Novembris.*

Sed quia tunc hibernum tempus imminebat, nec ad tantum negotium se expedire valebat, visum est congruum, quae per apostolicum concessa sunt catholicis et religiosis viris

1132 Mai 4. nunciari; et ipsam translationem in quartam[c] Nonas Maii differri. Et iam tempus advenerat, cum tam celebris rumor, scilicet de translatione tanti patroni, in nostram civitatem plures tam religiosos quam promiscui sexus homines coadunabat. His visis, consilium in communi conventu capitur, qualiter caute sine turbatione transferatur; ne aliquod scandalum ecclesiae nostrae inde oriatur. Nam fuere quidam religiosi viri, admodum timentes propter longinquitatem temporis vel corpus non inveniri vel nullum indicium sanctitatis reperiri. Sed tandem post multas disceptationes in hoc omnes conveniunt, ut remota multitudine, ante matutinales horas omnes conveniant, et sic tumba[d] in qua positus fuerat, cum omni devotione aperiatur. Mediae ergo noctis tempore antistes noster una cum religiosis viris tam monachis quam regularibus sibi coadunatis cum magno timore ac tremore cryptam nostrae ecclesiae subiit, et sarcophagum, in quo positus fuerat noster patronus, aperiri

a) maideburgense *Bodec.* b) discretissime *Bodec.* c) quartum *Mab.* d) *ita Bodec.* tumba . . . aperiatur *edd. tota sententia excidit apud Leibnitium.*

4) Michael. HENSCHEN.

praecepit; ipseque cum caeteris fidelibus orationibus interea devotissime institit. Sed ubi 1132 summus labor in frangendo sarcophago antea visus fuerat, iam Deo faciente ilico se ape- Mai. 4. riebat, et aditum facillimum ad corpus praebebat. Tum vero aperto sarcophago, quantas lacrimas adstantium adspiceres, quos singultus audires, quam spiritalem dispositionem corporis ipsius prospiceres, quis vel sermone vel stilo exprimere valeat? Quid plura? Divinus quidam et incognitus odor fragrabat, qui quosdam adstantes quasi quadam spiritali dulcedine refocillabat, et in perfecta fide sanctitatis ipsius eos corroborabat. Tum vero videres omnes sese humiliter excusare, seque esse indignos tanti patroni corpus attingere, cum noverint, vitam suam longe ab eius sanctitate discordare. Tandem omnibus cunctantibus et longam moram facientibus, per fratrem nostrum praepositum Bertholdum corpus sublevatur, et propter multitudinem populi, quae ad tantam rem videndam convenerat, in secretum sacrarii nostri deportatur.

2. Sed haec hactenus dicta sufficiant, qualiter sit beatus Godehardus translatus. Nunc superest caritati vestrae intimare, qualiter per eum mundus sit illuminatus, et usque ad remotissimas gentes et paganissimas exaltatus. Nam ex longinquitate temporis merita vitae ipsius fuerunt pene abolita et paucis tantummodo cognita, quae per translationem corporis ipsius evidentissime omnibus sunt manifestata. Tot enim Dominus per eum fecit miracula, ut nec lingua valeant exprimi vel scriptura; ea autem quae sunt notiora et manifestiora aggredior describere, ut in eis posteritas de patrocinio tanti patris possit confidere. Nam ipsa die translationis, cum corpus ipsius usque ad montem sancti Mauritii cum magna reverentia cleri et populi deferretur, contigit, quemdam in flumen[5] quod praeterfluit civitatem nostram, incidisse, et longo tempore sub undis morantem omnino expirasse. Hic, dum corpus patroni nostri ad eum appropiat, vitae priori restituitur, et, Domino opitulante, sanus et incolumis a terra sublevatur. Qui postea per multa tempora in famulatu patroni nostri apparuit, et pro vita restituta non ingratus Deo extitit.

His vero auditis ecclesia nostra non statim et indiscrete acquievit, sed aliud certius et manifestius miraculum humiliter expectavit. Postera vero die, cum dies anniversarius Mai. 5. patroni nostri illuxisset, finita missa et horis constitutis, mulier quaedam muta habens filium privatum lumine, subito quasi in extasim rapitur, ac per horam parvam in terra volutatur. Transacto vero aliquanto tempore, matri lingua reseratur, lumen puero restituitur, et manifestum esse miraculum, omnibus comprobatur. Nam fuere in civitate nostra tunc temporis quidam viri auctorabiles de Corbeia, ipsius mulieris comprovinciales, qui eam cognoverunt, et verissime eam mutam filiumque eius lumine privatum longo tempore fuisse nunciaverunt. His auditis ecclesia nostra, tam clerus quam populus, in unum coadunantur; laudes Creatori persolvuntur, qui novit electos suos ab omni ambiguitate absolvere et in perfecta fide solidare. Signa enim debentur infidelibus non fidelibus, ut et[a] per miracula et inusitata confirmentur in his, quae a sensibus nostris et memoria sunt remota.

Vix laudes de miraculo praedicto Deo persolvuntur, cum claudus quidam, qui longo tempore contractus fuerat, se subito erigebat, et pedem firmo gressu terrae affigebat. Sicque factum est, ut ipsa die anniversarii patroni nostri infra basilicam nostram quinque miracula contingerent, quae omnibus manifesta fuisse apparerent. Caecus enim videt, mater ipsius loquitur, claudi tres potestatem ambulandi receperunt. His ita gestis, rumor et fama patroni nostri propter frequentiam multitudinis quae ad translationem tanti viri convenerat, magis et magis innotuit, et sese in omnes comprovinciales terras dilatavit. Unde factum est, ut tanta multitudo hominum patrocinia pastoris nostri implorantium in civitatem nostram conflueret, quantam nullus hominum nec antea in ecclesia nostra vidit, nec ut arbitror, deinceps videbit. Nam omnes habentes infirmos, languidos, claudos, surdos et mutos, nec non et daemoniacos vel quovis morbo detentos, usque ad patrocinium pastoris nostri pro recuperanda sanitate deferunt.

Contigit vero circa idem tempus, quod quidam viri auctorabiles de Turingia adveniunt, qui suum pastorem una manu debilem secum adduxerunt. Hi ut patrocinium beati Godehardi imploraverunt, ilico sanitatem recepit et manum debilem erexit. Quo facto, omnes unanimiter laudes Deo referebant, et in signum veritatis manum manui comparabant. Nam manum qua pastoralem virgam ante tenebat, rugosam et induratam invenerunt, alteram vero, cum qua non laboraverat, candidam et mollem repererunt.

a) *deest Mab.*

5) Innerste.

His ita gestis, matronae quàedam ab eadem terra usque ad nos pervenerunt, ducentes secum mutum longo tempore loqui non valentem; quae, dum orationibus insisterent, ac pro ipso patrocinium beati Godehardi implorarunt, subito vinculum linguae est ruptum, et officium ipsius per misericordiam est restitutum.

Fuit vero tunc temporis Erpisfordiae vicedominus, habens pro misericordia Dei claudum et paene omnibus membris debilitatum eleemosynis suis addictum; quem, auditis miraculis quae per patronum nostrum fiebant, usque ad patrocinium ipsius in ecclesiam nostram direxit. Et sicut credidit, sic per misericordiam Dei recepit. Nam quem debilem et omnino incedere non valentem usque ad nos transmisit, Deo adiuvante sanum et incolumem suscepit.

6 Fuit vero circa idem tempus in cella beatae Paulinae[6] multo tempore quidam claudus, omnibus notus et manifestus. Hunc potens quidam de Turingia per licentiam abbatis ad se recepit, et quae corpori necessaria fuerant, pro misericordia Domini ipsi erogavit; hic ad patrocinium beati Godehardi pervenit, et integritatem corporis percepit.

Fuit etiam tunc temporis in Turingia puella quaedam gibbosa, in dorso valde curvata. Haec veniens ad patrocinium beati Godehardi, per misericordiam Dei est erecta, et quod raro fieri solet, gibbo est omnino privata.

Vir quidam ab eadem terra natus, per misericordiam Domini et beati Godehardi ab eodem morbo est liberatus. Iisdem vero temporibus fuit matrona quaedam in Hassia[a], omnibus comprovincialibus nota, et maximis infirmitatibus per multa tempora detenta. Haec cum nihil iam praeter mortem speraret, tandem patrocinium beati Godehardi humiliter imploravit, seseque ad terram prostravit, et miro modo sanitatem recepit. Nam et in inguine, ubi antea caro sana fuerat, subito se aperuit, et duos lapides tantae magnitudinis, quantae in humano corpore nemo prius viderat subito emisit. Quo facto, unum secum in signum miraculi usque ad patrocinium beati Godehardi in ecclesiam nostram detulit, alterum vero in signum virtutis Dei domi reservavit.

Circa idem tempus contigit in Turingia insigne miraculum et dignum memoriae tradendum. Nam duo viri, proh dolor! mala societate coniuncti, furtum quoddam peregerunt, et pelles cuidam surripuerunt. Factum est ergo, ut uterque caperetur et ad iudicium traheretur. Sed cum iam uterque convicti suspendio traderentur, alter ipsorum toto corde ingemuit, et, quod solum poterat, corde contrito et humiliato patrocinium beati Godehardi imploravit; alter vero, quasi desperans nulli petitioni institit, vel vocem conpunctionis emisit. Factum est igitur, ut uno fune colligarentur et uno ramo suspenderentur; quo facto alter ilico expiravit[b]; alter vero, qui patrocinium beati Godehardi imploraverat, sine laesione et molestia pependit. Sed iam longo spatio horarum transacto, ille cuius pelles fuerant, propius accedens, et videns alterum expirasse, huic, quem adhuc vivere putavit, in haec verba prorupit; quaerebat enim, si viveret, aut si vitam retinere potuisset. Ille vero sperans sibi adiutorium advenisse, confessus est et se vivere et nullum dolorem sentire. Hoc audiens qui eum suspendi fecerat, magnam inhumanitatem ei intulit; nam fune quo suspensus fuerat tornato, firmo nisu ad terram corpus depressit, et sic spondilia colli se fracturum speravit; quo facto statim discessit, et omnem voluntatem suam se iam adimplesse non dubitavit. Factum est autem post discessum eorum longo tempore, ut praedictus vir manus post tergum ligatas dissolveret, et pannum prae oculis ligatum disrumperet, et sic tandem funem, quo suspensus fuerat, confringeret. Ad terram vero prostratus, videns se nullam laesionem habere, in fugam se convertit, et silvam, quae vicina erat, cum festinatione introivit. Hoc videntes quidam qui non remote discesserant, eum admirantes prosequuntur, et rogantes eum silvam exire, et nihil nisi bene de eis sperare. Qui tandem adhortatione ipsorum confortatus, silvam exivit, et cum eis magnificans et glorificans Dominum, usque ad ecclesiam pervenit. Hic postea ad patrocinium beati Godehardi venit, et quae sibi per misericordiam Dei et beati Godehardi contigerant, contestantibus civibus suis qui plures una secum advenerant, nobis omnibus enarravit. Quot vero suspensos et iam in articulo mortis Deus per merita beati Godehardi liberavit, longum esset per singula describere, maxime cum funes quibus suspensi fuerant, omnibus in ecclesiam nostram adventantibus possint demonstrari.

a) Hessia *Bodec.* b) *ita Bodec.* a. spiritum ilico emisit *edd.*

6) Paulinzelle.

Tunc temporis duae mulieres de longinquo ad patrocinium beati Godehardi venerunt, quae gratiam sibi ab eo collatam devotissime nobis omnibus narraverunt. Nam altera post immensam infirmitatem omnem appetitum cibi et potus amisit, adeo ut nec cibum nec potum infra duos menses sumpserit. Videns autem se vitam sic longo tempore non posse retinere, misericordiam beati Godehardi imploravit, et pristinum statum recepit. Altera vero, cum longo tempore lumine esset privata, in via in qua ad patrocinium beati Godehardi pergebat est illuminata.

Fuit vero iisdem temporibus in Mindensi episcopatu vir quidam daemoniacus, adeo obsessus ut vix plures eum retinerent, quin se ipsum interimeret et alios neci traderet. Hic tandem manibus post tergum ligatis et pedibus concatenatis, per parentes suos ad patrocinium beati Godehardi deducitur, eiusque auxilium ab omnibus humillime imploratur. Dominus vero suus Bezelinus[a] nomine, videns summam eius vexationem ac maximam tribulationem, misertus eius, ipsum manu misit, ac servum beato Godehardo tradidit; quo facto, statim sanitatem recepit, et cum parentibus suis solutis vinculis integer et incolumis domum remeavit.

Sub eodem tempore venit in ecclesiam nostram vir quidam magnae poenitentiae et austeritatis, qui per multa tempora carnem suam vigiliis et ieiuniis domaverat, adeo ut et loricam indutus ad carnem portaret. Hic cum devote coram patrono nostro orationibus insisteret, multis videntibus per gratiam Dei lorica quasi tela araneae dirupta est et usque ad terram dilapsa. O virum omni laude dignissimum, cuius meritis et vincula peccatorum disrumpitur et ad terram dilabitur[b]!

Habebat tunc temporis abbatissa de Wunerstorp[c,7] claudum quendam valde debilem, 7 qui omnino os in genu amiserat, et crus, in quamcumque partem volebat, quasi sine iunctura vertebat. Tunc abbatissa cum tanta miracula per patronum nostrum fieri perciperet, secum praedictum claudum usque ad limina patroni nostri perduxit, et Deo faciente sanum et incolumem reduxit. Sed cum ad ecclesiam sibi commissam remearet, cum hymnis et laudibus eum reduxit, referens gratias Deo pro omni dono sibi collato.

Haec videns mulier quaedam minus religiosa nec Dominum timens, in haec verba prorupit, se numquam velle patrocinia beati Godehardi implorare, nisi puerum quendam omnibus membris debilitatum, quem tunc temporis in platea reptantem vidit, recto gressu videret incedere. Factum est igitur, ut parentes ipsius pueri post paucos dies ad patrocinium beati Godehardi eum deferrent, et factis orationibus pro ipso, sanum et incedere valentem reciperent. Quod postquam vidit praefata mulier, ex verbis temerarie prolatis corde contrito et humiliato poenituit, et se visitaturam patronum nostrum, Domino vovit. Hoc facto, ex imo cordis suspiria duxit, considerans sibi necessaria viae deesse, vel unde pueris ex se genitis domi possit providere; quae dum sic anxiaretur, factum est, ut parvulus ipsius inscius domum egrederetur, portans panniculum quem in platea invenerat; in quo mater novem nummos, quasi nesciente puero quid ageret, reperiebat. His ita gestis, laudes Deo et beato Godehardo persolvit, qui et ipsam ab anxietate eripuit, et omnem dubietatem a corde ipsius exstirpavit.

Circa idem tempus fuit puer in episcopatu Mindensi, in villa quae Lanesberge[d,8] appellatur, claudus et miro modo contractus. Hunc parentes ipsius, licet pauperes, ad patrocinium beati Godehardi adduxerunt, et pro eius sanitate recuperanda devotissime misericordiam ipsius implorabant. Sed dum aliquantulum moram facerent, nec ullum profectum in puero viderent, ad proprias mansiones redire parabant, quia se exaudiri deinceps dubitabant. Sed dum prope ad villam quae Runeberge[e,9] appellatur venissent, et in quodam 9 prato se quieturos disposuissent, in lacrimosa verba proruperunt, conquerentes se in multa tribulatione ad patrocinium beati Godehardi venisse, sed nullam gratiam in puero suo percepisse. Qui dum sic colloquerentur, subito puer membra, quae antea fuerant incurvata, extendit, et de curru in quo vehebatur laetus et ovans prosiluit. Quod postquam gens vicina viderat, ilico unanimiter Dominum collaudabant, et ad proximam ecclesiam puerum sana-

a) *ita Bodec.* Hezelinus *edd.* b) *ita Bodec.* disrumpuntur et ligaturae ferreae dissolvuntur *edd.*. c) *ita Bodec.* Wunstorff *edd.* d) Lannesperc *Bodec.* e) runnesperc *Bodec.*

7) Wunstorf, inter Hannoveram et Mindam. 8) Est quidem Landesbergen in dextra Wiserae in dioecesi Mindensi, sed longius ad septentrionem remota quam quae via Hannovera prope Runebergam Mindam ducente accedatur; ideoque fortasse Hausberge prope Mindam intelligi suspicatus sum. 9) Ronnenberg a meridie Hannoverae.

tum devotissime deducebant. Sed ne tantum miraculum in oblivionem traderetur, in praedicto loco casam quandam comprovinciales erigebant, ubi fideles praetereuntes in reverentiam istius miraculi post multo tempore oblationes deferebant.

Fuit item claudus quidam illis temporibus in Goslaria omnibus notus, qui et ipse pro recuperanda sanitate ad beatum Godehardum se contulerat, et Domino adiuvante sanitatem recipiebat, adeo ut scabella, quibus antea reptabat, quasi in signum memoriae in ecclesia nostra derelinqueret, et ipse erectus incederet. Hoc plures religiosi illius civitatis viri omni-
10 bus fiducialiter affirmabant, qui per multa tempora eum claudum agnoscebant.

Fuit vero tunc temporis in loco territorio ecclesiae nostrae addicto, qui Aulica[10] appellatur, vir tantae aegritudinis in morbo qui fistula appellatur, ut iam omnino vitam desperaret, quia nodum femoris[11] in iunctura ante positum amiserat, et caeteram partem iam se amissurum timebat. Hic ad patrocinium beati Godehardi sese deferri praecepit, et sanitatem corporis Deo faciente recepit. Post haec nodum, quem antea manu ferebat, in signum miraculi et doni sibi a Domino collati in ecclesiam suspendi iussit, ac deinde laetus et alacer domum remeavit.

Circa idem tempus fuit matrona quaedam de Hervordensi loco genita, quae omnino fuit paralitica et omnibus membris dissoluta; nullum enim membrum ipsius proprium officium exercuit, sed nec per multos dies adimplere valuit. Haec maximam partem substantiae suae in medicos expenderat, sed per eos sanitatem corporis recuperare non poterat. Audiens vero tantam gratiam per merita beati Godehardi hominibus a Domino concessam, spretis exterioribus medicis totam se misericordiae Domini commendavit, et ad patrocinium beati Godehardi deferri praecepit. Quae dum aliquanto tempore moram faceret in nostra ecclesia, tum per orationes fidelium, tum per beati Godehardi patrocinium sanitati est reddita, et omnia membra eius pristino vigori restituta. Haec postea frequenter ad limina beati Godehardi pervenit, et pro dono sibi collato gratias non modicas[a] Domino persolvit.

Non multo post tempore venit vir quidam in nostram ecclesiam, habens filiam valde dilectam, quae gravi morbo laborabat, et iam morti propiabat. Nam gutturi ipsius os immensae magnitudinis et ex utraque parte magni acuminis per sex dies adhaeserat, quod nullus extorquere quavis arte valebat. Qui primum medicos in civitate nostra tunc temporis commorantes circuibat, et ab eis consilium, quid de filia esset acturus, requirebat. Sed nullum salubre consilium adinveniebat. Destitutus autem omni exteriori consilio, ad patrocinium beati Godehardi se una cum filia contulit, ipsumque pro ea humillima devotione imploravit. Factum est ergo, ut ipsa die puella os sine laesione eiceret et integram sospitatem recuperaret.

Non multo post eodem morbo quidam per septem dies laborabat, et iam certissime ei mors imminebat; hic veniens ad patrocinium beati Godehardi, statim liberatus est et in pristinum statum restitutus.

12 Contigit vero circa idem tempus quod Eckehardus quidam de Wigelevo[12] cognatum quendam suum vi et iniuriose captivavit, et contra ius et fas incarceravit. Qui dum aliquanto tempore in captivitate detineretur, contigit in ipsa nocte pentecostes dum matutinales horae celebrarentur, ut ad terram se prosterneret ac patrocinium beati Godehardi pro sua liberatione imploraret. Tandem ab oratione se elevans, foramen adeo arctum accessit, ut puer trium annorum pertransire potuisset, sed cum caput applicaret, ut sibi visum est foramen se dilatavit, et ipse sanus et incolumis pertransivit. His ita gestis, sine mora omnibus innotuit, captivum de carcere erupisse et omnia evasisse. Statim omnes unanimiter eum prosequuntur, vias, quibus evadere possit, custodiis muniunt, et qualiter eum apprehendant, omnibus modis elaborant. Sed Domino adiuvante et beato Godehardo, factum est, ut omnium insidias pertransiret, et ipsos cognoscens a nemine cognitus est. Hic sine mora ad patrocinium beati Godehardi se contulit, et pro sua solutione gratias Domino in ecclesia nostra persolvit.

Fuit vero tunc temporis in marchia Ungariae vir quidam in captivitate positus et fortissimis compedibus compeditus, qui nihil aliud sperabat, quam vel omnia sua amittere vel mortem subire. Ad aures ipsius fama beati Godehardi innotuit, et quanta Dominus pro eius amore operaretur, ipsi innotuit. Mox ad terram se prostravit, et eius patrocinium

10) Elze. 11) ossiculum rotundum, quo femur tibiae committitur ad genu, patella. HENSCHEN.
12) Wegeleben in districtu Halberstadensi esse videtur, Wigeleben est in principatu Gothano. a) immodicas *edd.*

devotissime imploravit: factum est igitur, ut ipsa nocte catena, qua ligatus erat, se dissolveret. Hunc omnes in ecclesia nostra viderunt, et sic evenisse circa eum veraciter perceperunt.

Iisdem vero temporibus fuit quidam paganus de ulterioribus partibus Sclaviae captus, et in Havelbergensi[a] urbe incarceratus. Hic fama revelante de patrono nostro audierat, et quanta Dominus pro eius amore operaretur, quocumque modo, utpote paganus, perceperat. Hic quadam nocte mortis timore coactus, inter spem timoremque pendulus orationem ex imo cordis ad beatum Godehardum direxit, et ut sui misereretur devotissime exoravit. Quo facto, sine mora ex trunco magnae molis et fortitudinis, quo conclusus fuerat, integro remanente, quasi ex liquida re, sine laesione pedes eduxit, et qualiter id sibi accidisset, ignoravit, nec fugam ullatenus iniit. Die vero illucescente, custodes advenerunt, et non sine admiratione magna eum repererunt. Sciscitantes vero, qualiter id sibi ad invocationem nominis beati Godehardi accidisset admirati sunt, dominoque suo retulerunt, et quid deinceps essent acturi quaesierunt. Dominus vero compunctus tanto miraculo, gratiam impendit, ipsumque captivum sine laesione abscedere iussit. Quantos vero et quot incarceratos et maximis compeditos compedibus Dominus per patrocinium beati Godehardi a summa tribulatione absolverit, longum est per scripta enumerare, cum quivis ipsa tormenta in ecclesia nostra pendentia possit cognoscere. Quapropter non supervacaneum duximus, plurima ex his quae longa forent scribere praeterire, et ad alia innotescenda transire.

3. Non multo post ea quae diximus, fuit vir quidam habens filium unigenitum valde sibi dilectum; qui puerili more per campos cursitando ludebat, sed fortuito ad fossatum quoddam veniens, maxima multitudo terrae ex improviso super eum corruebat. Sed pater haec ignorans, nec ipsum puerum domi reperiens, usquequaque quaerebat, nec ullatenus eum invenire poterat. Unde factum est, ut quidam diceret, se circa fossatum puerum ludentem vidisse, nec postea comparuisse. Quo audito pater cum festinatione ubi ultimo puerum viderat praedictus vir transcurrit, et magnam multitudinem terrae noviter corruisse conspexit. Quo viso adiunctis sibi plurimis, terram cum magna festinatione retexit, et puerum nullum indicium vitae habentem invenit. His ita gestis, quia magnae misericordiae patronum nostrum beatum Godehardum fuisse audierat, ilico preces devotissimas ad ipsum dirigit, adiciens, si Dominus per merita ipsius vitam pristinam restitueret, ipsum ei in perpetuum servum offerret. Quo facto, puer vitae pristinae restituitur, ac domum simul cum patre regreditur. Hunc postea cum patre in ecclesia nostra vidimus, et ab ipso patre, sic de puero evenisse, certissime cognovimus.

Fuit vero tunc temporis vir quidam in loco qui Mindin[13] appellatur, adeo in hydropisi detentus, ut circiter annum in eo laboraret et iam nihil nisi mortem speraret. Hic audito nomine beati Godehardi, in adiutorium suae infirmitatis eum suppliciter invocabat, et ut sibi in necessitate posito subveniret humiliter exorabat. Factum est ergo non multo post, ut quidam, quem nec antea viderat nec postea vidit, ad eum intraret, et facta incisione, tantam abundantiam aquae ex eo manare faceret, quantam vix tina quis ferre potuisset. Quo facto, adhibita cura, abscessit, nec deinceps comparuit. Hunc postea perfecte sanum vidimus, et eo referente, sic circa eum evenisse, veraciter cognovimus.

Circa idem tempus per beatum Godehardum insigne contigit miraculum et dignum memoria retinendum. Nam quidam peregrinantes de Ruzia ad patrocinium beati Godehardi adventabant, et in die palmarum quoddam desertum intrabant. Sed christiano more cum divinum officium niterentur peragere, contigit ut subito multitudo paganorum in eos irrueret, et quotquot poterant neci traderent. Factum est ergo, ut sacerdos qui una cum ipsis fuerat occumberet, et per passionem ad Dominum migraret; alii vero videntes se una interimi, licet inermes resistere eis parabant; sed propius protectionem beati Godehardi devotissime implorabant. Quo facto, licet plures et armati contra inermes congrederentur, tamen Domino faciente pagani se in fugam verterunt, et arma passim a se reiecerunt. Ipsi vero hoc videntes, baculis quibus utuntur peregrini illos feriebant, et circiter sex morti tradiderunt, victoresque effecti, arma quae a se latrones reiecerant acceperunt, et tam scutum quam gladium in signum victoriae in ecclesiam nostram detulerunt.

Non multo post haec contigit, piscatorem quendam cum puero suo Weseram velle transire, et solito more utilitati suae insistere, sed cum iam fere medium aquae obtinuisset,

a) halverbergensi *edd. ante Leibnitium.*

13) Minden.

tanta tempestas incubuit, ut vita se evadere dubitarit. Videns autem ventum magis ac magis insurgere, magister signum adiutorii populo intonuit; puer vero orationem ad beatum Godehardum direxit. Factum est ergo, ut magister qui natare noverat, confidens in populi adiutorio submergeretur, puer vero natare nesciens, per suffragium beati Godehardi liberaretur.

Tunc temporis venit quoque quaedam paupercula in civitatem nostram, de Spirensi loco genita, ducens secum puellulam omnibus membris debilitatam nec prorsus incedere valentem. Quae dum circiter mensem in civitate nostra moram faceret nec ullam gratiam in filia perciperet, tristis in terram suam redire instituit, quia iam se indignam audiri autu-
11 mavit. Sed cum super ripam Weserae in loco qui Mundem[14] appellatur pervenisset, et asinum pastum misisset, filiamque de curru deposuisset, matre semota, puella, quae antea fuerat debilis, subito se erexit, et in haec verba prorupit: clamabat enim se gratiam beati Godehardi realiter percipere, et illum secum ibi manere. Quo dicto, omnia membra illius, quae antea fuerant debilia, in naturalem statum sunt restituta, et ipsa integraliter est sanata. Hanc omnes in ecclesia nostra sanatam vidimus, Dominoque de dono sibi collato laudes persolvimus.

Fuit circa principium translationis beati Godehardi quidam Sclavus, lumine longo tempore privatus, intra paganos moram faciens. Hic audiens virtutes quas Deus in honore beati Godehardi operabatur, usque ad limina eius pervenit, ac patrocinium eius humiliter imploravit. Sed dum communes pro eo in ecclesia nostra fierent orationes, quia noviter relicto errore gentilitatis venerat ad sacramentum baptismatis, factum est, peccatis nostris exigentibus, ut sanitatem non reciperet, sed omni spe destitutus post aliquot tempus domum remearet. Contigit autem, ut sui contribules, adhuc in sua gentilitate permanentes, eum visum non recuperasse viderunt, continuo in opprobrium et derisionem eum deduxerunt, scilicet quod Deum suum dereliquisset et in alio nullam salutem invenisset. Haec et his similia illis exprobrantibus, factum est ut praedictus vir pudore confunderetur et mortem sibi inferre niteretur. Sed, o virum omni laude dignissimum, qui et vitam temporalem ei conservavit, et a morte aeterna eum liberavit! Nam dum adhuc in hac intentione permaneret ut mortem sibi inferret, per merita beati Godehardi illuminatus, iis a quibus prius contumeliosa susceperat, deos suos surdos et mutos exprobrabat, et se numquam ab eis bene quid accepturos verissime confirmabat; hunc postea in ecclesia nostra plures viderunt, et eum fuisse illuminatum verissime cognoverunt.

Contigit vero non multo post, quendam de Polonia ad patrocinium beati Godehardi adventare, sed dum iam ostium nostrae ecclesiae niteretur introire, subito a maligno spiritu est raptus, et ad terram horribili modo deiectus; qui dum in ecclesiam vi duceretur, et ad tumbam beati Godehardi applicaretur, tanto furore coepit debachari, ut quivis posset admirari. Tandem corpus beati Godehardi ad eum defertur, et signo sanctae crucis benedicitur, et sine mora statim cum indicio magni foetoris liberatur.

Fuit vero tunc temporis in Traiectensi episcopatu vir quidam arti mercatoriae deditus, qui frequenter mare transivit et quae sibi necessaria erant conquisivit; hic quodam tempore maxima tempestate in medio mari deprehenditur, ab omnibus conclamatur, et nil iam nisi ultimus vitae terminus timetur. Tandem finito aliquanto tempore resumptis viribus animae, auxilium beati Godehardi implorabant et argenteam navim delaturos, si evaderent, devoverunt: hos in ecclesia nostra navim argenteam deferentes postea vidimus, et sic eis evenisse verissime cognovimus.

Contigit etiam tunc temporis in Hollandia, quod quodam tempore mare per inundationem influxit et infinitam multitudinem populorum submersit. Hoc quidam percipientes, in basilicam quandam in honorem sanctae Mariae dedicatam sese receperunt; in qua mortem se evasuros speraverunt. Sed cum iam mare magis ac magis efflueret, et iam ipsum murum basilicae impingeret, videntes se non posse evadere, auxilium beati Godehardi imploraverunt, quod statim evidenter perceperunt. Nam continuo mare ad solitum locum relabitur, et ne deinceps locum habeat evagandi, divinitus inhibetur. Factum est igitur, ut Dominus noster patrocinium beati Godehardi nobis non tantum in terris ostenderet, sed etiam in mari certissime manifestaret: nam quot naves in magna tempestate deprehensas Dominus per eum liberarit, testantur adhuc cereae naves in ecclesia nostra pendentes.

14) Münden.

Circa idem tempus Lotharius imperator Romanorum legatos suos[15], scilicet Eilbertum praepositum Goslariensem fratrem nostrum, ad imperatorem Constantinopolitanum dirigebat, et antiquum foedus imperatorum, quod iam pene neglectum fuerat, inter ipsos reparabat. Hic dum mare transiret et iam prospero cursu pergeret, contigit ut quidam famulus ipsius resupinus de puppi caderet, et longo tempore sub undis maris existens, nulli appareret. Factum est ergo, dum ab undis maris esset absorptus et omnis vox esset interrupta, sola intentione, qua poterat, patrocinium beati Godehardi implorabat, et ut eum a mortis periculo liberaret, devotissime rogitabat. Eo sic cogitante[a], apparuit ei quidam canuta facie; educensque in superficiem maris, quod ante non noverat docuit natare. Videntes autem, qui in navi fuerant, velum relaxabant, et minori nave, quae eos comitabatur, usque ad eum pervenerunt. Sic praedictus famulus a morte iam pene absorptus eripitur, et miro modo vitae restituitur. Hunc omnes postea in ecclesia nostra vidimus, et circa eum sic evenisse, veris assertionibus cognovimus.

Non multo post tempore contigit, in Ungaricis regionibus celebrari miraculum et dignum memoria retinendum. Nam comes quidam illius regionis filium habuerat, in quo omnem spem temporalem et fiduciam posuerat. Contigit vero eum aegrotare, et iam usque ad mortem periclitari. Factum est igitur, dum omnes sollicite nocte dieque circa eum vigilarent, et inter spem timoremque haesitarent, ut puer morti appropiaret, et quadam die circa horam primam expiraret. His ita gestis, dum omnes luctum lamentaque geminarent, et quae exequiis erant necessaria praepararent, forte quidam vir de Bavarica regione advenerat, qui et ipsum puerum de sacro fonte levaverat. Hic igitur videns incomparabilem dolorem patris et matris, misertus eorum coepit eis nomen beati Godehardi intimare, et quantam gratiam fidelibus in eum sperantibus Dominus administret devotissime annunciare. His auditis, sine cunctatione pater et mater firma fide ad terram se prosternunt, misericordiam beati Godehardi devotissime implorant, seseque devovebant cum suis oblationibus ad limina ipsius iter instaurare, si ad pristinam vitam per eius patrocinium filium suum possint recuperare. His finitis iam vespertinum tempus advenerat, cum insperato modo puer ad vitam pristinam redit, et quod mirabile dictu est, sine indicio laesionis de lecto surrexit aegritudinis. Votum vero quod praedictus pater et mater fecerant, sine mora adimpleverunt, et oblationibus non modicis limina beati patroni nostri Godehardi visitaverunt. Nos in ecclesia nostra honorifice suscepimus, et sic eis contigisse, veraci relatione cognovimus.

Circa idem tempus dum tanta miracula per beatum Godehardum florerent, contigit duos viros nimia potatione ingurgitatos civitatem nostram exire, et ad proximam villam velle transire; qui dum medio campo consisterent, alter ipsorum fortuito os invenit, quod sublevans manu, per horam secum portavit. Sed videns ipsum os esse magnae pulchritudinis et candoris, dicebat se terram velle pertransire, et omnibus notificare se reliquias nostri patroni deferre, et sic temporale lucrum, ut caeteri, acquirere. Quo dicto, sine mora in vesaniam raptatur, et loquens aliena domum deducitur, et mala morte proxima nocte traditur. His auditis maximus terror hominibus incutitur, et si qua dubietas cordibus ipsorum de nostro patrono irrepserat, omni modo ab eis eliminatur.

Fuit temporibus illis pistor fratrum, Adelwardus nomine, ad cuius hospitium peregrini quidam declinaverunt, et hospitali more secum nocte permanserunt. Qui dum equos suos ad aquandum deducerent, filium eius adhuc parvae aetatis existentem caballo imposuerunt, et patre ignorante abduxerunt; qui dum equos adaquarent, fortuito infans exterritus de caballo praecipitatur, et sine mora undis subducitur, et ubi quaeri possit, ab omnibus ignoratur. Sed peregrini non valentes puerum reperire, tristes domum redeunt, patrique quae circa filium evenerant nunciaverunt. Quibus auditis pater concito surgit, tristis ad aquam pergit, navimque longe subductam requirit et[b] filium saltem mortuum, cum non posset vivum, adinvenire elaboravit. Qui dum diu puerum in loco ubi deciderat quaereret, nec inveniret, ad terram rediit, uncum quaesivit; quo reperto, post longum spatium puerum invenit. His ita gestis in domum proximam declinavit, ibique puerum mortuum et nullum

a) *ita edd. recte, nam sola intentione fiebat;* rogitante *etiam in mentem venire potest propter proximum* rogitabat. b) et ut filium *edd*

15) Videtur id factum ante annum 1135, quo legatos imperatoris Constantinopolitani in Merseburg Lotharius excepit, et cum eis Anselmum Havelbergensem episcopum remisit, qui anno sequenti 1136 reversus est. HENSCHEN.

vitae signum habentem deposuit, tantumque quae exequiis necessaria erant sollicite quaesivit. Dum haec sic geruntur, mater pueri cum caeteris mulieribus, quarum magna multitudo domum introierat, misericordiam Domini et beati Godehardi implorat, et ut solitam benignitatem, quam omnibus impenderat, non sibi subtrahat, devotissime exorat. Quid plura? post parvum tempus puer singultus emittit, aqua quam hauserat, cum magno impetu effluxit, et tandem vitam pristinam resumpsit.

Fuit vero circa idem tempus vir mercatoriae arti deditus, qui negotiando diversas terras pertransibat et sibi suisque victum difficulter quaerebat. Contigit vero, ut hic quodam tempore causa mercaturae cum pluribus aliis inter paganos tenderet, et possessionem non modicam secum deferret. Qui dum prosperato itinere pergerent, contigit eos vastam solitudinem introire, ubi non modicam multitudinem paganorum obviam habuere. Quod videntes ad arma concurrerunt, defensacula undique sibi praeparaverunt, sed multitudini illorum resistere non valuerunt. Tunc vero quosdam ex ipsis morti dederunt, quosdam corpore truncaverunt, quosdam captivaverunt, bonaque ipsorum diripuerunt. Inter quos captivos praedictus vir cum quodam puero, filio fratris sui, captivatur, et in remotissimas partes paganorum deducitur, ibique in quadam insula oceani detinetur. Ubi cum diu servili opere desudaret, et unde eriperetur non haberet, utpote ubi mare undique circumflueret, nec ullum locum evadendi inveniret, tandem se ad patrocinium beati Godehardi patroni nostri iturum devovet, si, per quam partem manus illorum effugere posset, illi demonstraret. His ita gestis, quadam die dum circa litus maris angustiando et orationibus insistendo deambularet, cymbam parvam in obscuro loco litoris invenit, in qua se mare transire Dei adiutorio speravit; sed quia mare magnum et spatiosum fuerat, tantum periculum attentare trepidabat, seseque orationibus beati Godehardi commendabat, petens ut animo illius inspiraret, et competentia adminicula ei praepararet, quibus tantam tribulationem evadere potuisset. His finitis iam nox advenerat, cum iam fixo animo se ad fugam praeparabat; acceptis igitur duabus lanceolis et panno de culcitra abstracto, ad puerum filium fratris sui, qui in alia villa morabatur, pergit eumque secum abduxit. Sed cum ad naviculam venisset, lanceolis et panno quem secum portavit velum adaptavit, et sic se misericordiae Domini et beati Godehardi commendavit. Quod videntes qui in insula commorabantur, eum subito prosecuti sunt; sed Deo adiuvante eum comprehendere nequibant, domumque infecto negotio remigabant. Praedictus vero vir, non immemor quod Deo voverat, sine mora ad patrocinium beati Godehardi veniebat, et lanceas et pannum, unde velum fecerat, in memoriam tanti miraculi in ecclesia nostra suspendi rogabat.

APPENDIX.

Interea haec dum aguntur et memoria beati Godehardi valde celebris habetur, contigit ut archi-
16 episcopus Coloniensis Henricus [16] nomine, civitatem nostram cum non modica manu cleri et populi pertransiret, et praedicta miracula quae per eum fiebant cognosceret. In conventum ergo fratrum nostrorum venit, et fraternitatem nostram devote postulavit. Ad cuius fraternitatis confirmationem dari sibi de reliquiis beati patroni nostri humiliter petiit, promittens se facturum, ut in omni diocesi sua celebris haberetur, et congruus honor tanto viro exhiberetur. Sed quia petitionem eius propter absentiam pastoris nostri distulimus, et tunc nos satis facturos voluntati ipsius polliciti sumus, ubi is adesset, non multo post tempore dominus noster cum in conventu nostro haec supradicta cognovisset, petitioni archiepiscopi acquievit, et quae ab eo postulabantur, sibi donari praecepit. Mox abbas Beati Godehardi ad eum cum portione reliquiarum transmittitur, et ab eo devotissime suscipitur. Hanc vero portionem archiepiscopus in terram nativitatis suae, id est in Sueviam, transmisit, ibique quandam ecclesiam in honorem ipsius instituit, ad quam cum multi confluerent et certissimam salutem animae et corporis recuperarent, contigit ut quadam die cuidam viro manus abscideretur [a], adeo ut nec minima particula corpori iungeretur. Videns ergo mancum se esse, manum arripuit, et fide firmata eam ad truncum apposuit, et ad eandem ecclesiam ad patrocinium beati Godehardi migravit; ubi cum devotissime misericordiam ipsius imploraret, contigit celeberrimum miraculum, ut trunco manus conglutinaretur, et in pristinum statum restitueretur.

Vir quidam honestus, cuius nomen Theodoricus, civis Hildeneshemensis, hic devotione singulari motus, fraternitatem instituit sancti Godehardi, et in eam utriusque sexus homines induxit, tribuens de

a) *ita correxi; saepissime editi loco* abscido *habent* abscindo; *quod et hic perperam factum esse patet.*

16) Heinricus comes de Molenark, Engelberti successor, electus est a. 1225, mortuus 1237. HENSCHEN.

propriis eleemosynam pauperibus satis largam in festo dicti pontificis Godehardi. Hic in infirmitate quadam decumbens quae phthisis dicitur, a medicis derelinquitur, qui de vita ipsius desperabant. Quadam vero nocte, quam pene duxit insomnem, apparuit ei sanctus Godehardus in habitu pontificali, dicens ei: *Quid agis frater? Cur sic iaces prostratus iu lecto?* Cui Theodoricus respondit: *Infirmitate gravatus valida, aliud non possum, quam prostratus iacere; sed rogo te, sancte Godeharde, ora pro me.* Cui vir sanctus ait: *Surge in nomine domini nostri Iesu Christi; et vade ad ecclesiam, et ostende te confratribus tuis; et dic eis, quia dominus Iesus meritis meis te sanavit, eo quod honorem meum in hac infirmitate procurasti. Insuper dic eis, ut in inceptis perseverent; et ego frater eorum ero et defensor ab hoste maligno et ab omnibus, quae honorem, vitam sive famam eorum laedere possunt; et apud Deum intercessor ero semper.* Dictus autem infirmus surrexit, et quod ei dictum fuerat fecit. Et omnes qui audierant verbum, Deum benedicebant, qui talem eis patronum dedit et intercessorem. Dictus autem Theodoricus sanus et hylaris postea vixit annis multis, devote Deo et sancto Godehardo se commendans.

Magister[17] Ioannes decanus Aquensis, cum scholaris esset, tam graviter quodam tempore infirmatus 17
est, ut confessus et inunctus, nihil ei nisi mors superesse[a] videretur. Cui[b] cum materia rapta esset in cerebrum, solus iacens in excessum venit; viditque homines sibi ignotos intrare, qui lances, quas manibus portabant, cum lignis brevibus et quadratis ante ipsum ponebant. Stantibus ipsis ex una parte lectuli, contemplatus est introire tres inclitos confessores, sanctum videlicet Martinum Turonensem et sanctum Godehardum episcopum Hildeneshemensem beatumque Berwardum, qui eum parte ex altera circumstetere. In quorum conspectu puer Ioannes uni imponitur lanci, et ligna loco[c] ponderis alteri. Cumque elevata statera iuvenis aeger minus habens inventus est, praedicti confessores puerulum parvum et mendicum sinui eius imposuerunt, qui simul lancem adversam mox suspendentes, lignis graviores apparuerunt. Statimque Ioannes qui mihi hanc visionem retulit, in sudorem erumpens crisin fecit, et de eadem infirmitate citius convaluit.

———

Anno[d] Domini 1338 civitas Pataviensis per episcopum Pataviensem[18] cum multa armatorum militia 1338.
circumvallata sic artabatur, quod populus in ea desperatus de salute, hostibus suis se tradere volebat. Contigit autem ut unus inter eos in sancto Godehardo specialem gerens fiduciam, et inter maiores civitatis residens diceret: *Audivimus multa pietatis insignia et salutaris auxilii augmenta non modica, quomodo sanctus Godehardus hac nostra ortus terra, immo de hac nostra dioecesi multis adstitit tribulatis, et consolationem ab eo receperunt, ut multis est notissimum. Expedit ergo, ut et nos ipsius adiutorium imploremus, petentes devotione supplici, ut clementer nobis adsistat et iram Dei, per quam meruimus hanc calamitatem, a nobis avertat.* Placuit omnibus verbum senis, eiusque omnes favent hortamento. Et votum fecerunt unanimiter, se missuros aliquot de civibus cum oblationibus, petentes ut eis in necessitatibus suis citius subveniret. Quo voto emisso, mira uberitate se invenerunt consolatos. Nam
generosus princeps dux Bavariae[19] veniens, negotium intercepit; et inter episcopum Pataviensem et 19
cives dictae civitatis ab eo obsessae treugas constituit amicabiles. Sicque praesul abcessit, et civitas pace gaudebat insperata. Sed et medio tempore dictus dux Bavariae pacem inter episcopum et civitatem inceptam confirmavit, et consolationem hominibus utriusque sexus condonavit. Cives autem dictae civitatis suos, ut voverant, ad sepulchrum miserunt sancti Godehardi cum votivis oblationibus, omnibus ibidem narrantes, qualiter suffragiis sancti Godehardi de tribulatione maxima subito fuerint liberati.

———

Scire[e] volentibus, quae et quanta Dominus operari sit dignatus per merita beati Godehardi, cum 1428.
essemus in provincia Traiectensi et in aliis locis, habentes nobiscum venerabiles reliquias eiusdem, breviter quaedam annotare curavimus.

Honorabilem virum abbatem in Dokinge curatum evidenter cognovimus a fluxu sanguinis, quo vehementer et diu laborarat. Per eius suffragium matronam etiam quandam, quae bona spe easdem reliquias ad se deferri petiit, Deus a duplici morbo, hydropico et podagrico, quo diu laboraverat, eiusdem meritis potenter atque evidenter liberavit.

Praeterea zonis multorum applicatis ad easdem reliquias et appositis ad membra infirmorum tam saecularium quam claustralium, in continenti sanitatem recepisse noscuntur; videlicet infirmi laborantes quotidiana, tertiana, dolore capitis, oculorum, dentium et caeterorum membrorum.

Cum foemina quaedam inter concives suos, dantibus nobis confraternitatem, more solito ab ipsa se absentaret, monita per visum a beato Godehardo, cur se tanto beneficio privari vellet? et respondens, quod nihil offerendum haberet, audivit, ut mane surgens, quicquid apud se inveniret, offerret;

a) *excidit in edd.* b) Qui *edd.* c) *deest in edd.* d) Postremum miraculum editionis Lipsianae, vitae brevioris *Brower.* e) Appendix, alia manu asscripta de miraculis, quae ad reliquias sancti longius exportatas acciderunt *Brower.*

17) *Magister — convaluit* ex Caesarii Heisterbacensis miraculorum libro VIII. c. 77. 18) Albertus Saxoniae dux ex Agnete Rudolphi regis filia natus, cui suus amitinus Albertus Austriacus occupatam Patavinam sedem cessit anno 1322. HENSCHEN. 19) Ludovicus primogenitus Ludovici Bavari, cui et marchionis Brandenburgici appellatio accessit. HENSCHEN.

sicque in bursa duos gravioris monetae nummos inveniens, obtulit, et idem factum coram populo professa est.

Vir etiam quidam magnus, nobis valde contrarius existens, cum populum a nobis avertere et negotium nostrum omnimodis impedire studeret, ita per inflationem gutturis et totius capitis periclitari coepit, ut iam pene deficere videretur; donec in se rediens et corde poenitens, per suffragia beati Godehardi ab ipsius mortis faucibus liberatus, errorem suum devotione et humilitate correxit.

Quaedam mulier cum geminos generaret, uno soluta ante nostrum adventum, tribus diebus cum altero periclitari coepit, sed nobis advenientibus attactu zonae sanctis reliquiis appositae in continenti enixa dinoscitur.

Praeterea cum maior ecclesia Traiectensis suspensione divinorum longo tempore nimis turbaretur; propter adventum reliquiarum beati Godehardi divina resumpsit: et toti populo ingens gaudium tribuit, in dedicatione videlicet ipsius ecclesiae.

EX HERIMANNI

DE MIRACULIS S. MARIAE LAUDUNENSIS

LIBRO III.

EDIDIT ROGERUS WILMANS PH. D.
TABULARIO REGIO MONASTERIENSI PRAEFECTUS.

Ecclesiam sanctae Mariae Laudunensis a. 1112 *incendio deletam Bartholomaeus episcopus duobus annis post splendidiorem restaurandam curavit. Quo in opere perficiendo magnopere oblationibus fidelium adiutus est, quas Hermannus noster*[1] *aliique monachi Laudunenses in Francia et Anglia collegerant. Quibus in itineribus reliquiae sanctae Mariae Laudunensis, quas secum circumferebant, tam multa miracula operaverunt, ut etiam post dedicatam novam ecclesiam peregrinationes repeterent*[2]. *Quae miracula, petente episcopo, duobus libris descripsit Hermannus. In tertio vero sermonem ad Bartholomaeum ipsum flexit, cuius industria ecclesia Laudunensis ex cineribus resurrexisset, eiusdemque de incrementis ecclesiae suae merita laudibus efferens, hoc imprimis exponere nisus est ut in epistola ad ipsum missa testatur*[3]: Quomodo divina misericordia in diebus vestris novem immo decem monasteria vestro labore construi fecerit per domnum Norbertum domnumque Bernardum abbatem Clarevallensem[4]. *Quo consilio ductus initia et progressus ordinis Praemonstratensis, cuius* tam sublimis et gloriosae institutionis[5] *Bartholomaeus* consors et particeps *fuerit, novem prioribus capitibus tertii libri, quae hic damus, prosecutus est.*

Totum opus Bartholomaeo vivente et episcopali munere fungente[6] *conscripsit et ipsi dicavit; librum vero tertium anno* 1149 *vel* 1150 *exaratum*

1) *non diversus ab Hermanno Tornacensi* Fabricius-Mansi B. M. A. I, 240. Ipse ecclesiam Laudunensem *nostram* vocat infra III. c. 1. 2) Primum iter susceperant a. 1113 (Mirac. S. Mar. Laud. III. c. 1.). Secunda vero vice Angliam peragraverunt viventibus Heinrico I. rege et Wilhelmo archiepiscopo Cantuariensi, id est inter annos 1123 et 1136 (ib. II. c. 6.). Cum igitur ante Galfridum Monemuthensem librum suum composuerit Hermannus, quae ibidem II, 15 et 16. de Arturo fabulisque Britannorum tradit, mihi scitu valde digna videntur. 3) Prol. operis. 4) Crimine dissipatarum in fundandis monasteriis ecclesiae facultatum a. 1157 se purgavit Bartholomaeus epistola ad Samsonem archiepiscopum Remensem directa. Adeas quae Gall. christ. auctores IX, 531. ex libro Norberti Caillieu ad inquisitionem Launoii in privileg. Praemonstr. p. 40 hac de re afferunt. 5) III, 1. paullo ante *novum lumen* vocatur ordo Praemonstratensis cf. III. c. 6. 6) a. 1113—1150, quo anno in Fusniacensi coenobio monachus factus. — III, 21. Eugenius III. papa inter vivos refertur. Cfr etiam III, 6.

8 *esse ex cap. 6 videmus*[7]. *In enarrandis Norberti rebus gestis Bartholomaeum*[8] *et Hugonem fundatoris in coenobio Praemonstratensi successorem*[9] *auctores habuit.*

Libros tres integros iam dudum iuris fecit publici d'Acherius post Guiberti
11 *opera*[10]. *Novem tertii libri priora capita*[11] *hic sistimus ope codicis Parisiensis (S. Germ.* 486 *olim* 527 *membr. fol. saec. XIV. conscripti) a Bethmanno nostro collati.*

Ad calcem libelli nonnulla ex Hermanni historia restaurationis abbatiae Tornacensis addere placuit.

R. WILMANS.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

1. *De multitudine populi ad dedicationem ecclesiae Laudunensis.* Opitulante ergo divina clementia, ex oblationibus fidelium per Franciam et Angliam collectis in tantum ecclesiae nostrae opus prosperatum est, ut sequenti anno completa aedificationis restauratione dedi-
1112. Apr. 25. caretur. Anno siquidem ab incarnatione Domini 1112, feria 5. paschalis ebdomadae prefata ecclesia combusta fuerat; quo die etiam domnus Gualdricus episcopus Laudunensis crudeliter interfectus est in domo sua cum quibusdam ex hominibus suis, successitque ei in episcopatu domnus Hugo. Qui cum vix octo mensibus supervixisset, eo defuncto electus est ad pontificatum, ut supra scriptum est, domnus Bartholomaeus. Hic episcopus consecratus adeo templum dominae nostrae studuit accelerare, ut post duos semis annos incensionis eius rursum fieret sollempnis dedicatio ipsius, anno scilicet ab incarnatione Domini
1114. 1114. Placuit autem episcopo et canonicis, ut eodem die consecraretur quo celebris eius
Sept. 6. dedicatio annis singulis observari consueverat, id est 8. Idus Septembris, tertio videlicet die ante nativitatem beatae Mariae. Ad quam dedicationem praefatus domnus Bartholomaeus episcopus accersivit secum Radulphum Remorum archiepiscopum, Guillermum Cathalaunensem episcopum, Lisiardum Suessionensem, Godefridum Ambianensem, Hubertum Silvanectensem. Tanta vero plebis multitudo confluxit ad ipsam dedicationem, ut ducenta milia diversi sexus et aetatis dicantur interfuisse. Magna siquidem laeticia cunctorum cordibus inerat, quod post tantam eiusdem ecclesiae immo totius Laudunensis urbis desolationem, in tam brevi spacio, id est infra duos semis annos, de tanta tamque profunda tenebrarum et calamitatis voragine tantum claritatis per Dei genitricis misericordiam videbant resplenduisse fulgorem, ut ipsi quoque ecclesiae nostrae videretur non immerito posse coaptari illa prophetae Aggaei sententia, qua de restaurando post Babiloniae captivitatem in Ihero-
Hagg. 2,10. solimis templo quondam prophetavit dicens: *Magna erit gloria domus huius secundae, plus quam prioris.* Si enim diligens lector attentius inspicere velit, re vera facillime poterit conicere, post desolationis luctum maiorem gloriam et exaltationem in ecclesia Laudunensi, quam prius fuerat, successisse. Quis namque digne poterit referre, quantus postmodum in episcopatu Laudunensi et de ipso per totum pene terrarum orbem fulgor religionis et novi luminis refulserit? Post paucos siquidem annos ille novi luminis novequae conversionis, nec solum interioris sed etiam exterioris candoris novus inventor et inceptor, domnus scili-
1119. cet Norbertus, de Lotaringia Franciam adveniens, divina praecedente et comitante gratia in episcopatu Laudunensi primam illam vineam plantavit, quae in caritate radicata et fun-
cf. Ps. 79,12. data, iam implevit terram, extendensque palmites suos usque ad mare et usque ad flumen propagines suas, vino fortitudinis suae, quod laetificat cor hominis, iam ubertim inebriavit plures principes et iudices terrae, iuvenes et virgines, senes cum iunioribus, ita ut fortiter inebriati nichil aliud quaerant, nisi laudare nomen Domini et cantare ei canticum novum, quoniam veterem hominem cum actibus suis exuentes, et novum qui secundum Deum

7) *Cum ergo necdum triginta anni transierint, ex quo domnus Norbertus per supradictum episcopum ibi* (Praemonstratum) *adductus est — — — Quod* quidem exeunte anno 1119 evenit, teste priore S. Norberti vita cap. 9, quam primo infra edemus.

8) III, cap. 4.

9) III, cap. 8. *Domnus siquidem Hugo Praemonstratensis abbas mihi nuper narravit.*

10) p. 526 sq.

11) maiorem partem etiam in Actis SS. Iun. tom. I, 862—867 edita.

creatus est induentes, carnales illecebras funditus abiciunt, et quasi de aqua in nuptiis a
Domino in vinum conversi, que retro sunt obliviscuntur et ad ea quae ante sunt extendun-
tur, sicque licet in terris corporaliter consistant, tamen quae sursum sunt sapiunt, non
quae super terram; dicentes cum apostolo: *Nostra autem conversatio in coelis est, ubi Chri-* Phil. 3, 20.
stus est, ad dexteram Dei sedens; celestibusque Seraphin mente coniuncti, solo Christi iugiter
ardent amore, cui etiam corpora sua exibent hostiam viventem sanctam Deo placentem,
candorem virtutum, quo intrinsecus nitent, etiam in exteriori veste praeferentes. Huius
tam sublimis et gloriosae institutionis praefatum domnum Bartholomaeum episcopum fuisse
consortem et participem, ex sequentibus facile poterit agnosci.

2. *Quomodo domnus Bartholomaeus episcopus domnum Norbertum invenerit.* Paschali 1118. Ian. 21
siquidem papa Romae defuncto, cum Iohannes cardinalis ei succedens Gelasius dictus fuis-
set, et in Franciam venire volens apud Cluniacum vitam terminasset: cardinales qui cum 1119. Ian. 29.
eo venerant et Romam pro electione facienda redire se non posse videbant, necessitate
conpulsi, protinus elegerunt ad sedis apostolicae praesulatum e proxima civitate domnum 1119. Febr. 2.
Guidonem Viennensem archiepiscopum, virum nobilem et industrium, reginae[12] Francorum,
coniugis scilicet Ludovici[13] regis, patruum; eumque in eadem provincia papam consecran- 13
tes, Calixtum appellaverunt. Hic ergo antequam Romam iret, in Francia generale conci-
lium tenere voluit, universosque pene totius occidentis episcopos et archiepiscopos cum
abbatibus et aliis ecclesiasticis personis ad urbem Remorum convenire praecepit. Cui con- 1119. Oct. 20.
cilio etiam praefatus rex Francorum Ludovicus interfuit. Huius itaque concilii causa supra-
dictus domnus Bartholomaeus episcopus cum clericis suis et hominibus Remorum urbem
expetens, cum iam monasterium sancti Theoderici[14] praeterisset, supramemoratum virum
Norbertum cum duobus clericis non longe ab itinere sedentes conspexit. Audierat siquidem 14
ante paulum idem Norbertus duas voces, sicut postea referre solitus erat, quarum prior
ex una parte clamaverat: *Hic est Norbertus et socii eius*, altera vero ex alia parte subiun-
xerat: *Hic est Norbertus et socius eius.* Quod quid signaverit posterius dicetur. His ergo
duabus vocibus ex aeris summitate auditis, Norbertus stupefactus ex itinere declinavit,
terraeque cum duobus sociis suis residens attonitus circumcirca prospiciebat. Nec mora,
praefatus episcopus appropinquans, non sicut sacerdos vel levita, viso illo a latronibus
vulnerato praeterivit, sed ab itinere divertens, benigne illos salutavit, deinde quinam essent
interrogavit. Respondit Norbertus, se de Lotharingia esse, et relictis parentibus saeculique
vanitate religiosam vitam sequi proposuisse; huiusque religionis norma sedis apostolicae con-
cilio et auctoritate incipienda, iam per tres dies Remis demoratum fuisse; sed quia prae mul-
titudine iugiter confluentium divitium nullus sibi ad papam ingressus patebat, tristem ac despe-
rantem urbe digressum, quo diverteret nescire. Tunc nimia compassione permotus episcopus
hortavit eos, ut secum Remis redeant, promittens, quod eos ad papam introduceret[15]. Quia 15
vero pedites erant, praecepit hominibus suis de equis descendere; sicque faciens eos ascen-
dere et secum equitare, in itinere diligentius eos sciscitans, audit eundem Norbertum
genere nobili ortum in ecclesia Coloniensi maximas divitias possedisse, sed paupertatem
eligendo cunctas ex integro reliquisse. Remis deinde pontifex perveniens, ad papam ingre-
ditur; modeste suggerit ei, non esse bonum, quod ipse pater universalis ecclesiae existens,
solis divitibus colloqueretur, pauperes vero ab eius colloquio repellerentur. Statim annuente
papa Norbertus et socii eius ab episcopo introducuntur et apostolico colloquio recreantur.
Sed quia nimis ibidem papa occupatus non ex integro desideriis eorum vel colloquiis satisfa-
cere poterat, promittit eidem episcopo, sese finito concilio protinus Laudunum iturum, et per
aliquot dies ibi requieturum sufficienterque eis collocuturum, rogatque, ut eos praemittat,
et ut Lauduni se operiantur admoneat. Quamdiu ergo postea Remis fuerunt, semper eos
secum retinuit, deinde Laudunum rediens, nunquam eos a suo consortio separari permisit. Nov.
Venientem postea sicut promiserat dominum papam officiosissime, ut dignum erat, susce-
pit; tunc et demum Norbertum et socios eius colloquio ipsius habundantissime saciavit.

3. *De ecclesiola sancti Martini Lauduni, et quomodo Bartholomaeus episcopus Norbertum
per plurima loca duxerit.* Erat tunc extra muros urbis Laudunensis quaedam ecclesiola in
honore sancti Martini constructa, in qua iam idem episcopus multociens clericos religiosos,

12) Adelae filiae Humberti Maurianensis comitis. 13) sexti. 14) duabus leucis Remis distans.
15) Haec ab iis quae in vita Norberti c. 9 et 12 narrantur, paululum discrepant.

1119. Nov. qui Deo ibi servirent, posuerat. Sed nullo ibi proficere valente, eadem ecclesiola in ipsius manu redierat. Videns ergo episcopus praefatum Norbertum religiosam et pauperem vitam velle sectari, suadere coepit ei, ut in eadem sancti Martini ecclesiola remaneret; papam etiam rogavit, ut exinde eum admoneret. Sed Norbertus intelligens eius conatus, *Non idcirco*, inquit, *maiores divitias Colonie reliqui, ut minores modo quaeram Lauduni. Non in urbibus volo remanere, sed potius in locis desertis et incultis.* Cui episcopus: *Deserta*, inquit, *et inculta loca religionique congrua in episcopatu isto quam plura vobis ostendam et ostensa conferam.* Dixit, et post domni papae discessum assumens eum, ostendit ei non omnia regna mundi et gloriam eorum, sed illam maximam diocesis suae silvam, quae vocatur
10 Terrascea[16]. Duxit ergo eum ad locum, qui dicitur Fuisniacus[17], demonstrans ei aquarum et pascuarum silvaeque et terrarum congruam oportunitatem religioni. Tunc ille facta oratione, *Revera*, inquit, *hic locus omnino religioni est congruus, sed non est michi a Deo destinatus.* Episcopus exinde duxit eum ad alium eiusdem silvae locum, qui Tenolias[18] vocatur, quem sibi ostensum post factam orationem sicut prius dixit idem Norbertus revera satis religioni congruum, sed nec hunc a Deo sibi destinatum. Tunc episcopus Laudunum rediens, duxit eum in silvam Vosagum, ostenditque ei in ipsa locum quendam, qui pratum monstratum vel Praemonstratus vocatur. Viderit ergo quisquis haec legerit, cuius devotionis hic episcopus fuerit, qui relictis episcopalibus negotiis hominem ignotum per tot silvestria et invia loca non sine magno labore circumducebat, quae licet etiam hodie, cum iam a multis incoluntur, videantur horribilia, tunc tamen nimis erant asperiora et terribiliora, utpote ab omni hominum habitatione procul remota, solisque lupis et apris contigua.

4. *Quomodo Praemonstratensis ecclesia incepta sit.* Venientes itaque ad praefatum locum Praemonstratum, ingrediuntur orandi gratia quandam ecclesiolam in honore sancti Iohannis baptistae ibidem constructam. Haec erat de iure coenobii sancti Vincentii Laudunensis, et aliquis monacus de eodem coenobio illuc pro agendo divino officio nonnunquam dirigebatur. Sed quia finita missa panis ibi non inveniebatur, nisi aliunde afferretur, iam cum ipsa ecclesiola locus idem pene remanserat desertus. Cum ergo pontifex oratione finita exiens virum Dei admoneret ab oratione surgere, quoniam iam hora noctis supervenientis urgebat, nullusque remanendi locus erat, servus Dei egressus rogavit eum, ut cum hominibus suis discederet, seque ibidem tota nocte sequenti vigilare permitteret. Tunc praesul celeriter
19 conscensis equis, utpote iam nocte incumbente, velociter Anisiacum[a] [19] venit; nec tamen domni Norberti oblitus, rursum ei per nuntium suum panem et caetera necessaria transmisit. Facto mane ad eum reversus, quid agere vellet inquirit. Ille prae nimio gaudio exhilaratus, *Hic*, inquit, *domne pater, remanebo, quoniam locum istum mihi scio a Deo esse destinatum. Hic requies et sedes mihi erit, hicque per Dei gratiam salvabuntur multi. Nec tamen haec ecclesiola eis principalis sedes erit, sed ex alia parte huius montis aedificabunt sibi mansionem, in qua requiescent. Vidi enim hac nocte in visu quasi maximam multitudinem albatorum virorum cruces argenteas et candelabra atque thuribula ferentium, ipsumque locum cantando circumeuntium.* Pontifex itaque magnifice laetificatus, nec tamen iniuriam volens facere coenobio sancti Vincentii, cuius iuris idem locus erat, accersito abbate[20] sancti Vincentii, utiliorem tunc temporis commutationem dedit ei, sicque locum illum cum ecclesia liberum domno Norberto privilegii sui auctoritate confirmavit[21]. Servus ergo Dei Norbertus ibi remansit, episcopus vero Laudunum quidem rediit, sed assidue tam ipsius quam sociorum eius curam habere non destitit. Post paucos dies vir Dei Laudunum veniens, scolam magi-
25 stri Radulphi[22], qui germano suo magistro Anselmo defuncto successerat, ingreditur et scolasticis eius sermonem exhortatorium faciens, protinus septem ex eis ditissimos, qui nuper de Lotharingia venerant, convertit, et cum magna pecunia ad ecclesiam suam duxit. Sed antiquus hostis, qui semper servorum Dei profectibus invidere consuevit, etiam hunc in ipso initio perturbare studuit; et sicut Evam in paradyso seduxit Iudamque inter apostolos depravavit, ita etiam unum ex duobus sociis eius, qui cum eo venerant, corrupit. Hic namque praefatam pecuniam[b] a scolasticis delatam sibique a magistro commendatam,

a) Avisiacum *c.* b) peccuniam *cod.*

16) *Thierache.* 17) *Foigny.* 18) *Thenaille à deux lieues de Vervein.* Hugo Vie p. 134. Papebrochius p. 863 interpretatur *Tenelle.* 19) *Anisy* Hugoni, *Anisse* Papebrochio. 20) Seifrido. 21) Cfr. Bartholomaei chartam apud Hugo Vie de S. Norb. p. 138. 22) Cfr. quae dicturi sumus infra ad vitae Norb. cap. 9.

media nocte furtim sumens et de ecclesia fugiens, latenter discessit et praefatos scolasticos in multa penuria et necessitate reliquit. Tuncque primum vir Dei recordatus vocum, quas prope Remorum urbem eum audisse supra diximus, et ipse intellexit et domno episcopo sese super hoc consolanti exposuit, secundam vocem, quae clamaverat: *Hic est Norbertus et socius eius!* hoc significasse, quod ex duobus sociis, qui cum eo venerant, unus solummodo esset remansurus, alter cum Iuda exiturus. Et ipse quidem sic intellexerit. Domnus autem Leonius abbas Sancti Bertini, vir religiosissimus et tam gentilium quam litterarum divinarum peritissimus[23], nuper hunc libellum legens, protinus aliter interpretatus est illam 23
vocem, mihique ut ex parte sua sententiam suam hic ponerem praecepit, dicens, ex ipsa consideratione temporis et personae appropinquantis palam intelligi posse, quod Bartholomaeum episcopum vox illa testata sit socium esse Norberti: *Cum enim,* inquit, *tribus diebus Remis demoratus et papae loqui non valens, tristis ac desperans de urbe exisset, et quid iam ageret vel quo verteret nesciret, nullamque consolationem praeter Deum sibi habere videretur, nisi in duobus sociis suis quos sibi indivisibiliter adhaesuros quocumque iret confidebat, vox desuper ei sonuit: „Hic est Norbertus et socius eius"; ac si apertius ei dixisset: „Noli desperare vel in duobus tantum sociis tuis confidere, quia ecce prope est episcopus, quem tibi Deus socium dedit, qui te secum reducens faciet papae colloqui, qui in tribulationibus tuis consolator dulcissimus erit, qui tibi sedem et ecclesiam in qua requiescas et fructum facias dabit".* Haec michi scribere praecepit domnus Leonius abbas Sancti Bertini; et ego credens eum revera bene et fideliter intellexisse, libenter ei obedivi.

5. *Quomodo Walterus factus sit abbas ecclesiolae sancti Martini Laudunensis.* Postmodum ergo videns episcopus in eodem loco Praemonstratensi iam non parvum numerum fratrum religiose viventium convenisse, rogavit domnum Norbertum, ut aliquos ex ipsis in suprascripta beati Martini ecclesiola, in qua ipse rogatus remanere noluerat poneret, qui eam ad Dei honorem construere et augmentare studerent. Adquiescens ille precibus pontificis, paucos ex fratribus suis ibi posuit, abbatemque eis virum religiosum domnum Gualterum praefecit. Cui Deus, orante sicut credimus beato Martino, tantam confestim gratiam contulit, ut de ipso quoque illud videatur posse dici, quod de Sarra puella Ragueli patri eius angelus dixit: *Propterea nullus potuit habere eam, quoniam huic timenti Deum de-* Tob. 7, 12.
betur coniux filia tua. Similiter eam beati Martini ecclesiolam cum plures ab episcopo regendam suscepissent, nullusque eorum ibi proficere potuisset, huic abbati Gualtero tam bona fortuna per divinam gratiam comes adhaesit, ut infra duodecim annos plus quam quingentorum fratrum Deo servientium ibi conventus inveniretur. Unde non immerito dixerim eam illi a Deo reservatam. Paupertatem tamen tantam inprimis ibi sustinuit, ut praeter unum asinum Burdinum[24] nomine nichil pene aliud haberent, quem in proximam silvam 24
Vosagum mane ducentes lignaque caesa dorso eius imponentes, Laudunum reducerent, et ex venditis lignis panem sibi emerent, multociens iam diu ieiuni manentes, donec panis ille emptus post nonam eis deferretur. Ipsi tamen consolante abbate Gualtero in tanta penuria non deficientes et manibus propriis laborando paulatim proficientes, ad tantam iam Deo donante provecti sunt habundantiam, ut ex vineis suis tria milia modios vini frequenter habeant, et tam in terrarum et molendinorum, quam et in pecorum possessione cuncta pene Laudunensis episcopatus coenobia praecellant. Caritatis etiam et hospitalitatis tanta ibi affluentia reperitur, ut propter hospitum assiduam susceptionem, propter pauperum cotidianam relevationem mirum in modum videatur ibi Deus omnia multiplicare et augmentare, adeo ut iam inter praecipua et excellentia Franciae monasteria conputetur.

6. *Quomodo Praemonstratensi abbatiae domnus Hugo praefectus sit.* Postmodum etiam in Praemonstratensi ecclesia domnus Norbertus abbas quidem esse noluit, sed illum ex duobus sociis, qui cum eo remanserat, nomine Hugonem, eiusdem loci abbatem constituit. Non 1129.
solum autem virorum, sed etiam feminarum cohortes idem Norbertus ad Deum convertere studuit, ita ut hodie in diversis eiusdem ecclesiae locis plus quam mille videamus conversas tanto rigore et silentio Deo servire, ut in districtissimis coenobiis monacorum vix similem religionem possit aliquis invenire[25]. Nec contentus fuit intra Laudunensis diocesis terminos

23) Leonius antea canonicus S. Victoris Parisiensis post abbas S. Bertini scripsit versibus hexametris historiam veteris et novi Testamenti. Cfr. Fabr. — Mansi I, 268. 24) diminutivum a burdone, quod asinum seu mulum significat. PAPEBR. 25) Attamen iam saeculo XIII. medio propter enormia ex praesentia feminarum in monasteriis oborta scandala, capitulum Praemonstratense statuit, ne amplius

fratrum suorum turmas coherceri, sed instar apum, quae de vasculis in quibus mellificaverint exeuntes ad alia loca mellificaturae transvolant, etiam ipse diversa et deserta loca coepit expetere, directisque fratribus nova monasteria aedificare. Constituit vero, ut ex omnibus monasteriis, quae vel in vita sua vel post obitum suum institutionis ac regulae
Oct. 9. suae normam ac propositum sequerentur, universi abbates singulis annis in festo sancti Dionisii ad primam matrem, de qua processerant, id est Praemonstratensem ecclesiam, quasi ad fontem potaturi convenirent, et simul positi generale capitulum tenerent, ac si quid vel communiter vel in aliquo forte corrigendum esset, ibidem corrigerent. Cum ergo necdum triginta anni transierint, ex quo domnus Norbertus per supradictum episcopum ibi adductus est, iam tamen divina praestante gratia tot exinde monasteria pullularunt, ut fere centum abbates in praedicto festo ex eis ibi convenisse inveniantur, non solum ex Francia vel Burgundia, sed ex ipsa quoque Alemannia, Saxonia seu Wasconia. Ut enim de aliis taceam, ex sola praefata sancti Martini ecclesia cui adhuc primus abbas domnus
26 Gualterus praeest[26], iam duodecim alia processerunt monasteria. Nec vero solum vicinae tanto lumine perlustrantur provinciae, sed etiam mare iam huius novi solis radius transivit, et urbem Iherusalem transmissis aliquot clarissimis stellis irradiando splendificavit. Quid alii sentiant ignoro; ego corde credo et fidenter ore pronuntio, omnium bonorum, quae in tot praedictis monasteriis fiunt vel deinceps fient, domnum Bartholomaeum episcopum
Matth. 10, 41. consortem esse participemque et cooperatorem. Cum enim Veritas in euangelio dicat: *Qui recipit prophetam in nomine prophetae mercedem prophetae accipiet*, profecto liquet, quod pontifex iste, qui praefatum servum Dei non solum recepit, sed etiam ut supra scriptum est intermissis episcopalibus negotiis per tot silvarum devia et horrida loca circumducere et ad ultimum in Praemonstratensi solitudine firmiter plantare plantatumque iugiter rigare studuit, fructus utique illius dulci mercede non carebit. Beatus siquidem Gregorius in omelia euangelii anno quinto decimo praefatam sententiam subtilius exponens: *Notandum*, inquit, *quod non ait Dominus „mercedem de propheta accipiet“, sed „mercedem prophetae“, quia mercedem quam propheta de bono opere suo adeo accepit, eandem etiam ipse qui eum recipiendo ei adiutor extitit, se percepturum noverit.* Ad cuius rei certitudinem evidentius de-
Esa 41, 19. monstrandam idem beatus Gregorius etiam Ysaiae prophetae testimonium subiungit, qui inter cedrum, olivam, abietem, ceterasque preciosiores arbores etiam ulmi facit mentionem, quae licet per se fructum non ferat, tamen dum vitem cum botro portat, etiam ipsa a Domino computatur inter arbores fructiferas. Quam beati Gregorii sententiam si quis diligentius velit inspicere, puto, quod me non deridebit hoc scripsisse, sed fidenter etiam ipse pronuntiabit, quod praefatus episcopus Bartholomaeus licet ecclesiasticis officiis occupatus saecularibus negotiis implicari visus fuerit, tamen dum servos Dei mundanam vitam fugientes tanto opere semper adiuvare studuit, etiam piae conversationis eorum dulci desiderio per gratiam Dei particeps extitit, unde et in futuro mercede eorum non carebit. Quod cum ita sit, fateor, merito laudari debere illam domni Leonii abbatis Sancti Bertini superius memoratam sententiam, qua eundem episcopum domni Norberti socium coelesti voce intellexit fuisse denuntiatum.

7. *Multiplex commendatio domni Norberti.* Sed ut iam de eodem Norberto breviter concludam, nullius post apostolos conversationem plurimi testantur in sancta ecclesia tantum fructum in tam brevi spacio temporis fecisse. Licet enim aliqui dicant domnum Bernardum abbatem Claraevallensem eodem tempore non minus fructificasse, tamen si quis diligentius attendat, puto quod Norbertum praecellere non negabit. Domnus siquidem Bernardus illius religionis non fuit inceptor, sed iam eadem religio florebat in Cistellensi coenobio, in quo prefatus Bernardus, cum esset clericus, audita eiusdem religionis fama
27 monasticum habitum sub abbate Stephano[27] sumpsit. De quo etiam coenobio Claraevallense monasterium processit, cuius idem Bernardus pro sua sanctitate primus abbas est institutus. Ipse ergo quamvis sua praedicatione plurimos converterit, multaque monasteria de Claraevallensi gratia Dei genuerit, tamen ipsius religionis rigator quidem magnus et propagator, sed non primus fuit plantator. Norbertus autem suae institutionis primus fuit

reciperentur. Conferas testimonia quae Ioannes Launoius Inquisitio in privilegia Praemonstr. ordinis. Lutet. Paris. 1658 p. 134 hac de re ex Iacobo de Vitriaco hist. Occid. c. 22 et diplomate Innocentii IV collegit. 26) Anno 1151 Bartholomaeo in episcopatu Laudunensi successit. Cf. Gall. Christ. XI, p. 663. 27) tertio abbate Cisterciensi.

plantator primusque Dei dono inceptor, quoniam licet eius sequaces beati Augustini dicant se tenere regulam, tamen ut eiusdem beati Augustini pace dicamus, multo rigidiorem, multoque severiorem videmus esse Norberti quam Augustini institutionem. Praeterea in Cistellensi coenobio soli viri suscipiuntur, domnus vero Norbertus cum sexu virili etiam femineum ad conversionem suscipi constituit, ita ut etiam artiorem et districtiorem in eius monasteriis videamus esse conversationem feminarum quam virorum. Illi autem tam pro necessariis operibus quam pro aliis negotiis post conversionem ad publicum progredientes, ecclesiasticis frequenter aut etiam saecularibus responsis vel legationibus implicantur; et multociens, quos in priori vita novimus aut rusticos fuisse aut pauperes, in religionis habitu quasi fastuose cernimus equitantes. Feminis autem mox ut conversae fuerint perpetua deinceps lex manet, semper inter domus ambitum clausas retineri, nusquam ulterius progredi, nulli viro non modo extraneo sed nec germano aut propinquo loqui, nisi ad fenestram in ecclesia, duobus viris conversis cum viro exterius et duabus feminis cum illa interius residentibus, et quicquid dicitur audientibus. In ipso etiam conversionis initio mox ut suscipiuntur, ad resecandam omnem superbiam et carnalem voluptatem etiam capilli earum usque ad aures tondentur, utque magis Christo coelesti sponso placeant, pro eius amore in fragili et illecebrosa carne omnino deturpantur. Nulli deinceps preciosam vestem nisi ex lana vel ovinis pellibus licet habere, nulli velum sericum more quarumdam sanctimonialium, sed vilissimum panniculum nigrum super caput portare. Et cum in tanta districtione et vilitate cum silentio sciantur esse reclusae, miro tamen modo Christi operante virtute, cotidie videmus feminas non modo rusticas vel pauperes, sed potius nobilissimas et ditissimas, tam viduas iuvenculas quam etiam puellulas, ita conversionis gratia spretis mundi voluptatibus ad illius institutionis monasteria festinantes, et quasi ad mortificandam teneram carnem currentes, ut plus quam decem milia feminarum in eis hodie credamus contineri. Si ergo nichil aliud domnus Norbertus fecisset, sed omissa conversione virorum, tot feminas servitio divino sua exhortatione attraxisset, nonne maxima laude dignus fuisset? Nunc vero cum utriusque sexus eius doctrina tot milia Christo famulentur, cum institutionis eius tot monasteria per orbem refulgeant: nescio quid alii sentiant, michi videtur verum esse, quod plurimi asserunt, a tempore apostolorum nullum fuisse, qui tam brevi temporis spacio sua institutione tot perfectae vitae imitatores Christo adquisierit. Et si quidem in Praemonstratensi coenobio diutius mansisset, forsitan multa alia fecisset. Sed divinae praedestinationi placuit, ut honorem, quem in vita saeculari fugiendo declinavit, assequeretur in habitu religionis, et qui ante conversionem esse noluit episcopus, post conversionem fieret archiepiscopus.

8. *Quod episcopatum Cameracensem renuerit.* Domnus siquidem Hugo Praemonstratensis abbas[28] michi nuper narravit, quod in principio conversionis suae cum ecclesiam Colo- 28
niensem et parentes suos idem Norbertus reliquisset, Valencenias pedes et discaltiatus venit, ibique domnum Burchardum Cameracensem episcopum invenit[29]. Cum ergo mane 29
praefatum episcopum missam celebraturum audisset, veniens ad ecclesiam, rogavit eundem Hugonem, qui tunc ipsius capellanus episcopi erat, ut se faceret episcopo colloqui. Hugo nesciens quis esset, ingressus nuntiavit episcopo, quendam clericum peregrinum pro foribus esse et ei loqui velle. Iussu deinde episcopi introductum cum eum episcopus recognovisset, utpote quem in imperatoris curia multociens familiariter conversantem magnisque divitiis pollentem viderat: protinus admirando stupefactus uberrimisque lacrimis perfusus: *O*, inquit, *domne Norberte, quis credere potuisset, te tantas divitias relinquere et ad tantam paupertatem sponte venire? Domine Deus, quid est quod video de domno Norberto, quem olim tam superbe indutum tamque pompatico fastu videbam incedere solitum?* Cumque Hugo capellanus episcopi videns eum tam mirabiliter flentem et prae nimio fletu vix loqui valentem, interrogavit eum, quisnam esset idem Norbertus, pro quo tantopere lacrimabatur, episcopus respondens: *Si scires*, inquit, *quis fuerit, mirareris quod nunc talis sit. Quando enim imperator dedit mihi episcopatum Cameracensem, huic Norberto prius eum obtulit, sed ipse eum suscipere vel habere noluit. Hic enim inter canonicos Colonienses honorabilis et ditissimus erat; sed nunc sicut cernis omnia pro Deo reliquit et nudis pedibus Deum quaerere satagit.* Haec ex episcopi ore audiens Hugo capellanus eius, et protinus Norberti dilectione succensus, quoniam iam et ipse mundo renuntiare cogitaverat, Deo gratias agere in corde

28) Obiit 1161 vel 1164. 29) Cf. Vitae S. Norb. capp. 5 et 6.

suo coepit, qui sibi talem socium destinaverat. Sicut ergo quondam Andreas a magistro suo Iohanne baptista Dominum audiens laudari, relicto eodem Iohanne secutus est Dominum: sic etiam Hugo audiens Norbertum tantopere laudari a domno suo Burchardo episcopo, cuius diu capellanus fuerat, relicto eodem episcopo adhaesit Norberto, eiusque consilio disposita substantia sua, socius ei peregrinationis et praedicationis inseparabilis factus est, et cum eo nudis pedibus ubique proficiscebatur, donec Remis veniens ad concilium papae Calixti, domno Bartholomaeo Laudunensi episcopo, sicut supra retulimus, notificatus est.

1126. 9. *Quomodo Magdeburgensis archiepiscopus factus sit.* Quia ergo relatum est, quod
episcopus Cameracensis esse potuerit, sed noluerit, nunc subiungatur, quomodo archie-
piscopus factus fuerit. Cum iam plures utriusque sexus relicta saeculi vanitate ad Dei
servitium convertisset, multisque monasteriis longe lateque constructis fama eius ubique
protenderetur, transmissus est ab illo magni nominis comite Campaniae Theobaldo, Henrici
31 regis Anglorum germanae[a. 30] filio, ad excellentissimum quendam Lotharingiae[31] princi-
pem, cuius filiam idem comes coniugem duxit. Accidit interea, ut archiepiscopo Magde-
burgensi defuncto, clerici eiusdem urbis ab faciendam electionem alterius convenirent.
Eodem vero anno domnus Norbertus secrete colloquens familiari suo, domno Gaufrido Car-
notensis urbis episcopo[32], praedixit ei se per visum cognovisse quod ipso anno futurus esset
episcopus; sed nesciebat, cuius urbis vel provinciae. Cum ergo clerici Magdeburgenses
plures quidem elegissent, sed in nullius electione unanimiter consentirent, nuntiatur eis,
duos apostolicae sedis legatos, viros religiosos, ab urbe Roma Maguntiacum venisse, quo-
31 rum unus Petrus[33], alter vocabatur Gerardus, qui postea papa factus[34] Coelestino succes-
sit et Eugenium praecessit. Timentes itaque praefati clerici, ne pro discordia electionis
pernitiosa forte inter eos oriretur seditio, inito consilio praedictos sedis apostolicae
legatos adeunt, et electionem suam in ore eorum ponunt, et quemcumque elegissent, se
35 concessuros promittunt[35]. Legati videntes tantam eorum devotionem, proposuerunt nullam
accipere pecuniam, quae ipsis a nonnullis per internuntios offerebatur, ne forte sedes apo-
stolica et maxime ipsi super hoc infamarentur. Cum ergo pro tanto negotio decenter et
laudabiliter ac sine omni simoniae nota terminando Domini misericordiam peterent, et cum
sapientibus viris in ecclesia positi exinde diligenter tractarent: ecce insperatus et impro-
visus de Francia veniens orandi gratia eandem ecclesiam Norbertus ingreditur, eiusdem
negotii omnino ignarus. Quo viso legati stupefacti et admirantes, precesque suas a Deo
exauditas esse gaudentes, clericos Magdeburgenses convocant, et utrum adhuc in sua sen-
tentia permanentes a se electum suscepturi forent, interrogant. Illis unanimiter in simul res-
pondentibus, se absque ulla contradictione suscepturos, quemcumque nominassent, protinus
legati subiungentes: *Et nos*, inquiunt, *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti vobis nomina-
mus et eligimus domnum Norbertum, virum religiosum et probatum, nobisque ac vobis pro
explendo praesenti negotio sicut credimus a domino Deo transmissum.* Attonitus super tam
incredibili et celeri[b] facto stupet et admiratur Norbertus, et utrum vigilet an dormiat igna-
rus, ubi sit vel unde venerit, secum ipse percunctando miratur. Confestim igitur a clericis
capitur, trahitur ad altare, non ducitur, sed violenter portatur; sublimi voce *Te Dominum
laudamus* cantatur, deinde obedientiae vinculo coactus[c] episcopus consecratur. Sic ergo dum
fugit Cameracensem episcopatum, adeptus est Deo volente Magdeburgensem archiepisco-
1134. patum, in quo religiose vivens per aliquot annos, tandem a laboribus suis beato fine quievit.

EX HERIMANNI HISTORIA RESTAURATIONIS ABBATIAE TORNACENSIS.

1105. 81. Domnus siquidem Manasses Remorum archiepiscopus ad concilium generaliter mandans alios abbates, inter alios nominatim evocavit Odonem abbatem Sancti Martini Tornacensis; cumque exinde admirantes quid de concilio nobis referretur, attoniti et suspensi exspectaremus, ecce repente audimus, ad Cameracensis sedis episcopatum eum

a) germane, *ab alio corr.* germano *codex.* b) sceleri *cod.* c) coaptus *ab alio corr.* coactus *cod.*

30) Adelae sororis Heinrici I et filiae Wilhelmi I, quae nupsit Stephano comiti Blesensi. 31) Error. Vide notam nostram ad vitam Norbert. c. 15. 32) 1116–1138. 33) ni fallor, Leonis filius, post antipapa Anacletus II. Adeas quae notavimus ad vitam Norb. c. 21. 34) Lucius II. 35) Haec non omnino cum vita Norberti c. 18 conveniunt.

fuisse electum et sine mora ab archiepiscopo et comprovincialibus episcopis consecratum. 1105. Quis eo die luctus totum conventum nostrum repleverit, quis singultus pectora nostra concusserit, nullus facile explicare poterit. Vix tamen octo dies transierant, et rursum nobis quaedam redditur consolatio, quoniam ipse, rebellante ac resistente Gualchero episcopo, pacifice ingredi non valens Cameracum urbem, rursum nobis ab archiepisco remittitur et per annum integrum nobiscum demoratur. Quae autem eiusdem rebellionis causa fuerit, paucis aperiendum videtur, licet a coepta narratione digrediamur.

82. In vita beati Gregorii legitur, quod cum ad apostolicae sedis regimen fuisset electus et reluctaretur, Romani assensum Mauricii imperatoris petierunt, et per eum in sede pontificali electum levaverunt; sed et beatum Eligium et sanctum Audoenum a Dagoberto Francorum rege ad pontificatum electos et promotos fuisse legimus; cumque idem etiam multis aliis in locis legatur, sanctos scilicet viros a regibus ad pontificatum fuisse promotos, ecce subito Henrici senioris imperatoris temporibus papa Romanus, qui primum vocatus est Hildebrandus, postea vero Gregorius septimus, prohibet, ne quisquam ab eo eligatur vel promoveatur, et omnes, qui ab eo promoti fuerant vel baculum seu annulum de manu eius susceperant, excommunicantur et deponuntur, in toto etiam regno eius, in partibus dumtaxat Teutonicis divinum officium interdicitur. Fit maxima sanctae ecclesiae perturbatio, ita ut multi dicerent, tunc impleri illam prophetiam Ezechiae regis: *Ecce in* Esa. 38, 17 *pace amaritudo mea amarissima.* Amara namque fuit ecclesiae amaritudo tempore martyrum a paganis occisorum, amarior tempore hereticorum, amarissima in pace christianorum. Henricus namque imperator non ferens auferri sibi dignitatem antecessorum suorum, et dicens, papam non hoc facere pro libertate ecclesiae, sed potius ut sub occasione et praetextu iustitiae maiorem posset pecuniam congregare, alium papam elegit nomine Guibertum, eumque qui se excommunicaverat facit excommunicari, et contra praeceptum eius in regno suo divinum officium cogit celebrari; dehinc congregato exercitu Romam obsidet totamque provinciam devastat. Gregorio papa moriente, succedit Urbanus, et 1085. eadem quae antecessor eius statuerat confirmat, atque inter caetera quae in Claromontensi 1088. 1096. concilio decrevit, etiam Gualcherum Cameracensem episcopum, pro eo quod episcopatum Nov. 30. per pecuniam adeptus fuerat et virgam atque annulum de manu imperatoris susceperat, excommunicationis gladio percutit et ab episcopali officio deponit. Ille violentia regali fultus, pluribus annis episcopatui superbe praesidet, et contra papae praeceptum in urbe Cameracensi divinum officium celebrari iubet. Urbano papae morienti Paschalis succedens, 1099. et Gualcherum in diutina obstinatione pertinaciter perseverare dolens, missis litteris Manasse Remensi archiepiscopo, apostolica auctoritate praecipit, ut congregatis comprovincialibus episcopis Cameracensi ecclesiae episcopum omissa dilatione eligat et consecret. Sic ergo abbas noster dominus Odo eligitur et consecratur. Sed quia archiepiscopi aucto- 1105. ritate Gualcherus expelli non valet, abbas noster iam consecratus nobis remittitur, et episcopale quidem officium ubique gerit, ingressum vero urbis et redditus regales non habet.

83. Interea callidus papa Henricum adolescentem, filium Henrici imperatoris, litteris 1106. adversus patrem concitat et ut ecclesiae Dei auxilietur admonet. Ille regni cupidus et gaudens se competentem occasionem ex apostolica auctoritate invenisse, contra patrem ferociter armatur eumque regno propellit, ita ut praeter Autbertum Leodiensem episcopum nullum inveniret qui sibi adhaereret. Iuvenis frendens, eo quod contra voluntatem suam a praedicto episcopo pater suus in urbe Leodiensi retineretur, exercitum congregat, et in die sancto parasceues Leodium violenter intrare parat. Praecedente igitur feria quinta cum Mart. 22. episcopus iam vesperis finitis ex more ecclesiastico pedes canonicorum lavaret et coenam dominicam celebraret, ecce subito nuntiatur, milites iuvenis regis castrum quod Visetum dicitur obtinuisse. Exiliunt cum impetu Leodienses, et praecedente Namucensi comite, obviam venientibus ire festinant. Ecce autem dum militia novi regis inconsulte et praepropere pontem Mosellae fluminis conscendit, repente pons fluminis frangitur, et quingenti fere milites loricati et armati cum equis in flumine corruentes necantur. Sicque rex iuvenis, quod contra patrem tam sollemni die pugnare voluisset, sero poenitens[a], non sine magna confusione retrocedere, Moguntiam redire compellitur. Sed quia iam totum regnum excepto Leodio obtinuerat, rursum resumptis viribus contra patrem armatur; donec pater omni principum auxilio destitutus, in quodam castello ab eo includitur. Exstat quaedam

a) renitens *ed*

1106 epistola ab eodem patre Philippo regi Francorum directa[36], in qua de filio suo conqueritur;
quam si quis legerit et non fleverit, videtur mihi duri esse cordis.

Aug. 7. 84 Mortuo ergo patre Henrici Henrico seniore, non quidem armis sed tristitia cordis,
filius eius iam optato regno potitus, mandavit Cameracensibus, ut Gualcherum excommunicatum ab urbe pellerent, domnum Odonem reciperent. Tuncque primum domnus Odo
urbem sedis suae pacifice ingrediens, praecepit nobis, ut abbatem eligeremus, et consilio
eius domnum Segardum priorem nostrum elegimus, virum religiosum, ieiuniis et orationibus deditum, qui iam a multis annis prioratum ecclesiae nostrae tenuerat. Praefatus vero
Henricus regnum adeptus, sed in patris sui sententia permanens, nec antiquorum regum
dignitate carere volens, qui episcopos eligere consueverant, congregato exercitu Romam
1111 tendit, dicens se pro consecratione et corona de manu domni papae suscipienda illuc ire.
Susceptus itaque a Romanis cum magno gaudio et processione, venit ad sancti Petri ecclesiam, ubi domnus papa residens eum exspectabat. At ubi ex more pedibus papae summissus ad osculum eius levatus est, protinus proditionem et perfidiam diu praemeditatam
Febr. 12. aperuit, voceque Teutonica signum dans militibus armatis, domnum papam, quem iam
osculatus fuerat, cum omnibus cardinalibus, qui eum pro tam festiva processione circumdederunt, violenter captum in sua castra duxit et custodiae mancipavit, pluresque Romanorum, qui sibi resistere voluerant, trucidavit; cum exercitu enim magno venerat. Illi
autem nullam doli suspicionem habentes, omnino ad bellum imparati erant, ideoque non
mirum fuit si facile sunt superati. Papa ergo videns periculum non solum episcoporum et
cardinalium qui secum capti erant, sed totius regionis, quam hostiliter non ut imperator
sed ut tyrannus devastabat, pro imminenti necessitate magis voluit sententiam ad tempus
Apr. 12. mutare, quam his non providere, quorum cervicibus gladius imminebat. Concessit itaque
regi, et etiam privilegii sui auctoritate confirmavit, ut assensu eius electiones pontificum
fierent, electis autem per virgam et anulum investituram faceret. Cum vero rex huius
concessionis fideiussionem quaereret, papa ei corpus Domini in ore posuit: *Hoc*, inquiens,
corpus Domini tibi trado loco fideiussoris, quod de iis quae tibi promisi nihil ulterius violabo.
Sic itaque rex laetus papam cum omnibus quos ceperat dimisit, et in terram suam, id est
in Lotharingiam, rediit, filiamque Henrici regis Anglorum Leodii, sibi a patre cum multis
1114. divitiis praesentatam, uxorem duxit. Divino tamen iudicio non diutina prosperitate gavisus
1125. est, sed praefatam reginam viduam sine prole relinquens, regno simul et vita citius privatus est. Siquidem post discessum eius ab urbe Roma diversi pontifices in unum convenientes et apostolicae proditionis eum infamantes paremque Iudae eum fore dicentes, qui
post osculum et per osculum tradidit Dominum, privilegium quoque illud, quod ei papa
dederat, non privilegium sed pravilegium vocantes, sententia anathematis eum percusserunt, et quidquid domnus papa necessitate compellente dispensative fecerat, irritum esse
decreverunt.

1111 Febr. 12. 85. Quidam clericus nomine Norbertus, qui in eadem captione capellanus imperatoris
fuerat, videns tantam nequitiam domini sui regis, poenitentia ductus pedibus domni papae
se prostravit, et absolutione ab eo suscepta, saecularem vitam relinquens, in Franciam
venit, et in episcopatu Laudunensi locum quendam solitarium reperiens, qui Praemonstratus dicitur, ibidem Deo sub regula sancti Augustini, immo multum rigidiori et artiori, servire coepit, sicque per Dei gratiam brevi tempore profecit, ut nullum post apostolos videamus hodie tantum fructum in ecclesia fecisse. Nam cum necdum conversionis eius tricesimus annus sit, iam fere centum monasteria a sequacibus eius per diversas orbis partes
constructa audivimus; ita ut etiam in Ierusalem usque regula eorum servetur. Nam ut de
aliis taceam, in urbe Laudunensi commissa est ei a domno Bartholomaeo episcopo quaedam
paupercula ecclesia in honore sancti Martini constructa, in qua idem Norbertus paucos ex
fratribus suis ponens, abbatem eis praefecit virum religiosum nomine Walterum, cui Deus
tantam gratiam contulit, ut hodie in ipsa ecclesia fere quingenti fratres degere videantur,
iamque ex ipsa decem fere alia monasteria processerunt. Ipse vero Norbertus postmodum
1126. 1134. in urbe Magdeburgensi archiepiscopus factus, tempore Lotharii imperatoris, qui Henrico
successit, defunctus est. Sed nunc iam ad nostrum coenobium redeamus. . . . .

36) V. Sigeberti chron. 1106, SS. VI, 369.

VITA NORBERTI

ARCHIEPISCOPI MAGDEBURGENSIS.

EDIDIT ROGERUS WILMANS PH. D.

TABULARIO REGIO MONASTERIENSI PRAEFECTUS.

Sancti Norberti vita, quam iam edituri sumus, lucem ad hunc usque diem non vidit. Conscripta quidem est ab auctore omnino coaevo, quem Norberti familiarem fuisse uberrima rerum ab ipso gestarum narratio probat. Inprimis vero ea quae auctor de expeditione Italica a. 1133 *suscepta litteris mandat, antehac non nota, operi huic inter praestantissima saeculi XII documenta hagiographica locum tribuunt.*

Attamen viris aequalibus, praecipue ordinis Praemonstratensis sociis haec vita simplicior et rudior visa est, quam ut ipsam rem omnino absolvisse putassent. Igitur paucis annis postquam in lucem edita est praeterlapsis, alius eiusdem ordinis monachus hanc in se suscepit provinciam, ut stilo elegantiori atque oratione magis obvolutata, qualis illi aevo arrisit, Norberti res gestas posteris traderet. Quod opus ita perfecit, ut prioris auctoris verba fere ubique exscriberet, additis si res gestas respicis paucissimis notatu dignis neque omnino extra dubitationem positis. Quam quidem posteriorem vitam ab ecclesia catholica approbatam et a multis viris doctis editam signavimus B, *priorem vero* A.

Haec praemittenda esse videbantur ut clarius tempus, quo utraque conscripta fuerit, evincatur. Posterior enim (B) *vivente adhuc Hugone*[1], *qui Norberto inde ab anno* 1129 *in regendo Praemonstratensi coenobio successit atque anno* 1161 *obiit*[2], *composita est. At etiam ante hunc annum iam in*

1) Cf. vitam B ex editione Papebrochii Acta SS. Iun. tom. I. p. 858 n. 118: *Det omnipotens Deus ut secundum promissionis intellectum ad ipsum* (Norbertum) *veniat* (Hugo) *et quem socium et successorem participemque miserae et poenalis tribulationis seculi huius reliquit, consortem faciat eum gaudiis felicitatis aeternae* — Idem ex additamentis monachorum Kappenbergensium ad vitam secundam, ut infra monebimus, elucet.

2) Hugo alter, abbas Praemonstratensis Stivagii et episcopus Ptolemaidis, qui saeculo XVIII praeter vitam sancti Norberti gallice conscriptam etiam Annales ord. Praem. edidit, Hugonis secundi Praemonstratensis abbatis mortem in Annalibus I. p. 9 anno 1161 assignat, quia hoc anno ipsi iam successerat Philippus, teste charta Heinrici ep. Tullensis, cui ipse subscripsit hoc anno, ap. Meurisse p. 709. Cf. praeterea Alexandri III epistolam ad Philippum d. 13. Febr. 1062 datam, Jaffé 7183. At epitaphium, quod ibidem p. 11 legitur, mortem in annum 1164 refert: *Rexit ecclesiam cum universo ordine Praemonstratensi* 35 *annis* — — *obiit a. D.* 1164 (d. 10. Febr.), quod cum anno 1129, quo in Cont. Sigeb. Praem. SS. VI, p. 450 Hugonis electio adnotatur, convenire videtur.

lucem edita fuisse videtur, cum continuatio Sigeberti Praemonstratensis, quae iam anno 1155 *vel paullo post ad finem perducta est*[3], *ex* B *nonnulla*
4 *hauserit*[4].

Ante hoc igitur tempus etiam priorem vitam A, *archetypum posterioris exstitisse, patet; sed quando in lucem edita fuerit, non ita accurate definiri potest. Videmus quidem ex mentione Lucii II, quae capite* 18. *occurrit, et Bartholomaei episcopi Laudunensis, quae cap.* 12. *invenitur, vitam* A *post mortem horum virorum compositam esse. Lucius II obiit* 1145; *at Bartholomaei mors non omnino constat. Laudunensem quidem ecclesiam rexit usque ad annum* 1150[5], *et episcopatu abdicato monasticae vitae in monasterio Fusniacensi se dedidit. Quo vero anno hic obierit, compertum non habemus; sed*
6 *paullo post* 1157[6] *e vivis excessisse videtur. Statuamus igitur oportet, utramque vitam intra annos* 1157 *et* 1161 *conscriptam esse.*

Prior auctor nomen et necessitudinem, quam cum Norberto habebat, ex industria silentio pressisse videtur. Quis enim fuerit ex nullo Vitae loco divinari potest. Attamen non desunt argumenta quae coniecturae fundamentum praebent. Initia enim ordinis Praemonstratensis, miracula in monasterio facta, daemonum tentationes et id genus alia tam luculento sermone narrantur, ut ab alio ac teste oculari conscripta esse nequeant. Quae secundus hagiographus confirmat, disertis verbis referens, prioris vitae auctorem iam anno 1122 *Praemonstrati*
7 *exstitisse et in numerum priorum novi ordinis sociorum adscriptum fuisse*[7]. *Cum vero itidem scriptor* B *inter eos quos a.* 1120 *vel* 1121 *Norbertus sibi adsciverit sodales, Antonium quendam iuvenem recenseat*[8], *cuius mentio eodem loco in priore vita desideratur*[9], *facile adduci posses ut crederes hunc Antonium priorem edidisse vitam, at is ante annum* 1157 *diem obiisse videtur,*
10 *ideoque eidem auctori opus attribui non posse liquet*[10].

3) Confer quae Bethmannus noster hac de re monuit SS. VI, 447: *Ultra initium anni* 1155 *opus* (continuationem Praemonstratensem) *non deductum fuisse ab auctore, ostendit continuatio Ursicampina quae nostram excepit integram.* Codex, ex quo Bethmannus continuationem Praemonstratensem in lucem edidit, saeculo XII exaratus est (ib. p. 287). Ursicampinus vero auctor scripsit circa annum 1200 (ib. p. 469).

4) Quae l. c. p. 448, lin. 63. 449, 29 et 451, 12 refert continuator Praemonstratensis, aperte docent, ipsum posteriorem sancti Norberti vitam, non priorem consuluisse.

5) Cf. Cont. Praem. l. c. p. 455 Errat igitur Albericus a. 1146 II, p. 313.

6) Ex quo scilicet anno Galliae christianae auctores IX, 531 ultimum quod ad Bartholomaeum spectat documentum afferunt. Libri *Norberti Caillieu ad inquisitionem Launoii in privileg. Praemonst. ordinis p.* 40, ad quem hoc loco provocant, compos fieri non potui.

7) Quae de daemoniaco quodam prior auctor refert cap. 13, quod *in tantum processerat eius arrogantia ut ipsis assidentibus etiam in capitulo sermonem facere praesumeret, cuius inicium erat: Estote fortes in bello et pugnate cum antiquo serpente, ad sequentia autem et accipietis regnum aeternum nullatenus procedere valebat* ita aucta transscribit secundus l. c. p. 839 n. 63: *Quia in tantum processit eius arrogantia, ut ipsis assidentibus etiam in capitulo sermonem facere praesumeret. Et qui vidit et audivit perhibet huius rei testimonium et hoc signum eius, quia de sermone profert initium. Erat enim hic sermo: Estote fortes in bello et pugnate cum antiquo serpente. Hoc spiritus ille mendax per organum illud assumptum proferebat, sed ad veritatem quae sequitur, videlicet: Et accipietis regnum aeternum nullatenus procedere valebat.*

8) A. SS. p. 832 num. 40: *Perveniens autem Nivigellam alium iuvenem Antonium nomine a Deo sibi datum recepit. Hi duo et tertius quem prius susceperat, quantum ad humanum spectat examen, radices et fundamentum fuere multitutidinis quae subsecuta est.*

9) c. 9: *Post hunc et alios sibi socios ascivit qui radices et fundamentum futurae multitudinis, quae praefatum virum Dei subsecuta est.*

10) idem Antonius videtur esse atque ille qui post Norberti mortem monasterii Praemonstratensis in Elofstad sive Ilbenstad circ. anno 1123 a Godefrido comite Kappenbergensi constructi praepositus factus est. Cf. Würdtwein Notitiae historicae diplomaticae de abbatia Ilbenstadt. Mogunt. 1766. 4. p. 12: *Constantem sequimur Ilbenstadensium traditionem quod a tempore fundationis — Norbertus huius loci curam gerens usus opera venerabilis Cunonis discipuli sui, primos asceterii inquilinos vocaverit e Praemonstrato ab Antonio regularis disciplinae perquam studioso postea gubernandos.* Antonius praepositus Ilbenstadensis occurrit in epistola Innocentii II Lateranis

Paucis annis post secundus auctor vitam Norberti denuo edendam aggressus est. In praefatione operis quidem profitetur, multos huius sancti viri vitam et gesta conscripsisse[11], *et non uno loco ad priorem vitam aperte provocat*[12] *atque ipsius auctorem, ut supra monuimus, Praemonstrati a.* 1122 *adfuisse prodit. Attamen non solum se testis ocularis munere fungi ipse gloriatur*[13], *sed et priorem auctorem negligentiae nota respergit atque suo operi authenticam, ut ita dicam, indolem vindicat, quippe quod ex primorum Norberti sodalium relatu compositum sit*[14]. 11

Quae quidem assertiones tantam secundae vitae tribuebant auctoritatem, ut papa Gregorius XV ex ipsa sumptam lectionem I pro secundo Nocturno approbaret[15]. *Sed et Papebrochius ipse, quum audiret ad Petrum de Waghenare suppriorem Furnensem famam delatam esse, quasi in Gallia exstaret vita alia annis* 30 *ab excessu sancti Norberti conscripta in qua essent multa quae vulgo ignorarentur, persuadere sibi non potuit, veram esse famam*[16]. *Attamen fallebatur* 16 *vir doctus; quae enim in Gallia exstabat, eadem sine dubio erat atque prior vita, quam hic sistimus.*

Si vero utriusque vitae textus inter se confertur, cuique in promtu erit, posterioris auctorem nihil nisi epitomatoris et amplificatoris partes egisse atque ex suo paucissima et ea quidem dubiae auctoritatis addidisse. At in transscribendis antecessoris verbis minime quidem sincerum et veridicum se praebuit. Non solum prioris auctoris errores non correxit sed et auxit[17] *et suos addidit*[18]; *in praedicandis vero miraculis a Norberto patratis modum omnino excessit*[19]. *E contra haud paucas et graviores quidem res omisit*[20] *et eas inprimis delevit, quae pontificibus Romanis minus favere*[21] *vel ordinis novi primitivam, et ut ita dicam euangelicam indolem prodere videbantur*[22]. *Auctor quidem ipse pluribus* 22 *locis profitetur se multa praetermisisse, vel quia ista non comperta habuisset*[23],

die 12. Dec. 1139 ipsi transmissa (Hugo Annal. Praemonst. I probb. p. 662; Würdtw. l. c. p. 24) in charta Adelberti II archiep. Mogunt. a. 1141 data (Würdtw. p. 29), in epistolis Lucii II Lateran. 10. Dec. 1144 (Würdtw. p. 31; Hugo p. 664) et Eugenii III Altissiodori 8. Aug. 1147 (Würdtw. p. 33; Hugo p. 665) datis. Subscripsit denique a. 1149 chartae Heinrici archiep. Mogunt. (Würdtw. p. 41) atque sanctae Hildegardi litteras direxit (id. p. 45). Ipsum anno 1150 obiisse dicit Würdtw. p. 46, nullo tamen hac de re testimonio allato. Cum vero eiusdem successor Hartmannus anno demum 1157 occurrat (ib. p. 47), Antonium ante hunc annum obiisse dubitari nequit. — Verba autem, quibus auctor de Kappenbergensi, Elvestadensi et Varlariensi monasteriis agens utitur, infra c. 15: *In quibus adunatis fratribus usque in hodiernum diem viget digna Deo religio,* coniecturam nostram confirmant. Antonius de Elphestat est etiam testis in dipl. archiep. Heinrici a. 1143 ap. Scheidt Cod. diplom. zu Moser p. 690.

11) p. 820: *Quia cum multi huius vitam et gesta conscripserint.*

12) p. 819 C: *Quaedam sunt quae ab aliis conscripta legimus;* p. 820: *Eorum quae de ipso legitimo et fideli testimonio ab aliis narrata didici et scio pauca summatim perstringam.*

13) p. 819 C: *Quaedam vero quae ipsi quoque praesentia ex magna iam parte vidimus et videmus;* p. 858 C: *Crede si vis, veritatem rei gestae in Christi veritate scriptor adhibet, quia aut vidit ea quae de eo scripsit, aut audivit a veris relatoribus qui viderunt et adhuc vivebant, quando praemissum opus per hoc scriptum memoriae commendavit;* p. 831 num. 37: *Vera tamen ab his qui viderunt et audierunt retexuntur.*

14) *Praeterea sciendum est, quia cum multi huius vitam et gesta conscripserint, nullum omnino invenerim, qui rem plenarie et ex ordine persequatur. Quod ne hic quoque accideret, diligenti examinatione procuratum est, ut convenientibus in unum quibusdam qui ab initio cum eo iugiter conversati sunt, eo modo et ordine conscribantur singula, quemadmodum plurium assensio comprobasset.*

15) A. SS. p. 812 B.

16) l. c. p. 812 B: *Quomodo enim,* addit, *talem ignorasset Pagius in bibliotheca?*

17) Cf. p. 853 num. 102 et quae ad hunc locum notavimus infra vita A, c. 19.

18) p. 849 num. 88; p. 850 num. 94; p. 832 num. 38 et notas nostras ad hos locos; vita A, c. 18 bis et c. 9.

19) Prae caeteris confer p. 827 num. 24, 830 n. 32, 835 n. 50, 843 n. 78, 847–848 n. 81–85.

20) Ea quae vita A, c. 3 et 4 de ecclesia Fürstenbergensi, c. 9 de studiis Norberti Lauduni factis, c. 10 et 11 de concilio Suessionensi anno 1121 celebrati, et c. 21 de rebus Lotharii imp. et Innocentii II Romae a. 1133 gestis tradit, in B omnino desiderantur.

21) Exempli gratia sanatio militis daemoniaci c. 21; aliud etiam miraculum, quod c. 14 vitae A exstat, suppressit. Vide infra p. 667 l. 18.

22) Vita A, c. 9 et 12.

23) A. SS. l. c. p. 842 n. 74: *Multa de tanto patre narrari*

vel propter obstinatam impudentiam *adversariorum qui iam tunc temporis*
24 *plura a Norberto facta miracula infringere conabantur*[24]. *Qui locus aperte*
ad Abaelardum referendus est, qui saepius in scriptis suis[25] *in Norbertum et*
coapostolum eius Farsitum[26] *acerbissimis irrisionibus invehitur.*

Secundi auctoris iisdem tenebris atque prioris nomen premitur. Gregorius
quidem XV papa Praemonstratensium traditionem secutus[27] *secundam vitam*
Hugoni Norberti successori tribuit[28]. *Quod quidem iam dudum Papebrochius*
29 *ex verbis cap. V*[29]: Hugo — piae nimirum et sanctae conversationis homo
refutavit, quum haud credibile sit virum humilem sic de se ipsum scripsisse[30],
nec non ex operis epilogo[31] *quo auctor pro Hugone votum facit. Idem etiam*
ex additamentis fratrum Kappenbergensium, de quibus infra agemus, elucet. Ex
illis vero quae de se ipse auctor in fine operis subiungit[32], *ipsum Xantensem*
origine fuisse coniicerem, nisi in alio loco disertis verbis se Gallicum fuisse
34 *praedicaret*[33]. *Attamen ut cap.* 17 *prodit, Teutonicae linguae gnarus erat*[34].

Quamvis igitur Hugo posterioris vitae auctor esse nequeat, tamen hanc adiuvante ipso conscriptam esse ea docent quae monachi Kappenbergenses eidem

possunt, sed tamen plurima praetermittuntur, quia non contingit uni alicui cuncta scire; p. 856 n. 113: *Cuncta autem non est possibile alicui soli narrare, quia nec alicui soli possibile fuit cuncta scire vel cognoscere.* 24) Conf. praefationem p. 819 F: *Sed infideles et impii quorum Deus venter est et summum bonum corporis voluptas, quidquid legunt vel audiunt, quod ab eorum studiis et conversationibus sit alienum, falsum continue et confictum esse iudicare non metuunt, et quia foedam et immundam conscientiam gerunt, exosam habentes iustitiam et suspectam veritatem, simplices quosque a via veritatis avertere et suis corruptis et perditis moribus subvertere non desistunt. Propter istorum itaque — impudentiam — — — cogor multa praetermittere, ea dumtaxat breviter attingens, quae omnibus nota sunt neque ipsi ulla improbitate audeant diffiteri;* p. 831 n. 37: Eosdem adversarios *aemulos* appellat, qua voce Abaelardus Norbertum designaverat. Vide notam sequentem. 25) Petri Abaelardi opera ed. Cousin. Paris 1849. Sermo de Iohanne B. p. 590: *Ad maiora veniam et summa illa miracula de resuscitandis quoque mortuis inaniter tentata. Quod quidem nuper praesumpsisse Norbertum et coapostolum eius Farsitum mirati fuimus et risimus, qui diu pariter in oratione coram populo prostrati et de sua praesumptione frustrati, quum a proposito confusi deciderent, obiurgare populum impudenter coeperunt quod devotioni suae et constanti fidei infidelitas eorum obsisteret.* Hac de re adeas Hugo vie de S. Norbert p. 334 et notam Papebrochii p. 861 F. Cfr. praeterea Abaelardi hist. calamitatum ib. p. 28: *Priores aemuli quum per se iam minus valerent, quosdam adversum me novos apostolos, quibus mundus plurimum credebat, excitaverunt, quorum alter* (Norbertus) *regularium canonicorum vitam, alter se monachorum resuscitasse gloriabatur. Hi praedicando per mundum discurrentes et me impudenter quantum poterant corrodentes, non modice tam ecclesiasticis quibusdam, quam saecularibus potestatibus contemptibilem ad tempus effecerunt* etc. 26) Priores Abaelardi editiones *Fursitus* legerant, quod nomen Papebrochio scrupulum movebat. A. SS. l. c. p. 861 F: *Sed quis*, inquit, *Abaelardo dictus Fursitus, sancti Norberti coapostolus? Ego convitium suspicarer potius esse quam nomen, si eius commoda aliqua notio occurreret: nunc feliciori coniectatori explicationem committo, dum inter discipulos sancti Norberti nemo est, cuius nomen eo accedat.* Cousinii autem lectione difficultas sustollitur. Nam *Farsitus* cognomen satis notum est cuiusdam Hugonis, qui saeculo XII medio florens *miracula sanctae Mariae Suessionensis* conscripsit, quem idem codex Parisiensis (S. Germani 486, olim 527, membr. fol. XIV s.) a Bethmanno inspectus exhibet, ex quo supra fragmentum Hermanni Tornacensis dedimus. Qui liber nondum editus saeculo XIII ab Helinando (Chron. ap. Tissier Bibl. Cist. VII, p. 182) et Alberico a. 1128 (ed. Leibn. II, 257) exscriptus est. Quum vero Abaelardus hoc loco Hugonem Farsitum Norberti coapostolum vocet, clarum ipsum his verbis Hugonem illum supra laudatum innuere, qui iam a. 1119 ad Norbertum accessit et inde ab anno 1121 eum in omnibus itineribus praedicandi causa susceptis comitatus demum 1129 in regendo monasterio Praemonstratensi secutus est. 27) A. SS. p. 858 not. g. 28) A. SS. p. 812 B: *Vita — quam scripsit b. Hugo Praemonstratensis.* 29) l. c. p. 829 A. 30) l. c. p. 812 B. 31) p. 858 B supra datum. 32) p. 858 C: *Quia aut vidit ea quae de ipso scripsit, aut audivit a veris relatoribus qui viderunt — — — praeter quaedam quae ab ipso didicit, antequam exiret de terra et cognatione sua et onus deponeret proprietatis.* 33) Locum vitae A c. 12 sequentem: *Cementariorum autem quidam Teutonici erant, quidam Gallici,* ita amplificat p. 838 D: *Porro pars caementariorum Teutonici erant — conduxerant enim eos Colonienses, amici hominis Dei. — pars nostrates, amici iam Praemonstratensium.* 34) p. 854 A: *Invalescebant voces insultantium et insilientium Theid-ut, Theid-ut ingeminantes, hoc est exite, exite* (codd. Suess. 11. 12. 13 *thieduz. thieduz*).

adiecerunt. Ex quibus patet posteriorem vitam ab Hugone ipso Kappenbergensibus eo consilio transmissam esse[35], *ut quae ipsi de Norberto comperta haberent, eidem adderent*[36]. *Quod quidem vivente Hugone*[37], *ergo ante annum* 1161 37 *fecerunt transscribendo fragmenta aliqua ex vita beati Godefridi fundatoris Kappenbergensis monasterii desumpta, quibus alia quaedam ex narrationibus Rodulfi sacristani Kappenbergensis, cuiusdam monachi Bonlandensis et diaconi Norberti ipsius hausta subiunxerunt.*

Secunda igitur vita Kappenbergensium additamentis aucta et ab Hugone abbate probata et commendata inde a medio saeculo XII tanti aestimabatur, ut Praemonstratensis coenobii monachi, quum paullo post a. 1155 *Sigeberti chronicon continuandum susciperent, priorem vitam omnino ignorantes, secundam tantum exscriberent*[38]. *Itidem saeculo XIII Burchardus praepositus Urspergensis monasterii, quod Praemonstratensi ordini addictum erat, ipsam in partes vocavit*[39].

At prius opus (A.) *in Gallia non omnino deperditum fuisse probant vitae posterioris* (B) *codices Suessionenses* 12 *saeculo XIII et* 13 *saeculo XV exarati atque a Bethmanno collati, quorum fini iisdem manibus subiunctum invenitur miraculum ex* A[40] *petitum, quod scriptor* B *omiserat. Idem fragmentum* 10 *etiam codici Morinensi vitae* B *inscriptum est in medio capite XIV, quod a Petro de Waghenare transmissum Papebrochius iam dudum iuris fecit publici*[41]. *Quae vehementer mihi suadent, etiam supra laudatum codicem Gallicum, de quo idem Waghenarius Bollando scripserat, textum vitae* A *exhibuisse.*

Utrum ex horum uno noster quoque codex fluxerit, ex quo hic primum Norberti vitam priorem sistimus, in medio relinquo. Est enim codex optimae notae membran. fol. saec. XIII eadem manu conscriptus, nunc in Bibliotheca regia Berolinensi Theol. lat. fol. N°. 79 *asservatus*[42], *quo ex ecclesia sancti Petri Brandenburgensis translatus esse videtur. Ultimo enim folio* (136') *eadem manu, sed minutis litteris inscripta sunt:* Liber Sancti Petri in Brandeburch. Si quis abstulerit, anathema sit.

Qua in urbe Praemonstratenses inde a condito ordine floruisse, et a Norberto ipso[43], *vel saltem paullo post eius mortem instituti fuisse videntur. Wickerus* 43 *enim, qui a.* 1138 *ex praeposito Praemonstratensi Sanctae Mariae Magdeburgensis factus est episcopus Brandenburgensis, ordinem suum in ecclesia sancti*

35) Eorum vero opinioni qui Hugonem forsitan prioris vitae auctorem fuisse putarent, non tantum haec ipsa res obstat, sed iam nonnulli eiusdem loci; c. 9: *domnus Hugo;* c. 10: *Recepto primo socio suo* (Hugone) *quo aliquamdiu caruerat;* c. 18: *Ipse* (Hugo) *autem ad Praemonstratensem ecclesiam accedens, eiusdem ecclesiae pater memorabilis effectus est.* 36) A. SS. p. 859 A: *De communi patre nos quoque Cappenbergenses filii nobis comperta desiderantes adiicimus ne in paterni meriti prosecutione nos tamquam ingrati vestrae sanctitati deesse videamur;* ib. E: *Huc usque de libello nostri fundatoris* (Godefridi Kappenbergensis) *insertum est. Nunc si placet ea quae nec in vestro, nec in nostro sunt annotata libello.* 37) Confer versus ad finem additamentorum positos:

Gaudeo quod meritis eius (Norberti), *pater Hugo, favetis.*

38) Cf. supra p. 664 n. 3. 39) Chron. 1119: *Huic concilio* (Coloniensi ut perperam tradit) *interfuit Nortbertus postea Praemonstratensis ordinis institutor, tunc autem noviter conversus in peregrini habitu, ibique ab omnibus in multis accusabatur, de quibus se prudenter excusabat. Unde et scriptum legitur de eo, quia manus horum omnium contra eum et ipse contra hos omnes.* Quae verba bis occurrunt in vita posteriore p. 826 F, 841 D. 40) c. 14. 41) p. 849 not. c. 42) Praeter hoc opus continet etiam historiam Barlaam et Iosaphat et Leontii vitam Iohannis Alexandrini. 43) Cf. secundae vitae c. 16 p. 851: *Crevit fratrum numerus et multiplicati sunt in Saxonia, ubi religio decaluerat, et in Sclavonia ubi non erat, radicati fructuoso germine floruerunt multiplicatique sunt ut Hebraei.* Quae egregie ab Anselmo episcopo Havelbergensi confirmantur. V. eiusd. Dialog. contra Graecos Spicil. XIII p. 3: *Igitur religio per eum* (Norbertum) *renovata maxima coepit habere incrementa et ubique terrarum diffusa est. — — Francia — — Anglia, Dacia, Saxonia, Leuticia, Polonia — —*

Godehardi Brandenburgensi collocavit[44], *nec non eiusdem successor Wilmarus capitulum canonicorum ordinis Praemonstratensis instituit*[45]. *Ineunte vero saeculo XIII Praemonstratensium tantus erat numerus in dioecesi Brandenburgensi, ut misso magistro de Grabow apud Gervasium totius ordinis abbatem temperatiorem regulam implorarent atque obtinerent*[46]. *Paullo post a.* 1224 *intercedente Conrado cardinali ep. Portuensi, de simili causa pactio inter abbatem et praepositos Saxoniae et Sclavoniae, inter quos etiam praepositus Brandenburgensis nominatur*[47], *inita est. Anno denique* 1309 *Fridericus episcopus Brandenburgensis inde gloriatur, quod ecclesia sua* fulcitur edictis Norbertinis[48]. *Non mirandum igitur, quod vitam Norberti antiquissimam quae inde a saeculo XII medio ex hominum notitia a secunda extrusa post etiam Bollandi, Papebrochii caeterorumque virorum doctorum diligentiam fugerat, Brandenburgensis urbs, in qua ordo Praemonstratensis plurimum pollebat, nobis servavit. Ibidem vero in ecclesia sancti Petri codex noster saepius relectus et cum aliis vitae Norberti exemplaribus collatus esse videtur, ut nota folio* 110 *manu saec. XV adscripta docet:* Istud miraculum non est (in) libro Lenynensi. *Quod quidem probat istum Leninensem codicem ad classem* B *pertinuisse, cuius auctor revera hoc miraculum omiserat.*

Haec sunt quae de duabus huius vitae classibus dicenda habebamus. At praeter has etiam tertiam, hodie latentem exstitisse, haud spernenda adsunt argumenta. Hugo enim abbas Stivagii in componendo opere de Norberti vita saepius libros vitae manuscriptos in partes vocat, atque ex iis quaedam affert quae in nostris desiderantur[49]. *Quae vero ibidem p.* 433 *ex istis desumta inveniuntur*[50], *tertiam hanc vitae editionem demum post Innocentium III*

44) Confer diplomata apud Gercken Stiftshistorie von Brandenb. p. 356. 45) ib. p. 348. 46) Hugo vie de S. Norbert p. 153 epistolam Gervasii qui ab a. 1209 ad 1220 Praemonstratensi coenobio praefuit ad Sigefridum (falso Sibodonem dictum) qui anno 1216 Brandenburgensis factus est episcopus, hac de re inter annos 1216—1220 datam ex codice Steinfeldensi edidit: *Vir venerabilis et specialis amicus noster magister Ioannes de Grabo ad nos veniens ex parte vestra et fratrum vestrorum qui in ecclesia et dioecesi vestra morantur, nobiscum et cum quibusdam coabbatibus nostris de compositione aliqua inter nos ex una parte et praedictos fratres vestrae dioecesis ex parte altera satis diu tractavit* etc. 47) Cf. chartam Conradi Portuensis apud Hugo Ann. Praem. probb. p. 23: *Cum causa verteretur inter ordinem et abbatem Praemonstratensem ex una parte et praepositum Sanctae Mariae Magdeburgensis, de Gratia Dei, de Leitcka, de Brandbourg, de Havelburg, de Raceburg, de Iericow, de Calebeke, de Rodhe, de Quedelingiburg, de Wida, de Polike, de Gramozow et de Themonis praepositos ab ecclesia sanctae Mariae descendentes ex altera parte super eo videlicet quod iidem abbas et ordo Praemonstratensis praepositos praenominatos a prima plantatione religionis ordinis Praem. asserebant debere convenire ad generale capitulum Praemonstratense et communibus institutionibus ordinis obedire.* 48) Cf. eiusdem epistolam ib. p. 326. Quae una cum duabus chartis supra allatis ecclesiasticam marcae Brandenburgensis conditionem, currente hoc tempore, non parum illustrant. Cuius luculentiorem haberemus notitiam, si Norberti miraculorum liber a monachis S. Mariae Magdeburgensis conscriptus iam superstes esset. At hic incendio illo periisse dicitur, quod a. 1193 teste Chronographo Saxone pene totam urbem cum ecclesia S. Mariae delevit. Cf. Hugo vie de S. Norbert p. 382, qui ad libros Martini Mertz Norb. triumphus c. 26 (Ravensburg 1628) et Philippi Muelleri Ad memoriam saecularis reformati in euangelicam puritatem monasterii S. Mariae Magdeburg. 1695. 4°. p. 122 provocat, quos adipisci non potui. Adeas etiam A. SS. l. c. p. 812 E. et 858 F. — Diplomatarium S. Mariae Magdeburgensis ex codice Vindobonensi, iam olim a Petro Lambecio inspecto, nunc autem teste Wattenbachio deperdito, iuris fecit publici Ludewig Rell. Msc. II, 333. 49) Vie de S. Norbert p. 172. 188. 211. 216. 316 laudatur vitae S. Norberti codex Bellivallensis, p. 188. 316 Mussipontinus, p. 220 Vita manusc. c. 45, p. 354. 50) *Les Bollandistes prétendent, qu'il n'y a point eu de Canonization de S. Norbert avant Gregoire XIII. Ils ont en cela suivi Molanus, et pour s'assurer d'avantage de ce fait, ils ajoutent qu'après avoir fait rechercher dans la bibliothèque Vaticane, ils n'ont pas trouvé cette bulle de la canonization par Innocent III. Néanmoins les histoires manuscrites de la vie de S. Norbert l'attribuent à ce pontife. J'en ai vu une à Prémontré, deux dans l'abbaye de Bellevel au diocèse de Reims, une à S. Paul de Verdun, une à l'abbaye de Salival au diocèse de Metz, une à Vicogne, qui sont toutes très anciennes et qui portent ces parolles: „Beatus pater Norbertus inter conscriptos coeli patres a temporibus Innocentii adlectus est*“.

conscriptam esse probant. Ex qua, ni fallor, etiam maior pars cap. 3. *vitae* B *p.* 824—825 *edit. Boll. n.* 14—17 *fluxit, quippe quae non tantum codici Suessionensi* 12. *a Bethmanno collato, sed etiam nonnullis Henschenii et Papebrochii codicibus deessent*[51]. *Eidem classi libenter codicem Bruxellensem* 51 (6717—6721. *Burg. Bibl.*) *a.* 1497 *a Paulo monacho de Monte sancti Winoci exaratum adnumerarem*[52].

Quodsi nunc ad vitae sancti Norberti editiones nos convertimus, eae saltem, quarum notitia ad nos pervenit, Surii scilicet et Bollandi, nihil nisi secundae vitae textum exhibent[53]. *Ex caeteris vero mihi non notis, quas Leuckfeldius adnotavit*[54], *Kochelii editionem forsitan iam pridem priorem vitam in lucem edidisse ex verbis Papebrochii*[55] *suspicatus eram. At iniuria. Vir enim doctissimus E. L. Dümler huius editionis exemplar*[56] *in bibliotheca Imperiali* 56 *Vindobonensi cum textu Actorum SS. contulit atque collatos locos benevole communicavit. Ex quibus lucide apparet Kochelium re vera, ut Papebrochius iam dudum innuerat, vitam* B *in epitomen redegisse.*

Nostrae editionis ratio haec fuit, ut vitam A *ex codice Berolinensi integram daremus, iis tantum locis vitae* B *subiunctis, in quibus ipsius auctor a priore discrepare vel novi aliquid proferre videretur. In his edendis praeter Acta SS. etiam varias lectiones trium codicum Suessionensium* 11 *(membr. fol. saec. XIV olim monasterii Praemonstratensis) qui etiam Kappenbergensia exhibet additamenta,* 12 *(membr. quart. saec. XII exeunte vel XIII ineunt. exaratus, olim eiusdem monasterii) quem signavimus* S. *et* 13 *(membr. quart. liber Sancti Petri Selincurtis ord. Praem. quem frater Ioh. Malifas scripsit anno Domini* 1522) *a Bethmanno notatas adhibuimus.*

Qui praeter hos in diversis Germaniae, Boemiae et Angliae bibliothecis asservantur vitae nostrae codices plerumque perantiqui, spem mihi iniecerant fore ut unus alterve antiquiorem textum exhiberet. Qua tamen spe frustrati sumus; in his enim omnibus nihil nisi vitam secundam exstare testantur viri eruditissimi, qui eosdem cum Papebrochii editione contulerunt. Sunt vero sequentes:

1) *Cod.* ***Pragensis*** *prior bibl. Seren. Principis de* ***Lobkowitz*** 484 *membr.* 8. *saec. XII ex. et inscriptus* Liber Sancti Petri in Augia minori[57]. 57

2) *Cod.* ***Pragensis*** *alter itidem in bibl. Ser. Princ. de* ***Lobkowitz*** 513[58] *membr.* 4. *saec. XII ex. vel XIII in., olim monasterii Schussenriedensis, ut docet inscriptio:* Ex donis Excellentissimi comitis de Sternberg anno secularisationis monasterii de Schussenried. *Utrumque evolvit Wattenbachius auctumno huius anni.*

51) Act. SS. Iun. I, p. 826 n. 8. 52) Quae enim Bethmannus in Annalibus nostris Arch. VIII, p. 502 ex ipso in medium profert, non omnino cum vita B conveniunt. 53) Quem Surius more suo in epitomen redegit. 54) Antiquitates Praemonstratenses — von — S. Marien in Magdeburg und Gottes-Gnade bey Calbe. Magd. 1721. p. 8 n. f.: *Das Leben dieses Ordensstifters wie es von seinem — Reisegefährten — Hugone und andern nach ihm aufgesetzt und vermehret worden, haben unterschiedene Männer ediret, als Sigismundus Kohel Abt zu Brück in Mähren Anno* 1608, *Aubertus Miraeus — zu Andwerpen — anno* 1613, — — *die Norbertiner zu Prag im Strohoff* 1627, *Martinus Mertz Prior zu Rothem in Schwaben, zu Ravensburg* 1628, *Cornelius Polycarpus bey S. Michael zu Andwerpen* 1630, *Johann le Paige zu Paris* 1633, *Joh. Bapt. Schellenberg ein Jesuite zu Augsburg* 1641, *Johann Chrysostom von Sterre Abt in S. Michael zu Antwerpen mit Noten Polycarpi de Hertoghe, Antwerpen* 1656, *Bernhard Sutor Abt in Strohoff* 1657 *zu Prage.* 55) Act. SS. l. c. p. 811 F: *Verum cum vita ista arbitrio, ut videtur, editoris truncata in multis et alibi mutata sit, ea praetermissa ad primarium nos referimus textum.* 56) Cuius titulus hic est: *Praemonstratensis ordinis nonnullorum patrum vitae ex variis authoribus collectae per fratrem Sigismundum Kohel eiusdem ordinis Praem. abbatem Lucensem. Typis Lucensibus ad fluvium Dia* anno 1608. 4. 57) Cf. Arch. IX, 480. 58) ib. l. c.

3) *Cod. Augustanus bibl. Senator. N°. 17. membr. saec. XIII. 8.*[59] *Hunc inspexit vir Cl. Th. Herberger.*

4) *Cod. Londinensis Mus. Brit.* 15,621. *membr. fol. saec. XIII olim*
60 *Sanctae Mariae Romorstorphiensis*[60], *cui nunc titulus inscriptus est:* Vita Norberti auctore Canonico praeadiuvante Hugone abbate Fossense[61]. *Consuluit Pertzius.*

5) *Cod. Monacensis, olim Inderstorf.* 260. *chart. saec. XIV, teste V. Cl. Föringer fragmentum vitae posterioris* (*A. SS. Iun. I,* 836 *§.* 51. 52) *continet*[62].

Ex antiquioribus vitae Norbertinae codicibus duo tantum supersunt: Gandavensis 215. *saec. XII*[63] *vel XIV*[64] *et Bruxellensis Bibl. Burg.* 11,448.
65 *saec. XIV ex.*[65] *conscripti, quorum notitia ad me non pervenit.*

Scribebam Berolini mense Novembri 1853.

ROGERUS WILMANS.

INCIPIT VITA DOMNI NORBERTI MAGDEBURGENSIS ARCHIEPISCOPI.*

1. Anno dominicae incarnationis 1115 Paschasio papa catholicae ecclesiae regimen amministrante, Heinrico iuniore caesare augusto, claruit Norbertus in municipio Sancten-
65 si[a. 66] de prosapia Francorum et Germanorum Salicorum. Qui in clericali officio et ordine

* AUCTOR VITAE POSTERIORIS (B) PROLOGUM SEQUENTEM OPERI PRAEMISIT:

De iniciis et incrementis Praemonstratensium[b].

Tanto procul dubio quisque fidelis piusque[c] animus ad omnipotentis Dei amorem et gratiam promerendam propius accedit; quanto bonum, quod de alio audit, facilius credit, idque sibi ab eodem domino Deo conferri optat et sperat. Qui non credit, non imitatur: qui vero non imitatur, numquam perveniet: quia sicut una[d] est patria, quam in exilio huius vitae quaerimus; ita similiter una[d] et singularis est via, qua tendimus. In hac autem via, erroribus et aerumpnis valde et multipliciter intersepta, non defuerunt nobis ab initio mundi inter cetera divinae dispensationis beneficia sanctorum virorum exempla, quorum vestigia sequentes, aeternae beatitudinis gaudia et avidius quaereremus et certius caperemus. Horum nimirum quaedam sunt, quae[e] praeterita et ab aliis conscripta legimus, quaedam vero, quae ipsi quoque praesentia[f] ex magna iam parte vidimus et videmus. Quapropter, cum nichil sit homini christiano in peregrinatione sua tam commodum et ad sempiternae gloriae praemia capessenda[g] necessarium, quam vitam informare honestis[h] moribus, et laudabilibus studiis occupare[i], gratanter profecto et cum omni devotione suscipit, quaecumque de huiusmodi viris memoriae commendanda potuerit invenire: ut quorum satagit aemulari virtu-
67 tem, studeat etiam merita iugi meditatione revolvere. Sed infideles et impii[67], quorum deus venter est, et summum bonum corporis voluptas, quidquid[k] legunt vel audiunt, quod ab eorum studiis et conversationibus sit alienum, falsum continuo et confictum esse iudicare non metuunt: et quia foedam et immundam conscientiam gerunt, exosam habentes iustitiam et suspectam veritatem, simplices quosque a via veritatis[l] avertere et suis corruptis et perditis moribus subvertere non desistunt.

Propter istorum itaque obstinatam et pudendam[m] impudentiam, cum proposuerim scribere de Praemonstratensibus viris, nostris temporibus omnis religionis et sanctae vitae meritis coram Deo et apud homines approbatis, cogor multa praetermittere, ea dumtaxat breviter attingens, quae omnibus nota sunt; neque ipsi ulla improbitate audeant diffiteri. Horum profecto virorum cum considerarem opera et animadverterem incrementa, mirum in modum comperi[n], non hominum virtute sed Dei. Recordatus proinde illius euangelicae
Matth. 7, 16. sententiae, quam magister bonus et salvator omnium Iesus Christus protulit, dicens: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos;* et quia non potest arbor mala bonos fructus facere, contuli me ad arborem, unde tot et tanti fructus processissent[o], indagandam. Cumque paullo diligentius rei originem et radicem perquirerem, occurrit mihi piae et reverendae memoriae

a) *adscripsit margini manus saec. XV.* est prope Coloniam et ibi fuit canonicus. b) *titulum recepi ex S.* c) et pius *S.* d) *ita S.* vera *editt.* e) *deest S.* f) *recepi ex S.* g) capescenda *S.* h) honestis informare *S.* i) occupari *editt.* k) quicquid *S.* l) salutis *editt.* m) *ita S.* obst. avertendam *edd.* n) comp. mirum i. m. *S.* o) processerant *editt.*

59) Cf. Arch. p. 586. 60) monasterii ad Rhenum siti. 61) potius Praemonstratensi, vide supra p. 666. 62) Cf. Arch. VII, 126. 63) Cf. Arch. VIII, 552. 64) Arch. VII, 546. 65) Arch. VIII, 536. 66) Xanten ad Rhenum. 67) Abaelardum innuit, vide praefationem nostram.

subdyaconatus media iam aetate[68] vigens, forma et habilitate corporis beneficio naturae 1115. gaudens et cum scientia litterarum eloquio praeminens, morum ornatu cunctis qui eum noverant gratum se exhibebat. Huius pater Herebertus de castro Genepe[69] iuxta silvam 69 Ketela et mater Hadiwigis clericum eum esse decreverunt, pro eo quod revelatione accepta in somnis, magnum eum fore sperabant. Hic cum in aula imperiali[70], necnon in ecclesia Coloniensi non minimus haberetur, affluentibus sibi rebus et temporalis vitae commodis fruens ad desideria sua, postposito timore Dei ducebatur. Quibus dum diu habunde potitus esset, accidit una dierum, ut solo assumpto puero festinaret clam ad locum quendam, Frethen[71] nomine, in cultu vestis sericae. Euntem eum occupat nubes umbrosa, de qua 71 micant fulgura, mugiunt tonitrua, eo importunius quia longe aberant villae refugia. Cumque turbaretur ipse simul cum puero comite, repente terribilis auditus et aspectus tonitrui cum fulmine ante eum terram[a] procidit, aperiens eam in profundum quasi ad mensuram staturae hominis. Unde exalabat foetor deterrimus, tam eum quam omnia indumenta eius inficiens. Ipse autem de equo cui insederat prostratus, vocem quasi arguentis se audire arbitrabatur. Per quam ad se reversus et iam ad poenitudinem versus, revolvebat verbum psalmistae dicentis: *Desine a malo et fac bonum*, sicque animatus via qua venerat Psal 36,27. reversus est. Domi vero positus concepto iam a timore Domini spiritu salutis, sub exteriori habitu cilicio indutus est et proponens sibi vitae praeteritae sollicitudinem et poenitentiam, monasterio Segebergensi et sanctae conversationis abbati Cononi[72] familiarem se reddidit, cuius doctrinis et institutionibus optimis in timore et amore Domini profecit.

2.[b] Cumque adessent quatuor tempora sacris ordinibus celebrandis more ecclesiastico deputata, Norbertus adhuc subdiaconus, domno Fritherico Coloniensi archiepiscopo[73] se 73 praesentavit, postulans una eademque die sese diaconum et presbiterum ordinari. Quod cum sacrorum canonum decreta inhiberent, requisivit archiepiscopus causam huiuscemodi tam subitaneae atque inopinatae voluntatis. Ille post multam inquisitionis instanciam ad pedes eius procidens et cum lacrimoso gemitu de peccatis suis poenitens, et veniam petens confessus est archiepiscopo firmum et indeclinabile se conversionis concepisse propositum. Archiepiscopus autem multa deliberatione habita et perspectis rerum eventibus, licet rationi et consuetudini prorsus obviaret, aliquem simul diaconum et presbiterum

pater Norbertus: de quo, prout ratio et narrationis[c] ordo suggesserit, eorum, quae de ipso legitimo et fideli testimonio ab aliis narrata didici et scio, pauca summatim perstringam. Et, ne sermo continuus atque prolixus lectori fastidium ingerat, hoc ipsum, quoad diligenter potero, distincte[d] et per capitula ordinate et titulis annotare curabo; ab eodem praefato patre competens dicendi sumens exordium, qui huius congregationis extitit primus. Praeterea sciendum est, quia cum multi huius vitam vel[e] gesta conscripserint, nullum omnino invenerim[f], qui rem plenarie et[g] ex ordine persequatur, quod ne hic quoque accideret, diligenti examinatione procuratum est, ut convenientibus in unum quibusdam[h], qui ab initio cum eo iugiter conversati sunt, eo modo et ordine conscribantur singula, quemadmodum plurium assensio comprobasset.

EXPLICIT PROLOGUS. INCIPIT LIBER DE NORBERTO ET SAECULARI EIUS HABITU.

Cap. I. Fuit in diebus Henrici iunioris caesaris augusti, Paschale[i] summo pontifice sedis apostolicae regimen administrante[k], anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi 1115, vir quidam, nomine Norbertus, natione Teutonicus, municipio de Sanctis, quod antiquitus secunda Troia dicitur[l], genere de illustri Francorum, et Germanorum Salicorum prosapia etc.

a) *lege* eum in terram. b) *littera initialis minio exarata.* c) *ita S.* narrationis et *editt.* d) distinctim *S.* e) *ita S.* et *editt.* f) nullus o. invenitur *S.* g) aut *S.* h) conferentibus inter se quibusdam *S.* i) Paschasio *S.* k) amministrante *S.* l) *ita S.* q. a. Tr. dicebatur *editt*

68) Norbertum ante annum 1085 natum esse, ex eo coniicere licet quod a. 1115 presbyter ordinatus est, ad quam dignitatem nemo ante peractum tricesimum annum provehi potest. 69) Gennep in ducatu Limburgensi ad fluvium Niers situm. Ex Norberti fratre Hereberto comites Genepenses originem duxerunt. (Vide Hugo La vie de S. Norbert. Luxemb. 1704. p. 59). Subscripsit iunior Herebertus chartae Friderici I archiepiscopi Coloniensis de condita cella Fürstenbergensi datae a. 1119; ap. Lacomblet I, 290. Quam chartam deinde maiore ex parte in privilegium transsumpsit Arnoldus archiepiscopus quod a. 1144 eidem ecclesiae concessit. Hoc vero diploma quod iam diu Ianingus in Act. SS. Iunii I, p. 868—870 ediderat, Lacombleti diligentiam fugit. 70) Vide supra p. 662 Herimanni Torn. historiam restaurationis abbatiae Tornac. cap. 85. 71) hodie Wreden ad fluvium Berkel in Westphalia. 72) Qui postquam inde ab anno 1105 ad 1126 usque monasterio praefuit, episcopus Ratisponensis factus est. 73) 1099—1131; cf. Albericum p. 179 et 269. De cuius fratribus adeas quae infra ad cap. 15 afferemus.

1115. ordinari latentibus causis, pro tempore tandem aliquando dispensationem admisit et super hac re petitioni eius annuit. Facta autem hora celebrandi officii, Norbertus sacris induendus vestibus, saecularem habitum mutavit et eum qui religioni competere videbatur induit, amictusque super eo sacris indumentis diaconus primo, deinde presbiter die eadem ordinatus est. Compos autem factus desiderii sui, ad Segebergense coenobium rediit et ibi in servitio Dei necnon in executionē sacerdotalis officii sese per 40 dies exercuit. Inde ad Sanctensem ecclesiam reversus, cum in ordine vicis suae sacrosancta missae mysteria celebraret, verbum exhortationis publice astanti populo ministrabat, et die postera in capitolio consistentibus fratribus, quodam libertatis spiritu arguendo, obsecrando, increpando, in omni pacientia et doctrina monita salutis dedit. Cumque ex huius rei assiduitate quibusdam molestus esset eorumque irrisiones sustineret, inter multas calumpnias a quodam humilis fortunae viro facie tenus sputis illitus est. Accepta hac contumelia continuit se ipsum et conticuit, detersaque facie pro memoria peccatorum suorum maluit coram Deo lacrimis indulgere quam ultioni.* Postmodum cum, ieiuniis et vigiliis affectus, in cripta quadam missarum sollempnia celebraret, consecrato iam corpore et sanguine dominico, aranea non modicae quantitatis in calicem lapsa est. Quo viso obstupuit sacerdos, vitam et mortem prae oculis habens, sed ne aliquod sacrificii praeparati faceret dispendium, magis elegit subire periculum et hausit quicquid erat in calice. Peracto autem officio, dum mori se crederet, ante altare exitum suum quem expectabat a loco immotus Domino precibus commendabat. Et ecce pruritu narium provocatus dum scalperet, subita sternutationis commotione aranea integra per nares eius excussa est. In qua re et fides eius in Deum et in eum Dei benignitas apparuit.

3. Cottidianis itaque incrementis proficiens, nunc ad Segebergense monasterium, nunc
71 ad religiosorum clericorum ecclesiam, quae Rotha[74] dicebatur, se conferebat, saepius autem ad solitarium quendam Liudolfum nomine veniebat, mirae sanctitatis et abstinentiae virum, clericalem vitam agentem, paupertatis amatorem, veritatis inperterritum assertorem, illis temporibus famosum valde, qui etiam tam in fratribus suis quam in se caedes

* *B.* Probatus itaque vir Dei Norbertus, ut superius dictum est, et in uno iam per omnia dignus inventus, ut etiam secundum hoc evidentior super eum divinae providentiae operatio
Eccli. 30, 1. appareret, iuxta id quod scriptum est: *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella*, repetitur adhuc, et examine maioris temptationis exquiritur. Nam cum post haec incredibili se ieiunio et abstinentia maceraret, die noctuque vigiliis et orationibus insistendo, contigit semel, dum in quadam crypta missam ex solito celebraret, ut in calicem iam consecratum aranea[a] laberetur. Quo viso stupuit sacerdos, vitam et mortem ante oculos habens: erat enim aranea non modicae corpulentiae[b]. Quid faceret homo, cuius fides iam in Domino solidata erat? Ne ergo aliquod praeparati sacrificii faceret dispendium, magis elegit subire periculum, et totum quidquid erat hausit. Ergo peracto sacrificio se statim moriturum praestolabatur. Dum igitur, immotus a loco, ante altare exitum quem expectabat Domino precibus commendaret, pruritu narium provocatus dum scalperet, subita sternutationis commotione aranea integra per nares excussa est. Ecce Deus iterum sacerdotis sui, quem sibi utilem futurum praesciebat, mortem adhuc nolebat, sed fidem. In quo facto manifestissime compertum est, quanta et huius esset in Domino fides, et Domini erga eum benignitas. Duo namque illi, ad quod praeparabatur, erant necessaria, patientia videlicet et fides; patientia pro armis, fides pro robore; patientia, ne inermis cederet; fides, ne infirmus deficeret. Tantam proinde adeptus est fidem, ut in ea omnibus vitae suae diebus cunctis tunc temporis viventibus communi omnium iudicio facillime praeferretur. Erat praeterea homo ille absque omni dubitatione ceterarum virtutum munere laudabiliter imbutus; sed fides in eo propterea tam diligenter prae ceteris commendatur, quia sine dubio per eam operatus est tam multa quae fecit, iuxta id quod legimus in euangelio ex persona Domini dicentis disci-
Matth. 17, 19. pulis suis: *Si haberetis fidem quantum granum sinapis, et diceretis monti huic: „Transfer te“,*
Marc. 9, 22. *et transferret se.* Et iterum: *Credenti omnia sunt possibilia.* Apostolus quoque in haec
Hebr. 11, 33. verba consentiens ait: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt*[c], et cetera quae ibi sequuntur[d], fidem procul dubio commendans. Unde quidam cum diceret, quis illius in quo ipse vivebat temporis excelleret, ait: *In Norberto eminet fides, in Bernardo Clarevallensi abbate*[e] *caritas, in Milone Tervanensi*[f] *episcopo*[e] *humilitas.* Et idcirco[g], si quid de ipso dictum fuerit quod humanae consuetudinis conditionem excedat, non debet videri ei, qui talis non est, incredibile; sed ad eum continuo id referat, qui et[e] huic per gratiam fidem, et per fidem talia posse donavit.

a) haranea *S.* b) corpulenta *S.* c) op. s. *desunt S.* d) secuntur *S.* e) *addit S.* f) *ita S.* g) iccirco *S.*

74) *Kloster-Rath,* monasterium Rodense inter Traiectum ad Mosam et Iuliacum, cf. A. SS. Iun. tom. I, p. 827.

et minas innumeras sustinuit a pravis sacerdotibus et clericis, quorum vicia reprehendere consueverat. Praeterea quorumlibet regularium et monachorum et anachoretarum et inclusorum mores et vitam diligenter inquirens, eorum exemplo ad anteriora se extendebat. Rediens exinde domum per biennium in suburbio Sanctensi moratus est apud ecclesiam [1115] quandam, quae iuris sui erat sita in monte qui Vorstberg[75] dicitur, ubi quasi solitarius [1117.] orationi et lectioni sanctaeque meditationi vacans, ieiuniis et vigiliis corpus macerabat, cottidie in altari sacro holocausta medullata offerens. Multas etiam noctes insomnes ducere solebat, asserens omnimodis fructuosum vigiliarum usum, licet in exercitatione corporis gravem et temptationibus plenum. Unde contigit, ut dum quadam nocte pervigil oraret a Deo dirigi et adiuvari propositum suum, deficiens corpore dormitans, manu maxillam sustentaret, antiquum hostem subito adesse audivit insultando clamantem: *Eia, eia! multa quae proposuisti quo fine speras consummari, qui nec in unius noctis proposito perseverare valuisti?* Ad haec sacerdos respondit: *Quis minis tuis credat, cum ab inicio teste veritate mendax sis et mendacii pater?* Ad haec spiritus nequam confusus aufugit.

4. Cumque inter haec et huiuscemodi multorum subsannationi subiaceret, contigit eum adire concilium quod in ecclesia Frideslare domnus Cono[76] apostolicae sedis legatus cum [1118.] archiepiscopis, episcopis, abbatibus multoque clero et populo christiano celebravit[77]. [Iul. 26.] Ubi dum ab aemulis contra eum proponeretur, quare praedicationis officium usurpasset et quare religionis habitum praetenderet, cum adhuc de proprio vivens nondum ad religionem accessisset, et quare adhuc in saeculo agens, ovium seu caprarum vestibus uteretur; ille respondit: *Si de praedicatione impetor, scriptum est: „Si quis converti fecerit pecca-* [Iac 5,20.] *torem ab errore viae suae salvabit animam eius a morte et operiet*[a] *multitudinem peccatorum.“ Potestas autem praedicandi data est nobis ex susceptione sacerdotii, cum diceretur: „Accipite potestatem et estote relatores verborum Dei.“ Si de religione requiror, religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum et immaculatum se custodire ab hoc saeculo. Postremo si de veste agitur, primus ecclesiae pastor docet nos, quia non in veste preciosa acceptum est coram Deo. Unde Iohannes Baptista vestitus legitur pilis camelorum et Cecilia cilicio induta ad carnem. Plasmator etiam hominis in exordio mundi Adae non purpuream vestem, sed tunicam pelliciam fecit et dedit.* Hiis pro se allegatis inde abcessit et post tertium ordinationis suae annum videns se nec verbo nec opere proficere hominibus terrae illius, iam peregre proficisci intendens, memoratam ecclesiam Vorstberg Sigebergensi monasterio dedit et confirmavit, ordinans in eo monachos iugiter ibidem Deo servituros[78]. [78] Deinde domno Fritherico Coloniensi archiepiscopo resignavit quicquid beneficiorum ac redituum de manu ipsius tenuit. Venditis insuper domibus et caeteris omnibus, quae vel ex patrimonio vel aliunde iure hereditario possidebat cum omni suppellectili sua, eorum precia pauperibus erogabat, reservatis tantummodo sacerdotalibus indumentis et modico argento in aestimatione decem marcarum, duobus fratribus comitatus in nomine Domini iter peregrinationis arripuit.

a) operit *cod.*

75) Fürstenberg prope Xanten. 76) episcopus Praenestinus. 77) anno 1118, uti ex sequentibus nostri verbis *post tertium ordinationis suae annum*, et aliunde (cf. Mansi XXI, 178 et Stenzel II, 330) constat. De eodem concilio Burchardus in Chronico Urspergensi agens, secundam vitam prae oculis habuit (vide praefationem nostram supra p. 667) at mirum in modum res turbavit; a. 1119: *His etiam temporibus Cuno Praenestinus adhuc legatione Gelasii functus synodum Coloniae cum Teutonicis habuit, ubi imperatorem omnimodis excommunicavit. Huic concilio interfuit Nortbertus postea Praemonstratensis ordinis institutor, tunc autem noviter conversus in peregrino habitu ibique ab omnibus in multis accusatur, de quibus se prudenter excusabat. Unde et scriptum legitur de eo, quia manus horum omnium contra eum et ipse contra hos omnes. Alteram quoque synodum in Friteslar eadem pro causa indixit, quia et habita eandem quam prius excommunicationem confirmavit.* 78) Cf. chartam Friderici archiep. Col. anno 1119 datam ap. Lacomblet I, 290: *Notum vobis esse volumus qualiter monasterium S. Mariae in monte Wrstenberg inchoatum sit — Ministerialis itaque quidam S. Petri nomine Heinricus de Thornice* (*de Alpheim* vocatur in diplomate Arnoldi anni 1144. A. SS. loc. c. p. 868 E) *consilio Norberti tunc canonici Xantensis et viri ad omne opus bonum parati — — beneficium quod in praefato monte Wrstenberg — acceperat, monasterio Sigebergensi — — tradidit. Adducti igitur sunt fratres et paulatim religio cepit ibidem pollere divina, fixeque decretum est locum illum perpetuo Sigebergensi subiacere coenobio — — Huius viri pietatem secuti Norbertus et frater eius Heribert obtulerunt curtim Eigere — — — Obtulerunt etiam agellum in Wedreke — — item aliud in Meitreke — —.*

1118 5. Cumque pervenisset ad castrum Hoym super Mosam fluvium situm, praefatum argentum egenis ibidem distribuit, et relicta rerum temporalium sarcina, tunica tantum lanea succinctus et pallio amictus, nudo pede per horrendas yemes cum duobus comitibus
Nov. suis ad Sanctum Egydium[79] profectus est. Ibi inveniens Gelasium papam, qui Paschasio iam defuncto successerat, veniam ab eo postulavit et accepit super reatu quem admiserat in susceptione duorum simul sacrorum ordinum contra instituta canonum. Cumque papa prudentem eum et zelum Dei habentem attenderet, ipsum secum detinere nisus est. Ipse autem in multa humilitate domno papae propositum suum confessus, licentiam ab eo proficiscendi accepit, a quo etiam liberam praedicandi facultatem obtinuit[80], quam ei domnus
81 papa litterarum suarum auctoritate firmavit[81]. Accepta itaque ex apostolico praecepto praedicandi obediencia, profundas nives usque ad genua transiens et asperrimas glacies nudis pedibus calcans, cum a Sancto Egydio reverteretur, Aurelianum venit,* ubi assumpto
1119. Mart. 22. sibi quodam subdiacono iam cum tribus sociis sabbato palmarum Valencianas accessit,
Mart. 23. ubi dum in crastino sermonem faceret ad populum per Dei gratiam multo omnium favore exceptus est. Rogatus autem ut ibi moram faciens quieti indulgeret, cum annuere nollet, sociis eius subito aegritudine pressis, invitus ibidem detentus est, infirmis suis curam hu-

* *B.* Cum ergo, huiuscemodi tam honesto[a] tamque laudabili corporis et animi vigore procedendo, transiret Aurelianum, adiunxit se comitatui eius subdiaconus quidam; ac sic cum tribus sociis venit[b] Valentianas sabbato palmarum. In crastinum ergo fecit sermonem ad populum vix adhuc aliquid sciens vel intelligens de lingua illa, Romana videlicet, quia numquam eam didicerat[c]: sed non diffidebat, quin[d], si materna lingua verbum Dei adoriretur, Spiritus sanctus, qui quondam centum viginti linguarum erudierat diversitatem[e], linguae Teutonicae barbariem
82 vel Latinae eloquentiae difficultatem auditoribus habilem ad intelligendum faceret[82]. Et ita per gratiam Dei omnibus acceptus factus est, ut cogerent eum fessa ibi et attenuata membra paululum recreare. Quibus cum nulla ratione vellet acquiescere, — facies enim eius erat euntis in episcopatum Coloniensem[f] — tum[g] propter populi et linguae notitiam quam habebat, tum propter contradicentium sibi clericorum confusionem, per auctoritatem apostolicam quam habebat[h], factum est per dispensationem Dei, ut sociis eius subitanea aegritudine oppressis, non posset inde tunc ulterius proficisci. Remansit itaque homo ad custodiendum infirmos suos, qui sequentibus infra octavas paschae[i] diebus beato fine in Domino quieverunt. E quibus duo laici sepulti iacent in suburbio apud Valentianas, in ecclesia beati Petri iuxta forum, in sinistro latere ad occidentem, subdiaconus vero monachus effectus, iacet sepultus in ecclesia sanctae Mariae, quae in eodem oppido sita est.

Interea dum ibi maneret ad custodiendum socios, contigit dominum Burchardum[k] Cameracensem episcopum, piae ac reverendae memoriae virum, transitum inde habere feria quarta, proximo die ante coenam Domini. Quo audito, vir Dei, quia cognoverant se mutuo, dum adhuc versarentur in seculo, accessit ad colloquendum ei. Veniens ergo ad ostium[l] domus, in qua hospitatus erat episcopus, invenit ibi ante fores, per voluntatem Dei, unum de clericis eius stantem. Hunc igitur[m] submissa voce rogavit, ut introduceret se ad episcopum: erat enim gelu super terram, et homo nudis pedibus incedens. Ingressus igitur praedictus clericus, locutus est ad[n] episcopum, et[o] introduxit hominem. Qui paululum inter se pariter colloquentes, recognoverunt se, continuo memores facti pristinae familiaritatis. Episcopus autem intuens hominem, et intra[p] se vehementissime admirans[q] ac stupens collacrymatus est: non enim se poterat[r] continere; mota quippe sunt[s] viscera eius super eum. Et irruens collo eius, ac pio eiulatu exclamans, cum suspirio dixit: *O Norberte, quis umquam de te talia crederet aut cogitaret!* Stans vero praedictus clericus, qui eum introduxerat, et affectum episcopi videns erga hominem, minime tamen
83 sermocinationem eorum intelligens, quia Teutonice[t] loquebantur[83], praesumens[u] accessit, et interrogavit quidnam hoc esset. Statim ait episcopus: *Iste, quem sic vides, in curia regis mecum pariter nutritus est, homo nobilis et deliciis affluens, in tantum ut episcopatum meum, cum ei offerretur respueret.*

a) honesta *S.* b) pervenit *S.* c) addidicerat *S.* d) quia *S.* e) diversitate *S.* f) episcopatu Coloniensi *S.* g) *add. S.* h) tum propter contrad. — quam habebat *add. S.* i) octabas pasce *S.* k) Burcardum *S.* l) hostium *S.* m) ergo *S.* n) locutusque ad *S.* o) *deest S.* p) infra *S.* q) ammirans *S.* r) poterat se *S.* s) commota sunt quippe *S.* t) theutonice *S.* u) praesumensque *S.*

79) *Saint-Gilles.* Gelasium II die 7. Novembris apud S. Aegidium commoratum fuisse, eruit Jaffé Reg. Pont. Rom. p. 525 ex Murator. SS. III, 1. p. 411. 80) Cf. Chron. de Mailros apud Fell SS. rerum Angl. p. 164 a. 1118. — *Dominus Norbertus papam Gelasium adiens officium ab eo praedicationis accepit.* 81) Quae amplius non exstant. 82) Haec posterioris vitae compilator ex iis finxisse videtur, quae prior auctor c. 10. affert, Norbertum Lauduni lingua Gallica quam ignoraret instructum fuisse. 83) Neque haec fidem mereri videntur, cum neque apud priorem scriptorem, neque apud Hermannum Tornacensem supra c. 8, p. 659 qui eandem rem ex ore ipsius Hugonis narrat, inveniantur.

manitatis exhibens[84], qui mox infra octavas paschae in eadem civitate beato fine in Domino quieverunt. E quibus duo laici sepulti iacent in suburbio Valencianarum in ecclesia sancti Petri iuxta forum in sinistro latere ad occidentem, subdiaconus vero monachus effectus est et sepultus in ecclesia beatae Mariae, quae in eodem oppido sita est. 1119. Mart. 30.

6. Contigit autem quarta feria proxima ante coenam Domini, domnum Burchardum Kameracensem episcopum virum honestum per praefatam civitatem transitum facere, quem quia Norbertus ante noverat, ad videndum eum accessit. Veniens autem ad hostium domus, in qua hospitatus erat episcopus, mediante clerico quodam cubiculum introivit, et post aliquanta colloquia ab episcopo cognitus est. Episcopus enim intuens eum in gravi gelu nudis pedibus et veste aspera indutum, vehementer admirans et stupens cum eiulatu collo illius irruit et suspirans ait: *O Norberte, quis umquam de te talia crederet aut cogitaret.* Praedictus vero clericus qui eum introduxerat, admirans affectum episcopi circa hominem, causam huius rei sciscitatus est. Cui respondit episcopus: *Iste quem vides in curia regis mecum pariter nutritus est, homo nobilis et deliciis affluens in tantum ut episcopatum meum cum ei offerretur respueret.* Audiens haec clericus lacrimis perfusus tum quia dominum suum flentem videbat, tum quia similem vivendi modum affectabat, quonam itinere Norbertus processurus esset, tacitus investigabat. Norbertus autem e vestigio in eadem civitate gravi infirmitate correptus est. Cuius infirmitatem episcopus benigne refovens, cottidie eum per familiares curiae suae visitabat. Inter quos praedictus clericus, cum iam Norbertus convaluisset, ad eum accedens socium professionis et comitem itineris se fore repromisit. Unde Norbertus gratias agens Deo, iam eum secum profecturum arbitratus est. Cumque ille primum se de rebus suis ordinare velle assereret, ad verba eius iste turbatus hoc solum respondit: *Eia frater, si ex Deo est, non dissolvetur.* Ille autem reditum suum pollicens abiit, et rebus suis disponens, paulo post reversus deinceps hominem Dei secutus est.* Nomen clerici illius Hugo erat. Cuius contubernio gaudens Norbertus simul cum eo circuibat castella, villas et oppida, praedicans et reconcilians dissidentes, inveterataque odia et bella ad pacem reducens; nichil a quoquam expetebat, sed si qua oblata fuissent, pauperibus et leprosis erogabat. Securus nimirum erat de gratia Dei, quod necessaria vitae habiturus esset. Peregrinum enim et hospitem super terram se arbitrans nulla ambitionis nota perstringi poterat, cuius tota spes de coelo pendebat. Vile namque ei videbatur, ut qui omnia pro Christo contempserat, quocumque ingenio vilibus et abiectis mercedulis inserviret. Tantaque admiratio et dilectio cunctorum circa ipsum excrevit, ut quocumque uno stipatus comite iter agens se verteret, dum villis aut castris approximaret, pastores relictis gregibus cursim eum praevenirent et adventum eius populo nunciarent. Unde cum ad eum catervatim populi confluerent, et inter missarum sollempnia verbum exhortationis ab eo audirent de agenda poenitentia et de spe salutis aeternae, quae promissa est omni qui invocaverit nomen Domini, gaudium cunctis erat ex ipsius praesentia, felicemque se iudicabat quisquis eum hospicio recipere meruerat. Stupori erat novum in eo genus vitae, videlicet in terra degere et nil de terra quaerere. Iuxta mandatum namque euangelii neque peram neque calciamenta neque duas tunicas portabat, paucis solummodo libris et indumentis missae contentus. Aqua continuus sibi potus erat, nisi forte a religiosis personis invitatus consuetudinibus ipsorum interdum morem gereret. Saepenumero cum rogaretur verbum exhortationis facere, inter discentes aderant alii temptantes aut

Mart. 26.

* *B.* Anno igitur post incarnationem domini nostri Iesu Christi 1118[85], mense Iunio, cum adhuc esset homo Dei apud Valentianas castrum, ab omni comitum suorum, quorum superius mentio facta est, solatio destitutus, quatenus miseratio divina erga famulum suum Norbertum evidentior appareret, et gratior existeret post illorum ex hac vita decessum, accessit ei dominus Hugo, supra memoratus videlicet clericus; hoc enim erat nomen eius, qui proximo post eum loco successit in regimine[a] Praemonstratae ecclesiae; relictisque omnibus, se cum eo in eadem vita et paupertate contulit, piae nimirum et sanctae conversationis homo. Gavisus est homo, et in immensum gratias agens Deo, et interiorem inspirationem cum exteriori Dei munere conferens, animatur ad praedicationem. Et iam sciens et praesumens de voluntate Dei, castella circuibat[b] et villas et oppida, praedicans et reconcilians male dissentientes, et inveterata odia et bella ad pacem reducens.

a) regimen *S.* b) circuibat castella *S.*

84) Haec pluribus exornavit vita Norberti Viconensis; cf. Hugo Vie de S. Norb. p. 34. 85) Annus aperte falsus. Vide supra.

1119. calumpniantes ut praedicationi eius impedimentum parerent. Sed ipse in simplicitate sua calumpnias eorum evadens, operis Dei executor strennuus esse non desiit, vigiliarum et ieiuniorum patiens, sedulus in labore, gratus in verbis, gratiosus in visu, benignus in simplices, severus contra ecclesiae hostes, ita ut temporibus illis specialem prae caeteris omnibus populi favorem obtineret.

86 7. Accidit quodam tempore cum transiret per castrum quoddam Fossas[86] nomine, fieri concursum tam clericorum quam laicorum, insolitum huius vivendi modum admirantium eo maxime, quia quem socium acceperat, notum habebant. Intelligentes autem eum pacis et concordiae esse ministrum, obnixe rogabant eum apud eos paulisper moram facere, asserentes in eadem regione mortalis odii esse discordiam, de qua sexaginta ferme viri perempti fuerant, neque a religiosis et magnatibus ullatenus pacificari poterat. Eis autem id ab ipso postulantibus, Deo disponente, quidam advenit, cuius germanus eiusdem odii causa eadem ebdomada occisus fuerat. Quem cum astantes cernerent: *Ecce*, inquiunt, *unus ex hiis de quibus inter nos sermo habetur.* Quo advocato amplexus eum vir Dei ait: *Dilecte mi, ego peregrinus et iam hinc transiturus munus a te peto, ut peremptoribus fratris tui veniam tribuas, a Deo mercedem accepturus.* Ille statim lacrimis perfusus, nutu divino non tantum veniam dedit, sed etiam obsequium viro Dei praestitit, oportunitatem ei ostendens, quomodo alia odia[a] reconciliarentur et cuncta ex integro pacificarentur. Sequenti
87 itaque die sabbati, cum ad villam quae Monasterium[87] dicitur utraque pars adversariorum convenisset, multique confluerent, partim ut hominem Dei viderent, partim etiam ut optatae reconciliationi dissidentium interessent, ipse clauso hostio intra cubiculum fere usque ad horam tertiam orando perstitit. Cumque populus taedio afficeretur[b], a socio suo id ei reverenter nunciatum est ipseque respondit, Deo serviendum esse non secundum voluntatem hominum, sed secundum voluntatem Dei. Mox autem egressus primo missam beatae Mariae virginis, deinde missam pro defunctis quorum mors odii causa fuerat, devotissime celebravit. Postmodum sermonem ad populum qui ante taedio defluxerat, iamque recollectus erat, ita exorsus est: *Viri fratres, dominus noster Iesus Christus cum discipulos suos ad praedicandum mitteret, inter alia praecepta hoc illis dedit praeceptum, ut in quamcumque domum intrarent, primo dicerent: „Pax huic domui" et si ibi esset filius pacis, requiesceret super illum pax eorum. Nos autem non nostris meritis, sed sola Dei superhabundanti[c] gratia imitatores eorum effecti eandem pacem vobis denunciamus, quae mente incredula contempnenda non est, nam ad pacem perpetuam pertingere facit. Vobis quidem incognitum non est ad quae convenimus; non est nostrum, nec ex nostro, utpote qui peregrinus sum et advena pertransiens, sed voluntatis et potestatis Dei est perficere, vestrum autem est, ipsius voluntati ex integro et devoto affectu acquiescere.* Ad haec vox omnium una facta est: *Praecipiat*, inquiunt, *per te nobis Dominus, quod beneplacitum est ei. Non habemus contradicere quod te ordinante in hoc negocio Dominus de nobis facere voluerit.* Quid plura? Egressa est utraque pars adversariorum hinc et inde foras in atrium et parvo intervallo facto super reliquias in medio positas abiurata est discordia et concordia facta et pax sacramento confirmata.

8. Ab eo itaque loco recedens in crastinum summo diluculo secessit ad aliam villam
88 non longe positam Gemplacum[88] nomine, ut sermonem faceret ad populum, in qua devotissime susceptus est, eo quod et verborum Dei relatorem et optatae pacis eum audirent esse portitorem. Sed et in eadem regione duo principes inter se hostiliter[d] proeliantes rapinis et incendiis in solitudinem cuncta fere redegerant. Hoc audito vir Dei et populorum clamore commotus, eorumque paupertatis misertus, ad eosdem principes accessit, primo ad unum, deinde ad alium; et primum quidem hiis verbis allocutus est: *Magnus es et potens, et ignorare non debes, quod tibi potestas a Deo concessa sit. Unde me servum eius qui pro tuo et multorum proficuo ad te missus sum non pro mei sed pro ipsius reverentia audire debes. Audi ergo pauperem peregrinum, suscipe domini Dei tui praecepta tibi transmissa, ut ab eo suscipiaris. Dimitte ei qui tibi nocuit ut et tibi dimittatur, ut ex hoc pauperum et egenorum consolatio, peccatorum tuorum fiat remissio.* His auditis princeps ille et considerata in homine habitus humilitate, vultus modestia et verborum facundia, pietatis affectu permotus ait: *Fiat quod vis; non enim est rationi consonum contradicere huic tuae petitioni.* Apud eum

a) *omissum supplevit manus saec. XIV.* b) effic. *eadem manu corr.* affic. c) superhabunti *cod.* d) hostialiter *cod.*

86) *Fosse* in episcopatu Leodiensi. 87) *Moustier* prope Namurcum. 88) *Gemblours.*

igitur desiderii sui effectu potitus, ad alium transiit cuius cor obduratum invenit. Nam atrocitate vultus illius et verborum ferocitate cito intellexit, eum non esse filium pacis, conceptumque sermonem tenens adhaerenti sibi fratri ait: *Insanit hic homo; sed futurum est in brevi, ut retrorsum cadat et detur inimicis suis ad capiendum et illaqueandum et conculcandum.* Haec dixit et abscessit. Sermo autem eius in eadem septimana impletus est. Nam princeps ille ab inimicis suis detentus et captivitati subactus est*. Et procedens inde venit ad proximam villam quae vocatur Koriletum[89], et quia fama de eo iam undique percrebuerat, populus de eadem vicinia ad eum confluebat. Cumque post celebrationem missae, sicut consueverat, de pace et concordia sermocinaretur, quosdam discordantes a veteris odii litibus coepit humili exhortatione revocare. Unus autem ex ipsis, multis precibus rogatus cum paci acquiescere nollet, foras exiliit et equo sedens fugam inire temptabat, sed equus licet calcaribus urgeretur fortiter, de loco moveri non poterat. Unde concurrente turba, quibusdam admirantibus, quibusdam subsannantibus, quibusdam vero flentibus, ille confusus ad ecclesiam rediit et prostratus veniamque petens, sicut prius ab eo postulatum fuerat, conditioni pacis gratanter annuit, sicque absolutionem reatus sui pro eo quod virum Dei offenderat accepit. 1119.

Eodem anno contigit beatum Gelasium papam, a quo praedicandi auctoritatem acceperat, migrare a saeculo[90]. Ian. 29. Cui successit Kalixtus Viennensis episcopus piae et sanctae conversationis homo et dignae recordationis, quem constat apud Cluniacum electum fuisse Febr. 2. et in sede universalis ecclesiae potestatem honoris et dignitatis culmen communi omnium electione suscepisse. Transierat enim praenominatus Gelasius papa cum saniori parte cardinalium, ut sanctam matrem ecclesiam in menbris visitaret. Qui multa sedens in capite de hiis audierat — ut qui cancellarius per multos annos extiterat tempore Paschalis papae et aliorum — et quae ubique terrarum erant, eum latere non poterant. Celebravit itaque successor Gelasii Kalixtus concilium Remis, Oct. 20. ubi et introitum suum confirmavit et statum ecclesiae corroboravit, iusta approbans, iniusta autem corrigens et auctoritate Romana ubique corrigi praecipiens.

9. Audiens autem Norbertus apostolicae sedis dignitatem innovatam esse, ad idem concilium autumpnali tempore nudis pedibus accessit, ubi ab episcopis et abbatibus, qui ibidem convenerant, cum gaudio susceptus est. A quibus cum rogaretur aliquantulum relaxare et indulgere sibi super duricia et asperitate assumptae poenitentiae, nequaquam acquievit, sed de statu suo cum domno papa conferens litteras auctoritatis apostolicae, quas a praedecessore suo Gelasio acceperat, sicut iam superius dictum est, ab eo renovari postulavit[91]

* *B.* Et procedens inde, venit ad proximam villam, quae vocatur Colrois[a]: et, quia fama de eo iam undique percrebuerat, populus de eadem vicinia ad audiendum sermonem confluebat. Et post celebrationem missae, audito finitoque sermone, sicut consueverat, de pace et concordia, si inter eos aliquod dissidium esset, coepit inquirere. Cum autem nominarent quosdam inter eos discordantes, coepit eos humili exhortatione a veteris odii litibus revocare. Unde cum unus ex ipsis, multis rogatus precibus, nullatenus petitioni eius et omnium circumstantium acquiesceret, foras exiliit, et ascendens equum suum, — miles enim erat, nitebatur fugere: sed cum ferociter calcaribus iterum atque iterum urgeret eum, nullatenus vel passum unum potuit procedere. Exeuntibus autem ceteris qui in ecclesia remanserant, et undique concurrentibus cum stupore et admiratione nimia; quidam subsannando clamare, quidam condolendo flere coeperunt; omnes tamen una voce Deum laudabant, qui et in sanctis suis gloriosus est, et ibidem in oculis peccatorum hanc eamdem demonstrabat gloriam. Ille vero confusione non minima confusus ad vocem clamantium, ad ecclesiam coram viro Dei rediit, et prostratus veniam petens, quod prius ab eo petebatur, quantocius gratanter annuit, et absolutionem eo[b], quod sanctum Dei virum offenderat, petiit et accepit. Et sic impletum est in eo quod scriptum est: *Imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum, Domine.* Psal. 82, 17.

Si igitur rei veritas, et veritati[c] ordo succedentium adiungitur, causis praecedentibus, legenti et audientibus fastidium et derogandi occasionem generare nullatenus debet; quia etsi quaedam sint[d], quae taediosis vel quibuslibet aemulis[92] superflua videantur, vera tamen ab his, qui viderunt et audierunt, retexuntur, et quae praetermitti nequeunt, eo quod alio modo seriatim procedere res gesta nequeat, et scire volentibus satisfacere.

a) Colroiz *S.* b) *add. S.* c) veritatis *S.* d) *deest S.*

89) *Couroy* prope Gemblacum. 90) obiit Cluniaci die 29. Ian. 1119. 91) Cfr. Chron. de Mailros l. c. anno 1119. *Dominus Norbertus auctoritate papae Calixti ordinem Praemonstratensem instituit.* 92) Abaelardum innuere videtur. Cf. praefationem nostram p. 666 et prologum secundi auctoris.

1119. et renovatas accepit[93]. *Praecepit itaque domnus papa Laudunensi episcopo Bartholomaeo,
ut curam eius susciperet.' Erat enim ipse ex progenie matris suae habens quosdam in
episcopatu et in eadem civitate propinquos, quorum viscera pietatis affectu super eo mota
sunt, et eorum instinctu submonitus erat episcopus, humanitatis ei manum licet invito ad
aliquod tempus ministrare. Quo deducto et finito concilio vir Dei apud Laudunum hyemare
disposuit, solus enim erat et sociorum solatio destitutus. Domnus namque Hugo, quem
usque nunc circa natale solum, circa Forense videlicet territorium, socium habuerat, nullo
assumpto vel mutato habitu, sed ut erat in saeculari, secum vadens et nota loca circuiens,
quasi de rebus et debitis suis aliquid dispositurus, adhuc cum domno Burchardo Kamera-
1119 censi episcopo, noto eius, Kameracum ab hoc concilio rediit, et non reversus usque post
1121. biennium, socium vel magistrum suum Norbertum sibimet reliquit. Florebat tunc Lauduni
94 studium magistrorum Anselmi[94] et Rodolfi fratris eius; a quibus vir Dei Norbertus psalmum
Beati immaculati audire disposuit. Pervenit[a] hoc ad aures religiosi viri Drogonis tunc
prioris ecclesiae beati Nicasii Remis, quem aliquando notum et socium in scolis habuerat,
ipseque indignatus scripsit ei: *Quid hoc audio de te? Nutritus et eruditus in scola Spiritus
sancti cui ad docendum nulla mora est, et ea relicta saecularem scolam adisti? Desponderat
te sibi divina sapientia, nunc amavit et allexit te sibi mundana phylosophia. Sed forte dicis:
„Per hanc ad illam, per scientiam ad sapientiam pertingere disponebam". Ad quod inquam:
Non sic inicium sumpsit tui aedificii structura, ut primo praecedentem Lyam Rachel sequeretur.
Qui enim de custodia ovium cytharistam et subito sine gramaticae magistro fecit psalmistam,
ipse te Spiritus sanctus de vanitate saeculi tulit et subito fecit euangelistam. Noveris igitur,
karissime, et me tuum prophetam audi, quia si te tenere volueris ad utrumque, sine dubio pri-
vaberis utroque. Peccare namque in homine leve vel humanum, sed non sic est delinquere in
Spiritum sanctum.* Quid plura? Sapienti satis dictum est. Pedem statim retrahit, reversus
Ioh. 16, 3. ad se et ad illum, de quo pollicetur Dominus dicens: *Ille vos docebit omnem veritatem.* Igitur
1119. Nov non post multum temporis domnus papa Laudunum venit; initoque cum papa consilio,
quomodo iam dictus vir Lauduni retineretur, instinctu episcopi fratres canonici ecclesiae
beati Martini in suburbio Laudunensi eligunt eum sibi abbatem. Petunt et requirunt eum
tam ab episcopo quam a summo pontifice. Qui cum interpellatus respondere cogeretur,
humili voce summo pontifici dixit: *Pater reverende, numquid reminisceris officii vel laboris,
cui nunc bis, per praedecessorem tuum memoriae felicis, demum per te, ad praedicandum ver-
bum Dei destinatus sum? Sed ne in ullo iuris mei*[b] *esse iudicer, assentio*[c]*, salvo nimirum pro-
posito meo, cuius prophanator sine animae meae gravi detrimento nullatenus esse valeo. Pro-
positum etenim nostrum est, aliena non quaerere, rapta cum placitationibus vel iusticiis sae-
cularibus vel quaerimoniis nullatenus repetere, pro nullis illatis iniuriis sive dampnis ullum vin-
culis anathematis innodare, sed ut breviter omnia concludam, secundum saniorem intellectum
pure euangelica et apostolica vita praeelegi vivere. Non renuo pondus, si tamen canonici in
95 eadem commorantes ecclesia hanc vivendi formam tenere non refugiant*[95]. At cum ostendere-
tur eis modus euangelicae institutionis, quomodo imitatores Christi, contemptores mundi
esse deberent, quomodo voluntarii pauperes, quomodo ad obprobria et contumelias, ad irri-
siones, ad famem et sitim et nuditatem et caetera huiusmodi patientes, quomodo praeceptis
et regulis sanctorum patrum obedientes, illi statim ad verbum et aspectum illius perterriti
dixerunt: '*Nolumus hunc super nos, quia talem magistrum nostra non novit nec nostrorum*

* *B.* Quibus[96] acceptis, dominus papa venerabili Laudunensi episcopo Bartholomaeo praecepit, ut curam
eius susciperet: erat enim ipse homo habens ex progenie matris suae quosdam in episcopatu et in eadem
civitate propinquos, quorum viscera pietatis affectu super eo mota sunt, et eorum instinctu submonitus erat
episcopus humanitatis ei manum licet invito per aliquod tempus ministrare. Quo deducto et finito conci-
lio, papa non post multum Laudunum venit[d], initoque episcopus cum papa consilio, quomodo iam dictum
97 virum[e] retinere posset, obtulit[97] ei ecclesiam beati Martini, quae in suburbio sita est, in qua pauci
fratres erant sub regula canonicae professionis degentes; qui omnimodis[f] renuebat.

a) prevenit *corr. manu recentiori* pervenit. b) *vox* oblitus *vel tale quid excidisse videtur.* c) ascensio *cod.* d) *ita S.* devenit *ed.* e) iam de v. *ex S. recepi,* eum *ed.* f) *ita S.* omnibus modis *ed*

93) Neque hae nobis supersunt. 94) Anselmus magister Abaelardi (Otto Fris. gesta Fr. I, 47.) iam a. 1117 e vivis excesserat. Praeterea cf. Hermann. de mirac. S. Mariae Laudun. supra p. 656. 95) Haec oratio deest vitae posteriori (*B*). 96) Uberem narrationem prioris auctoris ita in epitomen redegit posterior compilator rebus maximi momenti plane omissis. 97) Falsum; canonici eum abbatem elegerunt.

praedecessorum consuetudo. Tolluntur enim nostra nec redduntur, placitamus et non profici- 1119.
mus, infligimus sententiam sed non timemur. Liceat nos vivere sic; castigare Deus vult, non
mortificare. Sic homo et obedivit et ab obedientia solutus ab ipsa non recessit. Interea
episcopus attenuata frigore et ieiunio hospitis sui menbra nitebatur reficere, sed ipse cotti-
die ab hospite suo reficiebatur spiritali et melliflua verbi Dei relatione. Ob hanc causam
amore nimio et karitatis in eo igne succenso assidue hortabatur eum precibus quibuscum-
que poterat, quatinus in episcopatu suo vellet manere, cotidie circumducens eum[98] et 98
ostendens, si qua sit ecclesia quae ei placeat, si quae solitudines, si qua deserta, si qua
terra culta et inculta ad aedificandum et commanendum. Victus tandem ipsius et multorum
tam religiosorum quam aliorum nobilium precibus, elegit locum valde desertum et solita-
rium, qui ab incolis antiquitus Praemonstratum[99] vocabatur. In quo, si quando daret ei 99
Deus socios colligere, se mansurum spospondit.

Transacta igitur hyeme, praedicandi gratia egressus, Kameracum venit, ubi sanctae 1120.
conversationis suae discipulum iuvenem quendam Evermodum[1] nomine lucratus est[*]. In
quo ita spiritus eius requievit, ut post decessum suum sepulturae suae locum ei commen-
daret, dans hoc praeceptum, ut numquam nisi reversurus ab eo recederet. Post hunc et
alios sibi socios ascivit, qui radices et fundamentum fuere futurae multitudinis, quae prae-
fatum virum Dei subsecuta est. Verum huius sanctae professionis iniciis non defuere anti-
qui hostis insidiae, qui in singulis singulas considerans actiones[a], in quibusdam videlicet
contemplationis affectum, in aliis sapientiae desiderium, in aliis ieiunii propositum, cuilibet
impedimento esse temptabat. Unde contigit quadam nocte, ut cuidam[2] ad matutinas stanti 2
et contemplanti et de illa gloriosa et ineffabili Trinitate cogitanti, ille antiquus adversarius
assistens diceret: *O quam felix es, o quam in tuo bono proposito laudabilis qui et bene coepisti*
et te perseveraturum in tanta afflictione deliberas; idcirco Trinitatem sanctam, ad quam toto
affectu suspiras, videre mereberis. Et hiis dictis apparuit tria gestans capita, Trinitatem se
esse contestans. At ille expavescens, paululum tamen praemeditatus, cum ex hac visione
ventum turbinis foetidissimum sentiret, dixit: *O miser et infelix et omnibus creaturis deterior!*
tu, inquam, qui signaculum similitudinis Dei fuisti et superbiendo veritatis huius cognitionem
perdidisti, quomodo praesumis non tantum te scire Trinitatem, sed ipsam temet ipsum esse, qui
te scire velle penitus potestatem non accepisti? Recede, inquit, *recede, et me tuis fraudulentiis*
non obedientem ulterius non praesumas inquietare. Statim recessit, post haec ad eundem
reversurus. Erat quidem frater ille ad obediendum promptus in oratione devotus, in ieiunio
assiduus, ita ut toto anno ieiunaret tam aestate quam hyeme et a nullo cogi poterat nisi
dominicis diebus, ut alteram in die perciperet refectionem, tuncque crudum quid nec ali-
qua decoctione conditum. Sed cum super eo omnes mirarentnr et tanta eius abstinentia
et continentia in laude Dei ipsius ubique praedicaretur, affuit iterum sathan, occulte ponens
insidias, ut novum militem prosterneret. Iuvenis quippe erat et indignari poterat, quod ali-
quando ei restitisset. Quarta itaque feria in capite ieiunii cum devotioni cunctorum fidelium Mart. 2.
abstinentia quadragesimalis indicitur, tanta fames et gulae voracitas eum invasit, ut diceret
nullo modo se posse ieiunare et indubitanter mori, si etiam a lacte et caseo cogeretur ab-
stinere. Cui cum diceretur: *Non est licitum alicui vel saeculari bis refici, vel cuilibet parvulo*

* *B.* Qui tanto amoris intimi vinculo ei alligatus est, ut omni tempore vitae suae spiritus viri Dei in eo requiem caperet, et post discessum suum, locum sepulturae suae ei commendaret; dans hoc praeceptum, ut numquam, nisi reversurus, ab eo recederet. Perveniens autem Nivigellam[3], alium iuvenem Antonium[4] nomine, a Deo sibi datum, recepit. Hi[b] duo, et tertius quem prius susceperat, quantum ad humanum spectat examen, radices et fundamentum fuere futurae multitudinis quae subsecuta est: Dei enim dispositioni relinquitur, quod prae nimia altitudine sapientiae et scientiae ipsius occultum ab humanis oculis ignoratur. In hoc, ubi collegerit, vel quomodo socios alios Deus illi contulerit, non est immorandum. Scitur tamen, quod intra quadragesimam illam tot habuit, quod in septimana passionis Domini ante pascha cum tredecim reversus, praenominatum locum, Praemonstratum videlicet, possedit. 4

a) *ita* A. affectiones B. b) Hii *S.*

98) Cf. Herm. de miracul. beatae Mariae Laudun. III, 3. supra p. 656. 99) Donationis chartam a. 1121 datam vide apud Hugonem Vie d. S. Norbert p. 138. 1) post episcopum Racisburgensem. 2) Gerardum vocat Hugo Vie de S. Norbert p. [illegible], eundemque esse dicit pag. 90 qui anno 1131 abbas Clari-Fontis factus est. Quo auctore haec tradiderit nescio. 3) Cf. Vita Anselmi cap. 10. 4) aliunde non notum.

1120. *lactis et casei esca uti*, ille torvo vultu et lupina rabie respondit: *Numquid vult Deus hominem mori, subtrahendo illi quod ad usus ipsius creavit hora*[a] *necessitatis ad percipiendum?* Obtinuerunt tamen ab eo fratres, ut bis et quantum vellet cibum quadragesimalem comederet, tantum ut a lacte et caseo abstineret. Cumque transissent quadragesimales dies et ad fratres suos Norbertus reverteretur, in ipso introitu suo horror nimius et ventus turbinis circumvallavit eum. Unde secum venientibus malignam praedixit adesse temptationem. Audito autem, quod acciderat, in multo moerore praecepit sibi adduci hominem. Qui cum adduceretur, vix se prae nimia pinguedine sustentare valens, et edacitatis spiritu plenus, magistrum suum quem ante speciali affectu dilexerat, non nisi torvis oculis respicere poterat. Videns autem vir Dei non infirmitatem esse humanam sed temptationem praevaluisse diabolicam in eo, prohibuit omnino quicquam ciborum ei dari. Qui postquam per aliquos dies ieiunaverat, ubi reddita est ei quarta pars grossioris panis et vas aquae ad mensuram, delicias computabat. Et sic ad pristinam consuetudinem bene et moderate vivendo, Domino annuente, rediit.

1121. 10. Aliquanto evoluto tempore egressus est Norbertus quosdam discordantes ad concordiam revocare; recepto primo socio suo, quo aliquamdiu caruerat, cum ipso Nivigellam 5 pervenit[5]. Ibi quidam qui aliquando conversionis gratia ad eum convenerant, sed asperitatem ordinis et institutionis suae ferre non valentes retro abierant, in obprobrium ipsius neque eum videre, nec praedicationem eius audire curabant, et populi favorem ab eo avertere temptabant. Verum eorum maliciae quantocius obviatum est. Nutu namque Dei civium quidam filiam habens a demonio iam per annum integrum obsessam, cum fletu et suspiriis eam viro Dei curandam obtulit. Cuius dolori et compatiens servus Dei, albis et stola vestitus super puellam iam duodennem exorcismum legit. Cumque super caput eius legeret euangelia, demon irridens respondit: *Huiusmodi liras frequenter audivi; unde neque pro te neque pro omnibus istis de habitaculo isto egrediar. Nam pro quibus recedam? Columpnae ecclesiae ruerunt.* Cum autem sacerdos multiplicaret exorcismos, demon iterum respondit: *Nil agis, quia necdum per coruscum sanguinem martirum me adiurasti.* Moxque demon scientiam suam ostentans, cantica canticorum a principio usque ad finem per os puellae edidit et iterans verbum ex verbo eadem cantica canticorum gallice interpretatus est, itemque reiterans verbum ex verbo in Teutonico totum expressit ore puellae illius, quae dum sana esset, nichil nisi psalterium didicerat. Instante autem sacerdote, ut creatura Dei exiret, demon ait: *Si hinc me eicis, permitte me intrare in monachum praesentem*, et nominavit eum. Norbertus vero exclamavit in populum: *Audite maliciam demonis huius, qui ut infamet servum Dei, vexandum eum expetit, quasi peccatorem et hoc supplicio dignum. Sed nolite scandalizari quia talis est nequitia eius, ut bonis omnibus derogare et quantum potest infames eos facere velit.* Hoc dicto item coepto officio acrius insistebat. Tunc demon: *Quid agis?* inquit, *neque pro te neque pro alio hodie exibo. Quod si videris me exclamare, iam tot de meis, id est de nigris, ad bellum venient, eia ad bellum, eia ad bellum; eia iam faciam corruere arcus istos et fornices super vos.* Ad haec verba populus diffugit, sacerdos vero intrepidus mansit. Tunc puella manum iniecit ad stolam eius, ut collum ipsius astringeret. Cumque qui aderant vellent manus eius amovere: *Nolite!* inquit, *permittite illam; si potestatem a Deo accepit, faciat quod potest.* Hoc audito ipsa manus sponte relaxavit. Iam itaque plurima parte diei consumpta, pater Norbertus consilium habuit, ut in aqua exorzizata puella poneretur. Et ita factum est. Et quia flavis erat venusta capillis, sacerdos verens ne occasione crinium dyabolus in ea potestatem haberet, eam tonderi iussit. Qua permotus demon iniuria, maledictis sacerdotem lacessiens dicebat: *Peregrine de Francia, peregrine de Francia, quid tibi foris feci? Quare me non sinis quiescere? Omnia mala et omnes mali eventus et omnia infortunia veniant*[b] *super te, quia sine causa vexas me.* Iam vespertina hora erat, et videns pater Norbertus non exisse demonem, aliquantulum contristatus, iussit eam reddi patri et in crastinum ad missam perduci. Ipse vero coepit se expoliare alba et aliis missae vestimentis. Quod videns demon insultando clamabat: *Ha, ha, he! modo bene facis et nondum fecisti michi opus a Deo beneplacitum. Totam etenim diem consumpsisti vane.* Pater vero Norbertus ad hospicium se conferens, confirmavit in animo suo non gustare cibum,

a) creavit et hora B. b) *ita* A. veniant B.

5) Anno igitur 1121, quum Hugo qui anno 1119 ab ipso recesserat, biennio praeterlapso ad Norbertum redierit.

donec puella sanaretur, et ita transegit diem et noctem illam sine cibo. Iam crastina dies 1121.
advenerat, et Dei sacerdos parat se ad celebranda missae mysteria, itemque[a] puella adducitur, et fit multiplex populi concursus, finem rei praestolantis[b]. Mandavit autem Norbertus duobus fratribus, ut tenerent puellam haut procul ab altari. Inchoata itaque missa ventum est ad euangelium, quod cum super caput eius legeretur, demon item irridendo respondit, se huiusmodi liras frequenter audisse. Postmodum sacerdote infra actionem levante hostiam, demon exclamavit: *Videte, videte, ecce iste deiculum suum manibus suis tenet.* Fatentur enim demones, quod haeretici negant. Tunc vero sacerdos Dei inhorruit, et concepto spiritu veritatis in ipsa oratione sua instantius coepit agere contra demonem. At ille coactus clamabat: *En ardeo, en ardeo, en morior, en morior!* itemque[c]: *Volo exire, volo exire, dimitte me!* Fratribus autem puellam fortiter tenentibus, spiritus immundus foetentissimae urinae foeda relinquens vestigia aufugit, vasque possessum reliquit. Illa vero a tortore liberata, collapsa et languida delata est in domum patris, et paulo post accepto cibo ex integro incolumis et compos sui et perfecte sanata apparuit. Hoc itaque publice factum est teste omni populo, qui Dei laudes in commune praedicabat, et contra eos, qui ante Norberto derogaverant, ipsum vere apostolicum virum fatebantur.

11. Nec hoc praetermittendum, quod aliquando cum praefatus vir Lauduni moraretur, intendens cum quibusdam cognatis suis potentibus, quos ibidem invenerat, hyemare et lingua Gallica quam ignorabat instrui, accidit quandam piae devotionis feminam de Suessionum[d] civitate audire famam viri Dei, quae quasi visitatura sanctorum limina, desiderans eius alloquio frui, secretius Laudunum venit, et ab eo verbi Dei sermone refecta, quod iam diu sterilis cum viro mansisset, flens conqueritur, malens si fieri posset a viro separari, quam sine prole, cuius spe convenerant, seculo vel coniugali vinculo detineri. Cui sacerdos: *Non sic*, inquit, *sed iamiam ibi filius erit; quem non heredem mundo servabis, sed mox natum Domino sanctificabis. Plures namque post ipsum eris paritura, cum quibus tua teque claustro conferes, postmodum Deo servitura.* Credidit, speque non frustrata genuit filium; quem quia circa festum sancti Nicolai promissum conceperat, vocavit Nicolaum. Crevit infans et ablactatus est. Interea concilium celebratur[6], in quo, ne missae presbiterorum, qui uxores habent, audiri debeant, decretum promulgatur. Unde obortae sunt haeresum occasiones in tantum, ut plerique crederent et dicerent, non esse corpus Domini, quod in altari conficerent uxorati sacerdotes. Die igitur quadam iam dicta matrona Helwigis nomine, sumpta secum sorore sua carnali, circuibat orationis causa loca sanctorum. Puer iam quintum agens annum matrem comitatur. Intrant ecclesiam non audiendae missae sed orationis intentione. Sacerdos unus de uxoratis astabat altari celebrans sancta. O inestimabilis et ineffabilis divinae gratia pietatis! Dum mater profusis lacrimis orat, infantis oculi divinis patescunt mysteriis. Stans enim puer inter matrem et materteram et intendens in sacerdotem, licet adhuc ignarus esset vulgaris sermonis, expedita voce et lingua clamabat dicens: *Mater, mater, surge, vide puerum sole pulchriorem, quem tenet presbiter in altari, adorans ut Deum.* Surgit ab oratione mater et admirans quid esset, ab infante quaerit dicens: *Fili, estne puer ille pendens in cruce quem vides?* putans eum intendere lignum crucis. *Nequaquam*, inquit, *sed in manibus tenet sacerdos puerum mirandae pulchritudinis, quem iam involvens panno tegit.* Aspicit mater cum sorore videntque sacerdotem tegentem corporali calicem cum dominico corpore. Ex quo viso miraculo triplex remedium obtinetur, incredulorum dubietas amovetur, piorum devotio roboratur, exemplo divinae revelationis fideles ad quos haec pervenerint aedificantur. Ab illo itaque die et deinceps usque ad diem mortis suae puer idem Nicolaus debilis semper et infirmus fuit oculis. Vixit tamen usque dum, promissione viri Dei Norberti completa, pater et mater cum rebus et prole multaque numerositate parentum conversi ipsum diaconum miserunt ad Dominum.

12. Venit etiam pater Norbertus Coloniam[7], et libenter susceptus, libentius in sermone et confessione auditus est, eo quod ipsum prius iuvenem noverant et modo mutatum

a) *ita* A. iterumque B. b) *ita corrigendum;* postulantis *c.* c) *ita* A. iterumque B. d) *ita legendum est,* successionum *codex.*

6) Suessionis anno 1121; quo Abaelardi doctrina damnata est; v. Ott. Fris. Gesta Frid. I, 47. Mansi XXI. p. 365. Totum cap. 11. omisit compilator vitae posterioris (B). Quae hic prioris auctor memoriae tradidit, huc usque nota non erant. 7) Haec et sequentia accidisse circa diem 13. Octobris anni 1121 disertis verbis tradit Rodulfus abb. Trudon. SS. X, 331.

1121. mirabiliter videbant. Multi ad verbum exhortationis ipsius ibidem imitatores paupertatis Christi effecti, ipsum secuti sunt. Habebat et ipse iam tunc in voluntate aedificare ecclesiam, in qua coadunatos reciperet. Ob hanc causam petivit ab archiepiscopo Fritherico et caeteris maioribus, ut aliqua sanctarum reliquiarum mereretur suscipere patrocinia, quibus ab antiquo repleta et dotata erat sancta Colonia. Annuit episcopus, annuit clerus et populus, iustam esse petitionem viri iudicans. At ille, fratribus suis quos secum habebat ieiunio indicto, hoc preciosum Deo donum commendabat, quatinus venerabile patrocinium sibi daret invenire. Nocte vero eadem virgo ex numero undecim milium virginum et nomen 8 virginis[8] et locus mausolei[a], in quo latebat, per visionem cuidam designatur, et in crastino ex ordine visionis corpus ibidem quaesitum integrum inventum est. Quo[b] ymnis et laudis et gratiarum actione suscepto, de[c] reliquiis etiam aliarum virginum sanctorumque martirum Thebeae legionis et sanctorum Maurorum nec non duorum Ewaldorum duo vascula ad efferendum ei impleta sunt. Sequenti vero die cum a praeposito et canonicis Sancti Gereonis sibi similiter reliquias dari supplicaret, concessum est, ut eas in ecclesia eorum quaereret et acciperet. Gavisus est homo, et hoc promissum, ut erat solitus, Deo per totam noctem commendabat attentius. Mane autem facto in medio monasterio[9], ubi nullum alicuius sepulchri patebat vestigium, effodi praecepit; ubi corpus integrum absque capite repertum est, honorifice et cum omni diligentia collocatum. Erat namque lapis sarcophagi preciosus ad aequalitatem terrae positus, non profunde, tenui pavimenti marmore tectus. 10 Corpus vero ostro viridi[10] sed antiquitate debilitato involutum, in pectore de aurifrigio super pallium crucem habens non modicam[11], subtalaribus et calcaribus ut miles indutus, a superiori labio capite truncatus, cespites herbosae terrae, quae sanguine suo maduerant[12], sub corpore inter corpus et sarchophagi fundum habens. Quod cum canonici et plebs innumerabilis quae convenerat cernerent, *Ecce*, inquiunt, *dominus noster sanctus Gereon, et nostrum venerabile patrocinium, quod a nobis et praedecessoribus nostris per multos annos quaesitum fuit, sed peccatis exigentibus inveniri non potuit.* Et exclamantes voce magna cum gaudio inmensas Deo gratias agebant, Deo dignum hominem efferentes, per quem talis et tantus thesaurus diuque desideratus merebatur inveniri. Et ne quis dubitet, ipsum esse, sciat vere verum agnitionis eius fuisse indicium, quod de morte et martirio ipsius legebatur, partem videlicet capitis et non totum caput fuisse abscisum. Hanc partem in puteo, qui est inter sanctuarium et corpus eiusdem ecclesiae, a paganis iniectum noverant, super cuius os putei dedicatum est altare in eius honore, sed reliquum corpus ubi esset ignorabant. Susceptum est itaque corpus sanctum, ut digne debuit, et elevatum. Parsque inde 13 viro Dei data est[13], quod reliquum fuit a clero et populo magnifice repositum est. Assumptis non post multum reliquiis, collectoque fratrum tam laicorum quam clericorum collegio, quos Deo per verbum praedicationis genuerat, redeundi iter aggressus est; qui in ecclesiis a congregationibus ubique magnifice suscipiebatur. Audiens autem transitum eius matrona quaedam nobilis Ermesindis nomine Namutensis comitissa velociter occurrit ei obnixe deprecans, ut ad imponendos fratres religionis suae ecclesiam in villa Floreffiae[d. 14] susciperet. Habebat etenim ipsa multo tempore voluntatem ob remedium animae suae et praedecessorum suorum in eadem ecclesia propagandi religionem. Videns ille affectuosam mulieris devotionem, respexit illam, et suscepit quod petebat[15], et ibidem altero reliquia- 15 rum vasculo derelicto, quia instabat dies nativitatis dominicae festinavit Praemonstratum, habens clericorum et laicorum fratres circiter triginta novicios. *Quibus cum aliis, quos

* *B.* Congregatis igitur clericis ferme quadraginta et quamplurimis laicis, assidua consolatione vespere et mane fovebat eos, et multiplicibus sermonibus hortabatur, ne desisterent a felici proposito

a) mauseoli *c.* b) quo *et* suscepto *ex* B. *recepi; codex vero* Qui . . . susceptis. c) de *recepi ex* B. *deest* A. d) *ita conicio ex* B. Florestie A.

8) S. Ursulam fuisse perhibet Hugo Vie de S. Norb. p. 95. 9) *iuxta medium pylarium ad meridianam plagam*, dicit Rodulf. Trud. l. c. qui eidem elevationi interfuit et cuius narratio omnino cum nostra convenit. 10) *corpus magnum — indutum clamide militari coloris purpurei* Rodulf. 11) *Supra pectus illius signum dominicae crucis inventum est de aurifrigio factum — — Aurifrigii longitudo pene unius pedis extiterat, latitudo vix unius digiti.* Rodulfus. 12) Plane eadem refert Rodulfus l. c. 13) Cf. Rod. p. 33 — *contradicebaturque* (corpus) *ab omnibus domno Norberto.* 14) *Floreff* prope Namurcum, cuius primus abbas exstitit Richardus, teste Hugone (Vie de S. Norbert p. 147) qui provocat ad chartularium Floreffiense. 15) Godefridi comitis Namurcensis et Ermensendis comitissae chartam de condito monasterio datam a. 1131 vide apud Hugonem l. c. p. 147.

prius habuerat, congregatis, vespere et mane verbum salutis amministrabat, consolatoriis 1121.
sermonibus exhortans eos, ne deficerent a felici proposito et spontanea paupertate, quam susceperant; et quod docebat, velut aquila provocans ad volandum pullos suos, operibus praemonstrabat. Erant enim exhortationes eius non de terra nec terrenum quid praetendentes, sed ut columba pennis assumptis volabat ad requiescendum et auditores suos volare faciebat plerumque mentis excessu raptus exemplo prophetae dicentis: *Assumam pennas* Psal. 54, 7.
sicut columbae et volabo et requiescam. Credebant quidam adhaerentes ei fratres, sufficere ad salutem quod ab ore eius audirent, ita ut neque[a] ordine neque regula indigerent. Sed vir[b] discretus et providus ne in posterum sancta eius plantatio eradicaretur et fundamentum quod supra petram firmam locare disposuerat labefactaretur, commonuit eos, sine ordine et sine regula et sine patrum institutionibus ad integrum non posse observari apostolica et euangelica mandata. Cui fratres ut oves in simplicitate pastorem sequentes, in hiis quae proponeret omnimodis obtemperare spoponderant. Multi quidem religiosi tam episcopi quam abbates diversa ei consilia dederant, alius heremiticam, alius anachoretarum vitam, alius Cysterciensium ordinem assumendum suadentes. Sed ille cuius opus et consilium de supernis pendebat, qui suum principium non sibi nec hominibus, sed ei qui est omnium initium commendabat et multa in corde suo conferens, tandem ne professioni canonicae, cui et ipse et quotquot cum eo vivere volebant attitulati fuerant ab infantia, iniuriam inferre videretur, regulam quam beatus Augustinus suis instituit afferri praecepit. Apostolica etenim vita, quam in praedicatione susceperat, iam optabat vivere quam utique ab eodem beato viro post apostolos audierat ordinatam et renovatam fuisse. Sub huius regulae professione in die natalis Domini in loco Praemonstratensi ad illam beatae per- Dec. 25.
hennitatis civitatem singuli se ipsos voluntarie conscripserunt. Deinde cum singuli singulas super eandem regulam expositiones et interpretationes, diversas opiniones autumarent, eo quod eius scripta et aliorum regularium opera videbant non convenire, aliosque ad timorem, alios ad dubitationem, alios ad teporem inducerent, utpote plantationem adhuc tenuiter[c] radicatam: *Quid miramini,* inquit homo Dei, *vel haesitatis, cum universae viae Domini misericordia sint et veritas? Etsi diversae numquit aversae? Si usus mutatur et institutio, numquit debet mutari caritatis vinculum, quod est dilectio? Regula quidem[d] dicit: „Primo diligatur Deus, deinde proximus". Regnum Dei non operatur sola[e] institutio, sed veritas et mandatorum Dei observatio. Ergo quia de dilectione, quia de labore et de abstinentia escae, de vestitu etiam, de silencio, de obedientia et quod invicem honore praevenire deberent et patrem suum honorare evidenter haec regula determinat, quid est quod amplius alicui regularium ad salutem obtinendam expediatur? Quod si de colore vel grossitate vel subtilitate vestium fiat aliqua inter spiritales contentio, dicant qui ob hoc derogandi potestatem accipiunt, dicant inquam de hac regula, dicant de euangelii et apostolorum institutione, ubi albedo et nigredo subtilitasve vel grossitudo describatur, et credatur eis. Unum est tamen, quod testes resurrectionis angeli in albis apparuisse legantur, auctoritate vero et usu ecclesiae poenitentes in laneis sunt. In laneis similiter in veteri testamento exibant ad populum, in sanctuario vero ex praecepto uti consueverunt lineis. In typo angelorum albae vestes, et in signo poenitentiae laneae ad carnem ferendae videntur. In sanctuario autem Dei et in divinis officiis lineae non praetermittantur.* Erat ergo

et spontanea paupertate quam susceperant; et quod docebat, velut aquila provocans ad volandum pullos suos, operibus praemonstrabat[f]. Erant enim exhortationes et sermones non de terra, nec terrenum saporem quemlibet praetendentes; sed ut columba, pennis assumptis, volabat. Volabat quidem mente et ore ad requiescendum, et suos auditores volare faciebat; ita ut cum propheta videretur dicere *Assumam* Psal. 54, 7.
pennas sicut columbae et volabo et requiescam. Unde quidam ex fratribus assidentes, in tanto meritis excessu rapti sunt, ut de locis, in quibus sedebant, surgerent, et circa se pennas quaerentes invenire putarent, statim se volantes[g] existimantes[16] et requiescere. In tantum deni- 16
que credebant se ei, et tanto familiaritatis affectu adhaerebant, ut nullum ordinem, nullam regulam, nulla sanctorum patrum instituta ad obtinendam aeternae felicitatis gloriam quaererent, nisi quod ab ore eius vel[h] audirent, vel dictum esse rescirent. Sciens hoc vir per omnia discretus, et ad omnia providus, ne in posterum sancta plantatio posset eradicari, et fundamentum, quod supra firmam petram locare disposuerat, posset labefactari, submonuit eos de ordine, de regula, de sanctorum patrum institutionibus, *etc.*

a) *deest* A. b) vir *ex* B. *recepi;* ubi A. c) tenuerit *cod.* A. d) *correxi ex* B. quid est A. e) sui A. f) *ita S.* demonstrabat *ed.* g) *ita S.* volare *ed.* h) *recepi ex S.*

16) Merum compilatoris figmentum.

1121. mens eorum, qui ab initio collecti sunt, sic affecta, ut de corporalibus cura et sollicitudo vix aliqua esset, universum vero studium ad spiritalia contulerant, scripturas divinas sequi et Christum ducem habere. Nam et pater Norbertus exhortabatur eos, asserens eos numquam exorbitare posse qui secum vellent remanere, si professionem suam secundum euangelia et dicta apostolorum et propositum sancti Augustini quod professi fuerant opere complerent. Unde factum est, ut nec vilitatem vestium erubescerent, nec difficultatem aliquam obedientiae praeponerent, iuge silentium in omni loco et in omni tempore servarent, super excessibus redarguti ad pedes proruentes humiliarentur, vultus torvitatem et verborum asperitatem etiam contra delinquentes exercere verecundarentur. Voluit quidem praefatus pater, ut fratres sui corpus ieiuniis macerarent, mentem omnimoda humilitate reprimerent, voluit sicut praedictum est fratres suos laneis ad carnem, laneis ad laborem uti, voluit ut femoralibus lineis semper uterentur, licet ipsemet asperrimo cilicio uteretur assidue. In sanctuario vero et ubicumque divina sacramenta tractanda fuerant vel celebranda propter mundiciam et multimodam honestatem lineis uti voluit, id quod omni tempore fieri decrevit. Commendabat etiam saepius tria observanda: scilicet circa altare et divina mysteria mundiciam, excessuum et negligentiarum in capitulo et ubique emendationem, pauperum curam et hospitalitatem. In altari namque exhibet quisque fidem et dilectionem Dei, in conscientiae purificatione curam sui, in hospitum et pauperum susceptione dilectionem proximi. Constanter equidem asserebat nullam umquam domum posse egere supra id, quod possit sustinere, quae haec tria sollicite studuerit observare.

17 Quadam die dum reverteretur a Remis[17] cum quibusdam sociis suis et duobus noviciis, quos de hoc saeculo traxerat sermo divinus ad eos factus, et incederent[a] cum silentio per viam in Deo suo meditantes, vox quaedam de nube auribus eorum insonuit: *Haec est,* inquit, *fratris Norberti societas.* Ad quam vox altera ex latere respondit: *Non est de hiis duobus noviciis alter de societate caeterorum.* Hoc audiebat homo et alii qui comitabantur eum, et rem taciti considerabant nichil mali suspicantes, sed tamen, quidnam fieri deberet, haesitabant. At[b] pater Norbertus, cui maior inerat sollicitudo, sciens non supervacuum esse, quod ex permissione divina hae voces audirentur, perquirebat a Deo omni orationis instantia huius rei causam, considerans interim mores et actus eorum, de quibus fuerant auditae voces. Cumque considerasset alterum eorum minus devotum in confessione, levem in verbis, inquietum in corpore, inconstantem moribus, tepidum in oratione, negligentem in obedientia, Anglicus enim erat: *Quid est,* inquit, *frater, quod gestas in corde? Expone quod latet. Si Deum quaeris, non est ulla creatura invisibilis coram eo, quia ut ait apostolus omnia nuda et aperta sunt oculis eius. Veritatem quaerimus et prout fragilitati humanae conceditur, in veritate ambulare nitimur, nec est ulla veritatis cum falsitate conventio, nec aliqua fidelis cum infideli participatio.* Cui ille caput agitando et levitatem verborum proferendo dicebat: *Putasne, bone pater, quicquam velim tibi furari? Pauper es; sed omni habenti dabitur et habundabit. Ab eo autem qui non habet et quod habere videtur, auferetur ab eo.* Haec dixit et dicta opere complevit. Nam tunc forte quidam ad conversionem venerat et cum parva substantia aliquantulum argenti attulerat, quod[c] tunc retro altare pauperis oratorii, quod tunc solum habebant, proiectum iacebat. Nocte vero quadam Anglicus ille horam sibi praevidens competentem argentum ipsum rapiens aufugit. Sic ille plenus fraude pauperibus Christi, nichil mali suspicantibus, paupertatem adauxit, in tantum ut non remaneret eis, unde sumptus procurari posset diei unius. Coadunatis itaque cum patre Norberto fratribus quam pluribus, praeparandus erat certus ad commanendum locus. Erat siquidem situs loci asperrimus et omnimodis incultus, arbustis et paludibus et caeteris incommoditatibus occupatus, nec quicquam patebat habile ad commanendum praeter capellulam et iuxta illam pomerium, et stagnum quoddam parvum de aquis montium, cadentibus pluviarum tantum tempore, et de humore paludum usque in praesens impleri dinoscitur. Ibi cum sederet homo Dei cum societate sua consolationem Dei expectans, facta communi oratione apparuit cuidam revelatio manifesta satis et evidens. Quam cum viro Dei retulisset — vidisse videlicet se in parte loci illius in cruce dominum nostrum Iesum Christum, super quem septem solis radii mirabilis claritatis fulgebant, et a quatuor partibus multitudo magna peregrinorum cum peris et baculis properabant et flexis genibus adorato suo redemptore et pedibus

a) *ita recte* B. incederant A. b) Ad *cod.* c) quot *cod.*

17) Cfr. supra c. 9. et Hermannum de miraculis S. Mariae Laudun. III, c. 2. supra pag. 655.

eius dato osculo recessuri revertebantur — vir Dei gratias egit Domino et advocato 1121. Bartholomaeo Laudunensi episcopo et fosso fundamento et consecrato, de lapidibus consecratis fundari fecit ecclesiam, astante domno Thoma de Kotzi[18] qui hominem Dei 18 metuebat et reverebatur propter Deum, astante etiam filio eius Engelrando adhuc parvulo et multis nobilibus, clericis et laicis, et populorum innumera multitudine admirante et intra se ad invicem dicente: *Quis putas est homo iste cuiusve fidei, qui nulla utitur ratione? Putasne stabile sit hoc opus, quod in tanta solitudine locatur et cuius fundamentum non in petra, non supra firmam iacitur, sed in palude?* *Tanta enim ibi palus erat, quod vix sorberi poterat, cum etiam multa lapidum congeries proiceretur; sed non debuit titubare nec potuit eradicari, quia plantatio quam plantat coelestis pater, non eradicabitur. Cementariorum autem quidam Teutonici erant, quidam Gallici, qui certatim hii in uno latere ecclesiae, illi vero in altero opus accelerabant[19]. Crevitque quam celerrime aedificium, et sub tempore novem mensium perfectum et a supradicto episcopo Bartholomaeo conse- 1122. Mai. 4. cratum est. Sed quia laetis tristia, prosperis adversa misceri solent, in eadem die consecrationis quoddam infortunium accidit. Nam cum multitudo innumera, quae convenerat ad diem festum certatim ad oblationem et circuitum altaris, ut fieri solet currerent, motum est altare maius et lapis dissolutus, consecratioque cassata est, ut praecipit auctoritas, et totus labor in nichilum redactus est. Expavit homo et contristatus est, pusillorum scandalum plus[a] metuens quam de divinis operibus, quae sine causa non fiunt, diffidens. Resumptis tamen in Domino consolationis viribus, denuo ecclesiae dedicandae in octavis sancti Martini cum episcopo diem secretum constituit — et sic factum est — qui[20] quam 20 diu vixit, ob hanc causam innovationem aliam futuris temporibus asserebat esse gerendam.

13. Post huius rei consummationem Norbertus solito more ad praedicandum egressus est. In cuius absentia fratribus Praemonstrati remanentibus innumeras antiquus hostis molitus est insidias. Quibusdam enim fratribus in luce diei cum satellitibus suis armata manu se praesentabat, in effigie eorum, quos aliquando in saeculo mortalis odii inimicos reliquerant. Illi vero territi de collisione armorum et fremitu equorum quibuscumque poterant modis se opponebant, ita ut raptis fustibus et saxis fugerent, involutis etiam brachiis aliquibus amminiculis vel tunica, resistere festinarent. Mirumque in modum acrius adeo pugnabatur, ut aestimarent iacula mitti et mittere, feriri et ferire, vulnerari et vulnerare, interfici et occidere. Ad quos cum multi fratres alii concurrerent, redarguentes eos, cur sic insanirent: *Numquid non aspicitis*, aiunt, *quod ab inimicis nostris opprimimur et iam in frusta fere concisi, ad obprobrium irrecuperabile morimur?* Tunc fratres scientes eos ab infestatione demonum illusos esse, aquam benedictam spargunt, signum crucis faciunt, et recedente malignorum turba spirituum, illi, quasi hostibus victis et in fugam conversis, concito cursu insequebantur, altis vocibus inclamantes: *Eia, eia, revertimini et resistite, alioquin turpissima morte moriemini, si amodo*[b] *vos adire praesumpseritis.* At postquam in se reversi quidam ex ipsis, delusos se esse, cognoscunt, fortiter exinde perstiterunt, qui fortiter vicerunt. Quidam vero ignominiam tantae irrisionis ferre non valentes et perseverantiam desperantes, aculeo caudae demonis percussi recesserunt. Aggressus est etiam contra eosdem fratres demon aliud fraudis suae genus. Quosdam, cum quibus aliquando voluntatis suae receptaculum habebat, tanta fallacia replevit, ut qui prius vix aliqua in libro legere poterant, nunc de libris magna quaedam dicerent et futuris prophetando maiora et stupenda praedicarent. Danielis denique unus ex eis prophetiam se scire asserebat, et de ea quaedam duce mendacio loquebatur, ubi de quatuor et septem et decem cornibus et regibus propheta scribendo inducit et de antichristo, **in quibus simpliciores quosdam[c] attentiores

* *B.* Tanta namque ibi palus erat, quod vix sorberi poterat, cum etiam multa lapidum congeries proiiceretur. Sed non debuit titubare, nec potuit eradicari, quia plantatio, quam plantat pater caelestis, non eradicabitur. Porro pars caementariorum Teutonici erant — conduxerant enim eos Colonienses quidam, amici hominis Dei — pars nostrates, amici iam Praemonstratensium: et contendebant in opere, alteri in altero latere ecclesiae, alteri in altero accelerantes.

** *B.* In quibus iam simpliciores quosdam attentos reddiderat, et, si fieri posset, etiam Dei hominem et venerabilem Symonem[d], abbatem Sancti Nicholai[d], in errorem induxisset; quia in tantum processit eius

a) *manu recentiori superscriptum cod.* b) ammodo *cod.* c) *recepi ex* B. quosque A. d) *ita S.*

18) Conci rectius B. De Thomae origine accuratam dissertationem chronico inseruit Albericus anno 1119 p. 233. 19) cf. Hugo Vie de S. Norb. p. 111. 20) Bartholomaeus anno 1150, episcopatu abdicato, Fusniaci monachus est factus. Cf. Sigebert. Cont Praemonstr. SS. VI, p. 455.

1122. reddiderat, et si fieri potuisset, etiam ipsum Dei hominem, Symonem venerabilem abbatem
21 Sancti Nicolai[21], in errorem duxisset. Quia in tantum processerat eius arrogantia, ut ipsis assidentibus etiam in capitulo sermonem facere praesumeret, cuius inicium erat: *Estote fortes in bello et pugnate cum antiquo serpente;* ad sequentia autem: *et accipietis regnum aeternum* nullatenus procedere valebat. Inter haec et huiuscemodi clericus quidam laboris huius iniqui minister, subito quadam infirmitate arripitur, et qui prius de visibilibus[a] loquebatur, iam in coelum os suum ad invisibilia et ineffabilia tollere praesumebat. Concurrunt fratres ad inunguendum eum, concurrunt ad audiendum quae dicebat, qui de se quidem magna, de aliis vero circumstantibus maiora asserebat, de se, quia in eadem vespera aut esset cum angelis in coelo aut staret sanus cum caeteris fratribus in choro; de aliis vero quasi augurando et prophetando dicebat: *Hunc, cum nuper in extasi factus essem, vidi ad aeternitatem vocatum, istum iam in sede felicitatis positum, lectum huius felicitate eadem praeparatum; iste futurus pontifex, iste constituendus rector et multorum regularium magister; iste in bono proposito perseveraturus, iste alius deficiens recessurus.* Hiis dictis, se contulit quasi ultimum exalaturus spiritum, cum post unius horae spatium audito sono vesperarum, subito surrexit et veloci cursu cum aliis chorum intravit. Quod cum astantes cernerent, cum verecundia se delusos esse cognoverunt. Suscitavit item malignus hostis alium, qui sicut ille de prophetia Danielis, sic iste de Iohannis apocalipsi profitebatur se scire et rimari debere dona coelestium secretorum. Nunciatum est hoc priori in loco laboris et per eum conventui. Revertuntur ut audiant, quaenam sint haec nova. Sedebat hic rubens velut ebrius Reinaldus[b] nomine, sedebat alter e regione nomine Burchardus flens inconsolabiliter. Cumque quaereretur ab eo causa tam inmensi luctus: *Domni mei fratres,* ait, *en hic aemulus meus mortem michi intendit, et ecce circumspiciatur lectus eius et invenietur instrumentum mortis meae.* Quaesitum est, et sub utriusque lecto inventa sunt odii signa, cultellus videlicet mirae longitudinis et clava non modica. Quae cum in conventu fuissent allata, dixit eis prior: *Fratres, et utinam fratres, discipuli domini nostri Iesu Christi Spiritu sancto eruditi et illuminati zelo invidiae et venenis odii caruerunt. Spiritus enim sanctus non est discordiae sed concordiae, non est dissensionis sed pacis. Ecce iam patet, de quo fonte hauseritis malum et non bonum, amarum et non dulce. Unde in nomine Domini silencium vobis imponimus, nec enim vos audiemus quousque revertatur pater noster Norbertus.* Sic de caetero fratres contra haec et talia cautiores facti sunt.

14. Evoluto aliquanto tempore malignus hostis item iuvenem quendam, conversi cuiusdam filium, arripuit et nequiter torquere coepit. Fratres stupentes et admirantes quinam essent tam frequentes eius assultus, ligatum demoniacum recludunt, donec consilium super eo haberetur. Facto autem silentio noctis cum prior ad eum intrare vellet, ostiis adhuc clausis demon interius alta voce clamare coepit: *Modo intrabit ad me, modo intrabit ad me, modo venit, modo venit magister ille cum clavata tunica, qui maledicatur; firmate ostium, firmate quam celerrime, ne accedat ad me.* Non ob hoc cessit prior, sed pulsans ostium intravit, stansque ante illum dixit: *Dic, rogo, quid est, quod loqueris?* Respondit: *Interrogas me, quid loquar, an quis sim qui loquor? Neutrum indicabo tibi. Numquid tu magister es, aut tutor istius, aliorumve doctor? Recede,* inquit, *recede quam citissime, ne a me ignominiose iniuriatus recedas.* At ille certus, quia spiritus nequam esset et quia ad decipiendum saepissime venerat, modo autem ad perimendum: *Adiuro te,* inquit, *per Iesum Christum filium Dei, qui tuas in cruce vicit insidias et potestatem, quam iniuste et fraudulenter rapueras super hominem, iuste et potenter recepit, ut quis sis celare non praesumas.* Ait: *Numquid sic me coges?* Respondit: *Non ego, cogit te qui en et altera vice, ut praemissum est, te vicit.* Et exclamans demon: *Ei miser, quid agam? Ego sum,* inquit, *ille, qui fui in puella Nivigellae coram Norberto magistro tuo, albo cane. Maledicatur hora, in qua natus fuit.* Ad haec verba prior fratres convocat, qui cum humilitate corporalem disciplinam suscipiunt, ieiuniis et

arrogantia, ut ipsis assidentibus etiam in capitulo sermonem facere praesumeret. Et qui vidit et audivit, perhibet huius rei testimonium, et hoc signum eius, quia de sermone profert initium[c]. Erat enim hic sermo: *Estote fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente.* Hoc spiritus ille mendax per organum illud assumptum proferebat, sed ad veritatem quae sequitur, videlicet: *et accipietis regnum aeternum*, nullatenus procedere valebat.

a) *ita* B. invisibilibus A. b) Remaldus A. c) et hoc signum — initium *erasa in S.*

21) Laudunensis, cf. Hugo Vie de S. Norbert p. 114.

orationibus insistunt. Dehinc cum aqua benedicta ad demonem accedunt. Coepit igitur ille 1122.
fremere et cum magno strepitu clamare. *Veniant*[a] *hinc hoc ad bellum*[b], *plures enim sumus
et conteremus eos, ut a lapide grana conteruntur, et prorsus delebimus.* Cui cum prior respon-
deret: *Sic facies, si accepisti potestatem*, ille manibus contra eum extensis ait: *Putasne, te
istorum esse magistrum?* Et extensis digitis ad crucem quae ibi tenebatur: *Ille*, inquit, *est
magister, non tu. Pro te nichil facimus, sed ille est a quo torqueor.* Demones enim dominum
nostrum Iesum Christum crucifixum fatentur et timent. Iudaei et falsi christiani non agno-
scunt, sed detestantur et rident. Solutus est denique ille, in quo spiritus erat nequam, sed
cum vix a multis teneri potuisset, iuvenis quidam clericus[22] de conventu humilem de vera 22
obedientia, cui totus deditus erat, assumens praesumtionem dixit: *Praecipiatur*[c] *michi per
obedientiam, et tenebo eum non meis sed obedientiae manibus et vinculis.* Cui cum praeceptum
datum fuisset et alii discessissent, ille solus tenuit et ad aspectum vultus sui trementem
eum ad aquam benedictam adduxit. Ponitur in aqua exorzizata, leguntur exorcismi et
euangelia, orant et plorant fratres in disciplinis corporalibus, veniis[23] et variis afflictionibus, 23
tandem post nimias miserrimi corporis vexationes demon super linguam hominis residens
in modum grani nigerrimae lenticulae aperto ore linguaque extracta omnibus astantibus se
ostendit dicens: *Ecce ego! sed pro vobis omnibus hodie non egrediar.* Cui cum respondere-
tur: *Mendax es et ab initio in veritate non stetisti nec tibi in aliquo credendum est*, non post
multum exivit, intolerabiliter foeda relinquens vestigia, statimque suo tortore corpus eva-
cuatum in lectum aegritudinis decidit; postque diuturnam recreationem vix ab aegritudine
convaluit. Erat tunc temporis in porta ad elemosinas dandas et hospites recipiendos cum
oratione positus frater quidam satis probandae sanctitatis. Cui quadam nocte iacenti super
lectum, qui cunctis idem erat de filice[d], affuit sathan non dormienti sed iacenti rugiens et
in modum suis aliquando grunniens et filicem[d] circa pedes fratris circumvolvens. Quod
cum prima et sequenti tertiaque nocte ageret, frater ille, a priore accepto consilio, tertio
venientem sic alloquitur: *Miser et miserrime tu quondam Lucifer, qui mane oriebaris, in
deliciis paradysi fuisti, sed cum tibi non sufficerent haec et diceres: „Ponam sedem meam ad
aquilonem, ero similis Altissimo", idem quod eras amisisti, pro luce tenebras, pro beatitudine
miseriam, pro loco deliciarum foetorem cum porcis eligens commutasti. En dignum concam-
bium, idonea commutatio. Eia non hic tibi locus est, sed in foetore cloacarum te volutans porcis
assimilare et in locis putentibus districti tempus examinis praestolare.* Recessit confusus, nec
ad hunc fratrem de caetero in aliqua visibili effigie temptator accessit. Sic enim confundi-
tur et verecundatur spiritus nequam, dum illi deliciae quas perdidit obiciuntur, sicut pavet
et contremiscit, dum illi minae et terrores iudicii venturi in adiurationibus proferuntur.
Inde sacrae mos inolevit ecclesiae, ut omnium exorzismorum conclusio in fine sic sonet:
Exorzizo te per eum, qui venturus est iudicare vivos et mortuos et saeculum per ignem.

* Defatigatis igitur multipliciter fratribus, cum apud simplices locum deceptionis malignus
hostis non inveniret, facili volatu Traiectum[24] transiit, ubi pater Norbertus erat, et hominem 1121
quendam, principis cuiusdam villicum, arripuit. Erat tunc in eodem oppido annuae celebri- 1123.
tatis dies, et sacerdos Dei Norbertus apud ecclesiam maiorem in multa frequentia populi
missam celebravit. Ubi demoniacus ille horrendum fremens vix ligatus tenebatur. Finitis
missarum sollempniis, oblatus est ei cum magno suffragio plebis circumstantis. Cum sacris
adhuc amictus vestibus immo sancti Spiritus virtute accinctus ad debellandum hostem im-
portunissimum accederet, fratres quidam rogabant eum, ut imbecillitati suae parceret,
quia iam vespera erat, et hunc eventum esse casualem neque omnes casus emendari
posse dicerent, ipse permotus et vultu et responsione gravi reverberavit eos dicens:
*Nescitis, fratres, quia invida dyaboli mors introivit in orbem terrarum, quae et adhuc in eo per-
severat, nec resipiscendi umquam habebit voluntatem. Iste siquidem ad hoc se ingerit tam fre-
quenter et importune, ut et me odiosum reddat, et verbum Dei, quod per me ministratur, in cor-
dibus audientium faciat vilescere et ab eis qui id susceperint, etsi evidenter non potest, latenter
tamen ex innata sibi arrogantia laboret auferre. Numquid in auribus vestris veritatis non
sonuit expositio, quae dicit, quia „venit dyabolus, ut tollat semen verbi Dei de cordibus eorum?"*

a) *ita* B. venient A. b) nostri ad hoc b. B. c) Prepiatur *cod.* d) *ita* B. felice — felicem A.

22) Richardum vocat Hugo Vie de S. Norb. p. 116.
23) i. e. inclinationibus; cf. quae notavimus supra ad vitam S. Anselmi Lucensis.
24) Norbertum Traiectum hoc tempore commoratum fuisse tradunt etiam Kappenbergenses in additamentis ad vitam Norberti posteriorem (B), quae infra dabimus.

1121 Haec dixit et statuto demoniaco ante altare exorcismum aggressus est, demonem compel-
1123. lens ut exiret. Et cum salem exorzizatum ori eius immisisset, ille magno impetu in faciem et in oculos sacerdotis exspuit dicens: *Iam tu consilium dedisti, ut in aquam mitterer, ut ibidem durissimis caesus flagellis usque ad mortem fere verberarer; frustra niteris, me tua flagella non laedunt, minae tuae non terrent, mors non cruciat, nec me mortis vincula ligant.* Consilium quidem datum erat, ut in aquam exorzizatam mitteretur, furioso istud non audiente. Cum ergo circumstarent et clerus et populus, alii ob curiositatem alii ob pietatem, pessimus ille demon per os invasi hominis multorum reprobam vitam, adulteria et fornicationes coepit detegere; et quicquid confessione tectum non fuerat, malicioso eius ore detegebatur. Hoc audientes coeperunt omnes hac illacque diffugere, paucis cum patre Norberto remanentibus. Inclinata autem die, fatigati qui aderant ieiunio et vigiliis noctis praecedentis, coegerunt ire eum ad hospicium, ut menbra debilia refectione et somno recrearet. Ubi cum ad coenam cum fratribus suis et quibusdam hospitibus resideret, nunciatum est ei, quia aeger ille quietus sedebat et solutus ante altare de maledictis, quae turpiter intulerat, veniam precabatur. Gratias egerunt Deo; vere enim illa nocte et in crastino, quasi curatus esset, apparuit. Habebatur vero inter cives eiusdem oppidi quoddam mortale odium, ad quod cum in crastino per totam diem pater Norbertus componendum et sopiendum laborasset, et per Dei gratiam pacem inter eos ex integro reformasset, diabolus, qui de cordibus eorum expulsus erat, non libenter digrediens, in eundem miserum hominem qui curatus videbatur regressus est. Qui statim iterum coepit stridere et furere. Regresso itaque ad ecclesiam Dei sacerdote, *Nescis*, inquiunt astantes, *quia energuminus ille hesternus insanit? nisi quam cito curetur, furore suimet consumptus interibit.* Respondens homo Dei: *Non*, inquit, *modo a suo tortore liberari poterit, quia peccatis suis exigentibus hoc ei accidit* — nam et officium procuratoris villae gerebat — *et merito suo tortori traditus est. Sinite eum modo, ut postquam vexaverit eum per aliquot*[a] *dies, satisfactione exhibita, sanetur.* Quod et factum est. Tribus enim diebus acerrime vexatus, postea ab eo divina miseratione curatus est, ita ut mentis suae compos incolumis ad propria reverteretur.

1121 15. Eo tempore fama celeberrima percurrente, comes quidam Westfaliae praepoten-
25 tissimus Godefridus[25] nomine, timoris Dei spiritu concepto, accessit ad Norbertum et de relinquendis omnibus suis et de paupertate voluntaria amplectenda propositum suum ei aperuit. Erat enim dives, potens in armis, praediis, servis et ancillis satis locupletatus. Quibus omnibus abrenuncians, homini Dei disponenda contradidit, ea siquidem conventione interposita, ut castrum Kappenbergense in religionem commutaret et ad servicium Dei consecraret, ut ubi regnaverat viciorum executio, virtutum ibidem locum faceret divinae benedictionis consecratio. Contradicebant huic facto uxor ipsius[26] et frater eius[27] iunior,
28 hominesque et ministeriales eorum simul cum comite Friderico[28], patre uxoris suae, qui ex magna parte elemosinam, quam[b] fecerat, de dote filiae suae esse dicebat. Cumque super hac re multiplex et longa habita fuisset disceptatio, tandem nutu Dei uxor consensit et frater idem conversionis propositum aggressus est. Sicque factum est, ut de possessionibus eorum tres ecclesiae instituerentur, Kappenbergensis[29] videlicet, Elvestadensis, Var-
30 lariensis[30]. In quibus adunatis fratribus usque in hodiernum diem viget digna Deo religio.

a) aliquod *cod.* b) *paullo recentiori manu superscriptum cod.*

25) Cf. supra Vit. Godefridi Cappenbergensis p. 516. 26) Iutta post abbatissa Hervordiensis. 27) Otto, cuius mentio etiam in bulla Honorii II occurrit, Norberto successit post alterum Ottonem in praepositura Kappenbergensi et obiit 1171 aut 1172. Cf Acta SS. 23. Febr. p. 360. — De iisdem Cappenbergensis monasterii fundatoribus plura scitu digna tradit charta Heinrici V (anno 1122) apud Lobwissen data. Schaten Ann. Pad. p. 702: *Notum fieri cupimus — — quod Godefridus comes et frater eius Otto castrum Cappenberg — Deo — obtulerunt tradentes hoc venerabili fratri Nortberto suisque fratribus sibi subiectis. — — Hoc et fideles Dei scire volumus, quod eidem Godefrido eiusque fratri, pro redemptione animae, supradicto sacerdote pro eis intercedente, regiam offensam condonamus, obsides eorum manumittimus et quidquid causae vel exactionis in ipsos habuimus vel habere possumus, aeternaliter condonamus.* Quod quidem diploma Boehmerus non recepit. 28) de Arnsberg. 29) Ecclesia Cappenbergensis die 15. Augusti 1122 consecrata est; vid. supra p. 519. 30) In charta Honorii II d. 27. Mart. 1126 Lateranis Norberto data (Hugo Vie de S. Norb. p. 161) vocantur *Capenberg, Varlar, Elofstat*, similiter in secunda vita, hodie *Capenberg, Varler.* Elofstat vero vel Elvestat est Ilmstadium in Wetteravia, quinque leucis Francofurto distans. Cf. supra p. 516 et Act. SS. Iun. I, p. 844 E. et Ian. tom. I, 847 et 853. Praeterea consule duas chartas

Comes autem Fridericus, pater uxoris comitis, ambitioni suae nimium indulgens, quia castrum Cappenbergense dominatum Westfaliae tenuerat, praetendens esse dotem filiae suae, comminatus est fratribus, quod nisi quantocius abscederent, ab eo omnes interficerentur. Aliquociens etiam cum comitatu suo illuc usque accedebat, patri Norberto comminans, quod si ipsum inveniret, cum asino suo eum suspenderet, ut aequa lance experiretur quis eorum ponderosior esset. Tam superbae locutioni qui aderant episcopi aliique principes contradicebant, iram Dei ei comminantes. Iam enim pater ille circa Renum apud omnes pluris habebatur, nec aeque ferre poterant, si a quoquam ei malediceretur. Fratres ergo Kappenbergenses in arto positi, miserunt ad virum Dei, auxilium eius postulantes simulque superbi hominis arrogantia verba nunciantes. Quo nuncio audito, collectis viribus fidei et spei in eum qui dixit: *Confidite, ego vici mundum*, publice pronunciavit se cum asino suo terram illam ingressurum et copiam sui se ei facturum. Quid multa? Quamvis iter longum esset, tamen animum suum mutare noluit, sed transito Reno terram Friderici comitis intravit inermis et debilis. In qua dum moraretur, ultio divina super comitem venit. Nam cum in prandio sederet, dirupto[a] ventris torace, medius crepuit, et fecit maliciae finem 1124.
simul et vitae[31]. Eo itaque mortuo pax ecclesiae reddita est. 31

Reverso postmodum in Franciam patre Norberto, adiit eum princeps quidam nobilissimus Franciae, comes videlicet Theobaldus, de salute sua consilium quaesiturus. Audierat enim idem pater, comitem istum largissimum esse in dandis elemosinis, in ecclesiis et claustris aedificandis; audierat, hunc patrem esse orphanorum, sponsum viduarum, procuratorem pauperum et infirmorum; ideoque sanctae huius conversationis consuetudinem mutare non praesumpsit, sed consilium dedit, ut incepto opere bono persisteret et contracto matrimonio procrearet heredem, qui cum benedictione praecedentium patrum suorum terram largissimam obtineret. In hoc autem consilio vir Dei multa usus est discretione, quippe qui memoratum principem Westfaliae, raptorem alienorum, propriis renunciare voluit, hunc autem Franciae comitem, qui de facultatibus suis egenos sustentabat, tamquam nichil habentem cuncta possidere persuasit. Disposuerat tunc temporis homo Dei 1126.
Romam proficisci; cuius itineris socii facti sunt legati comitis ipsius, qui cum eo Ratisponam usque pervenerunt. Frater episcopi[32] civitatis eiusdem erat Engelbertus marchio multae nobilitatis et potentiae, cuius filiam nubilem domino suo Theobaldo in coniugio dandam postulaverunt[33] et obtinuerunt, et prospera nunciaturi ad dominum suum reversi 33
sunt. *Norbertus vero coepto itinere Romam pervenit, ubi a bonae memoriae papa

* *B.* Reversi sunt legati eius[b] haec nuntiantes, et pater Norbertus coeptum iter aggrediens, Comam[34] pervenit, ubi a beatae memoriae papa Honorio honorifice susceptus est, et quidquid iuste petebat ab eo, gratanter accepit. Peractisque omnibus, cum iam de reditu cogitaret, quadam nocte summo diluculo, cum in Deum meditaretur ipse, et quidam sociorum suorum, quos itineris sui solamen habebat, audita est vox ab illis manifeste, Parthenopolis ipsum esse episcopum futurum denuntians. His auditis admirantes stupebant, nec audebat quisquam eorum alius alteri[c] fateri quid audivisset[d]. Praemiserat enim unum ex clericis suis nuntiare comiti reditum suum, et accipere responsum, quid de matrimonio placeret ei, quod per legatos suos audierat sibi quaesitum. Ipse vero rediens, forte transitum habuit per quamdam civitatem Herbipolis[e] nomine, quae tunc temporis episcopo carebat. Et coegerunt eum populus et clerus[f] — erat 1126
enim pascha — ut apud eos illud celebraret. Illo denique retento, cum in die sancto ma- Apr. 11.
iorem missam in ecclesia cum magna frequentia populi[g] celebraret, ventumque fuisset ad sacrosancti[h] dominici corporis et sanguinis perceptionem, accessit ad eum caeca mulier, quae omnibus nota erat, et eo, de[i] flatu dominici sanguinis recenter perfuso, sufflante in oculis, lumen recepit. Unde cum in admirationem laudis, cunctus assistens populus magnificentiam Dei altis vocibus extolleret, contigit ut quidam divites de maioribus civitatis compuncti, et in amorem Dei accensi se et sua per manus hominis Dei

a) dirupta *cod.* b) *recepi ex S.* c) alii *S.* d) audisset *S.* e) Werceburg *S.* f) clerus et populus *S.* g) in eccl. c. m. fr. pop. *recepi ex S.* h) *ita S.* sacrosanctam *editt.* i) *deest S.*

Adelberti I archiepiscopi Moguntini annis 1123 et 1135 de hoc monasterio datas apud Gudenum Cod. diplom. I, 53 et 113. 31) V. supra p. 518 n. 22. 32) Hartwici 1106—1126. 33) Cf. Alberic. ad a. 1126: *Dominus Norbertus — missus est ad partes Alemannorum a comite Theobaldo Campaniae ad accipiendam et deducendam sibi uxorem filiam cuiusdam Ingelberti nobilis marchionis Foroiuliensis, et fratres eiusdem Ingelberti erant episcopus Ratisbonensis et archiepiscopus Coloniensis Fridericus.* 34) Ita Ianingus Acta SS. Iun. p. 843, neque Bethmannus noster qui huius vitae posterioris codicem Suession. saec. XIII conscriptum contulit, ullam variam lectionem adnotavit. Attamen *Romam* legendum esse et vita prior et charta Honorii d. 27. Febr. Lateranis data suadent.

1126. Febr. Honorio honorifice susceptus est, et quicquid iuste petebat gratanter ab eo accepit[35], peractis-
que negotiis suis iter remeandi arripuit et ad civitatem Herbipolim pervenit. In eo itinere
tam ipsi quam quibusdam itineris sui sociis manifeste auditum est, quod Parthenopoli fu-
Apr. 11. turus esset antistes. Cum itaque apud Herbipolim die festo paschae in ecclesia maiori
cum magna frequentia populi missam celebraret, cum iam perciperet corpus et sanguinem
dominicum, accessit ad eum caeca mulier, quae omnibus nota erat, ipseque, iam recenter
percepto sanguine dominico, flavit in oculos eius, moxque illa lumen recepit. Unde cum
admiratione laudis cunctus assistens populus magnificentiam Dei magnis vocibus attolleret,
contigit ut quidam de maioribus civitatis[36] compuncti se et sua per manus hominis Dei
Deo redderent, de quorum possessionibus prope civitatem ecclesia aedificata esse dinosci-
37 tur, quae Cella nomine[37] divinis cultibus claret[a] usque in hodiernum diem. Recordatus
vero homo Dei cum sociis suis vocis quam in reditu a Roma audierat, metuens ne in eadem
civitate[38], quae episcopo carebat, episcopus eligeretur, clam egressus festinanter abscessit,
reversusque Praemonstratum, ecclesiam beati Martini quae est apud Laudunum in suburbio,
39 ecclesiamque Vivariensem[39], quae est in Suessionensi pago, locatis ibi fratribus suis, ordi-
navit. Eadem sane die qua ad Vivariensem ecclesiam fratres Norberti accesserant, contigit
ut agricolae cuidam novanti novalia assisteret hostis antiquus niger et horrendo habitu,
dicens: *Quid laboras? Quid agis? subiugare michi et ditabo te.* Cui ille, putans eum mo-
nachum esse, respondit: *Sint tua tibi, nos dominum habemus Norbertum. Ille nos tam in
anima quam in corpore ditabit.* Audiens haec demon indignanter insufflavit in eum et eva-
nuit dicens: *Norbrec*[b], *Norbret!* quasi ab hoc nomine torqueretur. Rusticus autem ille,
deiecto rastro, per devia currebat amens et clamans. Concurrunt vicini, qui in eodem
campo in simili laborabant opere, viderunt illum extra se esse, tenent illum et vinctum[c]
ducunt eum ad ecclesiam Vivariensium. Vespere facto venit ad locum illum Norbertus cum
archidiacono Suessionense Anscolfo nomine, in cuius ditione ipsa erat ecclesia, ut sicut[d]
mos est terrae illius, auctoritate sua locum ipsum homini Dei assignaret; quod et factum
est. Cum itaque demon praefatum rusticum acriter vexaret, et de nomine suo requisitus
Olybrium se nominaret, qui beatam Margaretam cruciaverat, pater Norbertus multis postu-
lantibus ad hominem obsessum accessit, eumque aqua benedicta aspersit. Dehinc gingivas
eius sale benedicto fricans et aqua benedicta lavans, praecepit ei, ut per novem continuos
sequentes dies nullis uteretur cibis, nisi sale benedicto et aqua benedicta conditis. Hoc
facto sanatus homo in propriam domum rediit, factoque mane ad ecclesiam veniens, quae
sibi in agro acciderant, cum gratiarum actione ex ordine populo recitavit.

40 *16. Eo tempore[40] apud Andverpiam, qui locus erat amplissimus et populosus, per-
niciosissima haeresis oborta est. Haereticus enim quidam, mirae subtilitatis et versutiae

Deo redderent: de quorum proprietate et possessione ecclesia aedificata ibidem esse dignoscitur, quae divinis cultibus claret usque in hodiernum diem. Recordati vero vocis, quam Romae audierant, ipse homo Dei et fratres sui, eo quod Parthenopolis et Herbipolis utrumque nomen civitatum polis finem faciebat, timentes ne in episcopum assumeretur ab his qui supra modum magnificabant eum propter magnificum opus Dei, quod ibidem contigerat, festinanter egressi de civitate recesserunt.

* *B.* Erat siquidem et est Antverpiae locus oppidum amplissimum et populosum, in quo unus erat
41 tantum sacerdos[41], qui curam totius populi ibidem commorantis habebat regere; sed prae nimia multitudine et frequenti negligentia non poterat, nec credebatur ei, eo quod et ipse,

a) daret *cod.* b) *ita cod.* c) victum *cod.* d) sicut *addidi.*

35) Confirmationis chartam die 17. Febr. 1126 datam vide apud Hugo Vie de S. Norbert p. 239 et in Act. SS. Iun. I, 844, cui altera iam supra laudata data die 27. Febr. 1126 Lateranis coniungenda est. 36) Ex quibus Bruschius Chr. Monast. Germ. p. 35: *Ioannem sacerdotem, Henricum et Ludolphum laicos* nominat. 37) Oberzell ad Moenum, unum milliare distans a Wirzburg. 38) i. e. Wirzeburgi. 39) hodie *Val-Sery.* Cf. Act. SS. Iun. I, p. 844; Hugo Vie de S. Norb. p. 198. 40) Erravit auctor; Norbertum a. 1124 duobus iam annis ante susceptum iter Italicum, Antwerpiam venisse, fidem facit diploma Hildolphi praepos. S. Michaelis Antwerpiensis eo anno datum. Cuius initium hic ex A. SS. l. c. p. 933 damus: *Cum in diebus nostris quidam Tanchelinus nomine in partibus nostris advenisset et venenoso sermone a fide et sacramentis ecclesiae plurimos avertisset, hac de causa ut illa haeresis quae provinciam nostram occupaverat, funditus extingueretur, consilio D. Burchardi episcopi* (Cameracensis) — — *Norbertum virum nostris temporibus spectabilis religionis accersiri curavimus, eique ac suis fratribus — supradictam ecclesiam* (S. Michaelis) — — — *tradidimus.* 41) Ianingus l. c. p. 933 suspicatur hunc esse Hilduinum parochianum qui chartae Hildolphi supra laudatae subscripsit.

seductor, Tanchelinus[42] nomine, ad locum illum veniens suae seductionis ibidem oportu- 42 nitatem invenit. Erat quidem idem ille sceleratissimus et christianae fidei et totius religionis inimicus in tantum ut obsequium episcoporum et sacerdotum nichil esse diceret, et sacrosancti corporis et sanguinis domini nostri Iesu Christi perceptionem ad salutem perpetuam prodesse denegaret. In quem errorem multum populum terrae illius induxit, ita ut in omnibus crederent ei, et sequerentur eum circiter tria milia pugnatorum, nec erat dux aut princeps, qui ei occurreret aut resisteret. Vestibus deauratis circumdatus erat, auro in tortis crinibus et multiplici ornatu refulgens. Magnis quoque conviviorum[a] apparatibus et verbis persuasibilibus ad seducendum benivolentiam auditorum exhauriebat. Res mira et stupenda! balneum eius bibebant[43] et reliquiarum loco asportantes recondebant, et 43 aliis multimodis turpissimis et detestandis execrationibus sese voluntarie implicabant, ita ut pestiferum malum post mortem etiam ipsius haeretici nullatenus exstirpari potuerit. Erat in eodem oppido congregatio duodecim clericorum, qui erroris huius necessitate cogente, patri Norberto et fratribus eius per manum episcopi sui eandem ecclesiam suam 1124. cum aliquibus reditibus suis dederunt, sperantes quod meritis eiusdem patris et fratrum suorum multiferae[b] pestis tolleretur saevitia, et tenebris ignorantiae depulsis, lumen veritatis infunderetur. Suscepta est a Norberto eadem ecclesia[44], et praefati clerici in eodem 44 oppido aliam sibi aedificaverunt ecclesiam, quae utraeque manent usque in hodiernum diem Dei servicio mancipatae. Sicque factum est, ut gentem illam, quam seductor ille pessimus fraudulenter seduxerat, pius praedicator Norbertus per se et per suos ad viam veritatis et iusticiae reduceret.

17. Inter caetera praetermittendum non est, quod cum tempore hyemis vir Dei Norbertus Praemonstrati esset et occasione accepta verbum exhortationis ad fratres nocte haberet, sitientibus aliquibus aqua de fonte allata est. Quam cum immundam esse Norbertus assereret, qui eam attulerant vas bene lotum et aquam purissimam se detulisse protestabantur. Ille autem ne quis ex eadem aqua gustaret attente prohibebat. Unde fratres accenso lumine fundum vasis diligenter intuentes, invenerunt vermem teterrimum mirae

quasi in coniugio et copula carnali, neptem suam in linea tertia manifeste sociam sui sceleris fecerat. Ob hanc causam populus ille, quasi grex sine pastore, in multis errorum vanitatibus deviabat: unde contigit, ut haereticus quidam, mirae subtilitatis et versutiae seductor, Tanchelinus[c] nomine, ibi adveniret. Erat denique omnium hominum sceleratissimus, et Dei et omnium sacramentorum eius inimicus, et totius religionis et christianae fidei contrarius, in tantum ut obsequium episcoporum et sacerdotum nihil esse diceret, et sacrosancti corporis et sanguinis domini nostri Iesu Christi perceptionem ad salutem perpetuam prodesse denegaret, et populum illum, cui iam per multa tempora veritas horum nuntiata non fuerat, in eumdem errorem induceret. Credebant ei et sequebantur eum circiter tria milia pugnatorum; nec erat dux aut episcopus vel quilibet princeps, qui auderet ei resistere vel occurrere, nec ante eum, nisi sectam eius[d] sequeretur, apparere. Cum pretioso apparatu, in vestibus deauratis, triplici funiculo crinibus intortis et auriphrygii[e] ligamine triplicatis incedebat; et verbis persuasibilibus magnisque conviviorum apparatibus benevolentiam[f] eorum ad seducendos eos exhauriebat. Res mira et stupenda! Balneum suum bibebant, et reliquiarum loco asportantes recondebant. Et cum filias in matrum praesentia sponsasque maritis videntibus corrumperet, opus spirituale esse asserebat, in tantum, ut infelicem se diceret, quae huic coniunctioni nefariae misceri non meruisset. Haec turpissima et detestanda seductionis execratio etiam post mortem ipsius haeretici extirpari nullatenus potuit, quamvis duodecim clericorum congregatio ab episcopo ad subsidium sacerdotis, qui solus erat in ecclesia sancti Michaelis, ibidem poneretur. Tunc[g] vero clerici, caritate suadente et hac evidenti necessitate cogente, patri Norberto et fratribus eius per manus episcopi hanc eamdem ecclesiam cum aliquibus reditibus, scilicet quatuor de praebendis suis[h], dederunt, confidentes, quod Deus meritis ipsius et fratrum suorum mortiferae pestis auferret saevitiam, et tenebris ignorantiae depulsis, lumen veritatis repararet. Suscepta igitur est ecclesia, et clerici in eodem oppido aliam sibi aedificaverunt, quae utraeque manent usque in hodiernum diem Dei servitio mancipatae.

a) convivorum *cod.* b) *ita* A. mortiferae B. c) Tanchelmus *S.* d) suam *S.* e) auri frisii *S.* f) benivolentiam *S.* g) Tum *S.* h) sc. qu. de pr. s. *ex cod. Suess. recepi.*

42) Obierat iam anno 1115; cf. Sigeb. Cont. Valcellensis SS. VI, p. 459. De haeresi ista, quae maximam similitudinem anabaptistarum Monasteriensium prae se fert, vide documenta quae exstant in Cod. Udalrici ap. Ecc. II, p. 289 et ap. Tengnag. Vet. Monum. p. 368—372. 43) Cf. epistolam Traiect. eccl. ad Fridericum archiepiscopum Coloniensem missam ap. Tengnagel l c. p. 370: *In qua praesumptione adeo illusit, ut quidam in eo divinitatem venerarentur, ut balnei sui aquam potandam stultissimo populo pro benedictione divideret.* 44) post abbatia S. Michaelis, vide supra not. 40.

magnitudinis in cypho reptantem, et obstupuerunt, quia tempus hyemale erat, quando huiusmodi vermes apparere non solent, et quia fons erat purissimus, de quo in vase mundissimo aquam se hausisse recordabantur; et quia huiusmodi insidiis inimici per Norbertum patrem erepti fuerant, in laudes Dei proruperunt. *Multimoda arte fratribus Praemonstratensibus saepius illudere temptabat hostis antiquus, ut etiam ad requisita naturae secedentibus terribili effigie appareret, minas eis et varias fantasias intentans. Unus autem ex eis, collectis viribus et vigore animi resumpto, intra se dicebat: *Quam diu hanc importunissimi hostis falsitatem et fantasias patiar?* Et surgens impetu facto demonem in fugam vertit, et sic deinceps ab huiusmodi illusione immunis permansit. Alteri quoque fratri, ad privatam necessitatem residenti, malignus hostis astitit, et stupidum ibidem detinuit ab initio matutinarum usque in finem. Vicit tamen tandem importunitatem demonis constantia fratris, nam facto signo crucis, per ostium, quod a demone occupatum videbatur, exiliit; et neminem obsistentem inveniens, vanam fuisse demoniacam illusionem agnovit, sicque concepto spiritu libertatis nichil postmodum tale pertimuit. Ipsum quoque patrem Norbertum nocte orationi in ecclesia intentum terrere aggressus est. Astitit enim ei in similitudine horribilis ursi, dentibus et ungulis quodammodo ei horrorem incutiens. Ad cuius improvisum

* *Miracula sequentia compilator secundae vitae ex suo hoc loco adiecit:* Alio quoque tempore, cum ad ligna caedenda fratres quidam in silva fuissent, invenerunt lupum capreolum devorantem. Exclamantes autem fugaverunt eum; et accepta praeda, quam lupi rapacitas ceperat, detulerunt secum domi, et in angulo quodam, nihil mali suspicantes, suspenderunt. At lupus, quasi de iniuria sibi illata conquerens, sequebatur eos, et ad ostium domus, quam illi fuerant ingressi, ut canis quilibet domesticus residens, quod sibi ablatum fuerat repetere videbatur. Nescientes autem qui adventabant quid factum fuerat, exclamabant super eum, ut fieri solet, ad effugandum eum. At ille vultu domestico ad eos respiciens, immobilis permanebat. Quod cum viro Dei nuntiatum fuisset, convocatis cunctis fratribus, percunctabatur quidnam hoc[a] esset, dicens, quod sine causa tam rabidum[b] animal mansuetudinis huius frontem non assumpsisset. Timentes vero fratres illi qui causae conscii erant, processerunt in publicum, et veniam quasi de magno excessu petentes, narraverunt ea quae gesta erant, et iniuriam quam lupo illi intulisse putabant. Quod vir Dei audiens: *Reddite,* inquit, *ei quod suum est; iniuste enim egistis, tollentes quod vestrum non erat.* Accepta denique lupus praeda sua, neminem laedens in pace recessit.

Cuidam etiam puero pastori ovium quaerenti, cum canes non haberet, quid faceret, si lupus quilibet ovem ei auferret, iocose responsum est, ut ex parte magistri sui praeciperet, ne auderet eam deferre vel laedere. Non post multum vero contigit, ut ille idem more solito servaret oves in campo, et lupus veniens unam ex eis rapuit, et concito cursu deferens eam fugiebat. Quem frater a longe aspiciens[c], praecepti non immemor, alta voce clamitare coepit: *Quo fugis,* ait, *malignissime raptor, solito velocior? Depone ovem, depone, inquam, eam; hoc tibi praecipio ex parte magistri mei*[d]*: et ne*[e] *laedas eam, nec ulterius deferre praesumas.* Qui statim illaesam deposuit, et ille festinus in humeris suis sublatam ad alias reportavit.

Utrumne[f] ille an alius fuerit, nescitur. Scitur tamen, quia cum die alia missus fuisset frater quidam clericus in agro ad animalia custodienda, lupus eis per totam diem adstitit eo praesente, et quasi custodiae ferens solatium, nullam praetendebat feritatem. Cumque, appropinquante vespera, hora esset ut grex introduceretur, sicut ex altera parte frater, sic ex altera parte lupus gregem intrare compellebat. Introducto vero grege, cum frater ianuam clausisset lupo excluso, quasi de illata iniuria conquerens et mercedem debitam sibi reddi postulans, pede, prout poterat, pulsabat ad ianuam, pulsabat crebris ictibus, se velle intrare ostentans, et alicuius alimenti portionem percipere. Quod cum vir Dei audisset: *Quare,* inquit, *pulsanti hospiti non aperitis?* Cui cum responderetur, non hospitem, sed lupum esse, qui se importune ingerebat[g], nec pro ipsis omnibus vellet recedere, advocatis fratribus percunctabatur, qua occasione illuc venisset. Sed cum tacerent omnes, accersito clerico illo, quem in mane ad custodiendum gregem miserat, sciscitabatur quis iuvisset eum in custodia gregis. At ille indicare quod ei contigerat timens, interrogata tamen celare non praesumens: *Illa,* inquit, *fera est quae pulsat ad ostium, quae hodie mecum fuit, et gregem mihi commissum, ac si commissus ei fuisset, mecum, donec intra ianuam recluderetur, conservavit.* Audiens hoc vir Dei: *Date,* inquit, *ei aliquod pabulum; mercedem enim de servitio impenso requirit, quia dignus est mercenarius cibo suo.* Cumque ad praeceptum viri Dei carnes ei proiectae fuissent, quasi pro mercede rapuit eas, et recessit: qui etiam non post multum, de manu cuiusdam pueri vitulos servantis quadam vice panem suscepit.

a) *addit S.* b) rapidum *S.* c) *ita S.* suscipiens *editi* d) eam ex parte magistri mei hoc t. praec. *S.* e) non *S.* f) utrumnam autem *S.* g) gerebat *S.*

aspectum homo Dei aliquantulum expavit, sed mox ad se reversus persecutoris sui recognovit insidias, et parumper orando viribus resumptis: *Quid*, inquit, *expectas, cruenta bestia? Ungulae tuae inanes sunt, horribiles dentes tui ventus, et irsuta pellis tua fumus et vapor inaniter pertransiens et velud umbra, quae sole veniente disparet; tu, signaculum similitudinis, lux cum esses, superbiendo tenebras meruisti. Recede nunc, praecipio tibi, quia nulla conventio Christi ad Belial, nulla societas luci ad tenebras, nulla pars fideli cum infidele. Recede festinanter; scis, quia nulli nocere potes nisi permissus.* Et hiis dictis mendax ille verba veritatis non praevalens ferre, disparuit.

Iam tunc tempus advenerat, quo die determinato et loco statuto comes Theobal- 1126.
dus, de quo superius mentio facta est, sponsae suae et patri eius parentumque multitudini cum amicis suis, invitato etiam patre Norberto, occurrere deberet. Sed sponsa iam aegritudine detenta, ei non occurrit causamque suspicionis praestitit, ne forte poenitudinis alicuius vel deceptionis malum huic negotio intervenisset. Unde rogatus est pater Norbertus, coepto itinere progredi et diligenter investigare dilationis huius occasionem.* Acquievit homo precibus deprecantium et processit, curam matrimonii huius, quam gerendam susceperat, ad finem usque perducturus. Valefaciens autem fratribus suis Praemonstratensibus, aliquantulum pecuniae quam acceperat transmisit, ut numero quingentorum pauperum, quos famis tempore pascebat, sub suo nomine centum viginti pauperes adderent et fraterna karitate sustentarent. Non enim sperabat ad commanendum ad eos ultra se reversurum. Unde et hanc eis reliquit nominis sui memoriam, veri in hoc magistri sequens exemplum, qui cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.

18. Anno** dominicae incarnationis millesimo centesimo vigesimo quinto metropolis 1125.

* *B.* Acquievit[a] homo precibus deprecantium, suum etiam improperium esse reputans, si non usque ad finem perduceret curam, quam de eodem matrimonio gerendam susceperat. Et acceptis octo marcis argenti, misit eas fratribus suis Praemonstrati, qui eo absente quingentos pauperes pascendos susceperant, quia tempus famis erat, et alimenta sibi et pauperibus emebant. Et quia ex hoc eis iratus fuerat, praecepit, quatenus in suo nomine centum viginti adhuc pauperes superadderent, ita quod centum ex eis plenariam haberent de cibo communi refectionem, tredecim vero in hospitali domo pane et carne et vino recrearentur, septem vero cum canonicis essent in refectorio.

** *B.* Exinde processit ad quod mittebatur, et veniens Spiram, Saxones et clericos Parthenopolis 1126. Iul.
civitatis ex magna parte ad eligendum archiepiscopum coram rege Lothario congregatos invenit. Qui audientes hunc advenisse hominem, quem per diversas terrarum nationes virum sanctum populus acclamabat, vocaverunt eum, et ad sermonem faciendum, in quo libenter audiri solebat, et ad audiendum consilium super quibusdam negotiis, quod quorumdam eorum qui convenerant necessitas exposcebat. Et primo quidem Parthenopolitanorum causa, qui patre orbati fuerant, agebatur. Aderat ibidem quidam cardinalis, qui a Romana sede noviter advenerat, et aliorum principum innumera multitudo: et in electione tres eorum consilio nominati sunt, quorum unus erat pater Norbertus, sed eo[b] ignorante. Factum est autem cum illi haesitarent, et de tribus ad meliorem anhelarent[c], digito latenter ex adverso latere innuit eis primicerius Metensis ecclesiae Albero, ille qui postea Trevirensis ecclesiae archiepiscopus fuit, ut virum Dei Norbertum assumerent. Qui statim porrectis manibus eum arripiunt, vocibus ingeminatis exclamantes: *Hunc in patrem eligimus, hunc pastorem nostrum approbamus.*

Non potuit se homo debilis defendere, non licuit ei cogitare, nec cogitando quidquam de se ipso ordinare; sed quam cito raptus est, a rege fuit laudatus, et ab omnibus adstantibus approbatus, ab ipso etiam Romanae ecclesiae legato confirmatus. Deducitur homo, onus grave aggravatum secum portans, deducitur ad locum quem non noverat: trahitur, inquam, ad gentem nationis pravae et perversae, scilicet inter Sclavos et Saxones, quae gens utraque ex re trahit nomen, ista, ablato S, clavorum[d] acumine infidelitatis punctionem insinuans, ista, saxorum pondus et lapidei cordis coecitatem feritatemque contestans; et qui iam pro septenario servitio, quod Laban exhibuerat, Rachelem expectabant, aut Mariae, utpote debilis Luc. 10, 42
corpore, partem[e] optimam quam ipse elegerat, Marthae opus et[f] Liae laborem invenit, quia non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum[g]. Idcirco et ipse, qui neglexerat gentem paganorum incredulam, ad quam in primordio conversionis suae ire disposuerat, ut quoslibet ab errore infidelitatis revocaret, nunc auctoritate et officium secum deferens, unde dispositionem divinam putavit effugere, inde cogitur obedientiam manifeste subire.

a) *folium, cui sequentia inscripta erant, ex codice Suessionensi excisum est.* b) ipso *S.* c) hanelarent *S.* d) ablato clavorum *S.* e) porcionem *S.* f) contra *S.* g) Deum *S.*

1125. Saxoniae Parthenopolis orbata est suo antistite[46]. Post cuius decessum futuri pontificis
Dec. 20. lectio turbata est, denominatis in eadem electione tribus eminentibus personis; a quibus
1126. cum desistere nollent electores, res ad audientiam serenissimi domni Lotarii imperatoris
delata est. Erat ipso tempore cum imperatore cardinalis Romanae sedis legatus Gerardus
nomine, qui post Honorium papam, Lucius papa[47] cognominatus, catholicae praesedit ec-
clesiae. Huius consilio, cum supradicti electores concordare non possent, domnus impe-
Iul. rator Norbertum, qui tunc temporis verbi Dei gratia in curia erat[48], ecclesiae Magdebur-
gensi praeficere disponebat antistitem, adhibitis consilio suo Adelberto Maguntino
archiepiscopo, Alberone Metense primicerio[49]. Vocatis itaque electoribus post multas ver-
borum ambages domnus imperator Norbertum ipse assignavit archiepiscopum; legatus
quoque sedis apostolicae praefatus cardinalis auctoritate domni papae confirmavit ipsius
50 imperatoris sincerum et commendabile factum[50], statimque e vestigio missis nunciis post
eum, qui iam discessum parabat, cum ingenti strepitu principi praesentatur, acclamantibus
cunctis Magdeburgensis ecclesiae magnatibus: *Hunc in patrem et in episcopum omnes*[a] *eligi-
mus, hunc pastorem nostrum approbamus.* Cumque ille quantum poterat reclamaret huic
verbo, non sine labore circumstantium tandem ad imperatoris genua humiliatus, virgam
pastoralem, quae quasi in manibus eius inserebatur[b], accipere coactus est, domno cardi-
nale hiis verbis eum alloquente: *Auctoritate Dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri
et Pauli et domni papae Honorii tibi praecipio, ne vocationi Dei ullo modo contradicas, sed
sicut fidelis servus et prudens pecuniam verbi Dei, quam erogandam suscepisti, fideli dispen-
satione administra, ut cum venerit Dominus rationem positurus cum servis, quibus pecuniam
Matth. 25, 21. ad usuram largitus est, ab eo merearis audire: „Euge serve bone et fidelis, quia super pauca
fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.“* Tandem multiplici
rationi et apostolicae auctoritati[c] cedens, non sine multo lacrimarum ymbre suscepit iugum
Domini, sicque dimissus ab imperatore, in Saxoniam ad locum sibi destinatum profectus
est. Ad eius introitum concursus populorum factus est, gratulantibus omnibus quod san-
ctae opinionis virum animarum suarum pastorem recipere meruissent. Aspiciens autem
civitatem Parthenopolim, ad quam ducebatur, nudatis pedibus incedebat, et receptus in
ecclesia, postmodum quam pluribus comitatus palatium introivit, paupere amictus pallio,
unde nequaquam agnitus, ab hostiario repulsam passus est. Cum autem ex hoc ab aliis
argueretur hostiarius, pater Norbertus subridens ait: *Ne timeas, melius enim me nosti et
clariori oculo me intueris, quam illi qui ad haec palacia me compellunt ad quae pauper et
modicus sublimari non debueram.*

Consecratus igitur episcopus domus suae fidelis dispensator esse coepit, convocatisque praepositis rerum disponendarum rationem cum eis posuit super reditibus episcopatus, qui adeo modici inventi sunt, ut vix quatuor mensibus expensis episcopalibus sufficere possent.* Licet enim ecclesia Magdeburgensis imperiali potestate fundata et sublimata multaque liberalitate dotata et dilatata fuerit, archiepiscoporum tamen negligentiis et insolentiis

* *B.* Cognita veritate, quia nobilis fuerit ecclesia, et a regia potestate fundata et sublimata, et liberalitate dotata et dilatata: *Ubi sunt*, ait, *haec? aut qua ratione ab ea et a vobis quibus erant, sunt alienata?* Aiunt illi: *Quidam ex praedecessoribus tuis, nimium suae carnalitati indulgentes, fratribus carnalibus et quibusdam ex parentibus et propinquis suis aliud praedium concesserunt, aliud praestiterunt. Alii similiter succedentes quaedam in feodo*[d] *dederunt, alii vero remissius se habentes, et a potentibus oppressi, defendere non praevalentes quae iuris erant ecclesiae, quaedam perdiderunt; et sic imminutae fuerunt et penitus ad nihilum redactae cunctae res, quae honori huic servire solebant et honestati.*

a) *post additum cod.* b) inferebatur *cod.* c) auctoritate *cod.* d) *ita S.*

46) Rokkero, vide Ann. Sax. 1125; SS. VI, p. 762; obiit die 20. Dec. Cf. Jaffé Loth. p. 245. 47) secundus qui obiit 1145, 15. Febr. 48) Spirae, mense Iulio. 49) inde ab a. 1132 archiepiscopo Trevirensi. Cf. Gesta Alberonis SS. VIII, 248: — *archiepiscopatum Partonopolensem — — omnibus modis abnegans suis effecit ingeniis quod dominus Norbertus, vir famosae religionis, ecclesiam eandem regendam suscepit.* 50) Cf. Ann. Saxon. 1126 l. c. p. 763: *Rex sacrosanctam dom. resurrectionis festum Magedaburh celebrans cum maioribus ecclesiae et regni de provisione eiusdem sedis tractavit, ubi cum magna in electione difficultas facta fuisset, iuxta voluntatem et consilium regis maiores Magedaburgensis ecclesiae apud Spiram unanimiter conveniunt, ac communi regis et ecclesiae consilio domnum Nortbertum virum religiosum et omnibus ecclesiis verbi Dei pronuntiatorem exuberantissimum in episcopum Deo prosequente unanimi pace et concordia constituerunt.* Cf. Hermannum supra datum p. 660, c. 9.

plurimum iam extenuata fuit. Ad cuius instaurationem Norbertus archiepiscopus nutu Dei 1126. animatus, invasas ecclesiae possessiones de manibus violentorum eripuit, eisque per hoc adversum se malignandi occasionem dedit. Omnibus enim qui primitus in laude eius acclamaverant, odibilis factus est. Sed ipse pro nomine Domini non dubitavit contumelias pati. Unde oportune et inportune arguendo, increpando, obsecrando studuit faciem ecclesiae suae reformare tam spiritalibus quam corporalibus incrementis. Inter multa quae strennue per eum acta sunt, factum est ut ecclesiam beatae Dei genitricis semperque virginis Mariae a domno imperatore et a capitulo maiori nec non a canonicis eiusdem ecclesiae obtineret, in qua fratres sui ordinis sicut diu concupierat locavit[51], ubi per eos, gratia Spiritus sancti cooperante, divinum servitium devote administratur usque in hodiernum diem.* Cum itaque pro benefactis suis multa aemulorum adversus eum esset indignatio, accidit ut in die celeberrimo coenae dominicae, dum poenitentes ad confessionem reciperet, 1129. Apr. 12. assisteret ad hostium domus quidam amictus pallio in similitudine poenitentis, rogans hostiarium, quatinus ad confitendum intromitteretur. Hoc cum hostiarius viro Dei indicasset: *Noli*, inquit, *intromittere eum*. Cum itaque perseveraret pulsans, tandem aliis recedentibus intromissus est. Quem cum a longe vir Dei diligenter inspexisset: *Noli*, inquit, *accedere, sed sta et non movearis*. Advocatisque servientibus palacii, qui foris aderant, praecepit eis, ut astantem iuvenem pallio quo indutus erat nudarent. Nudato autem eo, apparuit lateri eius astrictus cultellus acutus, longitudinem habens[a] pedis et dimidii. Cumque quaereretur ab eo, cur sic armatus venisset, tremens ac stupens et mortem timens, procidit ad pedes eius, et quia ad ipsum interficiendum missus fuisset, confessus est. Nominatisque illis, a quibus ad facinus perpetrandum conductus fuerat, mirati sunt universi, quod proditionis huius rei inventi sunt familiares et secretarii, ad quorum nutum res publica tractabatur[52]. At vero vir[b] iustus vultu sereno et verbis placabilibus ad haec respondens ait,

* *B.* Erat ante palatium episcopale, haud longe sita ecclesia quaedam in honore sanctae Dei

a) *manu recentiori superscr. cod.* b) vix *cod.*

51) Cf. chartam Norberti hac de re datam die 29. Oct. 1129 in suburbio civitatis Magdeburg. in abbatia S. Iohannis B. ap. Hugo Vie de S. Norbert p. 352: *Ex his enim quae ad illam pertinebant ecclesiam* (S. Mariae) *plurima erant militibus distributa, quaedam per negligentiam iacebant inculta, quaedam in aliorum usus usurpata, ita ut ecclesia fere irrecuperabiliter esset destituta. Nos itaque paupertati eorum et frequenti eorum querimoniae condolentes — — — monendo, exhortando, suadendo hoc ab eis obtinuimus, ut de illa exeuntes ecclesia religiosis viris communi vita sub regula beati Augustini deservientibus cederent et se provisioni nostrae sine omni conditione crederent. Ut autem ipsi claustrali disciplina sub decano viverent, quosdam in ecclesia beati Nicolai collocavimus, quosdam de bonis ipsius ecclesiae sustentavimus, fratres etiam nostros ecclesiae substitutos pristinis ecclesiae possessionibus et iustitiis donavimus.* Quam chartam eodem anno confirmavit Honorius II cuius bulla exstat ap. Leuckfeld Antiqq. Praemonstr. p. 11.

52) Sine ullo dubio hic de Attico archidiacono Magdeburgensi agitur, de quo plura Anacletus II antipapa in epistola die 18. Mai. 1130 ad Norbertum missa affert: *Lator praesentium Atticus ecclesiae tuae archidiaconus ad apostolorum limina veniens, d fraternitate tua se vehementius praegravatum — intimavit. Retulit siquidem te de proditione ipsum coram fratribus impetisse seque negasse et tibi canonice satisfactum in capitulo respondisse. Cum igitur statuta die ad agendum pro eadem causa in tuam et capituli praesentiam devenisset, teque accusatorem simul et iudicem — — apertius intelligeret, sedem apostolicam appellavit et terminum quo tibi coram pontifice Romano iusticiam faceret, nominavit. Post hanc autem appellationem, sicut ipse asserit, accepta occasione de obitu decessoris nostri b. m. papae Honorii, eum ad nos sicut obtulerat venientem beneficiis suis ecclesiasticis et rebus aliis expoliasti.* Praeter haec etiam alias controversias inter Norbertum et canonicos Magdeburgenses exortas esse, hosque Honorium II appellasse ex iis videmus quae in eadem epistola sequuntur: *Per praesentia etiam scripta mandamus, quemadmodum antecessor noster b. recordationis papa Honorius tibi mandavit, ut filios nostros Magdeburgensis ecclesiae canonicos, ad nos venire volentes prohibere ulterius non praesumas.* Quam epistolam primus Baronius XVIII, p. 471, post Christian. Lupus (ad Ephes. concil. variorum patrum epp. Lovan. 1682, p. 513) ex codice Casinensi, omisso tamen nomine Attici, quod idem esse atque Eticho suspicor, edidit; integram vero ex eodem codice iuris fecit publici Hugo Vie de S. Norbert p. 363. — Hisce consonant verba S. Benedicti Fischer quae ex eiusdem libro (Leben und Todt des H. Vaters Norbert. 1670. 12°. p. 187 quem adipisci non potui) affert Leuckfeld Antiqq. Praemonst. mon. sanctae Mariae Magdeburg. p. 13: — *gedachte er* (Norbertus) *seine Chor-Herrn — an ihrer Statt aldort* (in eccl. S. Mariae Magd.) *hinzusetzen — — bringt solches an König Lotharium, der ihm sehr wohl gewogen, item an seine Thum-Herrn und an die gesagten Chor-Herrn bey unserer Lieben Frauen, denen er andere gleichgultige Mittel anerbothen, aber diese alle ausser dem Konige widersprachen solchem einhellig, absonderlich sein Ertz-Diacon Atticus, der ihm fast uberall zuwider war.* Quae unde hauserit Fischer nescio.

1129. Apr. 12. non esse mirum, si has ei hostis antiquus moliretur insidias, qui eadem sacratissima nocte in mortem domini nostri Iesu Christi Iudaeos grassari persuasit; seque felicem esse, si passionis dominicae particeps esse mereretur ea potissimum die, qua desperatis misericordia, peccantibus venia, mortuis redditur vita. Alio quoque tempore clericus quidam de domesticis ipsius nocte ad matutinarum sollempnia cum clericis suis exeuntem eum cultro ferire temptavit, sed errore ductus unum ex clericis media veste conscissa percussit. Cumque ille exclamaret se laesum, percussor sono vocis, non esse archiepiscopum, intelligens: *Putavi*, inquit, *non te, sed eum esse, quem morti tradere disponebam.* Praecesserat enim archiepiscopus mixtim inter alios, eundem eventum, quasi futurorum praescius, timens. Fugientem itaque percussorem cum alii ad capiendum insequerentur: *Sinite*, ait vir Dei, *fugere eum; nec malum pro malo reddatis. Fecit quod potuit et quod Deus permisit.*

*Inter haec et alia pater Norbertus primae plantationis suae in ecclesia Praemonstratense non immemor, ne forte fratres ibidem per eum aggregati absque pastore pereclitarentur[a], missis illo legatis liberam eis pastoris electionem indulsit, adhibito consilio suo super

53 genitricis Mariae, in qua viginti[53] erant canonici seculares, sub praeposito antiquitus constituti. Hanc ergo cum praevidisset sacerdos Dei sibi necessariam esse, ut ibi fratribus suis impositis, aliquando a tumultu qui officio imposito debebatur, paululum spiritum refocillaret, petebat multoties[b] et a rege et a canonicis maioris ecclesiae eiusdemque ecclesiae canonicis, ut alibi ab eo aliis aequa vel meliori conditione reditibus acceptis, illam sibi liberam concederent. Qui omnes una voce contradicebant, asserentes, ecclesiam tanti nominis non debere immutari, nec regiae potestatis[c] dignitatem cui subdita erat imminui, sed nec alterius ordinis et consuetudinis gentem imponere, quae iura regalia ignoraret et subiectionem debitam et obsequium secundum consuetudinem ipsorum nesciret amministrare[d]. Hanc ab his omnibus passus est per aliquot annos repulsam, sed vicit tandem, humiliter in petitione perseverans: vicit quidem ratione, qua premebat eos, vicit et constantia, qua noverant eum a bonis initiis usque ad finem numquam velle desistere. Expositisque clericis illis et omnibus unumquemque ad suum velle relocatis, fratres sui ordinis sicut diu concupierat in eadem ecclesia imposuit, ubi et eo vivente secundum ordinem institutum, et post discessum ipsius in aeternum servitium Dei habendam ordinavit.

Crevit fratrum numerus, et multiplicati sunt in Saxonia, ubi religio decaluerat, et in Sclavonia, ubi nulla[e] erat, radicati fructuoso germine floruerunt, multiplicatique sunt ut Hebraei. Fremuerunt Saxones, fremuerunt et[f] Parthenopolitani, odioque et invidia adversus hominem Dei invalescente, ipse in Deo spem et fiduciam habens, et ipsam et aliarum consuetudinum congregationes dilatare non cessabat.

* *B.* Orbatus grex pusillus Praemonstratensis ecclesiae tanto patre, ipsum tamen exemplo eius
Ioh. 14, 18. qui dixit: *Non relinquam vos orphanos, vado et venio ad vos*, per biennium patienter ex-
1126—1128. pectabat. Aliis ex ipsis cum quibusdam secularibus dicentibus: *Subsistere nequaquam poterimus, quia recedente pastore, oves abire solent in dispersionem;* alii nullum magistrum nisi ipsum, alii de ipso desperantes, alium volebant eligere: et in hunc modum contendentes, causamque veritatis et rationis ex parte consimilem praetendentes, nullumque fidelis exhortationis solamen habentes, titubare potius adhuc tenuiter radicati, quam stabilitatem poterant[g] aliquam de se cogitare. Quod cum viro Dei relatum fuisset[h], timens ne aresceret quod a Deo per eum plantatum fuerat, si adhuc rore divini consilii non perfunderetur, advocatis ad se quibusdam ex prioribus et maioris et sanioris consilii fratribus, perquirebat ab eis, quid facto opus esset, singillatim perscrutans de voluntatibus eorum, ut per omnia in definitione sui operis certior redderetur. Cumque intellexisset alios secum velle habitare, alios consilio suo alibi vivere, alios propositae paupertatis votum velle tenere, plurimos tamen sub certo magistro et disciplina eumdem paupertatis tenorem velle observare, remisit eos ad locum suum, paucis secum retentis, pacis et unanimitatis normam iterum atque iterum suadens, quatenus, cum eis ab eo facultas eligendi patrem concessa fuerit, concordia Christi Iesu et dilectio quam docuit in ipsis inveniatur. Recesserunt illi: et bonus pater non immemor filiorum quos in Christo genuerat, ne diu absque paedagogo remanerent, fideles non post multum nuntios ad eos destinavit, qui et eligendi nuntiarent facultatem, et de electione suam indicarent voluntatem. In hoc[i], quomodo et quid factum sit in[k] electione, non est immorandum, quia qui a magistro suo bene fuerant docti, a transmissis legatis non indigebant perdoceri. Electione igitur approbata a filiis, ut erat a patre datus assensus, reversi sunt ad eum qui fuerant missi, voluntatis suae praeceptum completum esse nuntiantes. Habebat et ipse

a) ne *ante* perecl. *adiecit manus paullo recentior.* b) multociens *S.* c) *ita S.* potestati *editt.* d) nesc. amm. *supplevi ex S. desunt editt.* e) *ita S.* non *editt.* f) *deest editt.* g) radicari poterant quam stab. *S.* h) esset *S.* i) hac *S.* k) *deest S.*

53) Minime quidem; ex ipsius Norberti diplomate supra laudato compertum habemus, duodecim tantum clericos ibidem Deo deservisse.

ydonea et probatae religionis persona, in quam convenit amabilis Deo fratrum unanimitas. 1129. Electus autem ille tunc temporis cum patre Norberto morabatur, et die illo quo in eum fratres convenerant de electione[a] sua nocturna edoctus fuerat visione. Asserebat namque, per visionem se cum patre Norberto stetisse coram domino nostro Iesu Christo, receptumque se dextera Salvatoris de manu Norberti, dicentis: *Hunc a te, Domine, michi commissum tuae sanctissimae maiestati repraesento.* Accepta itaque legatione de concordi electione fratrum, in praesentia fratrum, quos secum habebat, Norbertus electum allocutus est dicens: *Tu inquam michi succedes electione fratrum in domo paupertatis nostrae, ideoque in nomine Domini vade, manus enim Domini usque in finem tecum erit.* Hac accepta benedictione recessit, duobus[b] adiunctis sibi fratribus, quorum unus in Antwerpensi, alter in Floreffiensi ecclesia pater institutus est. Ipse autem ad Praemonstratensem ecclesiam accedens, eiusdem ecclesiae pater memorabilis effectus est. Moxque in ecclesiis Laudunensi et Vivariensi nec non in ea, quae Bona-Spes dicitur, de fratribus suis patres instituit[55], cum qui- 55 bus loco determinato annuatim convenire statuit pro resarcienda dissolutione ordinis in recidendis superfluis et necessariis rebus salubriter instaurandis. Exinde multiplicati sunt fratres ordinis illius, quem venerabilis pater Norbertus instituit, ubique terrarum usque in praesentem *diem.

19. Per idem tempus beatae memoriae papa Honorius diem clausit extremum, cui 1130. Febr. 13. cum electione canonica subrogatus esset Innocentius et sede Romana potiri non posset propter intrusionem Petri Leonis et seditionem generis sui, exiens inde in Franciam se recepit, ubi ut decuit honorifice susceptus est. Dehinc ad concilium Remense[56], cui ipse 1131. Oct. 19. praesedit, de diversis nationibus convenerunt archiepiscopi et episcopi et multitudo praelatorum et fidelium Christi; ubi Petrus Leo intrusus excommunicatus est, Innocentii electio approbata est. Aderat ibidem Norbertus archiepiscopus[57], qui inter multa universalis ec- 57 clesiae negotia[58] privatis ecclesiae suae necessitatibus consulens, super plerisque utilitatibus privilegiorum sedis apostolicae robur obtinuit[59],** ordinatisque diligenter rebus suis, ad

electum secum, sed tamen rem dissimulare praecepit per aliquot dies, nec illi electo indicatum est, ut considerari posset curiositas quorumdam qui secum erant, qui et hoc responsum curiose praestolabantur. Erat enim haec eius consuetudo, ut cum tractandi essent, mutandi vel confirmandi huiusmodi rerum eventus et aliarum, quae actione multimoda superveniebant, totum spiritum singulorum qui circa ipsum erant de singulis negotiis exhauriret, quatenus nullam faceret in caussis[c] ex abrupto definitionem[d], nisi prius, ut homo poterat, exquisisset voluntatem Dei et hausisset de circumstantibus sensum meliorem. Consilium ad tempus occultabatur; non tamen ignorabat electus ille, quid de eo factum fuerat, quamvis[e] rem tacitus consideraret divina edoctus revelatione.

* *B.* Quod cum in locis aliis divulgatum fuisset, si in primo anno sex[60], in secundo novem fue- 60 runt, in tertio duodecim, in quarto decem et octo. Et exinde multiplicati sunt ubique terrarum, sicut voces et actus eorum et opera usque in praesentem diem testantur.

** *B.* Attulerat namque secum ecclesiae suae privilegia vetustissima et fere a vermibus consumpta, quae cuncta Romano munimine fecit renovari et corrigi. Apponens ea quae receperat de manibus eorum, qui ea iniuste et violenter rapuerant, ut superius annotatum est. Addidit praeterea aliud privilegium[61] secreto, ut, cum daretur opportunitas, Romana fultus auctoritate, suae religionis ordinem in episcopali propagaret ecclesia. Finito ergo[f] concilio cum ad sedem propriam reverteretur, iamque ex parte divulgatum fuisset[g] quod fecerat[62], scilicet 62 quomodo gladio spiritali et castrorum moeniis et propugnaculis se contra eos armaverat,

a) electiona *cod.* b) *recentiori manu superscr. cod.* c) causis *S.* d) diffinitionem *S.* e) *ita S.* quatenus *editt.* f) *add. S.* g) *ita S.* esset *editt.*

55) Cf. Hugo Vie de S. Norb. p. 274. 56) Cf. Transl. S. Godehardi supra p. 642. 57) Hic repetere lubet Le Paige de libris a Norberto compositis tradit Biblioth. Praemonst. p. 304: *Norbertus — multos interpretatus est sacrae scripturae libros, qui exstant manuscripti in bibliotheca Cappenbergensis monasterii in Westphalia. Scripsit quoque de visionibus ac revelationibus sibi Coloniae et alibi factis libros tres — — et praeclarum opus pro defensione Innocentii II contra Petrum Leonis filium, quae bellorum strage perierunt.* 58) Cf. Chron. Mauriniac. ap. Duch. IV, 379: *In concilio litteras Lotharii regis a (Norberto) archiepiscopo Magdeburgensi accepit* (Innocentius II). 59) Quae quidem privilegia amplius non supersunt. 60) sc. abbatiae Magdeburgensis, Antwerpiensis, Floreffiensis, Laudunensis, Vivariensis et Bonae-Spei. 61) Haec etiam charta numquam lucem vidit. 62) Apertum secundi auctoris mendacium quod ex prioris errore originem duxit. Nam Magdeburgensium motus qui sequuntur minime quidem *post* concilium Remense sed duobus annis ante ipsum sc. 1129 acciderunt.

64 propria rediit[63]. In reditu autem suo[64] inopinatae turbationis occasionem invenit. Contigit
1129. enim in ecclesia maiori rerum quippiam[65], unde secundum canonum auctoritatem expianda
eadem videretur ecclesia. Cui rei cum contradicerent maiores civitatis, asserentes consecrationem illam iterari non debere, quae multorum regum et pontificum auctoritate cele-
Iun. 29. brata fuisset, Norbertus e contra respondit, se numquam ibi divina celebraturum mysteria,
nisi ab eadem ecclesia tolleretur anathema. Moxque in publico pronuntiavit rei eventum,
ostendens, quod prohiberetur facere id, quod in huiusmodi eventibus sanctorum patrum
66 sanxerat consuetudo. Sequenti itaque nocte ipse et duo episcopi[66] qui secum erant, praepositus quoque maior et quam plures fratres sui clerici sacris induti vestibus ecclesiam intraverunt et, sicut mos est, officium expiationis sincera devotione compleverunt. Peracto autem officio, cum adhuc in sacris vestibus essent, clamor nimius et tumultus populi foris auditus est. Commota quippe fuerat universa civitas audito rumore, quod archiepiscopus fregisset altaria, sacrarium reserasset, feretra et filacteria dissolvisset sibique reposuisset, et cum hiis omnibus sub eiusdem noctis tenebris cum omni etiam thesauro ecclesiae fu-
67 gere disposuisset[67]. Ad tantum vulgi clamorem territi sunt qui cum viro Dei erant, ipse autem imperterritus ad populum egredi volebat, sed prohibitus est a suis dicentibus, hunc plebium tumultum hora noctis non facile posse sedari. Coegeruntque eum ascendere municipium, quod ab imperatore Ottone constructum erat antiquitus loco turris cuiusdam ecclesiae, quam coeperat aedificare sed non consummavit morte interveniente[68]. *Ibi se reclinavit homo et qui cum eo erant, sacris adhuc amicti vestibus, mortem potius quam vitam expectantes. In turri itaque constituti matutinarum sollempnia celebrantes in
Iun. 30. honore beati Pauli, cuius tunc commemoratio[69] agebatur, laudes Deo resonabant invalescente contra eos tumultu plebis, quae eos obsederat. In hoc itaque necessitatis articulo quidam ex fratribus exitum rei constanter expectabant, alii vero titubantes cum gemitu dicebant: *Heu ut quid secuti sumus hominem huc, ut cum eo moriamur in peccatis nostris?* Quibus vir sanctus ut poterat melliflua consolatione dicebat: *Nolite, fratres karissimi, nolite*

magis fremebant, dicentes ad alterutrum: *Regnum nostrum non stabit, et gloria nostra nihil est; sed et honor omnium nostrum et dignitas praedecessorum nostrorum destruetur, nisi quam cito tollamus eum de nobis, et auferatur haec eius subtilis potestas de terra nostra;* et exinde quaerebant opportunitatem ut facerent caute, iuxta quod inordinate et insipienter machinabantur[a].

Cum autem ei qui elegerat eum et assumpserat in opus ministerii sui, placuit ut quaereret viri constantiam, qui, ut praemissum est, fidem probaverat et patientiam, non diu distulit, sed occasionem et tempus intulit, ut et furorem esurientium sanguinem satiaret, et evidentis tribulationis igne tironem suum purgaret. Contigerat autem eodem tempore quoddam infortunium in ecclesia maiori, quod secrete viro Dei fuerat revelatum. Cumque hoc senioribus indicasset ecclesiae, et protestaretur pro re tali expiari debere ecclesiam secundum canonum auctoritatem, illi acquiescere ei noluerunt, dicentes, non esse denuo consecrandam ecclesiam illam, quam constabat multorum regum et pontificum auctoritate fuisse consecratam. Hoc illi prohibebant: sed ille econtra asserebat, numquam se in ea divina celebrare velle mysteria, nisi ab ea daemonum infestationem, qua fuerat irretita, paterentur effugare.

* *B.* Ibi se reclinavit homo, et qui cum eo erant, sacris adhuc amicti vestibus, mortem potius corporis turpissimam quam vitam expectantes. Invalescebant voces insultantium et insilientium: *Theid-ut, Theid-ut*[b], ingeminantes, hoc est: *Exite, exite.*

a) machinabant *S.* b) thieduz, thieduz *cod. Suess.* 11. 12. 13. theid ut = *zieht aus* = exite.

63) Remis Norbertus una cum Innocentio II Laudunum profectus esse fertur, abbatiam S. Martini invisurus. Hugo Vie de S. Norbert p. 416 ex Vita S Norberti manusc. Bell. Mussip. 64) Tempora confudit noster, qui tamen ipse c. 20 addit haec evenisse tertio Norberti archiepiscopatus anno. Qui cum a. 1126 ad hanc dignitatem promotus sit, clarum est, rebellionem Magdeburgensium anno 1129 tribuendam esse; quod etiam Annalista (SS. VI) et Chronographus Saxones disertis verbis confirmant. 65) Cf. Magdeburger Schöppen Chronik ap. Boysen hist. Magaz. II, 163: *In dem* 1129 *Jahr erhoff sick ein Krieg unter den Borgern tho Meydeborch und dem Bischope Norbert. Dat kam darof, to dat dem Bischop war gesecht, de Dome were befleckt mit Unküschheit, des sande he na dem Bischope van Myssen van Havelberge und wyede den Dom.* 66) scilicet Misnensis et Havelbergensis; vid. Ann. Sax. 67) Cf. Ann. Saxo l. c. *obiurgantibus adversariis quod altaria fregerit et reliquias sanctorum furto abstulerit.* 68) Annal. Saxo l. c.: *Crescente itaque tumultu ascendit in superiora antiquioris monasterii.* 69) Eandem diem indicat Ann. Saxo.

terreri. Dei est quod a nobis gestum est, Dei est quod geritur, Dei est permissio quando ab 1129. Iun. 30 *inimicis suis bonum aliquod opus impugnatur.* Haec dicens, pro ipsis ne deficerent attentius orabat, et ex ipsorum defectu orationis in eo crescebat affectus. Nam ut ipse postmodum asserebat, non tantum mortem metuebat, quantum ne fratres desperando deficerent. Congregabatur per totam noctem multitudo adversaria, sed multiplicabat orationum preces Dei sacerdos et societas cum eo congregata in tali necessitatis articulo. Facto autem mane alii ad turrim insultum faciunt, alii sagittis pontificem et clericos suos impetunt, cum ecce quidam inopinato eventu, qui necem Norberti iurasse dicebantur, ad superiora turris audacter evadunt. Quos ut vidit homo Dei districtis gladiis irruere, ne in aliorum mortem desaevirent, progrediens: *Unum,* inquit, *hominem quaeritis; ecce ego, parcite istis, qui nullam mortis meruere sententiam.* At illi eo viso, ut erat adhuc amictus purpurea veste pontificali, nutu Dei subito compuncti ad pedes eius corruerunt, veniamque de tanto ausu precati acceperunt, et ex adversariis in defensores prodierunt. Alii vero eos festinanter insequentes cum iam antistitem decollatum arbitrarentur, quendam militem eius[70], quem 70 obvium habuerunt occidere conati, gladium cervici ipsius usque ad guttur immerserunt et mortuum existimantes semivivum eum reliquerunt. Quo viso vir Dei in mediam turbam prosiliens morti se obtulit, ne quispiam alius eo superstite moreretur. Cernens autem eum is, qui militem eius percusserat, furore plenus gladio adhuc cruento pontificis humeros ferire non timuit; sed resiliente gladio, vulnus non inflixit, fimbrias tamen mitrae pontificalis sanguine, quo gladius infectus erat, respersit, qui in eis postmodum omni tempore comparuit. Cum haec aguntur, quidam qui seditionis huius participes esse non videbantur, allatas de ecclesiis sanctorum reliquias in medio posuerunt, dicentes, detestabile esse, quod a grege pastor impugnaretur. Haec dicebant falsam simulantes humanitatem. Nam et ipsi eum in hiis angustiis positum cogebant, ut fratres suos de ecclesia beatae Mariae removeret, quos, ut superius dictum est, in eadem ecclesia locaverat. Ipse autem prorsus rennuit, asserens factum hoc quamdiu viveret numquam ab eis infirmandum, quod imperiali potencia et auctoritate apostolica dolebant confirmatum[71]. Dum itaque rei eventus et tanti 71 tumultus finis expectatur, comes urbis de via veniens et tamquam rei nescius inter medios tumultuantes cucurrit, et ab invicem eos dividens diem indixit, quo venirent omnes iustam adversus episcopum querimoniam habentes, iusticiam accepturi. Recesserunt illi ad praeceptum iudicis. At Dei sacerdos ecclesiam maiorem, pro qua commotio facta fuerat, introivit, missam celebraturus et immensas Deo gratias redditurus. Cumque accessisset ad altare, accersitis circumstantibus: *Ecce,* inquit, *integra sunt omnia et salva, quae denunciata fuerant confracta et asportata.* Celebravit igitur missam in eodem loco, sed et epistolam et euangelium ipsemet legit; omnes enim ministri eius taedio et timore confecti recesserant. Finita autem missa, palatium introiit laetus et alacer et gratias agens, quod de tantis tribulationibus liberavit eum Dominus.

20. *Non cessavit adhuc fremitus malignantium, sed delusos se conquerentes, quod insidias eorum venerabilis sacerdos evaserat, firmiter apud se decreverunt, ut ad condictam diem nemo non potus accederet, quatinus si quicquam ab eis perperam fieret, ebrietati potius deputaretur quam praemeditationi. Et hoc statutum est, ut si quis huic decreto

* *B.* Sic praescripti adversarii, quibus odiosa erat aequitas, quam eis pontifex invictus praedicabat, convocatis iterum perversis conventiculis suis, suum quisque dolorem proferebat, dicentes se esse delusos, et arte magica tenebrarumque caligine sensus suos aduncatos, qui hominem hunc vivum reliquerant, qui eis non cedebat, nec ritum et honorem ipsorum dignitatemque urbis debitam nullatenus immutare metuebat. Vere delusi et stupidi; nec mirum, quia dolosi, stupenda[a] nimirum convenerant tractaturi. Nam et hoc ab eis firmiter ibidem decretum est, quatenus cum ad condictam diem convenire deberent, singuli denariatam[72] vini vel me- 72 donis[73] biberent, ut si quidquam voluntati eorum contrarium in discussionibus querimoniarum eis[b] accidisset, supplerent de nece sui pastoris quod minus fecerant, et sic ebrietati potius deputaretur quam praemeditationi. Et hoc statutum est, ut quicumque huic decreto non obediret, domus eius ad deiiciendum et tota supellex ad diripiendum iudicibus totius illius senatus subiaceret.

a) *hunc locum ab omnibus codicibus, etiam ab Suessionensi, ita datum:* Vere delusi, nec mirum quia dolosi, dolosi et stupendi stupenda *hoc modo correxit Papebrochus.* b) *deest editt.*

70) *unum ex cameriis suis* dicit auctor secundae vitae. 71) Haec non omnino cum vero consentiunt; confirmatio Innocentii demum in fine huius anni data est. Vide supra p. 695, not. 51. 72) i. e. ad valorem unius denarii. PAPEBR. 73) i. e. hydromel. PAPEBR. nobis *meth.*

1129. contrairet, domus eius publicaretur. Quod factum cum relatum esset principibus terrae, qui archiepiscopum diligere videbantur, quia sciebant eum esse virum iustum et sanctum, persuadebant ei, ut ad tempus cederet. Quod cum ille renueret palmamque martyrii gaudens expectaret, advenit dies placiti quae condicta fuerat, et ecce dato signo coepit civitas inmensis clamoribus perstrepere. Cumque interrogaret episcopus, quidnam hoc esset, responsum est ei, quod populus multus congregatus fratres de ecclesia beatae Mariae conaretur eicere. At ipse subridens ait: *Non est ita, quia plantatio, quam plantavit pater coelestis, eradicari non potest.* Concurrente itaque iam populo, coactus ut exiret, praeparatis
74 equitaturis exivit ad abbaciam beati Iohannis baptistae in suburbio civitatis sitam[74], ubi pro tempore dispositis rebus suis, transivit inde ad castrum Gevekenstein[75], ut ibi a tanto tumultu requiesceret. Quod cum clausum invenisset — hostes enim praevenientes omnem occupaverant munitionem — contulit se ad ecclesiam canonicorum, quae prope erat[76], ubi per aliquot dies mansit, orans Deum suum, ut viam ipsius in beneplacito voluntatis suae dirigere dignaretur. Eo itaque ibi in humilitate et afflictione spiritus commorante, mediantibus quibusdam fidelibus nutu Dei pax rebus data est. Adversarii namque convenientes
78 omnimoda satisfactione[77] coram ipso humiliati sunt[78], quos ipse in mansuetudine suscipiens, hoc solum ab eis exegit, ut vulneratum militem suum placare non erubescerent. Quod illi libentissime acceptantes, dirutam domum militis restauraverunt, eique pro inflicto vulnere quadraginta marcas argenti contulerunt. Post haec reserato castro, quod ad adventum eius prius clausum fuerat, intravit illuc cum omni honore, multorum nobilium coetu vallatus, universa plebe collaudante Deum super constancia tanti pontificis, qui in tam evidenti mortis periculo fidei integritate et corporis incolumitate invictus permansit. *Acta sunt haec tertio archiepiscopatus sui anno, quinque enim annis postea sedit, de die in diem ministerio a Deo sibi commisso dans honorem, in omni religione et honestate proficiens, unitatem sanctae ecclesiae conservans eiusque perturbatores et scismaticos omnes persequens et detestans, bonos amplectens, desolatis dans consilium, pauperes et orphanos viduasque sustentans, religiosos quosque fovens et dilatans, religionisque docens formam, se ipsum, prout dignitas officii pati poterat, tam minoribus quam maioribus affabilem exhibens, divinae largitatis et gratiae non immemor, domino Deo suo per singulos dies bonae opinionis et intimae suavitatis et dulcedinis offerebat conscientiam.

1130 **21. Erat adhuc eo tempore scisma gravissimum, Innocentio papa catholico inter

* *B.* Tertio anno episcopatus sui[a] haec acta sunt, et quinque[b] postea sedit, de die in diem ministerio a Deo sibi commisso dans honorem *etc.*

** *B.* Erat itaque[c] schisma[d] gravissimum et ad pacandum difficillimum in sancta Romana sede, de duobus, ut praemissum est, pontificibus, Innocentio et Petro Leonis: quorum alter, Innocentius videlicet, canonice electus, catholicus erat, et a catholicis omnibus approbatus recipiebatur; alter vero, id est Petrus, fuerat intrusus, sed tamen occupaverat sanctam sedem, non a Deo neque ab ecclesia sancta, sed a potestate seculari. Quia et ipse, etsi non nobilitate generis[e], multitudine tamen generis potens erat in civitate, legesque sanctas et ordinem et omnia statuta patrum et ecclesiae sanctae regulamque christianae fidei, fervore suae ambitionis excaecatus, destruebat; turresque et munitiones civitatis alias deiciens, alias muniens, ad omnem principatum secularem et suae cupiditatis votum obtinendum praeparabat. Ob hoc, consilio initio a rege Lothario et sanctae fidei principibus, ne cognitio et robur fidelium christianorum his modernis temporibus illa peste mortifera periret, expeditionem in Italia ordinaverunt; ut ipsum sacrilegum, quem gladius spiritalis, quo iam saepissime percussus fuerat, penetrare non poterat, materialis saltem perforaret. Cum eo et aliis tam episcopis quam archiepiscopis, ex praecepto et obedientia Innocentii pastoris catholici, pontifex Norbertus profectus est. Transitisque castris et urbibus non[f] absque intolerabili offendiculo, cum magno coetu praeeuntis et subsequentis exercitus, Romam, papam venerabilem Innocentium secum deducentes, perveniunt. Ubi cum impetu grandi et manu forti introeuntes, ipsum eundem papam in sancta sede, invitis hostibus et adversariis omnibus, posuerunt.

a) sui episc. *cod. Sues.* 11. 12. 13. b) *ita correxi ex codd. Sues.* 11. 12. 13. *editiones vero:* Quinto a. ep. s. haec a. s. quinque postea *etc.* c) *recepi ex S.* d) scisma *S.* e) *add. S.* f) *deest omn. codd., supplevit Papebrochius.*

74) Closter Berge; vide Leuckf. Antiqq. Praem. S. Mariae Magd. p. 11. 75) *ad quoddam castrum suum quod dicitur Halla* dicit auctor secundae vitae. 76) hodie Petersberg. 77) Cf. Annal. Sax. l. c. *et persistentes in malo excommunicans sibi eos subiecit.* 78) Orationem quam Norbertus redux coram clericis Magdeburgensibus habuit, Hugo ex libro manuscripto, qui praeter ipsam etiam fragmenta vitae Norberti et epistolas Gervasii abbatis Praemonstratensis et episcopi Sagiensis continebat, in lucem edidit. Vie de S. Norbert p. 354.

catholicos se hac et illac agente, et Petro Leone scismatico cognatorum et affinium suorum 1130.
auxilio sedem Romanam occupante, multaque enormia in civitate contra leges et statuta
patrum agente. Ob hoc Lotarius imperator, consilio cum principibus imperii habito, expe-
ditionem in Ytaliam ordinavit, ut Petrum Leonem sacrilegum, qui spiritali gladio repugna- 1132.
bat, materiali saltem gladio deiceret. Ad hanc expeditionem[79] praecepto et obedientia[a] Aug. 20.
domni Innocentii papae et vocatione domni imperatoris[80] pater Norbertus accessit, corpore
quidem invalido, sed spiritu prompto[b] et intrepido. In hac expeditione quam necessarius,
quam utilis ecclesiae fuerit, postmodum patuit. 1133. Mart.
Consistente itaque imperatore cum exercitu suo in loco, qui ab incolis ad Sanctum
Valentinum[81] appellatur, domno quoque papa Innocentio apud Bithervium[82] manente, legati 82
Romanorum a Petro Leone missi domnum imperatorem adierunt, multipliciter attemptan-
tes tam prece quam pretio necnon ratione animum principis ad suum assensum inclinare.
Qui cum, contradicente sibi patre Norberto, non proficerent, audientiam postulantes, iudicii
et iusticiae tribunal appellaverunt[83], et hiis verbis nonnullos tam principum quam caetero-
rum fidelium animas sibi aliquantulum inclinaverunt. Unde Norbertus pro pace et honore
catholicae ecclesiae sollicitus[84], sine mora papam Innocentium adiit, et propositis hiis quae
in castris agebantur, diligenter eum commonuit, ut tam sibi quam suis providere non dif-
ferret[85]. Unde cum adversus Norbertum disputaretur, summum pontificem hominis iudicio 85
subdi vel tribunalibus assistere non oportere, papa Innocentius honesta sibi consulens
libertate Lotario principi se exposuit in captivitatem perpetuam detrudendum, si non loco
et tempore sibi constituto tribunalibus regalibus examinandum se praesentaret. Inde acci-
dit, ut et tergiversatio Petri Leonis circa papatum rugientis frustraretur et ab universis

a) obedientiam *cod.* b) praecepto *cod.*

79) cf. Ann. Sax. a. 1132. 80) Ann. Saxo l. c. *rex Langobardorum fines intravit et quia Coloniensis archiepiscopus abfuit, qui prisco debet iure cancellarius in illis esse partibus, Nortbertus Magdeburgensis archiepiscopus huic officio deputatus est.* Ita nominatur etiam in Lotharii sententia in Anacletum papam, Legg. II, 81. 81) *Valentano*, haud procul a lacu Vulsiniensi. 82) *Viterbŏ*. 83) Haec egregie verbis Lotharii ipsius confirmantur. Vide eiusdem in Anacletum papam sententiam, Leges II, 81: — *Cum — ad Urbem proficisceremur, nuntios schismatici illius Petri Leonis frequenter habuimus. Qui nimirum ex parte illius iustitiam praetendentes, ipsi in ius ire parato non debere audientiam denegari nec hostilibus impugnationibus molestari asserebant. Diutius ergo eorum interpellationibus provocati id ipsum episcopis et cardinalibus qui cum d. papa Innocentio erant significare coacti sumus. Ipsi vero - universalem Dei ecclesiam — Petrum Leonis ac complices suos damnasse asserentes, quod erat universitatis non debere privatum fieri responderunt.* Quae vero apud Nostrum, qui Norbertum in itinere Italico comitatus esse videtur, sequuntur, ad hunc usque diem omnino nota non erant. Compilator enim secundae vitae haec plane omisit. 84) Qualem Norbertus in tuendis Innocentii II. partibus se gesserit, optime ex Petri Leonis s. Anacleti epistola dat. Romae apud S. Petrum die 29. Ianuar. (1131) qua Norbertum anathemati subiecit explicatur. *Fraternitati tuae — mandaveramus, ut proximis beati Martini octavis nostro te conspectui praesentares, quatenus — — querelae ad nos per Atticum archidiaconum tuum delatae plenius examinarentur. — — — Tu vero, fili inobediens, fili Belial, non modo paternis iussionibus parere recusasti, sed ad impudentiae cumulum et nos — vipereis proscidisti sermonibus, sicut et testium relatu intelleximus, atque ut tuo crimini fucum aliqualem dares, non exhorruisti palam asserere, nos non petitione populi, non spontanea cleri electione, sed vi parentum, potentia fratrum ipsorumque fidelium sanguine ad apostolatus culmen ascendisse. Quae quidem mendosa figmenta ab Haimerico, homine dudum — ab cardinalium coetu segregato, hausisti et serenissimo regi Lothario, cuius fide supra modum abuteris, ebibenda propinasti. Unde illum, tuae perduellionis suffragatorem, tuae haereseos approbatorem habere passim gloriaris — — Miramur sane tantum principem tanto patrocinari mendacio, sed miramur amplius quomodo tam religiosus princeps patitur te contra apostolatus nostri apicem velut canem impudentissimum oblatrare.* Haec epistola, quam Hugo l. c. p. 364 itidem ex codice Casinensi edidit, desideratur in Lupi libro atque fugit diligentiam V. C. Jaffé. Quae vero Anacletus Norberto ibidem exprobrat: *Qui te furor exagitat? — An quod veteris amicitiae signa tot dederimus? an quod ordini tuo approbationem impertierimus ultro dum apud Gallos ageremus, idolum fabricas in Germania* — ad chartam respiciunt qua legati sedis apostolicae Petrus (post Anacletus) et Gregorius S. Angeli (Innocentius II.) Noviomii d. 29. Maii a. 1124. Praemonstratensem ordinem confirmaverunt. Haec exstat apud Hugo Vie de S. Norbert pag. 227. 85) Innocentius II. hoc ipso tempore Norbertum optime de se meritum esse, bulla data 4. Iun. 1133 Lateranis testatur, qua ipsi debitam episcoporum Poloniae et Pomeraniae subiectionem confirmat. Cf. Sagittar. h. d. M. apud Boysen II, 19. *Siquidem*, dicit papa, *nec labor aliquis temporalis, nec alicuius minae seu blanditiae efficere potuerunt quin adversus Petri Leonis tyrannidem murum inexpugnabilem te opponeres et ad ipsius regis et aliorum principum corda in Petri obedientiam inducendo efficaciter elaborares.*

1133. sanum sapientibus de die in diem acceptior Innocentius haberetur. Dehinc Lotarius exer-
Mart. citum movit et difficili circuitu per Ortum[86] et Narniam Romam usque progrediens, castra
April. primum in Monte Latronum[87], dehinc multa fortitudine infra muros Urbis in monte Aventino apud Sanctam Sabinam collocavit, et papam Innocentium in sede cathedrali, palatio
Iun. 4. scilicet Lateranense, intronizavit. Veniente postmodum die quo Lotarius imperator ab Innocentio papa consecrandus erat, subito Roma turbari, tumultuari ac in se confundi coepit, timens ne coronae[a] imperatoriae per Innocentium sollempnis impositio Petri Leonis irrecuperabilis futura esset depositio. Quod et factum est. Ab eo enim tempore Innocentius crescere et multiplicari, et Petrus Leo minui et deficere coepit. Ingredientem itaque in manu valida Lotarium papa Innocentius cum cardinalibus et episcopis et universo clero suo sollempniter excepit, eumque imperatorem cum omnium qui aderant exultatione sollempniter consecravit. Coronatus autem imperator[88] ad honorem imperii et ad firmamen-
89 tum foederis, quod cum papa pepigerat[89], investituras episcopatuum, libertatem videlicet ecclesiarum sibi a domno papa concedi minus consulte postulavit. Ad cuius petitionem cum inclinatus domni papae videretur assensus, et ex tanta episcoporum multitudine nemo inveniretur qui huic contradiceret abusioni, Norbertus archiepiscopus in medium procedens praesente imperatore cum multo milite: *Quid*, inquit, *pater*, *agis? Cui commendatas tibi oves laniandas exponis? Ecclesiam, quam suscepisti liberam, numquid rediges in ancillam? Cathedra Petri requirit opera Petri. Obedientiam quidem beato Petro et tibi pro Christi nomine promisi, sed si, quod a te postulatur, egeris, ecce in facie ecclesiae contradico tibi.* Sic et pater Norbertus peroravit et se imperator ab inordinata petitione et apostolicus ab illicita concessione continuerunt*. Fuit enim idem Lotarius imperator timens Deum, strennuus belli ductor, praecipuus in armis, providus in consilio, terribilis inimicis Dei, iusticiae socius, iniusticiae inimicus, cuius virtus patuit in Sycilia, viguit et in Saxonia, qui quamdiu vixit, Romanum imperium, quod regebat, inconvulsum Domino annuente permansit. Diligebat autem et ipse virum Dei Norbertum, eo quod consiliis eius plerumque regeretur et per eum refectione verbi Dei cottidie pasceretur. Contigit[b] una dierum quendam de exercitu imperatoris infirmatum spiritu maligno vexari. Quem milites lacrimabiliter domno papae curandum praesentaverunt. Qui non ferens eorum importunitatem, intra cubiculum se recepit et patri Norberto paucisque, qui cum eo erant, obsessum in ecclesia reliquit. Super quo ingemiscens, Norbertus fratribus ait: *Accedamus in spiritu humilitatis et contritionis ad Dominum, si forte in paupere isto respicere dignetur opus manuum suarum.* Haec dixit, statimque secretum orationis expetiit, ubi a meridie usque ad vesperam lacrimis et gemitibus indulgens infirmi curam obtinuit. In crepusculo namque noctis post multas horrendas voces exiit ab eo spiritus nequam, ipseque inter manus servantium se collapsus obdormivit et post paululum evigilans sanus astitit. Vir autem Dei ad confessionem eum hortatus est, et tam pro praeteritorum peccatorum remissione quam pro gratiarum actione per dies aliquot a lautioribus cibis abstinere praecepit, in veritate denuncians, si constitutam praevaricaretur abstinentiae regulam, eandem quam evaserat poenam sibi affuturam. Sic mundatus Deoque reconciliatus cum viro Dei Pisas usque processit, ubi mala potitus libertate, quia non servavit quae debuit, passus est quae noluit. Etenim cum apud Pisas moraretur,

* *Pergit B:* Sed et ipsum Lotharium regem pontifex in sede positus et alii qui cum eo venerant[c] in Romanum imperatorem consecraverunt. Erat enim vir ille strenuus belli ductor, praecipuus in armis, providus in consilio, terribilis inimicis Dei et sanctae ecclesiae, veritatis amicus, iustitiae socius, iniustitiae inimicus, cuius probitas patuit in Sicilia, viguit et in Saxonia. Qui quamdiu vixit, totum Romanum imperium, quod eius custodiae deputatum fuerat, titubare non potuit. Diligebat autem[d] et ipse virum Dei Norbertum, eo quod eius consiliis, quae strenuitate et providentia pollebant, assidue utebatur, et quia ab eo caelestis dulcedinis potum hauriebat et pane divinae refectionis quotidie[e] reficiebatur.

a) subito — coro *rasurae eadem manu inscripta cod.* b) *in margine cod. adscripsit manus saec. XV.* Istud miraculum non est (in) libro Lenynensi. c) qui convenerant *S.* d) *deest S.* e) cottidie *S.*

86) Orta in ripa dextra Tiberis sita ad delegationem Viterbiensem pertinet. 87) Is mons haud dubie ex Romana gente Latronum ita vocatus est; Petrum Latronis scimus eo tempore in Lotharii castris fuisse, Innocentii studiosum. V. Muratori III, 435. — An Mons Malus, *Monte Mario? P.* 88) — *tandem ex consilio et voluntate principum mediante Nortberto archiepiscopo — imperialem suscepit benedictionem* dicit Annal. Saxo. 89) Lotharii iuramentum vide Legg. II, 82.

ipse se curiose circumagens, remotaque custodia solivagus incedens subito correptus et [1133.] misere cruciatus, iterumque sacerdotis Dei ministerio per gratiam Dei liberatus est.

22. Post multos itaque labores homo Dei viribus corporis destitui coepit, utpote longa et gravi attritus asperitate poenitentiae, invaluitque in eo aegritudo tum ex labore itineris, tum ex corruptione aeris. Verumtamen ab Ytalia reversus, in civitatem suam Parthenopolim non absque multa difficultate perductus est. Ibi ergo decumbens, quatuor mensibus [1134.] gravi languore vexatus est, tandemque, episcopatu suo annis octo sapienter et fideliter administrato, cum omni integritate sensus sui, astantibus benedictione data, beato fine quievit. Neque enim, ut ait Augustinus, poterat male mori qui bene vixerat. Annus erat dominicae incarnationis millesimus centesimus tricesimus quartus, feria quarta penthe- [Iun. 6.] costes, octavo Idus Iunii, anno quinto Innocentii papae, regnante Lotario anno nono.

23. Defuncto itaque memorato pontifice, non minima contentio orta est inter maiorem ecclesiam et ecclesiam beatae Mariae[a] de loco sepulturae eius. Asserebant enim canonici maioris ecclesiae, dignum et iustum esse, ut quia caput ecclesiarum ipsius civitatis extiterat, ecclesiae capitali eius ossa deferrent honorem, ibique adventum summi iudicis expectaret, ubi titulus eius esset immobilis, etiam si in inmensum eum in carne vivere contigisset. Fratres vero ecclesiae beatae Mariae[a] econtra dicebant, eum non tantum archiepiscopum sed et specialem patrem et praepositum eis usque in finem fuisse, ideoque eius corpore se debere potiri, praesertim cum hoc eius postulasset devotio, ut inter fratres et filios suos, quos semine verbi Dei Deo genuerat, sepeliri et quiescere debuisset. Pro dirimenda hac lite ad domnum imperatorem Lotarium legatio transmissa est, ut quod ipse super hac re iudicaret, hoc ratum haberetur. Interim vero corpus inhumatum iacebat, et de die in diem per singula monasteria civitatis deferebatur, ubi vigiliae et ea, quae fidelibus defunctis debentur, devote celebrata sunt. Et licet aestus fuerit nimius, non est de corpore illo per tot dies alicuius foetoris egressa corruptio. Post dies autem octo[90] reversis nuntiis, qui missi fuerant, praecepto imperatoris ad ecclesiam beatae Mariae corpus delatum est, et ante altare sanctae crucis sepultum et post aliquot annos in chorum translatum est[91], ubi diem expectat novissimum sub spe beatae resurrectionis, ad quam desideranter adhelat omnis anima fidelis*.

* Argumentum salutis ipsius et spei, nequaquam a quoquam fidelium aestimatione incredibile debet esse, praesertim cum a quibusdam, quibus optime credendum fuit, etiam post discessum suum in ea effigie apparuerit, et de statu suo quaerentibus tale responsum ex divina permissione dederit, quod verum et certum dubitare nullus diligenter attendens debebit. Eodem namque die et hora, qua separata est anima eius a corpore, videbat eum frater quidam in veste candida et pulcra effigie, ramum olivae tenentem in manu sua. Qui cum quaereret ex eo, ut erat timidus, unde veniret vel quo festinaret, respondit, dicens: *De paradiso missus sum, unde et hunc ramum olivae florentem tuli; et vado celeriter, ut in loco paupertatis meae, id est in Praemonstratensi ecclesia, transplantem illum.* Expergefactus frater de tam insolita visione, coepit intra se cogitare, quid hoc significaret, nuntiavitque[b] hanc visionem quibusdam ad ecclesiam — erat enim ad curiam quamdam eiusdem ecclesiae — qui[c] memoriae commendarunt diem et horam visionis, praestolantes quid praetendant, et quae sequantur opera tam manifestae huius[d] apparitionis. Audito tandem transitu magistri sui, inventa est illa eadem dies esse, qua carne anima eius soluta est. Alii similiter fratri, qui sacerdos erat, apparuit in propria effigie stans coram eo. Sed statim effigies ipsius hominis mutabatur in florem miri candoris, in modum floris lilii, quem angeli suscipientes ad aethera deferebant. Evigilans autem[e] frater summo diluculo, cucurrit ad priorem suum, licentiam accepturus, ut missam celebraret, Deoque per eam animam pii patris sui Norberti commendaret. Cumque prior quaereret, quod esset signum huius tam subitae contestationis, exposuit ille ordinem rei. Cui prior praecepit, ut diem illum[f] memoriter retineret. Est itaque inventa dies illa dies sepulturae hominis Dei.

Erat et alius quidam de his, quos in primordio conversionis suae contulerat ei Deus,

a) memorie *manu saec. XVI. correctum* Mariae. b) *ita S.* c) *ex S. recep.* d) *deest S.* e) igitur *S.* f) ipsam *S.* g) *add. S.*

90) Ann. Saxo 1134 paullulum differt: *Imperator pentecosten Mersburch celebravit et in feria 4. eiusdem hebdomadae Nortbertus Magdeburgensis archiepiscopus obiit et 2. feria sequentis hebdomadae in monasterio sanctae Mariae est sepultus.* 91) Unde a. 1626 Praemonstratenses Strabovienses ipsum Pragam transtulerunt. Act. SS. Iun. tom. 1, p. 878. Leuckf. p. 21. 50. Euangelici vero perhibent, tunc temporis non Norberti, sed Heinrici archiepiscopi ossa translata fuisse (cf. Leuckfeld p. 28. 29. qui plura hac de re in lucem edita scripta enumerat). At iniuria ut mihi quidem videtur.

qui fideliter et affectuose ei adhaerebat, et de discessu karissimi[a] magistri sui dolebat intrinsecus, plus tamen, quia certitudinem nullam suae salutis haberet. Cumque omni precum instantia supplicans rogaret Deum suum, quatenus aliquod responsum acciperet de misericordia, quam contulerat ex indebita gratia militi suo et peccatori veraciter poenitenti, nocte quadam apparuit ei in domo pulcherrima, quae solis claritate satis decenter apparebat irradiata. Recognoscens ergo ille magistrum suum, cuius visione quoquo modo perfrui voluntate ferventi desiderabat, procidit velociter ad pedes eius, humiliter petens ab eo, quatenus de statu suo et de percepta a Deo misericordia aliquid insinuare dignaretur. At ille erigens eum a terra, et brachiis suis collum eius amplectens, sic ait illi[b]: *Fili mi, rem difficilem quaeris; attamen quia ei, qui pulsat indesinenter, aperitur, veni, sedeamus.* Erat autem ibidem sedes pulcherrima praeparata, super quam cum consedissent, dixit ille: *Dictum est mihi: „Veni, soror mea, requiesce": in pace et requie sum; sed tremendi[c] iudicii timorem nondum amisi, in quo etiam angeli tremebunt*[d]. Hac melliflua et desiderata frater ille responsione refertus, timens ne recederet, quia per visionem, sicut postulaverat, hoc se videre sciebat: *Quaeso*, ait, *pater amantissime, ut dicas mihi*[e], *si moleste accepisti, quod ad te non venerim, cum adhuc vivens me venire praeceperis.* Et respondit: *Tu venies*, et post haec disparuit. Verum fuit, quia iturus ad illum[f] frater ille fuerat, sed alio impediente negotio non pervenit.

Det omnipotens Deus, ut secundum promissionis intellectum ad ipsum[g] veniat, et quem socium et successorem[92] participemque miserae et poenalis tribulationis seculi huius reliquit, consortem faciat eum gaudiis felicitatis aeternae et donis a Deo perceptae benedictionis, per eum qui vivit in secula et misericordiam servat et dat eam omnibus in bonis obedientibus sibi et ambulantibus in viam salutis et iustitiae et veritatis. Et quid amplius? Numquid de salute tanti viri ab aliquo fidelium desperandum est, qui, ut praemissum est, et[h] vixit, et post mortem, permissus a Deo, signa haec suae salutis ostendit? Sed dicet aliquis: *Audio quod scriptum est; verumne sit hoc scriptum dubito, quia mihi incertum est.* Crede si vis; veritatem rei gestae in Christi veritate scriptor adhibet, quia aut vidit ea quae de eo scripsit, aut audivit a veris relatoribus, qui viderunt, et adhuc vivebant, quando praemissum opus per hoc scriptum memoriae commendavit, praeter quaedam quae ab ipso didicit, antequam exiret de terra et cognatione sua et onus deponeret proprietatis. Vivant ergo succedentes, et quae ab ipso et a praecedentibus eiusdem ordinis fratribus gesta sunt et narrata memoriae studeant commendare: quia etsi quidam ea per omnia non recipiant et omnibus ad integrum haec placere non valeant, non poterunt obesse benevolis[i], etiamsi contigerit malevolis et detractoribus non prodesse.

ADDITAMENTA FRATRUM CAPPENBERGENSIUM AD VITAM NORBERTI POSTERIOREM.

De communi patre nos quoque Cappenbergenses filii nobis[k] comperta desideranter adicimus, ne in paterni meriti prosecutione nos tamquam ingrati vestrae sanctitati deesse videamur. Est apud nos libellus vitam Deo digni fundatoris nostri continens, in quo ita scriptum est[93]: Illis diebus apparuit in Westphaliae partibus eximium quoddam iubar ecclesiae, memorabilis ille Dei praeco Norbertus, vir nimirum admirabilis gratiae, praedulcis eloquentiae, summae continentiae, informator ac propagator religionis canonicae, servorum Christi aggregator, coenobiorum non paucorum fundator, tam habitu quam voce strenuissimus, verae poenitentiae praedicator, ac per omnia illius pro-
Isa. 40, 3 pheticae iussionis executor, qua dicitur: *Parate viam Domino, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Sed et duo illius[l] magnalia, quae in hoc gesta sunt loco, dignum non arbitror praeterire silentio[94]. Quodam tempore famem Westphaliae affuturam, et ipsos quoque fratres parumper castigaturam, in spiritu praedixit; quae iuxta viri Dei praescientiam adeo gravis evenit[95], ut plerosque dira inediae calamitas extingueret. Accidit ergo die quadam fratribus ad refectionem ituris, cum hospitibus ac pauperibus erogarent quidquid sibi abstinendo subtraherent[m], ut panis[n] deesset alimonia; ita ut etiam unde fieret, inveniri non
Prov. 10, 3 posset. Cumque vir Dei saepius intimasset quod scriptum est: *Non affliget Dominus fame animam iusti;* ecce subito per fideles suos Dominus tantam panis abundantiam transmisit, quod fratres et sufficienter refecti sunt, et advenientibus cum alacritate obtulerunt. Atque postmodum ex die illa numquam defuerunt[o] fratribus opportuna subsidia.

Tempore item alio, cum vir sanctus quemdam ex fratribus pro causa vellet monasterii destinare, inveniens eum valida prostratum[p] febre, iniunxit ei causam obedientiae in virtute Christi, solo verbo usus imperii: *Vade*, inquit, *et revertere, tamque amplius noli febricitare.* Statim ergo frater, recuperatis viribus, perfecit quantocius quod a patre sancto fuerat iussus. Ita viri Dei sermo et causam obtinuit, et morbum diutinum repente fugavit. Item illic scriptum est[96]: Placuit itaque Spiritui sancto, qui in praecone veritatis habitabat, quique per illum loquens in agro dominico fructus mirabiles operari dignatus est; placuit,

a) *add. S.* b) *deest S.* c) *ita S.* tremendum *edd.* d) q et an. tim. *edd.* e) *deest S.* f) eum *S.* g) eum *S.* h) qui et ut p. est vixit *S.* i) benivolis *S.* k) *deest cod Suess.* 11 l) eius *editt.* m) subtrahendo *S* n) panum *S.* o) defecerunt *S.* p) correptum *S.*

92) De Hugone igitur qui post Norbertum abbatiae Praemonstratensi usque ad a. 1161 praeerat, loquitur auctor. 93) Vita Godefr. Cap. supra p. 516. 94) supra pag. 517. 95) De tempore vide ibid. not. 21. 96) supra pag. 516.

inquam, ei, ut in praedictis coenobiis fratres commanentes, hoc est Cappenbergensi, Varlarensi, Elofstatensi, regulam beati profiterentur Augustini, eo quidem tenore, uti regulam eamdem aliquanto districtius, quam eatenus usitatum fuerat, observarent, esu scilicet adipis et carnium abstinendo, austeriori quoque habitu poenitentiae rigorem exhibendo. Nam et amicus Sponsi Ioannes non exquisitis, imo naturalibus et silvestribus cibis pastus est, et ab ipso Salvatore coram turbis ad eremum confluentibus de vestitus austeritate laudatus est. Et ecce hic ordo noster, divina prosequente clementia, longe lateque protenditur, et ut vere confidimus, multo latius in futurum protendetur. Unde nec ambigere debemus, quin sancto dictante Spiritu et inchoatus fuerit et divinae ordinationis nutu promulgatus. Numquid enim non vineam istam in brachio suo[a] excelso ipse Dominus dux itineris transtulit de Aegypto[b]?

Item illic adiunctum est: Audivimus nihilominus eumdem orthodoxae[c] veritatis assertorem in communi capitulo haec quae sequuntur prosequentem· *Scio*, inquit, *unum ex professionis nostrae fratribus, cui de regula nostra indaganti studiosius, non quidem suis meritis, sed confratrum suorum orationibus, beatus visus est Augustinus, qui et auream regulam, a latere dextro prolatam, illi porrexit, seque ipsum luculento ei sermone intimavit, dicens: „Quem vides, Augustinus ego sum, Hipponensis[d] episcopus; ecce habes regulam, quam ego conscripsi: sub qua si bene militaverint confratres tui, filii mei, securi Christo adstabunt in extremi terrore iudicii.“* Et quidem ista humiliter tamquam de alio prosecutus est; nos tamen ipsum fuisse cui hoc revelatum est, indubitanter advertimus

Hucusque de libello nostri fundatoris insertum est; nunc, si placet, ea quae nec in vestro nec in nostro sunt annotata libello, prout veraciter comperimus, breviter et affectuose digeramus. Res apud Floreffiam gesta est. Cum enim illic memorabilis pater divina forte celebraret, in quibus nimirum exequendis se devotissimum exhibere consueverat, vidit repente ante ipsam perceptionem in patenae medio non modicam stillam sanguinis dominici rubentem, vocatoque fratre Rudolpho[e] sacrista nostro, eius tunc diacono, fideli ac religioso viro[f]: *Videsne*, inquit, *frater, quod video? „Video“*, ait, *„domine“*; coepitque pro tantae rei magnitudine ubertim flere. Post cuius miraculi declarationem, ex eodem[g] sumpta, ut credimus, occasione, nobis deinceps patenam abluere mandatum est, coepitque apud nos huius observantia consuetudinis, cum a nobis eatenus nesciretur.

In vita beati Servatii legimus, quod defuncto eodem praesule sanctissimo, sericum quoddam, populo spectante multumque admirante, angelicis allatum manibus, super illius venerabile corpus positum est. Quapropter idem sericum in Traiectensi ecclesia summa honoratur reverentia, praecipua quoque conservatur et obseratur diligentia. Cum ergo vir Dei Traiectum devenisset, petiit hoc sibi sericum demonstrari. At illi coeperunt simul omnes excusare, praesertim cum vel ipsum scrinium, in quo repositum erat, introspicere nullus auderet. Sed quid multa? Novissime viri Dei obtinuit petitio. Cumque in eius praesentia sacrum aperuissent repositorium, subito ecce sericum illud, mira dicturus sum, mirabili et divino quodam impulsu subvectum evolavit; ipsam quoque basilicam aliquanto tempore circumvolans, tandem se ad summa templi prope laquearia displicatum continuit, et illic quasi quodam remigio alarum librabatur annixum. Quo viso, aliis stupendo exclamantibus, aliis penitus sibi subtrahendum cum luctu formidantibus, vir Dei rem tacitus considerans, missarum adorsus sollemnia. Quae dum ageret, ecce sericum[h] se recomplicans[i], super expansa sacerdotis brachia lente se demisit; quod ipse venerabiliter suscipiens, loco suo restituit. In hoc igitur facto et meriti gloriam in praesule Servatio et fidem atque orationis virtutem in suo famulo Deum declarasse non dubito.

Apud locum qui Bonlandt[k] dicitur, ubi nostrorum quoque fratrum floret coenobium, potens quidam alienorum invasor commanebat. Hic inter cetera violentiae suae mala quosdam vini redditus, qui proprie erant Parthenopolitanae ecclesiae et ad divina celebranda praecipue pertinebant, iniusta usurpatione iam aliquamdiu possederat. Illuc ergo cum forte devenisset archiepiscopus, ut mihi frater eiusdem loci testatus est, pro ecclesia sibi commissa non siluit, accersitoque raptore, quamvis multis pavendo, libere dixit: *Cur, homo, hanc iniuriam beato Mauritio inferre praesumis ut reditus annuos, ad divina celebranda institutos, temeraria invasione possideas, in tuos usus expendas?* Cumque ille inflatus responderet, dicens, non hoc esse invasionem, sed legitimam hereditatis suae possessionem, vir Dei prophetico spiritu respondit: *Scias, frater, quod hoc imminenti anno ab hac depraedatione Dei repelleris iudicio.* Dixit, et factum est; eodem quippe anno infelix ille ab inimicis suis occisus est.

Alio quoque tempore cum esset in expeditione regis Lotharii, una cum ipso rege Vin- 1132. Aug. 27.
delicam pervenit Augustam, ubi famosam seditionem, quae inter populum eiusdem civitatis et regem oborta est[l], hoc ordine praedixit. Solebat hic ter beatus ad orationem ecclesiam quamlibet ingressurus, ad ipsa semper basilicae limina curvatis dicere genibus: *Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea.* Cum ergo praefatae civitatis ecclesiam ingrediens orationem complesset, vocato diacono suo, ex cuius haec ore cognovimus, quid per spiritum cognovisset ei revelavit, dicens: *Ego, frater, huic loco pacem imprecatus sum, pacem optavi; sed tamen pacis hic repulsam inveni. Pallium ergo nostrum et cetera quae sub manu tua sunt, diligentiae tuae commendo attentius, quia loco huic imminet confusio magnusque conflictus.*

a) *add. S.* b) Aegipto *S.* c) *deest S.* d) Yponensis *S.* e) Rodulfo *S.* f) fid. ac rel. viro *supplevi ex S.* g) eadem *S.* h) *deest S.* i) replicans *S.* k) Bonland *S.* l) oborta est *desunt S.*

1132. Aug. 28. Ita factum est. Nam proximo die, multis a rege prostratis et vulneratis, temeritatis suae cives poenas dedere, vixque tandem in regis gratiam post multa dispendia recepti sunt[a, 95]. Alio item[b] tempore, cum oblatus ei fuisset daemoniacus, ut paucis absolvam, aquam sale mixtam exorcizavit, et cum procedens eamdem spargere coepisset, antequam perveniret ad hominem, spiritus malignus abscessit. Haec sunt pauca de multis, quae nobis comperta non pium silere existimavimus, quia tam ex lege, quam ex euangelio, honorem patris nostri non negligere commonemur. Ipse quoque, qui tantae nobis perfectionis dereliquit exempla, pro nobis apud Christum, uti securi confidimus, intervenire non desinet, quatenus et hic tanti praecessoris imitemur vestigia, et cum lucro meritorum, post huius miseriae terminum, aeterna cum illo recipiamur in gloria. Amen.

Felix Norbertus, primus pater ordinis huius:
Gaudeo quod meritis eius, pater Hugo, favetis[b].
Felix nimirum, qui mundi culmina sprevit,
Subiectusque iugo Christi, pia semina sevit,
De quibus est ortus mirabilis undique fructus.
Fructus, quo multos claustralis regula salvat,
Fructus, qui coeli feliciter horrea stipat.
Spiritus insignis, divini muneris ignis
Hunc illustravit, doctrina clarificavit;
Coelitus inflammans, magnis doctoribus equans,
Hic meritis clarus gerit indelebile nomen;
Nam paupertatem veram constanter amavit,
Daemonis incursus fidei virtute fugavit.
Hic vas aeterni verbi pacisque minister
Pacem firmavit, discordes conciliavit.
Hic sublimatus provectu pontificatus,
Vir fuit insignis, crux pravis, forma benignis,
Et sidus clarum circa res ecclesiarum.
Felix, qui gladios potuit securus adire,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa,
Nec dubitare mori, Christi connexus amori.
Felix, cuius erunt Domino veniente manipli,
Quos bonus assumet iudex ex ordine nostro.
Hoc apud examen nos gratia protegat. Amen.

EXPLICIT VITA GLORIOSI PATRIS NOSTRI NORBERTI.

a) dispendia venere *S.* b) *deest S.* c) gaudetis *S.*

95) De hac Augustensium seditione conferas Cod. Udalr. Babenb. n. 359, Annal. Sax. a. 1132 cet.

ARNULFI ARCHIDIACONI

IN GIRARDUM ENGOLISMENSEM INVECTIVA.

Celeberrimus saeculi duodecimi medii scriptor Arnulfus, Lexoviensis inde ab a. 1141 *episcopus, dum adhuc Sagiensis archidiaconus in Italia iuri studebat, Innocentii II papa beneficiis devinctus, contra Anacleti papae in Gallia legatum Girardum episcopum Engolismensem stilum sumpsit, atque Ciceronis in Catilinam more invectus vitam gestaque eius acrius perstrinxit. Quae invectiva propter ea quae de dissidio paparum auctor Romae praesens tradidit, locum hic mereri videtur. Scripta est post Lotharii imperatoris coronationem a.* 1133, *Anacleto adhuc valido, anno ut videtur* 1134 *vel* 1135, *antequam Wilhelmus Pictaviensis ecclesiae cathedrae restitueretur, et certe ante obitum Girardi episcopi qui a.* 1136 *vita cessit.*

Libellum primus vulgavit Dacherius ex codice monasterii olim Parisiensis Alborum mantellorum, Spicilegii T. II, p. 338, *alterius editionis T. I, p.* 152, *unde Muratorius SS. Ital. T. III,* 423. *eum repetivit; maiorem partem Brial in SS. Gall. T. XIV, p.* 249—262 *excerpsit et annotationibus ad historiam Galliae facientibus illustravit. Nobis Dacherii textum passim recognitum sistere satis visum est.*

PRAEFATIO.

Venerabili Dei gratia Carnotensi episcopo Gaufrido, Romanae ecclesiae legato, Arnulphus archidiaconus Sagiensis, clericus eius humilis et devotus, salutem.

Ad expedienda legationis vestrae negotia non negarem fidele ministerium, si adessem, pro viribus exhibere. Invitaret enim me cum laborantis ecclesiae causa communis, tum beneficiis vestris obstricta devotio, tum Romani pontificis gratia, qua me fateor arctius obligatum. Sed quia me in Italiam desiderata diu Romanarum legum studia deduxerunt, loci quidem distantia corporale subduxit obsequium, sed spiritalem non suppressit affectum. Novit enim intimus secretae conscientiae testis, quam fidelis ecclesiae patienti compatiar, quam affectuose in adversis praesuli Romano condoleam, quamque obnoxie vestrum me tota mente iudico debitorem. Unde nimirum sublata impendendi corporaliter officii facultate, stilum saltem continere non potui, sed in Girardum Engolismensem, quod solum impendere poterat affectus absentis, invectus, originem nativitatis eius, conversationis qualitatem, praelationis causam, quid agat, vel egerit ab initio tempestatis huius, servata quantum potui brevitate, perstrinxi. Ad confutationem quoque eius, stilo circa Petrum Leonis liberius evagato, subiunxi de persona domini papae, de ordine electionis eius, de favore principum, de populorum consensu, quidve super hoc irrefragabilis omnium religiosorum probat auctoritas.

Opus autem ipsum praesumo maiestati vestrae, fortassis impudenter, offerre, cum nullatenus orationis ieiunae macies mereatur in sapientiae vestrae venire conspectum. Scio tamen quia saepius apud vos benignitas indulgentiam parit, quam severitas exactissima poenam.

Qui enim leviori culpae veniam negat, causam quandoque gravioris importat. Si quid tamen in iudicium libeat devocare, non de qualitate operis, sed de opificis cognoscatis affectu. Huius examinationis periculo me securus expono, nec cognitionem formidans nec latam ex cognitione sententiam. Quia licet rhetoricum colorem formet scientia non affectus, si non hanc peritiae laudem, saltem bonae voluntatis gratiam consequemur. Sed et hoc ad vos potissimum destinari ratio postulabat, cum in eam causam cuncta specialium allegentur, quae vobis agenda commissa est. Quippe cum ad resistendum Petro Leonis in Italia praesul Romanus indefessus assistat, ad resistendum Girardo vos reliquit in Gallia, ut sit capiti caput oppositum, et dextera dexterae conferatur. Sicut enim Petrus schismatis huius princeps et auctor est, sic Girardus eius inter omnia principalius est instrumentum. In quo quid de fide et prudentia vestra sentiendum sit, manifeste probatum est, cum nullum vobis praetulerit is, qui nec probaret ignotum, neque notum supra merita propriae virtutis efferret. Arbitratus est virum quem caritas animaret, quem suscitaret obedientia, quem scientia cogeret, cui pararet fortitudo victoriam. Probavit in vobis in fide constantiam, humilitatem in obsequendo, in exequendo prudentiam, in difficultate perseverantiam. Quis vos hac eius existimatione neget esse felicem? Quis beatum tanta eius dignatione non dicat? Sed profecto dignus mittente nuntius, dignum suscipiente mandatum, spes utriusque pulcherrima, quae tam celebrem victoriam certo spectat eventu. Vincet enim in vobis ipse, sed et vos vincetis in ipso; dum ipse vobis auctoritatem, vos auctoritati praestatis obsequium. Vincetis, inquam, et captivatum hostem sedata Aquitania reducetis; ut per vos ei qui vos misit oblatus, ob novum crimen novo poenae genere puniatur. Indurati enim cordis impoenitentia veniam non meretur. Hoc autem praemium a vobis bonae saltem voluntatis exposco, ut mihi tunc inter eos qui modo quasi sub ducatu vestro militant, sequi currum liceat triumphantis, et laudes vestras, imo vincentis in vobis ecclesiae, praeconia decantare. Valete.

1. Anxie te iamdudum, Girarde, sustinui, dum ad nos quotidie flagitiorum tuorum foetor ascendit, et aures nostras gravior sonus nequitiae saevientis exasperat. Silui tamen hactenus dum poenitentiam tuam credulus exspectator attendo, aut divinae manus non credo differendam diutius ultionem. Sed nobis circa te divinae longanimitatis et patientiae proponenda exempla, tuque semper eo vehementior in ecclesiam Dei singulis diebus indefessus persequutor insurgis. Quousque igitur abutere patientia Dei? Quousque mentem tuam inaestimabilis ista coecabit ambitio, et a veritate pecuniae sitis haec inexstincta praevertet? Numquid miseram senectutem tuam et instantem decrepiti corporis naturali necessitate defectum et hiantis sepulcri claustra non vides? Non sentis superexcrescens circa te divinae longanimitatis augmentum aeternae tibi dampnationis supplicia cumulare, ut nulla iam excusatio divinam minuere valeat ultionem? Totus execrandi corporis tui labor et otium, tota reprobatae mentis astutia, totum in hoc detestabilis vitae tempus impensum est, ut militare pro ecclesia videreris, et contra ecclesiam dimicares. Nunc autem manifestavit Deus consilia cordis tui, et tenebrarum tuarum abscondita revelavit, ne dubia existimatione de te diutius hominum iudicia fallerentur. Patet te proditorem ecclesiae fuisse, cuius te simulaveras esse patronum. Patet te venatorem tantum fuisse pecuniae, qui venator constitutus fueras animarum. Sed quoniam animalis es homo, carnosus perinde et carnalis, quae Dei erant percipere non potuisti, et invisibilia ipsius conspicere contempsisti. Ne vero adversum te hunc animi temeritate potius quam ratione videar suscepisse sermonem, placet operum tuorum mihi seriem explicare, quibus possis hominibus contemptibilis, angelis execrabilis, Deo condempnabilis inveniri.

1101. Qualis igitur a primo pontificatus tui tempore fueris, quid in principio orientis in ecclesia tempestatis egeris, quibus eam postea operibus infestare non cessas, ordine transigetur[1]. Praetereundus est igitur ortus degener paternaeque domus familiaris inopia, quae 1 te totius natalis Normanniae finibus abegerunt, ut ad ignotae gentis limina peregrinus et mendicus adstares. Taceo ignobiles pueritiae quaestus, ignominiosam adolescentiae famam, iuventutis avara commercia, ne aures eorum ad quos haec scripta ventura sunt, tuae sordibus incontinentiae simul et avaritiae polluantur. Venio ad virilis aetatis tempora, sub quibus te in episcopum non vita probabilis, non praecedens deliberatio, sed casus adduxit, et coecarum ex praecedente discordia mentium motus impellens. Dum enim adversum se eligentium multitudo divisa consurgeret, diversasque personas alternus postularet assensus, in te voces omnium fortuna convertit; non quia in te satis commode provisum ecclesiae

1) Cf. tamen Gesta comitum et episcoporum Engolismensium.

crederetur, sed ut exitum qualemcumque tumultus offenderet. Maluit te scienter indignum 1101. pars utraque excipere, quam praevaluisse pars altera videri. Redit in mentem mihi miserabile illud nefandissimumque spectaculum, dum te praecurrentem multitudo reliqua sequeretur, et tu clerum quadam celeritate praeires ad cathedram, ne revocata ratione stolida mutaretur impulsio, cum alii quidam trahi soleant, et plerumque compellantur inviti. Ea die de Engolismensi ecclesia veritas et misericordia recessit, dolus impietasque successit, rerum status in deteriora mutatus est, nitorem suum singula perdiderunt. Imminutus est enim decor et cultus ecclesiae, periit ecclesiastici ordinis venerabilis illa religio, principum reverenda severitas populique laudabilis honestas interiit. Ecclesiam[2] quidem episcopa- 2 lem de mortuis aedificasti lapidibus, non ut domum Domini decorares, sed ut inde conquirendi pecuniam duceretur occasio, et adversus male suspicantem populum mendax excusatio non deesset, dum quaesita reconditur. Dicebatur ad opus ecclesiae postulari, quidquid ad tuam cupiens avaritiam exigebas, et dum unum de pluribus, de maximis minimum impendisses, volebas ut erogasse pariter omnia crederis.

Ubi igitur tali in episcopatum sorte provectus es, insolentia, quam ante paupertas represserat, efferri coepisti; petulantia, quam privatus exercere non poteras, bonos quos libuit insectari, rapinis et exactionibus exinanire provinciam, iudicia sola munerum comparatione formare, commutare rerum omnium status, nobilium labefactare fortunas, nepotibus tuis, quos natalis soli finibus eadem quae te causa depulerat, rerum tradere summam, et dignitatibus ecclesiae sublimare, quasi Platonem scientia, Catonem moribus, Scipionem genere superarent. Quos illiteratos quidem et ad res illicitas impudentius effluentes, obscuro loco natura produxit. De quibus, ne nova extra ordinem sumatur oratio, dixisse sufficiat, avunculo dignos esse nepotes, quos tibi cum natura consanguinitatis, tum educatio, tum quod a te sumebatur exemplum vitae similitudine conformavit, ut a natura principium, ab educatione promotio, ab exemplo ambitionis avaritiae libidinisque duceretur auctoritas. Reliquis autem ecclesiae dignitatibus et beneficiis, quae in unum coacervare non poteras eisdemque conferre, qui pecuniosior, is dignior habebatur. Non attendebatur honestas, sed manus onustas potius expectabas. Basilicarum dedicationes, benedictiones altarium, sacerdotum constitutiones eodem quo caetera more tractasti, ut plane nihil faciendum putares, quod non alicuius emolumenti auspicatio praeveniret. Nullam virtutibus gratiam rependisti, nullum quoque supplicium vitiis irrogasti, neminem ad vitae innocentiam informasti.

Si quis de incestu quolibet sonus emersit, si quis adversus immunditiam exarsit castitatis amore, in silentium te cohibente redactus est. Engolismensem abbatissam quidam tuus archidiaconus gravidam pravo fecit accessu. Porro facinus ingravescentis uteri tumor excedens et naturalis effectus aperuit. Quod dum propter insolentiam criminis divinitatisque contemptum civibus incredibile videtur, parturientis abbatissae gemitus et novi partus crepundia fidem fecerunt. Universa igitur civitas admiratione perculsa est: qua cogitatum impatientia, qua temeritate conceptum, qua denique impudentia posset esse completum, quod homo, animarum custos, episcopalis oculus, ecclesiae columna, sponsam Domini, virginum eius matrem atque custodem, non compellasset verbo tantum, sed opere polluisset, et cubile patris animo fornicantis intrasset eamque Deo, quae homini quoque tam contumeliosa quam opprobriosa est, irrogasset iniuriam. Suscitat ad vindictam comes[3], cui eam- 3 dem germanus sanguis coniunxerat abbatissam, et cum in caput adulteri ferro prius animadvertere decrevisset, ad te, ut canonice dictaretur sententia, accessit. Rem igitur patefacturus, ter vocem in media narratione continuit vir illustris, qui mentem suam contemplatione sceleris, linguam relatione fieri sordidam iudicabat. Explicuit tandem remota quadam circumlocutione quod coeperat, ut qui serpentem prunasve reconditas diutius latere non sustinet, manu tamen nuda recusat utrumque contingere, ne vel uratur altero, vel altero polluatur. Quis digna satis laude efferre valeat, quanta principis fuerit in prima sceleris animadversione severitas, quanta in ultionis executione discretio, qualis in referendo modestia successit? Quis igitur hoc saltem exemplo magnum in praesule rigorem iustitiae non exspectet? Stat in memoria pontificis digna relatione responsio. Replicabat comes, rem non absque divino contemptu naturae contrariam saeculoque mirabilem contigisse, quam divinae etiam religionis ignara gentilitas supremo puniendam supplicio decrevisset.

2) Cf. Gesta eadem. 3) Wilhelmus

Tu vero praeter aetatis tuae debitum, praeter ordinis et episcopalis officii dignitatem, singula verba lasciviore prosequente cachinno, te sane simplicitatem principis non satis admirari posse dixisti, quod naturae contrarium diceret saeculoque mirabile, quod de viro femina concepisset; sed in opposito stare miraculum, si de femina virum contingeret impraegnari. O stupenda mentis obstinatio! o detestabilis impudentia linguae! o digna depositione responsio! Exspectabatur, ut adversum facinus exardesceret episcopalis indignatio, sed ei quasi gratulanter lascivia senilis arrisit, et quod gravitate censoria punire sententia debuisset, nova Proteus auctoritate firmavit. Non potes excusare quin populo dederis certam similia faciendi licentiam, cum singulis ex ore tuo pendentibus, novum facinus et ignotum nec verbo nec opere condempnasti, sed quasi licitum arridentis facie praesignasti.

Quis igitur animi compos ex hoc reliquas tuae mentis et vitae partes manifesto non teneat? Numquid enim si quis in maioribus intemperans et petulantissimus invenitur, a minori crimine temperabit? Quid ita? Quoniam qui ab incestu sacrilegioque non abstinet, is ubi luxuriae flamma vel avaritiae satis incensa est, fornicatione simplici vel rapina, nec corpus inquinare nec manus implere cunctatur. Quid ad hoc? Quia qui alieni criminis non offenditur spurcitia, sed exultat, id in propria voluntate non dampnabit expertus. Quid igitur? Numquid si in sponsam Domini zelare, si ipsius divinitatis iniuriam vindicare sprevisti, circa tuendas hominum nuptias negligenter egisse convinceris, et ipsorum iniurias
cf. Luc. 23, 31. non curasse? Exstat ipsius testimonium Veritatis in simili. Non differetur, quin fiat in arido, quod in ligno viridi fieri festinatur.

2. Ad haec autem, ut his etiam operibus exercendis diffusa materies, libera facultas,
1108. inconcussa fiducia non deesset, quaesita et impetrata est ecclesiae Romanae legatio. Angebat te hinc laesae conscientiae reatus exuberans, hinc comprovincialium episcoporum nota severitas, hinc Burdegalensis archiepiscopi suspecta praelatio, quem loco confinem tua non semper opera fefellissent. Ambitio quoque tua quasi quibusdam sibi coarctata videbatur angustiis, dum fauces tuas unius episcopatus spolia non implerent. Ac si ergo omnia in episcopatu tuo compositio plena firmasset, nihilque novi operis casus afferret, effecisti, ut quinque archiepiscopatibus[4] singulari potestate praeesses, et in ipsis vices Romani pontificis exerceres. In quo quod Romanae ecclesiae surreptum est, non credo mirabile, si in tanta negotiorum multitudine, in tanto pondere rerum animus humanus aliquando fatiscat, cum non sit spirituum semper certa discretio, per quam fallacium votorum compellatur indignitas, et rectis debitus commodetur assensus. Nec inconsiderate tamen, quantum humana potuit ratione perpendi, commissa tibi est quaesita legatio. Aestimabatur quippe, quod in episcopum non sortis eventu sed ratione promotus fuisses. Nec verisimile videbatur, quod in electione tua clerum, principem, populum, in examinatione tua coepiscopos, archiepiscopum eiusdem coecitas implicuisset erroris. De operibus quoque tuis nihil adhuc quisquam Romanus audierat, quae finitimis et remotis, his quidem astuta dissimulatio, illis vero locorum distantia nullatenus esse nota sinebat. Ad summam, ne veritati derogetur in aliquo, inerat tibi circa gerendas res nota discretio, quam plurima sane litterarum scientia confirmaret, et utriusque facundia sermonis ornaret. Quae quidem, quoties si non zelo caritatis divina gratia largitur ingrato, in testimonium iustae dampnationis adiuncta creduntur. Dum igitur Romanus pontifex sollicitudinis suae pondus attenderet, te in oneris sui participationem gratulanter excepit, quem ministrum fidelem fore credidit et prudentem.

Ab inde igitur inconcussae praerogativa potestatis armatus, libera in ecclesiam Dei facultate grassatus es, singulorum vel depopulando quidem vel augendo substantias, infimis summa, summis infima commutando, ut plane quasi fortunarum auctor existeres, quem de status sui qualitate vel laudare possent omnia vel causari. Ab inde tua diffusioribus spatiis effusa cupiditas, copiosam rapacitati suae materiam non defuisse gavisa est. Quid ergo manifestas exactiones, quid familiaria ob periculum iustitiae suscepta dispendia dicam? Quid generales synodos, quid fatigatas venerabiles ex remota regione personas edisseram, ut concilio praesidens generali amplitudinem tuae potestatis gloriabundus inspiceres, et ambitioni satisfaceret contemplatio subiectorum? In quo opere quam perversa fuerint omnia, promptum est intueri. Ad hoc enim concilia celebrari sanctorum patrum sanxit auctoritas, ut inde virtutum doctrina malorumque correctio proveniret, et velut exercitus sui facultate conspecta, ipsam se plenius ecclesia mater cognosceret, ut adversum vitia

4) Namnetensi, Turonensi, Burdegalensi, Bituricensi, Ausciensi.

severius insurgendo, instantium bellorum triumphos posset confidentius auspicari. Te vero ad hoc ea convocasse quis dubitat, ut cupido animo tuo et libidini dominandi morem gereres; et cum satietatem discrete singularum causarum lucra non praestant, ipsam plurium multitudo congregata conflaret? Proh dolor, et miserabile cadentis ecclesiae detrimentum! Videri mihi videor, te quasi taurum pinguem in sublimi synodalem cathedram insedisse, dispositosque inferius catholicos ex ordine patres quidquid in causis conscia veritatis praetendat oratio, pari desperatione languentes, sub incerto ruentis sententiae fluctuare. Malos vero quanto impudentius quidem, tanto animosius insistentes efferri, quos polliciti vel collati muneris confidentia suscitat et inducit. Quod non sine quodam indignationis motu mihi mente reformo, dum intemperantiae tuae recordor impensum, quod ad decorem ecclesiae noscitur institutum. Pervulgatus est conciliorum honos et dignitas abrogata, quibus te praesedisse constat et nova gentibus Romano more decreta formasse. Super quo graviter indignatus, festive simul et honeste senex Venetensis illusit. Is cum ad quoddam concilium tuum inter coepiscopos vocatus adesset, pastoralem virgam rudem et incompositam praetulit, indumento veteri, quod multa iam scissura rupisset, amictus. Interrogatur igitur cur in tam vili et irrisorio habitu processisset, libertate conscientiae munitus: *Tale,* inquit, *concilium talis decet ornatus.*

Qualis ab initio pontificatus tui exstiteris, minus pleno sed veraci sermone digestum est; nunc vero quid egeris dum adversus ecclesiam procella tempestatis insurgeret, consequenter annectendum est.

3. Cum sublatus e medio bonae memoriae papa Honorius, terrae corpus, coelo spiri- 1130.
tum, sua singulis debita resignasset, eique successione dignum canonica surrogasset electio, ecclesiam Dei Petrus ille Petri Leonis invasit. Placet hoc loco mihi utriusque personae describere qualitatem, ut de duobus similem similis elegisse proberis, et cupidum cupidus adorasse. Parcendum tamen est obscoenitati verborum, dum Petri vita narratur, et rerum veritas sermonum pallianda decore, ut honos habitus honestati legentium videatur. Libet igitur praeterire antiquam nativitatis eius originem et ignobilem similem prosapiam, nec Iudaicum nomen arbitror opponendum, de quibus ipse non solum materiam carnis, sed etiam quasdam primitias ingeniti contraxit erroris. Ipse enim sufficiens est et copiosa materia, neque quidquam domui eius ipso turpius vel esse vel fuisse coniecto. Cuius avus cum inaestimabilem pecuniam multiplici corrogasset usura, susceptam circumcisionem baptismatis unda dampnavit. Pudebat eum impotentiae suae potius quam erroris, ne genus eius infidelitatis opprobrio confusum perpetua dampnaret obscuritas. Susceptis itaque fidei sacramentis, ubi novus civis insitus est, factus dignitate Romanus, cumque ipsi numerosam progeniem series successionis afferret, dum genus et formam regina pecunia donat, alternis matrimoniis omnes sibi nobiles civitatis ascivit, machinante iam humani generis hoste, ut quasi quodam veteri fermento tota Romanae sinceritatis conspersio corrumperetur. Ex hac itaque diversorum generum mixtura, Girarde, Petrus iste tuus exortus est, qui et Iudaicam facie repraesentet imaginem, et perfidiam voto referat et affectu.

Porro ipsum a cunabulis, ab ipsius nutricis uberibus, apostolatui praesaga parentum destinavit ambitio; atque post prima litterarum rudimenta docendum delegavit in Galliam, ut illius regni benevolentiam ipsi morum linguaeque conformatio vendicaret. Totis igitur annis pueritiae suae, ut honestius inhonesta dicantur, ad omne se quod alteri collibuisset exposuit, metuque Romani nominis importunus exactor, alienis adolescere non refugit expensis. Et tamen haec aliquantulum modestius exacta sunt, dum ipsum disciplina scholaris inhibet, et quotidianae praepedit instantia lectionis, et quaedam crimina naturalis impotentia removet ab aetate. At vero postquam adolescentia et peccandi facultatem et licentiam fecit liberius evagandi, si qua superbia, si qua petulantia est, tum vere ipse superbus et petulans omni intemperantiae sese satis impudenter addixit. Profecto cum in his operibus nec Deum dignatur revereri nec hominem, tantam sibi suscitavit infamiam, ut eius ortu ambitione vitaque praecognitis, ipsum esse antichristum universitas gentium passim crederet et publice testaretur. Augebat fidem, quod ex Iudaeis ortus, quod totius mundi dominium Romanae sedis auspicabatur obtentu, quod vitiis deditus infamiam nulla virtute redimeret, et quod infinitam patris et avi pecuniam deinceps possessurus esset. Ipse autem adeo huius nominis gloriabatur opprobrio, ut etiam ruina orbis non erubesceret appellari. Testis est Vizeliacensis ecclesia, apud quam dum veteres ad innovandum ipso

audiente diruerent officinas, ad contemplandas parietum ruinas sese duci propensius exigebat. Percunctatusque cur id videre tam sedulus exoraret: *Quoniam magnarum me*, inquit, *rerum ruina delectat, eo quod orbis ruina futurus esse praedicar.* Post haec habitum quoque monachatus excepit, ut vitia mentis ovino velaret amictu, opprobrio vitae praeteritae Cluniacense nomen obnuberet, et virtutis existimationem bonorum societas quaesita referret. In quo etiam ad haec quae in futuro sibi mens praesaga spondebat, Cluniacensis ecclesiae venabatur auxilium, eo quod inter ecclesias Gallicanas nulla sit nomine religionis illustrior, nulla consilii discretione prudentior, nulla promptior ad obsequia caritatis, nullius in gerendis rebus auxilium vel promptius vel efficacius esse potest. Reversus denique Romam, illi venerabilium seniorum sacrosancto conventui, annitente patre fratribusque, coniunctus est; et cardinalis factus, honoratus nomine tituloque ditatus est. Nullus quippe fortassis ad aures summi pontificis infamiae Petri fumus ascenderat, eo quod[a] tanti viri sublimitatem singuli reverentes, sanctis auribus[b] turpia inferre reformidant. Sub hac igitur ignorantia, dum in ipso monachalis habitus, dum sacerdotii sacramentum, dum parentum vis attenditur, exceptus est sub patrum silentio, non assensu, quibusdam patriae potestatis timore vel amore silentibus, quibusdam vero sperantibus meliora de reliquo; quoniam habita inter bonos conversatio quosdam quidem corrigit et emendat, alii poenam ex transgressione timentes, necessitatis abstinentiam convertunt in sincerum voluntatis affectum.

Deinde ad diversas partes functus legationis[5] officio, cupiditati suae potius quam iustitiae satisfacere studuit, adeo ut illi ea tantum bonos exitus habuisse negotio viderentur, quae merces adiecta et marsupii plenitudo subsecuta probaret. Ubi ergo nullis intervenientibus causis nulla rapinae praestabatur occasio, tunc exactio blanditiis vel comminatione plena non deerat. Bina singulis diebus sumptu plurimo convivia parabantur, tantusque ciborum luxus et superfluitas erat, ut ad exquisitas ferculorum varietates sollicitari plerumque figulos oporteret, et ignotae compositionis nova vasa formare. Docebatur etenim figulus amphoras figmento plasmare mirabili, quibus ad similitudinem solii per transversum medium discrimen inesset, statusque superior repositis escis, fumum per modici oris respiraret angustias, inferior vero pars cancellatis arcubus undique perforata prunas clauderet; quibus thuris copiam tamdiu sollicitus minister infunderet, donec coctis cibis odorem ipsum transferret cocus artifex in saporem. Quae profecto gulositas naturam prorsus humanitatis excessit. Humanorum quippe sensuum perceptiones naturalis ratio certa lege discrevit, singulis singulas rerum qualitates assignans; nihilque confuse alicui commune cum alio dereliquit. Hic vero dum thuris odor transfertur in epulas, quod odoratus est gustui vendicatur, fitque in rerum qualitatibus ignota confusio et in sensuum perceptionibus communicatio non naturae. Quod divino etiam non potuit carere contemptu, dum in hoc ardenti gulae peregrinus sapor exquiritur, quod sacris adoletur altaribus, quod ad signum deitatis in Christo praesaga trium magorum devotio praesentavit, quod solum utrius legis tempore de terrenis rebus gratum Deo esse et fuisse creditur holocaustum. Taceo quod haec effusio non apud divites tantum, sed apud inopes fiebat ecclesias, quibus postea id luere multis ieiuniis et algoribus oporteret. Cumque pauperes episcopos vel abbates profusioribus quam domi didicerat vexasset expensis, in ipsa ecclesiarum ornamenta satis impudenti sacrilegio grassabatur, ut plane sponsam Domini spoliare suisque privare monilibus ausu temerario videretur.

Profusa vero convivia tanta libidinum spurcitia sequebatur, ut ab ipso passim quidquid occurreret, adiretur. Sororem Tropeam — sed nec dici fas est — bestiali polluisse narratur incestu, et ex ea abominabili prodigio eosdem sustulisse filios quos nepotes, nepotum pater filiorum factus avunculus, sic naturae iura confudit, ut eosdem sibi invicem fratres faceret et cognatos; iam nec Iudaeus quidem, sed Iudaeo etiam deterior. Nulla sexuum, nulla loci vel temporis, nulla professionum[c]. Sed haec silere decentius, ne si haec ipsum indifferenter excepisse protulero, honestius potuisset silentio praeteriri. Sic actum domi, nec ab eisdem legationum tempore temperatum. Ut enim turpiora praeteream, circumducebatur puella, cui in fraudem videntium adolescentis speciem vestis et tonsura conferret, quae singulos aestus toleraret, singulos solaretur affectus. Eo gratior et

a) eoque *ed.* b) a. perturbare turpia reformidavit *ed.* c) *suppl.* reverentia.

5) Cf. Eadmeri Hist. novorum lib. VI. et Ordericum Vitalem libro XII.

quasi quodam novitatis affectata miraculo, quod dum virum facie, reliquis mulierem partibus exhibet, uterque sexus ipsi in eodem corpore videbatur exponi. Testis est Montispesulani populus et circumiecta provincia, se vidisse. At ne satietatem praestaret identitas, quaerebantur et aliae, quarum ipse nocturnis fungeretur amplexibus, quibus ipse se papam futurum in ipsa turpi commixtione iactaret. Multae in Galliis sunt et Aquitania civitates, quae id apud se dictum certa fide testantur. *Gratulare*, inquit, *in tanti te viri devenisse complexus, quem papam futurum totus orbis exspectat.* Numquid apostolatus gradum, Petre, tibi talis conversatio promittebat? Numquid dispensatores domus suae Christus ecclesiae sponsus et defensor hoc verbo docuit, vel monstravit exemplo? *Estote*, inquit, *sancti, quo-* 1 Petr. 1,16. *niam ego sanctus sum.* Qui igitur successurus est Christo, oportet eum sicut ille ambulavit et ipsum ambulare. Si quis autem post ipsum iturus est, abneget semet ipsum et tollat Matth. 16, 24. crucem suam et sequatur ipsum. Crucem vero non tollit, nisi qui castigans corpus suum et in servitutem redigens, in comessationibus et ebrietatibus, in cubilibus et impudicitiis, legem Dei nequaquam dissolutus excedit. Ipsum non sequitur, nisi qui divinis intentus operibus ascensiones in corde suo disponit, donec de virtute in virtutem videatur Deus. Tu vero, Petre, cum de vitiis casu continuo devolvaris in vitia, et signatum super te lumen divini vultus obtenebres, deformata iam divinitatis imagine et ipsius similitudine flagitiis obfuscata, qua temeritate Christi successor esse praesumis, cuius prius similitudinem non assumis? Nulla enim conventio Christi ad Belial, nulla lucis ad tenebras communicatio.

4. Hic est ille, Girarde, hic est ille tuus papa, quem recipis, quem universitati fidelium solum decens caput assignas, qui sponsus ecclesiae, qui Christi vicarius, qui Petri successor, vitae forma fidelibus, gregem verbo praedicationis instruat, et istius scilicet operationis exemplo. At vero quis sit iste quem reprobas, consequenter attende. Si genus eius recensita nativitate disquiritur, fidelis natus ex fidelibus advertetur. Si parentum in ipsius educatione vel doctrina consilium: ut habitaret in domo Domini omnibus diebus vitae suae, et videret voluptatem Domini. Si personae qualitas: ut prius habitudo corporea describatur, vir staturae mediocris, quem nec abiectum brevitas nec immanem reddat immensae quantitatis excessus. Apparet in oculis eius et vultu robusta simplicitas, et quae castitatem animi probet verecundia faciei. Quae profecto facies tanta dignitate resplendet, ut et ipsi quamdam reverentiam ingerat intuenti. Ei quoque hanc inter caetera munificentiae suae dona specialem gratiam vis divina largita est, ut omnes se videntes mansueta sibi benignitate conciliet et dilectionem solo nanciscatur aspectu. Ipsius etenim oculis divinum quiddam superna bonitas inspiravit, quod plenum gratiae, quod reverentia dignum, quod honori congruum generaliter arbitretur. Vox blanda, sed non in nimiam tamen resoluta molliciem, ut et suavitati favor et magnitudini non desit auctoritas. Continua vultus alacritas, risus in sermonis excursu saepissimus, tanta tamen habitus honestate, ut verborum vultusque possit augere non minuere dignitatem. Quod quidem eo magis allicit intuentes, quoniam id in ipso quoddam illius aeternae iucunditatis videtur initium, cuius eum in ipso corpore quasdam existimo primitias accepisse.

At si vitae consideretur integritas, et a primis annis sub examen omnia redigantur, nihil deformatum crimine, nihil infamia condempnatum. In eo enim nil illiberale pueritia, nil adolescentia fluxum, nil iuventus infame, nil virilis aetas edidit indecorum. Inconcussa fides operationi bonae fundamenta praestruxit. Consilio providus, benignus alloquio, facundia celebris, quam nec verborum fastus elatam nec multitudo faciat effluentem. Tantumque apud omnes bonae existimationis servabatur et gratiae, ut quod alias perrarum est, esset ei ante electionis eius tempora nullus hostis. Cibi potusque tanta sobrietas, ut illis non fastidium sed abstinentiae modus terminator assistat. Vestitus autem apostolatus tempori sane conveniens, quem nec professio clericalis excluderet, cardinalatus dignitas non horreret. Quibus enim impraesentiarum vestibus induatur, iam non ex ipsius pendet arbitrio, sed sanctorum patrum antiqua constitutione decretum est. Praedicta vero cardinalatus dignitas, ab ipso non impetrata quidem sed ob vitae mundioris et scientiae plenioris meritum ultro data. Cuius muneris sic gessit officia, ut suis ipsum laudibus ampliaret. Fiebat honos titulis sui possessoris illustrior, nec tantum propria, quantum administrationis suae gloria praefulgebat. Adeoque caeteros egregiae praerogativa bonitatis excesserat, ut nec restare locus invidiae videretur, eoque plane quisque suos ad aequalitatem ipsius aspirare non posse conatus adverteret, neque quidquam cuiuslibet laudibus ipsius praelatio derogaret.

Postremo si non ille humani generis perfidus adversator in Petro Leonis ecclesiae Dei praestruxisset insidias, nulla iam post papam Honorium de successione quaestio superesset, cum vir unicus unicae dignitati divina iam videretur providentia praeformatus. Ipsum enim hoc divinitatis consilio talem constat esse plasmatum, ut dum adversus ecclesiam vis huius persecutionis insurgeret, esset qui se tempestati sui securus opponeret, et inter fluctus periclitanti naviculae subveniret. Cumque ipsum ad hoc onus omnium pene conscientia destinaret, ipse sibi iam adeptae dignitatis locum nequaquam videbatur explere. De se enim citra suam credere facultatem iudicium sapientis esse. Quod ipse de se satis 1130. Febr. 14. evidenter edocuit, dum ipsum eligentium corona clauderet, et ad apostolatus fastigia vocaretur; instabat precibus, et reclamantem lacrimis obsecrantes, iniecto pluviali, renitentem manibus etiam comprimebant. Cumque ipse iniectam sibi vestem secundo, ut aiunt, totis viribus obsistendo rupisset, illique nihilominus instandum crederent, si quid sanctis electionibus creditur, timuerunt ne inter manus eorum tanta reluctatione et compressione fatigatus obiret, et suffocatam singultibus animam protinus exspiraret. Manibus igitur, donec modicum respiraret, inhibitis, dum tertium ex longinquo pluviale requiritur, inter rorantes adhuc lacrimas et erumpentes usquequaque singultus sic affatur astantes: *Expediret instans negotium exclusa animorum affectione tractari, nec caritatem zelus alteruter impediret, et generale commodum odio familiari vel gratia in oppositum verteretur. Saepius enim praeoccupatas mentes fallit affectio, ut et dignos odia reprobent et indigni suggerente gratia praeferantur. Quam quidem gratiam in hoc vires sibi video vendicasse praecipuas, ubi sola obtinere debuerat expensa pari lance ratio meritorum. Nam ubi me pari voto contenditis tantae praeficere dignitati, profecto non obtinet examinatio meritorum, palamque praevalet indulgentior gratia, quae me vobis nunc et hactenus in imperfectis operibus acceptabilem praestat. Per quam etiam olim huic sancto me voluistis inesse consortio, quem deiectum inferius longe morum qualitas amovisset. Quem tamen locum etsi vir nullius virtutis tenuisque scientiae impleret, vestra infirmitatem meam sapientia supportabat, quos eiusdem sollicitudinis idem Dominus in eadem paritate fecit esse ministros. Verum oportet nunc ex meritis, non ex gratia iudicare, nec gratiosum tantum sed et dignum constituere sacerdotem. Hic enim nullum capietur ex paritate solatium, ubi consortem muneris praerogativa singularis excludit. Excludatur ergo benevolentia, et persona comparetur officio ad quod vocatur: vita probabilem, scientia praeditum, celebratum fama tantus honor exposcit, ut ipsi divinum favorem probabilis vita conciliet, gerendorum facultatem scientia conferat, et nominis celebritate clara comparetur auctoritas. Quales ex hoc ipso numero promptum est inveniri. Quis ego sum, sub cuius arbitrio rerum summa versetur? Quis, inquam, ego sum, quem papam Roma salutet, qui non inter primos dumtaxat sed etiam primorum primus assigner? Indignum qui praeficit, afficit iniuria dignitatem.*

Talia dicentem et adhuc dicturum plurima si liceret, hoc sermone coetus assistentium desperatus excepit: *Excusationum dispendia periculum imminens et articulus necessitatis excludit. Stat enim in insidiis Leo paratus ad praedam, occasionem, sicut et ipse nosti, praestolatus a puero, cuius si non praeveniatur assultus, si non impetus obtundatur, nulla iam libertatis spes, nulla prorsus honestatis disciplina relinquitur, antiqua ecclesiae Romanae dignitas occidit, ipsius gloria commutatur opprobrio, et formidata extremis hominum potestas vertitur in contemptum. Si enim est ille, sicut equidem est, vita contemptibilis et pollutus infamia, restat et contemptum potestas ipsa contrahat ex persona. Quis enim bonus subesse non recuset infami? Quis ad honestatem coarctari inhonestioris arbitrio non refutet? Si autem honor iste rite deferendus est digniori, profecto apud omnes infinitorum criminum Petri praelatio nos condempnat. Arguemur nimirum de nobis turpiora confessi, quam de ipso fama vulgaverit, si nobis ipse quasi dignior antefertur. Aestimabitur etiam non displicere nobis, quod nec in altero nos dampnamus, sed et sustinentes crimen consensus incurrere, et rei veritate et existimatione publica convincemur. Fuit, fuit hactenus haec Romana ecclesia caput orbis, penes quam constantissima fides, suprema potestas, honestas incomparabilis, inconcussa severitas, gerendorum summa discretio, et nota toti mundo pietas viguisset; fuit, inquam, fuit haec olim terror improbis, bonis in tranquillitate praesidium, in necessitate refugium singulare; a cuius integritate minores ecclesiae vires sumerent, et velut ab illaeso capite membra saucia suae sortirentur initia sanitatis. Nunc autem instat et a fide discessio et antiquae desolatio potestatis et omnium bonorum; eius casus manifestus apparet, dum homo peccati, perditionis filius revelatur, ut*

adversetur et extollat se supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ut in templo Dei sedeat 1130.
ostendens se, quasi ipse sit Deus. Apostolo itaque manifeste dicente cognoscimus, quoniam vel Febr. 14.
ipse antichristus est, vel in ipso nobis antichristi tempora praeparantur, cuius idem praeambulus et minister emergit. Ecce enim iamiam intrusionis suae comparat adiutores, et conspirata in ecclesia Dei factio convocatur, quam illi genus, potentia, largitio, promissiones et scelerata dudum coniuratio foederavit. Destitutas pastore lupus oves aggreditur, et vacuam sedem primus properat usurpare, quod subrogato pastore praesumere forsitan non auderet. Non enim nisi cum abest Moyses, vitulus conflatur a populo. Ad quod tamen si ipsum postea temeritas ambitiosa compelleret, saltem quem sequeretur fidelis populus inveniret. Super quo supremum sibi in te constituit ecclesia sancta consilium, ut tua regatur providentia, tuo annitente studio liberetur. Aluit haec te, et cum in aliquo tui non egeret, excepit, ut in summa tranquillitate suis educaret uberibus, et proprio foveret amplexu. Nunc mutuum postulat, et suorum repetit praemia meritorum, ut scilicet in necessitate subvenias, et oppressae praestare subsidia non recuses. Numquid matrem clamantem non audies? Numquid non solaberis desolatam? Numquid non exaudies exorantem? Numquid postulatam manum labenti coram te non porrigens sustinebis?

At vero praetendis ex indignitate tua subterfugii causam, quasi nos prudentiam tuam et singularium partium vitae tuae merita nesciremus. Profecto si te dignum crederes, hac ipsa aestimatione videreris indignus. Dicis quoque nullum sperari hic ex paritate solatium, quasi ab inferioribus consilia et obsequentibus auxilia nequeant exhiberi. Numquid illud praecipue nobis onus incumbit, cum velut in humano corpore, is qui praesidet capitis formam, membrorum reliqui similitudinem gerant: ut qui praeest nutum adhibeat, difficultates expediat obsequentium labor? Revereris etiam pudore laudabili subire tantae fastigia dignitatis, in quam suprema regni et sacerdotii praerogativa mirabili foedere copulata conveniunt. At nos non ad honorem te, sed ad periculum potius invitamus. Nec enim sumus ignari, quid adversum nos ille adversarius machinetur. Iam stringit gladios, iam sagittas acuit, nec viam sibi ad apostolatum patere nisi nostri sanguinis effusione confidit. Quantumcumque tamen discrimen nobis mortis immineat, maluimus sanguinis nostri mercedem de manu divina requirere, quam de manu nostra sanguis ecclesiae requiratur, quamvis te mortis socium quaerimus, imo volumus etiam praecursorem. Exponatur iugulus tuus sicut noster ad victimam; neque enim fas est, ei qui dedit negare spiritum, cum reposcit. Si quid igitur te matris desolatae calamitas, si quid inundans assistentium fletus, si quis ullus honestatis amor, si quid virtus obedientiae movet, acquiesce. Si acquiescis, exhibemus obsequia; si recusas, exigimus de inobedientia poenam. Eadem enim quae papae superstitis est, ipso decedente penes nos praecipiendi et ulciscendi quoque consistit auctoritas, donec alius inducatur.

His dictis parabant excommunicationis promulgare sententiam, allatum interim ex longinquo pluviale prae manibus offerentes. Quid faceret? Temptaret ex fuga subsidium? At illud continua seniorum corona claudebat. Postularet inducias? Sed quominus impetrarentur, dilationem rei instantia Petri machinamenta negabant. Negaret semper? At illi gladio spiritus imminebant, anathematis poenam protinus intemptantes. Dum ergo sibi videtur inter geminae mortis conclusus angustias, alterique eorum lege necessitatis obnoxius, discrimen periculi corporalis excepit; quia dum respuit anathematis experiri sententiam, insidiis, imo potentiae sese Petri Leonis obiecit. In eo autem quo[a] ordine sequenti die Petri processisset intrusio, non diutius immorabor, quam ut dixerim virum turpem, foedatum infamia, publica existimatione dampnatum, posterius a . . . .[b] et parentibus esse promotum. Ad te potissimum, Girarde, revertar, ut quid egeris orta tempestate cognoscas, et aures tuae eorum quae male gessisti contundantur auditu.

5. Nuntiato in Galliis scismate, dum pro partibus vario favore multi multa loquuntur, fidelisque populus ancipiti raptatur errore, primus regum catholicus princeps rex Francorum Ludovicus occurrit. Is vocatis episcopis et omnibus qui probatae religionis in Galliis habebantur, convocato etiam clero regnique maioribus, concilium statuit generale. Cumque se Petro Leonis ob sua et patris obsequia fateretur obnoxium, nihil tamen super hoc celsitudini regiae voluit arrogare, episcopis et patribus qui ex monastica religione convenerant omni tradita potestate, ut eis et in eos omnis diffinitio conferretur; eo quod penes sanctos episcopos ecclesiae dispensatio tota consistit, et abbates, quos divinitatis contemplatio recreat, divina latere consilia non creditur. Cui concilio quoniam interesse, Girarde,

a) quod ordine praepostero s. *conicit Brial.* b) *fortasse* paucioribus *scripsit, contra veritatem*

1130. non poteras, cum litteris tuae deformitatis imagine consignatis nuntium destinasti: Utramque te novisse personam et electionis ordinem plenius exquisisse, procul dubio cum Innocentio papa stare iustitiam, eo quod plane vir esset honestatis egregiae, et ipsius electio prima tempore et a praecipuis Romanae ecclesiae fuerat celebrata personis; porro Petrum per opulentam manum cathedram posterius usurpasse, virum adeo vita reprobatum et nomine, ut si ipsum etiam quaelibet electionis forma defenderet, promoveri tamen vitae qualitas et infamia minime sustineret; id tibi et tuae legationi subiectis ratum fore, idque cum Lugdunensem, tum Viennensem ecclesiam, tum totam fere Italiam ab ipsis Urbis moenibus excepisse. Aderant autem ibidem venerabiles quae Romae fuerant sub eadem tempestate personae, quae rerum seriem plane cognoverant, praesertim quae oculata fide singula percepissent. Habebantur quoque super hoc ipso et aliarum quae non aderant ultro delegata testimonia, simul et persuasiones personarum, quas spiritum Dei habere certa fides esset, cum tot hominum sensus in eamdem forte confluerent voluntatem. Sicut enim una bonorum fides est, sic et spiritus unus; malorum vero spiritus multiplex, et voluntas ambigua.

Tandem ergo favore divinitatis multis lacrimis implorato, dum utriusque personae merita et prosequentia partes studia conferuntur, inventus est Petrus indignior adeo, ut ex ipsius comparatione alteri personae irrogari gravis iniuria videretur. Studia vero partium tanta dividebat imparitas, ut Petro nondum extra Urbis moenia quisquam favor, alterum infra Urbem quidem pars potior elegisset et extra Urbem usque ad fines terrae tota iam fere patrem confiteretur ecclesia. Sumpta igitur ex magni Leonis papae decreto sententia, ubi se partium vota diviserant, visus est illis iure canonico praeferendus is, qui maioribus studiis iuvabatur et meritis. Qua nimirum ratione cum in papam Innocentium inspirante Domino convenissent, ipsi statim de obedientia tua et debita subiectione scripsisti; postulasti tamen ipsius honorari rescripto et munus legationis habitae confirmari. Visum est simoniacum, favorem tuum redimere legationis officio; et cum ipse partes illas visitare sub eodem tempore decrevisset, nullus locus poterat sub ipsius praesentia restare legato. Neque enim legatus praesentis personae, sed absentis explet obsequium. Iamque tantus ad Romanas aures malae administrationis tuae clamor ascenderat, ut esset de eo quod olim impetraveras poenitentia maior, quam ut modo restituereris affectus. Tulisti repulsam graviter, et mutilata potentiae tuae cornua doluisti. Atque inferioribus antea modo factus inferior et velut in senectute reputatus inutilis, consueti beneficii finem rapinae ratus iniuriam, temerariae succensus es ultionis affectu. Quoniam dum repulsa ministrat iracundiae causas, et innata dedignationem parit elatio, addidit ambitio coecitatem, quae quidem res cum otia nesciant et a suis effectibus vacare non possint, contemptum iam susceptae partis dedignatio fecit, indiscretionem coecitas operata est, temerarios ausus iracundia praeformavit. Spreto igitur eo quod recte susceperas, et indiscrete conversus ad aliud, temerarie prioribus contraria concepisti; factumque est, quod in rebus saepe contingit humanis, ut circa rem propensius affectatam, spem praecipitem desideria concepta firmarent. Misisti legatum Romam, qui eidem quem iam devoveras Petro favorem tuum venalem pro munere legationis offerret, et similem sibi ministrum domino foederaret. Expletum est sine difficultate commercium; et dum te coecitas indiscreta conducit, ministrum te
Mai. 1. scismatis addixisti, ut inutili privilegio donareris. Formata est tibi, sed inanis nova legatio, et quidquid ab Alpibus usque ad fines Occidentis interiacet, tuae ditioni sed inefficaci donatione subiectum est. Et ne excedenti ambitioni tuae fortassis angustior praedictorum finium praescriptio videretur, adiectum est, ut ubicumque calcaret pes tuus, ibi esset legatio tua. Invenisti, Girarde, hominem de alieno munificum; sed si rei fructum diligenter attendas, dum tibi rescribuntur maxima, minima recepisti. Nihil enim tibi Petrus impendit, nisi quod nec ab ipso nec ipsius potest nomine possideri. Implevit tamen aures tuas spatiositas circumscripta terrarum, et cupiditatem tuam rei qualitas aestimata solo statim gaudio satiavit. Sed ambitionem tuam dignissimus excepit eventus, dum munus inutile prima statim rerum experientia deprehendisti. Emissis igitur ex omni parte cursoribus, coepisti principes sollicitare finitimos, eos scilicet qui, rei nondum cognita veritate, neutrius adhuc partis nomine nitebantur.

6. De circumveniendo autem rege Anglorum Henrico praecipue laborabas; et quia cauteriatam conscientiam habens, principi catholico et sapienti de suscipiendo Petro Leonis

manifeste suggerere non audebas, ut neutrum susciperet mirabili solertia suggerebas, 1130. ita tamen ut in Petrum tua aliquanto proclivior oratio videretur: Rem stare sub dubio, multos utriusque partis esse fautores, festinasse quosdam qui iam multa poenitentia ducerentur; Petri Leonis in civitate inexpugnabilem esse potentiam, praesertim qui munitionibus maximis, qui pecunia plurima, qui denique parentum multitudine maxima fulciretur; asseverare multos ipsum non iustitia, sed potius invidia reprobatum, eo quod perspicax eius ingenium et amplitudinem animi et irrefragabilem potentiam reliqui vererentur; neminem tamen esse qui posset eum Urbis privare dominio, penes quam caput ecclesiae semper fuisse, sed et denique reversurum fore nullus ambigeret; ipsum et eos qui cum ipso erant, sufficientes ex proprio, et omnes ad apostolatum pertinentes civiles redditus obtinere; non oportere ipsum et alienas inspicere facultates, nec ad invertendum quidlibet rei familiaris inopia compellendum; si susciperet alterum, onerosum sibi et suo regno fore, et quod regi est etiam dampno deterius, dedecus affuturum, si pars altera praevaleret; nihil esse importabilius indigente Romano, sub cuius sis arbitrio constitutus; dissimularet igitur, et rerum exitus potius exspectaret, quam sera praecipitem sententiam poenitentia subsequatur; utilius enim esse sine dispendio declinare pericula, quam cum gravi dispendio ipsis ultro periculis obviare.

Agnovit rex sapiens latentem in sermone serpentis astutiam, et venenum sub melle reconditum, quia scilicet ista non bona fide consulentis animo mandaveras, sed fallentis, ut domno papa prius qualibet arte fraudulenter excluso, ad loquendum pro Petro tibi commodior aditus appareret. Facilius enim ad favendum parti nostrae vacuos vendicamus affectus, quam favore iam partis alterius occupatos. Ille vero non dissimulandum, sed laborantis ecclesiae necessitatibus adiutor ultroneus credidit occurrendum, ne persuasione tua probaretur acephalus, et ab uberibus matris suae fieret alienus rex maximus, cuius ad iustitiam omnes fere principes invitantur exemplo, cuius in pauperes munificentiam, liberalitatem in omnes, cuncti reges mirari possunt potius, quam velint aut valeant imitari; cuius sapientiam regnum ipsius et ducatus etsi late spaciosa non continent, sed ad circumiectas refunditur undique potestates.

Cum autem, Girarde, regibus Hispanorum Britannorumque principibus eadem suggerendo mandasses, et speratos fructus concinnata tibi mendacia non referrent, coepisti dementiore vesania infra domesticos parietes debacchari. Pictaviensem comitem nactus erroris socium et scismatis adiutorem, quem etiam Pictaviensis episcopi catholici senis negata depositio et contra sacratissimos canones non exaudita petitio indignatum pariter a catholica repulit unitate.

Haec sunt, Girarde, quae pro ecclesia et adversus ecclesiam sub initio tempestatis egisti; quae licet rudi forsitan et inculto sermone narraverim, solam saltem sequi potui veritatem. Nihil enim scripsi, quod non vel ipse cognoverim, vel auctore probabili non haberem, vel quod saltem fama publica non affirmet, ut proinde non minus aliis probabile videatur, cum ipsi tot testimonia suffragentur ad fidem. Iam vero si recte propositae partitionis membra recolligo, sola mihi propositi mei superest pars extrema, in qua quibus ecclesiam Dei molestiis vexare quidem et persequi non desistis, ex parte dicendum est. Si quis enim vellet cuncta narrare, nec ad dicendum lingua sufficeret nec calamus ad scribendum.

7. Suscepta igitur Petri Leonis epistola, coepisti per fines Aquitaniae discurrendo pristinae praedicationi tuae praedicare contraria: Petrum scilicet Leonis Anacleti nomine, sed verius antichristi, papam esse, cuius quidem apostolatum sedes principalis exciperet et totius civitatis obedientia confirmaret; alterum civitate pulsum cum paucis fautoribus sine certa sede vagantem, avertentem populos et ab ecclesia separantem, quem nec cathedra Lateranensis agnosceret, nec ei obsequium Romana civitas exhiberet. Quem papam credere similis amentia videbatur, ut si quis carentem regno regem dicere, destitutum principatu principem appellare voluerit. Quasi modo, Girarde, iustitiae loca praeiudicent, et ius dignitatis perimat illius civitatis egressus, et velut solius populi Romani favor omnibus fere populis debeat anteferri. Numquid enim ipse Laterani residens, in illa beati Io- 1133. Iun. 4. hannis ecclesia principali christianissimum principem Lotharium consecravit in regem? Numquid ipsum et imperii nomine et imperiali diademate renitentem sollempnitate debita decoravit? Numquid ipsum pars magna nobilium et totius populi conscientia comitatur?

Numquid eidem Urbis habitatio et ingressus pro arbitrio patens est et egressus? Quibus profecto si careret omnino, nullo tamen eorum posset iustitiae derogari. Sed dum te latens odium stimulat ad vindictam, linguam mendacio non negabas, ut verba veneno mendacii toxicata, infidelitatis vulnere simplicium pectora sauciarent. Circa quod dum unicum tibi propositum, unicus urguendi labor, unica laboris perseverantia constat, torrentes impetus tuos praevertit modicum vis divina; primumque de inefficacia speratae potestatis argumentum accessit in ligationem versa legatio. Captus es[6], et mensibus aliquot reclusus in carcere, donec quos gratia praedestinaverat, plena veritatis agnitio confirmasset, et qui prius de rescripta tibi legatione speraverant, de ligatione postea desperarent. Reserato autem carcere, processisti quasi pardus e cavea, cuius rabie carcere diutius et catenis inhibita, si forte liber evaserit, insurgit audacior, nec eum ulla potest sanguinis effusio satiare. Aestimabas adhuc auctoritate tua totum posse praeverti, quod ecclesia sancta dictaverat, et penes te rerum pondera et momenta constare. In quo nescio tuamne magis coecitatem vel arrogantiam mirer. Quia quae arrogantia maior, quam hominem pene solum adversus illud insurgere, quod divina providentia confirmavit, quod omnis religio confirmavit, quod omnium regnorum favor confirmavit, quod et ipse quantum sua interest confirmavit? Quae maior coecitas, quam ubi nullum Dei praecedit, exile hominis succedit auxilium, contra universitatem sperare victoriam? Non potes negare, quin falsi crimen et inconstantiae simul incurreris, levissime transfuga, modo harum modo illarum partium malefidus assertor, cuius in singulis operibus duplices vias duplex signat intuitus, et affectus mentis ancipites ambiguus manifestat aspectus. Sicut enim corporales oculos tuos innaturalis quaedam distorsit enormitas, ut ad idem contuendum mirabili nequeant discordia convenire, sic et mentis oculi dissident, ratio scilicet et affectus.

Pictaviensis ac Lemovicensis ecclesiae, comitis viribus abutendo, catholicos eiecisti pontifices, alios extraordinarie superponens; quorum alterum[7] minus vita probabilem et nullarum hominem litterarum et in vulgari etiam sermone fere prorsus elinguem, Romana ecclesia ab eiusdem Pictaviensis ecclesiae regimine reprobatum olim canonica decisione removerat. Ille tamen nunc auctoritate sua iura patris superstitis usurpare non renuit, quamvis ipsi obligatus filialis obedientiae vinculo teneretur, et licet sese totum manibus eius, fide etiam corporaliter praestita, dedicasset. Alter[8] vero nec saeculari praeditus nec scientia litterarum, famosus apud omnes adulter, singulis fere noctibus a daemonio rapitur, primumque de strato provolutus in terram, horrendum clamans per totam diem, domum dormiens etiam dicitur evagari; neve sit circa eorum qualitatem diutius immorandum, primis ordinibus, nedum sacerdotio, nedum etiam episcopali officio convincuntur indigni. Sed neque tu nisi tibi consimiles poteras aestimare condignos, nec dissimilia tibi capitique tuo Petro membra formare. Semper enim proprium quaelibet opera confitentur artificem, et in eis voluntatis eorum vel scientiae velut imago quaedam reperitur expressa. Quid autem celeberrima monasteria sanctis abbatibus expulsis desolata commemorem, et subrogatos ad eiusdem sollicitudinis onera precio vel gratia iuniores? Quibus administrantibus tanto iam coepere monasteria laborare defectu, ut in iis quae singulari nuper religione pollebant, nulla iam fere virtutis aut regulae vestigia restent. Illis enim quorum eatenus ardentes monasticus ordo frenabat affectus, traditae dispensationis occasio licentiam comparat effluendi. Nihilque ad periculum religionis efficacius est, quam irreligiosum sustinere pastorem.

Hic autem te, Girarde, convenio, et veteri de apostolatu paulisper seposita quaestione, quasi tibi Petri munere ius legationis accedere potuisset, in his operibus ordinem requiro canonicum. Spoliatos rebus, sedibus suis violenter expulsos, inconventos, incommonitos, absentes quoque, nullo tecum episcopo residente, dampnasti. Sed ut haec etiam ponamus ordine processisse canonico, in aliorum superpositionibus regularem disciplinam formamque rationis exposco. In illorum enim qualibuscumque promotionibus nec iustitiam nec umbram iustitiae dinosceris attendisse.

Blanditur elatis auribus tuis fortasse tantae rememoratio potestatis, quia haec pro tua potuisti praevertere voluntate; in quo ne nimiam capias voluptatem, quantum tibi partique tuae profueris consequenter attende. Tertia pars Pictaviensis episcopatus quem posuisti

6) Cf. epistolam Wilhelmi Sanctonensis episcopi ad Vulgrinum Bituricensem archiepiscopum; Brial p. 259.
7) Petrum. 8) Ramnulfus abbas Dauratensis.

non agnoscit episcopum, eique totus fere nobilium numerus respuit obedire, adeoque omni conscientia reprobatus abicitur, ut et frater eius naturalis excommunicatum ex hoc ipso iudicet nec ulla ei communione iungatur. Catholicus vero usque ad portas civitatis plena potestate dominatur episcopus, et eum maiores personae pontificalis ecclesiae comitantur, ad formam beati Petri relictis omnibus exulem prosecuti. Alii fornices civitatis inhabitant, qui super ollas carnium recumbentes, gentis et loci potius quam animae perditione terrentur. At Lemovicensis[9] ab urbe sua stadio uno vix interiacente remotus, castrum sancti 9 Martialis pro foribus urbis inhabitat; unde is qui sedem sibi cathedrae pontificalis usurpat, singulis diebus audire possit campanas in sua excommunicatione sonantes. Te quoque pastorem suum Engolismensis patria minime profitetur ubique, sed et ibi multi catholicae partis nomine gloriantur.

Distuli circa extremitates orationis huius de usurpatione Burdegalensis archiepiscopatus apponere, ut ex hoc illa effrenis ambitio tua irrefragabili liqueat argumento. Engolismensi ecclesiae copulatus spiritali connubio tenebaris, impudens tamen dominandi libido contemplatione praenominatae dignitatis incanduit; et dum descendentium iam rerum tuarum detrimenta non sustines, ad compensationem frustratae legationis in amplexum quasi ditioris adulterae prorupisti; filiae sponsus, incestu matrem nefario polluere non abhorres, et monstrum biceps, infaustum saeculo prodigium non renuis apparere. Non expetitio populi, non cleri praecessit electio, sed etiam nunc excommunicatum reputans universitas tibi vel pars saltem maxima refragatur, in partem catholicam multo desiderio suspirantes.

8. Age ergo, ut quasi ab initio summa omnium brevi complexione claudatur, quia ab eo quod exceperas recessisti, temeritatis vel inconstantiae te condempnat. Aut enim huic parti temerarius consensus adiunctus est, aut certe nimis inconstanter ademptus. Quod autem favorem tuum ab hac parte prima tulit negatio, nullum coecae ambitionis est firmius argumentum. At vero id ipsum palliari fortassis aliquo conquisitae falsitatis velamine potuisset, sed facta in alteram partem non nisi eadem legatione impetrata favoris translatio omnem tibi copiam defensionis ademit. Ad summam iam te non illicite solum sed et impudenter operari convincit archiepiscopi et episcopi in eamdem personam facta confusio.

His itaque de te toti mundo patentibus, qua saltem imagine iustitiae tibi nomen usurpas, dum publice suadere putas, te etsi non ex scientia, zelo tamen taliter operari? Numquid haec opera, te non imprudenter ex simplicitate delinquere sed impudenter ex arrogantia contempnere, manifestant? Impius enim cum venerit in profundum, contempnit. (Prov. 18, 3.) Saltem deficientia naturae lege membra considera, quia tempus est finem dare nequitiae, et inutiles mundo reliquias exspectanti Deo gratum munus offerre. Declines ad infima vultus attolle, et enormes oculi tui ad partem dirigantur oppositam, ut videas quam bonum et iocundum est in unum habitare. Sed quoniam nocturnus bubo lucem diurnam non sustines intueri, coecus aures arrige, nisi et easdem insurdaverit obstinatio cordis. Audi ergo, cum quibus habites et quorum consortia respuas. Infidelis universitas illa quam sequeris, familia Petri Leonis est, nondum fermento Iudaicae corruptionis penitus expiata. Et tyrannus ille, quem altrix tyrannorum Sicilia sustinet, Dionysii successor, aulae ipsius heres et ominis, emptus inani regis nomine, dux quidem antea, nunc vero nec dux ipse nec aliud, quia nomen alienum, quod contra iustitiam tyrannus usurpat, in ipso nullatenus obtinere certo iure firmatur. Huic numero solus Pictaviensis comes adicitur, voluptatum vir, animalis homo, arcana spiritalium non attingens, ob repulsam petitionis illicitae mancipatus errori. Sub qua paucitate si quis sanctam dixerit ecclesiam contineri, certe non derogata solum Christi videtur hereditas, sed penitus abrogata. Ubi ergo, David sancte, ubi tua vetus illa promissio? ubi Pauli? ubi sanctorum testimonia scripturarum? Ille enim rex sanctus ex persona patris ad filium: *Postula*, inquit, *a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et* (Psal. 2, 18) *possessionem tuam terminos terrae.* Et alibi: *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine* (Ibid. 72, 8) *usque ad terminos orbis terrarum.* Et Paulus: *Deus*, inquit, *exaltavit eum, et dedit illi nomen* (Philipp 2, 9) *quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur.* Dices fortassis, iam impleta quae dicunt, nec obstare haec quominus potestatis huius immineat defectus. Sed regni eius non erit finis: regit enim in virga ferrea. Partem vero nostram, si tamen haec tantilla cogat exceptio, ut nomine partis universitas fere tota vocetur, omnis imperator, omnis rex, omnis princeps, omnis homo denique profitetur, quicumque christiani nominis

9) Eustorgius

insignitur honore. Sed ego, si qua fides est, favorem principum populique, quos adhuc saecularis tenet affectio compeditos, in tam divino negotio negligenter attendo. Horum in hoc mihi consensus praecipuus est; horum me movet, motum trahit, tractum tenet auctoritas, quibus datum est nosse mysterium regni Dei, quorum in coelis esse iam ex parte conversatio perhibetur. Quales revera sunt qui Carthusiae perpetuas nives inhabitant, et qui a Cisterciensi vel Cluniacensi monasterio profluentes lucis suae radios undique diffuderunt. Hi enim a manibus suis et animo, saniore consilio terrea removentes, aspera veste, cibo cum raro tum arido, vigiliis multisque laboribus corpus macerant, ad eam tantum retributionem totis animi viribus anhelantes, quam diligentibus se gratiam repromisit. Horum sancta conversatio, sermo sapiens, in divinis discretio perspicax, quam denique nulla nubes terrenae densitatis obfuscat. Patitur quidem eos Deus molestiis affici, ut tamquam aurum in fornace probentur, sed ultra eorum non excrescit temptatio facultatem. Licet igitur eos adhuc ex parte remoretur in terris, ut promissas augeant desideria protracta coronas, a divinis tamen consiliis non creduntur exclusi, angeli enim eorum semper vident faciem Patris, et eos familiari sancti Spiritus visitatione faciunt illustrari. Neque
Matth 18, 10. enim etiam in praesenti sua deserit retributio sustinentes iuxta illud: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam. Vado* enim, inquit, *et venio ad vos, et gaudebit cor vestrum.* Quid igitur? Fraudabitur operis sui
Psal 93. 19. fructu pars electa quam dico, et promissionem suam divinitas immutabit? Absit. Iuravit enim Dominus, et non poenitebit eum. Horum ergo mentes promissus Spiritus sanctus inhabitat, quas congrua sibi templa paravit, et eas necessario plena cognitione veritatis illustrat. Quoniam si Spiritus Deus est, Deus autem veritas, profecto sub praesentia Spiritus non restat ignorantia veritatis. Quid plura? Iam ne sermo noster metas debitae brevitatis excedat, pauca de pluribus, minora de maximis dixisse sufficiat.

VI.

Quod placeat cunctis recitatū maxime mundo

Te
RE
DI
MAT
SO
THER
BO
NE
FA
CI
MIR
Chro
DVX
Q
V
E:
Cui ... si ... eternitatis ex ... tit
Bene ... ius eiq; de ... ipso
Sibil ... prophetiz ... uit ;

V.

Det Deus in claris cameris tibi stare Beatrix ;

VII

Rex rogat abbatem, Mathildim supplex atq;

Farbendr. v. Winckelmann & Söhne in Berlin, nat. Zeic. v. G. Kemper

VITAE
OTTONIS EPISCOPI BAMBERGENSIS.

EDIDIT RUDOLFUS KŒPKE PROF. P. E.

Inter Christi nuntios, qui e Germania progressi euangelii praecepta ad finitimos populos pertulerunt, tempore paene ultimum, meritis et gloria sane primum obtinet locum, qui clarissimorum sanctorum virorum agmen claudit saeculo duodecimo, Otto Bambergensis episcopus, Pomeranorum apostolus. Cui quod debeatur neque medii neque recentioris aevi Germani obliti sunt, vel hodie pio gratoque animo eum virum colentes, qui vitae christianae fundamenta apud gentem posuit, quae quod e Slavica in Germanicam sit conversa sibi gratulatur. Inter illustrissimos Salici temporis viros habendus est Otto, qui verus Christi aemulus, haud ita ut multi alii episcopi in turbis et factionibus vires consumebat, sed potius quae aeterna sunt sectabatur. Animum Deo consecratum non modo eo probavit, quod suorum temporum genio indulgens, multa monasteria et fundavit et restauravit, sed quod suum episcopatum sapienter rexit, et in omnibus virtutis quasi instrumentum, Christi ecclesiae novam gentem summo cum vitae periculo expugnavit. Quis miretur talem virum inter graves rerum publicarum turbas tam salubri tamque pacifico labore omnium et oculos et admirationem in se vertisse? Post eius obitum, antequam tria lustra praeterlapsa essent, ad vitam eius conscribendam animum adverterunt homines litterarum periti. Quod munus posteris utilissimum non unus sed plures scriptores susceperunt. Itaque factum est, ut non ex penuria sed ex abundantia et rerum et scriptorum in singulis Ottonis vitis diiudicandis et examinandis difficultates vix tollendae nascerentur. In reliquis enim illorum temporum scriptoribus paene omnibus ex codicum praesidiis nova lux vel aliqua afferri potuit medela, quod hic non aeque feliciter cessit. Nam etsi a codicum ope minime sumus destituti, tamen fortuna nobis negavit eos, e quibus Ottonis vita proferri possit genuina et integra. Hi in bibliothecarum nescio quarum latebris felici futuro detectori videntur delitescere. In tanta rerum obscuritate via paullo alia quam solita ineunda est.

Primum videamus quae qualesque Ottonis vitae iam publici iuris factae in editionibus nostris exstent. Primus Bambergensis episcopi vitam in lucem emisit anno 1602 *in Lectionibus antiquis*[1] *Henricus Canisius* 1

1 II, 323.

e societate Iesu. Erat locupletissima et ab auctore, ut videbatur, aequali et teste oculato tribus libris composita. Quam secuta est alia a Iacobo Gretsero, item societatis Iesu, anno 1611 *Ingolstadii edita in libro qui inscribitur* Divi Bambergenses[2]. *Quatuor libros complectebatur haec vita, et nomen auctoris Andreae, abbatis monasterii sancti Michaelis prope Bambergam, prae se ferebat. In calce libri legebatur annus* 1499. *Eiusdem abbatis Andreae librum de Ottone ante Gretserum saepius laudaverat Daniel Cramerus in chronico Pomeraniae anno* 1603 *edito, et hinc inde locos delibaverat ex libro manuscripto, quem ex Caminensi bibliotheca se accepisse dicebat*[3]. *Sed longe alius Crameri quam Gretseri erat Andreas. Itaque illius textum sive incuria sive mala mente falso laudatum esse innuere non dubitavit Gretserus. Septuaginta annos post eum alteram hanc Andreae vitam Ottonis typis exprimendam curavit Valerius Jaschius ecclesiastes Colbergensis a.* 1681. *Haec etiam vita quatuor libris constabat, nomen Andreae indicabat, litterisque esse mandatam anno* 1487 *sub finem legebatur. In multis capitibus a Gretseriano libro ita differebat, ut ne in verbo quidem convenirent, in aliis vero consentiebant*[4]. *Dein in Actis Sanctorum anno* 1719 *Sollerius quartam vitam proposuit, tribus libris conscriptam, cui Ebbonis auctoris nomen indidit*[5]. *Haec sine dubio viro debebatur Ottoni aequali, qui testium oculatorum auctoritate nitebatur. Recentiore denique tempore, quum bibliothecae in nostrorum Monumentorum usum perlustrari coepissent, in Austriaco monasterio sanctae Crucis detecta est alia vita Ottonis, et anno* 1829 *a Stephano Endlicher in lucem publicam edita*[6], *quae saeculo duodecimo scripta est. Quinque igitur iam habemus Ottonis vitas typis exaratas, unam Anonymi Canisiani, unam Ebbonis, unam Anonymi Sanctae Crucis, saeculo duodecimo natas omnes, et duplicem ab Andrea abbate saeculo quinto decimo compositam. Tam insolita scriptorum multitudine haud paucae dubitationes et virorum doctorum contentiones exortae sunt. Quum enim ita inter se differrent vitae sub Andreae nomine editae, num forte una alterave aut interpolata aut supposita esset dubium movebatur, et haud leves notae reiectae sunt in Cramerum a Gretsero*[7], *in Gretserum a Jaschio*[8], *in Jaschium a Sollerio*[9]. *Quae eo maior erat contentio, quo acerbius in se inveherentur editores ob diversam christianae religionis confessionem. At non unus Andreas tantam afferebat difficultatem. Apparebat enim duplicem eius textum et cum Canisiani Anonymi et cum Ebbonis libro intimo societatis vinculo coniunctum esse. Legebantur haud pauca apud Andream, quae occurrebant etiam vel apud Anonymum vel apud Ebbonem, multaque alia habebat, quae in his vitis sive penitus desiderabantur sive minus accurate similibus tamen verbis narrabantur*[10]. *Accedebat*

2) p. 143. 3) Pommerische Chronica ed. 1603, II, 34. 4) Jaschii Andreas I, 2—43 paucis exceptis consentit cum Gretseri Andrea I, 1—48; II, 14—18 cum II, 42—46; III, 1—7 cum III, 1—6; III, 10. 11 cum III, 10; 19 cum 23; 24 cum 32; III, 25. 26 cum IV, 2—5; IV cum IV, 1. 6—12; in reliquis omnibus differunt. 5) Act. SS. Iul. I, 425. 6) Neue Pommersche Provinzialblätter IV, 312. 7) Divi Bambergenses p. 377. 382. 412 sqq. De Gretseri eruditione vide quae laudavit Ludewigus in Scriptoribus rer. ep. Babenbergensis I, praef. p. 5. 8) Andreae abb. Bamb. de vita S. Ottonis ep. libri quatuor Colbergae 1681 p. 463. 473. 485. 495 etc. De Jaschio cf. Acta eruditorum 1682 p. 279 et Vanselow Gelehrtes Pommern p. 50. 9) Act. SS. Iul. I, 349. 10) Jaschii Andreas consentit cum Anonymo in I, 16—43; et lectionibus legendae sub finem III, i. e. cum Herbordo nostro I, 13. 19—53; III, 33—35; in omnibus reliquis differunt; vid. apud Jaschium *historia anonymi cuiusdam cum historia abbatis Andreae collata* p. 270 sqq. Cum Ebbone concordat I, 1—9. 26. 44—48 i. e. cum nostro Ebbone I, pr.—16. 18—23 et per totum librum secundum et tertium. Gretseri Andreas consentit cum Anonymo in I, 16—26. 32—48; II, 1—33. 35—40; III, 7—9. 11—22. 24—31; IV, 5; i. e. cum Herbordo I, 24—34. 36—52; II, 1—33. 35—40; III, 4. 6. 8—23. 24—32. 34. 35; convenit in I, 1—15. 27—32; II, 4—45; III, 1—6. 10. 23. 32; IV, 2—4. 5 cum Ebbone I, 2—16. 18—23; II, 14—18; III, 1—7. 10. 19. 24—26. Cf. tabulas quas ad has vitas comparandas constituit Klempinus in commentatione Die Biographien des Bischof Otto und deren Verfasser. Baltische Studien IX, 1. p. 44. 54.

denique quod manifesta dialogi vestigia in duabus Andreae vitis deprehendebantur, in quo inter se de Ottonis virtutibus colloquentes facti erant Tiemo et Sefridus, quibus tertius intercedebat Ebbo, non minus de Ottone narraturus[11]. *Praeterea in Gretseriano exemplari nomina colloquentium vel, ut videbatur, singulorum auctorum legebantur in margine apposita, Sefridi, Tiemonis et Ebbonis*[12]. 12

Has tenebras haud paucis a se prolatis coniecturis editores vario modo dispellere conati sunt. Andream, abbatem saeculi decimi quinti, vitarum suo nomine traditarum auctorem esse non posse, eo facilius sibi persuadebant omnes, quo apertius in praefationibus suis Sefridum, Tiemonem et Ebbonem se esse secutum diceret. Et vitarum ab his viris conscriptarum magnam partem ab Andrea servatam esse, ex Anonymo Canisii et Ebbone Sollerii cum Andreanis libris comparatis luce clarius apparebat. Gretserus auctorum nominibus in margine sui codicis appositis innixus, Anonymi vitam tribus auctoribus adscribendam esse opinatus est, Ebboni, Tiemoni et Sefrido, quod opus ab alio anonymo in dialogi formam transscriptum et demum ab Andrea auctum sit[13]. *Jaschio placuit sub Anonymo latere Sefridum et Tiemonem, ex quorum sermonibus dialogum confecerit Andreas*[14]. *Sollerio videbatur merito duobus illis viris dialogum minime adscribi posse, sed fortasse tertio cuidam, denique vero in hoc acquievit dialogi auctorem esse Sefridum, et ex eius opere historiam Ottonis ab Anonymo Canisii haustam esse; duplicem autem Andreae editionem a duobus auctoribus diversis esse conscriptam sibi persuadebat*[15]. *Hoc quoque* 15 *Lipsiensis codicis, quem adeptus erat, ope effecit Ebbonem a Tiemone et Sefrido plane secernendum eiusque librum longe esse alium. Haec sententia postea omnibus paene arridebat, qui Pomeranorum sive Bambergensium rebus indagandis operam navarunt, ita ut nomina tenerent Sefridi et Ebbonis auctorum duarum Ottonis vitarum*[16]. *Neque maior lux allata est huic quaestioni tertia vita, nuper in monasterio sanctae Crucis detecta, quum in ea haud pauci loci reperiantur, qui ad verbum consentiant modo cum Anonymo Canisii modo cum Ebbone. Desperandum paene erat fore aliquando ut e tali rerum confusione veritas emergeret, quum Klempinus v. d. munus omni gratia dignum in se susciperet, ut Gordium hunc quasi nodum solveret. Instituit singularum vitarum comparationem accuratissimam, nomina auctorum examini severiori subiecit. Quod in commentatione fecit quam sagacis ingenii luminibus frequentatam edidit anno 1842*[17]. *Primus enim veram naturam indolemque omnium horum librorum* 17 *perspexit, posuitque fundamenta quae ab aliis post eum convelli non potuerunt.*

Post operam memoriae Ottonis tam feliciter navatam nostri esset, ut, quae ille vir doctus solis editionibus typis expressis eruerat, iam codicum praesidiis firmaremus. Sed hoc magis in votis erat, quam quod ad effectum perduci posset. Quum enim in diversis itineribus bibliothecae in usum Monumentorum examinatae essent, vitae Ottonianae in lucem protracti sunt codices triginta, quos contulimus vel ipsi cum editionibus, vel fecerunt alii, vel notitiam saltem codicum adepti sumus. Inter hos omnes nullus est, in quo iustus et genuinus textus vitae Ottonis legitur. In lacunis explendis, in sanis lectionibus restituendis

11) In Jaschii Andrea I, 22. 23. 38. 42; in Gretseri Andrea I, 23. 43. 47; II, 1. 7. 11. 15. 18. 23. 27. 30. 34. 40; III, 21 et saepius. 12) Div. Bamb. p. 157. 179. 183 saepissime. 13) Ibid. p. 379. 14) p. 270. 15) Act. SS. Iul. I, 351. 353. 16) Ussermann ep. Bamberg. p. 51. Sed denuo quaestionem turbavit Hocker in Supplemento zu dem Heilsbronnischen Antiquitätenschatz p. 7. Jaeckius Beschreibung der Bibliothek zu Bamberg II, p. XI etc. denuo sibi persuadebat dialogi auctores esse Tiemonem et Sefridum. 17) Baltische Studien IX, 1. p. 1 sqq.

plurimis locis auxilium afferunt optatum, in gravissima de auctoribus quaestione praebent plane nullum. In codicibus aliam Ottonis vitam non habemus quam in editionibus. Horum codicum octo sunt Anonymi Canisiani, sex Ebbonis, tres Anonymi Sanctae Crucis, et quinque Andreae. Quae quum ita sint, fines, quos in commentatione posuit Klempinus, transgredi nobis non licebat, viaque ab eo munita ineunda est. Quod negarunt codices in constituendo textu, ab arte critica petendum est auxilium. Quod antequam faciamus codices eo ordine describendi sunt, quo textui utiles se praebuerunt.

Ob locupletissima quae in iis servata sunt fragmenta vitarum Ottonis, libros ab Andrea abbate compositos signavimus littera A. *quorum est*

A1. *Cod. Stettin. Sancti Iacobi* 9. *membr. fol. saec. XV. ex. firma manu exaratus. Fol.* 1 *legitur carmen ad sanctum Benedictum:* Praesul amate Deo, te oro, praesul Benedicte. *Dein sequitur vita Ottonis in tres libros divisa, et quartus de miraculis auctore monacho Sancti Michaelis, qui sex quaternionibus sunt conscripti. Sub finem haec verba leguntur:* Explicit vita et de miraculis sanctissimi ac piissimi Ottonis Babenbergensis episcopi ac Pomeranorum apostoli. Scriptum per me, fratrem Erhardum Vetter, ordinis sancti Benedicti monachum indignum, professum Montis monachorum Babenbergensis dioeceseos, anno Dom. 1487 in die exaltationis sanctae Crucis, in praepositura sanctae Fidis virginis et martiris. *Post vitam legitur:* Commendatio pii Ottonis Babenbergensis episcopi ac Pomeranorum apostoli, et de gestis eius. *Sunt laudes Ottonis precesque pro eo versibus conscriptae:* O Iherusalem superna *etc. Dein duobus foliis:* Lectiones legende in festo depositionis sancti Ottonis et sub eius octava. Beatus Otto tam morbo quam senio exhaustis viribus *etc. Sequentibus tribus foliis:* Legende in translatione sancti Ottonis. Memoriam iusti cum laudibus celebrare *etc. Denique ultimis decem foliis:* Incipit historia de sancto Ottone confessore atque pontifice ad primas vigilias anthiphon. Gesta pii pontificis Ottonis tota devotione veneremur *etc. quibus notae musicae sunt adscriptae. Est Andreae vita Ottonis, idem codex quem secutus est Jaschius, apud quem habes* 18 *supralaudata omnia*[18]. *De codice haec addit:* Mihi communicavit plurimum reverendus atque clar. vir, dominus M. Fridericus Cramerus, pastor ecclesiae Stetinensis, quae sancto Iacobo olim sacrata fuit[19]. *Est etiam sine dubio idem codex, quo in chronico ecclesiastico Pomeraniae usus est et quem vetus* 20 *exemplar Caminense appellavit Daniel Cramerus*[20]. *Cui eo minus fidem denegabimus, quum codex, prius in scriniis Caminensibus asservatus, in praefatione dedicatus sit Benedicto episcopo Caminensi. Est in textu restaurando utilissimus, multaeque probae lectiones ei debentur. Jaschii editionem accurate expressam cum hoc codice denuo contulimus.*

A1*. *Cod. Glogav. chart. saec. XV. ex.* 4 *Glogaviae hodie servatus post* Speculum salvationis humane *aliaque opuscula theologica* 23 *foliis vitam Ottonis continet, sine consilio et ordine e codice* A1. *excerptam; multa sunt omissa. Codex male et negligenter scriptus nullius est momenti.*

21 A2. *Cod. Bamb. mbr. saec. XV. fol. min. Rf. II,* 17[21]: Sancti Ottonis episcopi Bambergensis vita, *in veteri tegumento signato anno* 1587; *manus recens addidit* scripta a Nonosio Stettfelder. *Continet vitam Ottonis tribus libris*

18) p. 268. 236. 238. 245. 256.


19) p. 362. De hoc Cramero, Danielis Crameri filio, vid. Vanselow Gelehrtes Pommern p. 24.

20) Jasche p. 268.

21) Cf. Jaeckii Bericht über alte Handschriften zu Bamberg in Oken Isis 1822, VIII, 827, quam descriptionem repetivit Archiv VI, 61 sqq. Vide etiam Jaeckii Beschreibung der öffentlichen Bibliothek zu Bamberg I, 12. n. 60.


Vita Ottonis ep. Babenbergensis.

3 Cod. Zwettl



babembergensis epi.
oyses cum de amalech
victore existeret iussum ei
a dno est quatinus ruinam
hostium et israhelitice ple-
bis victoriam memorie
commendaret. Ita enim in ex-
odo scriptum legimus. Et dixit
dns ad moysen. Scribe
hoc ob monumentum in libro et trade in auribus iosue. De

4. C. S. Emmerammi Monacensis. 726.



prologus in
Incipit vita sci ottonis babengensis epi et
cripturus vitam beati ottonis confessoris
epi ac pomerane gentis apli grandi quidem
affectu sed impari facultate materiam sacram
aggredior. duo hec finaliter intendens. ut iustu-
tum et meritorum et auctor deus in illo glorificetur. et desu-
perna in domo dni sublimitet accensa pietatis ac devo-

W. Wattenbach scr.


5. Cod. Bambergensis.

Prefatio in legendam sanctissimi ac piissimi Ottonis babenbergensis
episcopi ac pomeranice gentis apostoli :~



Enerabili ac sulphti in xpo patri iohanni machario
seraphica ordinis conventus babenbergensis guardiano.
proclamatori verbi dei constantissimo.

Explicit liber quartus et ultimus de obitu et miraculis
sanctissimi ac piissimi Ottonis babenbergensis epi pome-
ranorumque apli. anno dni Millesimoquadringentesimo
nonagesimo nono ipsa die Barnabe apli. F·N·S :~



Hie hebt sich an die hystory
vnd legend von den heyligen
dreyen kunigen vnd sagt von ire
opffern vnd von allem irem lebe
vnd wie sie ein ende genomen
haben vnd wie sie gen koln sind kome
Die heiligen drey
kunig die habe
erfullet die
heiligen teusche
keit von auff-
gang der sunne
biß zu nydergangk


Dise vorgeschrabne Sant
Otten legend ist geteutscht
vnd mit geschrifft vollendet
worden von einem andechtige
Bruder parfusser ordens der ob-
servantz genant Conradus
Bischoff am donerstag nach
dyonisy des heiligen Bischoffs
vnd merterers tag. In dem xpi
geburt ao mcccc lxxxiiij iar

Opera Jäcksu b. m

Mon. Germ. SS. T. XII. Tab. V. ad pag. 724.


Vita Ottonis ep. Babenbergensis.

3. Cod. Zwettl.



babembergensis epi.
oyses cum de amalech
victor extitisset iussu ei
a dno e qui nos ? ruinam
hostium ? israhelitice ple
bis victoriam memorie
commendaret. Ita enim in ex
odo scriptum legimus. Et dixit
dns ad moysen. Scribe
hoc ob monumentum in libro ? trade in auribus iosue. De

4. C. S. Emmerammi Monacensis 726.



prologus in
Incipit vita sci ottonis babenbergensis epi
cripturus vitam beati ottonis confessoris
epi. ac pomerane gentis apli. grandi tide
affectu. sz ipari facultate materiam sacram
aggredior. duo hec finaliter intendens. ut uirtu-
tum & meritorum eius auctor deus. i illo glificetur. y detu
cerna i domo dni sublimit accensa. pietatis ac devo

W. Wattenbach scr.


5. Cod. Bambergensis.

Prefatio in legendam sanctissimi ac piissimi Ottonis babenbergensis
episcopi ac pomeranice gentis apostoli :~



Enerabili ac sulplici in xpo pri iohanni machario
seraphici ordinis. conventus babenbergensis guardiano.
proclamatori verbi dei constantissimo.

Explicit liber quartus et ultimus de obitu et miraculis
sanctissimi ac piissimi Ottonis babenbergensis epi pome
ranorumque apli. anno dni Millesimoquadringentesimo
nonagesimo nono ipa die Barnabe apli. F. N. S :~



Hie hebt sich an die hystory
vnd legend von den heiligen
dreyen kunigen vnd sagt von ire
opffern vnd von allen iren lebe
vnd wie sie ein ende genomen
haben vnd in sie gen koln sind kome
ie heiligen drey
kunig die habe
erfullet die
heiligen weysse
heit von auff
gang der sunne
biss zu nydergangk

Dise vorgeschriebne Sant
Otten legend ist getewtscht
vnd mit geschrifft vollendet
worden von einem andechtige
bruder parfusser ordens der ob-
servantz genant Conradus
Bisthoff am donerstag nach
dionisy des heiligen Bisthoffs
vnd mertrers tag Nach cristi
geburt a° xvc xxiii jar

Opera Jäckii l. m.

Mon. Germ. SS. T. XII. Tab. V. ad pag. 724.

conscriptam, quartumque librum de miraculis; omnes vero longe aliter compositi quam in A1. *Sub finem libri quarti haec leguntur eadem manu scripta:* Explicit liber quartus et ultimus de obitu et miraculis sanctissimi ac piissimi Ottonis Babenbergensis episcopi Pomeranorumque apostoli, anno Dom. 1499 ipsa die Barnabe apostoli F. N. S. *Dein sequitur manu recentiore:* Liber monasterii sancti Michaelis archangeli prope Bambergam. *In ultimis foliis manu saec. XVI legitur:* Sermo in translatione sancti Ottonis episcopi. Memoriam iusti cum laudibus celebrare *etc. Habet codex septem quaterniones et dimidium, est nitide exaratus paucis scribendi compendiis, semper* e *pro* ae, y *saepissime pro* i *adhibetur; capitum inscriptiones minio sunt appositae, litterae initiales pictae. Manu coaeva hinc inde textus est correctus; in margine adscripta sunt eadem manu primis verbis multorum capitum nomina* Tiemo, Sefridus, Ebbo. *Praefatio scripta est ad Ioannem Macarium, guardianum ordinis sancti Benedicti. Est Andreas Gretseri; idem, ut videtur, exemplar, quo hic ipse in editione sua usus est. Codex est momenti gravissimi, eumque ob nomina illa apposita in tali labyrintho felicissimum se praebere ducem, recte statuit Klempinus*[23]. *Transmissus est nobis cum reliquis Andreae codicibus qui Bambergae servantur a bibliothecae praefectis, quibus gratias maximas publice referre par est.*

A2*. *Cod. Bamberg. chart. saec. XVI scriptus a Ioanne Eulenschmid Sancti Michaelis prope Bambergam a.* 1596 *est exemplar cod.* A2, *ut*

A2**. *Cod. Bamberg. chart. saec. XVI cum glossis*[24]. *His codicibus post* 24 A2 *supersedere poteramus.*

Hoc loco duorum aliorum codicum mentionem facere haud abs re est, qui, etsi ad vitarum textum nihil faciunt, tamen cum praecedentibus codicibus A1. *et* A2. *arctissime cohaerent. Est cod. Bamb. bibl. E. VI,* 11. *chart. saec. XV fol., continet versionem Germanicam Andreanae vitae Ottonis, quam a.* 1473 *conscripsit Conradus Bischof Coloniensis*[25]. *Uberius codicem descripsit Jaeckius, et post eum accuratam comparationem versionis Klempinus instituit cum duabus Ottonis vitis ab Andrea latine compositis*[26]. *Bambergensem hunc* 26 *codicem nos non vidimus, sed alium examinavimus, a Bethmanno, iam Guelferbytanae bibliothecae praefecto, nobis transmissum, in quo vita Ottonis Germanica legitur. Est cod. Guelf. chart. saec. XV,* 4 (*Ms. Aug.* 17. 10)[27] 496 *foliis scriptus pluribus manibus. Priorem codicis partem complet vita Ottonis; dein f.* 230 *sequitur:* Von sant Iuliana der heiligen Junckfrawen und martererin, *aliaeque vitae Germanice conscriptae, dein versio nonnullarum Augustini epistolarum. Etsi desideratur annus quo scriptus sit, tamen ex collata descriptione Bambergensis codicis apparet Guelferbytanum ex illo fluxisse, paucis tantum mutatis sub finem libri primi in capitibus numerandis*[28]. *Incipit codex:* Die 29 vorred uber sant Otten legend, die herre Ebo von dem Munichperg geschriben hat. Alles das wir wurken, das sol wir durch die hut der dymutigkeit bestercken, wann als do bezewgt sant Gregorius *etc.* I, 1: Des iars nach Crist gepurt 1015 *etc. Exordium illud, in quo sancti Gregorii testimonium profertur,*

23) Balt. Stud. IX, 1. p. 29. 24) Jaeckius in Archiv. VI, 65. 25) Jaeckius in Beschreibung d. Biblioth. zu Bamb. II, 63 hanc versionem ita signavit: 2185) *Otto d. h. Bisch. z. Bg.* 1102–1139, *Leben a. d. Lat. des Michelsb. Abtes Andreas Lang, übers. v. Konr. Bischof zu Köln u. geschr.* 1473 *im Kl. Michelsb.* 91 *Bl. m.* 39 *Z.* 2 *Sp. F.* (*E. VI,* 11). In sequentibus numeris 2186—2188 tria eiusdem versionis exemplaria saec. XVI et XVII affert. Cf. descriptionem uberiorem Archiv VI, 65 sqq. 26) Balt. Stud. IX, 1. p. 51. 27) Archiv VI, 6. 28) Jaeckius in primo libro numerat capita 43 cod. Guelf. 34, sed conveniunt in argumentis.

29 *neque in* A1. *neque in* A2, *sed in Ebbonis codicibus legitur ut nonnulla alia*[29]. *In aliis consentit codex modo cum* A1. *modo cum* A2[30]. *Recte itaque dicas Germanicam vitam Ottonis versionem esse tertii antiquioris libri, quem Andreas ex iisdem fontibus, sed alio ordine et consilio scripserit. Ad restituendum textum auctorum quos secutus est, hic etiam codex in auxilium vocandus est*[31].

Quum vero Andreas in aliis quos composuit libris de rebus Bambergensium haud raro ad vitam et virtutes Ottonis recurrat, et eosdem auctores, quibus in supra laudatis operibus utitur, presso pede sequatur, in constituendo textu hos etiam libros adscivimus, eosque ob intimam societatem cum codicibus praecedentibus eodem siglo signavimus.

A3. *Cod. Bamberg. biblioth. ad* 29283 *chart. saec. XV ex. fol.* 332
32 *foliis continet Andreae chronicon monasterii sancti Michaelis Bambergensis*[32]. *Fol.* 1. *praefatio Andreae, ex qua paullo infra dabimus quae mentione digna sunt; fol.* 3 *incipit textus:* Sanctissimorum coniugum Heinrici imperatoris et Kunegundis ortum dignissimum qui scire laborat *etc. Sequitur chronicon mundi ex Gotefrido Viterbiensi descriptum, dein legenda sanctorum Heinrici et Kunegundis, et chronicon episcoporum Bambergensium multis adiectis diplomatis. Fol.* 34*:* Otto octavus sedis Babenbergensis episcopus. Moritur tandem Rupertus *etc.* Otto autem natione Suevus, patre nobili, Heinrici imperatoris capellanus *etc. est epitome Herbordi nostri haud male conscripta; fol.* 39 *fragmenta sequuntur Ebbonis inde a I,* 18 *ad verbum descripta; fol.* 40*:* Sequuntur nomina monasteriorum quae sanctus Otto acquisivit ecclesie Babenbergensi; *est catalogus praediorum, quae Otto singulis monasteriis a se fundatis dono dedit. Has pagellas post Andreae duas praefationes in nostram editionem recepimus, quum haud pauca ex diplomatis hausta in iis legantur, quae in reliquis vitis non occurrunt. Fol.* 48—67 *brevis historia successorum Ottonis his desinens verbis:*
33 Heinricus[33] Grossus de Drocterau, 35us episcopus, vir mitis et benignus, electus est prima die Februarii, 5 feria, anno 1487. *Fol.* 72*:* Cathalogus abbatum monasterii sancti Michaelis Montis monachorum. Fragilis hominum memoria *etc. quod est argumentum totius reliqui operis. Incipit chronicon ab abbate Ratone* 1015*; quae leguntur usque ad Wolframum I abbatem ex Ebbonis prologo sunt hausta; dein iterum ad verbum recipitur Ebbonis textus inde a I,* 18, *et ea potissimum quae monasterium respiciunt. Ultimus abbas, cuius mentionem Andreas fecit, est ipsius decessor Ulricus III ab anno* 1475*; dies mortis non annotatur*[34]. *Multa intermixta sunt diplomata, quorum ultimum est a.* 1482. *Itaque pars altera de abbatibus prius videtur scripta quam pars prima de*
35 *episcopis*[35]. *Hunc quoque codicem aptis locis in auxilium vocavi.*

29) I, 22 vitae Germanicae ita incipit: *Seit dan S. Otten meynung gantz inhitzig war zu mern die ere und lob Christi, so hat er etliche closter von grunt aufgepawt* — verba ultima capitis: *Das ich alles hie vermeyn untterwegen zw laszen, wann man vindt es on das hawff weisz geschriben* etc. quae respondent Ebboni I, 17, quod caput in solis codicibus Ebbonis, neque in A1. neque in A2. exstat. Itaque Andreas in hoc libro Ebbonem alio modo exscripsit. 30) Cum A1. in capp. I, 1, quod est nostri Ebbonis I, pr. et in I, 20. 21 cum I, 11—15, quae sunt Herbordi nostri I, 14—18; cum A2. in II, 5 i. e. Herbordi II, 2—4. 6, i. e. Herb. II, 5 et saepissime. Liber quartus propius accedit ad A2. quam ad A1. 31) Cf. Herbord. I, 14—18; Ebbo I, pr.; II, 12. 32) Jaeck in Arch. p. 60. 33) Vid. Ussermann episcopatus Bambergensis p. 206. Obiit Henricus III a. 1501. 34) Ibid. p. 315. Obiit a. 1483. 35) Haud scio an ex vasto hoc opere paullo post aliud eiusdem auctoris de eodem monasterio fluxerit, quod Jaeckius in libro Beschreibung der Biblioth. zu Bamberg I, 11. n. 58 ita descripsit: *Andreae Lang chronicon coenobii sancti Mich. Bg. multis docum. illustr. cum fasciculo abbatum sub pastorali infula militantium. Scr. a.* 1494 *per Fr. Reynherum ibid. monach.* 60 *fol.* 1 *col.* 71 *lin. e bibl. eiusdem. Fol. Bg.* (*Rf. II,* 11). Idem sine dubio codex quem Jaeckius Archiv VI, 58 per quinquaginta annos post Andreae mortem ab aliis continuatum esse dicit. Haec a Jaeckio prelo

A 3*. *Cod. Bamberg. biblioth.* 29283. *saec. XV. ex. chart.* 4. *Bg. II*, 11.[36] Catalogus episcoporum Babenbergensium *Andrea auctore* 37 *folia complectens. Praefatio:* Reverendissimo in Christo patri ac domino, domino Heinrico, divina favente clementia sancto Babenbergensi praesuli dignissimo, frater Andreas vocatus abbas coenobii sancti archangeli Michaelis *etc.*, *cuius Heinrici III. adhortatione se hoc opus suscepisse dicit; dein leguntur ad verbum nonnulla quae Andreas in praefatione vitae Ottonis a.* 1487 *ad episcopum Caminensem scripsit. Incipit historia anno* 1001, *est catalogus episcoporum brevis et ieiunus. Fol.* 15' *de Ottone his verbis agere coepit:* Otto igitur nacione Suevus, patre nobili Bertholdo nomine, comite de Andechs, qui duxit uxorem filiam Ottonis ducis Bavarie, ex qua genuit duos filios, Ottonem, qui postea electus fuit in episcopatu Babenbergensi, et Fridericum fratrem eius, qui Amertal sedit, et multa beneficia monasterio in castello faciens, ibidem est sepultus, *quam falsam de Ottonis genere narrationem*[37] *Andreas in vitis respuit. F.* 21' *inter-* 37 *polantur quaedam de origine monasterii Banzensis:* Nam ut in cronica eiusdem cenobii legitur: In eodem monte, ubi modo cenobium ipsum cernitur *etc. quae recurrunt in originibus Banzensibus*[38]. *Inter episcopos ultimo loco occurrit f.* 34 *Philippus de Henneberg qui obiit* 1487.[39] *et f.* 35 *haec leguntur:* Estque 39 annus 1497[us] moderni nostri pontificis Heinrici, huius nominis secundi, annus sui praesulatus fere completus 11. *Haud pauca in hoc codice, qui satis negligenter est confectus, ad verbum conveniunt cum illis quae leguntur in codice praecedente; tamen ex* A 3. *non fluxit, nam in* A 3*. *uberior est narratio de ultimis episcopis, sed ex alio quodam codice, iam ut videtur deperdito*[40].

A4. *Cod. Bamberg. bibl. membr. saec. XV. ex. fol.* (*E III*, 9.) *est* Andreae opus canonisatorum de ordine sancti Benedicti pontificum, archiepiscoporum, antistitum, abbatum et abbatissarum cum singulorum gestis; *codex splendidissimus, quem merito inter bibliothecae Bambergensis ornamenta habitum, fusius descripsit Jaeckius*[41]. *Hic quoque liber a Nonosio scriptus est; quo tempore non* 41 *annotatur. Caput de Ottone legitur fol.* 269'—271'; *ad verbum hoc quoque conflatum est ex Herbordo nostro I*, 44. 24—29. 33. 34 *et ex Ebbone I*, 21. *Quo melius Andreae ingenium diiudicetur, verba apponam sequentia e praefatione libri petita:* Patri ac domino Iohanni monacho intemeratae ac perpetuae virginis Mariae in Monchroten — frater Andreas monasterii sancti archangeli

subiecta sunt a. 1831: summe igitur dolendum, quod codex in bibliotheca Bambergensi hodie reperiri non potuit. 36) Jaeck Beschreibung der Bibl. zu Bamb. II, 5. n. 1245. 37) Vid. annot. ad Herbord. I, 1. 38) Ludewig Script. rerum episcopatus Babenberg. II, 48. Orr. coenob. Banz. cap. 2—9. 39) Ussermann ep. Bamberg. p. 205. 40) Ad finem orr. coenob. Banz. l. l. p. 64 haec leguntur: *Habet haec frater Andreas, famulorum Christi famulus in coenobio S. Michaelis ordinis S. Benedicti in Monte Monachorum prope Babebergam, inibi tum degens et commorans* 20 *annos, postea venerabilis dominus ac reverendus pater eiusdem monasterii abbas — — in catalogo pontificum S. Bambergensis ecclesiae ad* 1494 *a fundatione primaeva usque ad sua tempora, circa S. Othonem octavum episcopum. Coniunctum est et praemissum huic catalogo aliud opus historicum vel fasciculus abbatum in monasterio S. Michaelis Montis monachorum. Est autem volumen satis grande ab auctore editum et in charta pergamena folii mediani manuscriptum. Ex quo fideliter educens transscripsit hoc f. Iohannes Hunerbein, sacerdos et monachus prosenior conventus Banthensis* 1. *et* 2. *Oct. anno post Christ. nat.* 1614. Itaque ante oculos habebat Hunerbein aliud opus Andreae de episcopis Bambergensibus quam nostrum A 3*, in quo ieiunior est narratio de monasterio Banzensi quam illa quae apud Ludewigum exstat. Neque quadrat descriptio illius codicis in nostrum. Videtur potius fuisse Hunerbeinii codex idem quem ita descripsit Jaeckius Beschreibung der Bibliothek zu Bamberg I, 12: 59) *Andreae abb. catalogus pontificum Bamb. ecclesiae a fundatione sua primaeva usque ad nostra tempora Scr. a.* 1494 *per Fr. Reynherum monach. coenob. S. Mich. Bg.* 21 *fol.* 1 *col.* 61 *lin. e bibl. eiusd. fol. Ld. (Rf. II*, 11*)*. Quae repetita sunt Archiv VI, 60. hoc addito 40 folia continere codicem. Hodie reperiri non potuit. 41) Archiv VI, 56. Beschreibung I, 11. n. 57.

Michaelis prope et extra muros civitatis Babenbergensis. — — Libet enim sanctorum patrum nostri ordinis vitas et gesta atque historias olim ab aliis editas percursitare, et in illis quid negligencia scriptorum viciasset castigare; vestris animatus persuasionibus rem meis viribus haud parem aggredi (ut verum fatear) presumpsi. — — Veteres in omnibus (quae sparsim variis ex libris colligere potui fragmenta collegi) secutus sum historias, et sententias transgressus sum in nullo. Et licet plura hoc in opusculo conscribam (ut ab aliis posita) non tamen ex hoc omnia approbare ausim, nec omni in parte vera esse credo, sed solum ab aliis ita fore conscripta refero, malens in hoc alieno iuditio plus credere quam contentionibus (a quibus semper exhorrui) deservire. Ordinis igitur nostri statum veterumque patrum nostrorum gesta pluribus (ut dicere ceperam) ex cronicis operibus ea propter indagatis *etc.*

B. *littera signavimus omnes codices Anonymi Canisiani, quia, etsi locupletem, minime tamen integrum sed multis locis recisum textum exhibent. Eadem vita Ottonis in omnibus legitur, quae plena simplicique incedit narratione, et historiae quasi filo deducitur, non interrupta dialogo vel alia digressione. Inter quos primo loco habemus*

B*. *Anonymum a Jaschio editum vel potius cum suo Andrea collatum*[42];
42 *de quo codice hoc Jaschius profert testimonium*[43]: Illum vero mihi libenter legendum dedit praenobilis, amplissimus atque consultissimus vir, dominus Franciscus Winterus, consiliarius in Pom. provincialis et civitatis huius Colbergensis meritissimus, qui illum a parente p. m. ducis olim Pom. consiliario acceperat. *Non vidi codicem, neque ubi hodie lateat scio. At reliquis codicibus* B *eum esse praeferendum ideo patet, quod huic uni deest praefatio libri primi nonnullique alii loci*[44], *quos, quum apud Andream non legantur, interpolationes esse ipsius anonymi auctoris postea evinciemus, quod in capitibus distinguendis*
45 *et in haud paucis sanis lectionibus convenit cum* A2.[45]

B1. *Cod. Monac. lat.* 14726 *(olim Ratisp. Sancti Emmer.* 726*) membr. saec. XIII*, 8.[46] *unam continet vitam Ottonis sex quaternionibus; lineae* 39 *vel* 40 *in folio, molybdo sunt praescriptae, inscriptiones capitum et litterae initiales minio exaratae, numeri capitum desunt, litterae mediae et elegantis formae,* e *saepissime occurrit pro* ae *et* oe, ci *pro* ti, *duplicium litterarum loco simplices. In folio ultimo legitur:* In festivitate sancti Ottonis lectio. Memoriam iusti cum laudibus celebrare *etc. In universum Anonymi textum purum praebet codex; est in lacunis explendis utilissimus*[47].

B2. *Cod. Monac. lat.* 9517 *(olim Altah. Sup.* 18*) membr. saec. XIII. ex.*
43 *fol.*[48] *Leguntur manu coaeva verba haec fol.* 1:

Abbas Poppo tibi iubet hunc librum, Petre, scribi,
Iustis ascribi quo mereatur ibi.
Ergo si quis eum facit asportans alienum,
Se nimis ante Deum noverit esse reum!

In folio ultimo antiqua manu scriptum est: Iste liber est Sancti Petri superioris

42) pag. 270. 43) p. 362. 44) Enumerabuntur infra, ubi agam de indole vitarum ab Andrea compositarum. 45) Herbord. I, 35. B*. habet verba *in ampullis urnis*; I, 46 *quia peccavi — die*; II, 11 *eburneum*; II, 13 *populum*; II, 25 *publicare — possent nobis*; III, 5 *nec usquam — praesumentibus*; III, 9 *iniuriam putet — te rogare*; III, 12 *assumens*; III, 13 *et his et huic*; III, 14 *festinant*; III, 18 *conterritus*; III, 23 *inter astantes* etc. In omnibus his lectionibus, excepto III, 5 quae sunt textui utilissimae, consentit cum A. 46) Sanftl Catalog der Handschriften von St. Emmeran. Archiv. I, 427; II, 462; VII, 115. 47) I, 7. 19. 31; II, 5. 28. 40; III, 9. 19 etc. 48) Archiv VII, 123.

Althe. *Poppo abbas electus est Altahensis anno* 1267[49]. *Varia decem complectitur codex opuscula, inter quae sequitur vita Ottonis fol.* 183—234 *septem quaternionibus. Lineae sunt praescriptae; fol.* 191 *alia manus coaeva calamum sumpsit; prior est elegantior, altera firmior, ambae bene rem suam gesserunt; est codex splendidior litteris initialibus pictis. Litterae interdum sunt fractae: saepissime legitur loco* ae e, *loco* ti ci. *Capitum inscriptiones rubro colore sunt scriptae. Librariorum vitia multis locis correcta sunt manu coaeva. Codex praecedente* B1. *est paullo iunior, at ex eo non descriptus, etsi in lacunis explendis ambo conveniunt. Quibusdam locis textus supplementum iustum praebet* B2.[50] *quod in* B1. *frustra quaeritur. In universum lectiones* B2. *sunt minus sanae quam* B1, *sed ex his codicibus Anonymi textus longe correctior potest constitui quam e sequentibus duobus.*

B3. *Cod. Vindobonensis* 4324. *(Lun.* 13.*) chart. saec. XV.* 4.[51] *duodecim foliis initium vitae Anonymi complectitur, quod descriptum est manu coaeva in sequenti codice, ubi desiderabantur prima capita.*

B3*. *Cod. Vindob.* 3663. *(olim Lunaelac.* 186.*) chart. saec. XV. fol.*[52] *qui praeter alias vitas continet Anonymum de Ottone. Sub finem legitur:* Et finitus est iste codex feria 3. post septuagesimam hora quasi vesperorum per manus Alberti Lärnpawtl, qui illo tempore fuit scriptor domini de Runting, canonici ecclesie kathedralis in Ratispona. Et benedictio Domini descendat super eos et maneat cum eis semper. Amen. *Idem est codex quem in sua editione secutus est Canisius, cuius negligentiae etsi multa vitia debentur, tamen haud pauca alia ex codice originem duxerunt. Sunt enim duo hi codices mendose et negligenter scripti et pluribus quam reliqui hiant lacunis. Collationem debemus W. Wattenbachio. Nullum denique auxilium petendum est ex his codicibus, quos inspexit v. cl. Lochner Norimb. professor:*

B4. *Cod. Norimb. III,* 69. *mbr. saec. XV.*[53] *Anonymum sequitur in universum sed etiam Ebbonem:* Incipit legenda de vita et miraculis beati Ottonis *etc.*

B4*. *Cod. Norimb. III,* 70. *mbr. saec. XV. in quo brevis epitome Anonymi quatuor et dimidio folio legitur. Librarius hinc inde suo ingenio indulsit sive narrationem vulgarem videtur secutus esse*[54].

De codice Alderspacensi nihil habeo quam quod repetam editorum Monumentorum Boicorum testimonium[55]*:* Eruimus interim e bibliotheca — vitam Ottonis sancti episcopi Bambergensis, mutilam quidem illam sed ab auctore coaevo, quem Sefridum forte dixeris, conscriptam. *Eiusdem vitae alteram partem dicit Aretinus scriptam esse a Wolfgango Mario, qui abbas Alderspacensis annales etiam sui monasterii usque ad a.* 1518 *reliquit*[56]. *Rebdorffensem denique codicem Anonymi vidit Gretserus*[57].

Haec hactenus de codicibus Anonymi. Iam videamus de Ebbone.

Neque Ebbonis iustum et integrum habemus textum, sed codices accuratius examinati hanc etiam vitam Ottonis mutilatam et saepius ad fines angustiores revocatam ob oculos ponunt. Itaque ut prior ille de Ottone liber, Ebbonis quoque opus est restaurandum, in quo praecipua subsidia iterum debemus Andreae, cuius codices et hoc loco littera A *signavimus ut supra.*

49) Eberhard. Altah. Böhmer Fontes II, 534. 50) I, 33 *Nonne satis aperte — promovere;* II, 12 *In ipso autem itinere — gavisus est;* II, 17 *oportet tamen — communicare;* II, 22 *et — timeatis; et — loquens;* III, 5 *ut puto;* III, 9 *et omnibus;* III, 23 *rerum,* aliaeque voces singulae hinc inde supplentur. 51) Archiv II, 424. 478. X, 496. 52) Archiv X, 495. 53) Archiv VII, 112. Cf. etiam Mon. Germ. SS. IV, 788. 54) Cf. Herbord. I, 3. 55) Mon. Boic. V, 293. 56) Aretin Beiträge zur Litt. IV, 668. 57) Div. Bamberg. p. 380.

B. *igitur inscripsimus genus codicum Ebbonis qui sunt recisi; sunt vero omnes qui sub Ebbonis nomine in lucem provenerunt.*

B1. *Cod. Erlang.* 142. *mbr. saec. XIII. in fol. olim, ut annotatur,* liber
58 Sancte Marie virginis in Halesbrunnen[58], *in quo praeter sancti Heinrici aliasque vitas exstat Ebbonis sanctus Otto quaternionibus* 18—21 *inde a fol.* 135. *Miracula desunt; itaque hic codex primum obtinebit locum. Est eleganter exaratus, sed haud paucis locis leviter correctus. Saepius occurrunt voculae* igitur, etiam, sibi, sui, eis *ubi desiderantur in reliquis codicibus; quum vero legantur apud Andream, codicem a genuino textu minus differre quam reliquos patet. Scribendi normam hanc habet librarius, ut saepissime utatur* e *et* ę *loco* ae *et* e, ti *loco* ci, g *loco* i (*e. g.* magestas), p *loco* b (Polizlaus, Premensis *et* Braga) *et saepissime habentur accentus. Collationem codicis instituit Waitzius.*

59 $B2^{a}$. *Cod. bibl. Lips. univ.* 844. *mbr. saec. XIII. fol.*[59] *Fol.* 1. *manu saec. XV. legitur:* Iste liber est monasterii sancti Iacobi apostoli in Pygavia. Et continetur in eo vita sancti Ottonis, episcopi ecclesie Babenbergensis. Et vita sancti Heinrici regis et confessoris. Vita sancti Brandani abbatis. Tractatus de sacramento panis et sanguinis Domini. Vita sancti Annonis episcopi Coloniensis. Item de miraculis sancti Iacobi apostoli. Et Petrus Aufonsus. *Fol.* 1. *Vita Ottonis, dein fol.* 38 *miracula, quae dedimus in editione nostra primo loco; fol.* 45 Sermo in elevatione eius; *quae omnia sex codicis quaternionibus comprehenduntur. Etsi distincte, minime tamen eleganter scriptus est; capitum litterae initiales minio sunt scriptae; hinc inde capitum apponuntur rubrae.* E *occurrit paene ubique pro* ae, d *pro* t, ti *pro* ci. *Textus ab ipso librario et alia manu coaeva haud raro est correctus; collatus est codex cum editione in Actis Sanctorum a Waitzio. Eundem codicem secutus est Sollerius, qui de eo ita scribit:* Ex ms. numquam antehac edito, quod ex celebri bibliotheca Paulina Lipsiensi anno 1683 Papebrochio submisit v. c. Christianus Daumius — propria manu ex vetustissimo
60 codice descripto[60].

$B2^{a'}$. *Cod. biblioth. Lips. univ.* 838. *chart. saec. XV. fol.*[61] *ex praecedente negligenter est descriptus, dein ut videtur mutilatus; haud pauca desunt folia. Fol.* 28 *vita Ottonis sequitur, textus est recisus et ad dimidium fere redactus*[62].

$B2^{a''}$. *Cod. Zwickav. chart. saec. XVII.*[63] *est Daumii apographum vitae Ottonis ex cod.* $B2^{a}$.

61 $B2^{b}$. *Cod. bibl. univ. Lips.* 821. *mbr. saec. XIII.* 4.[64] *In fol.* 1 *legitur:* Iste liber est monasterii sancti Iacobi apostoli in Pygavia, et continetur in eo miracula sancte Marie, Innocentius super canones et vita sancti Ottonis episcopi ecclesie Bambergensis. *Scripta sunt manu saec. XIV. Continet codex* 154 *folia. F.* 105: Incipit prologus in vitam sancti Ottonis episcopi et confessoris *etc. Postea sequuntur miracula ut in* $B2^{a}$. *Eadem manu tota vita scripta est; litterae sunt rotundae, distincte et nitide exaratae, lineae atramento praescriptae. Initiales litterae librorum auro et coloribus splendidius sunt pictae, capita si signata sunt inscriptionibus, minio distinguuntur;* e *saepius pro* ae, *sed constanter scribitur* ęcclesię, i *duplicatum habet apices,* ci *pro* ti *occurrit rarius, itemque litterae duplicatae sunt rariores. Pauca tantum correcta sunt, et manu librarii. Ex eodem fonte hic codex est deductus ac* $B2^{a}$, *non ex hoc ipso.* $B2^{b}$

58) Archiv VII, 111. Mon. Germ. SS. IV, 789. Accuratam huius codicis dedit descriptionem Hocker in bibliotheca Heilsbron. p. 26 sqq. in libro Heilsbronnischer Antiquitäten-Schatz. 59) Archiv VI, 215. 60) Act. SS. Iul. I, 352. Archiv I, 462. 61) Archiv VI, 215. 62) Desunt I, 12—II, 3; III, 2—20. 23—26. 63) Archiv VIII, 708. 64) Archiv VI, 215.

quibusdam locis non modo meliores praebet lectiones, sed voces supplet in illo desideratas[65]*. At conveniunt codices in capitum inscriptionibus*[66] *et in haud* 65 *paucis lectionibus mendosis.*

B 3. *Cod. Stargard. chart. saec. XV. ex. fol. vitas sanctorum et sermones continens*[67]*, fol.* 90—98 *habet vitam brevem Ottonis, in qua Ebbonis textus recisus denuo in compendium, ut videtur, est redactus. Est vita sine ulla diligentia conscripta nullusque ex hoc codice fructus afferri potest.*

Denique transimus ad codices vitae Ottonis quae in monasterio sanctae Crucis reperta est. Codex peculiaris huius vitae non exstat, sed in libris manuscriptis legendarii magni legitur, quorum tres in sancto Ottone contulit Wilh. Wattenbach.

1) *Cod. Sanctae Crucis* 11—14 *mbr. saec. XIII. fol.*[68] *quem in sua edi-* 68 *tione habuit ducem Stephanus Endlicher.*

2) *Codex Vindob. hist. eccles.* 5. *nunc* 336. *mbr. saec. XIII. fol.*[69] *Vita Ottonis f.* 399'.

3) *Cod. Zwetl.* 13. *mbr. saec. XIII. fol.*[70]

Varietas lectionum in tribus codicibus est levior; omnia sunt plana, et textus nullam affert difficultatem. Cum de ipsis codicibus uberius disseruit W. Wattenbach, qui eos examinavit, dicta repetere supervacaneum est.

Codicibus absolutis iam est in quaestione, quomodo genuinus vitarum textus sit restaurandus, qui fuerint auctores, quid statuendum sit de Sefrido, Tiemone et Ebbone. Qua quum in difficultate solvenda subsidia ab Andrea *potissimum sunt petenda, pauca de vita eius praelibavimus. De hoc auctore melius scribi nequit quam ipsius verbis, quae in praefatione chronici Sancti Michaelis de vita sua praemisit, quae e codice* A 3. *hic videntur apponenda:*

Andreas, famulorum Cristi famulus, omnibus monachis qui Deo summo regi militant in cenobio sancti Michaelis archangeli prope et extra civitatis menia Babenbergensis *etc.* — Cum a parentibus meis omnipotentis Dei servitio educandus secundum regularis normam institutionis, triennio ferme felicis memorie domino et patre Eberhardo abbate in nostro sanctissimo cenobio[71], traditus fuissem, iuxta miserentis Dei pietatem, qui et 71 velle et operari in nobis perficit, pro bona voluntate gratuita nos et omnipotentissima miseratione ut velimus preveniens *etc.* — Postquam autem summo placuit opifici, annos puerilis aetatis emensus sum, et, uti iam placuit, abdicata propria voluntate, facta solemni professione me ex integro pro viribus et scire monastice mancipavi observationi, adeo ut nec momento quidem visioni venerandi patris Eberhardi, quoad viveret, disiungi ullo modo vellem, sed semper eius Deo placita et omnibus religiosis imitanda doctrina instrui ac radiantibus edificari exemplis, ardentissimo amore desiderabam. Sed hoc pio patre ad celestia post immensos exactos labores evocato[72], dominus Udalricus post eum in cura 72 successit pastorali, cui non mediocri me devinxi caritate. Cernens autem desiderabilis pater Udalricus me per omnia saluti proprie et regulari institutioni pro modulo etatis mee operam dare, multis sepissime argumentationibus propositum animi mei nisus est experiri, eciam que homini impossibilia esse sciebat. Sed ubi per gratiam omnipotentis Dei, qui omnes homines vult salvos fieri, me promptum et voluntarium ad omne, quidquid illud erat, aggrediendum ac adtemptandum sive eciam perferendum previdit, illico specialibus pre ceteris obsequiorum meorum uti cepit serviciis, meque archanis quibusque et nulli pene ante prorsus creditis paterno affectu instruere, ac contra temptantia premunire vitia.

65) B 2^{b}. melior est lectio III, 12 *miserabiliter;* Mirac. et elev. 1 *fiunt;* 3 *vigilias;* 15 *voluit;* 20 *confortata;* 28 *iturum.* Supplentur voces II, 13; Mirac. 21. 28. 66) Leguntur II, 8—10. et in libro tertio. Congruunt etiam codices in capitibus distinguendis. 67) Baltische Stud. VIII, 2. pag. 269. 68) Archiv X, 594. 645. 651. 69) Ibid. p. 450. 645. 70) Ibid. p. 608. 646. 71) Eberhardus abbas S. Michaelis 1463—1475 Bursfeldensi disciplina tunc florente monasterium restauravit. Ussermann episcopatus Bamberg. pag. 315. Idem quod supra in praefatione secundae vitae S. Ottonis dicit Andreas *ego advena huius cenobii et peregrinus.* 72) 4. Iul. 1475, cui successit Udalricus III. usque ad 1482.

73 Post cuius felicem transitum[73] nescio qua Dei ordinatione actum sit, ut post eius discessum monasterii michi gubernacula traderentur, quod revera peccatis meis exigentibus factum credo. Et ut dictis beati pape Gregorii utar, tanto me merore percussum sentio, ut vix loqui sufficiam. Ex occasione namque cure pastoralis animus meus secularium hominum negotia patitur, et post tam pulchram sue quietis speciem terreni actus pulvere fedatur. — — Et ante sub habitu monachili et nunc in officio abbatum studens, ex qualicunque ingenio accepto et sermone edificationis religiosorum virorum, huius maxime loci professorum prodesse, de vita, conversatione ac moribus venerandorum patrum ac fratrum huius nostri loci, que de eis legere et audire potui, minime reticere decrevi. Id enim iam ante nos factitatum fuisse a religiosissimis huius monasterii patribus legimus et comperimus, qui divino afflati spiritu, sermone proprio atque stilo et auribus et oculis scire volentium dicendo et scribendo similia studiosorum noticie intulerunt. Idcirco ipse quoque dispensatorum omnium minimus, fide non ficta, qua domino dominantium omnibusque bonis serviendum est et placendum fidelibus, de predictis venerabilibus Deoque dignis patribus et exortu et procursu et debito fine, quam diu militaverint Deo vel que bona erga monasterium egerint, veracium testimonio scripturarum, ut Dominus dederit atque donaverit, explicandum suscepi. Nam pro Ciceronis sententia ductus, qui libro primo de officiis ait: „Non solum nobis nati sumus" etc. — — Colligere ergo, sicut iam dixi, disposui, iuvante Domino, ex pluribus codicibus et cartis fasciculum quendam de ortu sanctissimorum patronorum nostrorum sanctorum, Heinrici divi imperatoris videlicet et sancte Kunegundis imperatricis, demum de fundatione nostri cenobii usque ad nostra tempora, in quo tam facta et regimen abbatum, qui huic loco per successiones prefuerunt, quam et episcoporum, qui in apice episcopali maioris ecclesie antistites fuerunt, quam eciam diversa alia, que sub eorum regimine ordinata aut disposita sunt, tanquam in memoriali quodam compendiose religabo. — — Nec michi conscius sum aliquid imposuisse quod non in fide dignis historiis habeatur, sive quod nunc ex aliorum dictis aperte sequatur. — — Id autem opus cathalogum abbatum appellari decerno. — —

His addenda sunt quae ex catalogo manuscripto abbatum Montis Monacho-
74 rum *de eodem exscripsit Gretserus*[74]:

Andreas abbas 36. Domino Udalrico cita morte sublato, Andreas de Staffelstein oriun-
Febr. 6. dus in eius locum subrogatur anno salutis 1483, ipso die sanctae Dorotheae virginis. Hic a primaeva sua institutione per praedecessores suos in sancta reformatione et religionis observantia bene paterna ex arte instructus, morum probitate et vitae honestate, tanquam bonus agonotheta in bona operatione secutus est pedes et vestigia patrum suorum praedecessorum. In augmentatione spiritualium et temporalium utilissima aedificia perfecit cum insigni bibliotheca. Tandem ex catalepsia et paralysi sinistri lateris mortem obiit die 23. mensis Octobris anno 1502, sepultus ante altare sancti Wolfgangi.

Quum anno tertio Eberhardi abbatis, ut ipse testatur, monasterio educan-
75 *dus traditus, receptus sit a.* 1466[75] *eum haud ita diu ante annum* 1455 *natum esse dicas. Iuste Andreas inter eos Sancti Michaelis abbates habetur, qui de monasterio optime meruerunt. Et morum probitate et virtute christiana excellebat, atque summo litterarum studio bonarum artium in suo monasterio restitutor, monachis legendi, scribendi et discendi viam utilissimam munivit. Nova studiorum praesidia comparavit libris paene ducentis haud parvi pretii em-*
76 *ptis, quorum catalogus hodie exstat*[76]. *In libris sive scribendis sive dictandis ope usus est quorundam fratrum, qui et ipsi litteris erant dediti; e. g. Nonosii Stettfelder, qui ab epistolis secretis apud Andream erat, Erhardi Vetter et*

73) 2. Febr. 1483. Vid. Ussermann. l. l. 74) Divi Bamberg. p. 377. 75) Reiiciendus igitur Iohannes Hunerbein, qui in orr. Banzens. Ludewig Script. ep. Babenberg. II, 64. per viginti annos eum in monasterio commoratum et postea abbatem factum esse vult. Erat Andreas ex gente Lang. Vide de eo Ussermann. ep. Bamb. p. 315 et Jaeckium in commentatione Litterärische Verdienste der ehemaligen Benedictiner-Abtei Michelsberg zu Bamberg in libro Beiträge z. Kunst- und Litteraturgesch. p. XXXVII. Klempin p. 10. 76) Jaeckii Beiträge p. XLVI. Mirari subit, quod neque in hoc neque in reliquis antiquis librorum S. Michaelis catalogis ulla Herbordi aut Ebbonis mentio occurrit.

Reynheri, quorum nomina occurrunt in codicibus supra descriptis. Erat in operibus scriptis condendis ipse feracissimus, et repetita cura ea saepius pertractavit. Chronicis, quae supra enumeravimus, addimus hic commentationem de conceptu virginali, de qua Trithemius in epistola ad Andream[77]*, scripsit:* Quia autem, sicut ex iisdem litteris *(Andreae)* didici, reverenda paternitas tua pari mecum in purissimae conceptionis zelo et fervore afficitur, teque in hoc propositum multa ex theologicis iuridicisque libris compaginasse documenta testaris *etc. Veterum etiam opera legit, ut probatur locis quae affert ex Cicerone*[78] *et Horatio*[79].

Vix maiorem in alio libro conscribendo collocavit operam, quam in vita sancti Ottonis, patroni episcopatus Bambergensis, quod munus iuvenili aetate, litterarum spatio decurso, in se susceperat. Ita enim scribit Andreas in praefatione secundae vitae Ottonis (A 2.)*:* Nam ego advena sum huius cenobii et peregrinus, quinque complens lustra, quo hec scribere ceperam, tria autem, quo curam *(scil. monasterii)* suscepi agens. *Quod hoc alio testimonio bene confirmatur, versionem Germanicam vitae sancti Ottonis ab Andrea compositae iam anno* 1473 *a Conrado Bischof esse conscriptam. Huic anno quinque lustra addita cadunt in annum* 1498, *et eundem annum indicant tria lustra ab anno* 1483, *quo Andreas creatus est abbas, numerata. Itaque ultima vitae Ottonis editio ab Andrea est absoluta anno* 1498, *codex vero anno* 1499, *ut annotatur a librario, ad finem perductus est. Tres igitur editiones vitae Ottonis comparavit Andreas, primam, quam ex versione tantum Germanica noscimus anni* 1473, *alteram* 1487, *tertiam* 1498. *Secundam dicavit Benedicto*[80]*, episcopo Caminensi, tunc Ottonis successori in Pomerania, tertiam Ioanni Macario, conventus Babenbergensis guardiano. In utraque praefatione ab his ipsis viris, ut hoc opus aggrediatur, se monitum esse affirmat. At mirari subit, quod in neutra ne verbo quidem innuerit se iam alios libros de Ottone priore tempore conscripsisse, sed sibi iniunctum munus, quo revera iam perfunctus erat, nimia, fortasse dixeris falsa, modestia recusare videri velit. In utraque praefatione eandem profert causam operae sancto Ottoni a se navatae, obscuritatem librorum, qui de episcopo exstarent antiquiores. In editione* 1487 (A 1.) *dicit*, ut libellos de vita beati nostri patroni Ottonis, veraci quidem sed simpliciori quam oportuit sermone editos, cultiori stilo reddam luculentos; *in editione* 1499 (A 2.): *ut vitam* sententia apertiori reserarem. — Id michi maxime fuit studii in opere isto, ut sententiam eandem verbis apertioribus proferrem. *Dein auctores quos secutus est recenset, Ebbonem, qui ut habet* A 1. nostri cenobii presbiter et monachus — idem negocium attemptavit, *sed* ipse manum extremam non imposuit. — Ebbonis ratio, etsi rerum veritate subnixa, sic tamen pene videtur humi iacere, ut — pigeat ulterius ad hanc inclinare. *At in* A 2. *de eodem dicit auctore vitam Ottonis* praecipuo quidem elegantique stilo *vel* eleganti satis stilo *scriptam esse. Sed non unum Ebbonem ducem habebat, sed* absque his, *scribit* A 1, per eum obmissis que supplevere duo viri celeberrimi fide digni, Tiemo videlicet nostri cenobii prior, ac Sefridus presbiter — *sed, ita pergit alio loco* A 1, quod composuere — ita verborum

77) Litterae datae sunt *in vigilia conceptionis beatissimae virginis Mariae.* Vide Ziegelbauer historia rei litterariae ord. S. Benedicti III, 263. 78) Praefat. chron. monast. S. Michael. 79) Praefat. vitae Ottonis A 2. 80) Benedictus de Waldstein, Bohemus, electus anno 1486 munere se abdicavit 1499. Vid. histor. episcopatus Caminensis Ludewig SS. ep. Babenb. II, 617. Auctor huius libri non erat Wuia, ut miro nomine appellatur, sed Georgius Valentinus Winther, ut probavit Lettowius in Dachnert Pommersche Bibliothek II, 62.

ac sententiarum sublimitate se in altum extollit, ut vix aliquis infirmorum exinde aliquid percipere possit. *Quod repetivit in* A2, *esse* vitam — Sefridi atque Thymonis — in locis quibusdam ita infirmo intellectui obscuram, ut difficile pateat, quo oratio tendat, et in nonnullis locis a se ipsis discrepantem. *Obscuriorem igitur hanc vitam a duobus auctoribus, a Tiemone et Sefrido compositam esse sibi persuadebat Andreas*[81]*; in quo non sane probavit ingenium criticum. Hanc vero suam scribendi fuisse viam ac rationem dicit porro Andreas* A1: Seriem historie tocius verbis suis *(i. e. Ebbonis)* fidem accommodans, ipsius vestigiis inhesi. *Nihilominus addit haec verba, quae antecedentibus repugnant:* Hoc tamen michimet ex proprio sudore coniunxi, ut lacius diffusa modesta brevitate arcius coherceam, strictius digesta moderata prolixitate dilatem, minus regulariter prolata ad rectitudinis lineam corrigam. *Contra vero in* A2. *confessus est libris a se exscriptis inesse nonnulla* quae ob suam difficultatem et obscuritatem investigare penitus nequivi. In tantum autem faciliora sequebar, ut, sicut probari potest, alicui eadem verba ponerem *(i. e. ut repeteret auctorum verba). Quis non videat Andream in suo consilio sibi ipsi non fuisse constantem? Hunc vero finem sui laboris indicavit in* A2: Quia — plurima tam operum quam miraculorum insignia non haberi in uno que in alio libro inveni, molitus sum ex ipsis colligere et in locis, que opportuna videbantur, inserere. *Ibidem praeter vitas Ottonis aliud fontium genus indicat, cui merito summam auctoritatem adscribit, litteras ab episcopo datas et ad eum missas, quas se collegisse dicit et operi inserere velle innuit. Quod non fecit; partem enim epistolarum laudatarum apud ipsum et apud auctores eius frustra quaeris. Itaque neque in his quae sequuntur verbis consilium suum accurate expressit:* Unde quecumque scripta huic operi conducentia de ipso invenire potui, in unum colligere studui, et nonnunquam nomen auctoris expressi; *sunt haec nomina Tiemonis, Sefridi et Ebbonis in margine adscripta. Hoc est, et profecto unum est, quod fecit Andreas; non illustravit obscure dicta, non recidit quae uberiora erant, sed ex duobus quos in manibus habebat libris unum confecit consilio interdum satis infelici, exscripsit utrumque ne verbo quidem mutato. Erat in exscribendo ita religiosus, ut, quae vitarum auctores de se ipsis dixissent prima persona usi, eodem modo sine iudicio repeteret*[82]. *Ex quibus omnibus merito dubitares num Andreas prudens fuerit vir et sensatus, nisi reliqua eius opera probarent eum minime tam ineptum fuisse. At critico ingenio valde carebat. Accuratissima enim sua comparatione Andreae cum Anonymo i. e. codicum* A1.2. *cum* B. *evicit Klempinus*[83], *ipsi Andreae paene nihil, et equidem dico plane nihil deberi nisi praefationes et capitum inscriptiones. Duae vero quas instituit editiones hac de causa inter se differunt, quia in priore* A1. *Ebbonem, in* A2. *Herbordum maximam partem exscripsit.*

Iam de Herbordo, *postea videamus de Ebbone.*

Haec sunt capita in quibus Andreae editio prior A1. *congruit cum Anonymi codicibus* B: *I*, 10 *(in Ottonis litteris).* 11. 13 (multis — liberalitatem). 19—31 (Mundus ait *et seqq.*). 32. 33 *(in litteris Kalixti et Innocentii).* 34—47. 48 (Faber — coaptavit). 49 — 52. *Haec in quibus conveniunt* A2. *et* B: *I*, 10

81) Quod etiam in versione Germanica ita est scriptum I, 6: *Also sagen die zwei sant Otten lebenschreiber Seyfridus und Tyemo sey sant Ott yn die kur kumen, wie wol das der herre Ebo in seiner legend anderwait davor hat furgehalten.* 82) Quod, ut e multis exemplis unum depromam, fecit A1. per totum librum secundum et tertium, in quibus cum Ebbone ubique usus est prima persona. 83) p. 45 sqq.

(in Ottonis litteris). II, 24—31 (Mundus ait). 32. 33 *(in litteris Calixti et Innocentii).* 34—47. 48 (Faber—coaptavit). 49—52; *II. liber totus; III,* 4. 6. 8—14. 18—32. *In uno* A1. *occurrunt haec capita: I,* 13 *(*quam etiam bonitatem *usque ad finem).* 14—18. 32 *(*Tum ego, ecce inquam *usque ad finem). In uno* A2. *habentur: II,* 34; *III,* 22 *(*Tiemo: Hic forte *usque ad finem). Denique in solis codicibus* B. *leguntur: I,* 1—10 (— ecclesiae suae praemisit). 12. 53; *III,* 1—3. 5. 7. 15—17. 33—35. *Omisimus in hoc conspectu supplementa minora, quae ex* A1. 2. *sunt petenda, et quosdam locos, qui in codicibus* B. *sunt interpolati.*

In his capitibus quae A1. 2. *et* B. *sunt communia, iustam habemus partem historiae Ottonianae; desiderantur tantum vita ante episcopatum adeptum, fata ultima, et quaedam ex itinere Pomerano secundo. Tiemonem et Sefridum, quorum nomina apud Andream occurrunt sexcenties vel in textu vel in margine scripta*[84]*, audis de vita et moribus Ottonis inter se colloquentes, modo unum interrogantem modo alterum respondentem, utrumque narrantem; est haec vita Ottonis dialogo conscripta Et dialogus erat, quem ante oculos habebat Andreas, ut ipse testatur;* A1. *appellat Tiemonem et Sefridum* per modum dialogi loquentes; A2. *Sefridi et Tiemonis vitam Ottonis laudat,* per modum dialogi antiquitus editam. *Recte et vere; in hoc uno tantum errabat, quod eosdem viros, qui in libro sermonem inter se conferebant, libri auctores esse putabat. Quis fuerit verus huius vitae auctor; ex alio testimonio luce clarius apparet. Auctor libri de miraculis Ottonis saeculo decimo tertio ineunte scribit in praefatione:* Quia igitur vita sancti ac singularis patroni nostri, pii ac Deo digni confessoris Ottonis, in libello, quem dramatico carmine vel[85] etiam prosa decurrente scolasticus noster Herbordus luculentissime persudavit, plenius conscripta cognoscitur *etc. Quae quanti sint momenti in hac quaestione primus vidit Klempinus*[86]*. Tiemonis et Sefridi dialogus simplici monacho videbatur carmen dramaticum oratione pedestri compositum. Hunc Herbordi librum Andreas habebat in manibus integrum ducemque sibi sumpsit in suo. In iis enim capitibus, quae servavit in codicibus* A1. 2, *non modo Tiemonem et Sefridum habes disserentes, sed accedit iis tertius*[87]*, qui est ipse Herbordus. Ad hos locos gravissimos animum primus advertit Klempinus*[88]*. Dicit II,* 34. *Tiemo:* Ast hic Herbordus quare ad haec omnia silet? Egone? inquam *etc. et iam sequuntur Herbordi verba. Qui igitur aliis locis* A1. 2. *colloquii particeps prima persona* ego *indicatur, nemo est nisi ipse Herbordus I,* 30*:* Tum ego, Distincte, inquam *etc. I,* 31*:* Tum ego, Non alius, inquam *etc. I,* 32*:* Tum ego, Ecce, inquam *etc. Post haec testimonia luce clariora nemo sane dubitabit, quin Herbordus vitam Ottonis dialogo scripserit, et ita quidem, ut narret potius sermonem a se cum aliis collatum*[89]*, quam ut homines dramatico more loquentes introducat. Hic denique liber ab Andrea ad verbum exscriptus et magnam partem servatus, ex eius opere potest restitui.*

84) Tiemonis nomen in margine est appositum in Herbordi libro I, 24. 34. 36—51; II, 34. 40; Sefridi ibid. I, 31; II, 1—6. 8—33. 35—39; III, 4, 6. 8—11. 13. 14. 18—29. 31. 32. In textu nostro castigato has glossas iisdem locis adscripsimus, ubi in codice A2. leguntur. 85) Hoc apud medii aevi scriptores saepissime idem esse quod *et* notum est. Repetuntur eadem verba a correctore in margine praefationis A2. 86) p. 55. Longe aliter de Herbordo videbatur Ludovico Giesebrecht Wend. Geschichten III, 342. 87) Quod etiam apparet ex iis locis quibus Sefridus talibus locutionibus utitur: II, 18. *Quid sentitis? ut vultis;* I, 31. *quid putetis?* Itaque non duos, sed tres saltem sermonem inter se habuisse necesse est. 88) p. 158. 89) Ut probatur voce *inquam* l. l. et *inquit* saepissime loquentium nominibus addito c. g. I, 31. 32. 52; II, 1. ubi loco Sefridi nominis utitur auctor verbo *ille;* 11. 15. 18. 23. 40.

*At non unum Herbordum secutus est Andreas. In narranda iuventute Ot-
tonis, in quibusdam de secundo itinere Pomerano, in ultimis fatis Ebbonem
ducem praeferebat. Quid vero statuendum de illis capitibus quae in codicibus*
B. *tantum exstant? In his eadem fere de Ottone narrantur, quae Andreas ex
Ebbone sibi petivit. Aptissimo narrationis filo haec fragmenta in* B. *connectuntur*
90 *cum fragmentis apud Andream*[90]; *ex duobus unus totusque succrescit Herbordi
liber.*

*Pauca denique de Anonymo sunt addenda. Quod facere voluit Andreas,
revera fecit Anonymus. Herbordi librum qui illorum temporum genio nimia
erat arte compositus, monachorum simplicium et hominum incultorum menti-
bus adaptavit, et quae videbantur obscuriora vulgari sermone aperuit. In
hoc uno vertitur Anonymi consilium. Iisdem verbis narrat, quibus apud Her-
bordum dialogi personae utuntur; sed obmutuerunt Tiemo et Sefridus, silentio
teguntur eorum nomina, recisa sunt omnia quae dialogum redolent, et quae
orationis flumen intercidere videbantur; in planam simplicemque narrationem
mutatus est dialogus*[91]. *Sed non ubique feliciter hoc consilium cessit; non
omnia enim dialogi vestigia sunt deleta*[92]. *Quae ex propriis addidit Anonymus
nullius sunt momenti. Sunt duae praefationes primo et secundo libro praemissae
et nonnulla quae inseruit, ut lacunas quibus ipse textum foedaverat expleret*
93 *atque tegeret*[93]. *Sed unum est quod debetur Anonymo; iustum et genuinum ordi-
nem capitum in suo libro servavit, quem Andreas aliis capitibus interpolatis
interrupit. Itaque totius libri Herbordiani quasi conspectum potius apud Ano-
nymum habes quam apud Andream. Herbordus vitam Ottonis in tres libros
divisit. Eadem enim ratione ac via in* A 1. 2. *et* B. *incedit narratio. In primo
libro agitur de Ottonis vita ante apostolatum et de moribus eius et meritis
in universum; in secundo de primo, in tertio libro de altero eius itinere
Pomerano et de morte. In initio et in fine libri secundi* A 2. *et* B. *ad ver-
bum conveniunt; si vero secundum librum certis finibus circumscriptum habes,
de primo et tertio qui ex illo pendent, dubitari nequit. Quis denique fuerit
Anonymus, quo tempore vel ubi compendium suum Herbordiani libri ediderit,
accurate statui nequit; nec magni interest. Est ei Otto* novus patronus *et*
94 *quidem* nostrae *ecclesiae* specialiter[94]. *Itaque post Ottonis canonisationem*
1189 *scripsit in dioecesi Babenbergensi. Fortasse dicas eum Prieflingensem
fuisse monachum, nam longior narratio interpolatur de monasterio Prieflingensi*
95 *quod Otto condiderit somnio monitus; at non in omnibus codicibus* B. *legitur*[95].
*Neque ita diu post canonisationem Ottonis operi manum admovit Anonymus,
ut de novo patrono* etiam omnis generaliter ecclesia glorietur. *Ob id ipsum
dialogum difficiliorem in planam narrationem vertit. Auctores vero sunt ei*

90) Quam bene inter se cohaereant vide I, 12. 13. 19. 32. 33; II, 34; III, 4. 5. 6—9. 15. 18. 91) ita ut loco primae personae, qua in narratione utuntur Tiemo et Sefridus, poneret tertiam, e. g. II, 8. *conducti sunt* pro *conducti sumus*; II, 9. *dominus episcopus* pro *episcopus meus*, *ei* vel *christiani* pro *nos*; II, 10. *potuerunt* pro *potuimus*, *consederunt* pro *consedimus*; alia eiusdem generis exempla ex lectionum varietate per totum librum afferri possunt innumera. 92) Anonymus ex ore Sefridi servavit primam personam; II, 13. *invenimus*; II, 18. *Caminam devenimus*; II, 24. *ad pontes devenimus — cessaverunt a nobis*; II, 26. *videres*; II, 35. *nos contemplari*; III, 2. *nostri*; III, 33. *cerneres*; duo ultima capita desunt in A. 93) I, 13. *quae in eo speciali — aput homines*; I, 31 *Inquisitus — humiliter inferebat*; I, 33. *Sed sicut — considerari potest*; I, 34. *in redditibus — considerari potest*; I, 35. *ipsumque — elegit*; I, 46. *hiis aliisque operibus — saeculi*; I, 52. *licet — dignetur*; *placere — degentibus*; *hac igitur — revertamur*; II, 8. *coenobium — pervenit*, quae omnia, excepto ultimo loco mera sunt verba, quae ad rem nihil faciunt. De Anonymo vid. Klempinum p. 167 sqq. 94) Praef. lib. I. 95) I, 25. *Sed Ensdorf ab Ottone -exstruendi* habent tantum codices B 1. 2. 3; I, 29. *In episcopatu quoque Cicensi — Cluniacensi* codices B 1. 2.

probatissimi viri, qui ab ipso gesta oculis suis viderunt et nobis fideliter enarraverunt; *quae verba non ad testimonia ore narrata sed calamo scripta i. e. ad Herbordi librum referenda esse nemo non videt.*

Ex his fragmentis nostram Herbordi editionem ope codicum A 1. 2. *et* B. *eruere, et fundamento a Klempino dato superstruere conati sumus*[96]. *Et ita quidem instituta est, ut, ubi Andreae praesidio deficiente, genuina dialogi forma restaurari non potuit, ex codicibus* B. *narratio iustis locis quasi complementum insereretur. Tres libri quibus constabat opus servati sunt, capita eorumque inscriptiones ex codice* B*. *et ex Andrea sunt adornatae.*

Restituto quoad fieri potuit libro Herbordi, de auctore deque libri indole et ordine est disserendum. Pauca sunt quae exstant de Herbordo testimonia[97]. *Scholasticum eum fuisse Bambergae, tradit monachus Sancti Michaelis, cuius verba apposuimus supra; sed quo tempore functus sit hoc munere non satis patet. Per tria lustra ante obitum Ottonis scholasticus erat Tuto, qui Bambergensium praeceptis publicis subscripsit, teste Jaeckio annis* 1123—1145[98]; *neque apud Andream in diplomatis chronico Sancti Michaelis insertis nomen eius post hunc annum invenitur. Dein in publicis tabulis annorum* 1151 *et* 1153 *occurrit* Eberhardus magister scholarum[99], *sed in nulla, quod mirari subit, Herbordi nomen deprehenditur. Itaque utrum inter annos* 1145 *et* 1151 *scholasticus fuerit, et munere dein se abdicaverit, an fortasse ei praefuerit post Eberhardum, an potius omnino non fuerit scholasticus, haec omnia minime in aperto sunt. Neque muneris nomine appellatur in litteris Irmberti abbatis Sancti Michaelis, in quibus facta est mentio* domini Herbordi[1], *qui quin noster sit nullus dubito. Quum enim Helmricus abbas, ut scribit Eberhardus II episcopus Bambergensis in litteris ad Godefridum, Admuntensem abbatem, dimisisset abbatiam* propter languores et diuturnas corporis aegritudines, *successorem eius petivit episcopus ab Admuntensibus Irmbertum*[2]. *Quod factum est a.* 1160.[3] *Quum vero eundem eodem tempore Cremifanenses abbatem elegissent, et eorum partibus Eberhardus archiepiscopus Salisburgensis et Conradus episcopus Pataviensis faverent, inter duo monasteria illosque episcopos de abbate contentio exorta est. Denique victor exstitit Eberhardus Bambergensis. Misit enim* dominum Herbordum *legatum ut abbatem illum in suas partes traheret. Quod pluribus factis itineribus feliciter evicit Herbordus, et tandem abbatem ad episcopum futuramque sedem solemniter duxit, et in capitulo* omnem legationis suae seriem *exposuit*[4]. *Patet igitur eum inter illustriores viros episcopatus Bambergensis habitum fuisse. Obiit d.* 27. *Sept.* 1168.[5] *Reliqua omnia quae sciri possunt de Herbordo ex*

96) Capita I, 14—18, quae Klempinus p. 66 non Herbordo sed Andreae, vel potius ignoto cuidam auctori, adscribenda censuit, Herbordi esse demonstravimus in annotationibus l. l. 97) Klempin. p. 163 sqq. 98) Beschreibung der Bibliothek zu Bamberg II, p. V. Primo habemus Tutonis nomen in diplomate 1123 *ind.* 1. 16. *Kal. Mart.* Mon. Boic. XIII, 141; ultimo in Andreae chron. S. Mich. f. 83 1142. *ind.* 5. 4. *Kal. Nov.* 99) in duabus tabulis Eberhardi episcopi Babenbergensis scriptis 1151 *ind.* 14. et 1153 *ind.* 15. (1.) 16. *Kal. Mart.* apud Andream f. 55, 92. quas indicavit etiam Jaeckius l. l. p. VI. Num scholasticus Tuto III, quem profert ex tabula a. 1152, alius sit an supralaudatus dubito; in numero 1152, ni fallor, latet vitium. 1) Ludewig SS. rer. ep. Bab. I, 845. n. 42 et Ussermann Ep. Bamb. cod. prob. n. 133. 2) Vide Eberhardi reliquasque quae de hac re l. l. scriptae sunt litterae apud Ludewigum I, 837 sqq. et post eum apud Ussermann cod. pr. p. 115 sqq. 3) Ann. S. Michael. Babenb. Mon. Germ. SS. V, 10. Andreas in chron. S. Michael. f. 91 scribit: *Helmricus — gubernacula deserens monasterii cura pastorali cessit a. D.* 1160; *obiit eodem anno* 4. *Idus Dec.* Similia ex alio catalogo abbatum manuscripto dedit Ludewig l. l. p. 849. Postea Irmbertus a. 1192 ad regendum monasterium rediit Admuntum; cf. Contin. Admunt. Mon. Germ. SS. IX, 584. Vid. Ussermann p. 305 sqq. 4) Quae omnia narravit Irmbertus in litteris suis l. l. 5) Ita Jaeckius in magno necrologio quod inscripsit Verzeichniss aller verstorbenen Aebte, Priester und übrigen Mitbrüder der Bened.-Abtei Michelsberg in Beiträge zur Kunst- und Litteraturgeschichte p. LXVI. Hoc ex antiquis monumentis esse haustum

6 *libro eius sunt petenda. Ottonis vitam scripsit inter annos* 1150 *et* 1152[6] *i. e.*
nondum praeterlapsis tribus lustris post mortem episcopi. Itaque dum iuvenili
aetate florebat, Ottoni erat aequalis, et haud ita difficile in eius notitiam et
consuetudinem venire poterat.

Maximam historiae partem praestantissimis debebat auctoribus, iisdem viris
quos dialogi sui fecit personas, Tiemoni et Sefrido. Qui vero hi fuerint duum-
viri saepe nominati saepiusque nominandi, breviter sic tradidit Andreas: Tiemo
videlicet nostri cenobii prior — fuit — ipsius sancti Ottonis minutus quin-
quennis, super quem sanctus Otto habuit oculos bonos eo quod de illustri esset
parentela, et ab ipsius cunabulis ad monasterium translatus, et quod esset puer
gratiose pulchritudinis, iocundus valde atque mirabilis factis et dictis. — —
Alter vero Sefridus nomine presbiter — socius predicationis exstitit — homo
curialis et in curia enutritus *etc. Ita Andreas in praefatione* 1487; *eadem ad*
verbum repetivit in altera anni 1499. *Erat igitur Tiemo Ottonis alumnus, ambo*
episcopi socii, adiutores et amici iuniores, ambo eodem anno 1162 *supremum*
7 *diem obierunt, ille d.* 18. *Oct. hic d.* 6. *Mai.*[7] *In praeceptis publicis saepius*
occurrit inter testes Tiemo praepositus, *primum, quod videam apud Andream*
in diplomatis a. 1122; *post annum* 1142 *nomen eius non inveni*[8]. *Erat vir*
eruditus; litteris et scribendis libris haud parvam navavit operam, bibliothecam
monasterii quindecim auxit libris, inter quos plures sunt de musica[9]. *Unum ex*
10 *his, Frutolfi breviarium de musica, ipse calamo exaravit*[10]. Sefridus capel-
lanus *semel occurrit inter testes anno* 1146.[11] *Utilissima vero sunt testimonia*
quae de iis apud Herbordum leguntur; pauca quidem de Tiemone, permulta de
Sefrido, cuius etiam Ebbo fecit mentionem. In dialogo audis Tiemonem mo-
nachum, qui diu multumque cum Ottonē in monasterio conversatus, domesti-
cas eius vidit virtutes[12]. *Sefridus iam anno* 1121 *erat capellanus episcopi*[13];
14 *Ebbone teste*[14], *anno* 1124 *quum Otto praepararet primum iter*, adolescens *erat*

probatur comparatione cum necrologio S. Michaelis apud Schannat Vindemiae litt. II, 47 etc. Herbordi obitus hic non annotatur. 6) Quod ex his apparet locis: I, 51 scribit de Heinrico, filio Conradi III. *Puer etiam infirmitate praeventus — hominem exuit*, quod factum esse scimus 1150; dies non est traditus. Jaffé Geschichte des deutschen Reichs unter Konrad III. p. 203 an. 44. Recte observavit Ludovicus Giesebrecht Wendische Geschichten III, 343. 36, Herbordum monasteriorum in Pomerania conditorum nullam habuisse notitiam; II, 40 haec enim proponitur quaestio, num talis sit Pomeranae terrae natura, ut coenobia in ea condi possint. Primum Pomeraniae monasterium Stolpense fundatum est inter annos 1148 et 1153. Fundationis litterae Adelberti, primi Pomeraniae episcopi, scriptae sunt 3. Mai. 1153, in quibus dicit se *in ripa Pene fluminis favente et cooperante Ratiboro tunc nostro principe* monasterium locasse. Vid. Hasselbach et Kosegarten Cod. Pomeraniae diplom. I, n. 21. Cf. etiam Schöttgen Origines monasterii Stolpensis in Gesterding Pommersches Magazin III, 219. Ratiborus vero christianam doctrinam a. 1148 amplexus est. Anno igitur 1153 Stolpense monasterium quasi in christianorum lucem prodiit, novaeque domus fama sine dubio paullo post Bambergam perlata est. Arctioribus finibus anni 1152 hoc tempus circumscribi posset, si liceret inniti I, 30 ubi mentio fit Chunonis ducis Zaringensis, emisse Ottonem praedium Rotham *eodem iure, quo Chuno dux idem noscitur habuisse.* Obiit 8. Ian. 1152. Vid. Stälin Wirtembergische Geschichte II, 290. Sed non satis apparet utrum Chuno tunc adhuc inter vivos fuerit necne. Neque de Conrado III. rege I, 51 certius statui potest; mortem eius saltem non manifeste indicavit Herbordus. Obiit Conradus rex 15. Febr. 1152; cf. Jaffé Konrad III, p. 209 an. 66. Si in his quiescas, dicas Herbordum librum inter 1150 et 1152 composuisse. 7) Ita Jaeckius Verzeichniss p. LXII et LXVII. In altero libro Beschreibung der Bibliothek zu Bamberg pag. XI dubitat, num Sefridi mortem ad d. 17. Ian. 1169 revocet. In necrologio suo sub hoc die annotavit mortem Sigefridi diaconi et sub 24. Septembr. 1154 mortem Sigefridi sacerdotis; nomen Sefridi legitur ad diem 6. Mai. 1162. De Tiemone et Sefrido cf. Klempinum p. 182. 8) Chron. S. Michael. msc. fol. 80. 82. 9) Vid. antiquum librorum catalogum quem dedit Jaeckius in commentatione über die Verdienste der Abtei Michelsberg um die Verbreitung der Wissenschaften, Beiträge p. XXV. 10) Jaeck Beschreibung II, p. XI. 11) Andreas Chron. S. Michael. f. 83. 12) Herbord. I, 47. 52. 13) Ebbo I, 23. Nisi forte statuas, hunc capellanum alium fuisse Sefridum, nam vix opus erat Udalrici consilio, ut Otto capellanum suum inter praecipuos familiares haberet, ut dicit l. l. 14) Ebbo II, 3.

ingenio acutus, strenuus et fidelis — chartis — scribendis promptus et impiger, *quem ob id ipsum Udalrico sacerdote Sancti Aegidii suadente itineris socium sibi adscivit Otto. Dein eius comes factus in primo et secundo itinere Pomerano, in praedicando euangelio apostoli erat conservus, et Otto* intimae dilectionis visceribus, *ut scribit Ebbo*, eum fovere non desiit[15]. *In Sefridi narrationibus ubique habes oculatum testem, virum omni fide dignum in iis, quae de via tradit, qua per Poloniam in Pomeraniam profecti sint, de primo in terram introitu, de eius situ, de incolarum moribus atque de periculis in praedicanda doctrina christiana, quae cum reliquis ipse subiit Iulini et Stetini*[16]. *Quae ab his viris acceperat posteritatis notitia dignissima, tenaci memoria retinebat Herbordus, et quae oblivione fortasse erant obfuscata sermone cum iis iterum collato facile poterat renovare.*

His narrationibus alia praesidia addidit epistolas, vel ab Ottone scriptas vel ad eum datas[17]. *Praeter quas unam tantum habebat scriptam auctoritatem, carmen de Ottone, quod ex* A 1. *primus edidit Iaschius* Commendatio pii Ottonis Babenbergensis episcopi ac Pomeranorum apostoli et de gestis eius. *Hoc ita esse et primus perspexit Klempinus*[18], *et nobis persuadet non modo verbum* primitiae, *quo cum carminis auctore utitur Herbordus*[19], *idemque fere ordo quo enumerantur monasteria ab Ottone condita, sed etiam vel inde apparet, quod alia monasteria ab episcopo restaurata Herbordus et auctor carminis silentio transierunt*[20]. *In hoc quoque Klempini amplector sententiam, quod has laudes non multo post Ottonis obitum scriptas esse censeo. Imprecatur enim fervido animo auctor Dei gratiam et clementiam, ut tam* pius praesul, plenus piis operibus, *in coelestium chorum recipiatur, quod posteriore tempore, quum ille sanctitatis gloria apud omnes fulgeret, scribi non potuit. A nobis carmen inter Ottonis monumenta loco quinto est editum. Si iam quaeris quo modo Herbordus historiae scribendae munus absolverit, paucas tantum vitas tam felici indole medio aevo compositas esse merito doleas. Si opus non ab omnibus naevis liberum condidit, hoc non sane auctoris consilio aut negligentiae est adscribendum; errare etiam a sincero homine non est alienum. Nonnulla enim minus accurate perscripta sunt. Quanta fuerit Ottonis auctoritas in re publica administranda, quae eius consilia, quum res publica quassaretur gravissimis procellis partiumque studio in contentione imperii et pontificatus, et in bellis Heinrici patris et Heinrici filii, quae eius fuerit gratia apud ambos et apud Lotharium imperatorem, quae denique gesserit duodecim ultimis vitae annis, haec omnia, quae ex aliorum chronicis et epistolis peti possunt, silentio praeteriit*[21]. *Alia de secundo itinere Pomerano accuratius descripsit Ebbo*[22]. *At in reliquis omnibus rerum scriptorem cordatum et sincerum se probat neque minus eruditum. Sententiarum luminibus narrationem frequentavit; scribendi genus, si non purum, est perspicuum, haud paucos locos ex Cicerone, Sallustio et Virgilio petivit*[23]. *In ipso consilio, quod in medii aevi homine est artificiosius, Ottonis vitam dialogi forma adornandi Ciceronem ante oculos habuit.*

15) II, 3. 16) Testem oculatum se probat disertis verbis: I, 47; II, 5. 8. 9. 11. 12. 15. 16. 18 — 20. 22—27. 36—40; III, 6. 12. 14. 19. 31. 17) Ottonis epistolas vide I, 9. 10; aliorum I, 9. 11. 32. 33. 38; II, 6. 29; paucae tantum ex multis quae tunc exstabant hodie in codice Udalrici servatae sunt. 18) p. 233 sqq. 19) I, 24. *primitiae operum* sunt verba quibus incipit monasteria enumeranda, et in carmine quoque legitur *dat primitias votorum tibi, Laurenti, suorum.* 20) e. g. monasterium Banzense. 21) Cf. annotationes ad I, 8. 9. 11; III, 33. 22) Cf. Herbord. III, 1. 10. 20 23. 29. Errores II, 26. 35. non ipsi Herbordo videntur adscribendi. 23) I, 14—18; II, 34. Ciceronem esse exscriptum primus vidit Jasche p. 470.

Et ita quidem instituit dialogum ut, quae sunt Andreae verba in A 1, *tribueret Tiemoni quae* Otto sanctus domi agere solitus erat et de fundacionibus cenobiorum, ecclesiarum ac cellarum, *Sefrido* quid in peregrinis et barbaris nacionibus egerit — quomodo apud principem in curia deguerit, vel qua oportunitate in curiam venerit, et inde ad pontificatus dignitatem. *Theologiae disciplinae illo-* 24 *rum temporum vere imbutum non uno loco se ostendit*[24]. *Minime studio erga suos est occaecatus; Ottonis miracula non corporaliter*, sed quod melius est spiritualiter[25] *facta praedicat. Neque monachorum neque episcoporum moribus parcit*[26]. *Rerum est scriptor et virtutibus et praesidiis aeque munitus.*

Pauciora quam de Herbordo habemus de E b b o n e, *Sancti Michaelis monacho et presbytero, testimonia, inter quae Andreae verba supra laudata primum locum obtinent. Itaque de Ebbone vitae Ottonis scriptore dubitari nequit. De libro eius eadem redit quaestio, quae apud Herbordum. Integer vitae textus in codicibus* B. *non exstat; at servavit eum Andreas, qui post Herbordum habebat ducem Ebbonem, eumque ad verbum exscripsit, quod nomine eius* 27 *margini* A 2. *adscripto aperte indicavit*[27]. *Itaque Ebbonis etiam textus codicibus* A 1. 2. *potissimum innititur, et post eos in auxilium vocandi codices* B. *Summum praesidium habemus in codice* A 1, *in quo secundum atque tertium librum Ebbonis transscripsit Andreas*[28]. *In uno codice* A 1. *leguntur Ebbonis capita I, prologus et quae prologum sequuntur de monasterio sancti Michaelis* anno Domini 1015 — est reparata; *II*, 1. Nam et venerabilis Heimo *usque ad finem capitis; II*, 3. Igitur ipso tempore — aggressus est *et finis capitis; caput* 12. *totum; III*, 9. seque huius delicti — *III*, 10. replebantur; 13. celerius ei debita — dux autem Polizlaus; 14. Quod sentiens Udalricus — 15. unanimiter concitaverunt. *Codici* A 2. *debemus nihil; omnia enim quae habet ex Ebbone etiam in* A 1. *vel* B. *leguntur. In solis* B. *codicibus exstat I*, 17. *de monasteriis ab Ottone conditis, quod reiecit Andreas, quia caput eiusdem argumenti ex Herbordo petiverat; III*, 15. ante portam eiusdem urbis — 16. in domo sacerdotibus egressi *ubi folium excisum est in* A 1; *in* A 2. *haec capita non exstant. In codicibus* B. *multa deesse apparet ex iis quae de* A 1. *diximus; quum omnes lacunas enumerare longum sit, annotasse sufficiat capita II*, 14. 17; *III*, 25. 29 *penitus excidere*[29]. *Ebbonis liber ob amplitudinem recisus est et quasi in compendium redactus. Quod videtur factum esse sub finem saeculi duodecimi quum de Ottonis canonisatione quaestio ageretur; nam in duobus codicibus* B 2[a]. *et* B 2[b]. *cum Ebbonis libro mutilato historia canonisationis est coniuncta. In hac mentio facta est vitae Ottonis*[30], *quae tradita sit Clementi III papae et inter* scripta authentica *recepta; est sine dubio Ebbonis liber*[31]. *Etsi in codicibus* B. *multa desiderantur, tamen eadem iis inest auctoritas quae Anonymo apud Herbordum; in his enim servatus est rerum ordo et tenor totius libri, cuius membra Andreas ex suo consilio disiecit. Eadem igitur via in restaurando textu Ebbonis ineunda est, quod eo minore fieri potuit labore, quo planiore stilo Ebbo librum composuit. Fundamenta operis restituit Klempinus, a quo tamen in hoc dissentimus, quod nonnulla quae Ebboni abiudicanda ei videbantur,* 32 *auctori reddi debere persuasum habuimus*[32].

24) II, 17. 34; III, 22.
25) I, 31.
26) I, 13. 32. 33. 47. 48.
27) Ebbo I, 1—4. 6—9. 11 16. 18—23; II, 14—18; III, 1—3. 5—7. 24.
28) De Ebbonis fragmentis ex Andrea colligendis vide Klempin. p. 31 sqq.
29) Vide Klempini accuratam collationem Ebbonis cum textu in Actis Sanctorum pag. 89 sqq. 105 sqq.
30) Miracula auctore incerto cap. 11. 12; Klempin. pag. 109.
31) Klempin. p. 115.
32) Ebbo I, 1. exordium II, 12. III, 27; de singulis accuratius egimus in annotationibus. Klempin. p. 29. 63.

Erat Ebbo monachus Sancti Michaelis[33] *temporibus Ottonis, inter cuius aequales iuniores habendus est. Obiit d.* 16. *Mai.* 1163[34]. *Ante Herbordum vita egressus, post eum et auxilio Herbordiani libri vitam Ottonis composuit. Quod factum est intra annos* 1151 *et* 1159. *Novissimum enim, quod videam, cuius fecit mentionem est mors Wignandi abbatis Tarisiensis* 18. *Mai.* 1151[35]*; Udalricus, presbyter Sancti Aegidii, quem in rebus scribendis adiutorem praecipuum habebat, obiit d.* 23. *Mart.* 1159[36], *nulloque loco, quo auctorem suum laudavit, apposuit* beatae memoriae *vel tale quid, quod alias raro neglexit*[37]. *Ideo illo tempore quo vitam scribebat Udalricum adhuc vixisse coniicio. Librum suum hausit Ebbo ex iis quae viderat ipse, vel ei narraverant alii, vel denique ex epistolis librisque scriptis. Suis oculis sine dubio vidit Ottonem, itaque merito testem oculatum eum dixeris. Inter eos erat qui laetissime novo apostolo occurrebant, quum ex primo Pomerano itinere domum rediret* 1124, *itemque post alterum iter* 1127*; et quum exsequiae sancti viri celebrarentur a.* 1139, *contrito corde Ebbo intererat*[38]. *Quas ipse expertus scripsit sunt res domesticae et monachiles, etsi non summi momenti tamen non inutiles. Monachi animum in hoc prodit, quod in his rebus libentius acquievit et diutius quam vita episcopi postulabat*[39]. *Inter rerum narratarum testes saepius habet* fratres[40]. *Ex his nullus est praestantior Udalrico, presbytero Sancti Aegidii et monacho, sive ubertatem sive veritatem rerum respicias, quas et vidit ipse et fideli narratione Ebboni tradidit. Ut Sefridus erat comes Ottonis, ita etiam Udalricus, non vero in duobus, sed in secundo tantum itinere. Summam fiduciam in Udalricum episcopus ponebat, quem inter intimos consiliarios habebat. Huic primo aperuit consilium quod ceperat in Pomeraniam eundi, hunc audivit de sociis idoneis praeter ipsum comparandis*[41]. *Quum valetudine impeditus, episcopum in primo itinere comitari non posset, eo utilior socius eius factus est in secundo anni* 1127, *et consiliorum et periculorum particeps*[42]. *Udalricus Ottonis legatus Hologostam profectus est summo cum vitae discrimine*[43]*; quum episcopus ad ducem Poloniae pacis faciendae causa iret, illum Usedomae reliquit, ut vicem sui gereret*[44], *et dein ei commisit, ut Pomeranorum ducem ad curiam Bolezlai comitaretur. Tanto euangelii amore Udalricus erat incensus, ut barbaro Ranorum populo christianam doctrinam perferre conaretur*[45]. *In omnibus quae narrat Ebbo* ex ore veridici ac Deo dilecti sacerdotis Udalrici, religiosi presbyteri[46], *cui ita credebat* acsi propriis oculis ea quae dicebat, *vidisset, praecipue de secundo itinere, summa ei habenda est fides, ita ut ad hanc critices normam Sefridus et Herbordus revocari possint.*

Scripta praesidia Ebbonis erant litterae Ottonis, inter quas primum locum obtinent gravissimae illae de primo itinere domum missae[47], *quas etiam*

33) Quod in prologo operis testatur et multis aliis locis; est ei usitatum dicere *hic locus* i. e. S. Michaelis coenobium I, pr. 19. 22. *apud nos* I, pr. 21; II, 17; III, 19. 25; *ecclesia nostra* I, 22; *fratres nostri* III, 19. 25. 27. De Ebbone egit Klempinus p. 121 sqq. 34) Jaeck Verzeichniss etc. in Beiträge p. LXIII. 35) II, 17. Necrol. S. Michael. Schannat Vind. litt. II, 52. Jaeck Verzeichniss in Beiträge I, p. LXIII. 36) Necrol. S. Mich. Schannat II, 50; Jaeck l. l. p. LX; cum eis cf. quae II, 1. de Prussis dicta sunt a Bolezlavo IV. debellatis et III, 25. de morte monachi Eberhardi. 37) I, 9. 13. 19; II, 3; III, 19. 26. 38) II, 18; III, 24. 26; cf. etiam III, 19. et Klempin. p. 117. 39) I, 18–23; II, 1. 14. 17; III, 19. 25. 27. 40) III, 19. 25. 27. Cf. etiam II, 17. 41) II, 3. Ex diplomatis Bambergensibus de hoc Udalrico, quod videam, nihil statui potest. Anno 1122 apud Andream in chron. S. Michael. f. 80 inter testes legitur *Udalricus custos* et f. 92 exstat praeceptum anni 1153 cui subscripserant *Udalricus maioris ecclesiae praepositus, Udalricus Sapientia* et *Udalricus Muoselin*, qui in aliis quoque tabulis occurrunt. De Udalrico Klempin. p. 126. 42) Ebbo I, 22; III, 12. 15. 17; Herbord. III, 9. 43) Ebbo III, 7. 8; Herbord. III, 5. 6. 44) Ebbo III, 13. 45) Ebbo III, 14; Herbord. III, 12. 46) I, pr. 3; II, 1. 47) Ebbo II, 12.

Ekkehardus in chronico repetivit. His accedunt litterae ad Ottonem datae ab aliis, quarum neque minorem neque minus utilem messem fecit Ebbo quam Herbordus[48]. 49 *Praeterea carmen illud de Ottone ante oculos habebat*[49], *opera Heimonis chronographi*[50], *et chronicon quoddam monasterii sancti Michaelis, quod integrum in lucem nondum prodiit, at ex parte ab Ekkehardo est exscriptum*[51]. *Denique Herbordi librum legit et secutus est, quod eum omnino non fecisse Klempinus statuere conatus est*[52]. *At erat ita. Caute quidem fecit et modeste Ebbo, ita ut eum exscripsisse vix dicas; quasi in exemplar intuitus est in Herbordi librum. Eandem viam in componenda vita ingressus est; in primo libro de Ottonis origine et adolescentia, de initiis episcopatus, de monasteriorum fundatione, de moribus eiusque virtutibus disseruit, in secundo libro de priore, in tertio de altero itinere in Pomeraniam et morte episcopi. Neque desunt* 53 *stili Herbordiani vestigia, quae ex locis inter se comparatis elucent*[53], *quod Ebbo ipse I, 17. his indicavit verbis:* Quae hic omittenda censentur, quia alias accuratius descripta inveniuntur, *quibus respicit ad Herbordum I, 24—30. Libere Herbordi opus in suum usum vertit, in quo hanc adhibuit artem, ut quae apud illum simpliciter narrata inveniret, orationibus et sermonibus insertis* 54 *amplificaret*[54], *quibus ideo ad verbum fides habenda non est. Quum vero haud pauca collegisset, quae apud Herbordum non legebantur, apte etiam post illum vitam Ottonis scribendi consilium capere potuit. Et praesertim, ni fallor, ob hanc causam, ut monachi Sancti Michaelis, apud quos Otto et mortuus erat sepultus et vivus saepissime commoratus, suum peculiarem de episcopo haberent librum, quasi monumentum pio animo ab ipsis exactum. Quod eo magis ei arridebat, quo minus dialogi forma simplicioribus hominibus placebat. Si iam quaeris utri in rebus scribendis palma debeatur, Herbordo eam ab Ebbone praeripi posse vix contendat aliquis. Verum est, in omnibus quae aut vidit ipse aut ab Udalrico audivit, Ebbo est fide dignissimus, et in quibusdam Herbordo praeferendus. At in universum et plura dedit Herbordus,*

48) Ebbo I, 10. 12—15. 21; II, 16.

49) I, 17 redeunt in capite de monasteriis conditis *primitiae votorum*, quae petitae sunt ex carmine illo. In ordine monasteriorum potius Herbordum secutus est; cf. Klempin. p. 234.

50 II, 1.

51) Ebbo I, pr. Ekkehard. 1015—1022. Ekkehardi chronicon fontem esse Ebbonis ideo coniici nequit, quia alias nullum deprehenditur vestigium Ekkehardum ab Ebbone esse descriptum; sunt etiam uberiora quae de his rebus habet Ebbo. Ottonis epistolam II, 12. ex Ekkehardo 1124 petere opus non erat monacho S. Michaelis; et aliud exemplar videtur habuisse Ekkehardus quam Ebbo. Ex uno igitur fonte sua hauserunt ambo, ex chronico quodam S. Michaelis, quod neque cum annalibus S. Michaelis Bamb. M. G. SS. V, 9 convenit, neque ab Andrea in suo chronico servatum est. Recte igitur hoc perspexit Klempinus p. 40, etsi p. 122 multa quae ipsi Ebboni debentur auctori chronici adscripsit.

52) p. 174. 237 ubi verisimilius ei videtur Ebbonem fortasse ab Herbordo esse exscriptum.

53) Nonnulla exempla ob oculos ponere liceat. Herbord. I, 2: *Domina — quotiens germano suo imperatori dona vel responsa mittebat;* Ebbo I, 1: *Domina — munera varia et permagnifica germano suo imperatori dirigebat.* Herb. ibid.: *Intelligebat — altiori dignitati hanc fore oportunum — dicens talem clericum obsequiis necessarium;* Ebbo I, 3: *In cuius obsequia videns — ait: Oportunum est, soror — talem enim virum res publica nostra habet necessarium.* Herb. I, 5: *Otto — in aula regis quasi alter Ioseph;* Ebbo I, 3: *ut alterum Ioseph rerum suarum totiusque domus dispensatorem constituit.* Herbord. III, 5: *Quasi exemplo domini Iesu Christi binos et binos de discipulis suis praemittebat ante faciem suam in omnem civitatem et locum;* Ebbo III, 7: *Binos et binos a presbyteris sibi adhaerentibus ad alias urbes ante faciem suam praemisit.* Herb. III, 10: *Sed hostis antiquus dampna sua non ferens opera Dei turbare molitus* etc.; Ebbo III, 13: *Sed haec gaudia antiquus nostri generis inimicus non aequis aspiciens oculis — semina — incursu bellorum turbare molitus est.* Cf. praeterea Herbord. I, 5 et Ebbo I, 4; Herb. I, 7 et Eb. I, 7. 8; Herb. II, 22 et Eb. II, 6; Herb. III, 16 et Eb. III, 2; Herb. III, 15 et Eb. III, 2; Herb. III, 2 et Eb. III, 5; Herb. III, 4 et Eb. III, 8; Herb. III, 8 et Eb. III, 9; Herb. III, 9 et Eb. III. 12; Herb. III, 11 et Eb. III, 14; Herb. III, 17 et Eb. III, 15; Herb. III, 18 et Eb. III, 16 et sic porro.

54) Cf. Herbord. 15. 16 et Eb. III, 2; Herb. III, 9 et Eb. III, 12; Herb. III, 10 et Eb. III, 13; Herb. III, 11 et Eb. III, 14.

et in narrandis singulis rebus est accuratior. Nam in hoc praecipue vertitur Ebbo, ut laudes potius scriberet quam historiam Ottonis[55], *cuius summo flagrat* 55 *amore. Saepissime eum talibus ornat nominibus, in quibus repetendis sibi satisfacere non potest:* Pius Otto[56], piissimus Otto pater noster[57], apostolus Pomeraniae nostris temporibus[58]. *A gravioribus erroribus se tuitus non est, vera falsis saepius sunt mixta, potissimum in iis quae narravit de Ottonis iuventute*[59]. *Litterarum praesidia non desunt, sed meliora habet Herbordus. Legit Ebbo veteres*[60], *eruditus est in rebus theologicis, legit Origenis versionem Latinam et sanctum Gregorium*[61]*; sed haud raro elucet mens angustior. Scri-* 61 *bendi genus est tumidius. His omnibus Herbordo est Ebbo secundus.*

Redditis iam omnibus Herbordo et Ebboni quae iis debebat, Andreas retinet paene nihil quod propriam eius possessionem merito dicas, nam exscripta sunt omnia. Itaque inter Ottonis vitae scriptores non est habendus. Suum ingenium in praefationibus duarum editionum vitae Ottonis ostendit, quas quarto loco ideo repetivimus, quia in restituendis libris Herbordi et Ebbonis magni sunt momenti. Dein Andreae inscriptiones capitum servatae sunt, quia ob perspicuitatem aptae videbantur. Ex chronico eius Sancti Michaelis nonnulla addidimus, quae ex capite de sancto Ottone desumpta sunt; est conspectus praediorum, quae Otto emit singulisque suis monasteriis dono dedit. Quae quum ex Bambergensibus diplomatis petita sint, haec excerpta utile vitarum Ottonis complementum duximus.

Duabus vitis antiquioribus longe inferior est tertia, quae liber Anonymi Sancruciani appellari consueta est. At veritatem perspexit Klempinus[62], *auctor non* 62 *Sanctae Crucis, sed sancti Georgii Prieflingensis monasterii erat monachus. Unum erat ex multis quae condidit Otto monasteriis Prieflingium ad Danubium et Nabim in Ratisbonensi episcopatu; merito igitur memoria fundatoris sancte ibi colebatur. Quod etiam probatur interpolatione apud Herbordum de origine huius monasterii in codicibus* B 1. 2. 3[63]. *Pium debitum hic quoque auctor vita Ottonis scribenda solvere volebat, quem* communem patrem nostrum *appellat*[64]. *Prieflingensem se esse nonnullis locis aperte indicavit. Monasterii* 64 *eiusque patroni talem fecit mentionem, qualem ab alio monacho non exspectes. Repetivit narrationem de origine monasterii, et ita quidem, ut non tam ex interpolatione illa, sed ex eodem fonte hausisse videretur, quem verbis* ut fertur *indicat. Quam addidit fabella de duobus arboribus nucum, quae* antiquitus consitae hodieque consistunt *prope monasterium, virum prodit ibi degentem*[65]. *De monasterii aedificiis* plura referre superfluum *censet,* quum haec melius vel claustri ipsius vel ipsa ecclesiae facies consulta loquatur, quae — ad laudem sui opificis curiosum quemlibet spectatorem invitet[66]. *Alio loco narrat Ottonem in* praefato monasterio sancti Georgii *sexaginta psalteria pro se decantanda ordinasse*[67]. *Denique dicit Iulini ab Ottone oratorium sanctorum Adal-* 67 *berti et Georgii dedicatum esse, quod Ebbone teste sanctum erat Adalberto et Wenceslao. Georgii nomen ideo auctor substituit, ut suum patronum transferret in novam provinciam orbis christiani*[68]. *Quis, quaeso, hoc fecerit nisi monachus Prieflingensis? Scripsit librum post Herbordum et Ebbonem, et ante annum* 1163, *nam de Adalberto, primo episcopo Pomeraniae et Ottonis comite dicit,*

55) I, 8. 16; II, 12; III, 9. 24. 56) I, 6. 8. 9. 11. 16. 18—20 etc. 57) I, 13. 14. 20—23; II, 4 etc. 58) I, pr. II, 3. 6. 7. 9. 13—15. 18; III, 1. 2. 9. 15. 23. 24. 27. 59) I, 1—3; II, 1. 5. 11. 16. 18. 60) III, 26. 61) I, pr. 18. 22. 62) p. 208. 63) I, 25. 64) I, pr. 65) I, 10. 66) I, 27. 67) III, 3; suum monasterium appellat *praefatum,* etsi mentionem eius fecerat ultimo I, 30. 68) II, 16.

69 qui nunc eidem populo praeest; *obiit Adalbertus d.* 3. *Apr.* 1163[69]. *Haud parvam libri partem Herbordo debet et Ebboni, quos ad verbum multis locis vel exscripsit*[70] *vel duces libere secutus est. Sed non ubique quae apud illos legerat accurate reddidit. Modo amborum narrationes male inter se coniunxit*[71], *modo amplificavit et exaggeravit*[72]. *Iisdem debet litteras quas in librum recepit. Carmine etiam de Ottone, ut illi, usus est*[73]. *Ottonem vix unquam vidit, nam magna est ei haec auctoritas, quod nonnullos episcopos viderit, qui in curia imperatoris eius fuerint comministri*[74]. *Fontes libri in praefatione his verbis indicavit, se scribere* ea tantum quae ipsi pro certo cognovimus *i. e. ni fallor ex libris scriptis, quum opposita sint iis* quae
75 a notis religiosisque personis nobis sunt comperta[75] *i. e. narratione, non libris scriptis. Ex hoc fonte nonnulla hausit quae sunt utilia, neque apud priores vitae scriptores deprehenduntur. Haud raro in graviores incidit errores*[76]; *aliis locis pias immiscuit fabellas, quibus plus indulsit quam Herbordus et Ebbo*[77]. *Quae non sunt mira, nam in hoc potius acquievit consilio, ut Ottonis virtutes magnas maiores faceret, hominumque animos pio novi apostoli exemplo aedificaret, quam ut res ab eo gestas accurate scriptas posteritati traderet; scripsit, ut dicit,* pro aedificatione legentium[78]. *Arctiores libro posuit fines; sufficere enim arbitratus est* si tantum excellentia notarentur, quae no-
79 tissima sunt, *non omnia quae de Ottone compererat*[79]. *Itaque in compendium redegit priores vitas, et vix dubitabit aliquis quin duabus illis auctoritate haec sit longe inferior.*

Duo denique restant monumenta Ottoniana, libri de miraculis. Liber quem edidimus priore loco in duobus codicibus B2a. 2b. *quasi appendix Ebboni additus est; sed est potius historia canonisationis et elevationis, quum in hac magis quam in miraculis narrandis versetur. Hoc enim consilio libellus compositus est, ut quo ordine inter sanctos Otto receptus sit exponeretur. Paullo post canonisationem anno* 1189 *factam videtur esse scriptus, fortasse anno* 1190 *vel* 1191. *Clementem III. enim papam, qui Ottonem sanctum proclamavit, auctor appellat* dominum, *quo titulo eius antecessores inde a Lucio tertio*
80 *non decoravit*[80]; *coniicias igitur auctorem vivente Clemente scripsisse*[81]. *Num ipse monachus fuerit Sancti Michaelis dubito; saepius enim montis et monasterii facta mentione, nullibi se eidem adscriptum esse innuit*[82]. *Canonisationem satis accurate narravit, et haud malis munitus erat praesidiis. Scripsit, ut dicit,* quae aut ipsi vidimus aut a probatis et constantibus viris audivimus[83]. *Laudat*
85 *praeterea* litteras testimoniales[84]; *ex scriptis libris ducem habet Ebbonem*[85]. *Est denique libellus ad cognoscendum sancti Ottonis cultum vere utilis.*

Secundus liber de miraculis est monachi Sancti Michaelis. Hic liber in peculiari codice non exstat, sed ab uno Andrea servatus est, in duabus

69) Ut observat L. Giesebrecht Wend. Gesch. III, 127 an. 1. Dies notatur in Calendario Caminensi in Ledebur Archiv XVIII, 97; annus evincitur diplomate Conradi episcopi Caminensis, Adalberti successoris, scripto a. 1183 et *nostri pontificatus* 20. Cod. Pomeran. diplom. I, 131. Reiiciendus igitur 12. Nov. 1156 qui legitur in hist. ep. Camin. Ludewig II, 578. 70) Herbordum I, 3. 7. 13. 15—24. 29. 31. 32; III, 5. 9; Ebbonem I, 7—11. 20. 25—27; III, 10. Cf. Klempin. p. 213 sqq. Aliam sententiam tuitus est Lud. Giesebrecht l. l. p. 341. 71) I, 4; II, 19; III, 4. 12. 72) I, 2. 6; II, 9. 73) I, 11. 20. 74) I, 5. 75) I, pr. Cf. etiam II, pr. III, 13. 76) II, 1. 4—6. 10. 20; III, 2. 77) I, 10; II, 16. 18. 78) I, pr. 79) II, pr. 80) c. 11. 12. Neque disertis verbis dixit Ottonem II. episcopum Bambergensem et Wolframum II. abbatem S. Michaelis tempore quo scriberet iam esse mortuos; ille obiit 1196 hic 1201. Cf. c. 8. 81) Paullo aliter de his Klempinus p. 109. 82) c. 1. 7. 8. 14. 18. 26. Cf. etiam c. 15: *apud eos quos post Deum et sanctos eius principaliter dilexit* (Otto) i. e. monachos S. Michaelis. 83) c. 1. Cf. c. 2. 18. 25. 84) c. 27. 85) c. 1. Ebbonis sine dubio est liber laudatus c. 8. 11. 12.

editionibus duplici modo. Genuinam libelli formam habemus in A1; *in hoc textus simplex et iustus undecim capitibus comprehenditur*[86]. *Undecim haec capita in* A1. *respondent capitibus* 7—12 *in* A2. *id est alteri dimidio libri. Quae praecedunt capita* 2—6 *in* A2, *non miracula sed ultima fata Ottonis continent, itaque ad librum de miraculis nihil faciunt. Praefationem enim, quae est eadem atque in* A1, *sequuntur capita* 2 *et* 3, *in quibus ad verbum repetitur Ebbo III*, 25. *i. e. visio Lipoldi de obitu Ottonis et reditus episcopi ex itinere secundo, c.* 4. *est narratio mortis Ottonis petita ex Ebbone III*, 26, *c.* 5. *sunt Imbriconis laudes Ottonis ex Herbordo III*, 34. 35, *c.* 6. *narratur miraculum ex Ebbone III*, 27. *Quae tota pars prior in* A2. *repugnat consilio, quod auctor in praefatione libri proposuit, se scribere velle* signa quae post mortem *Ottonis facta sint. Itaque capita* 2—6 *ab auctore non scripta sunt sed inserta* A2. *ab Andrea. Quod eo clarius apparet, quod in editione* A2. *libro tertio finem posuit in reditu Ottonis ex Pomerania; ultima fata reiecit in librum de miraculis subiunctum, quem appellavit librum quartum, etsi eum neque Herbordo debebat neque Ebboni. Itaque textus libri ex* A1. *erat constituendus. Est auctor monachus Sancti Michaelis, quod, quamquam non disertis verbis, tamen satis aperte indicavit haud uno loco*[87]. *Discipulum Herbordi se testatur in praefatione his verbis:* Nos quasi inertes et rudes alumpni laudabilem praeceptoris nostri devotionem longe quidem impari scientia prosequentes *etc. Itaque Herbordi aequalis erat iunior, et libellum post Ottonis canonisationem conscripsit, nam est ei* sanctus et singularis patronus noster pius ac Deo dignus confessor[88]. *Ante annum* 1201 *operi manum non admovit. Ob hanc enim causam miracula novi patroni scribenda sibi sumsit,* quum praecipuorum fundatorum nostrorum, beati videlicet Heinrici imperatoris ac sanctissimae Kunegundis virginis — miracula clarissimis ecclesiae Dei scriptis pompose satis declarata videamus[89]. *Legerat igitur librum de miraculis sanctorum Heinrici et Kunegundis; huius vero miracula scripta sunt paullo post annum* 1201[90]. *Ottonis miracula narravit, ut dicit,* tam a nobis perspecta quam fidelium relatione collecta[91], *et saepius ad eosdem fontes recurrit. Finem libri*[92] *descripsit ex Ebbone III*, 27. *In universum non est magna libelli auctoritas; arida est et ieiuna paucorum miraculorum narratio, sed ob id habenda est gratia auctori, quod gravissimum illud de Herbordo testimonium in praefatione posteritati tradidit.*

Haec sunt quae habemus de libris Ottonianis. A posterioribus medii aevi scriptoribus tres vitae antiquiores raro sunt exscriptae. Gesta Ottonis laudantur in vita sancti Erminoldi; vitam monachi Prieflingensis ante oculos auctor habebat[93]. *Multa de Ottone in libris suis congesserunt Pomeranarum rerum scriptores. Ebbo exscriptus est in libro Sancti Iacobi anno* 1468 *composito, qui praeter registrum privilegiorum Sancti Iacobi Stetinensis nonnulla continet, quae ad historiam monasterii et Montis sancti Michaelis Bambergensis pertinent*[94]. *Vitam Ottonis laudavit Iacobus Parfues in chronico*

86) Klempin. p. 55 sqq. 87) In praefatione, c. 1: *Quibusdam etiam fratribus e quibus aliquando apud nos* etc.; c. 4. 9: *ad nos;* c. 7: *in abbatis obsequio — adusque deservit.* 88) praef. et alias saepissime Ottonem vocat *sanctum.* 89) praef. 90) M. G. SS. IV, 827, c. 94; Klempin. p. 61. 91) praef. cf. etiam c. 4. 7—9. 92) c. 11; est etiam in A1 libri ultimus. 93) I, 7; II, 40. Vide supra vit. S. Erminoldi. 94) Librum S. Iacobi descripsit K. Hasselbachius in Codice Pom. diplom. p. X, et probavit coniecturam Lud. Giesebrecht in Pommersche Provinzialblätter V, 173 an. 2 hunc eundem esse librum, quem Micraelius in praefatione operis Altes Pommerland inter fontes posuit primo loco: *Chronicon Iacobaeum Stetinense anno* 1468 *designatum.* Eundem librum alio nomine matriculae S. Michaelis Bambergensis inter suos auctores habuit Cramerus in Pomrische Kirchen-

95 *Ensdorfensi Germanice scripto*[95], *sed quam profert bulla Calixti papae de monasteriis ab Ottone fundatis in nostris vitis non legitur. Andream a.* 1499 *exscripsit Ladislaus Sunthemius in monasteriologia Franconiae*[96]. *Andreae editio anni* 1487 *exscripta est in praefatione matriculae Caminensis circa annum* 1500[97]. *Bugenhagius in Pomerania Andream in duabus editionibus secutus est, praeter quas videtur etiam Anonymi vitam Ottonis habuisse; saepius laudat historias divi Ottonis, e quibus hausit maximam partem libri sui secundi*[98]. *Martinus Hoffmann in annalibus Bambergensibus circa annum* 1600 *vitam*
99 *Ottonis ex diplomatis et chronicis diligenter conscripsit*[99]; *ei erant auctores Anonymus et Andreas in editione secunda.*

Vitarum Ottonis editiones sunt hae: Anonymum Canisii anno 1602 *editum in Lectionibus antiquis II*, 325, *repetivit Basnagius in editione altera III*, 2. *p.* 40, *dein Jaschius in suo libro a.* 1681 *ex alio codice* cum historia abbatis Andreae collatum *p.* 270. *Hanc collationem recudendam curavit Ludewig in Script. rerum ep. Babenberg. I*, 634. *Canisii anonymum iterum edidit Sollerius in Actis Sanctorum Iul. I*, 378. *Ebbonis vitae editio unica exstat ibid. p.* 425; *vita Anonymi Prieflingensis edita est a Stephano Endlicher in Vierter Jahresbericht der Gesellschaft für Pommersche Geschichte und Alterthumskunde in Lud. Giesebrecht et Haken Neue Pommersche Provinzialblätter, Stettin* 1829, *IV*, 312. *Andreae vita primo a Gretsero in Divis Bambergensibus Ingolstadii* 1611, *p.* 143 *edita, repetita est in Actis Sanctorum Surii anno* 1618; *in priore enim Actorum editione IV*, 49. *Surius nihil dedit nisi breve compendium vitae Anonymi, et Andreae librum se ne vidisse quidem dicit. Deinde suum Andream edidit Jaschius Colbergae* 1681, *p.* 1. *Quas duas editiones infelici consilio in unam conflavit Ludewigus l. l. I*, 394, *ita ut capitibus Andreae Gretseriani Jaschiana insereret. Nonnulla capita ex Andrea Gretseri suae editioni addidit Sollerius Act. Sanct. l. l. p.* 456. *Excerpta ex Anonymo Canisii et ex Ebbone dedit Langebek in Script. rerum. Danic. IV*, 217. 220.

Scribeb. Berolini m. Decemb. 1855.

R. KÖPKE.

HERBORDI VITA OTTONIS EPISCOPI.

EX ANONYMI VITA OTTONIS.*

INCIPIT LIBER DE VITA SANCTI OTTONIS POMERANORUM APOSTOLI[a].

1 1.[b] Semper[1] honorandae ac divinae[c] memoriae Otto beatissimus ex Suevia duxit ori-

* *Anonymi auctoris praefatio*[d]: Incipit prologus in vitam beati[e] Ottonis Babenbergensis episcopi et confessoris[f]. Scripturus vitam beati Ottonis episcopi ac Pomeranae[g] gentis apostoli, grandi qui-

a) *ita* B*. Incipit vita venerabilis ac Deo digni Ottonis episcopi et confessoris apostoli Pomeranorum B 1. 2. 3. b) *capita constituta et numerata sunt ex* B*; *quae occurrunt* 1—13 *inscriptiones desumtae sunt ex* B 1. 2. 3. c) divae B*. B 2. d) *deest prologus* B*. e) sancti B 1. f) Bab. ep. et conf. *desunt* B 2. g) Pommerane B 2. *ubique.*

chronik. Quae in libro S. Iacobi de Ottone leguntur repetivit Cramerus I, 14. Verbis *ut gesta sua* (Ottonis) *indicant* laudatur Ebbo. 95) usque 1480; Oefele Script. rer. Boic. I, 582. 96) Oefele SS. rer. Boic. II, 608. 97) Vide quae de matricula ecclesiae Caminensis disseruit Hasselbachius Cod. Pom. dipl. I, p. XX. Inspexi codicem apographum matriculae Caminensis, qui asservatur in bibliotheca gymnasii Ioachimici Berolinensis. Cf. Archiv VIII, 855. 98) E. g. quae II, 11 repetit de Bernbardo episcopo, si non Ebboni, debet Andreae a. 1487; II, 13 in descriptione primi itineris secutus est Andream c. 1499; quae habet II, 9 de Friderico Ottonis fratre, quum apud unum Anonymum leguntur, ex hoc hausit. Kantzowius in chronica Pomeraniae exscripsit Bugenhagium. 99) Ludewig SS. rer. Babenb. I, 91. laudat c. 36 *auctorem vitae* Ottonis. Anonymum indicant verba imperatoris c. 2, quae leguntur apud hunc I, 7 non apud Andream. 1) In duodecim circiter prioribus capitibus, Andrea teste in praefatione 1487, Herbordus loquentem introduxit Sefridum.

ginem. Parentes equidem eius[a], patrem dico ac matrem[2], ingenuae conditionis, nobilitate

dem affectu sed impari facultate materiam aggredior[b] sacram, duo haec finaliter intendens, ut virtutum et meritorum eius auctor Deus in illo glorificetur, et de lucerna in domo Domini (Matth. 5,15) sublimiter accensa pietatis ac devotionis lucem fideles accipiant. Christi enim bonus odor (2 Cor 2,15.) est in ipso, et in universa ecclesia tanquam paranimphus et amicus sponsi flagrans[c] et ipse ungentis optimis, ungento contritionis ac devotionis et in Deum ac proximum preciosae pietatis. Ungentum enim contriti cordis et humiliati, tanquam pauper spiritu, pedibus Domini suppliciter exhibuit, aperiens os suum in oratione, et pro delictis suis iugiter interpellans; unde et Christus *purgavit peccata ipsius, et exaltavit in aeternum cornu ipsius.* (Eccli 47,13.) Ungentum autem devotionis, in quo recordatio divinorum beneficiorum intelligitur, in obsequium divini cultus, tanquam in caput redemptoris, tam pie ac copiose effudit, ut expresse de illo dictum videatur: [d] *Domus impleta est ex odore ungenti.* (Ioh 12,3) Non solum enim in sua persona tanquam sacerdos et pontifex per exhibitionem coelestium sacramentorum obtulit Domino sacrificium iustitiae, oblationes et holocausta, accedens per semet ipsum ad Deum, sed etiam in diversis locis, in vicinis et remotis episcopiis grandi sumptu et labore Christo multas fundavit et restauravit ecclesias, in quibus miserationes Domini iugiter[e] recolantur, et spiritalibus disciplinis ac divinis sacrificiis mors Domini annuncietur, donec veniat. (1 Cor. 11,26.) Ungentum autem pietatis, quod de latissimo sinu karitatis ex omni specie misericordiae, tanquam ex aromatibus et omni pulvere pigmentario, universo Christi corpori praeparatur, quis habundantius membris Christi exhibuit? (Cant 3,6. 5,13.) Taceo infinitas eius expensas et miserationes, quas fecit in ecclesiis Domini coram Deo; immortales transeo elemosinas illius, quas in locis definitis, in hospitalibus et mansionibus pauperum diligentissima cura instituit; redemptiones captivorum, quas in terras alienas ac remotas mittendo erogavit, et immensam[f] pecuniam, quam de manu eius in coelestes thesauros manus pauperum cotidie deportaverunt, quis enumerare sufficiat? Profecto miserationes eius super omnia opera eius. Nam non solum sua, sed etiam se ipsum

a) eius eq. B 1. b) ingredior B 2. c) fraglans B 2. d) et *addit* B 3. e) *deest* B 3. 3*. f) innumeram *correxit eadem manus in rasura* B 1.

2) Parentes Ottonis erant teste Ebbone I, 1. Otto et Adelheida. Satis castigatus est error posterorum scriptorum, qui Bertholdi et Sophiae nomina iis fuisse eosque ex comitum Andecensium gente originem duxisse sibi persuadebant. Quam fraudem inde natam esse, quod S. Ottonem cum Ottone II. episcopo Babenbergensi confunderent, qui a. 1196 mortuus, Bertholdi comitis de Andechs et Sophiae erat filius, satis probavit Ussermann Ep. Bamberg. p. 121 sqq. et post eum Oesterreicher in commentatione Beitrag zur Gesch. der Grafen von Andechs in Die geöffneten Archive für die Gesch. des Königreichs Baiern I, 10. p. 149. Prima, si quid video, huius erroris prolata est auctoritas supposita tabula Ottonis episcopi Babenbergensis, quae post Hundium in Metropoli Salisburgensi ed. Gewold. II, 67. repetita est in Monumentis Boicis VIII, 591, de sacramento a S. Gregorio papa consecrato, et a nescio quo Leone papa Heinrico II. imperatori dono dato. Hic habes Ottonem episcopum qui *anno* 1138 *regnante Conrado Romanorum rege tercio* (Hundius et qui eum secuti sunt legunt paucis aliis mutatis a. 1102, Andreas habet 1138) Bertholdum comitem de Andechs patrem, alumque Bertholdum marchionem Istriae fratrem appellat. Quibus litteris misero conflatis etiam Andreas abb. S. Michaelis ita in errorem abreptus est, ut eas in catalogum epp. Babenberg. Msc. non modo reciperet, sed, etsi de vera stirpe S. Ottonis saepe verba fecisset, l. l. scriberet: *Otto igitur nacione Suevus, patre nobili Bertholdo nomine comite de Andechs, qui duxit uxorem filiam Ottonis ducis Bavarie, ex qua genuit duos filios* etc. Suppositas esse has litteras ante Oesterreicherum probarunt alii; Dubuat Orr. dom. Boicae II, 225; Hormayr Versuch einer Gesch. der Grafen von Andechs p. 156; Sprenger Gesch. der Benediktinerabtei Banz p. 136. Falsam S. Ottonis stirpem Andecensem repetiverunt Bruschius in epit. de episcopat. German., Bucelinus, Hofmannus Annal. Bamberg. ap. Ludewig I, 91, Jaschius p. 457, quorum opinionem primus refutavit Sollerus in commentatione de vita S. Ottonis Act. SS. Iul. I, 355. Cf. etiam Hocker Supplementum zu dem Hailsbronn. Antiquitätenschatz p. 8. Veram Ottonis originem e gente de Mistelbach detexit Oesterreicher, qui l. l. p. 160 tabulam publici iuris fecit in qua haec leguntur: *Notum sit — qualiter Fridericus de Mistelbach gracia patroni sui sancti Ottonis, de cuius arbore consanguinitatis generis duxit lineam — quandam feminam Adelheidam proprietatis iure sibi mancipatam super altare S. Michaelis propria manu delegavit.* Sancti Ottonis mentione tabulam post a. 1189 scriptam esse probatur. Mistelbach eundem locum esse ac Müsselbach ad lacum Bodamicum in comitatu Bregentino vult Oesterreicher l. l. 170. In alio diplomate Ottonis episcopi 4. Non. 1125 scripto de praedio Rintpach S. Michaeli dono dato, inter testes occurrit *Friderich de Mistelbach,* quem Ottonis fratrem esse facile credas cum Oesterreichero l. l. p. 162. 175. Tertia tabula data Kal. Mart. 1124 ibid. p. 174 *ingenua conditio* gentis Ottonianae probatur; inter testes enim *de militibus domni episcopi ingenuis* nominatur *Fridericus frater episcopi,* quocum convenit alia tabula sine die de advocatia S. Michaelis ibid. p. 172. De alio hereditario praedio Ottonis in eodem comitatu sito Albuch vid. Ebbo I, 18. Avorum et proavorum lineam nativitatis praedicat Herbord. III, 3.

3 clari et honorabiles, divitiis autem et opibus mediocres, filium suum in primaeva aetate[3]
litteris erudiendum disciplinis scolaribus tradiderunt. Qui cum diligenter enutritus, in spe
bona ad annos discretionis pervenisset, ipsi defuncti sunt, et quae in possessionibus et pe-
cunia reliquerunt, alter filius eorum Fridericus, miles futurus, possedit. Ottone igitur[a] gratia
studii apud extera loca demorante, frater eius puer domum pro suo[b] posse gubernabat,
tenuiter adiuvans fratrem in studio positum. Otto autem, percursis aliquibus poetis et phi-
losophis et grammaticae metrorumque regulis tenaci memoriae commendatis, cum ad
altiora studia non haberet sumptus, fratri suo sive aliis cognatis importunus esse noluit
vel odiosus, iam tum in ipsa adolescentia verecundiam secutus et bonae opinionis pulchri-
4 tudinem. Itaque in Polaniam[c] peregre vadens[4], ubi sciebat litteratorum esse penuriam,
scolam puerorum accepit, et alios docendo seque ipsum instruendo brevi tempore ditatus
atque honori habitus est[d]. Linguam quoque terrae illius apprehendit, atque ad altiora pau-
latim progrediens, parsimoniae, frugalitatis et castimoniae disciplinis litteraturam adorna-
bat. Ob ea igitur studia omnibus gratus, magnorum virorum atque potentum, suffragante
sibi etiam corporis elegantia, contubernio ac familiaritati sese applicuit; legationibus etiam
et responsis inter magnas personas deferendis adprime aptus erat.

5 2.[e] Denique occasione legationum duci Polaniae[5] innotuit, magnamque in oculis eius
et totius curiae gratiam invenit, ita ut duci placeret talis clerici obsequio domum suam ho-
nestare. Ita ergo se multa oportunitate ac modestia duci aptavit, et toti curiae gratum
1085. Dec. 25. fecit. Cumque aliquot annos probe ac sapienter ibi mansisset, uxor ducis defuncta est[6].

pro lucro animarum Christo impendit, divinitus ab ipso directus in penitentiam Pomeranae
gentis, cuius per euangelium Christi tulit abominationes, et gubernavit ad Dominum cor
ipsius, perferens in ea contumelias, persecutiones,[f] passiones, ferventissimo cordis
affectu pro lege Dei sui mori coronamque martirii adipisci desiderans. Haec idcirco brevi
7 epilogo[7] praemisi, ut quantus sit iste, de quo sermo habendus est, in capite libelli videatur,
et de tanto pontifice, de novo patrono, non solum nostra specialiter, sed etiam omnis ge-
neraliter ecclesia glorietur. Qui senescente iam saeculo et ad occasum vergente, secundum
incrementa et consummationem perfectionis apparuit, quasi stella matutina in medio nebulae,
et quasi luna plena in diebus suis lucens et quasi sol refulgens; sic ille refulsit in templo
Dei, Romani imperii ac sacerdocii firmamentum, gemma sacerdotum, spiritualis ordinis decus
et praesidium[8], praedicator veritatis et doctor gentium, Martha frequens et fervens in ob-
sequio Domini Iesu, pater, minister ac susceptor peregrinorum, captivorum et omnium
menbrorum Christi. Scripta sunt autem in libro hoc, quae religiosi ac probatissimi viri ab
9 ipso gesta oculis suis viderunt et nobis[9] fideliter enarraverunt, ut in testimonio veritatis
nichil privati amoris et gratiae inseratur, sed opera eius, quae in Deo facta sunt, summa
sinceritate et veritate in honorem Dei et utilitatem ecclesiae proferantur.

a) ergo B*. *et sic porro.* b) sua *corr. al. man.* B 2. c) Poloniam B*. 2. 3. 3*. d) *deest* B3. e) *ita* B*. *et sic in sequentibus.* f) et *add.* B 1.

3) Quo anno natus sit Otto non satis liquet. Hoffmanni opinio in Ann. Bamb. ap. Ludewig I, 118 eum anno aetatis septuagesimo mortuum esse omni caret auctoritate, annumque 1069 cum nostri auctoris narratione minime consentire probavit Sollerus Act. SS. l. l. p. 359. Vitae scriptores in universum tantum tradunt Ottonem *senem exhaustis viribus* (Herbord. III, 33.) vel *in senectute bona* (Ebb. III, 26.) obiisse, a. 1121 eum iam grandaevum fuisse vult Herbord. I, 53, 1124. 1125. 1127 de reverenda eius canitie loquuntur Ebbo II, 3. 8. 18. III, 6. 13. Herbord. III, 3. 12. Sollerus eum a. 1062 vel 1063 natum esse coniecit, quam sententiam etiam Ussermann Ep. Bamb. p. 51, Sprenger aliique amplexi sunt. A. 1060 proposuit Zirngibl in commentatione Bemerkungen über Otto Domherrn zu Regensburg in Abhandl. d. Münchener Akademie d. Wissensch. 1813, II, §. 6, alium alii. Si Otto iam ante Iudithae ducissae obitum 25. Dec. 1085 in luce curiae Wladislai clericus vixerat *aliquot annos,* ducisque gratia floruerat, 1069 annus eius natalicius esse nequit; itaque Sollerus a veritate non multum abesse videtur. 4) Si quid coniecturae dari licet, equidem crediderim eum in Poloniam profectum esse c. annum 1080, post rerum conversionem qua a. 1079 Stanislao episcopo Cracoviensi interfecto ducatus ad Wladislaum Hermannum devenit. Cf. Roepell Gesch. v. Polen I, 204. 206. Tempore enim quo Otto in Polonia morabatur omnia pacata fuisse videntur. Adolescens ivit in Poloniam; cf. etiam Boleslai litteras ad Ottonem infra II, 6. *Brevi tempore* ditatus est, *paulatim* ad altiora progressus, in nobilium virorum amicitiam venit, *denique* in ducis notitiam, et ab hoc tempore usque ad a. 1085 *aliquot anni* praeterierunt. Quae omnia quinquennio vix contineri posse videntur. 5) Wladislao Hermanno, patri Boleslai III. 6) Iuditha, filia Wratislai Boemorum ducis; obiit 25. Dec. 1085, testibus Cosma et Chron. Polonor. II, 1, M. G. SS. IX, 91. 444. 7) i. e. epitome. 8) Hor. Od. I, 1, 2. 9) i. e. non ipsi auctori anonymo sed posteris in scriptis libris.

Expletis igitur diebus lamentationis[a] ac luctus, cum se laetius dux habere coepisset, Otto, qui cum maioribus terrae frequenter erat[b], tractare et investigare coepit de animo ducis, si quo modo ultra ad alios thoros venire cogitaret, adiungens, quod in partibus Teutonicis honestissimum posset invenire matrimonium, per quod magna nobilitas, immo tocius Teutonici regni potentia summis amicitiis ei coniungeretur. Dum[c] haec Otto crebro monet[c*], sermo ad ducem perlatus est. Primo autem aput se ille tractare coepit[d], deinde[e] consilium habere cum aliis, postmodum ipsum Ottonem ad consilium vocare, plenius ab eo rem cogniturus. Itaque Otto de maiestate ac potentia Romani imperii et de antiqua et clarissima regis[f] prosapia pauca praemittens, de viduitate sororis eius dominae Iudittae[10], quod- 10
que eam imperator dignis thalamis sociare volens[g], totius curiae ac principum super hoc consilium expectaret, plura subiunxit, felicem fore affirmans, cui tantae pulchritudinis thorus contingeret. Ex parte autem ducis monebat ultra in nuptiis nichil ei quaerendum, nisi amicos, genus, potentiam, utpote cui opes habunde suppeditarent. Quid[h] plura? Dux ipse omnesque consilii participes a Deo[i] sermonem esse dicunt. Deinde magis ac magis ducem hortantur sui, monent[k] publice ac privatim, hoc tam ingens decus[l], tam oportune venientem gloriam mature captandam. Ubi autem ad plenum duci res animo sedit, non prius aggredi voluit, nisi et hoc principibus Polaniae[m] placeret. Habito igitur colloquio invenit assensum; idem omnes[n] sentiunt, probant, cupiunt tanta claritate tantaque nobilitate illustrari Polaniam. Otto igitur pro tali consilio magnus et clarus habitus est. Cum ergo ageretur de nunciis, ipse eligitur, et magni summique[o] viri comites ei decernuntur, vestitur[p], ornatur, ditatur, omnibusque necessariis, quae usus honorque poscebat, habunde expeditur, sicque in multa gratia dirigitur, summae legationis strennuo officio gratiam et gloriam recepturus. Eo tempore soror imperatoris in contubernio ipsius digno honore et apparatu manebat, de qua ille magnae affinitatis sperans necessitudines secundum magnificentiam generis ac potentiae, felices de illa nuptias expectabat. Acceptis igitur nuntiis et petitione ducis, rex hilariter respondet, magnae legationi pro consilio principum se[q] responsurum pollicetur, gratias tamen agens Deo[r], vota sua[s] de honore sororis oportune promotum iri. Consilium igitur de tanto negocio habens cum episcopis et[t] archiepiscopis aliisque principibus seu magnis viris, magnifice tractat rem et retractat, nunciis interim ad decus imperiale bene habitis. Deinde ubi satis omnia exquisita videntur, vocatis eis, rem per se breviter exequitur imperator; ducem Polaniae nobilitate, opibus ac potentia dignum altis
thalamis, fororemque[u] suam, unicam[11] unici fratris, gratam sibi prae cunctis rebus, libenti 11
animo tali viro copulare, quia suis fidissimis hoc visum sit consiliariis. Addit etiam hoc commercio duos populos confoederari, Polaniae res nobilitari, duci amicos potentes et gloriam conquiri. Figitur[v] ergo contractui locus et tempus, remittuntur nuncii magnis cumulati muneribus, ingens utrimque apparatus pro personarum dignitate nuptialibus rebus
componitur[12]. Duce igitur optatis thalamis potito, maior iterum gratia Ottoni accessit, c. 1088.
suique paranimphi domina oblita non est, in omni domo sua inclitum[w] et carum et familiarem eum habens. Et quotiens germano suo imperatori dona vel responsa mittebat, Otto 1088
internuncius et fidus mediator fuit, factaque est per eum quasi una res publica domus im- 1090.
peratoris et domus ducis. Cumque inter eos saepe iret et rediret, imperator, vir sagax, legati fidem ac prudentiam animadvertit, et quamvis sorori ac sororis marito commodum eum ac necessarium cognosceret, intelligebat tamen altiori dignitati hunc fore oportunum. Quare clementi beneficentia[x] eum alliciens, sorori pro eo scripsit verba postulationis, suis

a) lamentanis B3. 3*. b) *ita* B*. c. mai. t. qui frequentes erant *rell.* c) divus B*. c*) movet B2. d) *deest* B2. e) dein B1. *et sic porro.* f) regum B*. g) valens B3*. h) Qui B2. i) domino B*. k) monet B*. 2. l) et *add.* B1. m) Poloniae B2. *et sic porro.* n) omn. id. B1. o) sine iniquitate B*. p) vestitus B*. q) *deest* B*. r) domino B*. s) nota sententia B*. t) *deest* B*. 3*. u) quoque B*. 2. v) praefigitur B1. w) inditum B3. 3*. x) benevolentia B*. beneficia B2*. beneficiam B3.

10) Vidua erat Salomonis regis Ungarorum, qui iam pridem regno eiectus, a. 1087 interemptus est, ut testantur Bernoldus M. G. SS. V, 446 et Ann. Saxo M. G. SS. VI, 724. Juditha post mariti expulsionem ad fratrem Heinricum venit, frustraque ut videtur meliora tempora, quibus in Ungariam redire posset, exspectavit. Cf. Berthold. 1074. M. G. SS. V, 277; Lambert. 1076. ibid. p. 247. 11) Praeter Iuditham tres fuisse Heinrico sorores constat. Stenzel Fränk. Kaiser II, 122. 12) Nuptias a. 1088 fuisse post Dlugossum repetiverunt Sollerus, Ussermann l. l.; Roepell I, 208; Jaeck sub voce Otto in Ersch. et. Gruber Encyclopaedie d. Wissenschaften und Künste. Medio anno 1090 Juditha iam erat uxor Wladislai ducis, ut patet ex Chron. Polon. II, 1, M. G. SS. IX, 445. Boleslaus, natus 23. Dec. 1085 priore uxore, aetate erat parvulus quum pater alteram duceret; vid. l. l.

dicens talem clericum obsequiis necessarium. Soror autem et dux in multis divitiis benefacientes capellano suo, in multa honestatis gratia imperatori eum, quamvis inviti, di-
1097? miserunt[13].

3. *Quomodo translatus in curiam fuerit*[a] *imperatoris.*

Imperator vero primo in levibus eum rebus exercens, familiari eius servitio in multis bene usus est; psalmos et orationes privatas, si[b] quando vacabat, cum eo ruminare solebat. Nam adeo litteratus erat imperator, ut per se breves legeret ac faceret. Videns igitur hoc placere imperatori, psalmos et ymnos, capitula et orationes per totum annum, ut memoriter cursum dicere posset, affirmare[c] clericus elaborabat; aliisque capellanis alias intentis, hic semper praesto erat, et psalterium, quo uti solebat imperator, sub ascella sua iugiter ferens[d], vel ad sellam suam iugiter dependens, quociens opus erat, requirenti obtulit imperatori. Nichil enim Ottonis sollertia negligendum putabat, quo sibi gratiam domini conciliare valeret, unde mane, vespere, et omni tempore cum psalterio suo ad manum imperatoris praesto se Otto exhibuit*.

4. Porro illis diebus investituras ecclesiarum imperatores dare solebant, et quotiens episcopus decedebat[e], id moris erat, ut ecclesia illa baculum et anulum imperatori transmittens, de curia sibi postularet episcopum. Multi ergo nobiles et magni viri, cognati ac filii principum, in curia degebant, spe promotionis vice capellanorum imperatori obsequentes. Inter quos omnes tam aequabiliter et composite Otto se gerebat, ut neque ex elatione invidiam, neque ex vilitate despectum incurreret. Denique quodam eorum qui cancellarius
11 fuit ad episcopatum sublimato, Otto sigillum imperatoris et officium cancellariae suscepit[14]; tantaque industria et bonitate se in illa gessit, ut ab omnibus curialibus amaretur, et a cunctis ei deferretur.

5. Imperator vero famosum illud ac laboriosum opus Spirensis monasterii habebat in manibus, omnes sapientes ac industrios architectos, fabros et cementarios aliosque opifices regni sui, vel etiam de aliis regnis in opere ipso habens, aurum et argentum et

* Ipsum etiam psalterium usu et vetustate in extrinsecis lacerum diligenter ligatum novis rebus induit. At princeps cum ex more librum posceret, Otto praesto erat offerens ei renovatum. At ille: *Non hunc*, ait, *sed psalterium meum requiro.* E contra clericus: *Hoc est*, inquit, *domine, psalterium vestrum.* Quod tollens ille vertit ac revertit, visoque bene factum esse aiebat, corde magis quam verbo diligentiam probans. His ergo atque talibus modis, quos singillatim perstringere longum est, suos capellanos gratia ac caritate longe antevadens, omnibus humilior fuit, nichil de se magnum, nichil immoderatum sentiens. *addit* B 4. *post* exhibuit.

a) f. in c. B 1. *deest inscriptio* B* *ubique.* b) *ita* B*. sed *rell.* c) efformare B*. d) *deest* B*. 2. habens B 3. 3*. e) decebat B 3. 3*.

13) Quo tempore hoc factum sit non satis apparet. Post secundas illas nuptias quum Otto inter fratrem et sororem legatus saepius iret et rediret, unum alterumve annum capellani munere in Polonia functus sit necesse est. Boleslaus dux in litteris infra II, 6. Ottonem in patris aula conversatum esse *meminit;* quae si sic intelligenda sunt cum Herbordo, Ussermanno p. 52 et L. Giesebrecht Wend. Gesch. II, 223, quod Otto iam tum in Boleslai, pueri 1085 nati, notitiam et amicitiam venerit, saltem ante a. 1090 Poloniam reliquisse nequit. At Heinricus imperator tempore vernali 1090 in Italiam profectus, inde post septem annos ante pentecosten 1097 rediit; cf. Böhmer Reg. 1939. Bernold. et Ekkeh. ad 1097. Itaque omnia quae de Ottone in sequentibus narrantur usque ad promotionem eius in cathedram Bambergensem non ante a. 1097 facta esse puto. Crediderim ab imperatore ex Italia reduce Ottonem ex Polonia in patriam aulaeque lucem revocatum esse; hoc vero dederim Ebbonis narrationi, alias satis confusae, I, 3. Heinricum Ratisponae capellani munus ei detulisse, cum dies quidam festus ageretur. Bernoldo teste pentecosten 1097 imperator Ratisponae celebravit. Quae si ita sunt, per tria lustra Otto in Polonia commoratus est. Haec omnia bene perspexit Zirngibl l. l. n. 16, nihilominus a. 1093 ei videtur praeferendus. 14) Neque hoc Ottonis cancellarii munus satis in aperto est, etsi Ekkehardus 1102 consentit; nam nomen eius in nulla quod sciam Heinrici tabula occurrit. Usque ad a. 1102 Humbertus apud Heinricum hoc munere functus est, qui quum Liemarus archiepiscopus Bremensis, teste Alberto Stadensi, d. 17. Mai. 1101 mortuus esset, ad candem sedem evectus est. In privilegio, quod primum dedit imperator Ottoni episcopo d. 15. Iul. 1103, Ussermann Ep. Bamb. cod. pr. 55, Erlongus est cancellarius. Dubito num per breve tempus post Humbertum Otto in cancellarii munere eius successor fuerit. Vid. etiam Chron. Gottwic. I, 302. In obsequio imperatoris se per annos aliquot degisse ipse dicit Otto infra I, 9. in litteris ad Paschalem.

pecuniam multam sumptusque infinitos annis singulis expendebat[15]. At magistri operis, 15
partim negligentes, partim etiam sua commoda sectati, rem tarde promovebant. Commonitus ergo princeps a fidelibus suis de iactura impensarum, diligentius tractare coepit, ac securus de Ottonis[a] fide, diligentia et sagacitate, omne[b] opus ei commisit, praecipiens, ut tam opifices quam magistri eorum illi soli parerent, omnem pecuniam, sumptus et impensas ab eo expeterent illique retaxarent[16]. Sed quid? Non facile dici potest, quanta con- 16
servatio rerum facta sit, et quanta structurae promotio. Ita ergo in omnibus sibi Deo propitio[c] praestabilem se et carum summis et mediocribus Otto faciebat, in aula regis quasi alter Ioseph curam gerens universorum.

6. *Quomodo Babenbergensem episcopatum adeptus sit.*

Interea Rupertus Babenbergensis episcopus de hac vita migravit[17]. Itaque ex more 1102.
temporis insignia episcopatus ad curiam allata sunt, et petitio ecclesiae pro pastore. Sed Iun. 11.
imperator consilio sex mensium ponit inducias, ecclesia vero Babenbergensis cum clero et populo Deo interim devotissime pro idoneo rectore supplicabat. Elapsis ergo induciarum diebus[d], cum iam[e] tempus esset mittendi ad curiam pro episcopo, et[f] imperator benignitatis et gratiae litteris nuncios evocans, idoneum illi ecclesiae inventum[g] nunciaret episcopum, inter spem et metum anxii, attentius rem Domino Babenbergenses commendabant.

7. Abeuntibus ergo nunciis, summis et praecipuis de ipsa ecclesia viris, tam clericis quam laicis, reliqui omnes a minimo usque ad maximum in proxima dominica ante nativi-
tatem Domini, elatis crucibus, cum processione montem beati Michahelis[h] ascendunt, an- Dec. 21.
gelica suffragia quaesituri, scilicet[i] ut beatus Michahel archangelus, coelestis militiae signifer, negocio huic se ingereret, ut eius strennuo interventu strennuum[k], bonum et gnarum super se provisorem accipere mererentur. Quos in misericordia et veritate summa divinitas interventu beati archangeli exaudivit, ut ipse rerum probavit eventus. Nam et[l]
legati ecclesiae[18] ab[m] imperatoria[n] maiestate honorabiliter suscepti sunt[19], et optime de 19
negocio suo expediti. Imperator etenim accitis eis: *Quantam*, inquit, *sollicitudinem geramus pro ecclesia vestra*[o] *hinc advertere potestis, quod non temere aut subito rectorem vobis destinandum putavimus, sed magis consilio et deliberatione, mora temporis et cura diligenter exquisita*[p]. *Nec mirum sane; a nostris enim parentibus*[q] *ac progenitoribus, ut nostis, ecclesia illa fundata, praediis*[r] *ac possessionibus feodatis et ministerialibus et omnium rerum affluentia ditata et sublimata est; et quod de aliis ecclesiis dicere*[s] *non possumus, haec omnia illi adhuc integra manent et conservata. Quare in talem domum, providum et sagacem, et rerum conservatorem, non vanum*[t], *non superbum convenit intromitti*[u] *rectorem. Unde alias non ita solliciti fuimus, sed cito et absque trepidatione fecimus quod faciendum erat.* Cumque his et huiusmodi verbis consilium suum legatis semel et iterum commendaret imperator, quidam ex eis, tanquam pertesi dilatione, ubinam vel quis esset sciscitantur. Imperator vero: *En*, inquit, *presto est!* et manu arripiens Ottonem capellanum suum — erat enim[v] elegantis personae ac indutus bonis vestibus, tonsura, forma totoque habitu intus et exterius clericum praeferens —: *En*, inquit, *hic est! Hic est dominus vester, hic est Babenbergensis ecclesiae antistes.* Consternati ad horam illi sese invicem respiciunt, illumque oculis deiectis[w] sumunt et resumunt, aliique nobiles circumstantes, qui aut sibi aut suis cupiebant, nutu ac mussitatione legatos quasi ad contradictionem instigabant. Legati autem subtristes: *Sperabamus*, inquiunt, *aliquem ex dominis et principibus curiae vestrae, parentatum ac nobis notum, dominatorem nos accepturos. Nam hunc, quis sit aut unde sit, ignoramus*[20]. Imperator 20

a) sui *add.* B*. b) omnino B*. c) pr.- Deo B1. d) dies B3. 3*. e) *deest* B1. f) *deest* B3. 3*. g) venturum B*. h) michaelis B2. *et sic porro.* i) scilicet b. *desunt* B*. ut *deest* B3*. k) *deest* B*. l) nam et *desunt* B*. m) omni *addit* B3. n) imperatori B2. o) nostra B3. 3*. p) equisita B2. q) *ita* B*. proximis *rell.* r) *deest* B*. s) *deest* B3. 3*. t) inanem B*. u) intromittere B3. 3*. v) ibi enim erat B3. 3*. w) deictis B3. 3*.

15) Est ecclesia S. Mariae, quam Heinricus III. reliquit imperfectam, ubi sepultus est, ut habet Bertholdus 1056. Neque de tempore quo ad finem perductum sit hoc opus certi aliquid constat. Si audis Lehmannum in chronico Spirensi factum est a. 1097. Cui adhaeret Ussermann. Spirense monasterium descripsit anonymus in vita Heinrici IV. c. 1. 16) i. e. de iis quae acceperant rationem redderent. 17) Annum habet Ekkehardus, diem necrolog. S. Michaelis ap. Schannat Vind. lit. II, 53. 18) Qui hi fuerint vide ap. Ebbonem I, 7. 19) Quod Moguntiae factum est, ubi imperator cum principibus nativitatem Domini celebravit a. 1102 teste Ekkehardo et Annal. Hildeshem. 20) Hoc a le-

autem reprobationem personae haud[a] sustinens: *Et vultis*, ait[b], *scire quis sit? Volumus*,
inquiunt. *Profecto*, ait, *ego pater eius sum*, *et Babenberc*[c] *mater eius debet esse. Ver-
bum hoc mutare non poterimus. Si quis autem huic nostrae ordinationi*, *quae a Deo est*, *con-
traire temptaverit*, *offensam nostrae indignationis procul dubio incurret. Non*[d] *enim levitate
aut privatis commodis*[e] *ducimur*, *sed quod honestissimum*, *et maxime illi ecclesiae necessarium
esse perspeximus*, *id simplici animo*[f] *in hoc negocio sectati sumus. De expertis rebus non
21 incertum iudicium est. Longa hunc hominem experientia*[21] *et probatione totum didicimus*[g],
fidem eius, *longanimitatem*[h], *pacientiam*, *prudentiam*, *sagacitatem et diligentiam in exequendis
parvis rebus*, *strennuitatem eius in magnis negociis notam habemus. Denique absentatio eius
magnum domui nostrae impedimentum fiet*, *quam ipse de omnibus rebus strennue ac fideliter
expedire solebat.* Otto igitur audita clementia imperatoris, ad pedes eius sternitur ubertim
lacrimas fundens. Accurrunt legati, prostratum levant; ille humiliter recusat, se pauperem,
22 se indignum tantae dignitatis affirmans; iustius esse viros ingenuos, claros, nobiles[22], poten-
tes ac divites dominos[i] et concapellanos suos, ad tales honores conscendere. *Cernitis*, ait
imperator, *qua hic homo feratur ambitione? Iam tertio recusat*, *iam duos episcopatus sibi ob-
latos ad socios transferri rogavit. Quid vobis videtur? Augustensi episcopatu eum locare vo-
Prov 20,21. luimus*[k. 23], *sed ille sciens*, *quia hereditas ad quam primo*[l] *festinatur in fine benedictione carebit*,
eos qui se priores in laboribus et exerciciis curiae nostrae extiterant, *prius ad quietem venire
24 iustum esse dicebat. Postea*[24] *vero de Halberstatensi episcopatu sibi a nobis oblato similiter
fecit. Quid ergo? Spero*, ait, *Babenbergensi ecclesiae hunc divinitus esse reservatum.* Haec
dicens, anulum episcopalem digito eius infixit et baculum dedit, sicque vestitum[m] legatis
consignavit, moxque ab omni curia ei acclamatur. Legati ergo rem a Deo esse cognoscen-
25 tes, suscipiunt, amplectuntur, dominum et patrem suum illum vocantes[25]. Quos etiam allo-
quens imperator: *Assumite*, ait, *dominum vestrum*, *et omni reverentia*, *dilectione ac bonitate
ipsum complectimini. Testor eum qui novit omnia*, *non me hodie nosse mortalem*, *cui honestius
ac tutius eius loci cura credi potuisset. Me quoque vivo et in imperio Romanorum posito*, *qui
hunc tetigerit*, *tanget pupillam oculi mei.* His modis, hoc ordine ad pontificatus gradus scan-
dere coactus, aegre quidem et cum multa haesitatione consensit, propter de investitura con-
tentionem inter regnum et sacerdotium, et propter electiones ecclesiarum, quas evacuare
ac sibi vendicare vi magis quam iuste laborabat imperialis auctoritas. Cogitabat etiam non
absque divinitatis nutu tertia iam vice episcopatum sibi offerri; quem si tertio repudiasset,
Ps. 108, 18. timuit, ne sententiam incurreret illam, qua dicitur: *Noluit benedictionem et elongabitur ab
eo.* Itaque in his angustiis positus, quod solum salutare putabat, ad sanctae et apostolicae
sedis et catholicae matris auxilium confugere delegit. In ipso igitur articulo adhuc in curia
positus, votum vovit Domino nunquam se in episcopatu mansurum, nisi et consecrationem

a) aut B 3. 3*. b) inquit B*. c) Babenbrech B 2. d) deinde B*. e) non *add.* B*. f) simpliciter B*. g) probatione didicimus pacientiam *in margine eadem manu*, *omisso* totum B 2. h) fidem eius long. *desunt* B 2. i) *deest* B 2. k) uolumus B 3. 3*. l) in principio B 1. m) investitum B 1.

gatis ex Franconia venientibus de Suevo, etsi ex nobili stirpe oriundo, dici potuisse, nemo miretur. 21) i. e. trium circiter lustrorum experientia, nam ducis Poloniae legatus Otto circa annum 1087 primum in imperatoris notitiam venerat. 22) In his non contradicit auctor iis quae de Ottonis origine dixit; modestius de se loquitur Otto. 23) Post mortem Sigefridi episcopi qui obiit 2. Dec. 1096, vid. Ann. August. De constituendo alio episcopo imperator ex Italia redux a. 1097 demum cogitavit. 24) i. e. post a. 1096. At Fridericus episcopus Halberstadensis, qui Heinrici partibus favit et a. 1105 cum ecclesia pacem fecit, iam a. 1089 vel 1090 episcopus videtur factus esse; cf. Ann. Saxo ad h. a. et Chron. Halberstad. ed. Schatz ad 1088. Valde perturbata est chronologia episcoporum Halberstadensium, neque cum Ottonis vita exaequanda. Cf. Giesebrecht Wend. Gesch. II, 224. 25) Quo die electus sit Otto certo statui nequit, quum in praeceptis eius iussu scriptis rarissime anni episcopatus annotati sint. Sed duplici modo numerabantur, ut videtur. In charta fundationis monasterii Uraugiensis, Ussermann Ep. B. c. pr. n. 74, legitur: *Anno dom. inc.* 1108, *episcopatus vero nostri anno* 6. quibus verbis quum desit dies initium ducitur ab anno 1102 vel 1103; in alia Prieflingensibus scripta *anno Domini* 1123, *ind.* 1, 16. *Kal. Mart. r. Heinrico imp. IV, anno pontif. nostri* 22, initium ad ineuntem annum 1102 falso reiicitur. In duabus aliis tabulis numerantur anni ordinationis. Privilegium datum monasterio Prieflingensi Monum. Boic. XIII, 158. scriptum est: *Anno Dom.* 1138. *ind.* 1, 3. *Id. Dec. a. r. Chonradi III.* 1, *anno vero ordinationis dom. Ottonis Babenberg. ep. octavi* 32. Quae bene inter se cohaerentia signa annum ordinationis indicant 1107, ut in alio diplomate Ensdorfensi Mon. B. XXIV, 18. *A. D.* 1139, *ind.* 2, *a. Konradi III. regis* 2, *episcopatus vero domini Ottonis* 32. Sed mendum inesse videtur signis. Ottonem 13. Mai. 1106 ordinatum esse commoveri nequit. Vid. infra I, 10.

pariter et investituram canonice, consensu et petitione ecclesiae suae, a manu domini apostolici suscipere mereretur. Diem autem natalis Domini Moguntiae cum imperatore celebravit, [1102 Dec. 25.] dehinc retentis ex parte atque ex parte dimissis legatis, qui pro se venerant, in curia mansit diebus pene 40 decore magno et honestate, imperatore ipso et omni aula [1103. Ian.] plurimum ei deferente.

8. *Quomodo in episcopatum deductus sit.*

Post haec princeps Augustensi[26] et Wirzeburgensi[a, 27] mandat episcopis aliisque de curia sua honoratis viris, qui honestissima societate atque ingenti comitatu ad sedem suam in vigilia purificationis beatae semper virginis Mariae Babenberc[b] eum deducebant, omni [Febr. 1.] clero et populo in magno desiderio et expectatione positis. Itaque propinquante illo ad locum, ubi primitus conspicere potuit monasterium cathedrale, ab equo descendit, calciamenta solvit, humilitatem cordis habitu corporis ostendit, frigora, nives et glaciem Februarii nudis pedibus usque in aedem beati Georii calcavit, occurrentibus ei longo examine clericis et monachis nobilibusque laicis in multitudine copiosa cum universa plebe Babenbergensis ecclesiae, in pompa[c] et processione gloriosa, in ornamentis et reliquiis sanctorum, in ymnis et confessionibus personae ac tempori oportunis; tantaque fuit exultatio et decus susceptionis, ut verbis explicari non queat[28]. Salutatione autem completa, penetrabile gelu pedes adusserat ita episcopi, ut vitae sedem, cor et vitalia, frigus ex toto paene possederit[d]. Episcopus autem rerum gnarus, aliis aquam calidam ad lavandos pedes offerentibus, ille frigidam poposcit, et imponens pedes frigore frigus pulsavit[e]. Memor ergo voti[f] sui, post paucos dies[29] susceptionis suae, antequam de aliis rebus suis ordinaret, nuncios Romam mittit et litteras in hunc modum:

9. *Quomodo litteras apostolico miserit.*

Domino et patri suo Paschali, sanctae et apostolicae sedis universali episcopo, Otto Ba- [1105.] *benbergensis ecclesiae id quod est, tam devotae quam debitae subiectionis orationes et ser-* [Spt.–Dec.] *vitium. Quia*[g] *totius ecclesiasticae dignitatis ac religionis fundamentum*[h] *in Christo petra est, et in Petro eius discipulo et eius successoribus, idcirco ab hac linea*[i]*, ab hac virga directionis, virga regnorum, pontificatuum et omnium potestatum in ecclesia, insanum duxi aberrare. Vobis igitur, pater sanctissime, et sanctae matri meae*[k] *Romanae ecclesiae collum devote submittens, auxilium et consilium de rebus meis flagito. In obsequio enim domini mei imperatoris per annos aliquot degens, et gratiam in oculis eius inveniens, suspectam habens de manu principis investituram, semel et iterum, cum dare vellet, rennui episcopatum. Nunc vero iam tertio in Babenbergensi episcopatu me ordinavit, in quo tamen minime permanebo, nisi vestrae complaceat sanctitati per vos me investire et consecrare. Quicquid ergo placeat discretioni vestrae de me, per nuncios mihi significate servo vestro, ne forte in vacuum*[l] *curram, si ad vos currere* [Gal. 2, 3.] *incipiam. Omnipotens Deus*[m] *mihi*[n] *propitiam incolumitatem vestram custodiat.* Domnus autem apostolicus visis litteris gavisus est, eo quod pauci episcopi Teutonici regni in ea malignitate temporum, matri suae, ut iustum esset, deferrent; ac ei tales litteras destinavit[30]:

a) Wirtzburgensi B2. b) Babenberch B2. c) impompa B2. d) posserit B3. 3*. e) propulsavit B*. f) non B3. 3*. g) Qui B2. h) *ita* B*. firmamentum *rell.* i) ab h. l. *desunt* B*. k) nostrae B3. 3*. l) vanum B3. 3*. m) *deest* B2. n) michi B3. 3*.

26) Herimanno. 27) Emehardo. 28) Paullo post 15. Iul. 1103 Heinricus libertates Babenbergensis ecclesiae confirmavit. Usserm. Ep. Babenb. cod. pr. 55. Monum. Boic. XXIX, 1. p. 218. Boehmer 1969. Eodem fere tempore aliam epistolam adhortatoriam ad Ottonem dedit Heinricus. Usserm. l. l. 56. 29) Dubitem num hi dies fuerint ita pauci. In bello civili Heinricorum a. 1104 et 1105 Otto primum ex parte patris stetit, cui debebat episcopatum. Mense Aug. 1105 quum imperator Wirceburgum obsideret, Ottonem ei adhaesisse probant litterae ad eum ab imperatore datae, quas ex codice Udalrici 210. 211. post Gretserum et Ludewigum repetivit Ussermann Ep. Bamb. cod. pr. 58; cf. Giesebrecht Wend. Gesch. II, 228. an. 2. Dein vero filio favere coepit, ut ex altera epistola ibidem apparet; quod post Heinrici senioris cladem ad Regen fluvium factum est. Nam in conventu Moguntino in nativitate Domini 1105 cum inimicis imperatoris erat Otto. Itaque litterae ad papam inter Septbr. et Dec. 1105 scriptae videntur. 30) Praeter has, secundas commoventes ad papam misit litteras Otto ineunte anno 1106 quas servavit Ebbo I, 10. Dein, ut videtur, sequens dedit responsum Paschalis, qui antea de Ottonis fide nihilominus dubitabat. Erat autem, ut testatur Ekkehardus, Otto *designatus pontifex* inter illos legatos, qui, ut constitutum erat in conventu Moguntino 25. Dec. 1105, mense Fe-

1106. *Paschalis*[a. 31] *episcopus*[a*], *servus servorum Dei, Ottoni dilecto fratri, Babenbergensis ecclesiae* Prov. 10, 1. *electo, salutem et apostolicam benedictionem. Filius sapiens laetificat matrem suam. Opera tua et consilium tuum virum praeferunt sensatum. Nos igitur honorare et profectus*[b] *tuos iuvare congruum duximus. Nichil ergo de nostra benivolentia dubitans tuam*[c] *nobis, quantotius*[d] *vales*[e], *praesentiam exhibeto. Certi enim sumus, quod divina sapientia etiam malis hominum bene uti novit.*

10. *Quomodo sedem apostolicam post electionem adierit, et curam resignaverit.*

Mai. 5. Igitur acceptis litteris[f], iuxta verbum domni apostolici[g] beatus Otto Romam, in ascensione Domini veniens, transivit, et in Anagnia[h], civitate Campaniae, domnum apostolicum invenit. Porro viri honorati qui cum eo erant, data et accepta salute, domnum apostolicum etiam ex parte salutant ecclesiae[32], subdentes petitionem et vota pro electo. Otto vero nichil cunctatus, ordinem et modum accessionis aperit, fatetur omnia, baculum ponit et anulum ad pedes apostolici, temeritatis vel errati veniam petit, insinuans tamen non voluntate sua sed potestate factum aliena[33]; pro quo et severus[i] in se canonicae districtionis sibimet imprecatur ultionem. Apostolicus vero, vir summae[k] prudentiae, constantiam eius admiratus, levare iubet insignia. Negat ille, indignum se et peccatorem protestatus. Tum apostolicus: *Sancti spiritus,* inquit, *festum propinquat; tanti arbitri*[l] *consiliis rem hanc commendare debemus.* Deinde ubi de his satis utrimque dictum est, benedictione accepta, Otto cum suis ad hospicium digreditur. Ibi multa secum tota nocte illa et sequenti die tractabat maliciam temporum, anxietates et pericula pastorum, inobedientiam et inquietudines subditorum; postremo quicquid in tali re duri vel adversi esse potest, ante oculos ponebat, ac plena deliberatione, omnibus depositis, privatus et quietus apud se vivere decrevit. Itaque ascitis sociis viae[m], quid deliberasset aperuit. Moxque vale faciens domno apostolico et curiae, per viam qua venerat redire coepit. Cumque iter cucurrisset, missis Mai 12. legatis sub sanctae obedientiae mandato apostolicus redire iubet abeuntem; mittit dona donorum significativa[n 34], monet cor et corpus aptare donis Spiritus sancti. Quid faceret? Obedientia retrahitur, a comitibus impellitur[o], et cum tremore ac reverentia iuxta manda- Mai. 13. tum domni apostolici reversus, in sancto die sacrosanctae[p] pentecostes, petentibus nunciis ecclesiae suae, ab ipso domno apostolico investitur, multoque decore ac laetitia totius curiae, sancti Spiritus invocatione, inter missarum solempnia in episcopum consecratus est[35]. Et revertens has de itinere litteras expectanti ecclesiae suae praemisit: *Otto*[q], *Dei gratia Babenbergensis episcopus, Eberhardo praeposito, Adelberto*[r] *decano*[36], *caeterisque fratribus omne bonum. Quantum ego novi et expertus sum caritatem vestram, scio vos iam diu expectare eventum nostri laboris, ut de nostro successu, siquidem bene per misericordiam Dei successerit*[s], *gaudeatis. Ne ergo diutius suspensi aut dubii sitis de nobis, sed ut*[t] *iustum est, sincerissime gratulemini*[u], *litteris istis vobis significare decrevimus, quam misericorditer Deus more suo post inmensos labores et sudores plurimos nobiscum operatus sit. In die sancto pentecostes, qui dies*[v] *ex adventu sancti Spiritus sacratus et cunctis fidelibus iure sollempnis est, illo inquam die Deo sic ordinante, in Anagnia, civitate Campaniae, quae Romaniam dividit et Apuliam, episcopalis benedictionis munus, quamvis indignus, Domino largiente suscepi, beatissimo papa*[w] *Paschali manum imponente, caeteris vero episcopis plurimis cooperantibus, clero quoque Romanae ecclesiae, cuius magna pars ea die in eandem civitatem convenerat, astante et consentiente; et quod nulli a Romano pontifice consecrato nostris temporibus contigit, sine obligatione alicuius iuramenti consecratus sum. Huius loci, huius diei, huius gratuitae misericordiae Dei sem-*

a) *incipit novum caput* B 2. 3. 3*. *inscriptum:* Responsales domini papae ad Ottonem. a*) *vocem supplevi.* b) provectus B 3. 3*. c) tua B 3. 3*. d) quanto ciucius B 1. e) valens B 2. 3. 3*. f) *deest* B 1. g) mandatis *add.* B 1. h) anania B 3*. i) severius B 3. 3*. k) s. vir B 1. l) arbitrii B 3. 3*. m) ille B*. n) sericata B*. o) repellitur B 3. 3*. p) *deest* B 1. q) B 1. 2. 3. *incipit caput inscriptum:* Litterae Ottonis choro et capitaneis post reditum a sede apostolica destinatae; *legitur haec epistola* A 1. I, 9. A 2. I, 14. r) Egilberto A 1. 2. s) re... *addunt Ebbo et cod. Udalr.* t) aut si B. u) gaudeatis B. v) *deest* B. w) venerabili p. domino P. B 3. 3*.

bruario 1106 ob pacem cum pontifice faciendam in Italiam proficisci conantes, in valle Tridentina ab Adalberto marchione capti sunt, duobus exceptis; quorum unus erat Otto, qui in patriam rediit. Quae omnia vitae scriptores silentio praeterierunt. 31) Jaffé Reg. pontiff. 4516. 32) Bambergensis. 33) Vix ita se excusare potuit. 34) Cf. Ebbo I, 11. 35) In chronographia Heimonis Mon. Germ. SS. X, 3. legitur 4. Id. Mai. sed accuratissime tempus descripsit Ebbo I, 11. ita ut 13. Mai. 1106 in dubium vocari nequeat. 36) De his vide Ussermann l. l. p. 259. 262 ipsamque epistolam in cod. Udalr. 229. ubi ut hic, resecta est extrema pars, quam habet Ebbo I, 15.

per memores esse debemus, et[a] *ut vos memores esse velitis, cum omni*[b] *gratiarum actione,* 1106. *obnixe precamur, praecipue cum aliae quam plures venerandae personae de magnis rebus aput apostolicam sedem agentes, infecto negocio redierint. Valete*[c].

11. *Commendaticiae*[d] *domni papae pro Ottone.*

Apostolicus vero has commendaticias ecclesiae scripsit pro dilectione Ottonis episcopi: *Paschalis*[e. 37] *episcopus, servus servorum Dei, clero et populo Babenbergensi salutem* 37 *et apostolicam benedictionem. Quantae affectionis debito Babenbergensis ecclesia ab ipso suae constitutionis primordio sedi apostolicae constringatur, etsi nos lateret, litterarum vestrarum significatio manifestat. Quod affectionis debitum venerabilis frater noster Otto, vestrae ecclesiae electus, non inconstanter tenuisse ac tenere cognoscitur, cum per tot et tanta pericula ad apostolicae sedis visitationem tendere procuravit. Nos igitur eum debitae benignitatis affectione suscepimus, et iuxta vestrae dilectionis desiderium, nostris tanquam beati Petri manibus, salvo metropolitani iure, vobis per Dei gratiam praesulem ordinavimus. Hunc igitur sub praesentium literarum prosecutione ad ecclesiae vestrae regimen remittentes, plena hortamur affectione diligi, plena humilitate venerari. Confidimus enim eum disciplinae ecclesiasticae futurum esse custodem, et salutis vestrae sollicitum provisorem. Huic ergo sedulis obedite obsequiis*[f], *et gratiam vobis in eo conciliate coelestem. Integritatem catholicae fidei firmam semper in omnibus conservate, sedi apostolicae semper devotius adhaerete, ut per eius consortium a contagiis omnibus liberi, ad aeternae salutis portum feliciter pervenire Domino largiente mereamini*[g].

12. Cunctis ergo diebus, quocunque statu ecclesiae, apostolicae sedi constanter ac fideliter adhaesit beatissimus Otto episcopus, adeo ut in illa dolenda excommunicatione 1112. imperatoris Heinrici iunioris toto tempore scismatis cum sacerdocio perstiterit[38], canonicis 38 non sine ingenio quidem imperio pro conservatione rerum temporalium faventibus.

EX HERBORDI DIALOGO.

13. *De mirabili benignitate beati Ottonis episcopi*[h].

Tali[i] ergo[k] ordine et honore in episcopum consecratus, multis virtutibus enituit, sed una in eo tanta[l] claritate resplenduit[m], ut in morem[n] solis caetera sidera prementis[o] sua luce, alias quodammodo minus redderet fulgentes. Dico[39] autem beneficentiam vel libera- 39 litatem*, quam[p] etiam bonitatem, largitatem, benignitatem et munificentiam appellari invenio. Pluribus enim vocabulis unam rem nominari non est rarum. Quam si velim, sicut

* Quae in eo speciali quadam praerogativa sic enituit, ut sine ambitione gloriae inanis gratiam consequeretur apud Deum et aput homines. B. *exc.* B*.

a) *deest* B 3. 3*. b) *deest* B. c) *reliqua quae leguntur apud Ebbonem et* A 1. 2. *desunt* B. d) commendacione B 2. e) *leguntur litterae* A 1. I, 9. A 2. I, 13. f) officiis obedite B. g) pax vobiscum *add.* B 1. h) *ita in* A 1. *inscriptum est hoc caput* I, 10. i) *loco verborum* tali — consecratus *haec leguntur* in A 1. I, 10. Otto quidem beatae semper memoriae. *Verba* multis virtutibus — vel liberalitatem *quae sequntur, prima sunt verba in quibus convenit* A 1. *cum* B; *desiderantur in* A 2. *Capita in sequentibus constituta sunt ex* A. et B*. *in quibus ubique conveniunt; inscriptiones sunt ex* A. k) igitur B 2. l) tanta in eo B 1. m) replenduit B 3. 3*. n) molem B 3*. o) pronitentis B 3*. p) *caput* 13. *ab hoc verbo et sequentia* 14—19. *in uno leguntur* A 1; *sunt libri I. capp.* 10—15.

37) Cod. Udalric. 230. Jaffé Reg. pontiff. 4531.
38) Fidem eius pallii praemio ornavit papa 1111, vid. Ebbo I, 12. Anno 1114 Heinrici haud levem suspicionem incurrit Otto, cf. Ekkehard; sed neque minus episcoporum, ut probatur Friderici Coloniensis et Adelberti Moguntini archiepiscopi severis litteris, quorum hic Ottonem Deo et ecclesiae minus devotum existere et quodammodo refrixisse scribit; quin immo, quia Otto episcoporum concilia contra imperatorem convocata frequentare neglexerit, ei officii suspensionem et excommunicationem comminatur. Vid. litteras ap. Ussermann c. p. n. 73 et 68.
39) Sunt verba Tiemonis, cf. infra c. 31; in cuius persona monachos defendere, etsi obscurioribus verbis, necesse videbatur Herbordo, propter maximam Ottonis in monachos liberalitatem. Ob perplexam vero obscuritatem Klempino p. 66 non Herbordo sed Andreae abbati adscribenda videbantur illa verba. Sed sua nusquam inseruit Andreas, ut accurate ipse exposuit Klempinus. Sequentia capita 14—18 ex medii aevi quodam philosopho ab Andrea descripta esse sibi persuasum habet Klempinus p. 67 sqq. At ipsi Herbordo sunt vindicanda; apud Andream 1487 (A 1.) et in versione Germanica Conradi Bischof 1, 20. 21. leguntur. Totus enim locus *quam etiam bonitatem, largitatem* et quae sequuntur usque ad finem capitis 18 arctissime cohaerent cum verbis praecedentibus: *Dico autem beneficentiam vel liberalitatem*, quae non in uno A 1. sed etiam in codicibus B. saec. XIII. leguntur. Neque minus caput 19, quod in iisdem codicibus exstat, arcte coniunctum est cum praecedente capite 18, sive sensum verborum sive ipsa respicis verba. Haud paucae enim repetuntur locutiones Ciceronianae de prodigo et de liberali quae in capp. 14—18 occurrunt, ita ut dubitari nequeat quin haec capita eidem debeantur auctori ut capp. 13 et 19. i. e. Herbordo. Hunc vero veteres et legisse eosque

in eo fuit singularis, singulari efferre praeconio, possunt qui hoc audiunt aestimare, nos monachos, qui tamen avari notamur, callide adulari divitibus, et idcirco liberalitatem divitis, quae licet multa fuerit in multos, maxima tamen fuit in monachos, praedicare. De nobis enim dicunt: *Licentiam habent accipiendi, non tribuendi;* semper enim peccatis nostris facien-
40 tibus ad accipiendum quam ad tribuendum paratiores invenimur[40]. Sed hanc callidae adulationis notam ut ab isto evadam sermone, quid de ipsa benignitate sentiendum aestimem, tam divitibus quam non divitibus, id est tam habentibus opes quam non habentibus, aperio.

14. *Quod duplex esse debeat ratio benignitatis, secundum duplicem indigentiae rationem.*

Cic. de offic II, 15. Duplex enim est ratio benignitatis, secundum duplicem indigentiae rationem; aut enim opera proximi proximus indiget aut pecunia. Et ideo aut opera benigne fit indigentibus aut pecunia. Opera vero prudentiam accipe, vel consilium et industriam, vel quicquid ad interioris hominis spectat eruditionem. Pecunia exteriores opes complectitur. Itaque beneficentia aut opera constat aut pecunia. Posterior haec facilior est, praesertim locupleti, sed illa lautior ac splendidior et viro gravi claroque dignior. Nam licet in utroque genere benefaciendi insit liberalis voluntas, altera tamen ex archa, altera ex virtute proficiscitur. Scilicet quae ex re familiari fit largitio, fontem ipsum benignitatis exhaurit, et ita quodammodo de benignitate benignitas tollitur, quia quo illa in plures usus fueris, eo minus in multos uti poteris. At qui opera, id est virtute et industria, liberales sunt, primum quo pluribus profuerint, eo plures ad benigne faciendum adiutores habebunt. Deinde usu etiam et consuetudine crescit industria, quoque magis secundum illam operando exercemur, eo magis habundamus, ut operari valeamus, et paratiores atque exercitatiores erimus ad bene de Deo et hominibus promerendum. Sed qui tantum largitione hominum benevolentiam consectandam putant, sicque se caros et claros fore autumant, saepe in contrarium labuntur, ita ut saepe his primo sordescant, quos ad sibi favendum pecunia corrumpunt.

15. *Quam mala sit temeraria largitas, quia vilem facit datorem et eum, cui datur.*

Temeraria enim largitas et ipsum qui largitur viliorem, et eum qui accipit deteriorem facit. Usu enim facile accipiendi etiam ad impudentiam petendi depravantur aliqui, vel ad ea quae data sunt contempnendi; quam ob rem id quidem dubium non est, quin illa benignitas, quae constat ex opera et industria, et honestior sit nullo et latius pateat, atque sine detrimento sui et auctoris valeat prodesse pluribus. Nonnunquam tamen largiendum est; neque hoc benignitatis genus omnino repudiandum. Sed praecipue in mendicis et pauperibus atque domesticis fidei in nomine Domini sacrificandum,
41 et saepe de saeculo etiam idoneis et honestis hominibus[41] indigentibus de re familiari impertiendum est. Neque ibi benefacta locantur male, quia inde nonnunquam gratior fructus proveniet. Sed omnia diligenter atque moderate fiant. Multi enim inconsulte largiendo patrimonia effuderunt. Ergo ita largiendum, ut semper id posse inveniaris. Quid autem stultius et dementius quam id, cum honeste quid agimus, non procurare, ut id agere diu possimus? Atqui etiam consequuntur largitionem rapinae. Cum enim inconsulte dando egere coeperint, alienis bonis manus inferre coguntur, et ita, cum benevolentiae comparandae causa benefici vocari appetunt, malefactores fiunt, nec tantam benivolentiam assequuntur eorum, quibus dederunt, quanta incurrunt odia eorum, quibus ademerunt.

16. *De modo benignitatis ex archa venientis.*

Quam ob rem nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, ut passim pateat omnibus. Modus adhibeatur, isque referatur ad facultates. Omnino meminisse debet omnis, qui liberalitati studet, ut de summo, non de fundo tribuat, et ita de toto fundat, ne totum effundat.

17. *Duo esse genera largorum et qui ex his prodigi.*

c. 16. Duo autem sunt genera largorum, quorum alii prodigi, alii liberales sunt. Prodigi sunt, qui epulis et viscerationibus et ioculatorum muneribus et superfluo cultu vestium aliisque vanitatibus pecunias profundunt. In quibus profecto memoriam post se aut nullam aut brevissimam sunt relicturi.

18. *Quis largorum liberalis dici possit.*

Liberales autem sunt, qui suis facultatibus aut captos a praedonibus redimunt, aut obligatos aere alieno miserati absolvunt, aut amicos et propinquos adiuvant in rebus quaerendis vel augendis, et qui recipiunt iustum in nomine iusti, ut mercedem iusti accipiant. In hoc genere largorum non temere Ottonem constituo, qui talium sumptuum facultatem fructum putavit divitiarum.

laudare, et narrationem amplis suarum sententiarum excursibus intercidere aliis locis probatur, quos omnes reiecit auctor anonymus codd. B. Capp. 14—18 maximam partem ex Ciceronis libro de officiis esse descripta primus vidit Jaschius p. 470. 40) In hoc monachos vituperandos esse concedit. 41) non modo monachis.

19. *De*[a] *discretione sancti Ottonis episcopi quam habuit in tribuendo.*

Tanta enim[b] in dando usus est discretione, ut nunquam prodigus, semper autem liberalis inveniretur. Inmanes autem iacturas et sumptus infinitos parvipendebat, si aut[c] suae, aut etiam alienae subveniendum erat necessitati, aut si dignitatis[d] conservandae aut etiam[e] augendae ratio postularet. Equidem homo gravis omnia facta sua certo iudicio ponderabat. Unde si aliquando res maior aut utilior magna largitione acquirebatur, nequaquam manum contraxit. Causa igitur largitionis semper ei fuit aut utilitas aut necessitas, aut honestas aut divinae remunerationis intuitus. Huic autem super omnia intentus, omnium indigentium vel qualibet calamitate oppressorum commune fuit asilum[f]. His tamen beneficentiae modis plus afficiebatur, quorum memoriam posteris relinqueret.

20. *De*[g] *praerogativa honorificentiae, quam acquisivit ecclesiae suae Babenbergensi.*

Post Dei autem honorem, quem in cunctis factis suis glorificare iocundum habebat, etiam ecclesiae cui praeerat gloriam et decorem cumulare satagebat. Unde factum est, quod in ipso introitu suo — cum eatenus quandam specialis honorificentiae praerogativam Babenbergensis ecclesia, usum videlicet crucis et pallii quater tantum[h] in anno haberet — ille, quoniam[i] ex more pro accipienda episcopali benedictione Romanae matri venerandum caput offerebat, non quidem ex ambitione, quod[k] illa vehementer execrari solet, sed ex gratuita ipsius matris benignitate, quae dignos filios honorare gaudet, eundem[l] honore duplicato usum pallii et crucis quatuor aliis vicibus, eo quod idoneus et honore dignissimus videretur, ad omnes successores suos transmittendum, a beatae memoriae papa Paschali percepit[42], in sacrosancto[m] die pentecostes ab ipso in episcopum sancti (1111. Apr. 13.) Spiritus cooperante virtute consecratus. Ex eo igitur tempore, operante in se gratia eiusdem Spiritus sancti, tam in saecularibus quam in spiritualibus causis et negociis consilio viguit et prudentia, ita ut et[n] dignitatem sibi augeret et gratiam apud omnes quidem, sed apud illos specialius, quibus non magis praeesse quam prodesse incipiebat.

21.[o] *De peritia ipsius et industria in rebus communibus.*

Itaque multa ei cura fuit iura et instituta nosse maiorum, et quicquid honoris vel emolumenti alicui ordini vel professioni vel etiam dignitati debite vel gratuito exhibere potuit, nunquam sponte praetermisit. Actionum sinodalium et legum provincialium vel eciam[p] feodalium processus et excessus summe cognitos habebat, atque ad depromendum quod sentiebat gravi et grata et ornata dicendi facultate promptus et[q] comptus erat[r].

22. *De gratia et suavitate predicationes eius.*

Unde licet non philosophicae neque tam profundae in litteratura esset eruditionis, tamen in populari sermone, ad erudiendos in divinis et ecclesiasticis rebus homines, nichil eius eloquentia praestabilius, quod ammiratione audientium et aedificatione compunctorum et peccata sua deplangentium saepe constat probatum. Huic enim ab omnibus sui temporis pontificibus in docendo populum naturali sermone principatus minime negabatur, quia disertus et naturali pollens eloquio, usu et frequentia in dicendo facilis erat, quid loco, quid tempori, quid personis competeret, observans.

23. *Quod magis elegerit benefacere quam benedicere in ecclesia.*

Sed quia pluris est benefacere quam benedicere[43], licet utrobique valuerit et utrumque 43 rectoribus ecclesiarum conveniat, tamen plerumque contingit in altero aliquem esse propensiorem. Unde ad benefaciendum maluit esse proclivior, et in eam partem bonitatis quae ex fonte rei familiaris emanat in proximos, quia copia sinebat, studium inflexit; multaque in praesentes erogans, etiam posterorum et absentium vel nondum natorum oblitus non est. Hinc est quod illis rebus, quae posteris etiam manere possent, maiores sumptus impendit, ut sunt muri, pontes, aquarum ductus, et quicquid ad multorum in longum posset durare commoditatem[s].

a) *ita* A1. *c.* 16. *Leguntur sequentia in* B. *desiderantur in* A2. b) vero A1. c) autem A1. d) dignitati B. e) alienae — aut etiam *exciderunt* B3. 3*. f) consilium B. g) De usu pallii duplicato B1. 2. 3. A1. *est* 17. *Capita* 20—23 *coniuncta* B. h) *deest* B. i) quando B. k) quam B1. l) eodem B3. 3*. m) *deest* B. *excepto* B*. n) *deest* B3. 3*. o) A1. 18. *et sic porro.* p) *deest* B3*. q) pr. et *leg. in uno* B1. r) est B3. 3*. s) Amen *addit* B3.

42) Cf. Ebbo I, 12. 43) Sallust. Catilin. 3.

24. *De primitiis operum eius in episcopio Herbipolensi et Babenbergensi*[a].

Verba Et primitiae quidem operum eius duorum fuit structura coenobiorum in episcopio
Thimonis[b]. Herbipolensi, quorum alterum[c] Uraugia[45] dicitur sub patrocinio beati Laurentii, alterum
Cf. carmen vero[d] Ura in honore beati Petri apostoli[46]. His autem honesta et eleganti fabrica compo-
de Ottone 1108. sitis, sicut omnibus coenobiis suis faciebat, praedia emere, silvas et agros et prata compa-
1128 rare, vel aliis iustis modis acquirere satagebat. Ipsa[e] vero nominare et enumerare uni-
1139. versa, ne longus aut fastidiosus fiam, omitto. Deinde in Babenbergensi episcopio tertia et
quarta aedificatio duorum coenobiorum fuit[f], quorum unum Michelvelt[g] dictum[47] in honore
1119. sancti Ioannis euangelistae, alterum Lancheim[h] in honore beatissimae virginis Mariae de
Mai. 6. 1132. ordine Cisterciensi[48]. Nam illa[i] tria de ordine fecit Cluniacensi, sed[k] Michelvelt et Uraugia
in patrimoniali fundo ecclesiae, Lancheim vero et Urah[l] in adventicio locata sunt.

25. *De operibus in episcopio Ratisponensi.*

1121 Porro in episcopatu Ratisponensi 6 monasteria construxit; 5 de ordine Cluniacensium[m],
1139. quorum unum Ensdorf[n. 49] dictum in honore sancti Iacobi apostoli; secundum est Prufinin-
Mai. 23. gen[o. 50] sub patrocinio beati Georii martiris; utraque autem in adventicio fundo sita[p] sunt*.

* Sed Ensdorf ab Ottone palatino comite acceptum, magnificae liberalitatis munificentia ditatum[q], aedificiis ac praediorum largitionibus decoravit ac provexit. Prufiningen vero quomodo divinae revelationis et angelicae visionis occasione a fundo exstruere[r] coeperit, ad notitiam posterorum scripto transmittere non inutile credimus. Heinricus proinde quintus, Heinrici quarti imperatoris filius, aestivo quodam tempore curiam episcoporum ac principum totius Teutonici regni frequentia celebrem Ratisponae[s] celebrabat, cui venerandum Ottonem, utpote magnum consilio et omnium primatum aspectibus gratiosum, quippe qui gratia et affabilitate et vitae etiam merito omnium sibi conciliabat favorem, regia non patiebatur deesse
Psal 54, 7. vocatio. Sed pius Otto, qui cum psalmista dicere noverat: *Quis dabit mihi pennas sicut columbae? et volabo et requiescam*, si quando locus dabatur et oportunitas, ne tumultu ac strepitu curialium meditationis eius impediretur propositum, a curia se absentabat, ut solus soli Deo quo liberius eo licentius vacaret. Erat itaque in occidentali civitatis parte, in vicinia villae Prufeningen[t] dictae, a qua et monasterium pro contiguitate[u] nomen contraxit, ager pascuus, arborum umbra et graminis viriditate admodum delectabilis, in quo venerandus praesul pro loci amoenitate cum tentorium subrigi sibi fecisset, meridiano tempore fessa

a) *incipit* A 2. *Sequitur in* A 1. *haec inscriptio:* Item de operibus eius in episcopatu Ratisponensi. Item de operibus eius in episcopatu Pataviensi. Item de operibus eius in episcopatu Halberstatensi. Item de operibus eius in patriarchatu Aquileiensi. Item de quinque cellulis quas fecit in diversis parochiis. B 1. 2. 3. *est c.* 18. De monasteriis ab ipso fundatis. *In his codd. omnia* — verba dicta sufficiant *unum est caput. Verba usque* in secunda propagavit *leguntur* A 3. A 4. b) *ita* A 2. *ad marginem in rasura.* c) primum B 1. d) *deest* A 1. B. e) Ipsa — omitto *desunt* B 1. f) fuit d. c. B 1. g) Michȧlvelt B 2. Michelnfelt *porro* A 1. h) Lancheim A 2. 3. Lanchem B 2. i) ista B 3. 3*. k) et B 3. 3*. l) Ura A 1. 2. Urach B 2. m) Cluniacensi Ḃ 2. n) Entistorff A 1. 2. o) Pruveningen A 1. 2. 3. Brůveningen B 2. p) locata B. *exc.* B*. q) in *add.* B 1. r) *supplendum; excidit* B. s) Ratisbone B 2. t) Bruvenigen B 2. Brůfling B 3*. u) contingnitate B 3*.

45) *Aurach* de quo Trithemius Ann. Hirsaug. 1118: *Iuxta Salam fluviolum — distat a Wirzburg versus aquilonem 6 ferme milliaribus.* Erat olim castellum Ernesti II. ducis Alemanniae, ut dicit Otto in litteris de fundatione Uraugiensi scriptis a. 1122; Ussermann Ep. Bamb. cod. pr. n. 74. Ibidem legimus Ottonem anno 1108 fundamentum posuisse et anno 1113 monasterium consecrasse. Cf. quae disseruit Waitzius ad Ekkehardum. Mon. Germ. SS. VI, 2. 46) *Herrenaurach* haud procul ab urbe Aurach, quod a comite Goswino eiusque filio Hermanno comite palatino fundatum, ab Ottone praediis est ditatum, ut testatur Fridericus I. in diplomate anni 1158. Ussermann Ep. Wirzburgens. c. p. n. 43. Böhmer 2388. Inter primitias hoc monasterium non referendum est, quod inter 1128 et 1139 fundatum esse probare conatus est Ussermann l. l. p. 420. 47) In Nordgovia ad fluvium Pegniz situm. Fundationis litteras 6. Mai. 1119 datas vid. Ussermann Ep. Bamb. c. p. n. 70. 48) ad Moenum inter Bamberg et Culmbach. Cf. Ussermann l. l. p. 357 et Jäck Frankenthal und Langheim p. 94. 49) *in episcopio Ratisbonensi iuxta Vilsam in praedio palatini comitis Ottonis de Wittelinespahc, ipsius rogatu, consensu, auxilio et consilio locum, cui Ensdorf nomen est inditum, — construentes ibidem in honorem Dei omnipotentis et sancti Iacobi apostoli monasterium secundum regulam S. Benedicti* — scribit Otto in litteris fundationis a. 1139 die non notato datis, Mon. Boic. XXIV, 15. Ussermann Ep. Bamb. c. p. n. 93. Aedificari coeptum est 10. Kal. Ian. 1121, ut legitur in diplomatario Ried cod. dipl. Ratisp. I, 178. et consecratum 8. Kal. Aug. 1123. Eodem anno 2. Apr. Calixtus II. monasterium suo privilegio donaverat. Monum. Boic. XXIV, 10. Jaffé 5131. Cf. chronographia Heimonis Monum. Germ. SS. X, 3. 50) *Priefling* ad Danubium et Nabum confluentes. Vid. in Monum. Boicis XIII, 3. librum traditionum n. 8 sqq. Fundationis diploma repetivit Otto 1138 ibid. p. 158. Cf. supra Jaffé ad vitam Erminoldi I, 7.

Tertium est coenobium cognomento[a] Munster[b. 51], quod cum adiacente parrochia eiusdem 51
nominis auri et argenti precio ab Heinrico[52] duce Bawariae[c] et a Diepoldo[d] marchione[53]
comparavit, et regali privilegio imperatoris[e] Lotharii in proprietatem Babenbergensis[f] 1133.
ecclesiae collatum suscepit. Quartum est[g] Biburch[54], quintum Madelhartestorf[h 55]; sed Bi- 1109.
burc sub[i] patrocinio beatae Mariae perpetuae virginis[k], illud autem in honore sancti Iohannis euangelistae, utrumque autem fundi adventicii. Sextum est Windberg[l 56], de ordine clericorum regularium quos vocant Nortpertinos[m], in honore sanctae Dei genitricis[n] Mariae, et ipsum de fundo adventicio.

26. *De operibus eius in Halberstatensi episcopio.*

In episcopatu Halberstatensi[o] undecima est ei congregatio Regenstorf[p. 57] de ordine 1127.
Cluniacensi, sub patrocinio beati[q] Ioannis baptistae. Abbaciam enim[r] Wizenburc[s], quae nunc mutato loco et nomine Reginstorff appellatur, cum omnibus ad illam[t] pertinentibus, a munificentia domni Heinrici imperatoris iunioris[u] acceptis privilegiis[58] regiae auctoritatis[v], 58
Babenbergensi adiecit ecclesiae. Bona quoque eiusdem coenobii duplicavit. Nam cum prius non nisi 62[w] habuerit mansos, eundem numerum totidem appositis[x] ipse ampliare curavit.

27. *De operibus eius in episcopatu Eistetensi.*

In episcopatu Aistetensi quae Halesprunne dicitur[59], duodecima illi est congregatio de 1132.
de ordine Cisterciensi[y], sub patrocinio beatae Dei genitricis Mariae[z]. Ipsum autem fundum ingenti pecunia comparatum magnis sumptibus promovit in abbaciam[*].

quieti membra dederat. Cum ecce, in morem scalae illius, in qua Iacob patriarcha angelos vidit descendentes et ascendentes, a capite dormientis ad coelum usque scala porrigi beato pontifici visa est, et angeli in ea alternis vicibus descendentes et ascendentes. Ille igitur[a] sompno excitus[b], capellanos reliquosque commilitones suscitatos advocat, et seriem visionis avide auscultantibus exponit. Omnes itaque visionem a Deo esse considerantes, non somnium vanum, divinae revelationis glorificant dignationem, et episcopum, ut inibi obsequium Deo provideat, per visionem huiusmodi admonitum dicunt. O felicem praesulem, omni laude et honore dignissimum, cuius quia in coelis esset conversatio, divina revelatio et coelestium civium visio declaravit! Ipse proinde agri possessore requisito, agrum comparavit, et altare in eo ubi sponda steterat et desuper ecclesiam[c] exstruxit, donec agris conterminalibus comparatis spaciosum locum monasterio et cellae constituendae conquisivit. Talis itaque ei fuit occasio coenobii Prufenigensis a fundo exstruendi. B. *exc.* B*.

a) *deest* B 1. 2. cognomine B 2*. b) Monasterium A 1. 2. c) Baioarie B 2. d) Dygpaldo A 1. Dipaldo B 2. e) imperatoris *deest* B. f) Wab. B 3*. *et sic porro.* g) *deest* B. h) Malhartsdorf B 2. i) *deest* A 1. 2. in A 3. k) Dei genitricis B. l) Windebergen A 1. 2. 4. m) cl. — vocant *desunt* B. *quorum loco* Norpertinorum. n) beatae D. g. B. o) Haberst. B 2. 3*. p) Reginsdorf B 2. q) *deest* B. r) *deest* B. s) Vicenburg A 2. 3. t) ad illam *desunt* B u) *ita* A 1. 2. 4. ab Heinrico imperatore B. v) r. a. *desunt* B. w) sexaginta B. x) additis B. y) Halsprunne dicta *post* Cisterciensi B. z) *deest* B. *) ipse autem fundus a venerabili Ottone multa p. comparatus m. s. i. ab. promotus est B. a) ergo B 2. b) excitatus B 3*. c) ediculam B 2.

51) *Mönchmünster* ad Danubium infra Vobburg. Antiquissimum hoc esse monasterium credebatur, ut testatur inscriptio antiqua, quam servavit Gretser Div. Bamberg. p. 397 et litterae S. Rufinae cardinalis ad Innocentium II. ibid. p. 401 in quibus legitur: *Temporibus Lotharii imperatoris piae memoriae Otto Bambergensis episcopus praefatum monasterium, religione et rebus penitus nudatum, cum paucis adiacentibus terris et habitaculis ab imperatore et duce Heinrico per pecuniam obtinuit.* Lotharii imperatoris diplomata de hac re scripta sunt duo 13. Oct. 1133. et 6. Ian. 1134. Monum. Boic. XXIX, 1. p. 259. 262. Böhmer 2131. 2139. Cf. etiam Ussermann pag. 97. 52) Superbo. 53) Vohburgensi. 54) Biburch monasterium SS. Simonis et Iudae 1133 ab Ottone consecratum esse habet Aventinus in catalogo abb. Biburg. ap. Gretserum Div. Bamb p. 403. 7. Ian. 1139 Innocentius II. hanc fundationem confirmavit, cf. Jaffé 5667. et alia bulla eodem die monasterium Mallerstorf. Ibid. 55) *Mallerstorf* inter Straubing et Ratisbonam a monasterio inferiori Ratisponensi separatum et suo iure constitutum est, quod confirmavit Lotharius imperator 1. Iun. 1129. Monum. Boic. XV, 263. Böhmer 2108. Fundatorum litteris si fides habenda, scriptae sunt 1109. M. B. XV, 255. 56) prope Straubing; de tempore nihil certi constare videtur. 57) *Reinersdorf* ad Unstrutam inter Scheidingen et Memleben, quod dedicavit 9. Apr. 1127; cf. Ebbo III, 3. 58) *pro fidele servitio Ottonis* ut legitur in diplomate Heinrici V. quod vide Monum. Boic. XXIX, 1. p. 240. Böhmer 2071. 59) *Heilsbronn* prope Ansbach. Ottonis litterae fundationis scriptae sunt 1132, quas vide in Hocker Hailsbronner Antiquitätenschatz Suppl. 59 et Ussermann Ep. Bamb. c. pr. n. 89. Hic legitur: *predium apud Halesprunnen ab Adelberto comite et fratre suo Chunrado atque a tribus sororibus suis digno pretio comparavimus.* Aliud praedium dono ab eo datum 195 marcis emit.

28. *De operibus eius in episcopatu Pataviensi.*

1139. In episcopatu Pataviensi ei tertia decima congregatio est quae dicitur Alrispach[a. 60].
1121. Et quarta decima Clunica[b. 61] sub patrocinio beati Andreae apostoli iuxta fluvium Anisam[c].
62 Hanc autem a Liupoldo[d. 62] marchione[e] datam suscepit, in cuius promotionem 20 mansos et 50 marcas impendit.

29. *De operibus eius in patriarchatu Aquileiensi.*

Et in patriarchatu Aquilegensi quintum decimum coenobium in castro Arnolde-
1107. stein[f. 63], destructa munitione, construxit. 45 vero annis hoc castrum cum 95 mansis ad se pertinentibus ab ecclesia Babenbergensi abalienatum fuit[g]; quos ipse multo labore et impensa recuperavit, et appositis[h] eis 60 mansis, abbatiam esse fecit[*]. Has quindecim[i] congregationes opera illius et benignitas numquam infecunda[k] propagavit.

30. *De quinque cellulis quas fecit in diversis parrochiis.*

Quinque insuper[l] cellulas quasi totidem grana seminis seminare curavit[m], sciens, quod
1 Cor 3, 7 *neque qui seminat, neque qui[n] rigat, neque qui plantat[o] est aliquid, sed[p] qui incrementum dat Deus.* Ex eisdem igitur granis quidam iam surculi pullulant, poteruntque Deo[q] incremen-
64 tum praestante in arbores consurgere. Sunt autem hae: Una quae dicitur Aspach[64] in honore sancti Matthaei apostoli et euangelistae. Ipsum autem fundum et praedium eius multo tempore Babenbergensis ecclesia perdiderat, sed ipse illud[r] sollerti cura requisitum cellam fecit monachorum, iamque[s] in abbatiam convaluit, copiosa praediorum donatione
1124. ab ipso primum, deinde ab aliis fidelibus ditata. Secunda est in loco Babenbergensi in domate sancti Michahelis sita[65], sub patrocinio sanctae Fidis virginis et martiris. Primo hanc sanctimonialium esse voluit, sed altiori consilio septem monachis eam instituit, et cum
1137. Mai. 25. omnibus pertinentiis suis sancto Michaheli consignavit[66]. Tertia est Rotha[67] sub patrocinio sancti Georii martiris in episcopio Herbipolensi. Quarta est Vezzera in eodem episcopio[68], in honore sanctae Dei genitricis Mariae, de ordine Nortpertinorum. Sed alterius fecunditas alteri fecit sterilitatem; Rotha enim in sua permanens tenuitate[t] proficienti Vezzerae tamquam meliori ad serviendum subdita est. Hoc tamen sciendum, quod[u] episcopus Rotham ab Agnete palatina et eius sorore Adelheida cum 60 mansis ecclesiae Babenbergensi donatam suscepit, circumiacentia vero eidem[v] cellae bona emit 275 marcis, cum ministerialibus scilicet et agris, silvis et pratis, pascuis ac molendinis, et cum omni[w] utilitate ac iure, quo
1135. Chuno dux idem praedium[x] noscitur habuisse[69]. Vezzeram autem Goteboldus[y] comes[70]

* In episcopatu quoque Cicensi decima sexta congregatio fuit ei Pigau de ordine Cluniacensi B 1. 2.

a) Alderspach dicta B. b) Clunic B 1. Cluin B 3*. c) Anesum B 1. d) Leupoldo B 2. e) per manum cuiusdam Rudegeri *add.* A 3. f) Arnoldstain B 2. g) fuerat B h) additis B. i) *ita* A 1. 2. B 2. 3*. XVI B 1. k) fecunda semper B. l) enim B 3*. m) curaru B 3*. n) seminat n. q. *desunt* B. o) n. q. plantat *desunt* A 1. 2. p) sedin B 2. q) poterunt deoque B 3*. r) *deest* B 1. s) iam A 1. tamque B 3*. t) sterilitate B. u) *deest* B 1. v) eiusdem B 1. 2. ecclesiae B 3*. w) *deest* B. x) pr. idem B 1. y) Gotboldus A 1. Gothb. A 2.

60) *Aldersbach* in valle Vilsthal haud procul a Vilshofen, quod confirmavit Otto a. 1139; v. Mon. Boic. V, 353. in litteris ad Ascuinum praepositum Alderspacensem, ubi haec leguntur: *Ecclesiam quam nos in loco Alderspach dicto fundare coepimus — Deo ac beato Petro apostolo offerimus, statuentes ut ibidem fratres secundum regulam beati Augustini religiose conversantes in perpetuum maneant* etc. 61) *Glunick, Glinck* in Austria superiori, quod a. 1121 Ottoni datum esse probare conatus est Aq. Caesar Annal. Styriae; fundationis charta I, 743. data 1125 movet suspicionem, ne falsa sit. 62) quarto, Austriae marchione. 63) *Arnoldstein* in Karinthia quod 1107 constitutum esse cum Ussermanno p. 61 volunt alii. 64) *Aspach* ad rivulum Aspach haud longe a Griesbach, quod 1127 fundatum volunt editores Monum. Boic. Ibid. V, 158. legitur charta Eberhardi episcopi Babenbergensis a. 1164 in qua haec habentur: *Itaque beatae memoriae dominus noster Otto episcopus, talium rerum studiosus, locum coepit, et praediis ac decimis auctum sub patrocinio beati Mathaei apostoli in abbatiam promovit.* 65) in occidentali parte montis S. Michaelis. 66) de dedicatione cf. Ebbo II, 3. Donationis privilegium scriptum est 25. Mai 1137 *in synodo Babenbergensi in praesentia cleri et populi.* Ussermann l. l. n. 90. 67) Cuius neque situs noscitur; omnia sunt obscura; cf. Ussermann Ep. Wirzburg. p. 496. 68) ad Werram et Schleussam confluentes. Vid. Schultes Gesch. d. Hauses Henneberg I, 37. 69) Conradus dux Zaringiae, qui obiit a. 1152, frater Bertolfi ducis Zaringensis; cf. infra Andreas in catalogo abbatum S. Michaelis. Vid. Stälin Wirtemb. Gesch. II, 286. Agnes palatina est soror eius quae nupsit Wilhelmo comiti Burgundiae. 70) de Henneberg. Reinhardt Beiträge zu der Hist. Frankenlands I, 108. legitur Ottonis diploma a. 1135.

aedificare inchoaverat, quam episcopus ab eo sibi datam suscipiens, suis eam promovit impensis. Quinta ei cella fuit in episcopio Erbipolensi Nithardeshusen[a] [71] in pago Tullevelt. 71 Atque si quod verum est fateri liceat, sextam illi Tucchelenhusen[b, 72] in eodem episcopio annumerare debemus. Huius enim structores dum eius promotioni minus sufficerent, scientes episcopum talium rerum studiosissimum, ut eius opitulatione locus promoveretur, ipsius hunc titulo ascripserunt, atque ut eum Babenbergensi ecclesiae omni iure firmarent, coram idoneis testibus promiserunt. Hac igitur conditione multa eidem loco impendit. Haec de cellis et monasteriis eius dicta tibi[c] sufficiant.

Tum *ego:* Distincte, inquam, et succincte satis ea digessisti, et ego si bene numeravi, 21 cellarum et monasteriorum summa perfecit[73]. Uni episcopo satis fuit, imo vero tribus 73 aut quatuor*.

31.[d] *Quid intentionis habuerit, vel quid rationis, de his operibus interrogatus, reddere solitus fuerit*[e].

Sefridus[f]: Sed quare, obsecro, tantam pecuniam in talia proiecit? Certum est enim, quod non sine magnis sumptibus ista constiterint. Sed sicut ea reprehendere non audeo, ita vel laudare, nisi alicuius prudentissimi hominis de his sententiam audirem, non praesumo. *Mundus enim*, inquiunt, *coenobiis et monasteriis plenus est.* Quid igitur necesse est tanta fieri monasteria?

Tiemo[g]*:* Non tu primus[h] ista causatus es; etiam cum eo ipso talis de hiis non semel a suis familiaribus habita est quaestio. Sed quia hunc valde prudentem fuisse non ambigis, ipsius tibi de hac re sententiam dico, si placet.

Tum *ego:* Non alius, inquam, sicut eius aeque grata michi super ipsius opera nunquam poterit esse sententia.

Tiemo: Parabolam, inquit, illam euangelicam de Samaritano et homine a latronibus Luc. 10, 33. caeso et stabulo atque stabulario ad suam causam inflectebat, quando familiariter ab aliquo de talibus operibus conveniebatur. *Mundus*, ait, *iste totus exilium est, et quamdiu vivimus* 2 Cor. 5, 6. *in hoc seculo*[i], *peregrinamur a Domino, unde stabulis egemus atque diversoriis.* Stabula vero et diversoria cellas dicebat atque monasteria, et ea non indigenis sed peregrinis seculi esse opportuna. *Qui multa*, inquit, *vel nimia esse vel fieri queruntur diversoria, non se in peregrinatione positos esse*[k] *putant sed in patria. Quodsi a latrunculis occupati fuerint, si spoliati caesi*[l] *atque plagati fuerint, et ita semivivi*[m] *relicti, certe vel inviti experientur, quam melius est iuxta esse stabulum quam procul. Cum enim repentinus supervenerit*[n] *interitus, et dolor sicut in utero habentis, ita ut evadere non sperent*[o], *quomodo illuc levari poterunt, si procul est? Et si tales multi in locis multis, nonne melius est stabula multa esse quam pauca? Si enim pauca fuerint, quomodo multis peregrinis, multis sufficient aegrotis? Praeterea*, inquit, *novissima hora est, et*[p] *mundus in maligno positus est; sed propter eos qui ab illo fugere ac* 1 Ioh. 2, 18. 1 Ioh. 5, 19 *salvari cupiunt, quia homines multiplicati sunt super terram, et coenobia multiplicari absurdum non est. Ab initio saeculi, cum pauci essent homines, necessaria erat hominum propagatio, et ideo non continebant se*[q], *sed nubebant omnes et nuptum dabant; nunc autem*, inquit, *in fine*

* *Quid responderit quaerentibus ab eo causas tot ab eo monasteriorum constructorum.* Inquisitus autem familiariter a suis, quare tot et tanta in sumptus ecclesiarum Christi tam diligenter expenderet, parabolam illam euangelicam de Samaritano et homine a latronibus caeso, et stabulo ac stabulario, ad reddendam rationem causae suae humiliter inferebat, *Mundus*, inquiens, *iste etc. leguntur* B. *loco verborum:* Tum ego — *Mundus*, ait, *iste etc.*

a) Neithartshausen B2. Nichardehawsn B3*. b) Tuckelnhusen A1. Tuckelnhawsen A2. c) *deest* B. d) *est caput* 23. A2. e) erat A1. f) *in rasura* A2. g) Thimo A2. *sic porro.* h) primo A2. i) mundo B. k) *deest* A1. B. l) caesi — inviti *desunt* A1. m) seminudi B*. n) *ita* B*. supervenit *rell.* o) non possint vel sperent B*. possint *rell.* B. p) et — est *desunt* A1. q) se — continentiae *desunt* B3*.

ind. 13. scriptum de donatione Goteboldi comitis et uxoris eius Liutgardae, qui altari S. Petri Babenbergensi tradiderunt *locum qui a nomine vicini fluminis Vessera nomen accepit.* Fragmentum alius diplomatis de hac donatione sine temporis signis vid. Ussermann Ep. Wirzb. c. p. n. 32. Cf. etiam monachum Vesserensem in chron. Hennebergensi ap. Reinhardt l. l. 71) Cella sub castro *Vischberg.* Ussermann l. l. p. 460. Cf. Schannat Dioeces. Fuld. pag. 171. 72) *Dinkelhausen* haud procul a Würzburg. Ussermann l. l. p. 493. 73) Plura in universum monasteria ab Ottone aut fundata esse aut restaurata, inter quae habendum e. g. Banz, docuit Jaeck sub voce *Otto* ap. Ersch et Gruber.

seculorum[a], *multiplicatis hominibus super numerum, continentiae tempus est; continere debent homines, quicumque possunt, atque vacare Deo. Continentia vero et alia sanctitatis opera melius in coenobiis quam extra observari possunt*[b]. *Haec michi causa,* inquit, *fuit, haec intentio* 74 *multiplicandi coenobia*[74]. *Et ut aliquid secundum hominem loquar, dum proficiunt atque succrescunt coenobia studiis et oblationibus fidelium, sicut in plerisque locis videmus — quia tri-* Ps. 143,13. *buente Deo promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud, oves eorum fetosae*[c], *habundantes in egressibus suis, boves eorum crassae, ipsorumque providente sollertia non est ruina maceriae*[d], *neque transitus inutilis in satis et*[e] *pratis eorum — possunt nonnunquam honori atque utilitati esse suis episcopis. Si vero tenues sunt et pauperes, habent successores mei aput quos oportune collocent elemosinas suas, et occasionem inveniunt benefaciendi honestam, si meos surculos irrigando suas arbores faciunt, sicut et ego aliorum meas feci aliquas. Et facilius quidem est*[f] *inchoata promovere, quam ea quae nulla sunt inchoare. Initia enim rerum difficilia sunt. Unde si qui ad inchoandum talia tardi fuerint et timidi, vel meis*[g] *iniciis meisque fundamentis in nomine Domini superaedificare accingantur.* Tales suorum operum ille 2 Petr. 1,11. rationes[h] reddere dedignatus non est, hoc fine omnia concludens, ut in omnibus honorificetur Deus et proximus adiuvetur. Nec eum utique spes fefellit; multa enim bona ex eius studiis in ecclesia provenere atque proveniunt cottidie. Quid enim putetis[i] in tot cellis et coenobiis Deo servitii et honoris, quid proximo solatii exhibetur et utilitatis? Signa illic et portenta per eum et per eius opera[k] fiunt cottidie, et si non corporaliter, profecto, quod Matth. 11,5. melius est, fiunt[l] spiritualiter. Ibi enim caeci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. His enim malis et incommodis[m] circumventi, homines peccatores de saeculo ad meliorem vitam secundum animam in coenobiis convalescunt. Ibi lectiones sacrae, psalmodia et orationes, missae atque divinarum rerum contemplationes, ieiunia[n] et vigiliae, et pugna iugis contra spirituales nequitias, ibi carnis contritiones et cordis, elemosinarum largitiones et multae hospitalitates. Quis neget ex magna parte meritis eius haec omnia posse asscribi, cuius labore et impensa ipsa coenobia[n*] contigit fundari? Considerans autem, quod ipsorum coenobiorum suorum structura robustius consisteret, si eam apostolicae auctoritatis petra solidaret, nec facile posse convelli, si vallata esset munimine Petri, sub eius defensione omnia constituens, a sede apostolica huiusmodi scripta suscepit:

32.[o] *De confirmatione monasteriorum suorum per scripta Romani pontificis Calixti.*

1123. Apr. 3. *Kalistus*[p. 75] *episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Ottoni, Babenbergensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Bonis fratrum nostrorum studiis non solum favere, sed ad ea ipsorum*[q] *etiam debemus animos incitare. Tuis ergo, karissime et venerabilis* 76 *frater Otto, Babenbergensis*[r] *episcope, supplicationibus inclinati, monasteria*[76], *quae ipse*[s] *propriis sumptibus extruxisti, et Babenbergensi ecclesiae conferens, apostolicae sedis roborari munimine quesivisti, in beati Petri eiusque Romanae ecclesiae protectionem suscipimus*[t] *contra pravorum hominum nequiciam defensanda. Statuimus ergo, ut possessiones, praedia et omnia bona, quae et fraternitas tua eisdem monasteriis divini amoris intuitu contulit, quaeque aliorum fidelium iusta oblatione concessa sunt, aut*[u] *in futurum iuste legaliterve acquiri vel offerri contigerit, firma eis et illibata Domino auctore permaneant. Ordinationes sane abbatum vel monachorum suorum a catholicis episcopis diocesanis accipiant. Rerum vero ipsorum monasteriorum curam et administrationem in tuo tuorumque successorum arbitrio et potestate manere censemus*[v]. *Nulli itaque hominum facultas sit eadem monasteria perturbare, aut eorum possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare*[w], *sed*

a) *deest* A 1. B*. b) potest A 2. B 2. 3*. c) setosae A 1. d) materie A 1. 2. B 2. e) in A 1. f) *deest* B. g) in eis in. in eisque B 3*. h) *vacuum spatium huic verbo relictum* B 2. i) putamus B. putas A 1. k) operam B*. B 2. l) *deest* A 2. m) *deest* B*. n) ieiunia — contritiones *desunt* B 3*. n*) ipsa coen. *desunt* A 2. o) Privilegium Kalisti papae B 1. 2. 3. p) *leguntur hae litterae* A 3. q) etiam ipsorum B 1. r) Bebenb. B 2. s) ipsi B 3*. t) suscepimus B 2. u) vel B 1. v) cessemus B 2. w) fatigationibus vexare B.

74) *Notum sit — quantum utilitatis omnibus conferat qui in aedificandis monasteriis laborat,* dicit Otto in diplomate monasterio Michelveldensi scripto 1121. Ussermann Ep. Bamb. c. p. n. 72. 75) Ex duobus aliis exemplaribus leguntur hae litterae apud Ussermann Ep. Bamb. c. p. 76 et Monum. Boic. XXIV, 10. 76) *S. Ioannis baptistae in Regnisdorf, S. Ioannis euangelistae in Michelnvelt, S. Iacobi in Entisdorf, S. Laurentii in Urowa, S. Georgii martyris in Bruviningen,* quae apud Userm. et in Mon. Boic. leguntur, omisit Herbordus.

omnia integra conserventur eorum pro[a] quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis[b] profutura. Si qua igitur ecclesiastica saecularisve[b] persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens infregerit[c], seu[d] contra eam temere venire temptaverit, secundo terciove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri[e] Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eisdem monasteriis iusta servantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inveniant.*

Scriptum per manum Gervasii scriniarii regionarii et notarii sacri palatii[*][77]. 77

Tum *ego*[f]*:* Ecce, inquam, quia de tam multis coenobiis faciendis ipsius qui ea fecit congruas accepi rationes, et eorumdem ab apostolica sede confirmationes, et quia sedes apostolica non confirmat nisi ea, quae sine dubio recta novit et bona, ergo fiducialiter infero, quod ante non praesumpsi, bonum esse et valde bonum, quod tantam pecuniam in talia proiecit; multo enim foenore iam eam totam recepit. Ergo bonum est, non cito, non temere iudicare, sed meliorem sententiam expectare. Sed vellem, sicut in rebus extrinsecis firmitatem et immutabilitatem suis coenobiis per apostolicam auctoritatem providere studuit, et in religione ac rebus intrinsecis[g] aliquam eis stabilitatem atque immutabilitatem per eiusdem sedis apostolicae providisset auctoritatem. Non est enim finis, non est modus mutandae religionis et consuetudinis, maxime in ordine Cloniacensi. Pro suo arbitratu quisque abbatum sine consensu et consilio coabbatum suorum, magno saepe fratrum detrimento, adiicit et reiicit quod vult.

Tiemo: Vetus, inquit, illa de ordine nostro querela est. Sed in promptu est me tibi ostendere, qualiter eius sagacitas huic morbo, quantum in illo fuit, obviare studuerit. Accipe ipse, lege et perlege.

33.[h] *De confirmatione ordinis in monasteriis.*

Innocentius[78] *episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Ottoni, Babenbergensi*[i] *episcopo, eiusque successoribus canonice substituendis salutem et apostolicam benedictionem.* 1139. Ian. 23. *Quotiens illud a nobis petitur, quod religioni et honestati convenire cognoscitur, animo nos decet libenti concedere et congruum impartire*[k] *suffragium, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Proinde, venerabilis frater Otto episcope*[l], *petitionis tuae desideriis ex consueta sedis apostolicae mansuetudine clementer annuimus, in primis siquidem statuentes, ut tenor religionis, qui in ecclesiis tibi commissis est per tuam diligentiam cooperante Domino institutus, firmiter in eis perpetuis temporibus conservetur. Constituimus etiam, ut in eisdem ecclesiis nullus per simoniacam heresin statuatur, sed honestae personae, quibus utique morum et status dignitas suffragatur, inibi ordinentur. Sane in coenobiis, quae vel antiquitus in tua parrochia constructa sunt, vel tu ipse devotionis intuitu constituisti, seu aliis iustis modis ecclesiae tuae unire poteris, vel ab aliquo deinceps fidelium infra tuam diocesin divina inspirante gratia construentur, sacrae religionis ordinem manere decernimus. Nec alicui liceat eiusdem institutionis formam ullatenus permutare, nisi forte ad melioris status praerogativam praestante Domino promovere voluerit; nec id alicuius singulari iudicio committatur*[m], *sed omnium monasteriorum ad Babenbergensem ecclesiam pertinentium aut sanioris partis consilio ac consensu fieri debere sancimus. Si quis autem huic nostrae constitutioni temere contraire temptaverit, secundo tertiove commonitus*[n], *si non factum suum digna satisfactione correxerit, a sacratissimo corpore et sanguine*

* Sed sicut in rebus temporalibus perpetuam securitatem et emunitatem suis coenobiis per apostolicam auctoritatem providere studuit, ita in religione et disciplina spirituali stabilitatem atque immutabilitatem monastici ordinis eiusdem sacrae sedis auctoritate corroboravit, sicut in privilegio quod a domino Innocentio papa accepit, perspicue considerari potest. B.

a) *deest* A 1. per B*. b) et commodis B 1. *omisso* et B*. 2. 3*. b*) *in sequentibus alia manus* B 2. c) *deest* B. d) *addit* A 1. e) *deest* B. f) Tum ego *usque ad finem capitis leguntur in uno* A 1. g) extrinsecis A 1. h) *ita* A 2. De immutabilitate et confirmatione ordinis monastici seu canonici per eadem monasteria ex privilegio Innocentii papae A 1. Item privilegium Innocentii papae B 1. 2. 3. *Hoc caput et quae sequuntur usque ad* a paucis cepit *leguntur* A 4. i) Babergensi B 2. *et sic porro.* k) impartiri B. l) episcopus A 1. 2. m) commutatur B 3*. n) admonitus A 1.

77) *Datum Laterani p. m. Hugonis s. R. ec. subdiaconi* 3. *Non. Apr. ind.* 1. *inc. dom. a.* 1123, *pontificatus autem domini Calixti II. a.* 5. Cf. Jaffé 5131. 78) Vide Ussermann l. l. c. p. n. 95. Jaffé 5673.

Dei ac domini redemptoris nostri Iesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni. Conservantes[a] *eisdem locis quae iusta sunt, omnipotentis Dei et beatorum* 79 *apostolorum Petri et Pauli ac nostram gratiam consequantur*[79].

Hiis ita se habentibus, nonne tibi manifeste[b] videtur beatum Ottonem satis, quantum in se fuit, providisse, ut in omnibus coenobiis suis ordo et tenor religionis sacrae, qui per eius diligentiam cooperante Domino institutus est, firmiter perpetuis temporibus conservetur? Nonne[c] satis aperte sancitum est ab auctoritate Romana, ut in eisdem eius coenobiis sanctae institutionis formam nullatenus alicui mortalium liceat permutare, nisi forte ad melioris status praerogativam praestante Domino voluerit promovere? Hic[d] se tueantur novitatum inventores! Dicant, quod dicunt, et quod certe intendunt, scilicet ad melioris status praerogativam religionem nostram se velle promovere. Sed qualiter id, quaeso, si necesse est, fieri oportet? Ita nimirum, ut sacrosanctae Romanae auctoritatis sigillum non violetur. *Neque hoc,* inquit auctoritas, *alicuius singulari iudicio committatur, sed omnium monasteriorum ad Babenbergensem ecclesiam pertinentium, aut sanioris partis consilio ac consensu fieri debere sancimus.* Iuste ergo, quod iustum est, exsequantur! Si quid adiciendum, si quid reiciendum temporum, locorum aut personarum ratio postulaverit, quod utique pro salute et fructu animarum, pro melioratione et statu ecclesiarum et ordinis promotione plerumque fieri oportet, in tantum illi beatae animae domini et patris nostri[e] Ottonis deferant, in tantum etiam beati Petri sigillo deferant, ut illud consilio atque consensu monateriorum omnium ad Babenbergensem ecclesiam pertinentium vel sanioris partis, prout sancitum est, faciant! Sed mirum, quod nostro ordini contigerit, quod generale capitulum non admittit, cum[f] Augustiniani, Cistertienses et Nortbertini hoc polleant honore; omnia enim faciunt cum[f] consilio, et ideo multa gubernantur sapientia. O utinam Babenbergensis episcopii abbates, memores Ottonis sui, memores[g] apostolicae sanctionis, et exemplo animati de aliis ordinibus abbatum et praepositorum, de suis quoque actionibus incipiant communi tractare consilio et formulam inire capituli! Profecto, si gnaviter[h] se agent, et se
Eccl. 14, 22. suosque sapientia gubernare volent, et in his immorari, sicut dicitur: *Beatus vir, qui in sapientia morabitur,* proficiendo proficient, suique profectus[i] multas cito[k] imitatores invenient. Omnia magna a modicis coeperunt, ne forte de paucitate causentur. Et Cistertiense capitulum, quod modo maximum est, a paucis coepit. Sed ea quae restant, his omissis, edicam.

34.[l] *De reaedificatione kathedralis ecclesiae post incendium.*

1111? *Tiemo:* In diebus ipsius semper honorandae memoriae Ottonis kathedralis ecclesiae
1081. April. 3. monasterium, quod sub antecessore suo[80] Deo[m] permittente usque ad solos muros superstites conflagratum erat incendio[81], multis sumptibus ab eo ad pristini decoris nobilitatem reparatum est[82]. Ipse pavimentum stravit, columpnas ecclesiae, quas ignis afflaverat, opere gipseo et firmavit et ornavit, chorum sancti Georii exaltavit, picturas quoque non ignobiliores prioribus effecit, et ne ultra similes formidare debeat eventus, totum monaste-
83 rium et turres cupreis tabulis contexit[83], speras quoque[n] et[o] cruces turrium[p] deauravit, omnia denique aedificia claustri per officinas singulas renovare et in meliorem statum[q] promovere curavit. Quantum vero eidem ecclesiae bonorum et praediorum, praeter ea quae a fundatoris liberalitate[r] pridem habuerat, sua benignitate ipse superaddiderit, latior[s] et lautior multo quam fuit, testis est mensa canonicorum.

1117. Ian. 3. 35. Ecclesiam[t] quoque sancti Michahelis, cum terrae motu soluta ruinam sui minari videretur[84], a fundamento destruxit, et ingenti sumptu ac pecunia maioris et elegantis

a) autem *add.* B 1. b) *addit* B. c) *sequentia desunt* B 1. Aperte enim B*. 2. 3. d) *usque ad finem omnia desunt* B. e) dom. et pat. n. in tantum i. b. a. A 2. f) *deest* A 1. g) Ot. s. mem. *desunt* A 1. h) signa inter A 1. i) suisque profectibus A 1. k) scito A 2. l) *deest inscriptio* B 2. Quomodo monasterium cathedralis ecclesiae adustum restauraverit et ornaverit B 1. 3. *quibus unum est caput usque* privilegium porrexit. m) domino B. n) sperasque B 1. o) *deest* A 1. p) t. c. A 1. q) immeliorem stratum B 2. r) ipsa *add.* B*. 2. 3*. s) in redditibus et oblationibus cottidianis canonicae praebendae considerari potest B. t) *verba* ecclesiam — cumulavit A 1. 2. *desunt; incipit in* B. *cap.* 28.

79) *Datum Laterani* 10. *Kal. Febr. ind.* 2. 80) Ruperto. 81) vid. Ekkehard ad 1081. 82) Quod 1111 factum esse cum Hoffmanno volunt Ussermann. et Jaeck. 83) per Wignandum abbatem Tarisiensem Ebbo II, 17. 84) De tempore vid. Ebbon. I, 22.

fabricae monasterium in laudem et gloriam Dei et militiae coelestis erexit[85]. Stipendia quoque fratrum talentis plusquam 90 redituum per singulos annos cumulavit. 1121. Sept. 1. Multa[a] quoque ornamenta eidem loco contulit, quia hunc fidelissimo amore, tanquam locum requietionis suae semper amavit, ipsumque venerandi corporis sui gleba dotavit[b]. Multa hic studio brevitatis praetereo, quae huic et aliis coenobiis et ecclesiis suis ab ipso collata sunt in palliis, stolis et casulis, in ampullis aureis et argenteis, in crucibus, in capsis, in urceis[c], in calicibus aureis et argenteis, in thuribulis et acerris, in candelabris et variis ecclesiarum utensilibus, in cortinis, aulêis et tapetibus, in libris utriusque testamenti et variis codicibus, quorum omnium tam ingens copia est, ut numerus existimationem videatur excedere; mirumque est ab uno episcopo tot locis tanta potuisse conferri. Sed haec omnia de fonte rei familiaris hauriens, Deo subministrante habundantiam, ipsum non exhausit, quia, sicut fateri consuevit, quanto magis in opera Dei erogabat, tanto magis quod erogaret habebat. Nam licet totus in Domino fuerit, et omnia sua in coelestes thesauros praemittere festinaret, ipse tamen, utpote prudens et potens, Deo quae Dei erant reddidit, et mundo quod suum erat non negavit.

36. *Quam honorifice sanctus Otto mundo ac regibus mundi reddiderit ea quae illorum sunt*[d].

Tiemo: Regibus, quippe seculi, super omnes regni pontifices, honorifice ac fideliter domi forisque servivit[86], principum quoque sibi familiaritates et amicitias intimas con- 86 ciliavit, ministerialibus et feodatis ecclesiae suae propria iura et honorem intemeratum conservavit, familiam denique et omnia sibi adhaerentia firmissimo pietatis praesidio et maternae affectionis ala confovendo protexit.

37. *Quod stipendia episcopali mensae nunquam in aliquo minuerit.*

Tiemo: Stipendia episcopalis mensae nullius unquam necessitatis occasione minoravit, sed si quid de patrimoniali fundo ecclesiae matricis propter adiacentiam et oportunitatem coenobiis contulit, empticiis et adventiciis praediis recompensare cum augmento ei curavit, quia de iniusto non posse fieri dicebat elemosinam. Iniustum autem, immo iniuriam maximam esse affirmabat, aliqua largitione aut feodatione sine recompensatione tabulam minuere successorum. Ad hanc ergo excludendam suspicionem, et ne cuiquam succedentium sibi episcoporum fas sit dispositioni eius quicquam superordinare, vel ab ipso bene ordinata rescindere, sedes apostolica eius postulatione super hiis omnibus huiusmodi ei confirmationis privilegium porrexit[e]:

38.[f] *De privilegio*[g] *Calisti papae sancientis nulli mortalium licere religiosa opera eius*[h] *vel instituta cassare.*

Tiemo: Calistus[87] *episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Ottoni, Babenbergensi* 1124. Apr. 13. *episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Sanctorum patrum praeceptis et canonicis sanctionibus demonstratur, quod praedia et possessiones ecclesiarum, quae vota fidelium, precia peccatorum et pauperum patrimonia non immerito nuncupantur, vendi vel alienari non debeant. Quae enim divinae*[i] *maiestatis obsequio et coelestium secretorum usui sunt dicata, non decet in alienum ius redigi, vel in alterius servitii formam transmutari. Nempe ut beati Simachi papae verbis loquamur: „Possessiones quas unusquisque ecclesiae proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis aut distractionibus vel sub quocunque argumento non patimur.“ Ea*

a) multa - negavit *desunt* A 2. *leguntur* A 1. *sub finem cap.* 26. b) ipsumque usque ad novissimam tubam et vocem filii Dei locum habitationis suo venerando corpori elegit B. c) in amp. — urceis *desunt* B 1. 2. 3. in cal. aureis et arg. in capsis in urceis in amp. aur. et arg. in thuribulis in cand. et variis B*. d) A 2. *cap.* 32. *In* A 1. *cap.* 27. *desunt verba* s. Otto. B*. *capp.* 30 *et* 31. *coniuncta.* e) donavit B 1. postulavit B*. 2. 3*. f) Privilegium Kalisti papae B 1. 2. 3. g) privilegium A 1. h) eius op. A 1. i) divitiae A 1.

85) Cf. Ebbo I, 23. 86) Non solum Heinrico IV, sed et eius successoribus, ut ipsi in litteris ad Ottonem datis testantur. Heinricus V. ad eum scripsit haec: *Plurimum indigemus tuae fidei praesentia et tui consilii prudentia, quoniam et te cordetenus diligimus, et tibi de omni honore nostro prout nobismet ipsis indubitanter confidimus.* Neque aliter Lotharius: *Prudentiae tuae discretione ac consilio ad opus ecclesiae et regni potissimum nunc indigemus.* Vide Ussermann c. pr. not. 69. 83. Neque minus operam navavit paci inter imperium et pontificatum demum constituendae; cf. Ekkehard. 1121. 87) Jaffé 5177.

propter nos tuis iustis postulationibus annuentes, mansos qui episcopalis mensae tuae servitio dediti sunt, in eodem statu, in quo bene a te dispositi cognoscuntur, futuris temporibus permanere praesentis scripti nostri confirmatione sancimus, statuentes, ut nulli successorum tuorum vel alicui hominum liceat eos vendere, sive in laicorum beneficium tradere, aut[a] *in usus alios commutare. Sed sicut a te dispositum est, de unoquoque praedictorum mansorum denarius unus annis singulis*[b] *Babenbergensi ecclesiae*[c] *pro anima imperatoris Heinrici fundatoris eius ad concinnanda luminaria conferatur. Abbatias vero et regulares canonicas, per industriam tuam in*[d] *religionis ordine stabilitas, et alia a te recte constituta, nulli hominum facultas sit in posterum inmutare. Si quis autem contra hanc nostram confirmationem venire temerario ausu praesumpserit, excommunicationis vinculo subiaceat*[e]. *Data Laterani Id. Aprilis, indictione* 2[f].

39.[g] *Quomodo auxerit rem familiarem episcopii in temporalibus.*

Tiemo: Rem quoque familiarem episcopii, sicut praediis et possessionibus, ita etiam aedificiis et castrorum munitionibus adiuvit atque sublimavit. Nam per diversa loca et
1112. curtes episcopii 14 basilicas et quatuor coenacula elegantis fabricae construxit. Praeterea sex castella, quae pridem non habuit, dominio[h] episcopatus adiecit, unum videlicet Albui-
88 nestein[88], secundum Liupoldestein[i. 89], tertium Goulenrût[k. 90], quartum Hemfenvelt[l. 91], quintum Ebersperk[m. 92], sextum Eschenvelt[n. 93]. Castrum vero Albuinestein, quod[o] etiam dicitur Botenstein, fere in meditullio situm episcopatus, 800 argenti libris nec non 17 auri talentis comparavit, providens in hoc et sibi et posteris[o*] non modicum pacis subsidium, quia bonis ecclesiae in circuitu positis defensio est et terror inimicis. Multa quidem commemorare possem, quae illius studio ac labore in rebus temporalibus episcopatui accesserunt, sed parcius haec laudanda puto, quia paene omne genus hominum acquirendi studiosum est et sua cumulandi, neque, ut id faciant[p], egent exemplo, sed ne male id faciant. Hic ergo non in eo quidem[q] magnopere laudandus, quod rem familiarem quaerere et augere sollicitus fuit, sed hoc in eo non temere laudatur, quod hiis rebus instaret[r], a quibus abesset turpitudo et avariciae suspicio, diligentia videlicet et frugali parsimonia, quae sane hinc adverti potest[s]:

40.[t] *Quanta diligentia et parsimonia res ecclesiae servaverit.*

Tiemo: Tempore quodam in domo episcopali domestice, habens renonem forte nuper emptum, vestiebatur, videns et probans, si apte sederet corpori. Et ecce, Bruno quondam
94 Argentinensis episcopus[94], eloquio et moribus apprime festivus, adveniens: *Bene est,* inquit, *bene est! senior noster bonum habet pellicium!* Erat autem ad oras capitii et manicarum modice vulpinis adumbratum, nam cetera pars cute leporina constabat. Et episcopus: *Sic est,* inquit. *Sed miserum me! caro michi venit; bis binis unciis constat.* Videsne qui tam benignus in alios exstitit, quam parcus in semet ipsum fuit? Non in veste, non in cibis, rebus episcopii unquam indulgentius uti voluit, nec voluptati sed necessitati suae tantum providebat. Quin etiam aiunt illum humilitatis causa ocreas vel subtulares dissolutos plerumque ad sartorem misisse. Murmurantibus autem de hoc aliquibus: *Sinite,* inquit, *fratres, sinite. Res episcopii elemosinae sunt fidelium, vanis usibus eas consumere*[u] *non debemus.*

41. *De*[v] *ipsius parsimonia et frugalitate.*

Tiemo: Haec in vestitu ei frugalitas fuit. At in victu quomodo se restrinxerit, vix ulli credibile videbitur. Nam dixisse hunc pro certo accepimus, nunquam se ad sacietatem panem in episcopatu comedisse. Semper enim sobrius ac paene ieiunus de coena vel prandio surrexit, apposita omnia infirmis, pauperibus ac mendicis impertiens. Quodam ieiunii tem-

a) vel B. b) a. s. *desunt* A 1. c) *deest* B 3*. d) *deest* B 2. e) subiacebit A 1. B. f) ind. sec. *desunt* B 1. g) Quantum episcopio contulerit in aedificiis B 1. 2. 3. h) diuino B 3*. i) lupoldest. B 2. k) goulenreut A 1. 2. l) hemphenvelt A 2. B 2. m) ebersperch B 2. n) eskenvelt A 1. 2. B 2. o) quod A 1. *deest* B. o*) et sibi in posteris B 2. p) fiant fatiant B 2. q) *deest* B 2. r) *deest* A 1. 2. B 2. s) quae sane – ipsum fuit *desunt* B. t) De frugalitate Ottonis episcopi B 1. 2. 3. u) profligare B. v) in amictu et victu *add.* A 1. *in* B. *caput cum priori coniunctum.*

88) In Nordgavia. Heinricus V. 27. Apr. 1112. Böhmer 2018. Monasterii chartam subscripsit, qua *ob fidele servitium Ottonis* episcopatui Babenbergensi hoc castrum donavit. Monum. Boic. XXIX, 1. p. 230. 89) Hilpoltstein. 90) Gailenreuth. 91) Hensefeld. 92) Ebersberg. 93) Eschenfeld. 94) 1123—1131.

pore multa piscium penuria fuit, sed quidam procurator eius lucium parvae quantitatis, emptum duobus solidis, prandenti attulit bene paratum, modeste obsecrans, ut se uberius reficeret vel cibo qui tam magno precio constabat. Cui episcopus: *Quanto?* inquit. Procurator: *Duobus*, ait, *solidis.* Et episcopus: *Absit ut miser Otto solus hodie tot denarios*[a] *absumat!* levansque discum: *Defer*, ait[b], *hunc preciosum cibum*[c] *Christo meo, qui michi*[d] *me ipso preciosior esse debet; defer, inquam*[e], *ei, sicubi aegrotus in lecto iaceat vel paraliticus. Nam ego robustus hoc me pane reficiam.* Sic ille in opulentia sua deliciis affluebat.

42. *De consuetudine corporalis disciplinae.*

Tiemo: Praeterea[f] in consuetudine habuit a manibus sacerdotum in conclavi corporales accipere disciplinas, sane adeo acres, ut cruor aliquando latera eius tingeret. Ipse quoque pater coelestis, qui ait: *Ego quos amo arguo et castigo*, suo interdum verbere ad Apoc. 3, 19. eruditionem eum tangebat.

43.[g] *De flagello infirmitatis eius, et quid inde boni provenerit.*

Tiemo: Referam unum de flagellis eius, causamque sive ordinem monstrabo, quidve inde boni provenerit. Dum[h] forte in vico[i] qui dicitur Buchelbach[k. 95] divinarum rerum stu- 95 diosus cartulam patrociniorum legisset, et in ara[l] ecclesiolae multas et permaximas sanctorum reliquias reconditas[m] agnosceret, ad nobiliora loca eas transferre cogitabat, ubi ampliori honore divinae servitutis a religiosis colerentur. Itaque assumptis clericis, ieiunio et oratione praemissa, pia, ut dictum est, intentione sigillum altaris solvi praecepit, sed haesitantibus cunctis atque trepidantibus, ipse ferramentum arripiens[n]: *Absit*, inquit, *ut tantum decus sub tam vili scemate remaneat.* Cumque bis aut ter sigillum malleo percuteret, sanguis de scistula plumbi cucurrit ac si de corpore animalis. Sed quid? Turbatur episcopus, ferramentum proicit, stupent omnes, opus coeptum omittitur, ad orationem tam ipse quam omnes qui aderant se prosternunt, commissi veniam postulantes. Sed Pater omnipotens, sapiens et benignus, qui ad disciplinam filium erudire parabat, gravi statim languore tetigit Ottonem suum, adeo ut vitae terminum putaret. Igitur invalescente morbo cum evadere non speraret, eum quem maxime fidum ac familiarem habuit, abbatem Sancti Michahelis Wolframmum vocavit[96], ut sive ad vitam sive ad mortem res vergeret, fide et obsequio 96 fidelis amici uteretur. Qui dum eius lectulo assisteret, eiusque dolores quibus poterat modis[o] relevare curaret, Otto beatus, monasticae religionis praecipuus[p] amator, habitum monachicum[r] ardentissime flagitabat, a multis annis se[s] dicens in proposito habuisse[t] depositis pontificalibus in paupertate spiritus et contritione cordis Deo servire sub magistri obedientia. Verum abbas, vir gnarus et prudens et magni consilii, obedientiam quidem aegrotantis[u] suscepit[v], desiderium laudans ac petitionem, porro de habitu distulit ingeniose. Hinc post aliquot dies melioratur aegrotus, voti memor[w] habitum quaerit religionis, disponit de rebus suis, ad monasterium se portari mandat[x]. Abbas igitur laetus de fervore votivi sui, adhibitis sui nominis compluribus honestis viris, de hoc verbo cum eis communicat. At hii quidem perspectis omnibus, inutile factum[y] dicunt, personam talem ecclesiae et pauperibus Christi tam necessariam ad silentium monasterii transire. Itaque cum reverentia episcopum interrogat, si promissam sibi obedientiam implere vellet. Ille vero: *In eius*, inquit, *nomine qui pro nobis Deo Patri usque ad mortem obedivit, tibi obedire paratus sum.* Cui ille: *Et ego*, inquit, *in nomine ipsius tibi iubeo, pater sanctissime, sub honore accepti regiminis usque ad diem vocationis tuae permanere, ad honorem et utilitatem ecclesiae, ad consolationem egenorum et pauperum Christi*[z], *in sublevationem viduarum et orphanorum facere, sicut facis, ad consummanda coepta tua in operibus*[*] *bonis, et ut brevius dicam, facere quod facis, operari quod*[a] *operaris, pro aeterna vita et centuplo. Quis enim monachorum tantae*

a) denerios B2. b) ait defer B2. c) pretium B2. d) *deest* A1. e) inquit A2. f) B*. *est cap.* 33; *rell.* B. *cum antecedente coniunctum.* g) De aegrotatione episcopi B1. 2. 3. h) *sequentia usque ad* divitiis adaequamus *leguntur* A3. i) *deest* A1. k) Buchebach A1. 2. l) arca B2. m) recognitas A2. n) corripiens A1. B. o) consolationibus B. p) pretipuis B2. semper *add.* B. r) monachi B. s) annisse *sed expunctum* B2. t) fuisse A3. u) promittens B. v) Verum — suscepit *in margine* B2. *alia manu, sed verba* obedientiam — suscepit *postea erasa. In textu sequuntur verba* consilii quidem promittentis suscepit desid. w) non immemor A1. x) iubet B. y) factu B2. z) *deest* B. *) tuis *add.* B. a) operari quod *superscriptum alia manu* B2.

95) *Büchenbach* a. 1119 ab Ottone monasterio Michelfeld donatum. Ussermann c. p. n. 70. 96) Inter 1112 et 1123 haec facta sunt. De Wolframmo vid. Ebbo I, 20.

perfectionis est, ut eius merita vel paupertatem tuis[a] *divitiis adaequemus?* Igitur post haec tempora episcopatus Babenbergensis totus in elemosinas, totus in hospitalitates[b] pauperum et peregrinorum versus est. Quicquid frumentorum aut victualium, quicquid auri vel argenti usquam vel unquam inveniri potuit, per egentium[c] manus in thesauros coeli transmissum est.

44.[d] *De fame ac sterilitate annorum et in his de ipsius operibus.*

1125. *Tiemo:* Eo tempore orientalis Francia sterilitate annorum magna panis inopia labora-
97 bat[97]. Ipsi namque opulentiores famis etiam extrema[e] necessitate squalebant, inopes[f] et mendici passim per plateas[g] et agros mortui iacebant, ita ut prae multitudine in cimiteriis humari[h] non possent. Sed vir Dei misericordia plenus, memor Thobiae, modo per se modo per alios sepeliendi officium complevit. Ubi autem cadaverum multitudo sepulturam ordinatam fieri non sinebat, ingentes fossas praeparavit, et centenos ac millenos simul quandoque terrae mandabat, precio conducens homines, qui talibus officiis iugiter inservirent. Ipse autem per se omnia lustrabant, vicos, plateas ac domos pupillorum, vespere, mane ac[i] meridie, nec non[k] etiam nocturno tempore visitando aegrotos, reficiendo famelicos, omnique ingenio bene operandi vias inquirebat.

45. *De muliere mortua quam ad cimiterium portavit.*

Tiemo: Accidit ergo die quadam aestu meridiano, quando intus in umbraculis[l] et refrigidariis suis soporantur homines, episcopus, accito cubiculario, more suo ad hospitale pauperum pergebat. Dum autem iret, foetor inhumati corporis non procul a via desub urticis nares eius tetigit. Substitit ergo et cubiculario suo digito locum demonstrans: *Sentio*, ait, *tanquam illic corpus humanum iaceat.* Pergente puero, sequitur episcopus, diligenter quaerunt, ac tandem inter herbas et silvam stantis urticae proiectum ad sepem cadaver inveniunt mulieris lacero vultu et ab avibus comesto. Episcopus autem, conspecta miseria, ferit pectus, sortem deflet humanam, flagellum divini confitetur iudicii. Postremo se ipsum culpabilem, se reum addicit, qui ea die qua haec fame periisset, multis panibus habundasset[m]. Dehinc dicta breviter oratione pro anima iacentis, manum mittit ad corpus, cubicularium hortatur levare secum. At ille: *Noli*, ait, *domine, noli sacras manus tuas inquinare. Curram et vocabo alios, ac sepeliemus eam.* Cui episcopus: *Absit*, inquit, *ut sororem meam, filiam Adae, immo filiam ecclesiae tangere despiciam. Portabo mortuam, quam vivam pavisse debueram. Sed tu*[n], *rogo, iuva me, certus, quod a Deo et a me quoque mercedem accipies*[o]. Ille autem, etsi[p] horrore pariter et foetore propelli potuisset, tamen dum luctantem et laborantem ipsumque[q] oneri humerum iam aptantem videt, vicit semet ipsum, et clausis naribus aversoque vultu dorsum invisae subiecit sarcinae, et cum episcopo communicato labore, ad cimiterium cadaver foetidum[r] deportavit[s], cantante ac flente sacerdote: *Heu michi, Domine! quia*[t] *peccavi nimis in vita mea, quid faciam miser? Ubi fugiam nisi ad te, Deus meus? Miserere mei, dum veneris in novissimo die!*

46. *De propensioribus eius postea elemosinis.*

Tiemo: Videns[u] ergo, quia tempus eum moneret[v], omnes apotecas suas aperuit, panes praeparat, alit egentes, et ecce, quasi ad universales[w] nundinas de tota provincia famelicorum turbae concurrunt, de monasteriis virorum ac feminarum[x] praepositi ac dispensatores, omnesque quos annorum egestas premebat, ad promptuaria episcopi currunt[y], sperata subsidia sine mora invenientes. Cumque messis appropinquaret, et maturae iam segetes ubique locorum falcem postularent, multa millia falcium pauperibus, quos toto anno aluerat, praeparata distribui fecit, atque refectis omnibus, in festivitate
Iul. 25. beati Iacobi: *Ecce*, inquit pater optimus, *filioli mei, terra coram vobis*[z] *est, finita est dierum malitia.* Et accipiens singulas falces, singulos addidit denarios, unicuique denarium et

a) eius B3*. b) hospitates B1. c) egenorum A1. d) Quid egerit famis tempore B1. 2. 3. *quibus unum caput usque in* saeculum saeculi. e) *desunt* B. f) autem *add.* B. g) *tres lineas continentes verba* per plateas — cadaverum *scripsit alia manus coaeva* B2. h) sepeliri B2. i) et A1. B. k) *deest* B. l) intus *deest* B. m) abundaret B2. n) te B2. o) accipias A2. p) et B2. q) ipsi quem A2. r) fedum B2. s) deportant B. t) *ita* A1. 2. B*. quia — die *des. rell.* B. u) *ultimum libri I. incipit caput superscriptum* De elemosina episcopi B2. v) monet A2. B. w) ordines *add.* B. x) mulierum B2. y) currebant B. z) nobis A1.

97) De his miseriis a. 1125 retulit etiam Ekkehardus. Haec igitur facta sunt post Ottonis reditum ex Pomerania.

falcem dans[a], instrumentum operis et viaticum; sicque valefecit eis, et bonitate et[b] gaudio eos dimisit. Is modus, id officium ei fuit omnibus annis inopiae ac sterilitatis*.

47.[c. 98] *De cooperimento valde pretioso quod super leprosum poni iussit.*

Tiemo: Dux Polaniae Polezlaus[99] omnesque terrae illius[d] meliores summa ei amicitia [99] iuncti erant. Frequenter salutatorias[e] mittebant[f], donariis suis eum magnifice[g] visitabant[h], meritis ipsius ac precibus se aput Deum iuvari posse plurimum confidebant. Alii quoque principes ac divites de omnibus[i] terris, audientes famam operum eius, audientes elemosinas et largitates eius circa egentes[k], multa ei, saepenumero ingentia dona[l] mittebant, socios se fieri et conparticipes studiorum eius devote postulantes. Quadam[m] vice tegimentum nocturnale mirabilis precii, de serico, auro et megalina[n] pelle confectum, inter alia dona ei allatum est, ipseque auctor doni specialis amicitiae signum hoc esse nuncians, obnixe rogabat, ut in recordationem sui eius usum dignaretur, neve de profligatione rei causaretur, devote promittit, hoc detrito vel parumper absumpto, aliud se transmissurum. At[o] praesul, accepta veste, plicat eam ac replicat, et diligenter undique perspectam[p] vestiario suo commendat. Dein portitoribus et legatis sub persona mittentis reverenter inclinat, gratiasque agit dicens: *Siquidem munus hoc magnae dilectionis testimonium*[q] *est, et ego in memoriam datoris in perpetuum illud servare curabo, ita sane ut nec fures michi*[r] *furentur, nec*[s] *tinea demoliatur vel*[t] *aerugo.* Habebat autem cognitos et ex nominibus propriis notatos omnes paraliticos, languidos, cancerosos sive leprosos de civitate sua, modum[u], tempus et quantitatem languoris eorum per se investigans, congruaque subsidia omnibus providebat et curabat[v]. Vocato ergo vestiario[w]: *Tolle,* ait, *praeclarum istud et carum michi tegimentum, ac pone super illum paraliticum;* nomine illum designans, quem sciebat longis doloribus affectum[x], ulceribus scatentem et vermibus, cuius foetorem vicinia tota perhorrebat. Abiit[y] ille, ac mandatum implet[z] et delicatissima veste miserrimum illum cooperuit[*], mirantibus ac stupentibus omnibus qui hoc videre potuerunt[a].

Sefridus[b]*:* Huius rei ego testis sum; sed confiteor peccatum meum. Illis diebus sic affectus eram, ut hoc idem factum deliramento compararem. Sed non solus ego de hoc murmurabam, erant complures me[c] maiores ac nobiliores, talia dona de manibus illius accipere consueti, qui spe huius delusi, vix ab iniuria linguas tenuere[d], aientes, non opus esse megalinis pellibus leprosos et paraliticos tegi, quibus utique ovium aut leporum vestimenta sufficere potuissent. Sed[e] nunc scio prudentiam tanti viri duplici hoc ratione fecisse, scilicet ut exemplum misericordiae in pauperes memoria dignum posteris ostenderet, et impraesentiarum curatores aegroti de pretio vestis solatia perciperent.

Tiemo: Recte interpretatus es rem. Sed novimus aliquos episcoporum si hanc vestem corpori proprio subtraherent, sanguini[f. 1] fortasse non negarent; qui terrenae sapientiae [1]

* His aliisque operibus misericordiae maximam sibi fiduciam apud Deum altissimum[g] conquirebat, et temporalibus expensis in coelis sibi thesaurizans, dispersit, dedit pauperibus, ut [Psal. 111, 9] iustitia eius maneat[h] in saeculum saeculi. *add.* B.

a) *deest* A 1. 2. B 2. 3*. b) ac B 1. c) De nobili operimento a Polezlao duce (Ottoni *add.* B 1.) misso; quomodo eo usus sit B. d) mel. t. i. A 1. B. e) frequentes ei salutationes et litteras B*. B 1. 3*. frequentes eum salutantes B 2. f) mittentes B 2. g) magnificis eum B 1. h) honorantes B. i) multis B 1. k) egenos B 2. l) munera B 2. m) vero *addit* B 1. n) migalina B 1. o) *excissum est folium in* A 1. *et desiderantur omnia usque* I, 51: En inquit filiam, *sed leguntur apud Jaschium.* p) *corrector scripsit in margine* B 2. q) m. hoc t. B 2. r) nec michi vel ulli B. s) vel B. t) aut B. u) et *addit* B 2. v) curatores B. w) suo *add.* B. x) *ita* A 1. attrectum A 2. adtractatum B. y) abit A 1. z) et iuxta mandatum episcopi delic. B. implevit episcopi B 1. *) cooperit A 1. a) viderant B. b) Sefridus – murmurabam *desunt* B. *quorum loco* erant autem complures *etc.* c) *deest* B. d) retinuere dicentes B. e) Sed — aliquos *desunt* B. *Sequuntur verba* Sed sunt aliqui ep. qui si. f) iniuriam inferri *add.* B. g) *deest* B. h) eius iusticia manet; iusticia *alia manu superscriptum* B 2.

98) Capita 47—52 cum Andrea in A 1. 2. et in versione Germanica hoc loco legenda esse, non cum codicibus B. post III, 32 recte vidit Klempinus p. 177. Est ordo capitum ipsa indole libri probata. In primo libro Ottonis virtutes, in secundo et tertio itinera narrantur; in illo Tiemo, in his Sefridus narratoris partes suscipit. Capita 47—52 in A 2. Tiemoni tribuuntur, et de Ottonis virtutibus, non de itineribus agitur. Itaque de apto capitum loco dubitari nequit. Quibuscum coniungendum arbitror c. 53, quod desideratur in A 1. 2, in codicibus B. vero post nostrum c. 52 legitur, ante III, 33, in quo mors Ottonis narratur. In capite 53, ut in praecedenti 52, monachica vita episcopi depingitur, et apud Ebbonem, qui ante oculos habebat Herbordum, eiusdem argumenti caput ultimum locum obtinet libri primi. 99) tertius; de quo plura infra. Hoc post Ottonis in Pomeraniam itinera 1125 et 1127 factum esse apparet. 1) i. e. cupiditati, ob innatam avaritiam retinerent vestem illam.

dediti, tales sumptus fatuitatem vocant, qui cor trahentes in terra, lingua coelum pulsant, qui terrenum habentes[a] fundamentum, rem suam humanis praesidiis tutandam putant, moles turrium et inertem massam murorum multis sumptibus coacervantes, spiritualia munimenta flocci pendunt[b]. Verum Ottoni beatissimo non ea mens erat, omnem fiduciam suam in divinitatis ope collocabat. Castra quidem et urbes ad terrenos usus quandoque parabat, sed longe maior ecclesiarum vel monasteriorum ei cura fuit. Quae[c] res etsi probatione non egeat, eo quod manifesta sit, tamen quia in mentem venit, rem parvam dico, unde cordis eius directio altius intelligi possit.

48. *De[d] fabro et eius terribilibus sagittis.*

Tiemo: Faber quidam peritissimus de arte sua episcopo innotescere cupiens, telorum ac diversi generis sagittarum, ad opus bellicum mirabiliter praeparatarum, sportam plenam apportavit, ut in urbibus et propugnaculis episcopi futuris necessitatibus servari debuissent. Episcopus vero gratias quidem egit homini, pro munere dignam mercedem illico rependens, sed manu propria unam levans, quae triplici acie ac longo acumine visu etiam erat terribilis: *Quare,* inquit, *istam tam longam, tam subtilem, tam acutam fecisti?* Faber[e]: *Tales,* inquit, *facimus ad penetrandas loricas et clipeos; impulsu enim balistae tales sagittae nec scuto nec thorace tueri sinunt hominem.* [f]Episcopus: *Ego,* inquit, *agam, ut mortales se de his non mortificent.* Iubetque levari omnes simul, sicut erant in cophino, portitoribus dicens: *Ferte eas abbati Hermanno*[2], *rogantes diligenter, ut eas mei causa in opus Dei*[g] *expendat, ne mortibus hominum coaptentur.* Habebat autem opus[h] in manibus, tectum videlicet consummati monasterii nostri[i]. Acceptis ergo sagittis, patula[k] retro haesimenta[l] omnibus convolvi iussit, ac de nobilissimis sagittis clavos tegularum fabricans, tecto ecclesiae illos coaptavit. Quae res[m] quidem, tametsi magna non est, magnae tamen bonitatis indicio valet; sicut enim ex habundantia cordis sermo, ita etiam ex eadem actio dirigitur. Exterior homo enim celare non potest, qua dispositione interior ambitus sit. Flagrant enim ad proximos per exteriorem studia hominis interioris. Verum ego cuncta singillatim, quae ipsius sunt, perstringere non potero, unum tamen adhuc memorabo, quo eius diligentia et ingenium, quod habuit ad bene agendum, magis clarescat.

49. *De[n] furto equorum et negotio institoris.*

Tiemo: Quidam economorum eius Rudolfus, vir bonus ac[o] prudens, ad eum propter causas domesticas veniebat, cumque pro explicandis rebus aliquandiu aput eum moraretur[p], episcopus more suo egressus visitare xenodochium, stabulum transivit economi, vidensque duos equos fortes[q] eleganti corpore, a comitantibus, cuius namque[r] hi sint inquirit; dicunt[s] ei hos esse procuratoris sui. *Bene,* inquit, *magni sunt et fortes; certe portare habent precia et redemptiones captivorum in terram Pomoranorum.* Audierat enim quosdam de baptizatis suis in civitate barbararum gentium fuisse captivatos. Sublatis ergo equis, economus re cognita[t] ad episcopum venit, de via sua et negociis suis insinuat, equitaturas repetit, quas si habere non possit, ad omnia se impeditum dicit. Cui episcopus: *Non irascaris, obsecro, lucrum quoddam et negociationem cogitavi; esto socius meus. Agamus pariter, ut de fructu et lucro actionis pariter gaudeamus. Decem equos pannis oneratos in Pomoraniam missurus, opera tua indigeo. Omnem igitur*[u] *annonam, quae ad usus nostros in partibus Saxoniae reposita servatur, inargentabis, insuper omnes pecunias de redditibus earundem partium ad nos pertinentium, quas colligere poteris, cuncta simul ad nundinas Hallae portabis. Nosti etenim nobiles, puros et preciosos pannos, in terra Pomoranorum caros, frugi mercatu Hallae*[v] *inveniri*[3]. *Igitur quicquid ex praefata pecunia fustani et purpurae, prunati*[w], *friscalii*[x] *quoque, seu alterius cuiuslibet optimi generis vel coloris pannorum coemere poteris*[y], *in sarcinas concludes, aliasque species gloriosas et res pulchras emens, omnia*[z] *his iumentis in Pomoraniam*

a) habent B. b) vilip. B. c) *reliqua desunt* B. d) Quid de sagittis pro munere a fabro oblatis fecerit B 1. 2. 3. e) tum ille B. f) cui *add.* B. g) obsequio domini B 1. 2. 3. h) abbas i. m. opus B. i) ecclesiae s. Michaelis archangeli B. k) pabula A 1. 2. l) haurimenta B. m) *desunt quae sequuntur usq. ad fin. cap.* B. n) De economo eius Rudolfo et equitaturis eius, qualiter episcopus eis usus fuerit B 1. sit eis usus B 2. 3*. o) et B 2. p) demor. B. q) et *add.* B. r) cuiusnam B. s) sed ille *add.* B. t) agnita B 2. 3*. u) ergo B 1. v) haud A 1. have A 2. w) brussati A 1. brunati A 2. purinati B 2. x) fritsali A 1. 2. fricalii B 2. y) potueris B. z) in *add.* B.

2) montis S. Michaelis 1123—1147. 3) De Halla loco mercatui aptissimo vid. infra III, 1.

diriges, partim dona maioribus, reliqua vero, cauta venditione habita[a], *precium captivis, quos in barbaras nationes abductos constiterit*[b]. *Haec autem si, ut dictum est, ita exequi potuerimus, nec tu nec ego fructu inanes, ac sine mercede in futura vita remanebimus. Hac etenim occasione*[c] *equitaturas tuas abstuli.* Abiit homo, et quia fidelis ac strennuus[d] erat, omnia, sicut episcopus ordinaverat, haut segniter implevit. Munerantur honestiores, institor Ottonis laudatur, forum eius ac distractio populo rudi admirationi fuit et exemplo, cunctique certatim rapientes, res duplo emebant, tum pro[e] dilectione pontificis, tum etiam quia precium sciebant esse redemptionis.

50. *De*[f] *rege Ungarico et auro quod misit.*

Tiemo: His omnibus ad votum episcopi explicitis, eundem economum mittit ad regem Hunorum, illum beatae memoriae Belam, qui a patruo suo Cholomanno[g, 4] rege cum patre suo Almo duce in diebus adolescentiae luminibus privatus, postea in regnum sublimatus 1113. est, oculisque fidei ac sapientia mentis praeditus, rem publicam Ungarorum per annos plu- 1131. 1141. res gnaviter administravit[5]*. Certus itaque de strennuitate ac prudentia[h] Rudolfi[i], episco- 5 pus, cuius memoria[k] in benedictione sit, qui ad omnia studia misericordiae sedulus ei minister erat, ad regem praedictum Belam[l], magnum elemosinatorem, cum litteris ac donariis eum direxit, parare amicicias et notitiam[m] societatemque ac parilitatem studiorum in operibus misericordiae, accendere hominem sanctum ad desiderium futurae expectationis, ad gaudium aeternae vitae atque beatitudinis. Bela ergo accepto nuncio auditisque litteris episcopi, spirituali gratia et divina consolatione plenis[n], laetificatus est valde, atque in festivitate paschali, quae apud Ungaros etiam propter ipsius terrae maximam ubertatem multa epularum largitate splendide ac delicate[o] celebrari solet, magnifice habuit nuncios, Ottonis vitam, eius[p] conversationem, statum et opera crebro interrogans, miraturque[q] omnia quae de illo audivit, magnae felicitati asscribens, quod talis viri notitiam[r] per nuncios, dona et litteras accipere meruisset. Consummatis ergo diebus, cum tempus esset dimittendi legatos, multa devotione sacris orationibus beati viri rex sese[s] commendans, dona multiplicat, vasa aurea et argentea et vestes preciosas mittit, insuper 20 libras excocti auri, specialiter obsecrans, ut has in aliquos divinos usus in recordationem sui expendere dignaretur. Episcopus ergo acceptis donis et auro, nil moratus beato Michaheli hoc obtulit, crucis decus in nomine Salvatoris de hoc fieri mandans, additque de suo auri quantitatem, et gemmas et clusorem conducens, insigne 300 argenti marcas valiturum, ad honorem Dei et utilitatem ecclesiae fabricatus est.

51. *De*[t] *filia regis Ungarici.*

Tiemo: Sed quia Belae Ungarici regis mentio incidit, pauca de filia eius Sophia, quae in proposito virginitatis sub sacro velamine inter sanctas virgines Admuntensis monasterii laudabiliter degit, ad aedificationem narrare incipiam.** Haec etenim ante annos nubiles 1139. Iun. 11. petita est in matrimonium[u] Heinrico puero, Teutonicorum regis Chuonradi[v] filio primogenito[6]. Bela ergo cum saepe rogatus acquievisset hanc illi dare, et nuncii pro ea venissent 6

* plenus orationibus, plenus etiam operibus bonis et elemosinis *add.* B1. 2. 3*. *deest* B*.

** ad memoriam revocandum dignumque esse alios per hoc Christo adiuvante lucrificem antiquitus recensitum est digno moderamine *add.* B*. licet a proposito discordent, inserenda sunt, si quos forte legentium sive audientium posthac lucri facere eius exemplo Dominus hac lectione dignetur *add.* B1. 2. 3*.

a) adhibita B2. b) colliges *add.* B1. c) causa B. d) ac str. *desunt* B. e) prae B. f) Quomodo amicicias cum Bela rege Ungariae composuerit B1. 2. 3*. g) Colomanno B2. h) ac pr. *desunt* B. i) Rotulfi B2. k) semper *add.* B. l) *deest* B2. m) ac societatem notitiam quoque *add.* B. n) plenus B2. o) ac delicate *deest* B2. p) et B1. q) mirabaturque B1. r) *deest* B. s) Deo *add.* A1. B. t) Relatio de Sophia filia eiusdem Belae B1. 3*. R. de S. f. e. Belae regis quomodo in virginitate sua permanserit B2. u) in matrim. *desunt* B. v) Cůonradi *sic porro* B2.

4) Non erat patruus. Belae II. avus Lambertus et Geisa II, Colomanni pater, erant fratres. 5) Usque ad annum 1141. Vide de his rebus Katonam in historia critica regum Hungariae III, 334 et Jaffé Lothar. p. 151, Konrad III. p. 83. Quae in antecedenti capite narrantur post a. 1131 facta esse videntur, et Ottonis legatio ad Belam inter 1131 et 1139. 6) Vid. cont. Wissegrad. Cosmae 1139 et Annales Mellicenses 1138. M. G. SS. IX. Heinricus filius Conradi III. tunc duorum annorum erat puer. Cf. Jaffé Konrad III. p. 82. 119.

archiepiscopi et episcopi aliique primates de regno Alamanniae, ut iuxta imperialem magnificentiam clare ad nuptias duceretur, hoc ordine, hac oratione ad sponsalia eam direxit: *Domine Deus*[a] *coeli et terrae, tu omnia vides*[b], *ego autem nichil video. Tua etenim ordinatione, sicut voluisti, Domine, coecus factus sum; sed tu vides omnia, vides*[c] *abdita cordium*, [d]*praesentia, praeterita et futura indifferenter.* Et manus ponens super caput filiae: 7 *Haec*, inquit, *Domine, unica filia*[7] *michi est; hac me sola feminea prole in tua miseratione beasti, hanc hodie te teste, te invocato in auxilium nostrum, ad nuptias mitto, hanc hodie te comitante praesentibus nunciis committo, tali fixa inter me et te, domine Deus, conditione, ut nunquam eam deseras. Et si forte is qui eam petit filio suo, domnus imperator Cunradus, unquam mali quicquam adversus eam cogitaverit, tua in protectione tibi hanc commissam habeas.* Ad legatos autem: *En*, inquit, *coram vobis est, tollite filiam meam, ducite hanc imperatori vestro, et quia mea vita ipsa michi carior est, omne quod carum vel preciosum habeo cum ea transmitto.* Iussitque apportari omnia regalia sua, capellam suam totam cum patrociniis sanctorum, cum universis[e] paraturis et utensilibus aureis et argenteis, cum tentoriis et papilionibus, cum iumentis optimis ad subvectionem rerum, insuper aurum et argentum absque ulla aestimatione, dona genero suo et filiae. Et apprehendens scrinium, in quo erat patrocinium beati Blasii, statuit super hoc filiolam; de hinc ad legatos: *En*, inquit, *filiam meam*[f] *cum patrono suo in haec verba, ut locutus sum, in nomine Domini vobis praesento*[g]. Igitur abeuntibus nunciis, exita iam Ungaria cum ad Thaurum montem Carinthiae propinquassent, imperator Cunradus obviam eis mittens, ad virgines Admuntensis monasterii dominam cum duabus[h] puellis suis interim collocari fecit, donec oportuno tempore solempni habita curia, convenienti honestate ad nuptialia sacramenta vocaretur. Dona vero et omnes divitias, quae allatae cum ea fuerant, sibi apportari fecit. Itaque diversis negociis occurrentibus[i], quae regum etiam animos a proposito[k] retardant, rem explicare praepeditus est. Puer etiam infirmitate praeventus, domina in monasterio permanente, 1150. hominem exuit[l, 8]. Bela quoque requievit in Domino, et filius eius Giso[9] ei successit in regno. Qui videns frustratas esse nuptias sororis suae, nuncios misit, ut reducerent eam[m]; sed illa noluit redire[n]. Secundo et tercio misit; sed illa venire[o] noluit. Ad extremum reputans aput se, vi fortasse teneri a rectoribus monasterii sororem suam[p], indignari coepit adversus locum, et nisi quantocius ei redderetur, excidium vastationemque minari. Sed virgo castissima mente et corpore ad omne bonum disposita, Deo magis quam seculo[q] ad- 10 herere cogitabat[r], apertisque ostiis claustri, cum abbas[10] in eius deliberatione posuisset, intus manere vel ad nuncios fratris sui foras egredi[s], intus manere delegit, et a proposito virginitatis nunquam recedere. Rex autem nimio affectu germanitatis circa sororem suam afflictus[t], cum secundum seculi huius magnitudinem eam sublimare vellet, modo vi, modo astu et ingenio eam teneri querebatur, habitoque cum necessariis suis consilio, ire parat in manu forti eam liberare. Sed viri prudentes et magni, quos in consilio suo habuit[u], re- 11 gem monebant non[v] ab re[w], nec cito regno Teutonicorum importari bellum oportere[11] sive causas belli; optimum factum[x] esse ut missa persona publica et honesto comitatu cum decore ac disciplina dominam repeteret, quae si inordinate negaretur[y], iustas tunc[z] fore causas commotionis. Sed quid multis? Licet aegre, fracto animo suo rex audivit consilium; mittit ducem unum, virum fortem, cognatum suum et amatorem gloriae suae, et cum illo militiam magnam. Et ecce, ventum est Admunti. Abbas vero et fratres, conspecta multitudine et potentia legati, rem serio agi vident; turbantur, praesidia orationis querunt. Deinde egressi ad legatos[*], responsa tiranni tristes accipiunt, scilicet aut puellam reddant, aut graves[a] Ungarorum inimicicias experiantur. Abbas vero Admuntensis[b], vir dignae auctoritatis, gnarus ad omnia, et multo pollens consilio, meritis ac religione decus et firmamentum monastici ordinis, ad verba legatorum haec paucis respondit verbis[c]: *In hac causa,*

a) inquiens B. b) iubes B3*. c) intueris B. d) vides *add.* B. e) immensis B. f) *incipit textus in* A1. g) committo B. h) *deest* B. i) ingruentibus B. k) propositis B2. l) ex hac luce subtractus est B. m) reduceretur B. n) *deest* B. o) redire B. p) sor. s. *desunt* B. q) placere desiderans sororibus ibidem degentibus *add.* B. r) *deest* B. s) fratris exire B. t) affectus B. u) asciverat B. v) nunc B3*. w) abire B3*. x) factu B. y) detineretur B. z) demum B. *) legacionis B2. a) regis *add.* B. b) *deest* B. c) resp. verbis *desunt* A1. his resp. B.

7) Si fides est posterioribus scriptoribus, unica filia non erat; altera Gertrudis nupsit Mieceslavo III. duci Poloniae. Katona III, 501. 8) Anno 1150. Cf. Jaffé Konrad III. p. 203, ann. 44. 9) tertius; obiit 1161. 10) Gotfridus. Cf. de hac re contin. ann. Admunt. M. G. SS. IX, 581. et vit. Gebehardi arch. Salisburg. 19, M. G. SS. XI, 44. 11) Quod Geisa fecit revera 1146. Cf. Jaffé l. l. p. 84.

inquit, *nichil*[a] *a nobis perperam actum est aut agetur. Sed hodie curam corporum vestrorum, quia itinere fatigati estis, velim agatis. Crastina dies negocium vestrum expediet.* Itaque lauto epularum apparatu multaque diligentia eis[b] ministravit[c]. Sequenti vero die abbas ad legatos: *Et quid,* inquit, *facietis, si domina vestra sponte sua vobiscum venire noluerit? Numquid invitam abstrahetis? Numquid nolenti et renitenti violentas manus inicietis? Si quidem hoc regibus ac reginis extremum dedecus est, vi trahi ad quod nolint*[d], *et subici*[e], *quando non velint, atque alienae voluntati seu violentiae mancipari, non puto id convenire ingenuae libertati.* At illi: *Sic est,* inquiunt, *et nos eam libertati suae restituemus, et non vim inferre*[f], *sed obsequium praestare ad suos redeunti*[g]. *Denique si ab indigna coactione soluta, suaeque libertati restituta fuerit, sane quicquid propria deliberatione delegerit*[h], *neque nos neque vos prohibere debemus, et dominus noster*[i] *rex Ungarorum invictissimus indecenter vel contra decus regii*[k] *sanguinis habitam germanam suam couterinam causari non*[l] *poterit.* Placuit sermo abbati et fratribus, et venientes in atrium basilicae ante fores claustri, quo virgo sacra cum virginibus sacris[m] clausa degebat, duos globos faciebant, seorsum legati et milites populusque multus qui ad spectaculum venerat, et seorsum abbas cum fratribus et monachis[n]. Reserantur postes, ianuae claustrales panduntur, regina exire ad nuncios rogatur. Negat illa; nichil sibi et eis esse dicens, lege se loci limen ianuae, nisi morte obita, non esse transituram. Docetur ergo quid inter abbatem et legatos sententiae ac rationis de ipsa constiterit; illam desub claustris in apertum egredi oportere, liberam fieri, coactione solvi, caeterum in eius arbitrio locandum, quam viam postea sibi arripere velit[o]. At illa corpore femineo viriles animos gerens, ubi[p] videt[q], quia sic necesse est, neque aliter litem decidi posse, pede suo super limen posito[r]: *En,* ait, *sancta Maria, domina mea, patrona mea, mater domini mei Iesu Christi, sponsi mei, salva gratia et pace tua, te duce, te comitante, limina tua transeo, te adiuvante, te protegente, cito reversura; tibi commendo causam meam, virgo virginum. Et tu, beate Blasi, martir Christi, patrone Admuntensium, domine ac dominator loci huius, qui me a patre*[s] *meo tibi commendatam divina ordinatione in haec tua tecta suscepisti peregrinam, obsecro, ne me derelinquas.* Hiis dictis flebant virgines, flebant monachi et fratres[t]; egreditur illa, modesto ac lento gradu in medium tendens. Stabant legati inmobiles, vestes tantum ac purpuram gemmasque preciosas in seculi cultum ei allatas offerentes ac protendentes, ad reginae animos pelliciendos. Omnes igitur qui aderant inmoti stabant, avide spectantes et opperientes, quid esset factura, nullo ei aut hinc aut inde[u] propinquante. Sacrae autem virgines stabant ardentissime flentes et orantes, admodum veritae, ne quavis occasione[v] tantum decus societatis amitterent. Itaque ubi libertatem et absolutionem suam in medio posita satis omnibus ostenderat, ad nuncios conversa, regia virgo modeste inclinans, valefecit eis. Deinde via qua venerat ad sorores rediens, clara voce, multam compunctionem omnibus excitans, cantare coepit: *Regnum mundi et omnem ornatum seculi contempsi;* succinentibus caeteris virginibus, quae[w] illam in limine stantes opperiebantur, succinentibus[x] monachis, et prosequentibus eam in gaudio et lacrimis usque ad introitum ianuae. Omnis quoque populus voces et laudes dedit in excelsum, gratias agens Deo, quod virgo nobilis et tenera tam virili mente saeculi delicias abiecisset. Nuncii quoque non minus aliis Dominum magnificant[x*], omniaque ornamenta seu vestes, quas in usum seculi ei portaverant, monasterio conferunt, et reginae valefacientes eiusque orationibus se commendantes, in pace et gaudio ad dominum suum revertuntur, ut[y] gesta erant omnia[z] referentes. Mitigatus est rex, ultro desinens[*] a proposito suo revocare illam*. Haec[a] de initio conversionis beatae Sophiae[12], quoniam occasio data fuit, retinere non potui. 12

Sefridus: Grata nimis et accepta digressio. Nempe auri occasione gemmam acceptabilem tuae narrationi affixisti.

* desistens. Hac igitur brevi digressione utilitati posterorum consuluerimus. Caeterum ad propositum revertamur. *add.* B1. 2. 3*.

a) *deest* A1. b) *deest* B2. c) ministrabat A1. ministratur B. d) noluerint B2. e) sibi *corr. ex* subi B2. f) *deest* B. g) praebebimus eunti B. h) elegerit A1. B. i) d. n. *desunt* B. k) regum B3*. l) *deest* B1. m) *deest* B. n) et mon. *desunt* B. o) accipere velit A1. *desunt* B. p) ut B2. q) videlicet B3*. r) limini imposito B. s) parente B2. t) fratres flebant universi B. u) aut - inde *desunt* B. v) quavis occas. *desunt* B. w) succinentibus — opperiebantur *desunt* A1. quae — pariter et *desunt* B2. x) pariter et *add.* A1. 2. x*) magnificabant B2. y) quae B. z) ei B. *) *deest* B. a) haec de initio — caritatis *desunt* B

12) Dies tantum mortis non annus, quod sciam, memoriae traditus est. Obiit 17. Kal Oct. ut habet Necrolog. Admunt. pag. II, 207. Katona III, 608.

52. *De singulari clementia beati[a] Ottonis ad monachos Sancti Michaelis.*

Sed redi, obsecro, ad Ottonem nostrum, qui omnibus hominibus omnia factus, praecipue autem nobis monachis non solum pater, sed ut verius dicam, mater fuit.

Tiemo: Cedo, inquit. Nam et tu me ad viam revocasti. Senes nostros ut patres venerabatur, iuniores vel pueros ut filios diligebat, inter nos quasi unus ex nobis ambulabat, immemor quandoque potentiae et[b] magnitudinis personae suae, presbiteris ad altare ministrabat, modo stolam offerens, modo cingulum porrigens praeparandis, aquam etiam manibus illorum manu propria fundens, calicem praebens, et ad cetera ministeria sese plerumque de inopinato ingerens, miris modis omnium in se affectus excitabat. Omnes nos facie et[b] nomine notos habere volebat, singulorum causas vel statum, defectus vel profectus nostros diligenter investigans; curaque non modica de omnibus ei fuit. Quid dicam de multimodis humanitatibus omnibus ac singulis nobis indesinenter ab eo exhibitis? Etiam fratribus ad refectionem consedentibus, cibos optimos, suis sumptibus praeparatos, manibus propriis nobis intulit, suscipientium manus caro affectu deosculans. Nonnunquam etiam, expleta ferculorum positione, conviva nobis idem ac minister assedit, nobiscum convescens obtentu propagandae caritatis[c].

EX ANONYMI VITA OTTONIS.

53.[d] *Quomodo ad consecrationem monasterii de egritudine divino auxilio convaluerit.*

1121. Quodam tempore dum monasterii sancti[e] Michaelis in Babenbergensi dedicationem expectaret, et omnia quae huius officii ratio poscebat in corporalibus et spiritualibus, laute ac diligenter praeparata fuissent, omnibus in expectatione positis, praesul grandaevus molestia corporis laborare cepit, adeoque infirmatus est, ut ad opus consecrationis vires mi-
Aug. 31. nime habens, misso nuncio, in vigilia beati Egidii ad aliud tempus dedicationem transferendam statueret. Sed quia parata erant omnia, et cupientibus animis omnis dilatio invisa est, duplici moerore ecclesia turbari coepit, pro languore videlicet episcopi, et pro frustrato desiderio expectatae consecrationis. Quocirca orationes non cassas mittunt ad Dominum, vires ac sanitatem praesuli obnixe postulantes. Igitur meridiano tempore in lecto recubans, et paululum sopore pressus, puerum coram se per sompnum ludentem et saltantem videt
Psal. 121, 1. episcopus, ac de psalmo versum crebro cantatem: *In domum Domini laetantes ibimus.* Expergefactus vero, aegros prius[f] artus fortes invenit et vegetos, corpus levat, sentit gratiam sanitatis redisse; cubicularios citat, interdictum consecrationis mutat, proximaque
1121. Sept. 1. die, in festivitate[g] beati Egidii, sicut antea voluerat, in magna totius ecclesiae laetitia dedicationem peragit, Domino sibi vires administrante.

INCIPIT[h] LIBER SECUNDUS IN VITAM ET PEREGRINATIONEM OTTONIS BABENBERGENSIS EPISCOPI AC POMERANICAE GENTIS APOSTOLI.*

EX HERBORDI DIALOGO.

1. *De[i] situ et moribus hominum Pommeranicae provinciae.*

Sefridus: Pomorania[k] provincia ex ipsa nominis ethimologia[l] qualitatem sui[m] nominis et[n] situs indicare videtur. Nam pommo[o] lingua Sclavorum iuxta sonat vel circa, moriz[p]

* Praefatio anonymi auctoris. Incipit prohemium in vitam et peregrinationem beati Ottonis episcopi[q]. Iam tempus est, ut in memoriam aeternam beati Ottonis[r] pontificis peregrinationem et laborem eius stilo fideli prosequamur, qualiter[s] apostolica auctoritate beati Honorii papae Pommoranicae genti[t] apostolus destinatus, praedicaverit, baptizaverit, et ministerium suum fideliter adimplendo[u] opus euangelistae fecerit, in quo revera similem illum fecit Dominus[v] gloriae sanctorum, quam magnifice adeptus est in conversione gentis illius, in cuius poe-

a) sancti A 1. b) ac A 1. c) Explicit liber primus de vita et operibus beati Ottonis Babenbergensis episcopi, confessoris Christi et Pomeranice gentis apostoli A 2. d) *deest caput* A 1. 2. e) *ita* B*. monasterii cuiusdam consummatio B. *rell.* f) quidem B*. g) festo B 1. 2. 3*. h) *ita* A 2. B*. *in quo legitur* venerabilis O. ep. *reliqua desunt.* i) *totus liber secundus deest* A 1. Descriptio Pommoraniae, et quare sic dicta sit. *ita* B 1. 2. 3*. *quibus est pars prooemii;* B* *est cap.* 1. k) Pomerania A 2. *et sic porro.* l) ethimoloia B 1. m) *deest* B 1. n) n. et *desunt* A 2. o) pommé A 2. p) moritz A 2. moziz B 2. mory B 3*. q) *ita* B*. r) *deest* B*. s) *deest* B 2. t) gentis B 2. u) implendo B 1. v) fecit dom. *alia manu superscriptum* B 2.

autem mare; inde Pommerania[a] quasi Pommorizania[b], idem[c], iuxta vel circa mare sita[d. 13]. Est autem terra haec, si totam eius positionem tam in stagnis et refusionibus marinis, quam in locis campestribus considerare velimus, quasi figura[e] triangula, quia tribus lateribus, quasi[f] tribus lineis per capita sibi cohaerentibus, tres angulos habere deprehenditur[14]; ita tamen, ut unus angulus duobus reliquis sit extensior, qui etiam usque[g] ad Leuticiam et prope Saxoniam, versus aquilonem ad fluctus oceani paulatim recurvatus demittitur[15]. Itaque Pommorania[h] post se in oceano[i] Daciam habet et Rogiam insulam parvam sed populosam[16], super se autem, id est[k] ad dexteram septentrionis, Flaviam[17] habet et Prusciam et Rusciam, ante se vero, id est versus aridam[k*], parva extremitate se attingentes fines respicit Ungariae ac Moraviae; dein Polaniam spaciosa contiguitate usque ad confinia Leuticiae et Saxoniae se habet attingendo extendentem. Gens ista terra marique bellare perita, spoliis et raptu vivere consueta, naturali quadam feritate semper erat indomita et a cultu et[l] fide christiana penitus aliena. Terra vero ipsa piscium et ferarum copiosam incolis praebet habundantiam, omnigenumque frumentorum et leguminum sive seminum fertilissima est; nulla mellis feracior, nulla pascuis et gramine fecundior. Vinum autem nec habent nec querunt, sed melleis poculis et cervisia curatissime confecta vina superant Falernica. Sed de his alias[18]. Nunc autem[m] expediendum, quod multis admirationi est, quare videlicet hi[n] homines tam procul ab orientali Francia et a Babenbergensi ecclesia, immo a toto pene orbe divisi, non alium quemquam de vicinioribus regnis vel ecclesiis baptistam et praedicatorem quam Babenbergensem episcopum habere potuerint[o]. Sed hic fructus ad incrementum beatitudinis eius illi a Deo donatus est.

Tiemo[p]*:* A Domino, inquit, factum est istud, et est mirabile in oculis nostris, unde quonam id ordine factum sit, nos audire delectat.

At *ille:* A re, inquit, paululum digrediendum est, ut concurrentium causarum et eventus et ordinem possim digerere.

2. *De*[q] *Bolezlao duce Poloniae, et ex quibus causis praedicatio illius gentis orta sit.*

Sefridus: Tempore quo dominus episcopus meus[r] Babenbergensem regebat ecclesiam, Polizlaus[s], vir strennuus et prudens, et ingenuae atque avitae[19] nobilitatis decore

nitentiam divinitus est directus. Magna quidem sunt merita ipsius, quae secundum dilectionem proximi in operibus bonis et elemosinis membris Christi exhibuit, magnae[t] et indeficientes miserationes eius, quas fecit in domo Dei sui et in caerimoniis eius, sed[u] oleum divinae caritatis in ipso habunde effusum virtutibus eius supereminet universis. Venit enim non solum reducere oves perditas et convertere ad pastorem et episcopum animarum suarum, sed etiam animam suam ponere pro testamento Dei, ardentissimo desiderio amplectens contumelias, plagas et persecutiones, expectans etiam vincula et carceres et ipsam mortem pro nomine domini Iesu felici constantia relictis omnibus sustinere. Credimus ergo repositam illi coronam iustitiae in illum diem regenerationis, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suae, quando veniet in exultatione cum apostolis doctoribus et euangelistis, tanquam[v] fidelis operator dominicae messis plures adducet manipulos, a principe pastorum percepturus duplicem stolam iocunditatis et immarcescibilem gloriae coronam. Nunc ergo quibus de caussis, quibus auctoribus, quo ordine et tempore conversionem Pommoranicae gentis sit aggressus exequamur, de situ et qualitate ipsius terrae, de ritu[w] gentis pauca praemittentes[x]. *addit* B (2 Tim. 4, 8)

a) *addunt* A 2. B*. *post* Pommorizania B. b) pomerizania A 2. c) id est B 2. d) posita vel sita B*. posita *rell.* B. e) sign. est B 1. signatur B 3*. f) quia *in rasura* B 1. g) *ita* A 2. B*. quasi *rell.* B. h) pomerania A 2. *sic porro.* i) occeano A 2. occeaneo B 2. k) in B 1. k*) partem *videtur excidisse; legendum esse videtur* meridiem. *P.* l) *repetit* a B 2. m) *deest* B 1. n) hii B 2. o) potuerunt A 2. p) *desunt rell. usq. ad fin. cap.* B. q) Incipit liber secundus B 1. 2. 3. 3*. Quae causa fuerit Pommeranorum convertendorum B 1. 2. 3* *est cap.* 2. *usque* satisfactionem accepisset. r) *deest* B. s) Bolezlaus A 2. *et sic porro.* t) et magne B 2. u) *addit* et B 2. v) tamquam — manipulos *desunt* B*. w) reditu B 1. 3*. x) praemittens B 2.

13) De Pomeranorum nomine vid. Zeuss Die Deutschen und ihre Nachbarstämme p. 663. Schafarik Slavische Alterthümer II, 407. 14) Pomeraniae sibi finxit imaginem auctor triangulum, cuius unum est latus Odera, alterum maris litus et basis Pomeranorum et Polonorum fines, vel linea quae Netza fluvio indicatur. In universum de situ Pomeraniae agit Adam. Brem. II, 19. IV, 13. 15) triplici Oderae ostio et insulis Usedom et Wollin. 16) Auctor in angulo quo effluit Odera stare sibi videtur. 17) *Flavia, Flavi, Valvia* sunt Polowzi vid. cont. Cosmae M. G. SS. IX, 174. Sed quid hoc loco sibi velint Polowci ad dextram septentrionis inter Pomeranos positi et Prussos, non satis liquet. 18) II, 41. 19) Ad Boleslavum I atavum respicere videtur.

21 illustris, ducatum Polaniae administrabat[21]. Qui dum se gnaviter et[a] provide gereret, omnes terrae[b] suae terminos sub praedecessoribus suis hostium violentia invasos et perturbatos, [c]castra urbesque a sua potestate[d] alienatas manu robusta recuperare praevaluit. Cumque bellicos actus suos felici exitu saepe prosperari[e] videret, erga Deum quidem, a quo sibi sciebat praestari victoriam, humilior atque devotior, erga hostes vero erectior atque animosior factus, mutua vice terminos eorum ferro et igne attemptare, praedasque et manubias frequenter abstrahere et personas captivare solebat, quousque assiduis cladibus ac terrore confracti, multis obsequiis et donorum impensis animum eius delinirent, datisque et acceptis dextris, federa pacis firmissime pangerent et pacta reciperent.

3. *De actibus et bellis Bolezlai ducis.*

Sefridus: Erant autem cum quibus[f] divisim diversis temporibus certamen habebat, ex parte una Polaniae[g], Boemi, Moravii[g*], Ungari, ex alia Rutheni, gens crudelis et
22 aspera, qui Flavorum, Pruscorum et Pommoranorum[22] auxiliis freti, acrius diutiusque illi restiterunt; sed frustra, quia tandem superati ab eo et contriti[h], post multas clades pacem[i] ab eo postulare cum rege suo decreverunt. At ille, ut erat bellis ac laboribus semper infractus, non continuo de pace acquiescere voluit[k], nisi prius aliqua memorabili honorificentia satisfactionem accepisset.

4. *Quomodo[l] Bolezlaus per ductorem militiae suae Petrum Ruthenos capto rege circumvenerit.*

23 *Sefridus:* Rex[23] vero et omnes principes Ruthenorum sine amicitia et pace ducis non se quietos fore perpendentes, viam inveniendae mutuae pacis et gratiae illius prudentiae ac fidei committendam[m] praesumpserunt. Ille vero hanc honestissimam ratus viam sta-
1103. tuendae atque firmandae pacis, filiam[24] ipsius regis petivit et accepit uxorem, videlicet ut hoc[n] affinitatis commercio tam principes ipsi quam subditi eis terrae utriusque populi pacem ad invicem haberent perpetuam, atque in necessitatibus et oportunitatibus suis mutuo[o] sibi contra hostes praesidio forent atque auxilia portarent. Colebant ergo se mutuis beneficiis socer et gener, magnificatusque est Polizlaus et confortatus ac prosperatus undique, nec ulla ei erat contradictio, universis potestatis suae terminis hoste nullo turbatis. Verum ea perfunctoria et brevis erat[p] tranquillitas. Nam post annos paucos Ruthenissa uxor Polizlai moritur[25], unum tantum ei filium relinquens[26]; unde quasi rupto vinculo, quo tota inter generum et socerum constabat amicitia, dudum consopita bella paulatim recrudescunt. Polizlaus igitur feritate gentis permotus[q], cum suis consilium habuit, quonam modo[r] redi-
27 viva mala haec propulsare potuisset. Habebat autem Petrum[27] quendam militiae ductorem, virum acris ingenii et fortem robore, de quo dubium utrum in armis an in consiliis maior fuerit, qui erat praefectus a duce super viros bellatores. Hic ascitus consilio: *Si suis tantum*, inquit, *Ruteni viribus dimicarent, illos a[s] nobis conteri difficile non[t] esset, sed habent Flavos, habent Pruscos, habent etiam Pommoranos, gentem idolatram invisam ac nimis[u] indomitam; quos omnes simul in arma provocare quam durum sit, inexperti non sumus, quamvis ante de his triumphos habuerimus. Quocirca meo animo consilium incidit Ruthenos arte melius superari. Et ne quis inpossibile hoc existimet, ecce, vadam ad illos, et incruentam nobis de tiranno victoriam reportabo, Deo michi praestante ingenium.* Sed quid multis? Placuit duci et principibus experiri, si effectum habere verba Petri queant. Assumptisque viris quasi
28 30 robustissimis, ficta necessitate Petrus ad regem transfugit[v] Ruthenorum[28], eumque arte sermonis circumventum, quod male de duce sentiret, aestimare fecit. Et rex eo quod fidem

a) ac B. b) ditionis B*. c) et *addit* B. d) vi *add.* B. e) prosperare B2. f) cum q. diversi B2. divisim *deest* B1. 3. diversim B*. g) *deest* B1. g*) Ung. Mor. B. h) *superscriptum al. m.* B2. i) post — pacem *desunt* B2. k) noluit B2. l) De eodem B1. 3*. *supra* de e. B2. m) committendum B3*. n) *deest* B2. o) insuper B*. p) *deest* B3*. q) commotus B1. r) studio B1. *deest* B*. B2. s) *deest* B. t) non esset laboriosum B. u) minus B3*. v) refugit B2.

21) 1102—1139. Paucos menses post Ottonem obiit 28. Oct. Cf. Roepell I, 297. 22) De Boleslavi bellis cum omnibus his populis vid. Chron. Polonorum II. M. G. SS. IX, 448 sqq. 23) Suatopolk princeps Kiewensis. 24) Zbyslava a posteris scriptoribus vocatur. Roepell I, 231 an. 5 ubi etiam de nuptiarum tempore agitur. Vid. Chron. Polon. II, 23. 24. 25) 1110 secundam uxorem duxit Boleslavus. Roepell I, 257, an. 43. 26) Wladislavum. 27) Idem qui Petrus Wlast vel Petrus de Skrzyn. Roepell I, 265, an. 4. 28) Hic est Wolodar princeps Haliczensis. Cf. de hac perfidia Ortlieb. Zwiefalt. M. G. X, 91.

haberet homini, quem etiam prudentem sensit, ad multa negocia sua eius familiaritate usus[a] est, sperans, quod tandem per eum de Polania tota posset triumphare[b]. At Petro aliud mentis erat. Nam cum die quadam fictus tranfuga ipsiusque socii cum rege in saltu nemorum venandi gratia vagarentur, rex nichil mali suspicatus occasione ferarum longius a moenibus abscesserat, elongatisque aliis Petrus cum suis circa illum remanserat. Qua fretus oportunitate, capto rege incruentam, ut pollicitus erat, de Ruthenis victoriam domino suo duci reportavit; mirumque dictu, effera gens illa hoc facto ita edomita est, ut nunquam postea vivente duce nec quidem de bello cogitaret. Nam pro ereptione sui tirannus, quicquid maiorum suorum studio ac sollertia in thesauris collectum habere poterat, dare coactus est, aurum et argentum et quaeque preciosa in vasis et vestibus et variis opum speciebus, quadrigis et camelis in Poloniam apportantibus, ita ut Ruthenia tota insolita paupertate contabesceret. Deinde[c] ubi foedera mansurae pacis iureiurando tam rex 1120?
quam optimates Ruthenorum solidaverant, etiam hoc polliceri fide firmissima rogati sunt, ne Pommoranis ultra forent auxilio. Contra illos enim totis viribus dux manum levare cogitavit.

5. *Quomodo[d] dux Polizlaus Pommoranos expugnaverit.*

Sefridus: His omnibus ergo[e] ipsius ad votum compositis, Pommoraniam insultibus crebris concutere, vastare ac populari coepit. Et quia paganismo tenebantur, dux eos aut penitus elidere, aut ferro ad fidem christianismi conatus est impellere. At illi suis fisi viribus, eo quod civitates et castra natura et arte firma in introitu terrae haberent quam plurima, se inexpugnabiles fore arbitrati sunt, omnemque substantiam suam in urbibus collocantes, armorum praesidia praeparare moliuntur. Sed quia Deo placuit aliquos ex eis conterere, ut caeteros ad fidem converteret, vires et ingenium[f] contra eos Polizlao ministravit, ita ut multis et magnis cladibus eos frequenter afficeret. Nam et civitatem Steti- 1121.
nensem, quae stagno[g] et aquis undique cincta, omni hosti inaccessibilis putabatur, quae etiam totius Pommoraniae metropolis fuit, hiemali tempore strictam per glaciem non sine periculo exercitum ducens, inopinata clade percussit. Nadam[h] [30] quoque civitatem muni- 30
tam et fortem valde fregit et succendit, et omnem in circuitu[i] eius regionem igni et ferro vastavit, adeo ut ruinas et adustiones et acervos cadaverum interfectorum incolae nobis[k] per diversa loca monstrarent[l] post annos tres[31] acsi de strage recenti. Tam gravissime 1124.
autem in illarum civitatum expugnatione subacti sunt, ut quos neci et captivitati dux superesse passus est, cum suo principe[32] christianos se atque tributarios fore[33], quod iurare 33
licuit, pro lucro ingenti[m] ducerent. Ferunt autem, quod 18000 virorum pugnatorum neci traditis, 8000 cum uxoribus et parvulis ad terram suam captivos abduxerit, et in periculosis marchiarum locis, in urbibus et castris eos collocans, quo terrae suae praesidio forent, et[n] cum hostibus suis, gentibus scilicet extraneis, bella gererent, indixit[o], hoc addito, ut abdicatis idolis christianae se religioni per omnia conformarent. Sed cum reliquos de gente perfida, quos in terra propria tributarios dimiserat, dux fidei christianae apponere curaret, omnes episcopos terrae suae conveniens, nullum persuadere potuit, ut illo ire atque in tenebris et umbra mortis sedentibus lumen vitae vellet ostendere, singulis suas excusationes praetendentibus. Sicque per triennium dilata est praedicatio, duce[p] ipso satis aegre ferente dilationem.

a) unus B3*. b) triumpharet B. c) dein B. d) Item de causa eadem B1. 2. 3*. e) ergo omnibus B. f) ing. et vires B2. 3*. g) stangno A2. h) Nactam A2. Vadam B3*. i) in circuitu *desunt* A2. circuitus B*. k) incolae nobis *desunt* B. l) *ita* A2. monstrarentur B. m) ing. lucro B. n) quod *add.* B1. o) inde et B*. p) duce — dilationem *desunt* B3*.

30) *Damm.* Cf. Barthold Gesch. v. Pommern I, 468 sq. Teske in prolusione gymnasii Stargardiani Das erste Auftreten Bischof Otto's in Pommern p. 8. 9. Quandt Bischof Otto's erste Reise in Pommern. Balt. Studien X, 2, p. 130 coniicit Nadam eandem esse civitatem dirutam, quam vidit Sefridus haud procul a Colberga infra II, 38. Hoc castellum non esse Nakel observat L. Giesebrecht Wend. Gesch. II, 215; quod ideo etiam apparet, quod Otto eiusque comites in primo itinere per terram Nakelensem profecti non sunt; vid. infra II, 11. 12. 31) i. e. 1124 tempore aestivo; itaque expeditio Boleslavi 1121 facta primis, ut videtur, mensibus hiemalibus. Eodem bello Stettinam expugnavit et Nadam. De expugnatione urbis Stettinensis vid. Miracula S. Egidii supra p. 320. 32) Wratislao. 33) Quod servitium iis impositum sit apparet ex Boleslavi epistola ad Pomeranos infra II, 29.

6. *Quomodo*[a] *expugnatos ad christianismum coegerit, et Ottonem episcopum euangelistam et praedicatorem eis acquisierit.*

Sefridus: Tandem instinctu admonitus divino ad hoc opus Ottonem Babenbergensem episcopum, cuius tunc fama late in regnis effloruit — eo quod et hunc in adolescentia eius patri suo capellani more obsequentem, notum et carum habuerit — invitare decrevit, oportunum fore autumans, cum tali viro et antiquas renovare amicitias, et tam sancti operis gratiam illius iniungere sanctitati. Mittens ergo legatos et munera, scripsit ei litteras se-
1123. cundum[b] verba haec[c.34]: *Domino suo et patri amantissimo Ottoni, venerabili episcopo, Polizlaus, dux Polaniorum, filialis obsequii humilem devotionem. Quia in diebus iuventutis tuae apud patrem meum decentissima te honestate conversatum memini, et nunc quoque Dominus tecum est, firmans te et benedicens tibi in omnibus viis tuis, si tuae non displicet dignitati, veteres tecum renovare animo*[d] *sedit amicitias, tuoque consilio simul et auxilio uti ad Dei gloriam promovendam, ipsius gratia coadiuvante. Nosti enim, ut arbitror, quomodo Pommoranorum cruda barbaries, non mea quidem sed Dei virtute humiliata, societati ecclesiae per baptismi lavacrum se admitti petunt. Sed ecce, per triennium laboro, quod nullum episcoporum vel sacerdotum idoneorum michive coaffinium*[e] *ad hoc opus inducere queo. Unde, quia tua sanctitas ad omne opus bonum prompta et indefessa praedicatur, rogamus, pater amantissime, non te pigeat, nostro comitante servitio, pro Dei gloria tuaeque beatitudinis incremento id laboris assumere. Sed et ego tuae paternitatis devotus famulus, impensas omnes et socios itineris et linguae interpretes et coadiutores presbyteros, et quaecunque necessaria fuerint, praebebo, tu tantum, sanctissime pater, venire dignare.*

7.[f] *Quam pronum se Otto beatissimus ad hoc opus exhibuerit.*

His auditis, episcopus, quasi de coelo vocem loquentis[g] Dei accepisset[h], toto pectore habundanti laetitia[i] repletus, gratias egit omnipotenti Deo, quod ad tale negocium suo uti dignaretur ministerio. Habito igitur[k] chori et cleri sui consilio, missis ad apostolicam sedem legatis, cum licentia et[l] benedictione atque obedientia venerandae memoriae domni Honorii[35] papae, huic gravissimae sarcinae humerum devote applicuit. Sed quia terram Pommoranorum fama ferente opulentam audiverat, et egenos atque[m] mendicos penitus non habere sed vehementer aspernari, et iamdudum quosdam servos Dei praedicatores egenos
36 ac censu tenues propter inopiam contempsisse[36], quasi non pro salute hominum sed pro sua necessitate relevanda officio insisterent praedicandi; studiose procuravit, ut non solum illis[n] non indigens, verum etiam opulentus appareret, nec opes eorum sibi sed ipsos potius velle Deo lucrari. Assumptis igitur clericis idoneis, et eisdem ad iter habunde procuratis[o], missales aliosque libros et calices cum indumentis sacerdotalibus, et alia quaeque altaris utensilia, quae in gente pagana subito inveniri[p] non posse sciebat, provida liberalitate secum fecit portari, ne sine instrumentis[q] agricola fidus in agrum Domini sui exire videretur. Vestes quoque et pannos preciosos aliaque donaria, nobilibus ac[r] divitibus apta, euangelista simplex et prudens in viam portavit, euangelium[s] ne forte indigentiae causa paganis[t] videretur euangelizare, sed novellae plantationi sua potius conferre quam illius appetere.

Tiemo[u]*:* Parum te hic submoneo; non tibi sit iniuria. Video equidem quibus causarum eventibus ad illam gentem tam longinquam Ottonem nostrum ire contigerit; sed qua illic iter egerit, et quo tempore in viam ierit, leviaque sive aspera viae dicere non omittas, ne errare incipiam, si et ego eo ire velim.

Sefridus: Ut vis et in hoc ego obediam.

a) Quomodo litteras Ottoni episcopo miserit Polizlaus dux B 1. 2. 3*. Ottoni *deest* B 2. b) lit. sec. *desunt* B*. c) *sequitur inscriptio* littere ipsius B 2. d) meo *add.* B*. e) affinium B. f) Quomodo consilio chori sui litteras apostolico miserit, pro euangelii licentia petenda B 1. 2. 3*. lic. pet. ewang. B 2. g) Dei loq. B. h) audivit B 2. i) abundantia laetitiae B 3*. k) ergo B 1. l) *deest* B. m) sive B. n) *deest* B 1. o) et — procuratis *desunt* B 2. p) invenire B 2. 3*. n. p. inveniri B*. q) instrumento B. r) et B 2. s) euangelii A 2. t) prudens B. *excepto* B*. u) Tiemo — obediam *desunt* B.

34) In anno 1123 conveniunt Ussermann p. 74, Roepell I, 268, an. 10 et L. Giesebrecht W. G. II, 210, ann. 2. 252, et vix posteriore tempore scribi poterant litterae. Nam in curia Bambergensi exeunte m. Aprili 1124 Otto imperatori retulit se a Boleslavo ad Pomeranos convertendos invitatum et in hoc munere a Calixto papa confirmatum esse, ut testatur Ekkehardus. Quum Otto, ut patet infra II, 8, iter 25. Apr. 1124 ingrederetur, curia illa Non. Mai. 1124, quod Ekkehardus innuere videtur, fuisse nequit. Imperator 25. Apr. erat Bambergae; Boehmer 2083. 2084. 35) immo Calixti II. qui obiit 13. Dec. 1124. Cf. Jaffé Reg. p. 548. 36) Bernhardum. Ebbo II, I.

8. *Quo*[a] *tempore, qua via illuc properaverit.*

Sefridus: Paratis igitur[b] omnibus quae profectioni erant necessaria, proxima die post 1124.
festum sancti Georii martiris, salutato clero et populo suo, tanquam hoc opere viam sancti- Apr. 23
ficaret, duas ecclesias unam in Liuckenberge[c. 37] et alteram in Vohendretze[d. 38] consecravit. 38
Hinc transito nemore Boemico per abbatiam Cladarun[e. 39] ventum est[f]* Bragam, inde per Apr. 28
Satischam[40], in Albe fluminis ripa sitam ecclesiam, ad castrum ducis Boemici[41] quod Mi- Apr. 29.
leciam[g. 42] dicunt, ubi a duce ipso magnifice[h] susceptus et donis honoratus est[43]. Inde per Apr. 30
aliud eius castrum Burda[44] nomine usque ad Nemeciam[i. 45] urbem[k] ducis Polaniae; atque Mai. 2.
inde per tres episcopatus Polaniae, Brezlawensem videlicet et Calissensem[46] atque Pozna- Mai 3
nensem usque ad archiepiscopatum Gneznensem[l] cum gaudio et pace conducti sumus,
omnibus illis ecclesiis una salutationis forma dominum meum[m] suscipientibus, festive sci-
licet processionis honore, gaudentesque per loca singula uno eodemque exultationis cantu,
eius proposito alludentes: *Cives*[n] *apostolorum et domestici Dei advenerunt hodie* et caetera
quae in illo responsorio sunt devote cecinerunt.

9. *Quid auxilii, quid praesidii habuerit in duce Poloniae.*

Sefridus: Praeterea dux ipse et omnes optimates Poloniae, quasi 200 passibus ab urbe Mai. 20.
Gnezna[47] nudis pedibus procedentes, cum magna susceptum reverentia principalem usque 47
ad ecclesiam conduxerunt. Dux ergo tali hospite laetissimus et gloriosus, per dies 7 eius
fruens praesentia, multa nobis exhibita[o] humanitate et benignitate[p], omnia etiam[q] viae[r]
necessaria sollerti cura instituit praeparare, deditque domino meo[s] de gente illa tam Scla-
vicae quam Teutonicae linguae gnaros satellites ad diversa eius ministeria, ne quid in-
commoditatis per linguae ignorantiam in gente externa pateretur. Quid dicam currus et
quadrigas ordine longo victualia et omnes sarcinas nostras[t] portantes? Monetamque[u]
terrae illius liberalitate contulit ingenua, nulla nos[v] sustinens laborare inopia, sed neque
propria expendere, acsi omne[w] illius viae meritum suis impensis emere cogitaret. Tres
etiam sacerdotes capellanos de latere suo princeps episcopo sociavit coadiutores verbi[48],
et centurionem quendam nomine Paulicium[x. 49], virum strennuum et catholicum, qui etiam 49
naturali facundia idoneus esset concionari ad populum.

10. *De horrore et difficultate viae transita Polonia.*

Sefridus: Taliter a duce Poloniae dimissi[y], per Uzdam[z] castrum in extremis Poloniae Mai. 27.
finibus transeuntes[50], nemus horrendum et vastum, quod Pommoraniam Poloniamque di- 50
vidit, intravimus[*]; sed viam in invio quam difficile sit tenere, etiam illic experiri potuimus[a]. Mai. 28.

* coenobium Cluniacensis ordinis, ubi honorifice susceptus, dedicavit ecclesiam in honore sancti Nicolai. Ibi etiam quasdam sorores velavit, inter quas unam nomine Ribzam[b] amarissime flentem blande consolatus est, dicens: *Noli flere, filia*[c], *sed*[d] *secura esto, quia in die iudicii ego animam tuam sponso tuo, domino nostro Iesu Christo, consignabo.* In huius promissionis argumentum post multa annorum curricula in anniversario depositionis beati Ottonis die defuncta est. A Cladarun digrediens, pervenit *add.* B 1. 2. 3*.

a) Quomodo profectus sit ad Pomoranos. *Usque* oportunos exhibentibus *sub finem c.* 13. B 1. 2. 3*. *unum est caput.* b) *deest* A 2. ergo B 3*. c) luckenperge A 2. luckenberge B 2. d) vohendrese A 2. vohendreze B 2. e) cladrunam A 2. cladarum B 2. f) venit B. g) mileliam A 2. milecia B 3*. h) *deest* B. *excepto* B*. i) nemetiam A 2. k) urbis B 3*. l) geneznensem A 2. m) episcopum s. B. n) cives apostolorum et domestici Dei et cetera B 2. o) multa eius hum. B. p) et ben. *desunt* A 2. q) *deest* B 1. r) vite B 2. s) episcopo B. t) episcopi B. u) quoque B. v) eos B. w) omnis B. x) Paul. n. B. y) scilicet episcopus et qui cum eo erant *add.* B. z) quoddam B*. *) intraverunt B. a) potuerunt B. b) Rizdam B 2. c) *deest* B 2. d) quia B 2.

37) *Leuchtenberg.* 38) *Vohenstrauss.* 39) *Kladrau.* 40) *Satzka,* ecclesia collegiata. 41) Wladislai I. 42) *Milletin* in circulo Bidschowensi. 43) Quod Pragae factum vult Ebbo II, 3. 44) Byrdo vel Bardo i. e. *Warthe* ad Neissam, ut observat Quandt l. l. p. 133, quod praeferendum videtur; reliquis est *Parduwitz.* Vid. Ottonis itinerarium, quod usque ad Wratislaviam accurate descriptum dedit Quandt l. l. p. 133. 134. 45) *Nimptsch* in confinio Bohemiae et Silesiae. 46) Verba *et Calissensem* cum L. Giesebrechto W. G. II, 259, an. 1 glossam putarim; nam neque Calissensis tunc exstabat episcopatus, neque in itinere Ottonis sita erat urbs Kalisch. Neque Ebbo II, 3. habet tale quid. 47) De die cf. Ebbo II, 4. 5. et L. Giesebrecht W. G. II, 259, an. 3. 48) inter quos Adalbertus, de quo vid. infra II, 40. 49) comitem de Zantok, cf. Monach. Priefling. II, 2. 50) De via qua Otto intraverit Pomeraniam valde inter se differunt qui antiquissimis Pomeranorum rebus perscrutandis operam dederunt; sententias eorum examinarunt Teske l. l. et Quandt l. l., Baltische Studien X, 2. p. 121.

51 Nemus quippe hoc[a] nulli ante mortalium pervium erat, nisi quod superioribus annis[51] dux[b] latrocinandi causa, priusquam subegisset totam Pommoraniam, sectis signatisque arboribus viam sibi exercituique suo exciderat. Quae signa tenentes, magna quidem difficultate propter serpentium ferarumque monstra diversarum[c], nec non et gruum in ramis arborum nidos habentium, nosque[d] garritu et plausu nimis infestantium, importunitatem, simulque propter loca palustria quadrigas et currus[e] praepedientia, vix diebus 6 emenso nemore, Iun 2. ad ripam fluminis, qui limes[f] Pommoraniae[52] est, consedimus[g].

11. *De occursu Pommoranici ducis et metu clericorum.*

Sefridus: Dux vero Pommoranorum Wortislaus dictus[h] adventus nostri[i] praescius, cum 500 viris occurrens, ex alia parte aquae castra metatus est, moxque amne transmisso cum paucis episcopum salutat atque salutatur ab illo[53], et quia christianus erat — occulte 54 autem propter metum paganorum[54] — corde magis quam ore locutus, in amplexu pontificis diu pendens[k], alta devotione super viae causa Dei clementiam collaudat. Episcopo autem[l] et duce cum interprete et Paulicio seorsum in colloquio demorantibus, caeteri qui cum duce venerant homines[m] barbari, quia clericos aliquantum trepidare videbant, ficto eos terrore amplius vexabant, ita ut articulum passionis imminere metuentes, confessione,[n] orationibus atque psalmodia Domino nostrum commendaremus[o] agonem.

Matth 14, 31. *Tiemo*[p]: Modicae fidei quare, inquit, dubitasti?

Sefridus: Non, inquit, sine causa; primo illic paganos vidimus[q], et qua mente dux advenerit, nondum omnes sciebamus[r]. Sed et horror solitudinis, et loca insolita, et nuper evasi nemoris nigra densitas, et crepusculum noctis propinquae, et hominum barbarorum crudelis aspectus, materia nobis[s] non parvi timoris erant. Nam et cultros acutissimos educentes, vivos nos[t] excoriare aut transfigere, ac humi nos[t] defodere usque ad verticem, coronasque nostras[u] eisdem cultris punctare ac secare minati sunt; et alia multa genera tormentorum, rictu fremituque nos[t] terrentes, nobis[s] imminere dixerunt, quae omnia certe, si bene te novi, tuam quoque animositatem effregissent[v]. Sed cito respiravimus[w], duce ipso nos[x] placidae benignaeque consolationis eulogio relevante[y], quodque inani pavore pulsati fuimus[z], tam nobis quam illis[*] ioco esse coepit. Nam ubi nobis ducem ipsum aliosque milites, qui nos terruerant, christianos occultos esse compertum est, primo quidem paulatim animari, deinde fiducialius agere, ipsosque etiam adhortari ac docere praesumpsimus, quos ante vel intueri, metu perculsi, non potueramus. Ipsis ergo iam mansuescenti- Ps 125,2,3 bus, et religioni christianae magis magisque deferentibus, repletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exultatione, dicebantque inter gentes, quorum Deus tetigerat corda: *Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus laetantes; quia episcopo veniente*[a] *ad nos*

a) illud *omisso* quippe B 2. b) superius memoratus dux annis sup. B 2. c) div. m. B. d) eosque B. e) currus quadr. B 2. f) limus A 2. g) consederunt B 2. h) W. d. *desunt* B. i) eorum B. k) dependens B 2. l) *deest* B. m) *deest* B. *exc.* B*. n) et *add.* B. o) suum commendarent B. p) Tiemo — causa *desunt* B. *pergunt* nam primo *etc.* q) viderunt B. r) sciebant B. s) eis B. t) eos B. u) eorum B. v) quae effregissent *desunt* B. w) respiraverunt B. x) eos B. *et sic ubique prima persona in tertiam*, nos *in* eos, nobis *in* eis *mutatum est.* y) reuelante B 3*. z) p. s. B 2. *) utrinque pro B. *in loco* tam — illis. a) vobis venientibus A 2, B.

Paene omnibus qui de his rebus scripserunt Uzda est *Uscz* ad Netzam, Quandtio *Gusche* inter Schwerin et Driesen, inter Netzam et Wartham fluvios; prior coniectura altera est longe verisimilior, etsi unum moneam: in Chron. Polonor. II, 47. M. G. SS. IX, 462. Uscz vocatur Uscze non Uzda. 51) 1120. 1121; vid. supra II, 5. 52) De hoc fluvio difficillima est quaestio. Kanngiessero in libro Bekehrungsgeschichte der Pommern p. 562 et Jaeckio p. 463 est Netza; Bartholdo II, 32 non liquet utrum sit Draga an Ploene an Ihna; Roepell I, 271 praefert Dragam; Teske l. l. et L. Giesebrecht W. G. II, 262 probant Ihnam, et Quandt l. l. auctoritate anonymi Prieflingensis II, 2 munitus, coniicit esse Wartham. Una sententia nullo modo probari potest, hunc fluvium esse Netzam, qui ipsius Poloniae hoc tempore indicabat fines, ut patet ex Chron. Polon.; nam omnia castella, in quibus iterum atque iterum arma contulerunt Poloni cum Pomeranis, Nakel, Uscz, Czarnkow, Filehne, Zantok in ripa Netzae fluvii sita sunt cf. Chron. Polon. II, 2. 3. 16. 17. 44. 47. 48. III, 26. Extremis Poloniae finibus transitis, Otto erat in dextera Netzae ripa, itaque fluvius ille neque Wartha esse potest. Ex mente Sefridi horrendum illud nemus erat neque Polonorum neque Pomeranorum; situm erat inter Netzam alterumque illum fluvium qui limes erat Pomeraniae. Eundem esse atque Ihnam iis probatum est, qui hanc sententiam amplexi sunt Zitarigrodam, cuius meminit Ebbo II, 5. hodie esse Stargard, de qua vid. infra. At vix crediderim Pomeraniae limites tam longe occidentem versus esse quaerendos, neque Zitarigroda est Stargard; itaque cum Bartholdo et Roepellio fortasse praeferendus est Draga. 53) Quod Ebbone teste in castro Zitarigroda factum est. 54) Cf. Ebbo III, 6.

dissolvet Dominus captivitatem nostram, sicut solvitur glacies a sole meridiano. Episcopus itaque bene agendi semper avidus, bene se venisse ominatus, donariis ducem honorans, baculum quoque dedit eburneum[a], quo ille statim usus ipsoque incumbens gratulabundus huc illucque deambulabat, conversusque ad milites: *Qualem*, ait, *patrem nobis Deus dedit, et qualia patris dona, et haec nunc quidem magis quam alio tempore gratiora?* Hinc ad castra discessum est. Factoque mane dux de viris qui secum venerant ductores et ministros Iun. 3. reliquit episcopo, mandans in tota Pommorania per cuncta loca possessionis suae liberalia ei[b] praeberi hospitia. Nos[c] vero[d] transito fluvio terram Pommoranorum in nomine Domini intravimus, et conductoribus nostris viam demonstrantibus, iter ad castrum Pirissam[55] direximus. Dux vero a nobis ad sua negocia divellitur.

12. *De primitiis operum eius transito fluvio qui est limes Pomoranorum.*

Sefridus: In ipso[e] autem itinere viculos paucos bellica pridem[f] vastatione dirutos et raros incolas, qui nuper se post dispersionem recollegerant[56], invenimus, qui de fide 56 christiana conventi, et an credere vellent interrogati, humiliter pedibus advolvuntur episcopi, cathezizari se atque baptizari postulantes. Hos[g] ergo quasi primitias dominicae messis in aream domini sui messor devotus cum gratiarum actione componens, baptizavit illic homines 30, fidemque sanctae Trinitatis et decalogum legis in numero tacite considerans, opus euangelicum mystice a se inchoatum gavisus est.

13. *Quomodo susceptus sit apud Pirissam civitatem ducis et quid ibi fecerit.*

Sefridus: Inde ad castrum ducis Pirissam undecima hora diei[57] propinquantes, ecce, 57 illic[h] hominum ad 4000 ex omni provincia confluxisse, ut eramus eminus, aspeximus; erat Iun. 4. enim dies festus paganorum, quem lusu, luxu cantuque gens vesana celebrans, vociferatione alta nos reddidit attonitos. Non igitur utile vel cautum nobis visum est, illa nocte in turbam, potu laeticiaque ferventem, nos tam insolitos hospites advenire, sed manentes ubi fuimus noctem illam insompnem duximus, nec ignem in castris habere ausi, nec verbis apertioribus ad invicem loqui praesumpsimus. Mane vero episcopus Paulicium et nuncios Iun. 5. Bratizlai ducis ad castrum mittit. At illi, salutatis maioribus ex nomine ducum, ab eis missum nunciant episcopum, qui fidem et religionem christianam terrae illi debeat praedicare. Atque sub eorundem auctoritate mandant et suadent, ut digne ac reverenter susceptum audiant, addentes virum esse[i] honorabilem, domi divitem, et nunc quoque in aliena terra suis opibus sufficientem; nichil illum petere, nullius egere, pro illorum salute advenisse, non quaestus gratia. Memores sint fidei ac sponsionis suae, memores divinae ultionis et recentis exterminii, ne[k] denuo iram Dei exasperent[l]; orbem universum christianis legibus deditum, se solos universitati resistere non posse. At illi diu cunctabundi et diversas excusationes molientes, indulgentiam temporis consilio petunt, non oportere dicentes rem tam grandem subito aut inconsulte aggredi. Paulicius vero et legati astu[m] ea dici animadvertentes: *Non*, inquiunt, *tempus est productioris consilii; quod facturi estis, facite citius! Ecce, iuxta est! Sero ad vos intraturus[n] erat domnus antistes, sed quia ludo et iocis occupatos audivit, distulit intrare, in campo figens tentoria; sed vestrae hoc convenit prudentiae, ut non illum despectiva dilatione contristetis, ne forte et domni duces se doleant super hoc iniuriatos. Et est*, inquiunt, *tam prope?* Quibus ita esse respondentibus: *Et omnia*, inquiunt, *consilia nostra ruptum eunt. Quoniam[o] ergo rerum convenientia sic postulat, faciamus sponte et alacres, quod facturi sumus. Nam et altissimus Deus sua nos virtute circumventos undique trahere videtur. Declinare non possumus, sequamur ergo trahentem ad vitam, ne reluctantes bonitati eius praecipitemur in mortem. Dii nostri, sicut apparet, dii non sunt; contra eum nos iuvare non possunt. Melius ergo est, ut relictis desertoribus ad verum Deum, qui non deserit sperantes* Iudith 13, 17. *in se[p], transeamus.* Verum ubi eam sententiam tam bonam tamque salubrem diligenti retractatione probaverant, primo quidem apud se in conclavi, deinde vero cum legatis et Paulicio ad plenum vigorem laxiori consilio firmaverant, cum eisdem ad populum egressi, qui,

a) *add.* A 2. B'. b) eis B 1. c) christiani B. d) et episcopus *addit* B. e) In ipso — gavisus est *desunt* B 1. f) *add.* A 2. B'. g) nos B 1. h) turbam *add.* B 1. i) eum esse virum B 2. k) *deest* A 2. l) exasperant A 2. m) astute B. n) int. erat ad vos B. o) Quomodo B 3'. p) ex toto corde *add.* B.

55) *Pyritz.* De castro Pirissa vid. Barthold II, 34, an. 2. 56) post bella de quibus supra II, 5. 57) i. e. hora tertia pomeridiana, cf. Giesebrecht W. G. II, 265, an. 2.

sicut ad festum confluxerat, contra morem indispersus[a] Dei nutu in loco manebat, nec in rus discesserat. Luculenti sermonis dulcedine, multo benivolentiae captu eos de hoc verbo allocuti sunt. Sed quid multa? Mirum dictu, quam subito, quam facili consensu omnis illa multitudo populi, auditis primatum verbis, in eandem sese convenientiam[b] inclinarit[c]. Et quia dici audiunt episcopum in proximo esse, facto ingenti clamore, ut advocetur,[d] rogant, quo illum videre queant et audire, antequam soluto coetu singuli in loca sua discedant. Redeuntibus itaque Paulicio et legatis, abierunt quidam de castellanis cum eis ad episcopum, qui obnixa veneratione ad se illum invitarent, salutatum ex parte nobilium plebisque universae, quique fidem facerent, sine omni periculo vel iniuriae metu eum ascendere posse, quin etiam in omnibus ei obaudituros se ex animo. Episcopus vero tam quieto successu rebus se promoventibus, gratias agens Deo, ad castrum se levabat. Sed ecce, ubi quadrigas, vehicula et sagmarios nostros victualia portantes, iumenta quoque et populum[e] qui nobiscum veniebat eminus videre coeperunt, quasi apparatum belli suspicantes, modicum turbati sunt; re autem sicut erat recte agnita[f], pavore abiecto, in modum torrentis omnis populus in occursum nostrum effunditur, ambiens et circumdans, ammirans et contemplans et nos et omnia nostra, usque ad hospitii locum nos conducendo. Fuit autem ante introitum castri area spaciosa, quam occupantes, fiximus tentoria in eodem loco, ipsis barbaris mansuete ac familiariter nos adiuvantibus, et in omnibus se nobis oportunos exhibentibus.

14. *De[g] inceptione sermonis in eodem loco.*

Sefridus: Interea vero episcopus pontificalibus indutus, monente Paulicio et primati-
59 bus de loco editiori populum cupientem ore alloquitur interpretis[59], ita dicens: *Benedictio Domini super vos, benedicti vos a Domino! Benedicimus et gratias vobis referimus*[h] *in nomine Domini, quia grata et iocunda et benigna susceptione nos refovistis. Et causa quidem adventus nostri ad vos quae sit, forte iam audistis, et iterum, si dignamini audire, debetis et diligentius attendere. De via longa venimus. Salus vestra, beatitudo vestra, gaudium vestrum tantae nobis viae causa fuit. Nam salvi, laeti atque beati eritis aeternaliter, si creatorem vestrum agnoscere et illi soli*[i] *servire vultis.* Haec et his similia, quae inserere studio brevitatis omitto, populo rudi simpliciter euangelizante pontifice[k], omnis illa multitudo, quasi unus homo, fidei sanctae concordantes, illius doctrinae se commiserunt. At ille cum clericis et sacerdotibus 7 diebus eos cathezizans, et de omnibus quae christianae religioni conveniebant, diligentissime instruens, indicto trium dierum ieiunio, iussit, ut corpora sua balneis mundarent, et[l] lotis albisque indutis vestibus, mundo[m] corde et corpore mundoque habitu ad sanctum baptisma concurrerent.

15. *De forma et disciplina baptizandi*[n].

Sefridus: Interim vero tribus exstructis baptisteriis, ita ordinavit, ut ipse solos mares pueros[o] in uno baptizaret, alii autem sacerdotes in aliis feminas seorsum et viros seorsum.
60 Tanta quoque diligentia, tanta munditia et honestate pater optimus sacramenti operationem fieri edocuit, ut nichil indecorum, nichil pudendum, nichil unquam quod alicui gentilium minus placere posset, ibi ageretur. Namque dolia grandia valde terrae altius immergi praecepit, ita ut ora doliorum usque ad genu hominis vel minus de terra prominerent, quibus aqua impletis, facilis erat in eam[p] descensus. Cortinas circa dolia, fixis columpnellis funibusque inductis, oppandi fecit, ut in modum coronae velo undique cuppa[q] cingeretur; ante sacerdotem vero et comministros, qui, ex una parte astantes, sacramenti opus explere habebant, linteum[r] fune traiecto pependit, quatenus verecundiae undique provisum
61 foret[61], ne quid ineptiae aut turpitudinis notaretur in sacramento, neve honestiores personae pudoris occasione se a baptismo subtraherent. Cum ergo ad stadium cathecismi

a) in Dei n. in l. indispersus B2. b) consensum B*. voluntatem B1. *deest* B2. 3* c) inclinaverat B2. d) universi *add.* B. e) *deest* B. *excepto* B*. f) cognita B1. g) De praedicatione eius in Pirissa civitate B1. 2. 3*. *quibus unum caput duo sequentia.* h) agimus vobis B2. i) *deest* B. k) episcopo B2. l) *deest* A2. m) mundo - corpore *desunt* B2. n) *incipit caput superscriptum* de honestate baptismi B2. o) mares solos et p. B2. p) eas B1. q) cruppa B3*. r) luttium B3*.

59) Adalberti. Differebat igitur Pomeranorum a Polonorum lingua, qua utebatur Otto; cf. I, 1. 60) Cf. II, 19. 35. 61) Tentoria desuper aperta Otto figi et linteo in duas partes dividi iussit. Cf. etiam II, 35.

turbae venirent, sermone qui talibus competeret episcopus eos omnes communiter alloquens, sexumque a sexu dextrorsum et sinistrorsum statuens, cathezizatos oleo perunxit, deinde ad baptisteria digredi mandat. Igitur ad introitum cortinae venientes, singuli tantum cum patrinis suis[a] intrabant, statimque vestem, qua fuit amictus is qui baptizandus erat et cereum, illo in aquam descendente, patrini suscipiebant, et ante faciem suam illam tenentes, expectabant, donec eam redderent de aqua exeunti. Sacerdos vero qui ad cuppam stabat, cum audisset potius quam vidisset, quod aliquis esset in aqua, velo paululum amoto[b], trina immersione capitis illius misterium sacramenti[c] perfecit, unctumque liquore crismatis in vertice et alba imposita, reductoque velo, de aqua iussit exire baptizatum, patrinis veste quam tenebant[d] illum cooperientibus atque deducentibus. Hic modus, haec species, hic ordo nobis fuit baptizandi viros et mulieres et pueros adultos, qui a sacerdotibus in aquam levari non poterant, tam in Pirissa quam in urbibus aliis et castellis, ubicunque populi copia nos moram facere coegisset.

Tiemo[e]*:* Miror oppido, unde tam disciplinatam et honestam baptizandi formam acceperit. Et, quaeso, quomodo in hieme sustinebant?

Sefridus: Neque tunc, inquit, eius diligentia quod tempori commodum esset, invenire neglexit. Nempe in stupis[62] calefactis et in aqua calida eodem nitore atque verecundiae 62 observatione, infossis doliis et cortinis adhibitis, thure quoque et aliis odoriferis[f] speciebus cuncta respergentibus, veneranda baptismi confecit sacramenta. Nec[g] mirum te ista mirari; etenim qui ea vidimus mirabamur et ipsi tam haec quam alia complura morum eius atque virtutum insignia. Ipse namque in omni actione sua — quod et paganis dignum laude videbatur — quandam a Spiritu sancto — hoc[h] enim potissimum credo — cuiusdam singularis munditiae atque, ut ita dixerim[i], elegantis et urbanae disciplinae praerogativam habebat, ita ut nichil unquam indecens aut ineptum inhonestumve quid[k] in cibo aut[l] potu, sermone, gestu vel habitu admitteret[m], sed in omni officio exterioris hominis, quaenam esset compositio interioris, ostendebat, bonitate, disciplina, et prudentiae[n] cautela conspicuus. Sed[o] redeamus ad rem.

16. *Quantum*[p] *temporis fecerit in eodem loco.*

Sefridus: Mansimus[q] autem in eodem loco quasi diebus 20, euangelizantes populo et baptizantes eos in nomine Domini, docentes eos servare unitatem fidei in vinculo pacis, instruentes de festivitatibus et observationibus christianae religionis, de ieiuniis quatuor temporum, de quadragesimali ieiunio; de incarnatione, de nativitate, circumcisione, apparitione, praesentatione, baptismate, transfiguratione, passione, resurrectione atque ascensione domini nostri Iesu Christi; de adventu Spiritus sancti, de vigiliis et nataliciis apostolorum et aliorum sanctorum, de die dominica, de sexta feria, de distributione mensium et institutione totius anni secundum christianos. Exstructoque altari et sanctuario — totum enim corpus basilicae tam subito fieri non potuit — altare sanctificavit, et interim missas illic celebrari[r] fecit[s], dans eis sacerdotem, libros et calicem, paraturam[t] et omnia utensilia, quae ad officium altaris pertinebant. Quae omnia illi cum multo gaudio, alacritate et[u] devotione suscipientes et gratias agentes, omnes veteres et profanas superstitiones suas et gentiles observantias penitus abiciebant, et exuti veterem hominem, cum actibus suis in vitae novitate ambulare coeperunt et proficere. Erat autem numerus conversorum ibi ad fidem quasi 7000. Videns autem episcopus, quia messis multa, et quia et[v] aliis civitatibus oportet eum euangelizare regnum Dei, cum inde processurus esset, vocata concione hoc sermone allocutus est ecclesiam, novellam[w] plantationem suam:

Cf. Epist. Ottonis.

Rom. 6, 4.

17. *De sermone quem habuit ad primitivam suam ecclesiam, cum ab ea discederet, in eodem loco.*

Sefridus: Fratres, „aemulor vos Dei aemulatione"! Vos enim omnes, qui in praesentiarum ad me audiendum convenistis, et me docente Christo credidistis et christiani facti estis, 2 Cor. 11, 2

a) *deest* B1. b) remoto B. c) misterii sacramentum A2. d) qua tenebat B3*. e) Tiemo — nempe *desunt* B. f) odifferis B3*. g) nec — ipse *desunt* B. h) hoc — credo *desunt* B. i) ut ita dix. *desunt* B. k) quod B1. l) in *add.* B. m) cum mitteret B1. n) c. et prudencia B1. o) sed — rem *desunt* B. p) De institutione baptizatorum B1. 2. 3*. *quibus unum caput* 17 *et* 18. q) manserunt B. r) cel. illic B2. s) praecepit B. t) *deest* B2. u) ac B. v) *deest* B2. w) nov. p. s. *desunt* B.

62) *Stube.* Cf. infra II, 23. balneum, hypocaustum, *Badstube.* GROTEFEND.

una in Domino ecclesia estis desponsati per fidem domino meo Iesu Christo. Una, inquam, vos omnes ecclesia estis, una et unica sponsa domini mei Iesu Christi, quia unicae[a] universali ecclesiae per fidem incorporati estis. Sed quia ego per eius gratiam huius vestrae desponsionis (2 Cor 11,2) *auctor esse videor — nam ego ei[b] „uni viro despondi vos, virginem castam exhibere Christo"[c] — hinc est, quod aemulor vos, non tamen qualibet, sed Dei aemulatione. Nam et mala aemu-* (Gal 4,17) *latio esse potest iuxta illud apostoli: „Sunt quidam qui aemulantur vos non bene." Aemulari* (1 Cor 12,31) *autem est, velle indignari, licet[d] pro imitari nonnunquam positum inveniatur, ut est „aemulamini carismata meliora"[e]. Volo autem vobis indignari, et paratus vobis sum indignari, quod pridem dixi, aemulor vos; quia sine tristitia et indignatione ferre non possum nec potero, si[f], quod absit, ad iniuriam domini mei Iesu Christi, cui per fidem vos despondi, cum diis alienis vos denuo contaminare volueritis. Hoc enim fornicationis genus est, quod maxime separat a* (Gal 3,27) *Deo. Fratres, attendite! Ecce, „omnes in Christo baptizati estis, et omnes Christum induistis", originalium et actualium peccatorum indulgentiam accepistis ab ipso, mundi estis et sancti, non* (Apocal. 1,5) *per vos[g] sed per eum sanctificati et mundati, quia ipse in sanguine suo lavit peccata mundi. Nolite ergo iterum inquinare vos cultura idolorum; nam haec est immundicia, qua omnino Deus offenditur, et penitus separat a gratia Dei; nolite vos prostituere corruptoribus et immundis spiritibus. Soli Deo[h] creatori vestro, nulli autem creaturae divinum honorem exhibete, ne indignatio eius et furor veniat super vos, sed magis in fide et spe et caritate proficite, ut benedictio eius veniat super vos et super filios vestros, et ut ei credentes et fidem operibus exor-* (1 Petr. 2,9) *nantes, vitam habeatis in nomine ipsius, „qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum". Certi enim esse et nullatenus dubitare debetis, quia si hanc in qua hodie positi estis innocentiam[i] et istam sanctificationem ipsius adiutorio servare usque in[k] finem vitae vestrae studueritis, non solum mortem evadetis aeternam, sed etiam gaudium regni coelestis posside-* (Iob 7,1) *bitis in aeternum. Sed quia vita praesens sine peccatis duci non potest — luctamen[l] enim[m] et temptatio est vita hominis super terram — discessurus a vobis, trado vobis quae tradita sunt nobis a Domino, arram fidei sanctae inter vos et Deum, septem videlicet sacramenta ecclesiae, quasi septem significativa dona Spiritus sancti, quibus utendo[n] in laboribus et certamine huius vitae non deficere sed proficere[o] vestra possit ecclesia, suosque valeat[p] defectus reficere. Videte ergo et tenete, ut sciatis diligenter enumerare quae tradimus vobis, discedentes a vobis[q]. Primum ergo sacramentum est, quo iam imbuti estis, sacrosanctus baptismus. Hoc sacramentum, fratres mei, abhinc et[r] semper tenere et venerari debetis; et parvulis vestris oportuno tempore, scilicet in sabbato sancto paschae ac pentecostes, per manus sacerdotum tradere debetis, certissime scientes, quod quicunque sine illo de hac vita emigraverit[s], et regno Dei carebit, et insuper maledicti originalis poenas luet aeternas[t]. Secundum sacramentum est confirmatio; id est unctio crismatis in fronte. Hoc sacramentum victuris est necessarium, videlicet ut Spiritus sancti corroboratione muniantur et armentur, contra omnes temptationes et nequitias vitae praesentis pugnaturi. Non autem usque in senectam differendum est, ut quidam putant, sed in ipsius adolescentiae fervore percipiendum, quia illa aetas magis obnoxia[u] est temptationibus[v]. Tertium sacramentum est unctio infirmorum, quod ideo morituris est necessarium, quia in illa unctione per virtutem Spiritus sancti remissio datur peccatorum, et ipse qui moriturus est, contra spirituales nequitias, id est contra malignos spiritus in exitu vitae animabus insidiantes, eadem Spiritus sancti virtute pugnaturus armatur. Hoc omni christiano in agone mortis ardentissime desiderandum et devotissime percipiendum est, utpote remedium animae certissimum[w]. Quartum sacramentum est eucharistia[x], id est corpus et sanguis Domini. Hoc sacramentum[y] victuris et morituris est necessarium. Sive enim vivimus, sive morimur, hoc viatico semper utendum est. Est enim cibus animae verus, vitam in se habens aeternam. Unde frequenter missae celebrandae sunt, et vos ad easdem devote convenire debetis, ut saepius huic viatico communicetis. Quod si non potestis, quia carnales estis, huic tam sanctissimae rei per vos ad[z] omnes missas participari, saltem per mediatorem vestrum, scilicet sacerdotem, qui pro vobis communicat, fideliter, reverenter ac devote missas audiendo communicate. Oportet[*] tamen et vos ipsos ter vel quater in anno, si amplius fieri non potest, et confessionem facere*

a) unica B3*. ac *add.* B2. b) et A2. c) *deest* B1. d) licet — indignari *desunt* B3*. e) maiora B1. 2. f) sed B3*. g) nos A2. B1. h) *deest* B2. i) servaveritis *addit* B. k) ad B. l) lucta A2. noxa B*. m) *deest* B. n) intendo B. o) sed proficere tenete et *desunt* B3*. p) *deest* B2. q) *sequitur inscriptio* de baptismo B2. r) *deest* B. s) migraverit B2. t) *inscriptio* de confirmacione B2. u) obnixa B3*. v) *inscriptio* de unctione B2. w) *inscriptio* de eucharistia B2. x) est e. *desunt* A2. y) et *add.* B1. z) *deest* A2. *) Oportet — communicare *desunt* B1.

1124.

atque ipsi sacramento communicare[a]. *Quintum sacramentum est per poenitentiam reconciliatio lapsorum, id est ipsorum*[b] *qui post baptismum propter graviores culpas ab ecclesia proiecti, per satisfactionem poenitentiae iterum ei reformantur*[c]. *Et hoc sacramentum quasi malagma et recuperatio est cadentium in pugna et vulneratorum*[d]. *Sextum sacramentum est coniugium, id est copula matrimonialis. Quinque autem sacramenta superiora*[e] *quasi generalia sunt et omni christiano necessaria, istud autem quasi particulare est, quia non omnibus necessarium, sed eis tantum qui continere se non possunt, et sicut ad superiora sacramenta omnes homines trahendi sunt et invitandi, ita nullus ad hoc trahendus est vel*[f] *invitandus, nisi qui, ut dictum est, se non continent, sed vago et illicito concubitu sese polluunt et commaculant. His enim suadendum est, ut infirmitati suae honestiori subveniant remedio. Vos autem qui usque ad haec tempora non christiani sed pagani fuistis, sacramentum coniugii non habuistis, qui fidem uni*[g] *thoro non servastis, sed qui voluistis, plures habuistis uxores; quod deinceps vobis non licebit. Sed unus vir unam tantum habere debet uxorem, et una unum; quod amplius est, a malo est.* (Matth. 5, 37) *Si quis ergo in vobis est, qui plures habuerat uxores ante baptismum, nunc unam de illis, quae sibi magis placet, eligat, dimissisque aliis hanc solam habeat ritu christiano. Et partus,* inquit, *femineos, audio, quia vos, o mulieres, necare consuevistis*[63]. (63) *Quod quantum abominationis habeat, exprimi sermone non potest. Videte, si hoc vel bruta animalia faciant foetibus suis. Parricidium hoc non fiat amodo in vobis, quia sine gravissima poenitentia dimitti non potest. Sive igitur sit masculus sive femina, diligenter enutrite partus vestros*[h]; *Dei enim est et marem procreare et feminam*[i, 64]. (64) *Septimum itaque sacramentum est ordinatio sive consecratio clericorum, quod et ipsum particulare est et non generale, quia non omni homini necessarium*[k]. *Quamvis enim omnes homines indigeant clericis, non tamen est necessarium omnes homines fieri clericos. Ad ipsum tamen sacramentum, qui moribus et scientia magis idonei sunt, invitandi sunt*[l] *potius quam trahendi. Unde adhortor vos et invito, quia cogere non debeo, ut de liberis vestris ad clericatum tradatis liberalibus studiis prius diligenter instructos, ut ipsi per vos, sicut aliae gentes, de lingua vestra*[m] *latinitatis conscios possitis habere clericos et sacerdotes. Ista igitur*[n] *septem sacramenta, quae iterum vestri causa enumerare libet, id est baptismum, confirmationem, infirmorum unctionem, eucharistiam, lapsorum reconciliationem, coniugium et ordines, per nos, humiles suos paranimphos, sponsus coelestis in arram verae dilectionis vobis, ecclesiae ac sponsae suae, transmittere dignatus est. Quapropter omni honore ac reverentia eadem sacramenta servate, diligite et veneramini; docete ea filios vestros, ut memoriter teneant, et diligenter observent in omnes generationes. Ecce, habetis ecclesiam, habetis sacerdotem de his omnibus, et quaecumque necessaria sunt vobis, habundantius vos instruere scientem. Ipsum ergo, sicut me, audietis, honorantes et amantes eum, et quaecumque vobis dixerit facientes. Et nunc ego vado, iterum cito reversurus ad vos. Valete, in Domino dilectissimi*[o]*!*

18. *De*[p] *progressu eius in Caminam civitatem, ubi erat uxor ducis, et de bonitate ac fide ipsius matronae.*

Sefridus: Forte[q] videor alicui nimis plenarie historiam exequi, et longior esse quam in tali narratione oporteat. Quid sentitis?

Tiemo: Perge, quaeso, sicut coepisti. Dilectoribus siquidem Ottonis quicquid de illo est, quoniam bonum est, superfluum aut longum videri non potest.

Sefridus: Ibo, inquit, ut vultis. Postquam confirmata et instructa est ecclesia in Pirissa, uberrime lacrimati populoque primitivo nostro caro affectu valefacientes, legatis nos deducentibus, ad civitatem ducis Caminam[65] devenimus. Erat autem illic ducissa[66], uxor (Iun. 24) videlicet ducis legitima, et licet inter paganos, christianae tamen religionis memor. De nostro adventu laetissima efficitur, et cum omni domo sua tanto nos devotius[r] suscepit, quanto et hoc marito placere, suaeque et illius saluti profuturum non dubitavit. Nobis etenim Pirissae demorantibus, omnia quae illic gerebantur, immissis clam exploratoribus,

a) De penitentia B 2. b) eorum B. c) conformantur B. d) De coniugio B 2. e) sup. sacr. B. f) et B 1. 3*. g) in B 2. h) *deest* B 2. i) De ordinatione B 2. k) est *add.* B. l) *deest* B. m) vestre B 3*. n) ergo B. o) *deest* A 2. p) Quomodo per matronam multiplicatus sit numerus credentium B 1. 2. 3*. q) forte — ut vultis *desunt* B. r) devotissime B 2.

63) Vide Ottonis litteras de conversione Pomeranorum ap. Ebbonem II, 12. 64) Cf. infra II, 32. 65) *Cammin.* 66) Si Kantzowio fides, Heila appellata.

1124. diligenter edidicit, magnoque tripudio cordis de illuminatione illius plebis exultans, ipsa quoque suae fidei scintillam, quasi sub mortuis cineribus eatenus consopitam, inter suos familiares modeste primo, deinde fiducialius apud omnes quos potuit ventilare coepit. Et quia
Eccl 11,34. scriptum est: *De scintilla consurgit ignis,* totam illam civitatem, etiam ante nostrum introitum, tantus ardor fidei sanctae, operante Domino per matronam, invaserat, ut non solum nichil[a] contradictionis, verum etiam totius populi consensum de suscipiendo baptismo invenerimus in multa gaudii plenitudine.

19. *De*[b] *multitudine baptizandorum, et de instantia et labore baptistarum.*

Sefridus: 40 ergo ferme diebus in eodem loco manentes, tam ipse pontifex[c] quam alii eius cooperatores, sacerdotes et clerici, id pene solum operis habuimus, suscipere venientes[d] ad fidem, docere, cathezizare, praedicare et baptizare; videbamurque in tam copiosa messe pauci messores. Nam et ipsius loci atque circumiacentis provinciae populus catervatim accedebat cottidie ac[e] recedebat; quibus omnibus dum satisfieri oporteret, immenso labore, maxime[f] qui fuit in baptizando, episcopum nostrum — licet solos mares[g] pueros tingeret — saepenumero sudantem aspeximus, adeo profecto, ut alba eius ab humeris usque ad umbilicum ante et retro sudore manaret. Saepe etiam ipsius ministerii nimietate lassatus, brevi sessione vires recuperans, modicumque sedendo respirans, quasi animosus operator et strenuus, denuo se sublevabat in idem opus sibi dulcissimum, gratias agens[h] omnipotenti Deo, quod ipsius praestante clementia tot manipulos in eius horrea cum sudore ac lassitudine sua congereret.

20.[i] *De gaudio ducis supervenientis et ipsius devotione.*

Sefridus: Dum ea Caminae gerebantur, atque de successu rerum et nos[k] et populus civitatis cum ipsa matrona nobilissima et christianissima spirituali gaudio frueremur, ecce, cum suo comitatu dux terrae Frotizlaus[l], non modicum laetitiae salutaris augmentum, su-
Aug. 3. pervenit[67], nichilque moratus, quasi filiali fiducia, in amplexus ruens episcopi: *Salve,* inquit, *pater sanctissime.* Deinde ait[m]: *Quaeso, non irascaris, quod post primam illam et*
68 *momentaneam*[n] *salutationem*[68] *tam diu fui te non videns, sed causae fuere inexcusabiles rei publicae administrationis. Nunc autem ecce, assum paratus*[o] *parere ac servire tuae paternitati, prout vis. Etenim nos ipsi et omnia nostra tui sumus; utere sicut vis.* Et haec dicens, conversus ad clericos et ad alios quosque meliores de comitibus nostris[p]: *Et hos,* inquit, *pater, tuos collaboratores tua licentia salutabo,* apprehendensque manus singulorum tenebat, et benedicebat illis atque deosculabatur, eos filios et fratres[q] appellans carissimos, benedixitque Deum omnium bonorum largitorem, quod hospites tam gratissimos sua domo suscipere meruisset[r]. Quia vero deinceps navigio de civitate ad civitatem eundum fuit, omnes equos et iumenta nostra villicos suos ad oportuna[s] loca terrae pastus gratia deducere iussit; neque ante nobis reddebantur, quam etiam consummatis omnibus de terra fuimus iam exituri. Quos certe ita recepimus alteratos, ut prae crassitudine vix cuique suus cognosceretur[t]. Milites ergo, qui cum duce venerant, cathezizati statim et baptizati sunt, multique ex eis qui prius christiani fuerant, sed ex consortio incredulorum metas christianitatis excesserant, ex quorum numero ducem etiam ipsum fuisse constat, per confessionem et poenitentiam ecclesiae reformati[u] sunt, promittentes se deinceps omnia quae christiano inimica sunt nomini respuere, et ea quae sunt apta sectari.

21.[v] *De duce abdicante 24 concubinas suas.*

Sefridus: Dux etiam: *Scio,* inquit, *christianae sanctitati contrarium*[w] *esse plures uxores vel concubinas habere;* simulque tactis sanctorum reliquiis, sicut christianis iurare mos est, coram episcopo[x] populo aspiciente, 24 concubinas, quas ritu gentili suae legitimae uxori

a) *deest* B3*. b) Quantum baptizando laboraverint B1. 3*. quomodo quantum b. laboraverit B2. c) episcopus B2. d) poenitentes B*. e) et B2. f) maximo B2. g) et *addit* B2. h) agentes A2. i) Quomodo dux Frotizlaus supervenerit, et quid eis humanitatis impenderit B1. 2. 3*. k) episcopus cum suis B. l) Wratislaus A2. Vrotizlaus B2. m) Non q. a. B2. n) et moment. *desunt* B. o) *deest* A2. B2. 3*. p) episcopi B. q) *repetit* eos B2 r) meretur B2. s) optima A2. t) nosceretur A2. u) conformati B1. o *superscriptum alio atramento;* confirmati B3*. v) Quomodo ipse dux et (seu B2. 3*.) reliqui multigamiam (trigamiam B2. 3*., abdicaverint B1. 2. 3*. w) contraria B2. x) c. pop. ep. asp. B

67) elapsis illis quadraginta diebus, i. e. 3. Aug. 68) II, 11.

superduxerat, publice abiuravit. Quod videntes alii complures[a] eiusdem enormitatis praesumptores, abiurata et ipsi coniugum pluralitate, uni thoro exemplo ducis fidem servaturos se pólliciti sunt. Crevit ergo ecclesia in loco illo, et confortata est ambulans[b] in timore Domini, et Spiritu sancto replebatur, episcopo et clericis instantibus et euangelizantibus regnum Dei. Exstructa quoque illic basilica, et sanctificato altari et sanctuario collatisque illuc per ducem praediis ac dote in sustentationem sacerdotis, pater liberalissimus, sicut omnibus ecclesiis[c] in terra illa faciebat, libros contulit et indumenta sacerdotalia, calicem quoque argenteum cum caeteris utensilibus, deque suis sacerdotibus unum, qui populum instruere posset, eidem praefecit ecclesiae. 1124.

22.[d] *De improbitate cuiusdam matrisfamilias in die dominica metentis agrum suum aput Caminam.*

Sefridus: Cum haec omnia rite peracta fuissent, et non solum de civitate, verum etiam de rure populus ad ecclesiam omni die conveniret, et diem dominicum aliasque sollempnitates devote observaret, vidua quaedam in rure non longe a civitate Caminensi, dives ac nobilis valde, christiana religione contempta, patrios deos se colere, nullaque occasione vanitatis novae a parentum suorum veteri traditione declinare se velle dicebat. Erat autem multam habens familiam et non parvae auctoritatis matrona, strennue regens domum suam; et, quod in illa terra magnum videbatur, maritus eius, dum viveret, in usum satellitii sui 30 equos cum ascensoribus suis habere consueverat. Fortitudo enim et potentia nobilium et capitaneorum secundum copiam vel numerum aestimari solet caballorum. *Fortis,* inquiunt, *et potens ac dives est ille, qui tot vel tot potest habere caballos;* sicque audito numero caballorum, numerus militum intelligitur. Nullus enim militum praeter unum caballum illic habere consuevit. Sunt enim[e] magni et fortes equi terrae illius, et unusquisque militum sine scutifero militat, manticam per se gestans et clipeum agiliter satis et strennue, sic militiae suae officium exequentes. Soli autem principes et capitanei uno[f] tantum, vel si multum est, duobus clientibus contenti sunt. Factum est ergo in una dominica die tempore messis, populo undique ad ecclesiam properante, praefata matrona nec ipsa veniebat, nec suos permittebat, sed magis turbulenta: *Ite,* inquit, *metite michi agros meos! hoc enim utilius est quam vacare illi nescio cui novo Deo, quem*[g] *de terra sua nobis affert ille Otto Babenbergensis episcopus; quid nobis cum illo? Videtisne quanta bona et quantas divitias nobis dederint dii nostri? Ipsorum*[h] *largitate, opibus, et gloria omnibusque rebus habundantes sumus; quare ab eorum cultura discedere non levis iniuria est. Ite igitur*[i]*, sicut dixi*[k]*, ad metendas segetes nostras, et*[l]*, ut minus timeatis, parate michi vehiculum; ecce, ipsa ego vobiscum in campos messura descendam.* Cumque in agrum venisset: *Quod me,* inquit, *facere videritis, omnes similiter faciatis.* Moxque rebrachiatis manicis succinctaque veste, dextra falcem arripuit[m], stantes vero calamos sinistra tenens, secare[n] visa est. Sed mirum dictu, in actu ipso subito, ut erat inclinis, misera diriguit et quasi marmoris effigies, nec semet ipsam erigere, nec falcem e manu dimittere potuit nec segetem, sed muta et[o] nichil loquens, similis simulacro stabat, tantum intuens intuentes se. Videntes autem famuli, timuerunt valde, et concurrentes[p] circumstabant eam, aspicientes et operientes, sinam melius esset habitura. Rogant etiam, ut a temeritate sua resipiscat, dicentes fortem esse Deum christianorum. Sed illa nichil respondebat. Iniectis ergo manibus violenter illam trahentes, erigere conati sunt, et falcem segetemque de manibus extorquere; sed minime potuerunt. Stabat autem immobilis quasi moles terrae affixa. At ubi satis miraculi ac stuporis hoc habitu infelix illa intuentibus ostenderat, ipsique famuli dolore ac taedio affecti, iam abire illamque dimittere vellent, soluta illa repente corruit, sontemque animam in ignem tartareum efflavit. Quam levantes in vehiculum: *En,* inquiunt, *qualem manipulum de agro die dominico reportamus!* Quod factum ubi perferente fama passim vulgatum est — nam famuli statim ad ecclesiam currentes, baptismum postulant, stupidi quae acciderant referentes — et credentibus quidem fides aucta est ex miraculo, non credentes autem, et si qui adhuc blasphemi remanserant[q], ad credendum ex poena mulctatae mulieris eruditi sunt. Dies

a) quam plures B 2. b) in t. Dei amb. B. c) in terra illa eccl. B. d) De matrona metente die dominica et mortua B 1. 2. 3*. e) autem B. f) unum B 2. 3*. g) que B 3*. h) itaque *add.* B 1. utique *add.* B 3*. i) igitur ite B. k) sicut dixi *desunt* B. l) et — timeatis *desunt* B 1. m) corripuit B 1. 3*. n) metere B. o) et nil loq. *desunt* B 1. p) *deest* B. q) exstiterant B.

1124. autem dominicus et aliae sollempnitates reverentius observari coeperunt, nos[a] quoque ipsos et omnem doctrinam nostram, praecipue autem episcopum amplius reveriti sunt.

23. *De[b] profectione ipsius cum tremore Iulinam, et quomodo illic vapulaverint.*

Aug. 13. *Sefridus:* Expletis autem illic ferme 50 diebus, acceptis a duce legatis et conductoribus, de ipso loco civibus, Domezlao[c] videlicet et filio eius, viris honoratis, per lacus et
69 refusiones marinas Iulinam[69] vecti sumus navigio. Est autem civitas haec magna et fortis; homines ipsius loci crudeles erant et barbari. Cum autem appropinquassemus civitati, conductores nostri haerere[d], pavere atque inter se mussitare coeperunt. Quod intelligens episcopus: *Quid est,* ait[e], *quod ad invicem confertis?* At illi: *Timemus,* inquiunt, *pater*[f], *tibi ac tuis. Populus iste durus semper ac*[g] *indomitus fuit. Si ergo placet tibi, applicemus, et moram in littore usque ad crepusculum noctis faciamus, ne forte civitatem manifeste ingrediendo tumultum populi super*[h] *nos suscitemus.* In singulis autem civitatibus dux palacium habebat et curtim cum aedibus, ad quam si quis confugisset, lex talis erat, ut quolibet hoste persequente securus ibi consisteret et illaesus. Dixerunt ergo: *Si per noctem ad ducis tecta intramus*[i], *freti securitate, paulatim cives conveniendo negotiumque nostrum illis pedetemptim insinuando, melius fortasse*[k] *proficiemus.* Placuit consilium; et cum dies abcessisset, tecti
Aug. 14. umbra noctis, curtim et moenia ducis invasimus[l] illis ignorantibus. In crastinum[m] vero ubi nos viderunt, et quinam essemus, et unde et quare venerimus[n], maligni homines scrutati sunt. Primo quidem moveri ac sensim turbari, currere ac discurrere, videre illos, iterumque videre, et alii[o] aliis nuntiare. Postremo vero insano furore correpti, magno tumultu, securibus et gladiis aliisque telis armati, sine ulla reverentia in ipsam ducis curtem irrumpentes, mortem nobis[p] sine ulla retractatione, nisi quantocius de curia et de ipsa civitate fugeremus[q], comminabantur. Erat autem in ipsa curti aedificium quoddam fortissimum, trabibus et tabulis ingentibus compactum, quod stupam vel pirale vocant, in quod[r] scrinia et clitellas et cappellam episcopi et pecuniam et quaeque praeciosa de navi portaveramus[s], quin et propter impetum furentis populi cum episcopo clerici omnes illuc confugerant. Ego[t] autem eo tempore magna febri tenebar, in alia domo iacens et aegrotans; ultra vires tamen, audito strepitu et clamore bachantium, de stratu erectus, ad ostium domus constiti, et ecce, omnia plena hominum tela et arma portantium! Vociferabantur autem et clamabant, exire nos compellentes. Sed moram nobis facientibus, quasi a furore illi essent[u] cessaturi, magis eorum exarsit insania, factoque impetu stupam aggrediuntur et dissipant, tectoque primum, dein parietibus disiectis et excisis. Tunc vero episcopus ad coronam passionis se invitari sperans, nobis aliis trepidantibus, quibusdam etiam prae pavore lacrimantibus, ille spiritu iocundo et hilari vultu stabat intrepidus, optans et gliscens, ut vel unum ictum aut vulnus in nomine Iesu accipere dignus habeatur. Paulitius vero et legati videntes, quia vere insaniunt omnes, et quia illic moram facere deterius est atque deterius, in medium populi exilientes, validissimo clamore, ac si et ipsi furerent, extentis manibus silentium fieri postulabant. Quibus ad modicum sedatis, illi continuo prosecuti: *Quid est hoc?* inquiunt. Et causam totam in semet ipsos transferentes: *Si nos,* aiunt, *hic in curia domini nostri ducis pacifice consistere non sinitis, saltim pacifice hinc exire permittite! Quid furitis in nos? Quem laesimus ex vobis?* At illi: *Impostorem*[v], inquiunt, *illum episcopum et ceteros cum eo christianos, deos nostros blasphemantes, interficere venimus. Sed si eos salvare vultis, ecce, damus locum, cito eos extra civitatem deducite.* Plateae autem civitatis palustres erant et lutosae, et pontes extructi, et tabulae undique positae propter lutum. Arripiens ergo Paulicius per manum trahere coepit episcopum et deducere, adhortans modeste, ut, si posset, properantius iret. Ut autem per medium turbae nos omnes

a) et tam ipsum cum suis omnibus episcopum quam omnem eorum doctrinam amplius B. b) De transitu episcopi ad Iulinam civitatem B 1. 2. 3*. *quibus c.* 24 *et* 25 *unum.* c) Domizlao A 2. d) et *addit* B 2. e) *deest* A 2. f) patri B 3*. g) et B. h) super nos pop. B 1. i) migramus B*. k) forte B 2. l) intraverunt B 1. 2. invaserunt B 3*. m) inter se invicem B*. n) venerint B 1. o) aliis alii B. p) irruperunt et mortem illis B 1. q) confugerent B 1. fugerent B 2. r) quo B 1. s) portaverunt B. t) ego — portantium *desunt* B. u) esset B 3*. v) in pastorem A 2. B*.

69) *Wollin* in insula eiusdem nominis; Vulin appellatur in Ottonis epistola apud Ekkehardum 1125; civitas Wulinensis et Willin in bulla pontificis Innocentii II. de episcopatu Wolinensi 1140, Jaffé 5770, Cod. Pomeraniae diplomat. ed. Hasselbach et Kosegarten I, 36. De hoc aliisque nominibus Pomeranarum urbium vid. ibid. p. 38.

non inperturbatis passibus extra curtim usque ad pontes devenimus, ecce, quidam de turba vir barbarus et fortis, librata quam gestabat ingenti phalanga, vasto ictu caput ferire nisus est transeuntis[a] episcopi[70]. Sed ille avertens caput, humero ictum suscepit, eodemque geminante commissum, et alio eminus in eum iaciente contum, inter manus Paulitii[b] ac Hiltani sacerdotis, ducentium illum, a ponte in lutum prosternitur Otto noster[c]. Paulicius vero animo et corpore ibi se virum exhibens, iacentem episcopum nec propter imminentia tela deseruit, sed proprii corporis obiectu crebras percussiones excipiens, inque coenum a ponte inguetenus descendens, sublevabat de luto prostratum. Similiter et alii sacerdotes et clerici, dum protegunt illum et iacenti manus porrigunt, fustibus et contis iuxta suum pontificem in nomine Iesu vapulaverunt. Tandem multo discrimine ponte arrepto, rursum ire et abire coepimus extra civitatem, illique a prudentioribus civitatis[d] sedati, cessaverunt a nobis. Abeuntes[e] ergo trans lacum[71], disiecto ponte a tergo nostro, ne iterum impetum super nos facerent, in campo inter areas et loca horreorum decumbendo respiravimus, videntes et dinumerantes socios, et quia nullus defuit, Deum benedicentes. [1124.]

Tiemo[f]*:* Hic, primum hic audio quoddam veri apostolatus indicium; plagas videlicet et livores, sicut scriptum est: *Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*[g]. Sed dic[h], obsecro, mi apostole, num in aliquo particeps fuisti huius apostolicae benedictionis? [Act. Apost. 5,41.]

Sefridus: Me miserum! Infirmitate mea conspecta, talibus bonis me indignum ipsi iudicavere pagani. Puduit tamen, ut verum fatear, aliis de suis portionibus postea satis iocunde gloriantibus, me nichil ibi accepisse.

Tiemo: Consolare, inquit, si quid minus circa te in illo capitulo actum est, in nostro poterit impleri. Sed perge ad cetera, et qualiter in tam dura terra euangelii radix tandem convaluerit, explicato.

24. *Quomodo post vapulationem prudentiores de rebus fidei consilium habuerint cum episcopo.*

Sefridus: Postquam nos respiravimus et illi desevierant, Otto beatissimus: *Proh dolor!* inquit, *bona spe cassati sumus. Palma in manibus erat; vos eam*[i] *— Deus vobis ignoscat, filii et fratres! — extorsistis de manibus nostris*[k]*. Vix omnes ictus illi unius*[l] *passioni sufficerent, sed dum omnes ad coronam prosiluistis, nec unum pervenire dimisistis.* Cui Paulicius: *Satis*, inquit, *domine, nobis visus es accepisse. Parum*[m], inquit ille, *quia voto minus. Tua quoque avaricia*[n] *meam ex magna parte subripuit*[o] *benedictionem.* Hoc autem dixit de ictibus quos ille intercepit. Constat tamen episcopum tribus plagis vapulasse. Mansimus ergo per dies 15* trans stagnum quod cingebat civitatem, expectantes, si forte meliori animo fierent. * Interea vero et nostri[p] saepe ad illos ibant et redibant; similiter autem et eorum[q] primates veniebant ad nos, excusare se, stultis hominibus et vilioribus de plebe culpam illius tumultus imponentes. Habuit ergo episcopus[r] cum eis verbum de fide christianismi, quasi per ambages hortans eos et suadens. Praeferebat etiam nomen et potentiam ducis Poloniae, et quomodo ad illius iniuriam spectet illata nobis contumelia, quidve mali contra eos inde oriri queat, nisi forte illorum intercedat conversio, insinuavit. At illi consilium se accepturos dicebant, regressique ad suos, omnia haec tractabant diligenter atque retractabant, tandemque in unius sententiae formam consenserunt[s], videlicet super hoc verbo, se facturos quicquid facerent Stetinenses. Hanc enim civitatem antiquissimam et nobilissimam dicebant in terra Pommoranorum matremque civitatum, et satis iniustum fore, se aliquam[t] novae religionis observantiam admittere, quae illius auctoritate prius roborata non fuisset. [Aug. 20]

a) *deest* B. b) Paulacii B3*. c) episcopus B. d) *deest* B. e) *repetit* nobis B2. f) Tiemo — quoniam *desunt* B. *quorum loco haec leguntur* ex hoc autem magis gaudentes quod. g) *incipit caput inscriptum* de eodem supra B2. h) sed dic — explicato *desunt* B. i) autem B1. k) vestris B2. l) uni B2, unus B3*. m) Rarum B2. n) audacia B. o) praeripuit B. p) christiani B. q) s. et illorum B. r) *deest* A2. s) concesserunt B. t) aliqua B3*.

70) Posterorum de hoc percussore narrationes vid. Barthold II, 49, an. 1. 71) Diwenow, si vera sunt quae habet Mon. Priefling. II, 7. *) *quindecim* omnes codices; sed vix credam Ottonem in tam periculoso loco sine ullo fructu tam longum tempus consumpsisse, neque hi dies 15 cum sequentibus concordant. Itaque librarii error in hac lectione latere videtur, et praeferenda lectio Ebbonis II, 7 *dies septem* et Mon. Priefling. II, 7 *una hebdomada.*

25. *Quomodo*[a] *infecto negotio dimissa Iulina Stetinam navigaverit, et de contradictione quam ibi sustinuit.*

1124. *Sefridus:* Quibus auditis, episcopus Stetinam nichil cunctatus adire festinat, et quendam de Iulinensium[b] civibus Nedamerum nomine, ut viam nobis monstraret, assumpsit. Hic autem familiaritate nostra bene utens, cum filio suo quasi alter Nichodemus, occulte nos frequentabat, et quae dicebantur libenter audiebat. Alii quoque nonnulli de ipsa civitate occulte Christum colebant, tam viri quam mulieres. Isti etiam frequentabant nos, dum ibi moras faceremus, deque suis rebus nobis humanitatem honeste impendentes, spirituali consolatione ab episcopo recreati sunt, optantes, ut Stetina recipiente verbum Dei, Iulina quoque recipere ex ratione pacti conveniatur, quo[c] ipsis quid de Christo sentiant publicare[d] licitum fiat. Igitur Nedamero duce ac filio eius Stetinam navigavimus. sed illi Stetinenses offendere veriti, si nos adduxisse viderentur, priusquam ab eis videri possent, nobis vale-
Aug. 21. facientes, in locum suum[e] reversi sunt. Nos vero per crepusculum noctis applicantes ci-
Aug. 22. vitati[f], egressi naves, curtim[g] ducis intravimus. Mane facto, Paulicius et legati primates adeunt, ex parte ducum se missos cum episcopo referunt, causam viae ponunt[h] euangelium, dant consilium, promittunt et terrent. At illi: *Nichil,* inquiunt, *nobis et vobis! Patrias leges non dimittemus; contenti sumus religione quam habemus. Apud christianos,* aiunt, *fures sunt, latrones sunt, truncantur pedibus, privantur oculis, et omnia genera scelerum et poenarum christianus exercet*[i] *in christianum. Absit a nobis religio talis!* Haec et his similia protestantes, obturaverunt aures suas, ne audirent verbum. Omnibus igitur obstinatis, per duos
Oct. 22. menses et plus ibi morantes[73], nichil paene profecimus. Dum ergo tam longa et inutilis mora nobis turbationi esset[k], consilium incidit legatos mittere ad ducem Poloniae, sciscitari, quid de nobis[l] iuberet, utrum manere illic an redire, et de contradictione civitatum quid ei videretur. Quod consilium ubi civibus compertum fuit, timebant quidem, tamen rogabant, ut mitterentur legati, suos cum illis hac ratione profecturos dicentes, ut si apud ducem perpetuae pacis stabilitatem obtinere tributumque alleviare queant, his[m] ibi coram suis et nostris legatis scripto firmatis[n], christianis se legibus sponte inclinarent. Abeuntibus ergo cum Paulicio nostris et eorum[o] legatis, nos interim bis in ebdomada, in diebus scilicet mercatus, per medium fori, populo ex omni provincia conveniente, sacerdotalibus[p] induti, crucem portavimus, et de fide atque agnitione Dei populum incredulum oportune[q] importune alloquendo, iugulum neci quodammodo cottidie aptavimus, sed Deo protegente nos laesi non sumus. Plebs autem quae de rure fuit, et simplicitate sua et rerum novitate capta, negociis suis postpositis, praedicationem libentissime accepit, quamvis credere non auderet. Et quia certis diebus crux portabatur et sermones fiebant, magis propter verbum quam propter forum ruricolae confluebant. Ego[r] in illis diebus crucem cum Symone in angaria portavi. Nam vellem nollem, per medios barbaros, per forum et turbam incredulorum opprobrium crucis, animo et corpore tener agoniteta, coram episcopo portare videbar. Deus autem pius et misericors, sciens timiditatem meam et pavorem meum, laedi me non sinebat.

26. *Quomodo*[s] *post longa taedia verbum praedicationis a duobus pueris coeptum et promotum sit, interim dum legati mittuntur ad ducem Poloniae propter contradictionem civitatis.*

Sefridus: Cottidie dum haec geruntur fidei retia laxantibus et nichil nobis capientibus, et multum super hoc taedentibus, tandem benignus Dominus sedulitatem boni servi sui Ottonis, laborem quoque ac moestitiam miserando respexit. Nam duo pulcherrimi adole-
74 scentes, filii cuiusdam nobilis de civitate[74], domum nostram[t] frequentare et familiares se praebere, paulatimque de Deo nostro et de fide quaerere coeperunt. Episcopus autem sentiens, quia in bono veniunt, futurorum bonorum ex his captando praesagium blandis mulcet alloquiis, atque de mundicia et honestate christianismi, de inmortalitate animarum, de resurrectione corporum, de spe et gloria aeternae vitae adolescentibus per singulos dies

a) De transitu eius ad Stetinam B 1. 2. 3*. b) Iulinensibus B. c) qui B. d) publicare - nobis *desunt* B. *excepto* B*. *in quo* publicare *etc.* navigaverunt — si eos — christianis. e) occulte *add.* B. f) Stetinae *add.* B 1. g) curiam B. h) proponunt eis B. i) exercetur B 3*. k) essent B 2. 3*. l) christianis B. m) ni sibi B 3*. n) formatis A 2. o) christianorum et paganorum B. p) vestibus *add.* B. q) et *add.* B 2. 3*. r) ego — sinebat *desunt* B. s) De conversione duorum adolescentum B 1. 2. 3*. nobilium *add.* B 2. t) christianorum B.

73) Ebbo II, 8. Mon. Priefling. 9 *hebdomadas.* 74) Domuzlai, cf. Ebbo II, 9.

1124. euangelizavit. Quae omnia flante Spiritu sancto pueri altius suis inbibere[a] pectoribus, neque diu cunctati, credere se velle atque baptismum percipere dixerunt. Episcopus ergo laetissimus pueros statim catezizat, ac de omnibus quae christianae religioni competebant diligenter instructos iussit, ut loti et lotis induti, cum cereis suis et albis sese praeberent baptizandos. Illi, ut moniti erant, silenter exequentes omnia, die statuto, parentibus insciis, loti et purificati novisque[b] ac mundis vestibus induti, cum albis et cereis, percepturi sanctum baptisma, se manibus episcopi obtulerunt. Videres humano in corpore vultus angelicos, videres, expulsa daemonici squaloris inertia, in vultibus iuvenum Christum, novum hominem gratioso iam coruscare aspectu. Pontifex ipse omnesque alii sacerdotes et clerici gavisi sunt et admirati super gratia, quam videre in pueris. Sed quid multa? Baptizati sunt[75], et propter octavam purificationis 8 dies apud nos[c] commorantes, in domos parentum non sunt reversi. Oct. 25. Nov. 1.

27. *De[d] matre ipsorum puerorum.*

Sefridus: Mater vero illorum puerorum — nam pater domi aberat — ubi quae gesta sunt audivit, pueris nondum exalbatis[76], ultra quam dici queat gaudio perfusa, cuidam de pueris suis: *Vade*, inquit, *nuncia domino meo episcopo, quia ipsum et filios meos videre venio.* Erat enim matrona[e] magnae honestatis et potentiae in civitate illa. Episcopus ergo audiens illam advenire, desub tecto exiens, in graminis cespite sub divo consedit, suosque regeneratos, adhuc in albis positos, circumsedentibus clericis, ad pedes suos collocavit. Sed ubi matrem eminus advenientem conspiciunt, modeste consurgentes et episcopo prius inclinantes, quod advertere pulchrum fuit, quasi petita licentia obviam ei vadunt. Quos illa intuens albatos, magnitudine gaudii quasi amens et stupida, soluta in lacrimas subito in terram corruit. Accurrit episcopus, accurrunt clerici[f], levant, tenent, consolantur; putabant enim, quod nimietate doloris defecisset. At illa recuperato flatu[g]: *Benedico te*, inquit, *domine Iesu Christe, totius spei et consolationis auctor, quod*[h] *filios meos tuis sacramentis inbutos tuaeque fidei veritate aspicio illustratos. Scis enim, domine Iesu Christe, quod hos* — tenensque[i] osculata est pueros et amplexata — *in secreto pectoris mei tuae miserationi iam per multos annos commendare non cessavi, petens, ut hoc eis faceres quod fecisti.* Deinde ad episcopum: *Benedictus*, inquit, *introitus tuus in hanc civitatem, domine et pater reverentissime, multum enim populum tua perseverantia Domino hic habet acquirere. Non te dilatio fatiget. En ego ipsa, quae coram te asto, Dei omnipotentis adiutorio, et tui, pater, animata praesentia, sed et pignerum meorum freta subsidio*[k], *christianam me confiteor, quod hactenus non audebam.* Sicut enim protestata est, in diebus adolescentiae suae de terra christianorum per rapinam[l] ablata fuit, et cum esset ingenua et speciosa, gentili homini marito suo, diviti ac praepotenti viro, copulata est, et eosdem filios ex illo suscepit. Episcopus ergo super his omnibus Deum benedicens, confitenti et confidenti matronae verbo confortationis fidem auxit et fiduciam, suaeque liberalitatis non immemor, griseae pelliculae clamidem preciosam ei dedit, et eadem petente atque cum fiducia iam euangelizante, omnes eius domesticos aqua tinxit regenerationis, dein etiam[m] omnes convicinos eius et[n] familiares, viros ac feminas cum parvulis suis, eadem fidei[o] societas paulatim[o] involvit. Pueros quoque ipsos post expletos 8 dies in die depositionis albarum duabus camisiis de subtili panno vestivit, et easdem camisias aurifrigio in ora capicii[p] et sutura humerali atque brachiali ornari eis fecit, duosque cingulos aureos tradens et calciamenta picturata, verboque doctrinae et sacramento eucharistiae eos communiens, cum gaudio in domum matris remisit.

Tiemo[q]*:* Miris modis aurum suum et donaria Otto noster[r] expendit. Ut enim salvi

a) inhibere B 3*. b) et purificationisque ac m. B 3*. c) episcopum B. d) De adventu matris eorundem B 1. 2. 3* e) *deest* B. f) accurrunt clerici et episcopus B. g) fletu A 2. h) ad *addit* A 2. i) ac B 1. et B 2. k) praesidio, *sed eadem manu in margine* subsidio B 1. l) *deest* B. m) *deest* B 1. n) ac B. o) *deest* B. p) capiti B 3*. q) Ita B. *omisso nomine.* r) beatissimus B.

75) *in die Crispini et Crispiniani* Mon. Priefling. II, 9. i. e. 25. Oct. et novem fere hebdomadas postquam Stettinam advenit Otto. Sed in uno inter se differre videntur vitae scriptores. Ex Herbordo Otto quum duos menses et plus sine fructu Stettinae fuisset, legatos ad Boleslaum misit, *interim* praedicat euangelium, et *tandem* convertuntur filii Domuzlai, quod si audis Ebbonem et Mon. Priefling. factum est post ipsas 9 hebdomadas. Fortasse post duos menses missi sunt legati. 76) quum pueri albas nondum deposuissent, i. e. intra octo illos post baptismum dies.

1124. essent homines, et precio conduxit et verbo instruxit, rudesque alumpnos et spiritualibus documentis informabat, et corporalibus beneficiis conciliabat.

Sefridus: [a]Optime animadvertisti[a]. Sed quanto fenore donaria sua in thesauros Domini sui aliquotiens[b] congesserit, ex[c] his poteris conicere.

28. *Quomodo[d] pueri pueros attraxerint, et de patre qui domo abierat.*

Sefridus: Praefati etenim pueri cum ad suos coadolescentes pervenissent, et quomodo ab episcopo habiti et instructi essent, et quanta esset apud illum disciplina et honestas, quanta pietas et mansuetudo ruminare coeperunt, mox etiam quantae munificentiae ac liberalitatis circa omnes extiterit[e], praedicare obliti non sunt. Atque in argumentum rei: *Cernite,* inquiunt[f], *his indumentis post omnia beneficia sua nos induit, his aureis cingulis honoravit. Pecunia sua captivos redimit, suis impensis eosdem vestit, cibo reficit, et liberos abire permittit[g]; quid unquam simile visum auditumve est in terra Pommoranorum? quid simile pontifices nostri et sacerdotes faciunt? Nunc certe aliquem visibilem deum inter homines advenisse, ipsa gratuita redemptio[h] captivorum, in cippis et compedibus putrefactorum, multos cives nostros fecerat autumare; sed ille hoc negans, non deum se, sed Dei altissimi servum pro nostra salute ad nos directum dici et credi optat, et animae inmortalitatem et corporum resurrectionem et aeternae vitae gloriam doctrinam dicit esse christianorum. Quare non credatur ei?* Haec et his similia pagana iuventus a iuvenibus audiens, aspirante gratia Dei tracta est, et attracta per eosdem in eundem fidei fervorem; reversique ad episcopum pueri[i] fide recenter imbuti, more columbarum alias trahentium, gregem non modicum adduxere coaevorum[k] euangelii[l] rudimenta suscipere cupientium. Quid multa? Cathezizantur, baptizantur, et a pueris et iuvenibus cana patrum prudentia se passa est erudiri; flammaque fidei paulatim progrediente, concaluit civitas universa, neque iam occulte vel pauci, sed publice ac multi simul cottidie veniebant ad fidem. Interea praefatae coniunx matronae et pater primitivorum in via domo[m] absens ubi audivit, quod uxor et filii totaque domus eius, proiecto paganismo, ritu viveret[n] christiano, mori voluit prae dolore. Sed uxor provida cognatos eius et amicos, qui malagma ei consolationis apponerent, obviam direxit aegroto; ipsa vero domi pro illius conversione preces Domino et vota non irrita offerre non cessavit. Itaque reversus ille cum non solum domesticos suos, verum et alios vicinos et concives suos, veterem hominem exutos in novitate vitae conspiceret ambulantes, ad conformandum[o] se illis, Deo visitante cor illius, facile inclinatus[p] est.

29. *De[q] reditu nuntiorum a duce Poloniae, et scriptis et super tributi allevatione.*

Sefridus: Dum ea geruntur in civitate, Paulicius et legati tam illorum[r] quam nostri a
77 duce Poloniae veniunt[77], pacti mandata et scripta tiranni secundum haec verba reportantes: *Polizlaus, omnipotentis Dei favente clementia dux Poloniorum et hostis omnium paganorum, genti Pommoranicae et populo Stetinensi promissae fidei sacramenta servanti pacem firmam et longas amicitias, non servanti vero caedem et incendia et aeternas inimicitias. Si occasiones quaererem adversum vos, iusta esse poterat indignatio mea, quod quasi fidei vestrae transgressores vos retrorsum abire conspicio, et quia[s] dominum et patrem meum Ottonem episcopum, omni honore ac reverentia dignissimum, vita et fama in omni populo et gente praeclarum, vestrae saluti a Deo vero et nostro ministerio destinatum, sicut oportuit, non suscepistis, neque hactenus secundum Dei timorem illius doctrinae obedistis. Omnia haec vestrae valebant accusationi, sed interpellavere pro vobis responsales et mei[t] et vestri, honorati viri et[u] prudentes, praecipue autem[v] ipse pontifex apud vos manens, euangelista vester et apostolus. Horum ergo consilio ac petitioni acquiescere dignum iudicans, servitutis ac tributi pondus, ut iugum Christi eo alacriores suscipiatis, hoc modo relevare decrevi: Tota terra Pommoranorum duci[w] Poloniae, quicumque sit ille, 300 tantum argenti marcas publici ponderis annis singulis persolvat[x].*

a) *desunt* B. b) aliquando B 1. c) hoc proximo poterit adverti eloquio B. d) Quomodo pueri reversi coaevis et concivibus de pietate et liberalitate episcopi praedicaverunt B 1. 2. 3*. e) existeret B. f) inquit A 2. g) dimittit A 2. h) redemptione B 2. i) pueri — trahentium *desunt* B 3*. k) *deest* B 3*. l) ewangelium B 3*. m) domi A 2. B 2. 3*. n) viverent B. o) confirmandum B 3*. p) inclinatum B 2. q) Quomodo Polizlaus dux Polaniorum litteris suis Pommaranos ad fidem accenderit B 1. 2. 3*. r) paganorum q. christianorum B. s) quod B t) mei *expuncto superscriptum eadem manu* sui B 1. u) ac B. v) et *addit* B 2 w) ducis B 3*. x) persolvent A 2. persolvant B 3*.

77) Legati Stettina Gneznam ire et redire vix potuerunt intra tres hebdomadas. Si ergo ponis duos menses post Ottonis adventum eos missos esse (cf. supra II, 25. i. e. 15. Oct.) ante 5. Nov. non redierunt.

Si bellum ingruerit ei, hoc modo eum iuvabunt: Novem patres familias decimum in expeditio- 1124 *nem armis et impensis habunde procurabunt, et*[a] *eiusdem familiae interim domi fideliter providebunt. Ista servantes et fidei christianae consentientes, nostram pacem porrectione*[b] *manus et aeternae vitae gaudium consequemini*[c], *et in omnibus oportunitatibus vestris praesidia semper et auxilia Polonensium tanquam socii et amici experiemini.* Igitur habita concione, ubi coram populo et principibus verba haec recitata sunt, multo quam dum apud Nadam armis subacti essent[d. 78] laetiores[e] facti[f], sacramenta devote suscipientes, remota omni controver- 78 sia, euangelicis traditionibus se submiserunt. Episcopus ergo arrepto tempore pulpitum conscendens: *Nunc*, ait, *ad nostri sermonis officium ventum est.* Et incipiens: *Gaudete in* Philipp. 4, 4 *Domino semper! iterum dico, gaudete! Modestia vestra*[g], *fides et conversio vestra nota sit omnibus*[h], *nota sit omni mundo. Nam totus mundus pro vestra doluit infidelitate. Totus enim mundus, fratres karissimi, usque ad hunc terrae vestrae angulum*[i] *lumen veritatis agnoscit, et vos in tenebris remanere voluistis. Pudeat et poeniteat vos creatorem vestrum hactenus*[k] *non agnovisse*[l]*! Nunc ergo tanto devotius, quanto serius ad ipsum convertimini, currite, festinate, ut eos qui vos in fide praecesserunt, consequamini, hoc agere soliciti, ut qui de vestra coecitate pie doluerunt, de vestra illuminatione possint*[m] *in Christo gloriari. Et primo ipsis deceptoribus, diis vestris surdis et mutis, sculptilibus, et inmundis spiritibus qui in eis sunt, signo crucis armati, quantocius renunciate, fana diruite, simulacra conterite*[n], *ut hostibus eius eiectis a vobis dominus Deus vester, Deus vivus et verus, in medio vestri habitare dignetur. Nisi enim omnes alios*[o] *abiciatis ipsum habere propitium non potestis. Fugit enim et indignum sibi reputat aliorum consortium deorum, et nulla communicatio templo eius cum idolis. Sed scio, quia nondum satis confiditis; scio, quod timetis demones, inhabitatores fanorum et sculptilium vestrorum, et idcirco non audetis ea comminuere. Sed pace vestra sit, ut ego ipse*[p] *cum fratribus meis sacerdotibus et clericis simulacra et continas illas*[q] *aggrediar; et si nos crucis sanctae signaculo praemunitos illaesos permanere videritis, eodem crucis muniti tropheo, vos omnes nobiscum*[r] *in securi et ascia excisis ianuis et parietibus, deicite illas et incendite.*

30. *De*[s] *destructione fanorum et simulacrorum.*

Sefridus: Quod cum audissent et annuissent, episcopus et sacerdotes, celebrata missa et accepta communione, armati securibus et sarpis[79], continas aggrediuntur et fana, com- 79 minuentes et excidentes omnia, scandentes tecta et convellentes. Stabant autem cives aspicientes, quid dii facerent miserrimi, utrumnam tecta sua defenderent necne. At ubi destructoribus nichil mali evenire vident: *Si*, inquiunt, *aliquid divinae virtutis haberent isti, quorum sacra et templa convelluntur, utique defenderent se. Si autem defendere se aut sibi prodesse non valent, quomodo nos defendere vel nobis prodesse poterunt?* Et haec dicentes, facto impetu diruunt et comminuunt omnia, ipsamque lignorum materiam inter se diripientes, ad domos suas in usum foci coquendis panibus et cibis comportabant. Et quia plus rapienti plus habere fas erat, omnes illae continae numero 4 mira celeritate confractae sunt ac direptae.

Tiemo[t]*:* Quare templa illa vocabant continas?

Sefridus: Sclavica lingua in plerisque vocibus[u] latinitatem attingit, et ideo puto[v] ab eo quod est continere continas esse[w] vocatas[80]. 80

31. *De*[x] *quatuor continis et de cultura unius quae dignior erat, et de incisione quercus.*

Sefridus: Erant autem in civitate Stetinensi continae quatuor, sed una ex his, quae principalis erat, mirabili cultu et artificio constructa fuit, interius et exterius sculpturas habens, de parietibus prominentes imagines hominum et volucrum et bestiarum, tam proprie suis habitudinibus expressas, ut spirare putares ac vivere; quodque rarum dixerim,

a) et — providebunt *desunt* A2. b) pacis et *add.* B. c) consequimini B3*. d) sunt B. e) *post* multo B1. f) pacti B. g) *deest* B2. h) nota sit omnibus *desunt* B2. i) angelum B3*. k) vos B. l) cognovisse B1. m) possunt A2. n) convertite B3*. o) deos *add.* B. p) *deest* B2. q) *deest* B. r) vobiscum A2. s) Quomodo idola ibidem confregerint B1. 2. 3*. t) Tiemo – continas *desunt* B. *quorum loco haec:* Ne forte vero minus pateat legentibus quid significent vel unde dicantur continae sciendum quod Sc. l. B1. 2. 3*. *non leguntur* B*. u) dictionibus B. v) puto — est *desunt* B. w) antiquitus dictum esse putamus B. x) De idolo tricipiti destructo B1. 2. 3*.

78) Cf. supra II, 5. 79) i. e. sarculis. 80) Est vox Slavica. Apud Polonos est *konczyna* finis, fastigium; continae igitur aedificia fastigata. Vid. Hering Beiträge zur Topographie Stettins, Balt. Stud. X, 1. p. 10.

1124. colores imaginum extrinsecarum nulla tempestate nivium vel imbrium fuscari vel dilui poterant, id agente industria pictorum. In hanc aedem ex prisca patrum consuetudine captas opes et arma hostium, et quicquid ex praeda navali vel[a] etiam terrestri pugna quaesitum erat, sub lege decimationis congerebant. Crateres etiam aureos vel argenteos, in quibus augurari epulari et potare nobiles solebant ac potentes, in diebus solempnitatum quasi de sanctuario proferendos ibi collocaverant. Cornua etiam grandia taurorum agrestium deaurata et gemmis intexta, potibus apta, et cornua cantibus apta, mucrones et cultros, multamque supellectilem preciosam, raram et visu pulcram, in ornatum et honorem deorum suorum ibi conservabant, quae omnia episcopo et sacerdotibus, ubi fanum dirutum fuerat, danda censebant. Sed ille: *Absit a me*, inquit, *ut a vobis ditemur, nam talia et his meliora domi nobis habundant; vos ea potius quorum sunt in vestros usus cum Dei benedictione distribuite.* Et aqua benedicta omnia conspergens[b] et crucis benedictione super ea facta, iussit, ut inter se illa dividerent. Erat autem ibi simulacrum triceps, quod in uno corpore tria capita habens Triglaus[c] vocabatur; quod solum accipiens, ipsa capitella sibi cohaerentia, corpore comminuto, secum inde quasi pro tropheo asportavit, et postea Romam pro
Ierem 1, 10. argumento conversionis illorum transmisit, scilicet ad videndum domno apostolico[81] et universali ecclesiae, quid[d] ipse illius obedientiarius vellendo et plantando, aedificando et destruendo, apud illam gentem profecisset. Tres vero aliae continae minus venerationis habebant minusque ornatae fuerant. Sedilia tantum intus in circuitu extructa erant et mensae, quia ibi conciliabula et conventus suos habere soliti erant. Nam sive potare sive ludere sive seria sua tractare vellent, in easdem aedes certis diebus conveniebant[e] et horis. Erat praeterea ibi quercus ingens et frondosa, et fons subter eam amoenissimus, quam plebs simplex numinis alicuius inhabitatione[f] sacram aestimans, magna veneratione colebat. Hanc etiam episcopus cum post destructas continas incidere vellet, rogatus est a populo ne faceret. Promittebant enim nunquam se ulterius sub nomine religionis nec arborem illam colituros nec locum, sed solius umbrae atque amoenitatis gratia, quia hoc peccatum non sit, salvare illam potius quam salvari ab illa se velle. Qua suscepta promissione: *Acquiesco*, inquit episcopus, *de arbore; sed illud unum, vivum numen sortium vestrarum, de medio tolli oportet, quia nec augurium nec sortilegium exercere christianis licet.*

32. *De[g] prophetante caballo et hastis.*

Sefridus: Habebant[h] enim caballum mirae magnitudinis et pinguem, nigri coloris et acrem valde. Iste toto anni tempore vacabat, tantaeque fuit sanctitatis, ut nullum dignaretur sessorem, habuitque unum de quatuor sacerdotibus templorum custodem diligentissimum. Quando ergo itinere terrestri contra hostes aut praedatum ire cogitabant, eventum rei hoc modo per illum solebant praediscere: Hastae 9 disponebantur humo, spacio unius cubiti ab invicem disiunctae[i]. Strato ergo caballo atque frenato, sacerdos, ad quem illius pertinebat custodia, tentum[k] freno per iacentes hastas in[l] transversum ducebat ter atque reducebat. Quod si pedibus inoffensis hastisque indisturbatis, equus transibat, signum habuere[m] prosperitatis et securi pergebant; sin autem minus[n], quiescebant. Hoc ergo genus sortium aliasque ligneas calculationes, in quibus navalis pugnae vel praedae considerabant auguria, quamvis multum renuentibus aliquibus, Dei tandem auxilio penitus abrasit, ipsumque profani vaticinii caballum, ne simplicibus esset offensionis laqueus[o], in aliam terram vendi praecepit, asserens hunc magis quadrigis quam propheciis idoneum. Cumque omnes superstitiones et enormitates suas episcopo docente abiecissent, monuit[p], ut omnes christianos fratres suos reputantes, nec venderent, nec interficerent, neque captivando torquerent, nec terminos eorum turbarent[q], nec praedas ex his[r] tollerent, sed fraterne ac socialiter se cum omnibus gererent, eademque ab illis mutuo sperarent. Et quod omni[s] immanitate crudelius erat, femineos partus enecare[t], ne ultra[u] fieret, mulieres collaudare monebat. Nam usque ad haec tempora, si plures filias aliqua genuisset, ut ceteris
82 facilius providerent[v], aliquas ex eis iugulabant[w], pro nichilo ducentes parricidium[82].

a) ut B2. b) aspergens B1. c) triglans B1. d) quod B2. e) veniebant B. f) inhabitacionis B2. g) De sortilegiis et auguriis penitus abrasis B1. 2. 3*. h) habebat A2. i) separatae B. k) tantum A2. l) *deest* B. m) habuit B1. n) *deest* B1. 2. 3*. si attingebat B*. o) laqueis B3*. p) etiam *add.* B. q) exturbarent B2. neque — turbarent *desunt* B3*. r) eis B1. s) *deest* B2. t) necare B. u) ulterius B. v) provideret B1. w) iugulabat B1.

81) Honorio II. 82) cf. supra II, 16.

33. *De*[a] *profectu ecclesiae post abdicationem simulacrorum et de morte improbi sacerdotis.*

Sefridus: Emundata igitur civitate ab inmanitate scelerum et spurcitiarum, abdicata 1124. etiam coniugum pluralitate, adiuvantibus et coeuangelizantibus illis qui ante universalem populi consensum fidem quasi[b] privatim acceperant, fiunt cathecismi per vicos et capita platearum[c], tuba insonat euangelii, cruces eriguntur, crucifixus adoratur, omnis aetas, omnis lingua Christum nominat, Christum ruminat, verbaque fidei aut discunt omnes aut docent. In tam ingenti autem civitate, quae 900 patres familias absque parvulis et mulieribus et reliqua multitudine numeratos habebat[83], non est inventa persona, quae post 83 generalem consensum ab euangelii veritate se retrahere[d] niteretur, nisi solus[e] ille sacerdos, qui praefati caballi habebat curam[f]. Hic autem cum multis importunitatibus fatigaret episcopum, et bono semini zizania superiaceret, die quadam cum, multa prece ab omnibus rogatus et ab episcopo multis rationibus superatus, ex obstinatione nullo modo vellet acquiescere veritati, nocte ipsa divina ultione percussus, tumore ventris ac dolore crepuit et mortuus est. Quod factum universae civitati magnum incussit terrorem, omnesque Christum laudantes, fortem Deum suaeque legis aemulatorem vocitabant.

34. *De quaestione mota super morte sacerdotis.*

Tiemo: Miror[g], quod tantae pietatis homo neque hunc sacerdotem neque viduam illam, quam etiam superius Deo percussam meministi[84], ut converti possent, a morte suscitavit. 84 Nam de quibusdam sanctorum legitur persecutores suos hominesque impios conversionis gratia revocasse ad vitam.

Sefridus: Iudicia Domini abissus multa! Et illi quidem, quia praedestinati erant ad Psal. 35, 7. vitam aeternam, idcirco huic vitae redditi sunt, ut converti possent et salvari. Isti autem, quia praedestinati non erant, nec resuscitati sunt nec salvati, sed propter blasphemiam in Deum a Deo iuste dampnati sunt, et condempnatione istorum alii docti sunt atque correpti.

Tiemo: Ut video, quia blasphemia Spiritus sancti irremissibilis est, idcirco tamquam blasphemos a vita eos irrevocabiliter sentis esse defunctos. Sic enim Phariseis blasphemantibus a Domino dictum recolo: *Omnis qui dixerit verbum contra filium hominis, remitte-* Matth 12, 32. *tur ei; qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque hic neque in futuro seculo.* Timide quidem et caute de divinis iudiciis disputandum est, sed quia fides catholica de incredulis omnibus generalem ante me fixit sententiam, eiusdem orbitam non excedere iustum puto. Videntur etenim hi, de quibus sermo est, blasphemi contra Spiritum sanctum sensisse, quod est verbum corde firmare — nam hoc proprie dici potest blasphemia — et idcirco non esse ad vitam reparatos. Sicut enim salvandi his ascensionis ad vitam nituntur gradibus, fide scilicet spe et caritate — nam profecto fide incipimus, spe proficimus, caritate consummamus — ita e diverso hi qui pereunt per oppositum iter descensionis tendere videntur ad interitum. Initium enim perditionis perfidia eis est, profectus perditionis — quamvis insolite dicatur, quia melius defectus vocatur — desperatio, consummatio autem perditionis blasphemia aliquibus videtur. Sicut enim caritas, quae consummat hominem semper diligit et gratias agit, ita eius contrarium, quod blasphemiam dicunt, negligit, id est nequaquam diligit, sed bonis et donis Dei semper ingrata est, quod est iniuria Spiritus sancti. Unde hi, aliis contribulibus et concivibus suis cum gratiarum actione verbum salutis recipientibus et fide incipientibus et spe proficientibus, ut ad arcem perfectionis, quae caritas est, quandoque pertingerent, proh dolor! in perfidia sua remanentes, in desperationis baratrum atque in blasphemiae abissum corruerunt.

Sefridus: Negare non audeo. Sed argute satis blasphemiam caritati dicis contrariam. Equidem, si recte perfidiam fidei dicimus contrariam et desperationem spei, quid magis contrarium sit caritati quam blasphemia, in omni genere vitiorum invenire non possum. Sed caritas est summum bonum, ergo eius contrarium, quod est blasphemia, est summum malum. Quomodo enim non summum malum, quod neque hic neque in futuro seculo praedicatur remittendum? Si autem summum malum est, summo bono maxime contraria est. Iterum caritas est diligere Deum de corde puro et conscientia bona et fide non ficta. 1 Tim. 1, 5

a) De sacerdote idolorum mortuo B1. 2. 3*. b) *deest* B. c) plateas B2. d) subtrahere B. e) tantum B. f) c. susceperat B. g) Miror quod — evolve, *omnia desunt* B.

83) De his cf. Hering l. l. Balt. Studien p. 21. 84) II, 22.

1124. E converso blasphemia est de impuro corde et mala conscientia et fide ficta odisse Deum. Nam de impuritate cordis et mala conscientia nascitur desperatio, fides autem ficta perfidia peior est. Ergo ex perfidia et desperatione perfidi et desperati homines, malo et servili timore timere incipientes, etiam odiunt eum, a quo sine dubio se dampnandos sciunt. Eo etiam ordine hostis antiquus in abissum descendit. Perfidus enim est, quia non credit in Deum, desperatus, quia non sperat, blasphemus, quia serviliter metuens, etiam odit eum, a quo se dampnatum et dampnandum novit. Perfidia est infernus, desperatio infernus inferior, blasphemia infernus infimus, quod est abissus. Ibi religatus tenetur ille infelix suae
Sap 2, 25. obstinationis ac divinae districtionis catena, nunquam ab illa exiturus blasphemia. *Imitantur autem illum, qui sunt de parte illius.*

Tiemo[a]: Et in his omnibus tecum sum contra blasphemos et tu mecum. Atque proh dolor! iuste factum est, quod homines ingrati ad vitam se vocanti divinae bonitati, pro malo blasphemiae suae morte multati, resuscitari non meruerunt, cum tamen illorum resuscitatio recenti ecclesiae quemadmodum et extinctio lucro fuisset. Ast hic Herbordus quare ad haec omnia silet?

Egone? inquam: Satis superest illis vestra de illorum morte sententia; sed tamen circa hoc, quod resuscitati non sunt, quod sentio dicam, si placet. In historiis omnibus, tam veteris quam novi testamenti, ubi a prophetis et apostolis vel ab ipso Domino mortui resuscitati leguntur, aut fide aut peticione propinquorum id effectum considero. Sic Helizeus fide matris puerum suscitavit, sic Petrus Thabitam, sic et Dominus Lazarum a mortuis revocavit. Unde, si fides aut petitio proximorum pro his interpellasset, episcopo virtutem Dei ad miraculum non defuisse, haud dubium est. Quis sanctior Christo? et de ipso euan-
Math 13,58 gelista dicere non cunctatur: *Non poterat autem Iesus ibi facere quicquam propter illorum incredulitatem.* Hinc manifestum est viventium fidem necessariam esse ad mortuorum resuscitationem. Et de paralitico, quem per tegulas propinqui submiserunt ante Iesum,
Luc. 5,20 21 vide, quid dicat euangelium: *Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralitico: „Tolle lectum tuum!“* Sed audite quaeso adhuc! Dona Dei diversa esse quis nesciat? Petro datum est mortuos suscitare, infirmos curare, demones effugare, aliaque multa in hunc modum corporalia beneficia praestare per miracula, quibus ad spiritualia bona suos alliceret auditores; argentum autem et aurum, quod egenti daret, non habebat, sicut ipse pauperi claudo
Act. ap 3,6. stipem poscenti respondit: *Argentum et aurum non est michi; quod autem habeo, hoc tibi*
1Cor.12,11. *do.* Sed ab eo, qui dat unicuique prout vult, Ottoni datum est multas opes habere cum bonitate et largitate admirabili. Petro igitur orante Christus languidos et debiles curavit, Ottone autem largiente Christus vincula et captivitates absolvit. Petri oratio et Ottonis largitio in salutem populi ab uno Christo dispensabantur. Alter sanctitate, alter liberalitate pollebat; ille prodigaliter, ille liberaliter beneficiis erat; uterque carceres aperuit, vincula solvit, sed ille prece, iste pretio; ille mortuos suscitavit, iste ne morerentur homines morbos fugavit. Quid enim fames, sitis, gelu et alia incommoda vitae nostrae nisi morbi sunt, qui nisi congruis effugentur medicinis, profecto extinguunt hominem? Non tamen Ottonem Petro me quisquam putet velle adaequare, nisi forte ut Mantuam Romae, ut Maro quadam proportionis ratione res aequales fingit dicens:

Virg. Eclog I, 23. *Sic canibus catulos, magnis sic matribus hedos*

assimilant; naturae scilicet ac formae proportione, non magnitudine corporis aut quantitate. Sed tu, quod coepisti, evolve!

35. *De*[b] *laetitia et splendore candidatorum ac de profectu eorum*

Sefridus: Destructis igitur fanis, collisis simulacris, mulctato divinitus sacerdote, victoria crucis erigitur, construuntur baptisteria, dolia humo infodiuntur[c], cortinis velantur, omnibusque religiose ac sancte aptatis, populus per aliquot dies ante catezizatus et in-
85 structus, ad aquam regenerationis cum multa gravitate ac disciplina se offerebat[85]; toto corpore balneis prius abluti, ac lotis et mundis vestibus induti, cereos ardentes et albas suas gestantes, ac[d] Spiritus sancti accensi desiderio, singuli apud se in cordibus suis can-
Psal 41,2 3 tantes: *Tanquam cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat*[e] *anima mea ad te, Deus.*

a) Tiemo — lucro fuisset *desunt etiam apud Gretserum.* b) Quomodo cathezizatos baptizaverit B1. 2. 3*. c) fodiuntur B2. d) et B. e) et cetera B2.

85) Cf. supra II, 15.

Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Domini? 1124. Pater vero[a] spiritualis fervorem et studia filiorum tacita mente considerans, habundantia laetitiae spiritum excitante, obortisque[b] prae gaudio lacrimis, inter agendum in vocem exhortationis[c] erupit dicens[d]: *Venite, filii, audite me! timorem Domini docebo vos; accedite ad* Ps. 33, 6. 12. *eum et[e] illuminamini, et facies vestrae non confundentur.* Neque ab re fuit talis in ore[f] sacerdotis exhortatio. Videbat enim, quod et nos[g] alii cum magnae admirationis tripudio contuebamur, quodque ipsi cives nos contemplari monuerunt, in vultibus scilicet omnium baptizatorum quendam iocundum et spiritualis gratiae rutilare fulgorem, ita ut baptizati a non baptizatis, veluti lux a tenebris, facile discerni possent; quidve tenebrosus demon suis cultoribus, et quid Deus, lucis auctor et amator, suis dilectoribus[h] conferre habeat, omnibus intueri promptum fuit. Currebant ergo de ipsa civitate et de omni circum provincia felices animae, ad regales nuptias ingredi festinantes[i]. Et episcopo seorsum tingente solos mares pueros, aliis autem et[k] aliis sacerdotibus seorsum mulieres[86], apud omnes 86 opera Dei fervebant, et de Egiptia servitute populo acquisitionis transito mari liberato, velut olim ad montem Synai[l], lex panditur euangelii, et quid christianis fugiendum sequendumve sit[m], sicut fide plena docentur, sic et plena intentione discunt et facere ardent. Man- Ierem. 1, 10. simus ergo[n] in eodem loco negociosi operatores fere aliis tribus mensibus[87], destruentes et aedificantes, evellentes et plantantes et plantata irrigantes, ipso agro dominico suis cultoribus grata et gratuita fecunditate victum praebente necessarium. In omnibus enim victui nostro competentibus liberales nobis extiterunt et humani, optantes ut, si fieri posset[o], nunquam a se divelleremur. Ordinatis autem illic omnibus quae rudi ecclesiae profutura credebantur, extructaque basilica diligenti artificio[p] in medio foro Stetinensi, collatisque omnibus quae sacerdotalis officii ratio poscebat, qui populo praeesset, sicut ubique faciebat, sacerdotem investire curavit.

36. *De[q] exemplo ratione Iulinensium et conversione ipsorum.*

Sefridus: Iulinenses autem episcopo et nobis[r] ignorantibus, quosdam homines cautos et gnaros Stetinam miserant, exploraturos tacite, quidnam illic ageremus, si ab eis reciperemur an non, et qui omnes vias nostras et studia nostra[s] discerent atque referrent. At illi ubi habita exploratione diligentissima nichil imposturae aut doli circa nos[t] invenerunt, et Stetinenses, licet tarde, fidem tamen unanimiter suscepisse viderunt, reversi ad suos, more apostolorum vel euangelistarum, pagani paganis, nobis absentibus, quanta bona vidissent et audissent, et quam bona et quam munda esset[u] fides et doctrina christiana, praedicare non cessabant. Eorumque verbis paulatim scintillantibus, quasi arundinetum tota civitas incanduit, et iam taedere atque horrere super suis abominationibus, suaque idola et errores, quibus involuti tenebantur, execrari coeperunt. Episcopus autem tenorem pacti quo ab eis recesserat[88] mente habens, cogitabat quidem statim post conver- 88 sionem Stetinae ad eos properare; sed rogatus est duo prius invisere castella, Gradiciam[89] Nov. 26. videlicet et Lubinum[90], quae in confinio posita ad pagum pertinebant Stetinensem. At ubi homines illi, velut arida imbrem sitiens, verba euangelii suscipientes, fidei sacramentis imbuti sunt, extructo altari et sanctificato per castellum utrumque, atque ordinatis illic sacerdotibus, per Odoram flumen in mare[91] lapsi, vento meliori ad Iulinae litora navigavimus. c. 1. Dec.

a) etiam eorum B. b) ab ort. A 2. c) exultationis B. d) exhortando B. *add.* e) cetera B 2. f) oe B 3*. g) comites sui B. h) *deest* B 2. i) cupientes B. k) atque B. l) Sinay B 1. m) *deest* B. n) autem B. o) possent B 2. 3*. p) cura B. q) Quomodo ad Iulinam transierit B 1. 2. 3*. r) et n. *desunt* B s) episcopi B. t) euangelizantes B. u) esse A 2.

86) Cf. II, 14. 19. 87) In hac quoque lectione latet mendum; nam Otto per quinque menses (cf. sup. II, 25.) i. e. ab Aug. ex. 1124. usque Ian. ex. 1125, Stettinae commoratus non est, quod vetant duo alii menses postea exacti Iulinae II, 36. et reditus Bambergam 28. Mart. 1125. Ebbo II, 18. Mon. Priefling. III, 2. Vide L. Giesebrecht W. G. II, 2. p. 280. Quandt l. l. p. 135. Herbordus opponit hos *alios* tres menses, quibus *negotiosi* erant operatores, illis duobus mensibus II, 25. quibus nihil profecerunt, itaque tribus mensibus totum tempus per quod Otto Stettinae commoratus est indicare noluit. Ni fallor legendum est *aliis tribus hebdomadis; aliis* i. e. postquam Domuzlai filii baptizati redditi sunt matri 1. Nov.; cf. II, 26. 27. legatique ex Polonia redierunt c. 5. Nov. II, 29. tunc enim operatores facti sunt *negotiosi.* Manserunt itaque Stettinae usque c. 26. Novemb. *per instantem hiemem* ut habet Ebbo II, 9. 88) II, 24. 89) In epistola Ottonis apud Ekkehardum Gresch, *Garz* ad Oderam; cf. Barthold II, 56. an. 5. 90) *Lubzin* ad lacum Dammicum Barthold l. l. 91) Frische Haff. Secundum Mon. Priefling. II, 14. Otto rediit Stettinam; quod num factum sit dubito.

1124. Quanto autem exultationis tripudio[a] recepti fuerimus[92], et quanta humilitate illorum
et satisfactione priores iniurias oblivisci nos[b] rogaverint[c], dicere non valeo[d]. Quicquid
autem suscipiendi christianismi ratio exigebat, discere et facere, assumere vel reicere
Ps. 148, 5. non morabantur, ita ut illic impleri videres[e] quod scriptum est: *Ipse*[f] *dixit, et facta sunt*,
Psal 17, 45. et: *Populus quem non cognovi servivit michi, in auditu auris obedivit michi.* Haec[g] autem
fuit mutatio dexterae excelsi. Nam quos prius contis et fustibus a suis terminis satis inclementer exturbaverant, postmodum quasi angelos de coelo venientes summo studio venerati sunt, sanctum arbitrantes atque divinum, quicquid a nobis dictum vel factum est. Sed quid multis[h]? Tota civitas atque[i] provincia cum populo suo apposita est ad Dominum[k], tantaque fuit multitudo virorum et mulierum et utriusque sexus puerorum, ut in spatio duorum mensium, quamvis sine cessatione instaremus operi[l], vix omnes tingere possemus[m]. Quantum et illic sudoris et laboris sanctae semper memoriae Otto loquendo et clamando in turba, baptizando et multa faciendo pertulerit, qui videt omnia viderit Deus. Sed quia civitas haec in meditullio sita est Pommoraniae, civesque Iulinenses fortes et durae cervicis[n], tam dux Frotizlaus[o] quam principes terrae sedem episcopatus illic con-
93 stituendum[p] fore censuerunt[93], scilicet ut gens aspera ex iugi doctoris praesentia mansuesceret, nec ad pristinos rediret errores, et quod de medio ad omnes terminos terrae crisma et alia, quae ab ipso accipienda sunt, facilius deportari possent. Itaque duas illic basilicas fieri praecipiens[94], altaria tantum et sanctuaria sanctificavit, quia reliqua pars interim consurgebat, et perfectionem expectare longum erat ad alia festinanti.

37. *De*[q] *conversione Clodonae*[r] *civitatis.*

95 *Sefridus:* Moventes[s] autem a Iulina Clodonam[r. 95] venimus, nichilque difficultatis aut contradictionis illic invenientes, sanctae crucis tropheum[t] ibi ereximus, et quia locus nemorosus erat et amoenus, et ligna ad aedificandum suppetebant, in honore sanctae crucis ingentem ecclesiam de nobili artificio[u] fundavimus, et cum laetitia et gaudio populum catezizantes et baptizantes, quia messis multa erat, ad ulteriora progredi festinavimus. Transito autem flumine qui Clodonam praeterlabitur, civitatem quandam invenimus, magnam
96 quidem ambitu et spaciosam[96], sed raros incolas. Nam ferro et incendio se vastatam, adustionum signis et cadaverum acervis spectantibus indicabat. Ipsi autem incolae tenues illorum se fuisse clientulos, qui a duce Poloniae illic interfecti erant et captivati, asserebant, et a facie gladii salvatos se fugae praesidio. Fecerant autem ex ramis et virgultis circa ruinas parietum tuguria et umbracula quibus tegebantur, quousque tecta meliora instaurarent. Hos pater optimus verbis consolans et stipe relevans[v], benignissime instruxit et baptizavit. Multi etiam de viculis circumpositis ruriculae illic confluentes, fidei percepere sacramenta.

a) illic *add.* B. b) episcopum B. c) rogaverunt B2. d) non potest explicari sermone B. e) impleretur B. f) dominus B. g) haec — excelsi *desunt* B. h) plura B. i) et B. k) Deum B. l) ageretur opus B. m) tingi potuissent B. n) sunt *add.* B. o) Wratizlaus A2. p) il. const. *desunt* B. q) Quomodo a Iulina Clodonam venerit B1. 2. 3*. r) *ita legendum;* Dodonae A2. B*. *constanter; Ebbonis codd. habent* II, 18. Dodinensis locus, *Mon. Priefling.* II, 19. Cloden; *facillime* cl. *legi posse* d *constat.* s) Moventi B2. t) ibi vexillum B2. u) aedificio B. v) revelans B3*.

92) Duos menses Otto erat Iulinae, inde reditum in patriam praeparavit 2. Febr. 1125; vid. Ebbo II, 18. itaque c. 1. Dec. 1124 Iulinam venit et inter 26. Nov. et 1. Dec. euangelium Gradiciae et Lubini praedicasse videtur. 93) Cf. infra II, 40. et Innocentii II. privilegium de episcopatu Wolinensi Adalberto datum 11. Oct. 1140, quo statuit, *ut in civitate Wulinensi in ecclesia beati Alberti episcopalis sedes perpetuis temporibus habeatur.* Cod. Pomeraniae diplom. ed. Hasselbach et Kosegarten I, 36. et ibid. p. 48 eiusdem Adalberti privilegium de Stolpensi monasterio 3. Mai 1153 datum, in quo haec leguntur: *Adalbertus Dei gratia primus Pomeranorum episcopus. Ex quo primum divina largiente gratia gens Pomeranorum devoto studio domini Bolizlay gloriosi Polonorum ducis, ac praedicatione Ottonis venerandi Babenbergensis episcopi fidem Christi ac baptisma suscepit sub principe eorum Wratizlavo, communis eorundem principum electio et domini pape Innocentii consecratio me, quamvis indignum, primum Pomeranie prefecit episcopum sub apostolice confirmationis testamento.* 94) SS. Adalberti et Wenceslai et S. Petri; cf. Ebbo II, 15. 95) Quid senserint de Clodona rerum Pomeranarum scriptores vid. Barthold II, 60. an. 2. Verum, ni fallor, vidit Quandt Balt. Stud. X, 2. p. 127; est Clotkowe *Klötikow* ad Regam. Hoc iter non post duos illos menses Iulinae exactos suscepit Otto, quum 2. Febr. 1125 reditum praepararet, sed his ipsis mensibus Belgardam usque profectus est et revertit. Quandt l. l. p. 135 coniicit Ottonem c. 9. Dec. Clodonam ivisse. 96) Quae fuerit civitas vix erui potest; diversas sententias cf. Barthold II, 62. an. 1, Quandt l. l. p. 128.

38. *De[a] conversione Colobergae civitatis.*

Sefridus: Inde Colobregam[b, 97] pervenimus, quae super littus maris sita est. Sed quia 1124. cives illius paene omnes institorum more ad exteras insulas negociandi causa navigaverant, illi qui domi reperti sunt, absentibus suis concivibus se nichil novi aggressuros dicebant, atque sub occasione tali aliquandiu restiterunt euangelio[98]. Tandem exhortationibus crebris ab episcopo superati sunt. Confirmatis ergo eis[c] in fide sanctae Trinitatis et baptismo regeneratis, et fundato altari et sanctuario, caeterisque quae nascenti ecclesiae utilia credebantur ordine peractis, diei unius itinere distantem a Colobrega Belgradiam[d, 99] petens, simili operum effectu illic laetificatus est, omnibus se Domino sponte applicantibus. Quod ubi factum erat, visum est ei bonum esse, omissis 4 quae supererant civitatibus cum pagis, insulis et viculis suis, Unxnoimia[e, 1] videlicet, Hologosta[2], Gozgougia[f, 3] et Ti- 1 mina[4], quia tempus eum revocabat — hiemps quippe erat[5] — id quod plantaverat interim irrigare, ne forte dilatando tantum agrum suum et non etiam excolendo, in vacuum curreret aut cucurrisset. Quin etiam, si ulterius procederet, ante diem palmarum, sicut disposuerat, redire ad suam sedem consecraturus crisma minime potuisset.

39. *De[g] termino euangelii facto in Belgrada civitate, et de revisione civitatum baptizatarum, antequam exiret de terra.*

Sefridus: Discretus ergo pontifex apud Belgradiam terminum ponens euangelii[6], omnia loca et civitates superius nominatas, in quibus semina fidei sparserat, fidus agricola denuo perlustravit, cogniturus quomodo se haberent sata, et ecce, omnes quas imperfectas reliquerat[h] basilicas et ecclesias, perfectas invenit. Ad opus ergo dedicationis devotus et laetus accingitur, atque inter dedicandum crismatis unctione populum confirmans, etiam quam plurimos invenit baptizandos, qui generali baptismo prius interesse non poterant, eo quod in exteris partibus peregrinati, negocia sua exercerent, quorum profecto Clodonae[i], Iulinae[k], Stetinae maxima erat copia. Mira quippe aviditate, audito quod episcopus ab eis discedere vellet, ad eum confluxerunt, infelices se reputantes, quibus sine illius benedictione remanere contingeret. Quae res in singulis locis aliquandiu nobis remorandi causa fuit. Nullam autem civitatem aut locum plantationis suae relinquere voluit, quem non semel aut saepius[7] ante exitum a[l] terra confortationis aut consolationis causa reviseret[m]. 7 Talibus ergo visitationibus regione peragrata, consolando, confirmando atque salutando 1125. Febr. 2. amicos paterinos et filiolos nostros, in pacis osculo dimisimus eos, et dimissi sumus lacrimis et gemitibus divulsionis[8], dolorem utrinque temperantes. Multotiens[n] etiam[o] toto 8 conamine nos iugiter apud se retinere moliti, dominum meum, ut episcopatum ibi gubernaret, ardentissime rogabant, se ipsos et omnia sua illius ditioni servire pollicentes. Et ut verum fatear, tanto amore suae plantationis flagrabat episcopus, quod voluntatem plenariam apud eos remanendi haberet, sed a clericis suis dissuasus est.

40. *De[p] descriptione morum gentis et reditu episcopi.*

Tiemo: Ut[q] video, inquit, tua narratio ad sedem suam reducere vult Ottonem nostrum; sed de ipsius terrae quam deseris oportunitate vel fecunditate vellem aliquid diceres. Possentne illic esse coenobia?

a) Quomodo a Clodona Colobregiam civitatem intraverit, et verbum Dei praedicaverit B 2. civitatem *et dein* et — praed. *desunt* B 1. 3*. b) Colobergam *et sic porro* A 2. c) eisdem B. d) Belgradam A 2. e) Uznoimia A 2. Uznoimia B 2. f) Cozgougia A 2. g) Quomodo detinere illum ac episcopum habere voluerint B 1. 2. 3*. h) dimiserat B. i) dodone A 2. k) et *add.* B. l) de B. m) reuiuerct B 3*. n) et ut veritas proferatur *ante* multotiens *add.* B. o) *deest* B. p) De natura Pomeraniae, et quomodo ad ducem Polaniae redierit (rediens venerit a Pomerania B 2.) et ab eo tam ipse quam sui donati sunt B 1. 2. 3*. q) ut video — utique *desunt* B. *quorum loco haec:* possent etiam in his locis non importune esse coenobia.

97) *Colberg.* 98) Oblivione igitur erant exstincta quae Reinbernus, Ottonis III. tempore episcopus Colbergensis constitutus, fecerat; cf. Thietmar. IV, 28. VII, 52. Cod. Pomeran. diplom. I, 24. 99) *Belgard.* 1) *Usedom.* 2) *Wolgast.* 3) *Gützkow.* 4) *Demmin.* Occidentalem itaque Pomeraniam in sinistra Odorae ripa alii tempori reliquit Otto. 5) Erat asperrima, vid. Ekkehard. 1125. 6) Qua via Otto Belgradia redierit, haud facile coniici potest. L. Giesebrecht W. G. II, 204. opinatur eum Pirissam profectum esse, Quandt Balt. Studien X, p. 136 proponit Caminam. Ordine nominum locorum paullo infra perspecto, eum eadem via redisse credam; Stettina, Iulina, Clodona venerat, nunc Clodonam, Iulinam, Stettinam rediit. 7) Quo ordine igitur Otto ecclesias suas ante discessum reviserit non in aperto est. 11 ecclesias Otto fundaverat, quae leguntur sub finem epistolae Ottonis apud Ekkehard. 1125. Cf. Ebbo II, 12. L. Giesebrecht Wendische Gesch. II, 286. an. 5. 8) Cf. Ebbo II, 18.

1125. *Sefridus:* Possent utique, et maxime huius temporis sanctorum, qui terram uberem quam scopulos aridos vel squalentem heremum incolere malunt, suae memores imbecillitatis. Nam piscium illic, tam ex mari quam ex aquis et lacubus et stagnis, habundantia est incredibilis, carratamque[a] pro denario recentis acciperes allecis, de[b] cuius sapore vel crassitudine gulositatis arguerer, si dicerem quid sentio. Ferinae[c] cervorum, bubalorum et equulorum agrestium, ursorum[d], aprorum, porcorum omniumque ferarum copia redundat Deut 32,14. omnis provincia; butirum de armento et lac de ovibus cum adipe agnorum et arietum, cum 9 habundantia mellis et tritici, cum canapo[e. 9] et papavere et cuncti generis legumine, atque si vitem et oleam et ficum haberet, terram putares esse repromissionis, propter lignorum[f] habundantiam fructiferorum[g]. Sed episcopus vitem illi[h] terrae deesse nolens, in secunda profectione cuppam surculis plenam attulit et implantari fecit, ut tellus ea vel sacrificio vinum procrearet. Tanta vero[i] est fides et societas inter eos, ut furtorum et fraudium penitus inexperti, cistas aut scrinia serata non habeant. Nam seram vel clavem ibi non vidimus, sed ipsi admodum mirati sunt, quod clitellas nostras et scrinia serata viderunt. Vestes suas, pecuniam et omnia preciosa sua in cuppis et doliis suis simpliciter coopertis recondunt, fraudem nullam[k] metuentes, utpote inexperti. Et quod[l] mirum dictu, mensa eorum nunquam disarmatur, nunquam deferculatur, sed quilibet pater familias domum habet seorsum mundam et honestam, tantum refectioni[m] vacantem. Illic mensa cum omnibus quae bibi ac mandi possunt nunquam vacuatur, sed aliis absumptis alia subrogantur; non sorex, 10 non[n] sorilegus[10] admittitur, sed de mappa mundissima fercula teguntur, commesuros expectantia. Quacunque igitur hora reficere placuerit, hospites sint domestici sint, omnia Febr. 11. parata inveniunt intromissi ad mensam. Et de his satis dictum est. Revertentes autem de terra illa transitum fecimus per patrem nostrum ducem Polaniae. Retribuat illi dominus Iesus in die agnitionis suae omnia bona quae ostendit omnibus nobis[o]! Nam tantae affectionis tantaeque benignitatis circa nos extitit, ut etiam in Pommorania positis hiemis tempore ille vir optimus vestes nobis mitteret hiemales, episcopo et unicuique secundum suam personam idoneas, tam clericis quam militibus sive scutiferis omnibus. Nunc ergo consummatis his ad quae nos vocaverat, ipse ad se reversos omnes ipsos ut filios karissimos recipiens[p], episcopum et caeteros quosque congruis honoribus habitos, nullum reliquit[q] Febr. 24. indonatum. Dein quia festinantes vidit, cum multa gratiarum actione dimissos usque in Boemiam nos fecit conduci. Episcopus vero propter festinantiam de episcopatu Pommoraniae pro voto suo tunc ordinare non potuit, sed de prudentia ducis confisus, ei ex otio commisit ordinandum. At ille unum de cappellanis suis Adalpertum[r] nomine, quem de latere suo cum aliis duobus sacerdotibus in adiutorium concesserat episcopo, praesulatus honore in gente illa sublimavit. Itaque, ut brevius sim[s], iuxta propositum suum ante diem Mart 28. palmarum[11] ad sedem suam[t] Otto reversus est[u].

EX ANONYMI VITA OTTONIS.

INCIPIT LIBER TERTIUS[v] IN VITAM ET PEREGRINATIONEM BEATI OTTONIS EPISCOPI[w].

1. *Quomodo post quadriennium plantationem suam in[x] Pomerania sanctus Otto reviserit.*

Post haec[y] triennio domi detentus[z], post quadriennium, quamvis multis domi teneretur negociis, ipse[*] tamen amore novellae coloniae suae flagrans, omnibus postpositis 1127. Mart. 31. illam revisere aggreditur[12]. Sed ne forte gravaret, per quos dudum transierat, ducem

a) carradamque B 2. b) de — sentio *desunt* B. c) ferarum B 1. d) et *add.* B. e) canavo A 2. canopo B 1. 3*. f) *add.* A 2. B*. g) fructiferum B 1. h) illi plenam *desunt* B 3*. i) ergo B 3*. k) *deest* B 3*. l) *deest* B 1. m) refectione A 2. n) aut B 2. o) illis *omisso* omnibus B 1. p) excipiens B. q) dimisit B. r) adalbertum B 2. s) ut b. sim *desunt* B. t) sanctus *add.* B. u) *est finis libri secundi in omnibus codicibus* B. *In* A 2. *sequuntur capita* 42 — 45 *ex Ebbone desumpta.* v) *in* A 1. *desunt capita omnia usque ad* 33, *in* A 2. *capita* 1. 2. 3. w) in — episcopi *add.* B*. x) in — Otto *desunt* B 2. y) hic B*. z) retentus B 1. *) *deest* B 2.

9) i. e. cannabi. 10) *soricilegus* corrigit Gretserus. Estne felis? 11) i. e. 22. Mart. Sed in hoc errat Herbordus. Accuratius hoc descripserunt Ebbo II, 18. et Mon. Priefling. III, 1. quos vid. 12) Tempus quo Otto secundum iter aggressus sit obscurius descripsit auctor. Numeros annorum potius quam ipsos annos numerasse videtur. Triennii quo Otto domi detentus est annus primus erat 1125, tertius 1127; quadriennium numeravit eodem modo ab anno 1124, ita ut dicat auctor

Boemiae[13] vel ducem Polaniae aliosve illius viae hospites et amicos suos, per Saxoniam iter[a] 1127. April. disposuit, et apud Hallam naves victualibus onerans, per Albam flumen in Habalam prolapsus, Leuticiae littora usque adductus[b] est. Et ne inanis et vacuus adveniens sponsae suae vilesceret, neve hi[c] qui adhuc convertendi erant, si modo cum sumptu poneret qui prius sine sumptu posuerat euangelium, contra se murmurarent, in auri et argenti copia, in purpura et bisso et pannis preciosis, et muneribus magnis et variis pro varietate personarum, dives studuit advenire, cunctaque Hallae coempta[14], et navigio usque in Leuticiam 14 portata, curribus et quadrigis 50* cum annona imponens, ibi per terram Leuticiae usque Timinam[16], civitatem Pommoraniae, transportavit. Quo ubi cum labore ac fatigatione ventum esset, multos horrores et pavores illa nocte ibi sustinuerunt. Nam civitas illa, Dei adhuc ignara, cruda quodammodo et barbara fuit christianis, et hi ignoti ad ignotos venerunt[17]. Solum tamen urbis praefectum in priori peregrinatione cognitum habentes, ipsum 17 de hospicio convenerunt, sed ille amice eos suscipiens, et alios quoque se hospites habiturum dicens, aream iuxta civitatem in veteri castello eorum mansioni designavit, in qua fixis tentoriis se requieturos sperantes, vanis terroribus tota illa nocte agitabantur.

2. *Quomodo ad[d] Timinam civitatem[d] venerit.*

Nam dux Pommoraniae populaturus Leuticiam, cum exercitu eadem nocte illo venturus erat; Mai. Timinenses[e] autem[f] Leuticios audierant ad pugnam ibi ei occursuros, unde non modica trepidatio fuit in civitate. Ingruente igitur noctis silentio, exercitus ducis per turmas suas illuc confluxit, factumque est, ut una[g] cohors peditum[18] et altera cohors equitum ex diverso iuxta civitatem convenientes, quia nox erat utrimque se[h] hostes suspicati, diutissime gladiis caederent. Nostri[i] vero strepitu ac tinnitu[k] armorum excitati et exterriti, ignem in castris aqua perfuderunt, fugam meditantes. Interea socios se agnoscentes, illi a pugna desierunt. Praefectus vero misso satellite causam illius tumultus eis insinuans, ne timerent rogavit, sicque animati, constiterunt in loco suo. Facto mane, dux cum exercitu omni[l] ad praedam festinans, episcopum videre non potuit, sed missis nunciis ibidem illum die illa rogavit[m] se expectare. Circa meridiem vero Leuticiam quaqua versum fumigare aspexerunt, signum omnia vastantis exercitus. Ad vesperum autem, ecce dux, voti compos, multa onustus praeda, cum suis omnibus laetus et incolomis revertitur Aspiciebat namque episcopus, quia dividebant spolia, vestes, pecuniam, pecora et aliam diversi generis substantiam; homines quoque quos captivaverant inter se distribuebant. Ibi vero fletus et gemitus et dolores innumeri, cum ad diversos dominos, pro ratione divisionis, vir ab uxore et uxor a viro, et parentes a filiis discedebant. Et quamvis pagani omnes essent communis[n] quos huiusmodi miseria involverat, episcopus tamen pius semper et misericors, conditionem miseratus humanam, lacrimas tenere non potuit. Dux vero, et successu rerum et de adventu episcopi laetissimus, videns quia hoc eius voto placuit, teneriores et infirmiores quosdam absolvi praecepit, et quibus separatio dolori erat, manere simul eius interventu ordinabat, auditoque eo multa faciebat et libenter eum audiebat. Episcopus etiam multos precio absolvit, quos tamen fide imbutos baptismoque novit[o] regeneratos, et liberos abire permisit. Deinde, cum mutuis colloquiis se recreassent et invicem muneribus honorassent, duce ad sua negocia digresso[19], episcopus omnem substantiam suam et populi qui secum 19

a) ire *in margine eadem manu* vel iter B 1. b) perductus B 1. c) hii*B 1. d) *desunt* B 1. e) Tyminenses B 2. f) aut B 3*. g) parva B*. h) comites vero episcopi esse *add.* B*. i) hoc B*. k) tumultu B*. l) suo B 2. m) rogare fecit B 2. n) *ita* B*. omnes *rell.* o) *ita* B*. novat B 2. novavit *rell.*

quarto anno (i. e. 1127) postquam susceperit primum iter Pomeranum, Ottonem suscepisse secundum. De anno 1127 dubitari nequit, ut probarunt Ussermann Ep. Bamb. p. 84 et Jaffé Lothar. p. 269 an. 8, etsi Jaeck p. 464. Raumer Reg. hist. Brandenburg. 808. Barthold II, 73. Roepell I, 282. L. Giesebrecht II, 307. an. 1. annum 1128, Riedel ap. Ledebur Archiv d. Preuss. Staats VIII, 103. annum 1129 tuentur. 1127 probatur litteris Wignandi abbatis Tarisiensis eodem anno scriptis Ebb. II, 16. et diem accurate descripsit Ebbo III, 22. quod observavit Jaffé l. l. Aliud argumentum vid. Ebbo III, 25. De die 31. Mart. vid. Ebbo III, 3. qui haec uberius narravit. 13) Sobezlaum; obierat Wladizlaus a. 1125. 14) Vid. supra I, 49. *, 30 dicit Ebbo l. l. quod eodem teste factum est Havelbergae; itaque terra Leuticiae inter Havelbergam et Timinam quaerenda. Leuticii, de quibus paullo infra, vicini Timinensium, incolae sunt terrae Strelicensis. Cf. Raumer Reg. hist. Brand. 812. 16) Dimin in bulla Innocentii II. Cod. Pom. dipl. I, 36. 17) De Ottonis adventu accuratius Ebbo III, 5. 18) qui navi venerant priores, Ebbo l. l. 19) Similis locutio Herbord. II, 11. III, 7. Si audis Ebbonem III, 5. dux perduxit Ottonem Usedomam.

1127. erat Timinae navibus imponens, per Penae fluminis undam tribus diebus Unznoimiam[20] vecti sunt, episcopo itinere terrestri cum paucis gradiente. Nec mora, euangelico vomere agrum Domini sui proscindens, semen spargit fidei; neque ibi difficultas erat in opere, quia civitas illa prae eo abluta[a] fuerat imbre doctrinae salutaris. Sacerdotes etenim, quos pater beatus operis sui vicarios in gente illa reliquerat, Unznoimiam ex magna parte converterant; reliqua pars per episcopum apposita est ad Dominum.

3. *Quomodo a*[b] *Timina Unznoimiam veniens, per Frocizlaum ducem apostasiae eos arguerit.*

Igitur in hac civitate, quia prope fuit festum adventus Spiritus sancti, dux terrae Frotizlaus[c], toto corde christianus, instinctu Ottonis baronibus ac capitaneis totius provinciae ac praefectis civitatum in festo pentecostes conventum indixit, causam simul Christi mandans, euangelium et euangelistam iterum advenisse Ottonem episcopum. Itaque die statuto Mai 22. congregatis omnibus, adducto in medium episcopo, dux ait: *En, ad quod venistis! En, coram est nuncius Altissimi! Pacem fert, non arma; neque vestra sibi, sed vosmet ipsos Deo lucrari quaerit. Attendite, oro. Ante hoc quadriennium*[21] *in superioribus huius terrae partibus*[22] *docens, me teste — nostis quoque et ipsi — omnia*[d] *replevit euangelio. Et tunc quidem has* 23 *partes visitare volebat*[23]*, sed Deo prosperante negocia sua, toto anno illo sanctis operibus illic tenebatur occupatus, emensoque anno ad sua reverti suae sedis rationibus cogebatur, nec ad vos venire praevaluit. Sed, quaeso, una mecum*[e] *et huius et illius viae*[f] *causas diligenter advertite; quodque in omni causa fieri solet, quis vel quare, quid vel quomodo agat, altius contemplemini*[g]*. Et primo de persona id vobis constat, quia homo religiosus senio et canicie venerabilis est, hoc enim et ipsi videtis; de cuius nobilitate opera testantur et virtutes, et alta, ut fida relatione didicimus, avorum et proavorum eius linea*[h] *nativitatis. Porro si dignitatem quaerimus, praesulari fulget officio, et universis Teutonici regni principibus speculum est et lucerna. Imperatori quoque Romano et apostolicae sedis pontifici gratus valde est et unice familiaris; in auro quoque et argento, in ministerialibus et*[i] *feodatis, in agris et possessionibus, et quaecunque hic mundus preciosa vocat, domi eum*[k] *divitem novimus et gloriosum. Nunc etiam opulentus venit vestrae saluti ministraturus, nec aliunde quam de suis sumptibus apud vos vivere propositum habens*[l]*. Sed rogo, quid intendit, ut quid tantae viae laborem aggressus, nec proprio corpori nec sumptibus parcit? Sed ut breviter dicam, sicut et pridem, nichil aliud quaerit, nisi vos omnes separare a diabolo, et per fidem catholicam iungere domino Iesu Christo. Sed quonam modo? Non fraudulenter, non violenter, non lucri alicuius terreni sed vestrae tantum salutis gratia, et Dei honoris benignitate. Et nunc nichil quidem iustae excusationis a vobis inveniri poterit super hoc tali viro, quo minus eum audire debeatis. Neque enim is*[m] *est, cui necem aut patibulum ob circumventionis vel imposturae culpam intentare conveniat, vel alterius generis iniurias, quemadmodum peregrinis et pauperibus Christi praedicatoribus paulo ante fecistis, suspicati dolo et fraude quaestusve gratia nudos homines et inopes rerum loqui verbum Dei. Sed illi quidem plagis et verberibus pro veritate subacti, a vestris finibus* 24 *abscesserunt*[24]*, vos autem huc usque in infidelitate perstitistis. Pudeat iam*[n] *et poeniteat vos longi erroris et ignorantiae, et qui noluistis*[o] *audire mendicos euangelistas, audite opulentos. Dixistis namque, et subsannando blasphemastis, quia Deus christianorum vilior esset omnibus diis atque inferior, qui suae doctrinae ministros habere non posset, nisi tantum homines imperitos et rusticos, mendicitati egestatique addictos. Et vos quidem in insania vestra haec dixistis; ille vero pius et misericors et praestabilis super malitia, quasi moram gerens insipientiae vestrae, de imperitia vel rusticitate, de improperio*[p] *etiam mendicitatis legati, omnem vobis abstulit excusationem. Superest modo, ut nos, qui primi et maiores dicimur ac sumus, nostrae dignitati consulamus, tam dignissimae ac sanctissimae rei consentientes, ut populus, qui nobis subiectus est, nostro possit erudiri exemplo. Quicquid enim religionis vel honestatis secundum Deum vel homines aggrediendum est, iustius atque decentius autumo, ut a capite hoc in menbra, quam ut a menbris derivetur in caput. Et in primitiva quidem ecclesia, sicut audivimus,*

a) *ita* B*. praecompluta B 1. compluta B 2. p̃conpoluta B 3*. b) dux Frotizlaus episcopum conmendaverit B 1. c) Vrotizlaus B 2. d) quomodo *add.* B 1. e) itineris B*. f) *deest* B*. g) contemplemur B*. h) origo B*. i) et — possessionibus *des.* B*. k) *deest* B 2. l) habet B 1. m) isdem B 2. n) *deest* B 1. o) voluistis B 3*. p) imperio B 3*.

20) Huznoim in bulla Innocentii II. Vid. Cod. Pom. dipl. I, 38. 21) i. e. 1124, ut supra III, 1. Cf. etiam Ebbo III, 6. 13. 22) in orientali Pomerania in Oderae ripa dextra. 23) supra II, 38. 24) ita Bernhardus, Ebbo II, 1.

religio fidei christianae a plebe et plebeiis personis incipiens, ad mediocres progressa, etiam[a] *maximos huius mundi principes involvit; reddamus vicem ecclesiae primitivae, ut a nobis principibus incipiens et usque ad mediocres progressa, facili proventu totum populum et gentem sanctificatio divinae religionis illustret.* Sed quid plura? Affuit Spiritus sancti gratia, et sermonem ducis omnium cordibus altius quam dici queat inplantavit, omnesque pari voto, pari consensu faciendum spondent, quicquid episcopus suaderet. Igitur occasione ipsius temporis de adventu Spiritus sancti, de remissione peccatorum, de variis carismatum donis, de bonitate et clementia divina, sermone mirabili praesul[b] eos alloquens, euangelizavit illis Iesum. Et quosdam quidem iam dudum christianos, sed errore paganismi denuo inquinatos, praesenti sermone ad conpunctionem et validam cordis contritionem emollitos, cum magno fructu aspicientium, per manus impositionem ecclesiae reconciliavit; alios autem certatim se offerentes, cathezizatos ac pro tempore instructos, baptizavit, et totam illam ebdomodam doctrinae sacrisque operibus instabat gaudio ingenti, adeo ut vere Spiritus sancti praesentiam illic adesse certissime constaret[c]. Itaque concilium hoc non antea solutum est, quam principes ipsi et omnes qui cum eis advenerant baptismi sacramenta percepissent.

1127. Mai. 22. — Mai. 29.

EX HERBORDI DIALOGO.

4. *De*[d] *sacerdote*[e] *idolorum vice numinis rusticum alloquente*[f].

Sefridus: Porro fama facti repente in[g] universam provinciam vulgatur, villas et vicos in studia diversa conscindens, aliis dicentibus quia *bene est,* aliis autem dicentibus quia[h] *non! sed magis seductio magnates apprehendit.* Ipsi vero sacerdotes idolorum non minima causa huius conscissionis[i] erant, appositi eis quibus displicebat quod factum fuerat, sua nimirum lucra cessatum iri non ignorantes, si cultura daemonum illic aboleretur; unde modis omnibus rem praepedire[k] moliti, varia calliditatis suae argumenta visionibus, sompniis, prodigiis et variis terroribus confinxerunt. Quin etiam in Hologosta[l. 25] civitate, quo tunc proxime adventurus nunciabatur episcopus, sacerdos qui illic idolo ministrabat, nocturno tempore vicinam silvam ingressus, et in loco editiori secus viam inter condensa fruticum sacerdotalibus indutus astabat, et mane summo quendam rusticum de rure ad forum gradientem his alloquitur[m]: *Heus*[n] *tu,* inquit, *bone homo!* At ille respiciens in eam partem, unde vocem audierat, inter virgulta personam candidis indutam, quamvis dubia luce, videre coepit et timere. Et ille: *Sta!* inquit, *et accipe quae dico. Ego sum deus tuus; ego sum qui vestio et graminibus campos et frondibus nemora; fructus agrorum et lignorum, foetus pecorum, et omnia quaecunque usibus hominum serviunt, in mea sunt potestate. Haec dare soleo cultoribus meis, et his qui me contempnunt auferre. Dic ergo eis qui sunt in civitate Hologostensi, ne suscipiant deum alienum, qui eis prodesse non possit; mone etiam, ut alterius religionis nuntios*[o]*, quos ad eos venturos praedico, vivere non patiantur.* Haec ubi attonito[p] ruricolae daemon visibilis edixerat, ad densiora nemora[q] se contulit impostor. Rusticus vero quasi de oraculo stupidus, corruens pronus, adoravit in terra[r]. Deinde abiens in civitatem, coepit annunciare visionem. Quid plura? Credidit populus; iterum atque iterum circumdantes hominem, eadem saepius narrare cogebant, moti videlicet monstri novitate. Postremo, acsi nescius omnium, advenit sacerdos, indignationem simulans primo quasi de mendacio, dein attentius audire et obtestari coepit hominem, ut vera tantum narrans, nullo figmento populum sollicitaret. At ille, ut erat rusticanae simplicitatis, manus[s] tendere, oculos ad coelum levare magnisque iuramentis et forti protestatione rem ita se habere asserens, etiam locum ipsius apparitionis se ostensurum pollicetur. Tunc sacerdos conversus ad populum, vane suspirans: *En, hoc est,* inquit, *quod toto anno dicebam! Quid nobis cum alieno deo? quid nobis cum religione christianorum? Iuste movetur et irascitur deus noster, si post omnia beneficia eius stulti et ingrati ad alium convertimur. Sed ne iratus occidat nos, illis irascamur*[t] *et occidamus eos, qui nos seducere veniunt.* Quod dictum cum placuisset omnibus,

a) in *addit* B2. b) episcopus B2. c) constabat B2. d) *est* A2. *caput 7 inscriptum:* De causa inquisitionis eorum. e) sace, *in margine alia manus* sacerdote B2. f) alloquentem B2. g) *deest* B2. h) *deest* B. i) conscisionis A2. dissensionis B1. concisionis B2. B*. k) praepediri A2. l) hogosta B2. gosta B3*. m) meus B3*. n) *deest* B3*. o) viros B. p) *deest* B3*. q) nemoris B1. r) terram B. s) manus — iuramentis *desunt* B3*. t) irascimur A2.

25) Wologost in bulla Innocentii II. Cod. Pom. dipl. I, 38.

1127. firmaverunt decretum, ut, si Otto episcopus vel quispiam de societate eius civitatem intraret, sine mora occideretur. Item firmaverunt sibi sermonem nequam, scilicet ut si nocte vel clam intrantes quisquam tecto reciperet, simili sententiae subiaceret[a]. Et haec agentes multis opprobriis et verborum iniuriis religionem nostram[b] blasphemantes deridebant.

EX ANONYMI VITA OTTONIS.

5.[c] *Quomodo nuncios suos episcopus praemiserit ad Hologostam civitatem*[d].

Interea vero apud Unznoimiam rebus feliciter consummatis, solutoque coetu primatum, dux cum episcopo remanens, de his quae post[e] agenda videbantur, et de progressione vel quonam diverteret, consilium habuit, multaque devotione studiis episcopi gratias agens: *Ecce*, inquit, *terra omnis coram te est; securus esto, domne pater; non est qui tibi contradicat, maioribus natu ac principibus omnibus iam fide imbutis.* Qua securitate fretus antistes, Iun. quasi exemplo domini Iesu Christi binos et binos de discipulis suis praemittebat ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Contigit ergo Uodalricum et Albwinum[f], duos presbiteros simul pergentes, Hologostam intrare, ubi a matrona quadam, uxore videlicet praefecti, sunt hospicio suscepti atque satis humane tractati. Nam haec, quamvis pagana, multum hospitalitati dedita fuit ac timori divino et religiosa valde, adeo ut esset eis admirationi. Post refectionem vero Albwinus[g], Sclavicae[h] linguae gnarus, matronae adhuc ignoranti rem omnem secreto aperit, scilicet quinam essent et quare advenissent. At illa vehementer attonita[i]: *Me miseram!* inquit, *o domini mei, quare ad me intrastis? De vobis*[k] *enim iam apud magistratus data sententia est, et de me quoque, si vos non prodidero.* Sed divina clementia servos suos ubique tueri novit. Nam matrona illa divinitus, ut puto[l], commonita, in superiori quodam coenaculo eos abscondit, quasi Raab Ierichontina[m] ne proderentur effecit. Equitaturas etenim illorum et sarcinas, et quaecunque habere poterant, illa per pueros suos subito extra civitatem deduci et in praesidio suo collocari fecit. Quibus deductis, ecce, gladiatores et turba populi cum telis et fustibus tecta matronae irrumpunt, cum tumultu et clamore magno illos ignotos homines sibi exhiberi iubentes. At illa: *Fateor*, inquit, *homines ignoti ac peregrini, ut saepe solent, ad me declinaverant; sed accepto prandio, mox in viam suam abierunt.* At illi scrutantes omnia, cum nec iumenta nec vestes nec ulla signa itinerantium invenissent, furere desierunt. Porro illis per triduum ibi latitantibus, nec usquam prodire nec ullo modo vel mutire praesumentibus[n], episcopus cum duce ab Unznoimia profectus, multa manu militum et 26 sociorum Hologostam intravit[26], spem salutis et praesidium portans apostolis in conclavi latitantibus.

EX HERBORDI DIALOGO.

6. *De*[o] *periculo clericorum in eadem civitate, et de uno ad templum fugiente.*

Sefridus: Itaque urbem ingressus, duce fideliter ac strennue ad omnia cooperante, semen sparsit euangelii, et dura incredulorum corda placidae praedicationis ungento[p] paulatim detumescere faciebat. Interea quidam de sociis nostris[q] Uodalricum et Albwinum, de latibulis suis emergentes et iunctos[r] nobis timorem suum referentes, deriserunt, et quasi eis insultantes, securius sese habere coeperunt, et longius a suis digressi, fana etiam idolorum, episcopo sermonem exhortationis protrahente[s], speculatum[t] vagabantur. Verum quidam[u] maligni homines, apud quos radix paganismi adhuc valentius vigebat: *En*, inquiunt, *isti explorant quomodo templa nostra incendant.* Et congregantes se in platea, etiam arma portare ac fustes coeperunt, et qua transituri videbamur nobis obviam stare. Uodalricus autem intuens illos eminus, et subsistens: *Non advertitis*, inquit, *hos non sine causa convenire? nam et turbulenter se habent et arma habent omnes*[v]; et prioris periculi recordans: *Nolo*, inquit, *totiens temptare Deum meum.* Et conversus, illo ubi episcopum dimiserat, redire

a) sentencia dampnaretur B 2. b) christianorum B. c) *deest hoc caput* A 2. d) Quomodo in Hologostam nuncios praemiserit B 2. e) prius B*. f) aluinum B 2. g) albuinus B 2. h) *deest Canis.* i) heu *add.* B 1. k) duobus B 3*. l) ut p. *desunt* B 1. m) yerochontina B 2. n) *verba* nec — praesumentibus *in uno* B*. *leguntur.* o) *legitur* A 2. *caput* 8. *In* B 1. 2. 3*. *ita inscriptum:* Quomodo Hologostam intraverit et praedicaverit. p) ingenio B. *exc.* B*. q) christianorum B. r) vinctos B 3*. s) proferente B. t) speculatu A 2. B 2. u) qa idm *et in margine eadem manus* quidam B 1. quia B 2. v) portant, *omisso* omnes B

26) Primis diebus mensis Iunii, ut apparet ex ultimis verbis III, 3.

coepit, aliis omnibus eum sequentibus praeter clericum quendam nomine Theodericum, 1127. qui longius ante illos progressus, iam fores delubri tenebat. Videntes autem pagani qui convenerant illos a coepta[a] via reversos, persequi eos quidem non audebant, sed ad illum clericum interficiendum omnes accurrerunt[b]. Quo viso, ille aliud quo declinaret non habens, fanum ipsum audacter, quamvis exterritus, intravit. Erat autem illic clipeus pendens in pariete mirae magnitudinis, operoso artificio, auri laminis obtectus, quem contingere nulli mortalium liceret, eo quod esset illis nescio quid in hoc sacrosanctum ac paganae religionis auspicium, in tantum ut nunquam nisi belli solummodo[c] tempore a loco suo moveri deberet. Nam, ut postea comperimus[d], deo suo Gerovito[27], qui lingua Latina Mars dicitur, erat 27 consecratus, et in omni proelio victores sese hoc praevio confidebant. Clericus autem, vir acris ingenii, dum metu mortis in templo huc illucque diffugeret, telum aliquod vel latibulum quaeritans, clipeum corripuit[e], et amento collo iniecto, laevaque loris inserta, in medium turbae furentis e ianua prosiliit. Rustici vero prodigialem armaturam videntes, partim in fugam conversi, partim etiam quasi exanimes facti in terram cadunt[f]; ille autem, proiecto clipeo, versus[g] hospicium ad socios currere coepit, et pedibus timor addidit alas. Cumque anhelans et pallidus ad suos pervenisset[h], de ipsa huius trepidatione et eorum qui praemissi[i] fuerant triduana occultatione apud omnes, praecipue vero apud episcopum et ducem, tota nocte illa iocunda erat narratio. Monuit tamen pius pater filios suos et discipulos propter insidias latentis inimici, ut se circumspecte agerent. Tam diu ergo mansit in loco illo[28] disputans et suadens de regno Dei, quousque omnis populus fidei sacra- 28 menta suscipiens[k], fana sua destrueret et ecclesiae sanctuarium cum altari[l] praepararet. Quod episcopus consecrans, Iohannem presbiterum eis ordinavit, et ut reliquam[m] basilicae fabricam post suum discessum promoveret, ammonuit.

EX ANONYMI VITA OTTONIS.

7. *De[n] templo demoniorum apud Gozgaugiam destructo.*

Deinde omni populo valefaciens, et in multa caritate omnipotenti Deo illos committens, Iun. ad Gozgaugiam[29] iter divertit. In hac siquidem civitate mirae magnitudinis ac pulchritudinis templum fuit, sed episcopus cum de fide christianae religionis eos per interpretem alloqueretur — nam dux ad sua negocia iam ab eo discesserat — illi ad omnia paratos se asserebant, si modo fanum eorum intactum remanere potuisset; magnis enim sumptibus nuper exstructum fuerat, multumque in eo gloriabantur, eo quod videretur magnum totius civitatis esse ornamentum. Temptabant etiam, occulte immittentes quosdam, pontificis[o] animum lenire muneribus pro aedis conservatione, tandem rogantes, ut vel in[p] basilicam ordinaretur[q]. Sed episcopus constanter agens, indignum esse dicebat, aedem sub titulo demonis aedificatam immundoque ritu profanatam divinis usibus mancipari. *Nam quae conventio* 2 Corinth. 6, 15 16. *Christi ad Belial, aut quae communicatio templo Dei cum idolis?* Dicebat autem illis et similitudinem: *Numquid seminatis frumenta vestra super dumos et spinas? Non puto. Sicut ergo de agris vestris spinas primo eradicatis ac tribulos, ut, iactis bonis seminibus, optatas segetes ferre queant, ita et hanc radicem idolatriae, spinam perditionis, de medio vestrum funditus exstirpate, ut de bono euangelii semine corda vestra fructificent in vitam aeternam.* His et aliis huiusmodi sermonibus oportune et[r] importune, obsecrando, increpando[s], arguendo per singulos dies insistens, duros gentilium animos tandem ita emollivit, ut ipsi aedem execrabilem, de qua tota quaestio fuit, suis manibus confringerent et simulachra protererent[t].

EX HERBORDI DIALOGO.

8. *De[u] legatis marchionis Adalberti de Saxonia.*

Sefridus. Cum ea gerebantur, legati marchionis Adalberti de Saxonia[30] supervenere, opera et statum episcopi studiose inquirentes. Marchio etenim, cum esset amicus valde

a) accepta A2. B*. B2. b) accurrunt B. c) *deest* B. d) compon mō B3*. e) arripuit B2. f) corruerunt B2. g) secus B. h) devenisset B. i) missi B2. k) percipiens B. l) altaris B1. m) partem *addit* B2. n) *deest caput* A2. o) episcopi B2. p) *deest* B2. q) ordinaret B2. r) et *deest* B. s) increpando *deest* B2. t) contererent B2. u) De adventu legatorum eius, et praeparatione dedicationis templi B1. 2. 3*.

27) Vid. Barthold I, 542. 564. 28) unam hebdomadam, vid. Ebbo III, 9. 29) In bulla Innocentii II. Chozcho; de nomine cf. cod. Pom. dipl. I, 38. 30) comitis Ballenstadensis; inde ab anno 1124 marchio erat Lusatiae. Vid. Raumer Reg. hist. Brandenburg. 815.

1127. ac familiaris episcopo, in gente barbara hunc periclitari metuebat, unde si opus haberet, praesidium ei et opem ferre cupiebat. Affuere simul[a] ipsius episcopi economorum[b] et procuratorum[c] nuncii, aurum[d], argentum, vestes quoque et alia necessaria ei deferentes;
1 Cor 9, 14. ut enim supra dictum est[31], licet euangelium annuncians de euangelio vivere deberet, ipse nichil horum uti volens, suis se tantum sumptibus[e] transigebat[f]. Igitur legatos omnes apud se ibi[g] tam diu retinuit[h], quousque videndo et audiendo discerent, quid de ipsius[i]
32 operibus aut statu referre deberent[32]. Porro baptizatis omnibus tam viris quam mulieribus totius civitatis, ad dedicationem altaris ac[k] sanctuarii iam surgentis basilicae, multa exultatione populi, devotus praesul[l] accingitur, omni studio ac diligentia ipsi festo decorem et reverentiam procurans, quatinus de amissione prioris fani vel celebritatis[m] minime dolerent, melioris solempnitatis tripudio et melioris fabricae ornamento consolati.

9. *De[n] Mizlao rectore civitatis et de factis eius.*

Sefridus: Inter agendum vero, quid[o] ipsa dedicatio vel quid[o] singula opera dedicationis significare haberent, rudi populo antistes exposuit, praecipue vero Mizlaum, ipsius civitatis principem, quem pridem in pentecoste cum aliis primatibus Uznoimiae[p] baptizaverat, ut in eo caeteros erudiret, de his omnibus alloquitur, sacramentum dedicationis ad animam cuiusque fidelis pertinere sufficienti sermone demonstrans, quae sancti Spiritus templum efficit[q], vel in cuius corde Christus per fidem inhabitat. Deinde sermonem ad ipsum principem ex toto convertens: *Tu es*[r], inquit, *fili karissime, vera domus Dei. Tu ipse hodie dicandus et dedicandus es omnipotenti Deo*[s] *creatori tuo, ut emunis*[t] *ab omni alieno possessore, ipsius tantum mansio fias et*[u] *possessio; non ergo impedias dedicationem tuam, fili karissime. Nichil enim prodest istam quam cernis domum foris dedicari, nisi etiam dedicatio ista ad*[v] *cordis tui sanctificationem proficiat.* Ille vero hac[w] exhortatione compunctus ait: *Et quid est, pater, quod me iubes facere, ut dedicatio ista in me compleatur?* Episcopus autem intelligens adesse Spiritum sanctum: *Ex parte*, inquit, *fili, domus Dei esse coepisti; fac, ut ex toto sis. Iam enim idolatriam fide commutasti, baptismi gratiam consecutus, nunc sequitur, ut fidem pietatis operibus exornes; impietates, violentias et crudelitates, oppressiones, rapinas, homicidia et fraudes penitus devita*[y], *postremo, quicquid tibi fieri ab alio*[z] *non vis, alii ne feceris. Captivitates quas habes absolve omnes; quodsi non omnes, vel eos certe qui christiani sunt, tuae fidei consortes.* Tum ille parum haesitans: *Durum*, inquit, *michi est, pater, dimittere omnes, quia magnis rationibus ac debitis quidam ex eis michi detinentur.* Tunc episcopus: *Debita*, inquit, *pro debitis dimitti et*[*] *sermo euangelicus et dominica suadet oratio; sic enim omnium debitorum tuorum apud Dominum certam remissionem consequeris, si omnes debitores tuos in eius nomine absolvis*[a]. At ille altius ingemiscens: *En*, inquit, *in nomine domini Iesu omnes absolvo, ut, secundum verbum tuum, dimissis peccatis meis, dedicatio ista hodie in me compleatur.* Et vocans ministrum qui super captivos erat, omnes dimitti praecepit. Erat autem inter eos adolescens nobilis, filius cuiusdam potentis de Datia. Iste absolutis aliis in cavea quadam subterranea vinctus cippo et catenis tenebatur, eo quod pater eius, 500 librarum debitor, hunc vadem posuisset. Cumque de absolutione captivitatum, de obedientia et religione Mizlai principis multa esset tam populo quam episcopo et omnibus[b] qui aderant in Domino exultatio, et ad consummationem dedicationis ministri ac sacerdotes alacriter festinarent et necessaria praepararent, habitis omnibus, vas cum cineribus, quod ad aram positum erat, inveniri non potuit. Cumque ministri commixtionem salis et vini et cinerum facturi, de non inventis[c] cineribus turbarentur, Uodalricus sacerdos correpta[d] concha[e], vicinas domos unam vel duas scrutatus, in eis cinerem non invenit. Deinde ad tertiam[f] currens, criptam quandam subterraneam, in quam praedictus adolescens in abditiore parte claudebatur, intravit. Sed captivus per fenestram manu porrecta et sonitu facto currentem[g] sacerdotem ad se vocat, rogans, ut pro sui liberatione episcopo significet.

a) etiam B. b) enconomon A 2. c) et pr. *desunt* B. d) et *add.* B. e) usibus A 2. f) transiebat A 2. g) *deest* B 2. h) detinuit A 2. i) *deest* B. suis B*. k) et B. l) *deest* B 2. m) vel celebritatis *desunt* B 1. n) De allocutione ipsis ad Mizlaum principem B 1. 2. 3*. quibus *capp.* 9 *et* 10 *coniuncta.* o) quod B 2. p) Uznoimie A 2 q) efficitur B. r) est B 3*. s) *deest* B 2. t) emundat B 1. eminus B 2. 3*. u) atque B 2. v) ad cordis — ista *desunt* B 3*. w) *deest* A 2. B 2. y) *ita* A 2. B*. a te removeas B 1. *deest* B 2. 3*. z) ab alio *desunt* B. *) ut B 2. a) dimittis B. b) et omnibus *desunt* B 1. c) inventibus A 2. d) arrepta B. e) conca B 2. f) alteram B 1. g) *deest* B 1.

31, III, 1. 32) Cf. III, 10.

Sacerdos vero, correptis[a] cineribus, properanter ad ecclesiam rediit, et operienti episcopo 1127. aliisque fratribus de illo captivo[b] insinuat. Episcopus vero, quamvis misericordia moveretur: *Tanta,* inquit, *praestitit nobis, ut amplius cum rogando gravare non audeam. Tamen ne gaudium festi huius aliqua ex parte claudicet, super huius quoque miseria Dei misericordiam invocemus.* Et conversus ad orientem, cum ministris quasi hora una preces fudit ad Dominum. Deinde sacerdotibus ait: *Seorsum accipite Mizlaum, et quam modestius potestis super hoc verbo exhortamini.* Quod cum facerent, Mizlaus ait: *In hoc uno homine parcat michi velim prudentia vestra, nam pater eius maioribus michi debitis astrictus est, quam ut gratis absolvi possit. Sufficiat vobis, quod tantos absolvi*[c]. Tunc illi: *Revera,* inquiunt, *multum est quod fecisti. Miratur hoc domnus episcopus, miramur et nos, nec in longo tempore a christianis tale quid in terra nostra comperimus, unde et domnus noster*[d] *episcopus et omnes fratres gratias tibi referunt, et honori te habent et semper habebunt, Deoque omnipotenti, cuius te servum exhibuisti, quo de omnibus vicem tibi rependat, devote supplicabunt. Nam et domnus episcopus tam magni pendit quod fecisti, ut ultra quicquam rogare te iniuriam putet*[e]*; unde quasi parcens dilectioni tuae, ore proprio te rogare verecundatus est. Sed noveris*[f] *in veritate, quoniam, si quo pacto te ipsum vincens, hoc bonum caeteris tuis meritis superaddere posses, magna tibi gratia magnaque recompensatio apud Deum cumularetur; magnus etenim*[g] *dominus Deus noster, et magna virtus eius, morisque illi cum sit pro parvis magna restituere, quanto magis pro magnis maxima? Quod si hoc magnum et difficile tibi pro ipso feceris, non sine mercede maxima ab eo indonatus remanebis.* Sed quid multis? Ingemuit homo, tactusque ab intus spiritu pietatis, totus solvitur in lacrimas. Deinde cum ipsis clericis ad episcopum tendens: *En,* ait, *pater sanctissime, in ista quoque petitione Deum meum et te, servum eius, dominosque meos sacerdotes, ministros tuos, honorabo; quin imo pro nomine domini mei Iesu corpus meum et omnia mea, si ratio postulaverit, devotus impendam.* Et iubens adduci vinctum ferro et catenis oneratum, flentibus omnibus qui aderant, in hostiam et oblationem Deo arae[h] imposuit, petens sibi remissionem peccatorum a Domino pro ipso recompensari. Ita ergo in plenitudine gaudii spiritualis tota illa ecclesia fervente, et laudes Deo super universis bonis ac donis eius concinente, dedicatio consummatur, omnesque alii exemplo Mizlai principis vias suas correxerunt, unusquisque ab iniustitiis et violentiis seu oppressionibus suis temperando et vi ablata proximis suis restituendo.

10. *De*[h*] *pavore Pomeranorum, et quomodo per episcopum liberati sint.*

Sefridus: Ecclesia igitur[i] proficiebat et crescebat, et, licet invidente diabolo, ambulans in timore Domini et Spiritu sancto replebatur[k]. Sed hostis antiquus dampna sua non ferens, opera Dei turbare molitus, validis terroribus universam provinciam concussit. Nam Polizlaus[l], dux Polonorum invictissimus, in multa fortitudine et copioso militum apparatu de terra sua veniens, iam in ipsis[m] Pommoraniae terminis castra metatus ferebatur[33], in[n] 33 furore gravi terram ipsam ingressurus. Audierat enim, quod post priorem beati Ottonis praedicationem nec pacti secum foederis nec susceptae religionis iura servare curarent. Insuper compertum habebat, quod civitates quae pridem conversae fuerant cum hiis quae conversae nondum fuerant, remissi tributi veniam aspernati[34], suique mediatoris obliti, 34 viribus suis se deinceps tutos fore confiderent, munitionibus et castris, quae bellica vi complanata fuerant, ex magna parte hoc intervallo reparatis. Unde quasi iustam commotionem habens dux, iterum eos conterere veniebat, suaeque ditioni subiugare. Quod illi audientes, missisque saepius atque remissis exploratoribus, exercitum iam in proximo cognoscentes, multum ubique trepidare coeperunt, partimque fugere ac res suas ad loca munita deferre, partim etiam arma contra movere, finesque suos defendere meditabantur. In ipso tamen articulo, ut puto a Deo inspirati, omnes, quasi oves ad pastorem, sic ad episcopum confugientes[o], quid[p] facto opus esset consilium quaerebant. At ille pietatis visceribus affluens, ecclesiam rudem et neophitam bellico tumultu vexari perniciosum sciens, de divina

a) arreptis B 2. b) *deest* B. c) gratis *add.* B 3*. d) *deest* B. e) *verba* iniuriam putet — te rogare *leguntur in* A 2. B*. *reliqui habent* rogare te verecundatur. f) noveris sic B 2. g) enim B 2. h) altari B 2. h*) Quomodo Polizlaus dux advenerit B 2. i) ergo B. k) repleatur B 3*. l) Bolezlaus A 2. m) terrae *add.* A 2. n) *deest* B 2. o) confugiunt et B. p) *repetit* opus B 2.

33) ad Dragam fortasse; vid. supra II, 10. 34) Cf. II, 29. Quod 1126 factum esse vid. infra III, 26. et Ebbo III, 1.

1127. misericordia, simul etiam de Polezlai ducis amicitia, non vane praesumens, bellum simul et causam belli, si modo consiliis eius parere velint, dissolvere pollicetur. Quo audito, illi prudentiam et sanctitatem doctoris sui attendentes, nec sinistre casurum arbitrati negocium, quod ille in timore[a] Domini suscepisset, communi decreto semet ipsos et omnia sua consilia eius sapientiae commiserunt. Assumptis igitur clericis, pater venerabilis sarcinas quidem
Iun. ex. et omnem supellectilem suam ibi[34] relinquens, obviam se parat[b] exercitui, iunctis sibi viris honorabilibus de terra, qui a duce obiectis respondere et omnibus controversiis decidendis
35 hinc inde exortis possent sufficere. Ubi ergo ad castra venit[35], a duce honorabiliter susceptus est, mirumque dictu, quam facile divinis eloquiis animi eius feritate lenita, ad omne quod volebat principem inclinaverit. Ille namque multum protestabatur, non alia ex causa hoc tempore bellum contra eos[c] suscepisse, quam ob iniuriae Dei omnipotentis ultionem et mutui foederis ruptionem, quia et christianismi iura in plerisque locis rediviva paganitate violassent, et initae societatis et compositionis legem minime servassent. Episcopus ergo haec omnia emendatione dignissima fassus, legatosque aliquantulum pro his obiurgans, ad pristinae compositionis pactum partem revocat utramque, sese tunc temporis, quemadmodum et nunc, pacis mediatorem extitisse commemorans. Placabat autem maxime ducem Polaniae Frotizlai[d] ducis fides[36] et devotio ab episcopo laudata, quia et in priori et[e] secunda praedicatione aeque fidelis inventus, multa bona praedicatoribus ostendisset. Stetinensibus vero, quod aliqui ex eis ad errores pristinos revoluti essent, divinae indignationis ac suae illis mandat non defore vindictam, nisi quantocius apostasiae immundicias congrua diluant satisfactione, indulgentia petita doctoris. Dux itaque talibus modis a beato viro mitigatus, licet nimis murmurantem exercitum, utpote praedae avidum, versis
Iul. aquilis ad sua redire praecepit. Porro episcopus voti compos cum legatis rediens, attonitis[f] gregibus suis optatae pacis et securitatis nuncium reportavit. Et quantum illi pridem de metu belli mestificati fuerant et concussi, in tantum alacres facti sunt et in fide christianismi fundati, sane doctori suo ascribentes patriae liberationem; servusque Dei magnificatus est vehementer in terra Pommoranorum. Illi vero nichil meritis suis tribuens, tanto se humiliorem apud Deum et homines exhibuit, quanto sine illius auxilio se nichil posse
37 sciebat; dimittensque nuncios, de quibus supra dictum est[37], marchioni et Saxonibus gratias egit pro bona voluntate, de Dei operibus et de suo statu mandans quae audissent et vidissent ad Dei gloriam narrare.

38 11. *De[g] Verania[h. 38] insula et gente barbarissima.*

Sefridus: Erat autem Unznoimiae[i] illis diebus dux pariter et episcopus. Est autem insula quaedam non longe a civitate illa, habens mare interiectum quasi itinere unius diei, Verania nomine. Sed loci huius[k] incolae duri erant et barbari, singulari feritate crudeles. Hi praedicatione beati viri dudum comperta[l], omnia quae de illo dicebantur aspernati, mortem ei, si ad eos veniret, minabantur. Sed quo amplius duras eorum minas audierat, eo amplius in animo suo fixum habebat illo ire, sperans ibi martirii coronam se adepturum. De hoc vero cum duce et aliis familiaribus suis dum consilium tractaret, propter inmanitatem periculi ab omnibus dissuasus est. Quod aegerrime ferens, ingeniosus agere coepit, quomodo se nescientibus eis illo proriperet[m]. Hoc sentientes illi, cautius eum observabant, nullam secreti opportunitatem, quo id aggredi posset, ei concedebant, salutem illius vitamque longiorem[n] multis utilem ac necessariam memorantes. Verum desiderii magnitudine nichil huiusmodi rationum audire potuit, illos potius modicae fidei arguens, ac pusillanimitatem eorum increpitans, fidem christianam factis magis firmandam aiebat quam verbis satisque[o] inertes praedicatores aeternae vitae, qui pro illa vitam praesentem

a) ut timorem B. b) pergit B 1. c) contra eos *desunt* B. d) Wratizlai A 2. e) in *add.* B 3*. f) ottonicis B 3*. g) Quomodo Veraniam insulam convertere voluerit B 1. Q. V. i. c. v. sed prohibitus presbiterum Uodalricum illo navigio destinaverit, idemque tertio vento repulsus resederit B 2. 3*. *quibus c.* 11 *et* 12 *unum.* h) Verania B 1. *et sic porro.* i) Uznoimiae A 2. k) illius B 2. l) cōpata B 3*. m) porrigeret B 2. n) *deest* B. *excepto* B*. o) merces B 3*.

34) non Gozgaugiae sed Unznoimiae, ut apparet ex Ebbone III, 13. Itaque Otto ecclesia consecrata Gozgaugia illic redierat; de tempore cf Ebbo III, 13. annot. 35) Haec in Pomerania ipsa non fuisse apparet quoque ex Ebbone III, 13. 36) qui ipse advenire iussus est, quod accuratius habet Ebbo l. l. 37) III, 8. 38) Ita cum omnibus paene codicibus et cum Ebbone III, 14. nomen scribendum. Adamo Bremensi et Helmoldo sunt Rani insulae incolae. Vid. Zeuss p. 664. Barthold I, 223. Fabricius Rügische Urkund. I, 66.

expendere formidarent: *Et quid*, inquit[a], *fieret, si in his barbaris nationibus euangelizantes pro Christi nomine omnes occumberemus? Nimirum gloriosior esset praedicatio, quae martirum sanguine firmaretur. Sed, o dolor! de tanto fratrum numero nec unus, puto, dignus habebitur*[b], *morte sua vitae quam speramus perhibere testimonium.* Atqui verbis talibus verecundia nata est trepidantibus[c]. 1127

12. *De Udalrico sacerdote illuc directo euangelizandi gratia.*

Udalricus autem venerabilis sacerdos constantior factus, sciens hoc etiam seni placere, huic[c*] se periculo intrepidus offerebat, comitem tantum et viae[d] ducem postulans[39]. 39 Accepta igitur benedictione[e], paraturam sacerdotalem, calicem quoque ac librum et caetera, quae faciendae missae ratio postulat assumens[f], navem conscendit. Sed nos videntes fratrem nostrum unice carum solum ad martirii palmam properantem, cum dehortari eum non auderemus[g], viam eius lacrimis uberioribus prosecuti sumus. Qui horis quasi tribus prosperis flatibus navigans, fere iam ab oculis nostris ablatus fuerat, et ecce, tempestas oritur, ventisque contrariis ratem[h] huc illucque pellentibus, viam tenere non potuit, sed ad littus unde exierat post multam fatigationem appulsus est. Ille vero, tametsi tempestatis iniuria[i] et imbribus desuper irruentibus, et procellis navem deorsum implentibus, totus esset madidus vixque spirare videretur, a coepto desistere noluit, neque ad terram exivit[k], sed sedens in navicula tranquillitatem maris expectabat, interim aquam[l] de navi vasculo proiciens. Ventis itaque paululum sedatis, iterum navigare coepit[m], iterumque simili modo impeditus est. Tertia quoque[n] vice ire temptans, sed nichilominus nocte ac tempestate ingruente, ponti[o] saevitiam vix et quasi per miraculum evasit; tempestas vero infra 7 dies non cessavit[40]. 40 Intellexit ergo vir Dei Veranos euangelicae gratiae indignos, currensque cum clericis discipulum, quasi de palestra coronatum, de littore ducit[p] ad tectum, super ipsius constantia fideique magnitudine Dominum benedicens. At ubi coenatum fuit, fratres de navigatione Uodalrici iocari coeperunt: *Et quis*, inquiunt, *si perisset homo, reus homicidii teneretur?* Adalpertus[q] autem interpres, cui maxime factum displicuerat[r]: *Quis iustius*, inquit, *homicidium lueret, quam is qui*[s] *hunc*[t] *ad tale periculum direxit?* Verum episcopus, quamvis ab eodem fratre de hoc verbo ante pulsatus fuerit[u], nil motus, ad euangelium se convertit, et exemplo domini Iesu[v] discipulos quasi oves inter lupos mittentis, factum suum defendit. *Quis enim*, ait, *homicidii reus tenebatur, discipulis qui a Domino mittebantur interfectis? Qui oves ad lupos misit, profecto a lupis oves devorandas*[w] *scivit. Devoratae sunt oves a lupis, interfecti sunt apostoli a tirannis.* Deinde parabolam hanc[x] facto suo coaptans, plena rationis doctrina discipulos animavit, dignisque exhortationibus in gaudio spirituali magnam partem noctis expendit[y]. Et mane facto, quidnam agerent vel quo diverterent, inter se tractabant. Verum haut diu nutabundi[z], quod superfuit de opere in agro Domini, coloni fideles inter se distribuunt, aliis retro ad Thiminam, aliis autem ad alia loca euangelizandi gratia divertentibus.

13. *De*[*] *apostasia Stetinensium, et quomodo episcopus illuc ire volens prohibitus sit.*

Sefridus: Episcopus vero ad Stetinam iter proposuit cum ministris suis, de apostasiae nequitia[a] in spiritu vehementi arguere[b] superbos. Sed clerici, qui cum ipso ituri erant, Stetinenses barbaros et crudeles agnoscentes, suae pariter et illius saluti metuebant. Unde ne illuc veniat, dehortantur studiosius. Cumque illi molesti essent: *Video*, ait, *tantum ad delicias venimus; quicquid asperum vel*[c] *difficile occurrit, totum declinandum iudicamus. Sed esto! nam ad gloriam martirii sicut nullum cogere volo, ita, si posset fieri, omnes vos hortari vellem. Rogo autem, si iuvare non vultis, saltem ne me impediatis. Suae vitae potestatem*

a) inquam B. b) habetur B2. c) *incipit caput inscriptum* de eodem supra B2. c*) huic laus B3*. *ubi* se — postulans *desunt.* d) me B*. e) sumens *add.* B1. f) *deest* B. *excepto* B*. g) possent B. h) ratem — sed *desunt* B2. i) iniuriam B2. 3*. k) exire voluit B. l) aqua B2. m) *ita corrig. codd.* coeperunt. n) itaque B2. o) maris B2. p) duxit B2. q) Adlbertus B3*. *ita semper.* r) displicuit B1. displicebat B2. s) quis B3*. t) eum B. u) fuerat B2. v) *deest* B. w) devorandos B2. x) *deest* B. y) expendebat B2. z) domini *add.* B2. *) Quomodo sociis, ne ad Stetinam iret, dehortantibus, solus iter adgressus sit B1. et retractus, comites viae eos acceperit B2. 3*. a) *deest* B. b) increpare B. c) et B.

39) De quibus Ebbo III, 14. 40) Post reditum ex finibus Pomeraniae medio mense Iulio Otto diutius mansit quam una hebdomada, itaque vix ante finem mensis Usedomam reliquit.

1127. *habeat unusquisque; liberi estis vos, liber et ego. Dimittite me michi, obsecro.* Et eiectis omnibus, sese in cubili suo usque ad vesperam[a] in orationem dedit. Deinde vocat puerum familiarem, praecipiens ut, clausis undique ostiis, a se omnes dimoveat, nullumque admittat sine sui conscientia. Quo facto, secreti sui compos, fugam meditatur; itineralia induitur, succingitur, indumenta sua sacerdotalia cum libro, calice aliisque utensilibus in mantica[b] ponens, omnia in humeros[c] levat, tectusque umbra noctis, clam, cunctis nescientibus, incomitatus urbem egreditur, viam carpens quae vergit Stetinam. Cumque aspexisset[d] huc atque illuc, et nullum comitari se videret, laetus et alacer de prosperitate furti, Deum benedicens, matutinale inchoat officium, gliscens et properans totum iter nocte illa complere. Cumque nocturnus viator viam ardenter carperet, hora noctis decima iam instabat. Clerici autem e diversis stratis consurgentes, cum ad dicendas matutinas se colli-
42 gerent, quidam ex eis[e. 42] suspenso gradu ad cubiculum pergunt episcopi, utrum dormiat an vigilet, vel quid agat, explorare cupientes. Verum ubi propius propiusque admoti, episcopum non inveniunt, consternati sunt animo. Et diligenter omnia scrutantes, cubicularium ipsum[f] et alios qui iuxta erant crebro sciscitantes, quod factum fuerat tandem ediscunt. Quid multis? Turbantur omnes, aliique pedibus, alii vero ascensis equis, huc illucque pontificem[g] quaesituri discurrunt. Factoque mane, hii[h] qui in equis fuerant, directo calle ac concito gradu versus mare viam insequuntur abeuntis, et abeuntem consequuntur. At ille ubi eminus venientes navem iam intraturus[i] agnovit, turbatus est valde, et altius ingemiscens: *Heu,* inquit, *domine Iesu, unice Dei, unice virginis, dulce nomen spei meae, numquid fraudabis me a desiderio meo? Fac, oro, ut hii, qui veniunt*[k], *aut mecum eant, aut me a proposito meo non impediant.* His dictis, illi accurrebant, moxque ab equis desilientes, pedibus illius prosternuntur. Sed quid? prosternitur et ipse; levant[l] illi, levat[m] et ipse; flebant illi[n], flebat et ipse, vocemque moeror ac tristicia[o] et his et huic[p] diutissime interclusit. Tandem post multas lacrimas in hanc vocem senior moestus erupit[q]: *Ad quid venistis? Redite, quaeso, ad hospicium, et ego pergam viam*[r] *quam coepi.* At illi: *Absit,* inquiunt[s], *sufficit nobis haec tam grandis confusio; amodo te nequaquam deseremus. Si redire vis, laeti*[t] *redibimus tecum; sin autem progredi mavis*[u], *tecum progrediemur*[v]. *Sed placeat sanctitati tuae consilium nostrum. Redeamus pariter ad fratres*[w] *et ad pueros nostros hodie; cras, ecce,*
43 *coram Deo loquimur, sive in mortem sive in vitam*[x] *tecum veniemus*[43].

14. *Quomodo*[y] *tandem illuc pervenerit, et quae pericula illic invenerit.*

Iul. ex. *Sefridus:* Tali ergo pacto episcopus cum eis[z] reversus, crastina die omnibus se comitantibus eandem viam ingreditur, ascensaque[*] navi prosperis flatibus Stetinam vecti sumus. Homines autem de civitate inter se divisi erant, aliis adhuc in fide manentibus,
44 aliis autem ex maiori parte ad paganismum reversis. Fuit autem basilica[44] ante introitum civitatis in area spaciosa, quam ipse in priori profectione dedicaverat; quam ingressi, hospitari coepimus[a]. Fideles igitur[b] de adventu episcopi gaudebant, infideles autem turbabantur. Prae omnibus autem[c] nefandi sacerdotes furere et furorem in turba excitare festinant[d], adeo ut collecta manu armatorum ecclesiam undique cingerent, et insanis tumultibus debachantes, aedem ipsam convellendam[e], et omnes qui ibi erant[f] cum magistro[g] interficiendos clamarent. Episcopus vero[h] martirii avidus, pontificalibus se induens, arma sua, crucem tollit et reliquias, psalmosque ac ymnos cum clericis personans, agonem suum Domino commendabat. Barbari vero audito cantu mirati sunt valde, quod quasi in articulo mortis positi cantare potuissent. Et auscultantes mutuoque se invicem[i] respicientes, virtute, ut puto[k], verborum incantati, clementius se habere coeperunt, et iam non viribus sed ratione magis opus esse dicebant, ad talia recipienda vel etiam propulsanda.

a) in or. d. u. ad v. B 2. b) sua sua *add.* B 2. c) suos *add.* B 2. d) circumspexisset B. e) ex eis *desunt* B. f) episcopi B. g) episcopum B. h) hii *semper* B. i) iam intraturos naves A 2. k) veniant A 2. l) levantur B. m) levatur B. n) *deest* A 2. o) ac tr. *desunt* B 1. p) et — huic A 2. B*. utrinque *rell.* B. q) prorupit B. r) via B. s) domine *add.* B 2. t) *deest* B. u) pr. mavis *deest* B 2. v) gradiamur tecum B 2. w) nostros *add.* B 2. x) omnes *add.* B. y) Quomodo sequenti die Stetinam intraverit et praedicaverit B 1. 2. 3*. z) cum suis episcopus B 2. *) ingrederunt accens. B 3*. a) *ita leg. codd.* coeperunt. b) itaque B 1. 2. atque B 3*. c) vero B. d) *ita* A 2. B*. e) destruendam B 1. f) una *add.* B. g) ministro, *al. man. correctum in margine* magistro B 2. h) itaque B. i) *deest* B. *excepto* B*. k) utpote B.

42) Udalricus; Ebbo III, 15. 43) Paucis tantum hanc mentem fuisse cf. Ebbo I. l. 44) S. Petri; Ebbo II, 1. III, 15.

Dein[a] sapientiores quique super his rebus ipsos sacerdotes secretius conveniunt, ipsorum 1127. esse dicentes congruis rationibus religionem suam defendere. Talia inter se mussitantes, paulatim ad sua digrediuntur. Erat autem 6. feria[45], et episcopus cum suis illa die sabba- Iul. 29. toque[b] ieiuniis et orationibus sacrisque meditationibus usque in diem dominicam intentius operam dabat.

EX ANONYMI VITA OTTONIS.

15.[c] *De Witscaco nobili viro*[d] *quomodo a vinculis sit ereptus.*

Interea civis quidam nobilis eiusdem civitatis Witscacus[e] nomine, in conventu populi, in plateis et domibus, ubicunque et quandocunque facultatem habuit[f], regnum Dei et fidem praedicare non desiit, christianas traditiones et omnia documenta[g] episcopi sana et sancta et veritatis plena contestans. Hic etenim non longe ante adventum piissimi[h] Ottonis cum aliis concivibus suis piraticam contra paganos[46] exercendo, dum incautius 46 ageret, in hostes inciderat, multisque ibi trucidatis, cum aliis vitae relictis in captivitatem ductus fuerat. Cumque ferro et catenis et tenebrosi carceris custodia clauderetur, orando ad Dominum per merita episcopi liberatus fuit[i]. Nempe cum diuturna oratione fatigatus in somnum resolutus esset, episcopum Ottonem, qui eum baptizaverat et de sacro fonte levaverat, sibi assistentem videbat. Quem dum ille cognosceret, rogat iterum et genua flectit pro ereptione. At ille: *Ad hoc ipsum*[k], inquit, *veni; sed tu liberatus, ea quae Stetinensibus mando, ferre non dubites.* Et mox datis mandati verbis, et signo crucis ad eum facto, captivum exire iubet. Expergefactus homo de visu laetatur[l], movet gressum, effectum probat visionis. Et ecce, catenae omnes et vincula solvebantur, progreditur ad ostium, et carcer apertus erat. Sentit ergo virtutem adesse divinam, altumque suspirans gratias agit omnipotenti Deo, ac timido gressu invisam[m] domum exivit, suspectisque locis leniter transitis, cursum ad mare tetendit, diuque huc et[n] illuc discurrens navem quaerebat, sed nullam inveniens admodum anxiari coepit; nam se denuo capi, denuo incarcerari metuebat. Sed quid faceret? Ad ultimum, formidine maioris[o] mali, cum iam sine remige corpus in undas pararet mittere, Ottonem suum nominans, ingemuit ad Dominum. Et ecce, de insperato cimba littori adlabitur, quam sibi a Deo paratam videns, cum gratias egisset, ascendit, et utrisque[p] manibus fluctus verberans, ratem convertit in altum, mirumque dictu, quam citissime prosperante Deo patriis appulsus est oris. Quod miraculum assiduo relatu notum fecerat, et Stetinam veniens, responsa episcopi civibus in unum congregatis, ut iussus erat, praemissa ex ordine liberatione sua, ita exposuit: *O cives, doctor et magister noster beatus Otto sic et sic fecit michi, et haec mandat vobis. Gravis et dura nimis ab omnipotente Deo vindicta super vos et super civitatem istam ordinata est, pro eo quod eius fidem et culturam polluitis, partim cum eo, partim pro eo idolis servientes.*

16. *De sacerdote idolorum altare Domini malleo*[q] *confringente sed ultione divina*[q] *punito.*

Nefandi quippe sacerdotes, dum peste ac mortibus homines et iumenta quodam anno[47] ex inaequalitate aeris ibi laborarent, a diis hoc malum immissum esse dicebant, et 47 ex voluntate populi ecclesiam sancti Adalberti[r] martiris, tintinnabulo et campanis deiectis, destruere coeperunt; unusque illorum dum malleo cementarii altare percuteret, subito languore ac stupore a Domino percussus est. Cumque malleus de manu eius caderet, cecidit et ipse. Deinde post longum spiritu parum resumpto, populum astantem, quasi ex plaga emendatus, sic adorsus est[s]: *Frustra, o cives, nitimur; Deus christianorum fortis est, et nostra*[t] *vi a nobis expelli non potest. Michi autem consilium videtur, ut illum habeamus, et tamen antiquos deos nostros non dimittamus, et iuxta illius aram nostris quoque diis aram constituamus, ut eos omnes pariter colendo, illum et istos pariter habeamus propicios.* Quid faceret populus? Territus prodigio consilium probavit, exstructoque nefando altari iuxta

a) deinde B2. b) salbatoque B2. c) *sequentia tria capita desunt* A2. d) nob. viro *desunt* B2. e) nutiscacus B2. f) *ita* B*. *rell.* facultas data est. g) dogmata *expuncto ita correxit eadem manus* B1. h) pii B2. i) sit B. k) *add.* B*. l) letus efficitur B2. m) invisam — transitis *desunt* B2. n) *deest* B2. o) *add.* B* p) m. ambabus B*. q) *desunt* B1. r) Adlberti B2. s) ait B2. t) vestra virtute a vobis B*.

45) Si in computationibus supra et ad Ebbonem III, 13. datis stare liceat, erat 29. Iul. et dies dominica decima Trinitatis 31. Iul. 46) Danos 1126; accuratius haec Ebbo III, 2. 47) 1126; cf. Ebbo III, 1.

1127. dominicum altare, Deo servierunt et daemonibus, iuxta historiam antiquitatis, qua dicitur, quod populus Samariae deos gentium colens, nichilominus Domino serviebat.

17. *De*[a] *constantia Witscaci et praedicatione episcopi.*

Witscacus ergo fidei zelo calens, non semel aut bis legationem quam acceperat egit ad populum, sed ex quo a captivitate rediit, numquam cessavit euangelizare regnum Dei[b], misericordiam Domini et merita liberatoris sui civibus inculcans, et nisi ab errore quiescant, divinam eis ultionem intentans. Tota vero[c] civitas, exceptis sacerdotibus, factum hoc cum veneratione mirabatur[d], et tamen praevalente consuetudine a paganismi ritibus cessare non poterant. Sed iam de praesentia domni episcopi responsalis eius audentior factus, linguam laxat eloquio, victorque idolorum et vatum vana de his vaticinantium, ad servum Dei veniens cum amicis et cognatis suis, pronus adorat, gratias agit, remque[e] omnem refert ex ordine, ipsumque ardenter ad opus praedicationis instigat, auxi-
Iul. 31. lium ei et consilium ex sua suorumque parte ad omnia pollicitus. Itaque die dominico, completis missarum sollempniis, sicut erat sacra indutus armatura, vexillo crucis ex more praelato, in medium fori civitatis duci se rogavit. Cumque ad portam ventum esset, ecce, per quam sine remigio trans mare Witscacus vectus erat, navicula poste pendebat, et admotus lateri pontificis: *Vides*, ait, *pater?* Et feriens eam hasta: *Haec*, inquit, *cimba testimonium sanctitatis tuae, firmamentum fidei meae, argumentum legationis meae ad populum istum.* Erat autem alveus[f] brevissimus, qui a duobus facile portaretur. Substitit episcopus et diligenter rem considerabat, perpenditque, quod in pacatissimo amne vix, conto[g] gubernatus[h], unam personam portare sufficeret, nedum in fluctibus marinis sine omni gubernaculo, nisi hoc divinae virtutis esset gubernaculum. Gratias agit Deo beatus[i] antistes, quod incredulae genti virtutem suam tali facto demonstrasset. Liberatus autem subridens[k]: *Hanc idcirco suspendi feci ad portam, ut ingredientes sive egredientes facto hoc discerent, quid in suis necessitatibus de Dei misericordia ac de tuis meritis, sanctissime pater, sperare deberent.* His dictis in confertissimas paganorum turbas, ministris comitantibus in
48 medium forum sese contulit episcopus. Erant autem[l] ibi gradus lignei[48], de quibus praecones et magistratus ad populum concionari solebant[m]. In quibus stans minister euangelii, sermonem coepit; fremitum vero dissidentis populi Witscacus vice praeconis manu et voce sedabat.

EX HERBORDI DIALOGO.

18. *De*[n] *impietate sacerdotis impedientis episcopum, et de correcta populi multitudine.*

Sefridus: Cumque omnes conticuissent, et verbum exhortationis pars maxima libenter audiret, ecce, unus sacerdotum, vir Belial, plenus furore, pinguis et procerus, in medium turbae sese fortiter intrudens, cambuccam suam manu gestabat, spiransque et anhelans usque ad ipsos gradus accessit, levataque manu semel et bis columpnam graduum validissime percussit. Dein clamore magno et verbis nescio quibus contumeliose prolatis, silentium mandat loquenti, suaeque vocis grossitudine magnum tonans, sermonem interpretis et episcopi pariter oppressit, populoque ait: *Sic, o insensati*[o], *stulti et inertes, quare decepti et incantati estis? Ecce, hostis vester, et hostis deorum vestrorum! Quid expectatis? Feretne impune contemptum et iniuriam?* Omnes autem incedebant hastati. Ait ergo[p]: *Haec dies omnibus erroribus eius finem imponet!* Omnesque adhortans, singillatim quosque de quorum malignitate certus erat, propriis nominibus compellabat[q]. Et quicunque spiritu vesano agitabantur, quibusque familiare fuit audacter magis[r] quam consulte rem[s] agere, ad dicentis vocem inflammati, hastas levant. Quas dum ad iaciendum vibrant, actu rigent in ipso, mirumque dictu, nec hastas iacere, nec demittere[t] dexteras, vel de loco moveri poterant. Stabant igitur ut simulacra immobiles, fidelibus et religiosis facti spectaculum.

a) De adventu episcopi B2. 3*. b) et *add.* B2. c) ergo B1. d) mirabantur B2. 3*. e) *ita* B*. referens o. ex o. rem *rell.* f) *ita* B*. alnus B. *rell.* g) remo B1. 2. 3*. h) gubernata *codd.* i) Deo sanctus B2. k) *deest* B2. subriclus B3*. subiunxit h. ait *add.* B1. l) *deest* B2. m) soliti erant B*. n) Quomodo hastis eum appetierint, sed in manibus eorum diriguerint B1. 2. 3*. divino iudicio *add.* B2. o) et *add.* B. p) sacerdos *add.* B. *exc.* B*. q) appellabat B1. r) magna B3*. s) *ita* A2. B*. *deest rell.* t) dimittere B2.

48) Ebboni III, 15. pyramides. Vid. Hering Beiträge zur Topographie Stettins. Balt. Stud. X, 1. p. 8.

Quotquot enim erant infideles et maligni, qui a fide christianismi defecerant, et in infide- 1127. litate sua pertinaci dementia stantes, impias manus contra servum Dei levaverunt, hac poena tam diu mulctati stabant[a], quousque in sua fide boni firmarentur, et illi a pravitate cordis per poenam corporis corrigerentur. Nam et episcopus arrepta miraculi occasione: *Cernitis,* inquit, *fratres, quanta sit potentia Domini. Certe, ut video, divinitus ligati estis. Quare non iacitis hastas? Quare non demittitis dexteras? Quamdiu in hoc nisu apparebitis?* Illi autem, nescio an prae confusione an prae stupore, nichil respondebant. Tunc ille: *En,* inquit, *dii vestri, pro quorum religione certatis, si quid possunt, auxilientur vobis. Sed et iste vester tumultuosus sacerdos invocet nunc deos suos super vos, det consilium, det auxilium! Si quid novit, si quid potest, iam tempus est.* Ille vero iamdudum eventu[b] rerum stabat attonitus, iam ulterius nec mutire praesumens. Cumque ingenti pavore omnes silerent, episcopus miseratione tactus: *Gratias,* inquit, *tibi, domine Iesu Christe, qui potentiam fortitudinis tuae, cum tempus est, ad terrendos adversarios et ad protegendos servos tuos exercere soles. Sed quia*[c] *pius et misericors es, ignosce*[d], *rogamus, ignorantiae sive*[e] *temeritati populi huius, et usum*[f] *corporum suorum, quo te ligante privati sunt, solita illis*[g] *miseratione restitue!* Quo dicto, crucisque signo ad eos facto, effectus orationem mox insecutus est. Et subiungens: *En,* inquit episcopus, *si audire hactenus noluistis, tangite saltim et sensu ipso probate, quanta sit misericordia Dei nostri, quanta sit veritas fidei quam praedicamus vobis;* et longius de iudicio et misericordia Dei et de praesentis vitae incerto et perseverantia aeternorum profunde disputans, conterritos[h] in Syon peccatores erudivit, tandemque medicamine salutaris eloquii aliquantulum mansuefactos benedixit, et coetum dimisit. Descendens vero de gradibus, ecclesiam sancti Adalberti cum fidelibus, zelo zelatis pro domo Dei, visitavit[i], ac praemissa inibi orationis sollempnitate, altare abominationis fregit, comminuit et eiecit; factaque reconciliationis emundatione, fracturas basilicae suis impensis emendari[k] fecit.

19. *De*[l] *pueris in plateis ludentibus.*

Sefridus: Cumque saepius[m] eandem frequentaret ecclesiam, quodam tempore pueros in platea ludentes invenit[49]. Quos dum lingua barbara[n] salutasset, veluti[o] coniocando illis, 49 etiam crucis signo in[p] nomine Domini eos benedixit, et paululum procedens, animadvertit[q], quod universi, relictis ludis suis, visendi studio collecti, a tergo sequuntur episcopum, hominum ignotorum, ut est mos illi aetati[r], aspectum habitumque admirati. Substitit homo Dei, et circumfusos blande alloquens, sciscitatur, si aliqui ex eis baptisma percepissent. Illi se mutuo respicientes, coeperunt invicem prodere, qui fuerint[t] ex eis baptizati. Quos episcopus seorsum vocans, quaerit ab eis, si voluntatis eorum sit, tenere fidem[u], quae ad baptismum spectat an[v] non. Illis autem se tenere velle constanter affirmantibus, episcopus: *Si,* inquit, *christiani esse vultis, et fidem servare baptismi, istos non baptizatos et infideles pueros ad ludum vestrum admittere non debetis.* Qui statim iuxta verbum episcopi similes cum similibus congregati, pueri baptizati non baptizatos a se abicere et abominari coeperunt, nulla eis ludi societate communicantes. Itaque videre pulchrum erat, quomodo hi[w] de professione christiani nominis gloriantes, familiarius agere et avidius intueri et audire doctorem etiam inter ludos suos[x], illi autem, quasi de infidelitate confusi[y] et exterriti, a[z] longius stare solerent[*]. Sed pater optimus et credentes miti sermone ad fidem plenius pro ipsorum capacitate instruxit, non credentes vero ad credendum tam diu exhortabatur, quousque se baptizari et christianos fieri omnes flagitarent

20. *De*[a] *consilio maiorum et fidelitate Witschaci.*

Sefridus: Interim vero maiores natu et sapientiores quique, de rebus istis altius inter se tractaturi[b], consederant, et a mane usque ad medium noctis huic deliberationi vacantes,

a) sunt mulctati B. b) eventum B2. c) *deest* B2. d) *repetit* B1. 3*. e) seu B. f) usu A2. g) usus B1. eis B2. h) *ita* A2. B*. contritos *rell.* B. i) intravit B. k) emendare A2. l) Quomodo pueros christianos a pueris paganis separaverit B1. 2. 3*. pueris *deest* B1. m) sepe B2. n) barbarica B2. o) wlti B3*. p) in n. d. *desunt* B. q) intellexit B. r) ut e. m. i. aetati homin. ignotor. B1. t) fuerant A2. B*. u) fidem — tenere *desunt* B3*. v) vel A2. B*. w) hi pro defensione B1. x) coeperunt *add.* B1. y) confisi B2. 3*. z) a *add.* B2. 3*. *) *deest* B. a) Quomodo Witscacus ad episcopum veniens verba ei populi nuntiaverit B1. 2. 3* b) tracturi B3*.

49) Quod non eodem die, sed tempore constitutae pacis sine dubio factum est. Paullo aliter Klempinus p. 134.

1127. de salute propria et totius populi, de statu civitatis et conservatione patriae secundum prudentiam saeculi diligenter disputabant. Praecipue autem universa quae Ottonis erant dicta vel facta examussim[a] trutinabant, et mediante Spiritu sancto in hanc sententiam omnes communiter cedunt[b], ut funditus exstirpata idolorum cultura[c], ex integro se religioni christianae submittant; atque in hoc verbo concilium solvunt. Witscacus autem[d], qui omnibus his intererat, nocte ipsa cum paucis ad episcopum veniens, optatum nuncium affert, omne consilium ei breviter insinuans. Dein etiam collectis ad episcopum clericis et aliis familiaribus, omnia quae audierat, quaeque in concilio de ipso dicta fuerant, scilicet[e] ordinem liberationis ipsius[f] qui loquebatur, et de miraculo, quod hastas vibrantes contra episcopum pridie obriguerant, et quod adhuc latebat episcopum, quando ad ecclesiam cum ministris per plateam praeparatus incedebat, tantus splendor vestium apparuit, ut[g] maligni homines, qui ad eum necandum ex insidiis veniebant, nimiae claritatis aspectu in fugam, territi ac turbati, versi fuerint, denique virum illum, virum[h] Belial, sacerdotem, qui ei concionanti ad populum impedimento fuerat, ab ipsis civibus eiectum nunciat. Porro apud eos eius liberalitatis et elemosinarum inaestimatas[h*] largitiones, et captivorum redemptiones, quodque[i] sine magna recompensatione[k] nullius eorum opes vel substantiam oblatam contigerit, suis impensis sese atque suos transigens, etiam basilicas exstrueret, destructaque reaedificaret; omnia haec[l] quantae venerationis quantaeve admirationis habita sint, cum
Aug. 15. gaudio referebat. Igitur de mane consurgens episcopus, et cum gratiarum actione missas celebrans, convenientes[m] cives iterum alloquitur, et pronos atque obedientes ad omnia in-
50 venit[50]. Quicunque enim[n] sese apostasiae vicio inquinaverant[o], Spiritus sancti virtute faciente compuncti, per manus impositionem in fonte lacrimarum suarum loti, ecclesiae sanctae reformantur. Pueri vero, et quicunque sacramentum baptismi nondum erant consecuti, baptizantur; fana destruuntur, ecclesiarum fracturae solidantur, si quae destructae fuerant, reparantur. Omnis ergo populus iam quasi vir unus id ipsum sapiebat in Domino, gaudet episcopus, laetantur sacerdotes: *Magnificata sunt*[p] *in consilio iustorum opera Domini!*

21. *De*[q] *insolita piscatura.*

Sefridus: Praeter hanc autem spiritualis laeticiae occasionem, divina bonitas[r] illi civitati etiam de inopinato corporale commodum exhibuit. Nam immensae molis ac magni-
51 tudinis[s] rombonem[51], circa portus et naves se ostentantem, piscatorum manus ad litus
Aug. eiecit in mense Augusto, cum tamen in locis illis talis captura non nisi vernali tempore occurrat. Ex cuius carnibus ac pinguedine omnes cives partes capiunt, et episcopo, cuius meritis hoc munus asscribebant, plus quam absumere[t] cum suis omnibus posset[u], apportant.

22. *De*[v] *incisione nuceae arboris et periculo episcopi.*

Sefridus: Verumtamen laetis eventibus temptatio non defuit. Nam cum delendis et exstirpandis fanis idolorum et sacris diligentius insisteret episcopus, etiam arborem nucis[w]
52 mirandae pulchritudinis idolo dicatam, ne scandalo esset rudibus, volebat incidere[52]. Vicini autem, qui umbra eius et amoenitate saepius delectati fuerant, ne incideret eam, rogabant. Porro agri[x] possessor vehementius irasci atque indignari coepit, aliisque modeste agentibus, hic minis et clamoribus longius assistens, furorem cordis evomuit. Itaque quasi paululum furore sopito, silenter[y] a tergo accedit, nulloque sperante, securim bellicam utrisque

a) diligenter A 2. b) conveniebant et ecclesiae B 3*. c) idolatria B. d) vero B. e) secundum B 2. 3*. f) eius B. g) in B 3*. h) *deest* B 2. h*) inaestimatae *codd.* i) quoque B. k) et quod *add.* B. l) hic B 3*. m) concurrentes B. n) vicio *addit hoc loco et post* B 2. o) inquinaverunt B 2. p) magnifica fiunt B 3*. q) De rombone tunc a piscatoribus capto B 1. 2. 3*. r) divinitas omnipotentis B 1. 3*. dei *add.* B 2. s) ac m. *desunt* B. t) assumere B 2. u) possent A 2. v) Quomodo Domino protegente ictum securis evaserit B 1. 2. 3* w) nuci B 1. x) agitur B 3*. y) *ita* A 2. B*. silentio B. *rell.*

50) Paucissimis his verbis generale illud colloquium, ut videtur, absolvit Herbordus, de quo accuratius retulit Ebbo III, 16. Ultima enim civibus proposita est quaestio, utrum Christi doctrinam amplecti an potius idolorum cultum retinere vellent. Hoc mense Augusto factum esse apparet ex capite sequenti; et quidem circa diem 15 Aug. ex Ebbone III, 16; itaque minime altero die post illam orationem a Witscaco habitam, ut coniici possit ex Herbordi verbis. Cf. Klempin. p. 130 sqq. 51) De hoc pisce incerti generis vid. Barthold II, 9 an. 1; L. Giesebrecht Wend. Gesch. II, 326 an. 1. 52) De alia arbore sacrata vid. supra II, 31.

manibus levans, caput episcopi ferire nisus est. Sed illo praesentiente atque in aliam 1127. partem se rapiente[a], bipennis casso vulnere in trabem pontis, iuxta quem stabant, perlata est tam fortiter, ut a feriente reduci non posset. Accurrunt omnes, comprehendunt, trahunt,[b] tundunt[c] infelicem illum, et nisi[d] per interventum episcopi[e], eadem securi trucidassent.

Tiemo[f]*:* Hic forte, hic aliquis grunniet malivolus auditor. Nam et ego quoque miror — si ita est, ut asseris — qui alias ad martirii palmam ultro se ingerere paratus fuit, quod hunc tam validum ictum non suscepit. *Qui enim totiens mortem appetiit,* dicet aliquis, *quare nunc venientem non sustinuit?*

Sefridus: An nescis, aliud esse ex consilio et fortitudine mentis corpus morti obicere, digna exsistente aliqua necessitate, atque aliud ex infirmitate carnis eandem pertimescere? Sed hoc etiam considerare potes, quod non de agone passionis tunc temporis cogitabat, sed magis de arbore nucis, de cuius incisione cum civibus tractabat. Et si altius rem contemplari volueris, animalis spiritus naturaliter exterioris substantiae salutem, quantum in ipso est, tueri solet — appetit conducibilia, fugit contraria — quem tamen interna mentis ratio saniori consilio a conducibilibus interdum abstrahit, et contrariis passionibus affligit. Nichil ergo mirum, si ratione alias intentus, teneritudine oculorum faciente venientem ictum expavit. Denique divino etiam nutu hoc factum arbitror, scilicet ne multis aliis adhuc profuturus ibi occumberet, neve a christianis, qui nuper fidem susceperant, vel etiam amissam receperant, et in novitate reconciliationis et gratiae divinae doctor ipse interfectus praedicaretur.

23. *De*[g] *profunda inclinatione Adelberti presbyteri post evasionem periculi.*

Sefridus: Ottone sic a periculo liberato, et percussore suo de manibus percutientium salvato, inter astantes[h] Adalbertus presbiter, ad Teutonicas partes se vertens, profundius inclinat, Deo et sancto Michaheli in Babenberg et fratrum orationibus gratias agit pro salute. Et conversus ad episcopum: *En,* inquit, *scutum orationis fratrum et protectio sancti Michaelis archangeli!* De arbore vero ne incideretur, tandem cives multis precibus obtinuerunt, iureiurando firmantes, nichil unquam divinitatis vel[i] sanctitatis arbori sese adscripturos, neque numinis vel idoli alicuius vice se illam habituros, sed magis pro utilitate fructuum et amoenitate[k] umbrarum.

24. *Quomodo Stetinenses fidei reconciliatos duci suo reconciliaverit, et de interitu sacerdotum episcopo insidiantium.*

Sefridus: Omnibus ergo quae ad cultum fidei spectant rite illic ordinatis, dum ad alia loca ire[l. 53] pararet, ab universis natu maioribus et prudentioribus civitatis rogatus est, ut, 53 quia Deus cum illo erat et multa bona eis ostenderat, ducem Frotizlaum[m], cuius offensam gravibus culpis incurrerant, eis placare studeret, atque hoc facto cuncta circa se studia sua deauraret. Annuit; eligit viros honorabiles, aptos[n] ad responsa reddenda vel[o] accipienda, ducem adit[54], preces fundit, accusat populum et excusat. Deinde potenti[p] suadela mitigat Sept. indignantem, iubet, obsecrat, facit compositionem, pacatisque ad perfectum omnibus, legatus[q] cum legatis[r] pacem affert civitati[55]. Hinc toti ecclesiae valefaciens, miris affectio- 55 nibus Iulinam ire dimittitur. Maligni vero sacerdotes, pleni demonibus, cum iam aperte non possent, vel per insidias servo Dei nocere moliti sunt. Conducta etenim[s] magna sicariorum multitudine[t. 56] viam abeuntis in arctioribus navigii locis obsederunt, suis amicis, 56 istarum rerum[u] nesciis, mortem episcopi quasi per divinationem praenunciantes. At ubi ad insidias ventum est, hostes arma[v] arripiunt[w], funambulos tenent, navigantes invadunt,

a) ruente B. b) et *add.* B1. c) *ita* B1. 2., tradunt A2. cindunt B3*. d) *deest* B3*. e) episcopus intervenisset B1. f) Tiemo — interfectus praedicaretur *desunt* B. g) De sacerdote idolorum episcopum persequente, iudicio Dei (i. D. *desunt* B1. 3*.) paralisi percusso et statim (*deest* B1. 3*.) mortuo B1. 2. 3*. *capp.* 23 *et* 24 *unum.* h) inter ast. *desunt* B. *excepto* B*. i) nichil B1. k) commoditate B1. utilitate B2. l) iter B. *excepto* B*. m) Wratislaum A2. Fructizlaum B. n) *ita* A2. B*. *deest* B1. 2. 3*. *in quibus post* accipienda *legitur* idoneos. o) sive B. p) omnipotenti B2. q) missis B1. 2. 3*. r) cum eo legatis B1. 2. 3*. s) enim B2. t) manu B1. 2. 3*. u) *deest* B1. v) *in margine alia manu* B2. w) corripiunt B.

53) Usedomam redire volebat; Ebbo III, 20. 54) Dux tunc erat Caminae; Ebbo III, 23. Sed verius sine dubio Ebbo, secundum quem prius Iulinam dein Caminam profectus est Otto. Ultimis diebus mensis Augusti Otto reliquit Stetinam, Ebbo III, 17; sequentia igitur mensi Septembri assignanda sunt. 55) Et in hoc praeferendus Ebbo III, 23, qui refert legatos solos, non Ottonem Stetinam rediisse. L. Giesebrecht Wend. Gesch. II, 328, an. 2. 56) 84; Ebbo III, 20.

1127. sanguinem episcopi super omnia sitientes. At vero Stetinenses et nostri[a] qui cum episcopo erant arma rapiunt, ex rate prosiliunt, partim terra partim aqua consistunt, vim[a*] viribus audacter arcentes. Cumque aliquamdiu pugnatum esset, hi qui de insidiis erant a Stetinensibus coeperunt agnosci; et confusi de malefacto[b] fugerunt[c]. At sacerdos, qui haec[d] machinatus fuerat, eadem hora domi cum amicis residens, paralisi et vehementissimo languore vexari coepit, suis, ut arbitror[e], diis eum[f] non inmerito laniantibus. Cumque ore, oculis ac tota facie distorta[g], frontem ad scapulas verteret, et[h] miserabili corporis agitatione in mortem solveretur, exclamavit[i]: *Haec patior propter insidias et mala quae contra Ottonem feci!* In hac voce vitam finivit. Tantus autem foetor subsecutus est, ut Pluto ipse[k] infernalis — vel quisquis illic est maximus — ab huius faucibus spirare putaretur. Item alius quidam de sacerdotibus Ottoni contrariis, cum ad negocia sua cum institoribus forte navigaret, et in insula quadam nautae, ut assolent, ad[l] suas commoditates applicuissent, iste alienata mente, nec vultu nec voce sanum quid agens, a comitibus notatus est. Cumque seorsum ab aliis in silva veluti per amentiam vagaretur, iuvenes quidam quasi per lasciviam secuti, delirum fune per guttur[m] ad arborem ligant et discedunt. Ille[n] vero incautis motibus, vinculorum impatiens, se solvere luctabatur, sed divino iudicio constrictus, per funem, qui collo iniectus erat, intercluso anhelitu, mortuus est.

25. *Quomodo[o] episcopus transitis insidiis Iulinam venerit, et ipsam de apostasia correxerit.*

Sefridus: Episcopus autem Dei protectus auxilio[p] cum Iulinam venisset, nichil ibi adversitatis invenit. Omnes eius[q] redargutiones de apostasia seu de aliis excessibus patienter ferebant, indigna et mala opera sua dignis emendationibus ad eius doctrinam expurgare et[r] corrigere parati. Ille vero[s] per manus impositionem et sacri verbi exhortationem sanctae et apostolicae ecclesiae omnes reformavit, baptizatis pueris et quoscumque huius sacramenti expertes invenit. Sicut enim exemplo Stetinensium pridem a fide recesserant, ita denuo, conversis illis, facile convertebantur. Illos enim per omnia imitari quasi pro sententia eis fuit.

26. *De[t] illuminata ibi coeca muliere.*

Sefridus: Cum autem sacris operibus illic instaret episcopus, mulier quaedam in rure posita, nescio quo eventu subita coecitate percussa est. Audiens autem antistitem adhuc esse in civitate, duci se illo iubet. Et veniens corruit ante pedes eius, auxilium petens super clade sua. Signum autem aeris ante fores pendebat ecclesiae, quod simplices, cum intrabant[u] oraturi, quasi ad excitandum sanctos pulsare consueverant. Episcopus ergo dum ad succurrendum a muliere crebro invocaretur: *Vade,* ait, *mater, vade[v] ad ecclesiam, quassa campanam, excita sanctum Adalbertum, ut te adiuvet.* Abiit illa, Deum et sanctum Adalbertum invocans, arreptoque fune non prius a pulsatione signi cessavit, quam lumen oculorum reciperet. Videntes autem cives, gratias agunt Domino super gratia huiuscemodi, et magis in fide catholica roborati sunt. Sed dum hoc factum episcopi meritis ascribere vellent, prohibuit eos dicens: *Non me miraculorum factorem sed peccatorem sciatis, potius hoc beati martiris Adalberti meritis ascribendum certissime noveritis. Num obliti estis,*
57 *quomodo priori anno[57], cum tota civitas ista incendio vastaretur, hanc aediculam suam beatus martir in mediis flammis positam liberavit? Sed moneo, ut illius calamitatis memores, nec Iulium ipsum nec Iulii hastam, nec statunculas[w] idolorum vel simulacra ullo modo colatis, denuo pristina mala iterantes, ne mortem, pestilentiam, incendia et bella divina ultione incurratis.* Haec et his similia servus Dei ad eruditionem populi blanda oratione loquebatur.

27. *De[x] filio lunatico militis in papilione reliquiarum liberato.*

Sefridus: Die vero quadam miles habens filium lunaticum, benedicendum eum obtulit episcopo, adductis cum eo quatuor bubus pascualibus, donarium et gratiam pro

a) comites episcopi. a*) cum A 2. b) facto B 1. 2. 3*. c) fuerunt B 1. 3*. d) hic B 3*. e) ut arb. *desunt* B. f) cum B*. g) distortam A 2. h) et *add.* B 1. i) ait B. k) ille B 1. l) propter B 1. m) perguntur B 3*. n) ille — luctabatur *alia manu in margine* B 2. o) Quomodo Iulinenses exemplo Stetinensium de apostasia resipuerint B 1. 2. 3*. p) adiutorio B 2. q) enim B. r) et *deest* B 3*. s) autem B. t) De muliere caeca quomodo visum receperit B 1. 2. 3*. u) intrarent B. v) *deest* B 2. w) statunculos A 2. statũclos B 3*. x) De puero cuiusdam militis sanato B 1. 3. c. m. *add.* B 1.

57) 1126. Vide Ebbo III, 1.

benedictione. Sed doctor bonus manus suas excutere suetus ab omni munere, benedictionem [1127.] quidem puero tribuit, ipsum autem puerum cum patre ac donariis ad papilionem suum, ubi capsae ac reliquiae sanctorum erant, deduci iubet, ut ibi, si vellent, facta oratione et oblatione Dei misericordiam invocarent. Vadunt[a], sanatur puer, gratias agunt.

28. *De[b] alio milite frenetico liberato.*

Sefridus: Miles quidam frenesi ac dementia interdum capitis languore vexatus, in loco, ubi ad orandum steterant[c] pedes eius, sese proiciens, sanitatem[d] recepit[e].

29. *De[f] Bocceo presbitero, et segete incensa in die sancti Laurentii.*

Sefridus: In die sancti Laurentii Bocceus, presbiter beati viri, ad villam pergebat[58]. [Aug. 10.] Homines autem terrae illius nondum consueverant[g] dies feriatos agere; in ipsa ergo die transeunte presbitero, rustici segetem metebant. Ille autem de observantia festi eos alloquens, merita martiris praedicabat, atque ut[h] ab opere cessarent, sub contestatione ac[i] reverentia beati Laurentii admonebat. Sed scriptum est[k]: *Stultus verbis non corrigitur;* unde[l] homo, qui magister operis erat, spreta sacerdotis admonitione, operarios suos magis ac magis urgebat. Contristatus ergo[m] super illorum temeritate, presbiter cum abiret imprecatus est Dominum, ut digna ultione contemptum martiris sui vindicaret. Nec mora, ex improviso ignis venit et stantem segetem et eam quae iam messa fuerat undique afflavit, tantaque vis ardentis stipulae fuit, ut ipsi rustici de campo fugerent. Factumque est, ut qui salvis frugibus ab opere sponte cessare noluerant, perditis omnibus[n] cessarent inviti.

30. *Item[o] de duobus diem dominicum[o*] non observantibus et multatis.*

Simile quiddam eodem presbitero per viam pergente in assumptione beatae sem- [Aug. 15.] perque[p] virginis Mariae factum comperimus[59], duobus, rustico videlicet et eius uxore, in [59] agro metentibus. Zelo etenim religionis presbiter eos prohibebat, dicens huic diei propter assumptionem Dei genitricis Mariae honorem deberi. Erat autem secunda feria[60]. Dicebat [60] ergo rusticus: *Heri propter dominicam operari non licuit, et iterum hodie vacare iubemur*[q]. *Quae est haec doctrina, quae homines a rebus necessariis et bonis iubet cessare? Quando ergo collectas videbimus fruges nostras? Puto vos invidere utilitatibus nostris.* Cumque iam ad blasphemandum os aperire vellet, et falcem crebris tractibus messor vehemens in calamos vibraret, mirum dictu, subito extinctus, in sulcos[r] cecidit, falcemque in dextra, segetem autem in sinistra, ut absecta erat, tam fortiter etiam mortuus tenebat, ut a nullo aufferri posset. Mulier autem infelix, socia operis, morte quidem mulctata non est, puto quia sub viri obedientia posita fuit, sed tamen sine poena et confusione non evasit. Nam corpus exanimis viri ad ecclesiam secuta, falcem et segetem de manibus suis et ipsa excutere non potuit, quousque coram populo et clero argumentum hoc illicitae operationis probaretur. Sepulto ergo[t] viro, et abeunte cum timore populo, mulier quoque[u] soluta est. Ex[v] hoc autem facto populus maiorem Dei genitricis[w] reverentiam maioremque aliis festis celebritatem doctus est exhibere.

31. *De[x] rupta societate Ruthenorum propter fidem Stetinensium et de archiepiscopo Danorum.*

Sefridus: Interea Rutheni[61], comperta fide et[y] conversione[z] Stetinensium, et quia in [61] christianitate penitus roborati sunt, a societate illorum se avertunt[*], commercia omnia

a) et *add.* B 2. b) De frenetico sanato B 1. 3*. De milite frenetico ab eo sanato B 2. c) steterunt B 2. d) orans *add.* B. e) obtinuit B. f) De segete divinitus exusta B 1. 3*. in die S. Laurentii *add.* B 2. g) observare B*. servare B 1. 2. 3*. h) *deest* B 2. i) et B. k) cum scr. sit B 1. 2. 3*. l) *deest* B. m) ergo — dominum *desunt* B 3*. n) quae habebant *add.* B. o) *in* A 2. *cum capite antecedente coniunctum, non vero in* B*. *inscriptio est* B 1. 2. 3*. o*) festum B 1. p) *deest* B 2. q) *ita* A 2. B*. debemus B. *rell.* r) sulcum B 1. t) igitur B 2. 3*. u) et ipsa B 2. v) *deest* B 2. w) genitrici B. x) Quomodo ad Ruthenos ire voluerit praedicandi gratia B 1. 2. 3*. y) et *deest* B 3*. z) conversatione A 2. *) averterunt B.

58) Haec miracula Ebbone teste III, 22. Caminae facta sunt; mense Augusto Otto erat Stetinae. Cf. supra III, 20. 21. Falso sine dubio Mon. Priefling. profert Iulinam III, 13. 59) Boceus presbyter, ab Ottone fortasse Caminae in curia ducis relictus, miraculum postea Sefrido narrasse videtur. 60) Cf. Ussermann. p. 86; Jaffé Lothar p. 269 an. 8. Simile miraculum cf. supra II, 22. 61) Verani; vid. Ebbo III, 23.

1127. mutuaque negocia institorum ex indignatione abrumpentes, quasi alterius iam fidei populo
62 communicare in talibus non deberent. Isti autem saepenumero[a] a multis praedicatoribus[62]
ad fidem vocati, de integro numquam venire[b] voluerunt, sed aliis interdum[c] credentibus,
alii non credebant, atque ex maiore parte paganicis ritibus degentes, semina fidei, veluti
spinae suffocando[d], illic convalescere non sinebant. Ruthenia vero Danos adiunctos habet,
63 porro archiepiscopo Danorum[63] etiam Ruthenia subiecta esse debuit. Sed populo fidem
catholicam propulsante, superfluum est sacerdotes de parochiae terminis litigare. Rutheni
ergo paulatim crescente odio, Stetinensibus publice adversari coeperunt, et primo qui-
dem[e] naves illorum a litoribus suis arcere[f], post etiam naves[g] illorum submergere, pror-
sus[h] ex communi decreto hostes eorum haberi[i] statuunt, Ottoni episcopo mandantes —
audierant enim, quod illo ad praedicandum venire vellet — ne unquam fines eorum attin-
geret[k]. Dicebant enim nichil eum apud se inventurum, nisi acerbas poenas et mortem
certissimam. Ille autem accepta legatione tali, tacite apud se exultat, animum parat ad
martirium, cogitat et disponit omnia, tractat anxie apud se, an melius sit solum se ad tale
convivium ire an cum multis. Stetinenses autem quidam viri boni et prudentes in comi-
tatu episcopi erant Iulinae, gnari locorum, provinciarum et morum cuiusque gentis. Hos
ergo episcopus paulatim interrogationibus praetemptabat, scire volens, si quomodo eum
illuc[l] perducere velint[m]. At illi de origine Rutheniae gentis, de feritate animorum, et de
instabilitate fidei et bestiali eorum conversatione multa ei narrantes, etiam hoc quod ar-
chiepiscopo Danorum subiecti esse debuerint[n], non tacebant. Sperans ergo episcopus gra-
tum fore illi, si converti possent, simulque attendens congruum esse, quod per eius licen-
tiam ac permissionem ad praedicandum in eius parrochiam veniret, Iwanum[o] venerabilem
presbiterum de latere suo et alios nuncios navigio cum litteris et muneribus illo pro
64 licentia direxit[64]. Archiepiscopus vero in maximo gaudio et honore legatos accepit, habi-
tisque apud se multa humanitate, plurima de statu, de doctrina et[p] operibus beati Ottonis
percontabatur. Erat autem vir bonus et simplex, bonarum rerum cupidus auditor, non
mediocris scientiae ac religionis, in exterioribus tamen Sclavicae rusticitatis. Nam et ho-
mines terrae illius tales sunt, ut in maxima ubertate atque divitiis generali quadam duritia
omnes inculti videantur et agrestes. Urbes ibi et castra sine muro et turribus ligno tantum
ac fossatis muniuntur; ecclesiae ac domus nobilium humiles et vili scemate. Studia homi-
num aut venatio aut piscatio est vel pecorum pastura. In his etenim omnes diviciae illo-
rum consistunt; siquidem agrorum cultus rarus ibi est. Porro in victu vel in habitu vestium
parum lauti habent aut pulchritudinis. Nostri ergo mediocres in comparatione illorum
gloriosi erant. Iwanus vero presbiter archiepiscopo ipso maior esse videbatur. Cumque
esset boni oris, ad omnia composite respondens, illum valde oblectabat, nichilque satis ei
65 esse potuit, quicquid de Ottone audiebat. Fama etenim ante annos plures[q, 65] hunc notum
habuit, et nunc[r] gloriari atque laetari habundantius coepit, quod eius dignos et praeclaros
nuncios praesentes haberet, cuius tanta et tam praeclara facta vulgari fama[s] passim prae-
dicari prius audisset. De legatione autem eius ad praesens nichil se respondere posse
dicebat, nisi ante principes Danorum atque magnates per aliquas inducias consuluisset.
Iwanus autem et legati hoc longum sibi iudicantes, dimitti se rogant, ne super eorum
mora contristaretur episcopus. Annuit ille cum benignitate, ac litteras,[s] donaria navem-
que grandiusculam, butiro plenam, signum dilectionis et amicitiae mittens, episcopo dice-
bat quantocitius[t] ex consilio principum per suos legatos de verbo praedicationis se respon-
Oct. ex. surum[66]. Quod utrum[u] perperam[v] an simpliciter dixerit[w], parum nobis compertum est.

a) sepe a numero B2. b) *ita* A2. B*. nulli submittere se vol. B. c) *alia manu in margine* B*2. d) suffocantes B. e) quod A2. f) arcerent A2. B*. g) naves ill. subm. *desunt* A2. h) etiam *add.* B*. i) eorum haberi *desunt* B. k) contingeret B. l) Christus per eos se illuc B. m) dignaretur B. n) deberent B2. o) *ita* A2. Ivuanum B1. Iunanum *et sic porro* B2. p) de *add.* B. q) plurimos B2. r) quidem *add.* B. s) et *add.* B1. t) *deest* B. u) autem B2. v) industria* B. w) direxit B3*.

62) Danorum. 63) Lundensi, tunc Adcerio; Dahlmann Gesch. v. Dänemark I, 240. 64) Tunc Iulinae commorabatur, quo Camina rediisse videtur mense Septembri. Si mense ineunte Stetina Iulinam, dein Caminam iterumque Iulinam Otto navigaverat, inde ante medium mensem Iwanum vix potuit mittere ad Danos. Eodem fere tempore circa 22. Sept. Ottonis adventum in Saxonia exspectavit Wignandus abbas Tarsiensis, cf. Ebbo III, 16, sed legatione illa in Pomerania Otto retardatus est. 65) tempore primi itineris. 66) Post 6 hebdomadas i. e. exeunte mense Octobri rediit Iwanus. Ebbo III, 23.

Nam dum[a] per aliquos[b] dies eius nuncios expectaremus, de partibus Alamanniae et de 1127. domo Babenbergensi plures nuncii venerunt, magnis et necessariis causis episcopum revocantes.

32. *De[c] bello inter Ruthenos et Stetinenses, et de victoria Stetinensium.*

Sefridus: Rutheni autem crebris insultibus Pommoranos lacessunt, et Stetinensium Sept. fines armatis navibus perturbant. Cumque semel et bis repercussi a bello cessare noluissent, Stetinenses ex consilio communi arma tractare coeperunt, atque iterum venientibus coadunatis viribus occurrere. Sed quid plura? Tanta strage Rutheni fusi sunt, et tanti ex eis in captivitatem redacti, ut qui evadere potuerunt, nullum ultra victoribus bellum intulerunt[67]. Stetinenses igitur[d] hac victoria gloriosi[e], domino Iesu Christo et servo eius 67 Ottoni honorem adscribèbant, Ruthenos ultra iam non timentes, sed ex captivitatibus etiam ad humiles et satis indignas compositiones eos astringentes[f]. At Otto[g] beatissimus, Nov. in. omnibus propter quae venerat bene completis, et civitatibus omnique populo in gaudio et fide apta compositis, visitans omnes quos potuit, decorum vale in maxima leticia illis faciebat per ducem Poloniae ac per alios amicos suos, iter ad sedem suam relegans[h]. Ita- Nov. ex. que aliquot diebus[68] gratiosa[i] sui praesentia et caris aspectibus ducem ac Polonienses, 68 dilectos dilectores suos, in plenitudine sanctitatis mansuetudinis et gratiae laetificans, ita se promovit, ut in vigilia sancti Thomae Babenberc[k] in ecclesia kathedrali in multo desi- Dec. 20. derio et expectatione suorum, quasi de victoria cum exultatione rediens, susciperetur, cantantibus clero et monachis tota mente totisque viribus: *Domine, suscipe me, ut cum fratribus meis sim!*

EX ANONYMI VITA OTTONIS.

33.[69] *Quomodo senio et laboribus exhaustus diem obierit.*

Post ea[l] vero tempora[m, 70], tam morbo quam senio exhaustis viribus corporis, in dies[n] 70 dissolvi coepit, et labore infirmitatis continue ad laborum finem tendere. Itaque cum se acrius premente languore[o], in proximo ad Dominum[p] speraret migraturum, illud amicum sibi semper ac solitum opus elemosinae tanto ardentius exercuit, quanto illi constabat, quod diu hoc exercere non daretur[q]. Omnia igitur loca, omnes[r] domus et curtes circa[s] positae[t], imo tota civitas, eo volente atque iubente, pauperibus et peregrinis repleta fuit. Aderant ibi viduarum et orphanorum longa examina, clericorum et monachorum intrantium et exeuntium multitudines[u], non inmerito pii mercatoris, iam abire parantis, sanctissimas nundinas frequentantium. Quid enim nisi forum sacrum aut nundinas sacras dixerim, ubi[v] terrenis coelestia, temporalibus aeterna bona comparantur? Fervebant sane circa illius lectum coeli terraeque sancta[w] negocia, et Martha semper sollicita, et diu turbata circa multa et innumerabilia humanitatis officia, nec languida iam mortique vicina

a) cum B. b) aliquot B. c) Quanto gaudio post reconciliatos Deo Pommoranos ad episcopatum rediens exceptus sit B 1. 3*. conversis Pomeranis *add.* B 1. *cui desunt* post — Pom. d) ergo B 2. e) potiti B. f) A 2. *sequitur c.* 32 *ex Ebbone. Verba* — cum fratribus meis sim *in* B. *tantum leguntur.* g) *ita* B*. b. proinde O. *rell.* h) relegens B 3*. i) pretiosa *add.* B*. k) Babenbergensi B*. l) beatus Otto tam A 1. m) *deest* B 1. n) c. radies B 3*. o) lang. pr. B 1. p) et speraret ad dom. A 1. q) posset A 1. r) omnesque A 1. s) illum *add.* A 1. t) positas i. totam civitatem p. et p. repleri videres viduarum A 1. u) multitudinem et pii ut ita dicam m. A 1. mult. n̄o ī merito pii B 3*. v) nisi B 3*. w) sanctaque B 2.

67) Ebbo III, 23. accuratius narrat Iwanum post has victorias de Ruthenis reportatas in Daniam missum esse. Fugati igitur Rutheni circa medium mensem Sept. 68) octo; Ebbo III, 24. Ex primo itinere Otto redux sex circiter hebdomadis viam perfecit; cf. Mon. Priefling. III, 1. 2. Quod si tenemus, ineunte mense Novembri reliquit Pomeraniam, circa 30. Nov. erat Gneznae, qua relicta post hebdomadam venit Bambergam exeunte Decembri. 69) Etsi capita 33 — 35 in priore textu Andreae post librum de miraculis leguntur hac inscriptione: *Lectiones legendae in festo depositionis sancti Ottonis et sub eius octava,* et in posteriore textu desideratur c. 33, capita vero 34 et 35 leguntur coniuncta in ipso libro miraculorum IV, 5, attamen cum codicibus B. ea hoc loco retinenda et Herbordo adscribenda esse censeo, ut etiam Klempino p. 177 videbatur. Recisis enim his capitibus iusto fine caret liber; etiam deprehenduntur vestigia dialogi non penitus deleta in vocibus *dixerim*, *cerneres.* Tribuenda videntur eidem qui in toto libro narratoris partes tuitus est, Sefrido. 70) Paucis his verbis partem ultimam vitae Ottonis i. e. duodecim annos transit. Anno 1130 Ottonem morbo affectum esse scimus, tempore concilii Herbipolitani, ut patet ex Lotharii litteris ad Ottonem M. G. Legg. II, 80. Jaffé Lothar. p. 93.

cessavit ab operibus suis plurimis, propter unum quod sciebat esse[a] necessarium. Cum abbatibus enim et prepositis, cum[b] procuratoribus et dispensatoribus suis de omnibus ordinavit, et ecclesias et coenobia, hospitalia[c] infirmaria et diversoria[d] sua intima retractatione digessit, singulisque, prout oportunum videbatur, sumptus et necessaria supplevit. Cerneres iam oleam uberem et frugiferam, solita ubertate uberiorem et copiosissimis fructibus onustam, totam se carpentium manibus inclinare. Et revera mirum valde est, quod haec inexhausta benignitatis archa, quae tot[e] ante diebus et annis ad erogandum iugiter patuit, adhuc in extremo tempore tantum quod erogaret habere potuit[f]. Sed o Martha, Martha! devota Domini[g] hospita, quando vel quomodo sentires egestatem? Quis enim donando donanti omnia egens unquam factus est? Interea vero languor magis magisque spiritum luctantem urgebat, riteque dispositis omnibus, quaecunque post se victuris praestare potuit, supplici et pura confessione praemissa, olea illa et placida et[h] sancta unctione sacri olei delibuta, propiciabile viaticum corpus Domini percepit, et circumstante illo suo semper familiari collegio virorum religiosorum, tam monachorum quam clericorum, psalmis et orationibus agonem eius devote Deo commendantium, plenam operibus bonis et
1139. Iun. 30. elemosinis, plenam honoris et gratiae animam exalavit in coelum[71]. Quid multa? Flebat civitas universa, iuvenes et virgines, senes cum iunioribus[i], flebat omnis ordo, flebat[k] omnis religio, divites et pauperes, nobiles et[l] mediocres cum plebe rusticana, omnes pariter patrem ademptum[m] lugebant tanto[n] amarius, quanto ab omnibus illis carius ipse amabatur. Porro monasteria et ecclesiae longe vel prope positae, sed et[n] magnates et capitanei provinciae, fama dormitionis eius exciti[o], ex omni[p] parte confluebant, infelices se atque inertes arbitrati, si eius quem viventem dilexerant funeri non adessent, vel si debitos honores tantis exequiis non praestarent.

34. *De[q] adventu Herbipolensis episcopi.*

72 Supervenit quoque sacrae semper[r] memoriae Imbrico[s] Herbipolensis[t] episcopus[72], vir clarus et prudens, tam eloquii venustate quam[u] ingenio, et[v] sapientia praepollens. Supervenit, inquam, amicus ad amici exequias invisas, et dolenti et ardentissime flenti ecclesiae
Iul. 2. lugendo ipse ac dolendo luctum auxit et dolorem. Iam enim per totum triduum dormitionis eius dilecti corporis gleba per omnes ecclesias circumlata, iugi sacrificio, indefessisque orationibus et multis elemosinarum largitionibus beata eius anima Deo dicata et commen-
Iul. 3. data fuerat ab omnibus. Quarta igitur[w] die, ubi ad locum ventum est tumuli, episcopus commendationem celebravit, atque inter missarum solempnia, quae pro dilecti patris et amici anima multa intentione devotus agebat, ad moerentem et lugentem conversus multitudinem, brevem quidem, sed gratiae ac dulcedinis plenum intulit sermonem[x], ita dicens:

35. *Sermo ipsius[y].*

Ecquid[z] fiet? Quid erit consilii? Mortua est Martha! Ecce, ubi iacet! Quis ergo[*] venientem dominum Iesum in hoc castello amodo suscipiet? Equidem defuncta[a] est Martha, quae illum suscipere consuevit[b]. Defuncta est hospita domini Iesu Christi, quae venienti hospicium praebuit[c], sedem posuit[d], mensam aptavit[e], necessaria[f] omnia benigne ac liberaliter ministravit[g]. Defuncta est inquam, non solum ministra et hospita Christi, sed minister[h] et hospes ac susceptor omnium[i] christianorum. Et quis stabit in loco eius? Quis nobis vicem ministerii huius implebit? Quis, rogo, aget pro eo, quae iste agere consuevit? Omnibus gradibus, omnibus ordinibus, omnibus personis ecclesiae vita eius utilis fuit. Ecce, defunctus est, ut vere dicam, servus servorum Dei! Quid facietis monachi? Quid facietis clerici? Quid facietis pauperes et mendici? Quis vobis restituet matrem vestram? Ubi amodo illa materna ubera, ubi maternos affectus

a) est *omisso* sciebat B 2. b) *add.* A 1. c) hosp. infirm. *add.* A 1. d) diversa B 2. e) *deest* A 1. f) potuerit A 1. g) Ihesu *add.* A 1. h) *deest* A 1. ac B 2. i) adolescentibus A 1. k) *deest* B 1. l) *deest* A 2. m) adeptum B 3*. n) *deest* B 2. o) excitati B 2. p) *deest* B 2. q) *ita* B 1. 3*. Ymbrici Erpipolensis ecclesiae *add.* B 2. — A 2. IV, 5. *inscriptum ita:* De Ymbricone episcopo Herbipolensi et eius lamentatione in exequiis S. Ottonis. r) *deest* B 2. s) Ymbrico A 2. t) Erbip. B 2. u) vel B. v) quam etiam B. w) quarto ergo A 2. x) *deest* B 1. y) episcopi ad populum *add.* B 2. z) *ita* A 1. Et A 2. Ech B 1. Ach B 2. *) rogo A 1. a) *repetit* B. b) consueverat B. c) praebebat B. d) ponebat B. e) aptabat B 3*. f) *deest* B. g) ministrabat B. h) *deest* B 1. ministra B 2. i) ovium B 2.

71) Praeter vitae scriptores mortis dies 2. Kalend. Iul. notatur in necrologio S. Michaelis cum laudibus Ottonis, Schannat Vind. litt. II, 53 et in Annal. Babenberg. M. G. SS. X, 4. De aliis necrologiis vid. Jaffé Conrad p. 293. 72) Obiit 10. Nov. 1146. Vid. Jaffé Conrad III, p. 262.

1139.

quaeretis? Sed quaerere ubique potestis, vobis denuncio, nusquam invenietis. Sui[a] temporis saecula — confidenter dico — hunc solum, hunc unum tantae misericordiae virum habuerunt. Ut enim de aliis virtutibus eius taceam, quae plurimae fuerunt et clarae, in misericordia et misericordiae operibus tantus erat, ut nullum penitus ex omnibus michi notis ei ausim adaequare. Sed quid dicam[b]? doleo vicem miserorum, doleo vicem eorum[c], qui in suis miseriis ad hunc misericordem[d] fugere consueverant. Doleo, ut verum fatear, vicem meimet ipsius. Ut enim ita dicam, me miseret mei, meritoque merore conturbor. Multum enim praesidii, multum consolationis in hoc amico perdidi. Hic enim in civitate ipsa[e] commodus, societate et amicitia[f] oportunus, magnum michi praesidium fuit. Cum hoc fiducialiter ac tute omnes curas meas, omnia negocia mea seu consilia pensiora communicare solebam. Hic michi, ut breviter dicam[g], in omnibus oportunitatibus meis maximus sublevator fuit. Sed de me quid dico? Nam mei nominis ordo, universus videlicet ordo pontificalis, hoc adempto compare, merito lugebit. Hic nobis gemma, hic decus, hic splendor fuit[h]. Conventus[i] nostros in conciliis sive curiis virtutum suarum radiis collustravit[k]. In hoc, ut ita[l] dicam, quasi viventi[m] libro, quomodo nobis vivendum vel quid agendum esset conspicere potuimus. Sancta enim exempla, sanctae actiones magis erudiunt quam verba. Sed doctrina haec, o dolor! modo rara est in terris. Omnes enim paene quotquot sumus eloquio magis quam opere proximos aedificare studemus. Sed iste docuit verbo, docuit exemplo, dixit et fecit. Talem ergo lucernam de medio nostri ablatam esse qua[n] mente ferre[o] poterimus? Sed vado ad altiores. Huius certe[p] interitum et tu o Romane pontifex, caput[q] sanctae[r] matris ecclesiae senties, et tu regnator orbis, rex Alamanniae, imperator Romanorum auguste, casum quoque huius experieris. Ambo permaximi, magna clade mulctati estis. Magnus enim Ahot[s] ille ambidexter vobis occubuit. Occubuit[t] ille, qui utraque manu pro dextera utebatur, Israheliticae gentis ductor egregius. Occubuit[u], inquam, qui potis erat et industrius et prona voluntate reddere caesari quae caesaris sunt, et quae sunt Matth 22, 21. *Dei Deo. Non tibi, o imperialis maiestas, non tibi[v] cito[w] consurget alia columpna, cui tam fiducialiter inniti queas; hic te quidem non solum divitiis et prudentia saeculari, sed, quod utroque maius est, meritis ac[w*] sanctitate suffulsit. Sanctitate, inquam, et[x] virtutum meritis imperatorem pariter et imperium sublevavit. Iusticia enim et sanctitas in dextera eius. Non[y] parva res acta est, non parva haec mutatio in ecclesia Dei. Non ergo leviter ferenda talis viri ablatio. Ubi amodo tale ingenium, talem prudentiam, talem inveniemus bonitatem[z]? Sed redeamus ad monachos, redeamus ad populum spiritualem; detrimenta illorum lamenta nobis facient[*]. Quid fiet de illis? Quid fiet de monachis et pauperibus, qui ad has manus spectare consueverant? Lugetis, video, et fletis Ottonem vestrum; et certe non inmerito. Vobis enim[a] ille occubuit, vobis ablatus est. Vos enim[b], vos o monachi, specialiter populus pascuae[c] eius et oves manus eius. Hic profecto erat qui de habundantia divitum huius mundi vestram inopiam supplere sollicitus fuit; hic magnae auctoritatis exemplo gloriari solebat, dicens: „Spoliavit[d] Egyptios, ditavit[e] Hebraeos." Nam revera sancte ac religiose multa a saecularibus extorsit, quibus[f] penuriam sublevaret spiritualium. Sancta et religiosa fraude, ut ita dicam, divites circumveniebat, ut elemosinas facerent quandoque non cogitatas. Argumentosus enim[g] erat in lucris divinis; nam et manus Domini erat cum eo.* Luc. 1, 66 *O quam multos divites cum omnibus divitiis suis ad spiritualem vitam traiecit! quicquid personarum, quicquid rerum vel opum[h] saeculo auferre potuit, Deo coaptavit[i] pietatis ac misericordiae obtentu! Sed quid multis? misericordia eius super omnia opera eius! Misericordia Dei ante oculos eius semper fuit. Orate ergo, dilectissimi fratres, orate attentius, ut et ipse hodie misericordiam consequatur. Orate, ut illa beatissima anima, quam credidit, quam speravit, quam dilexit, re ipsa Dei misericordiam hodie percipiat. Equidem non surdis auribus illud euangelicum accepit: „Beati* Matth 5, 7 *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur." Et: „Estote misericordes, sicut et* Luc. 6, 36 *pater vester misericors est." Nullus autem misericors esse potest, qui humilis non[k] fuerit[l]. Omnis ergo misericors, etiam humilis est. Unde bene inferre possumus, quod veram et coram Deo probatam humilitatem habuit spiritus eius, qui tantae misericordiae fuit[m]. Interventu*

a) enim *add.* B. b) *deest* A2. c) illorum B. d) virum *add.* B2. e) i. c. i. *desunt* B. f) et amicitia *desunt* B. g) dixerim A1. h) hic — fuit *desunt* B. i) quippe *add.* B. k) collustrabat B. l) *deest* B3*. m) uenti B3*. n) abl. aequa B. o) non *addit* B2. p) enim A1. q) *deest* A. r) sacrosanctae B. s) aoth B1. t) *deest* A1. u) ille *addit* B2. v) *deest* A2. w) *deest* B2. w*) et B2. x) ac B. y) non — est *desunt* A1. z) talem bon. *desunt* B2. *) faciunt B. a) etenim B2. b) nempe B. c) *deest* B. d) spoliavi B. e) ditavi B. f) quibus — spiritualium *desunt* A1. 2. g) *deest* A1. h) operum B. i) adaptavit B2. apt. *rell.* k) et *add.* B. l) fuit B. m) extitit B.

1139. *ergo beatae*[a] *Dei genitricis Mariae, cui semper devotus extitit*[b], *interventu beati Michahelis archangeli, cuius ecclesiae reparator et sublimator hodie conspicitur, quem patronum et servatorem et corpori et animae suae delegit, interventuque omnium beatorum spirituum spiritus eius divinam misericordiam consequatur. Ipsorum, inquam, atque omnium sanctorum suorum meritis*[c], *si uspiam, sicut est humanae fragilitatis, tanta eius opera, tantae ipsius miserationes et benefacta, humana laude vel humanae laudis intentione titillata sunt vel maculata; nichil enim*[d] *satis purum coram summo iudice. Rogate, quaeso, rogate attentius; oremus omnes pariter, ut hoc abolere, hoc tollere dignetur ipse, qui tollit peccata mundi, agnus Dei, dominus noster Iesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in saecula saeculorum*[e]. Quanta vero vociferatione, quanto mugitu, quantis affectibus et lacrimis omnes *Amen* responderint, dici non potest. Sic ergo finita missa, in loco ubi cernitur in ecclesia beati Michahelis, comitibus, marchionibus seu aliis quibuslibet nobilibus feretrum eius certatim gestantibus, sarcofagum levantibus, seu alia quae ibi necessaria erant more operariorum suis manibus devotissime peragentibus, eius corpus tumulatum est anno dominicae
Iul. 3 incarnationis 1139. 3. Nonas Iulii feliciter[f].

EBBONIS VITA OTTONIS EPISCOPI BABENBERGENSIS.

INCIPIT PROLOGUS IN VITAM OTTONIS EPISCOPI ET CONFESSORIS[g].

1 Omne[1] quod agimus per humilitatis custodiam munire debemus, quia testante beato Gregorio, qui virtutes sine humilitate congregat, in vento pulverem portat, et unde ferre aliquid cernitur, inde deterius excoecatur. Scripturus itaque[h] gesta piissimi patris nostri Ottonis, quae[i] ex ore veridici ac Deo dilecti sacerdotis Uodalrici audivi, lectores, in quorum forte manus venerint, peto, ne arrogantiae aut temeritati hoc asscribant, sed Deo teste sciant, me sola karitate urgente, dum vocem pectori negare non possum, ob noticiam posterorum haec humiliter depromere. Cuius enim vel saxeum pectus ad conpunctionem non moveat tam flagrantissimum huius beati patris desiderium, quo omnes Christi fideles, acsi nutrix officiosissima, fovere non desiit? Quis sine lacrimis ad memoriam reducat quomodo totus, velut seraphim, ad propagandam divinae servitutis celebritatem ardebat, quomodo cuncta, quae poterat mundo abripere, servis Dei festinabat offerre, quomodo gloriam Christi non solum in Teutonicis regionibus per multa quae construxit[k] coenobia et hospitalia, dilatavit, set etiam in exteris et longe remotis barbarorum finibus miro devotionis fervore euangelii tubam cecinit, et apostolus gentis Pomeranorum nostris temporibus appellari meruit? Quod quanto hiis diebus constat insolitum, eo magis in eo amplectendum est et omni laude colendum[l]. Primum ergo antiquos patres nostros, a quibus locus hic

a) *deest* A 2. b) fuit B. c) *deest* A 2. d) *deest* B 2. e) Amen *add.* B 2. f) Explicit liber tertius (*deest* B*.) de vita et virtutibus (operibus B*.) beati Ottonis, Babenbergensis episcopi, confessoris (Christi *add.* B*.) et Pomoranicae gentis apostoli B. *Sequitur* B 1: In festivitate sancti Ottonis lectio. Memoriam iusti cum laudibus celebrare nos monet etc. *Finis desideratur.* Et finitus est iste codex feria tercia post septuagesimam hora quasi vesperorum per manus Alberti Larnpawtl, qui illo tempore fuit scriptor domini de Runting, canonici ecclesie kathedralis in Ratispona. Et benedictio Domini descendat super eos, et maneat cum eis semper. Amen. B 3*. g) *ita* B 2b. Incipit vita sancti Ottonis Babenbergensis episcopi fundatoris nostri B 1. i. p. in v. sancti O. B 2a. De fundatione et ortu monasterii sancti Michaelis archangeli et de cathalogo abbatum a tempore fundacionis usque ad tempora sanctissimi Ottonis A 1. h) *deest* A 1. i) p. o. p. n. A 1. *desunt* quae — audivi. k) struxit A 1. l) *quae sequuntur in uno* A 1. *leguntur. In* B. *omnia desiderantur usque ad verba in fine prologi*· Nunc igitur tantam lumen ecclesiae *etc.*

1) Verba *omne quod agimus – excoecatur* in codicibus B. et in Andreae versione Germanica leguntur, non apud Andream ipsum (A 1.), ideo Klempino p. 89 glossa librarii videbantur. At sine dubio sunt verba Ebbonis; bene enim concordant cum sequentibus, et suam humilitatem S. Gregorii dictis et auctoritate probare conatur Ebbo. Saepissime vitarum sanctorum exordium duci a dicto antiqui alicuius ecclesiae patris constat. Hunc prologum de abbatibus S. Michaelis ab ipso Ebbone esse conscriptum his verbis qui eum exscripsit probavit Andreas in chronico monast. S. Michael. Babenb. msc. (cod. A 3.): *A. D.* 1071 *Uto levita suscepit curam pastoralem, rexit annos* 10 *secundum scriptores nostros, quamvis Ebbo sacerdos et monachus noster, compilator legende S. Ottonis, de eodem faciens mentionem, uno duntaxat scribat anno huic nostro cenobio praefuisse.* Itaque probata sunt quae de his exposuit Klempin. p. 36 sqq.

inhabitari coepit, futurorum cognicioni pandamus, et sic de Ottone nostro cooperante gratia Spiritus sancti proponamus.

Anno[a] Domini 1015 mons sancti Michaelis apud Babenbergk inhabitari coepit a domno Ratone abbate[2], [Chron S. Michael 1015.] quem sanctus Heinricus secundus imperator, huius episcopii constructor, et venerabilis Kunegunda, specialis mater nostra, tam pro religiosa qua nominatus erat conversacione, quam et pro singulari[b] qua pollebat industria, eidem loco prefecerunt. Eodem quoque anno fundamenta monasterii locata sunt, et secundo anno Heinrici abbatis dedicatum est templum ipsum. Itaque domno Ratone viam universae carnis ingrediente[3], successit divae memoriae abbas Heinricus[4], [1020. Ian. 16.] mirae secundum Deum pietatis et scientiae, secundum seculum magnae nobilitatis ac strennuitatis vir, qui fecit nobis analogium[5] et duas cruces argenteas, deditque casulam bonam [5] chrocei coloris; sed et alia plurima huic loco beneficia contulit. Cuius anno secundo Eberhardus, primus Babenbergensis episcopus, anno ordinationis suae 13. dedicavit ecclesiam sancti Michaelis in monte [1021. Nov. 2.] Babenbergensi, in honore eiusdem archangeli et sancti Benedicti abbatis, 4. Non. Novembris, feria 5, anno Domini 1021[c], indictione 5, anno autem regni gloriosissimi domini ac patroni nostri sancti Heinrici 21, imperii 9, ipso presidente ac disponente. Huic consecrationi interfuerunt episcopi multi, scilicet Erbo Mogontinus, dudum archicapellanus sancti Heinrici imperatoris, qui altare beati Martini dedicavit, Piligrinus Coloniensis, qui altare sancti Petri consecravit, cum aliis multis. Post haec Heinrico secundo abbate ad Christum migrante[6], suscepit [1046.] curam pastoralem domnus Adelhelmus[7], qui restituit nobis sperulas[d] furto ablatas, tantus- [Necrol. S. Michael.] que amator divini erat servicii, ac semper choro psallentium interesse affectabat, ut eciam si in vinea remociori positus esset, audito vespertinali vel alterius horae signo, tota illuc festinancia et alacri devocione occurreret, omnisque oracionis tempore primus intrando et ultimus egrediendo fieri satageret. Et hoc pio patre ad coelestia vocato[8], domnus Robertus eodem est [1066. Mai. 14.] anno substitutus, qui vivus discessit; plures enim abbatias habuit[9]. [1071.] Post quem sanctae recordacionis Eggibertus ipso anno constituitur[10], [Aug. 30] qui et ipse vivus abscessit[11], [1075.] eo quod et alia multa procuraret coenobia, et in monasterio Suarzanensi requiescit[12], [1076.] cuius etiam sepulchrum miraculis est illustratum. Huic Uto levita subrogatur. [1075–1082.] Post quem anno sequenti[13] Willo abbas huic loco praeficitur. Quo de hac vita sublato[14] [Sept. 12] Tiemo dyaconus substituitur[15]. [1083. Iul. 7.] Hoc quoque cita morte rapto[16], [1085. Iul. 6.] Gumboldus Ratisbonensis de monasterio beati Emmerammi assumptus, loci huius regimen est sortitus[17]. [1086. Apr. 25.] Hoc tempore aput nos regularis propositi norma admodum erat collapsa, sed Dei gratuita praeveniente clementia in adventu domini ac nutritoris nostri piissimi Ottonis episcopi nobiliter est reparata. [1094. Ian. 6.] Nunc igitur[e] tantum lumen ecclesiae unde processerit, videamus, et quo ordine ad culmen pontificatus accesserit, fideli relatione aperiamus. [Mart. 17.]

a) *haec usque* Ottonis episcopi nobiliter est reparata *leguntur* A 3. b) sc̄lari A 1. 3. c) *falso* millesimo tricesimo primo A 1. d) *ita legendum cum* A 3. *pro* speculas A 1. e) ergo B

2) *Radonis Montis angelorum primi abbatis* facta est mentio in privilegio Heinrici II. a. 1015 8. Id. Mai. ap. Ussermann. cod. prob. n. 21 quod cum Ussermanno ad a. 1017 revocavit Boehmer 1162. At suspicionem movent confusa signa chronologica. Alia eius mentio occurrit in Heinrici diplomate 1019 scripto Usserm. cod. pr. 26 quod non minus dubium commovet. 3) *Moritur idem venerabilis pater domnus Ratto anno Dom.* 1020 17. *Kalend. Febr.* addit Andreas in Chron. monasterii S. Michaelis. Consentit necrolog. mon. S. Michael. Bamberg. Schannat Vindem. litt. II, 48. 4) Cf. Annal. S. Bonifacii M. G. III, 118. 5) pulpitum. 6) *Item domn. Heinricus migrat anno Dom.* 1046 add. Andreas. 7) Ad quem litteras suas direxit de monasterio S. Michaelis Clemens II. d. 19. Apr. 1047 ap. Ussermann. cod. pr. 30. 8) *Spiritum Deo reddidit anno Dom.* 1071 *prid. Yd. Maii.* Andreas 2. Id. Mai. necrol. S. Mich. Schannat Vind. litt. II, 52, ubi verba *qui — ablatas* repetuntur. In anno errat Andreas, ut probatur ann. S. Michael. Bamb. M. G. V, 9 in quibus 1066 legitur. 1071 Robertus abbatiam reliquit, Augiense monasterium invasurus teste Lamberto 1071, qui ob hanc causam vehementissime in eum invehitur. 9) Postea Gengenbacensis abbas factus a. 1075 interfectus est. Cf. Ann. Gengenb. M. G. V, 390. 10) ita ad 1071 Ann. S. Michael. Consentit Lambertus, qui Gorziensis monasterii discipulum eum fuisse testatur. 11) Quod 1075 factum esse probat Lambertus, qui eum sub h. a. abbatem S. Michaelis Bamb. et paullo post abbatem Suarzahensem appellat. 12) Obiit 1076 ann. S. Michael. Bamb. 7. Kal. Dec. ut habet Ekkehardus. 13) i. e. anno Utonis mortem sequente, ut docent Ann. S. Michael. Bab. 1082. *Uto abbas* 2. *Id. Sept. obiit. Cui anno sequenti successit Willo Non. Iul.* Falso igitur Andreas *moritur anno* 1082 *prid. Id. Septemb.* Necrol. S. Mich. Schannat l. l. p. 55: 2. Id. 1085 *Uto abbas.* 14) 2. *Non. Iul.* Ann. S. Mich. Bab. *Moritur anno* 1085 *Non. Iul.* Andreas, consentiente necrolog. S. Michael. 15) 1086 7. Kal. Mai. Tiemonem abbatem esse factum habent Ann. S. Michael. 16) *Carnis onus deposuit anno* 1094 8. *Id. Ian. — id exaratum in antiquo martirologio invenitur.* Andreas. Consentiunt Annales et necrol. S. Michael. Bab. 17) Cf. Ann. S. Michael. de die quo Gumboldus abbas est consecratus.

1.[a] *De ortu sanctissimi Ottonis Babenbergensis episcopi ac honesta conversacione ipsius.*

Igitur[b] ex provincia Alamannorum beatus[c] Otto generosa stirpe et parentibus secundum carnem liberis[d] oriundus fuit[e], patre Ottone et[f] matre Adelheida[g] nuncupata[h]. Qui ambo simplicitati et mansuetudini operam dantes, nulli violenciam aut oppressionem inferebant, quin immo piis operibus et elemosinis vacantes, Dei nutu ad consolacionem ecclesiae elegantem hunc filium gignere meruerunt. Qui decursa teneriori infancia litteris
Cf Herbord. I, 1. inbutus, ut primum annos intelligibiles attigit, mirum in modum spiritu sapienciae et intellectus habundare coepit. Sed et morum gravitate et modesti habitus nitore cunctis acceptus et honorabilis erat. Accidit forte illis diebus, ut germana soror Heinrici quarti im-
c. 1088. peratoris, Iudita[i] nomine in matrimonio iungeretur Polizlao[k,18] Poloniorum duci. Cui ille
19 tanquam fidelissimus adhaerens capellanus Poloniam venit[19]; ibique in brevi loquelam gentis addiscens et praefatae matronae obsequio deditus, prudenter se agebat, donec magnus valde et nominatus in regione illa factus est. Sed et nobiles quique et potentes illius terrae certatim ei[l] filios[m] ad erudiendum offerebant. Sicque Deo cuncta eius opera dirigente non mediocriter dives esse coepit in possessione auri et argenti[n]. Non enim in ludicris et vanis mundi illecebris opes sapiencia et fidelitate sua[o] congregatas expendebat, sed ut vir pru-
ibid I, 2. dens et sensatus[p] rem suam servare[q] noverat. Domna eciam Iudita, cui familiare contu-
1088 bernium praestabat, frequenter per eum munera varia et permagnifica[r] germano suo im-
1090. peratori dirigebat, utpote quae nullum fide et moribus inter obsequentes sibi praestantiorem habebat. Cuius[s] legacionis officium tanta auctoritate et circumspectione persolvebat[t] ut per[u] hoc eciam[v] ipsi rerum Domino ammirabilis videretur.

2. *De*[w] *constructione hospitalis in civitate Herbipolensi per sanctum Ottonem.*

20 Saepius vero[x] transitum faciens per Wirtzeburgense[y] coenobium[20], a religioso eiusdem loci abbate Heinrico nomine, ut vir gravioris personae reverenter suscipiebatur, debitoque humanitatis officio benigne tractabatur. Cuius benevolentiae vir sagacis animi non immemor, audiensque illic magnam victualium rerum esse penuriam[z], ut totus misericordiae et[*] karitatis visceribus affluebat, inopiae eorum condoluit. Et quia karitas operatur magna, si est, si vero operari rennuit, karitas non est, ex opibus a Deo sibi concessis hospitale ad receptionem peregrinorum illic construxit. Hocque primum suae[a] devocionis munus de thesauro bonae voluntatis Christo obtulit[b]. Sic bona arbor fructum plurimum germinatura in florem erupit, et[c] quasi primicias agri sui ad altare veri sacerdotis detulit, ut centuplum in hoc seculo et in futuro vitam aeternam reciperet. Bonum plane inicium, quod finis est optimus subsecutus.

3. *Quomodo*[d] *sanctus Otto canonicus in Ratisbona factus se honeste habuit, et de domna Iuditta abbatissa Inferioris monasterii, quae erat neptis Heinrici imperatoris, qualiter eundem sanctum Ottonem obsequio suo mancipaverit.*

21 Post obitum ergo[e] venerabilis domnae[f] Iuditae[21] ad Teutonicas reversus regiones

a) *hic incipit in* A 2. *liber primus hac inscriptione:* Liber primus de vita et operibus Ottonis Babenbergensis episcopi et confessoris Cristi, Pomeranice gentis apostoli; De ortu, studiis ac profectu Ottonis pueri A 2. b) Ebbo *in margine* A 2. *apposuit manus coaeva alio atramento.* c) beatissimus A 2. *deest* B 1. I. beat. O. B 2[a]. 2[b]. d) ex Suevia *addit* A 2. e) duxit originem. Nam summis principibus sanguine pares erant, sed opibus impares. *add.* A 2. f) *deest* B 1[a]. 2[b]. g) Adylheida B 2[a]. h) patre — nuncupata *manu coaeva sed alio atramento in margine* A 2. i) Iudinta *corr.* Iudita B 1. k) *expunctis litteris* Poliz *manus s. XVI in margine apposuit* Wladis A 1. l) ei et B 2[b]. m) suos *add.* B 2[a]. 2[b]. n) arg. et auri B. o) *deest* B 2[a]. 2[b]. p) et sensatus *desunt* B 2[a]. 2[b]. q) quam etiam sapienter expendere *add.* B. r) magnifica A 2. s) Cuius — videretur *cum capite sequente coniuncta sunt in* A 1. t) exsolvebat B 1. u) pro B. v) et B 1. w) De iniciis operum et hospitali pauperum per beatum Ottonem in civitate Wurtzepurgensi constructo. Ebbo *in marg.* A 2. x) autem A 2. y) Wurzepurgensem A 2. *et sic porro.* z) penariam B 2[a]. *) et kar. *desunt* B. a) *deest* B 2[a]. 2[b]. b) exhibuit B. c) et *deest* A 1. d) Qualiter sanctus Otto post obitum Iuditte sororis Heinrici quarti Ratisponam demum ad curiam imperatoris venerit. Ebbo *in margine* A 2 e) igitur A 1. f) d. v. B.

18) Immo Wladislavo Hermanno, de quo vide supra ann. ad Herbord. I, 2. 19) Longe aliter Herbordus l. l. 20) De hoc altum silentium apud Herbordum. Huius Heinrici abbatis alias nulla occurrit mentio; Ussermann. Episc. Wirceburg. p. 194 eum inter abbates S. Burchardi monasterii referendum esse coniicit. At in charta quadam traditionis a. 1125 Heinrici abbatis S. Stephani Wirceburg. nomen invenitur, cf. l. l. p. 271, qui ante 1119 abbas consecratus esse nequit. Domus vero hospitalis apud Sanctum Stephanum fundata est a. 1097 ab Emehardo ep. Herbipolensi, ut probatur privilegio ap. Ussermann. l. l. cod. pr. n. 27. Illo tempore abbas erat Ezzo, cuius nomen in tabulis occurrit usque ad 1119, vid. l. l. p. 290. De Ottone in his omnibus ne verbum quidem. 21) Annus

Radisponam[a] adiit. Ubi kanonicis in servicio Christi adhaerens[22], reverendi habitus modestia ac probabilis vitae[b] disciplina cunctis amori et exemplo fuit. Illo tempore abbatissa de inferiori monasterio[23] magnae opinionis, utpote neptis Heinrici imperatoris[24] et [24] virtutum operatrix habebatur. Quae cernens personae et morum eius eleganciam, audiensque magni consilii virum, sine mora eum advocans, ut alterum Ioseph rerum suarum to- [Cf. Herbord I, 5.] ciusque domus dispensatorem constituit. Et ille solita gravitate ac industria fideli devocione gubernabat omnia. Interea Heinricus imperator quoddam de principalibus festis Ratisponae[c] celebraturus[25] et[d] ad neptem suam abbatissam divertit. In cuius obsequio [1097.] videns tantae auctoritatis ac reverentiae virum, mirari ac[e] delectari coepit sagacitate animi eius, conversusque ad cognatam ait: *Oportunum est, soror, cunctis in hoc festo amicis suis* [ibid. I, 2] *solaciantibus, et te michi aliquod karitatis obsequium ob consanguinitatis[f] vinculum impendere.* Qua humiliter respondente: *Iube, quod vis, domine mi rex, non enim fas est, ut avertam faciem tuam;* imperator subiunxit: *Nil aliud peto, nisi capellanum tuum domnum Ottonem, spiritu sapientiae plenum; talem enim virum res publica nostra habet necessarium.* Quo audito abbatissa, licet fidelissimi sui auricularii aegre ferret abscessum, imperatoriae tamen maiestati contraire non potuit. Et advocans eum, debitasque ministerii sui gracias exsolvens, et[g] non sine lacrimis pium amorem testantibus, principi assignavit. Assumptus itaque Dei [ibid. I, 4.] nutu in curtem[h] regiam, vir tocius industriae et religionis ita sibi prudentissimum imperatorem nobilitate morum et fidei pietate devinxit, ut eum quasi unicum amplectens filium, secretalem intimum et custodem capitis sui poneret cunctis diebus. Nam et cancellarium eum fecit, et quaeque preciosa vel cariora in palacio habuit, eius fidei commissit. Hoc[i] modo servus Dei Uodalricus pium Ottonem in curtem regiam accessisse ferebat. Alii vero dicunt eum liberalibus inbutum disciplinis primo ad abbatem Wiertzenburgensis coenobii Heinricum venisse, et post modicum eundem Heinricum Dei nutu in Polonia archiepiscopatus apicem conscendisse[26], cui ipsum fidelissimo adhaesisse famulatu testantur, et mi- [26] rabili strennuitate ac sapientia in brevi per totam regionem divulgatum, tam ab archiepiscopo, quam[k] a venerabili Iudita imperiali aulae assignatum.

4.[l] *Quomodo Heinricus quartus imperator sanctum Ottonem episcopum praefecerit structurae Spirensis aecclesiae kathedralis et de prudentia mirabili.*

Eo tempore gloriosissimus imperator Heinricus magnum illud et admirabile Spi- [ibid. I, 5.] rensis aecclesiae aedificium ob venerationem perpetuae virginis Mariae, cuius specialis alumpnus fuit, regali magnificentia exstruebat. Sed magistri operis fraudulenter et sine Dei timore[m] agentes, magnam pecuniae quantitatem suis usibus insumebant, ita ut frequenter ad opus tam mirificum pecunia ipsa deficeret. Unde augustus non[n] mediocri

a) Ratisbonam A. Ratisp. B 1. b) v. prob. B. c) radisbone B 2a. d) *deest* B. e) et A 1. f) sanguinitatis A 1. B 1. g) *deest* B. h) aulam B. i) *quae sequuntur usque ad finem capitis desunt* B. k) et *add.* A 1. l) De constructione Spirensis ecclesie et qualiter imperator eidem operi sanctum Ottonem prefecerit A 2. *ubi* Ebbo *in margine.* m) timore Dei B 2a. 2b. n) non - consultis *desunt* B.

mortis eius a nullo quod sciam rerum scriptore annotatur. Eam a. 1091 mortuam esse ex fonte nescio quo hausit Zirngibl in commentatione l. n. 15. 2. *Id. Mart. Iudita regina obiit* habet necrol. super. monast. Ratispon. Boehmer. Fontes III, 486. Necrol. Weltenburg. Monum. Boic. XIII, 478 *Iudita Maria* (leg. *marita*) *de Polonia soror Heinrici imperatoris IV.* 22) Non hunc esse sensum verborum Ebbonis, Ottonem ipsum Ratisponensem fuisse canonicum, ut vult Zirngibl l. l., recte observat Oesterreicher in commentatione Beweis dass B. Otto I. v. Bamberg kein Domherr zu Regensburg war in Geöffnete Archive I, 3, 270. 23) Niedermünster. 24) Non erat neptis Heinrico, qui eandem abbatissam paullo post apud ipsum Ebbonem *sororis* nomine alloquitur. Duas habebat Heinricus sorores quae erant abbatissae, Beatricem Gandershemensem et Adelheidam Quedlinburgensem, Stenzel Fränk. Kais. II, 122. Abbatissae monasterii inferioris Ratisponensis nomen certum probari nequit; Zirngibl Heilcam fuisse sibi persuasit. Facile igitur crederes cum Oesterreichero l. l. hanc narrationem Ebbonis omni carere auctoritate, nisi aliae de tempore quo Otto in imperatoris aulam venerit, occurrerent difficultates etiam apud Herbordum I, 2. 25) Ex Italia reversus Heinricus pentecostes festum Ratisponae 24. Mai. 1097 celebravit, ut probat Bernoldus in chron. ad h. a. 26) Ussermann l. l. p. 194 coniicit hunc Heinricum a Iuditha ad archiepiscopatum Gueznensem evocatum esse. Sed illo tempore Gneznensis erat archiepiscopus Martinus, de quo plura leguntur in chron. Polon. M. G. SS. IX. Martinus, si fides habenda Dlugosso I, 323. sedit 1094—1118, et Petro succedens habuit successorem Iacobum. At Iacobus a. 1124 nondum erat archiepiscopus, quod vid. infra II, 4. Klempino p. 137 haec narratio Ebbonis haud ita procul abhorrere videtur a veritate.

dolore permotus, ex consultis accito familiari auriculario suo[a] Ottone, ei tocius operis magisterium commisit, utpote cuius sapientia cunctis probata, eciam ad maiora quaeque et ardua dispensanda esset idonea. Qui sagaciter et provide commisso operi intendens — Ephes. 6, 5. sciebat enim iuxta apostolicum mandatum, dominis carnalibus sic quasi Deo serviendum — frequenter ad curtem[b] regiam regressus, pecuniam, quae supererat statuto operi, fideliter ei resignabat[c]. Insuper ad indicium ingeniosae diligentiae suae aequam fenestrarum aecclesiae mensuram prudenter a se dispositam imperatori considerandam offerebat. Pro qua sincerissimae fidei constancia non solum regi sed et cunctis optimatibus ita se acceptum reddidit, ut Deo gratias agerent, quod ad eius noticiam pervenissent. Siquidem[d] interiorem animi eius sollerciam exterioris quoque hominis habitus praeferebat; ita ut prudentes quique ex ipso eius scemate, quid in eo futurum esset, sagaciter intelligerent.

5.[e] *Qualiter civis Anshelmus Spirensis sanctum Ottonem in sui familiaritatem receperit, ac eidem filium suum Richardum*[f] *commendaverit, ac eidem episcopatum praedixerit.*

Nam ut de multis unum exempli causa annectam, quidam paterfamilias de Spirensi civitate Anshelmus nomine, non tam diviciis quam religione et prudencia insignis, eundem Christi servum adhuc in tenuitate positum, antequam in curtem regiam accessisset, hospicio recepit[27], moxque reverendi habitus eius venustate delectatus, et in faciem ei curiosius intendens, graciam ipsi coelitus superventuram sagaci animo praevidit. Idque suis omnibus certissima attestatione pronuncians, ut in cunctis ei tanquam sibimet ipsi obsequerentur, mandavit. Deinde secrecius eum conveniens et unicum filium suum Richardum nomine per manum ei tradens ait: *Video, domine, quia largiente Deo magnus in* 2 Reg. 7, 9. *futuro apud Deum et homines eritis — revera enim faciet vobis Deus nomen grande*[g] *virorum magnorum, qui sunt in terra — unde peto, ut cum verba mea haec impleta fuerint, memor obsequii mei, fidem et misericordiam cum filio meo Richardo faciatis, et paternae consolacionis manum ab eo non subtrahatis.* Cui ille subridens: *Et quis ego*, inquit, *vel quid ego, aut quid* Psal. 137, 6. *magni in me esse poterit? Si tamen excelsus Dominus, qui humilia respicit et alta a longe cognoscit, exiguitatem meam promovere dignatus fuerit, absit a me peccatum hoc in Domino, ut benignitas et humanitas michi a vobis impensa oblivioni tradatur. Scriptum quippe est:* Eccl. 17, 18. *„Elemosina viri quasi signaculum cum ipso et graciam hominis conservabit.“ Decet igitur, ut et ego graciam et misericordiam, quam hic inveni, domui huic conservem.* Quod et postea devotus implevit, quia factus episcopus eundem Richardum familiarem sibi vernulam assumpsit, et specialis amoris privilegio fovere non desiit.

6.[h] *Qualiter quartus Heinricus imperator sanctum Ottonem ad se accersiverit et an psalterium legere posset inquisiverit, et de codice renovato per eundem.*

Sed ut ad id redeam unde digressus sum, imperator[i] Heinricus fide et prudencia pii Ottonis agnita, secrecius eum compellans, an psalterium cordetenus psallere posset, inquisivit. Quo respondente *Etiam*, gavisus[k] imperator eum sibi assedere[l] praecepit, et remotis aliis psalmodiae[m] cum eo vacabat, quociens a negociis expeditus esse poterat. Cf. Herbord 1, 3. Erat enim imperator[n] litteris usque[n] adeo imbutus, ut cartas, a quibuslibet sibi directas[o], per semet ipsum legere et intelligere praevaleret. Codex autem, in quo psalmos decantabat, manuali frequentia rugosus et admodum obfuscatus erat. Quod pius Otto cernens, absente imperatore vetusto codicem involucro[p] despoliavit, et novam mercatus pellem, eumque decenter cooperiens, loco suo reposuit. Veniens ergo postmodum imperator, et quod factum erat nesciens, psalterium a cubiculariis requirebat[q]. Turbantibus autem se ad quaerendum cubiculariis, dum prae oculis omnium iacens veteribus rescellis[28] codex exutus et novis decoratus induviis nescitur, fit huc illucque[r] discursus, nec quicquam reperitur.

a) suo aur. B 2a. 2b. b) aulam B. c) resignavit B 1. d) Siquidem — unde digressus sum *desiderantur omnia in* B. e) *sequentia in* A 2. *cum praecedenti coniuncta. In* A 1. *incipit caput* 6. f) *in rasura; legebatur ut videtur* aichardum A 1. g) iuxta nomen *addit*, virorum *omittit* A 2. h) De codice psalterii vetusto per sanctum Ottonem renovato A 2. *ubi* Ebbo *in margine.* i) *incipiunt codd.* B. *et addunt* igitur *post* imperator. k) *deest* B. l) assidere A 1. 2. B 2a. m) spalmodie A 2. n) *deest* B. o) missas B 2a. 2b. p) spoliavit inv. B. q) requisivit B 1. r) illuc B 2a. 2b.

27) Haec non bene inter se cohaerere videntur; nam Otto quum Spirae esset ob monasterium perficiendum, Anshelmi hospes factus est, i. e. postquam in aulam imperialem receptus est. 28) Quid sit dubium non est, sed rarissima vox.

Tandem imperator, divino[a] commonitus instinctu: *Vocate,* inquit, *Ottonem meum et ab eo sciscitamini.* Quo coram posito, imperator ab eo psalterium exquirebat. At ille concitus librum coram imperatore iacentem elevans: *Ecce,* ait, *prae oculis omnium, hic fuit, ubi et semper reponebatur.* Obstupefactus[b] imperator: *Ecquis*[c], ait, *tam nitido hunc innovavit operimento?* At[d] ille ait: *Ego, domine.* Quo audito, imperator[e] collum eius blandis stringens amplexibus, et in oscula proruens: *Vivit Dominus,* inquit, *sicut tu inter caetera diligentiae monimenta psalterium*[f] *meum, vetusto exutum tegmine, novo illustrasti operimento, sic et ego te paupertatis tunica spoliatum novi honoris culmine sublimabo.* Et exinde quaerebat opportunitatem, quomodo eum promovere et pontificali infula redimere posset. Nec multo post [1101.] anulus cum virga pastorali Premensis episcopi ad curtem[g] regiam perlata est.

7.[h] *De promotione sancti Ottonis ad episcopatum per Heinricum imperatorem et de introitu ipsius.*

Eo[i] tempore siquidem aecclesia liberam electionem non habebat, sicut postea sub Heinrico quinto mediante piae memoriae Kalisto[k] papa actum est. Sed cum quilibet antistes viam universae carnis ingressus fuisset, mox capitanei civitatis illius anulum et virgam pastoralem ad palatium transmittebant; sicque regia auctoritas, communicato cum [Cf. Herbord I, 3.] aulicis consilio, orbatae plebei idoneum constituebat[l] praesulem. Itaque cum, ut diximus, virga pastoralis et anulus episcopi Premensis[29] imperatori offerretur, mox ille accersito [29] unice dilecto sibi Ottone, munera[m] haec ei conservanda tradidit. Post paucos vero dies[30] [1102.] rursum anulus et virga pastoralis Ruoperti[n], Babenbergensis episcopi, domno imperatori transmissa est. Quo audito multi nobiles et tam scientia quam divitiis insignes ad curtem[o] regiam confluebant, qui episcopatum[p] Babenbergensem non mediocri pretio sibi comparare temptabant. Imperator vero gaudens, quod occasionem honorandi intimum secretalem suum Ottonem, ut voluerat, invenisset, cunctos, qui[q] pro eodem[r] episcopatu[s] adipiscendo satagebant, arguta responsionum ambiguitate suspensos reddidit. Accidit itaque, ut procedens crepusculo diei cuiusdam ex aula regia, et parumper in limine subsistens, audiret puerulos quosdam naturali callentes ingenio[t] talia invicem mussitare: *Non bene agit imperator, quod*[u] *nobilem illum Babenbergensem episcopatum precio venundare disponit. Cur non potius fideli suo domno Ottoni hunc assignat, in quo est aspectus angelicus, reverendus habitus, mores religiosi, facundia singularis, prudentia et magnanimitas admirabilis? Hunc omni pietate et industria*[v] *conspicuum decet esse pastorem populorum.* Audiens haec imperator hilaris effectus est, recordatusque propheticum octavi psalmi versum[w]: *Ex ore infantium* [Psal. 8, 3.] *et lactentium perfecisti laudem,* Deo gratias agebat, quod voluntatem suam hoc testimonio confirmari cernebat. Nec mirum quod infantilis aetas tali eum praeconio efferebat. Illo enim tempore, sicut et postea, tantae benignitatis tantaeque affectionis erga omnes erat, ut nemo cohabitantium ei inveniretur, qui non hunc ex corde diligeret, et verum Dei servum acclamaret. Sed et modestia habitus et perspicua[x] religionis auctoritas sic in eo eminebat, ut nullus eo praesente quippiam indecens aut risui aptum verbo[y] seu facto praetendere auderet, sed cum regiam curtem intrabat, mox omnis prioris lasciviae intentionem magna gravitatis manu tergebant. Imperator vero legatos honorabiles clero et populo [Cf. Herb. I, 7.] Babenbergensi dirigit, pastorem se eis idoneum et electum ex millibus providisse nunciat, utque capitanei civitatis Moguntiam[z] ad natale dominicum sibi occurrant, paterna dulcedine[*] mandat[a]. Exhilarantur[b] hoc nuntio Babenbergenses[c], et confestim Egilbertus praepositus, Adelbertus quoque[d] decanus cum Eberhardo piae memoriae, tunc Sancti Iacobi postmodum vero maioris ecclesiae praeposito, assumptis natu maioribus et quibusque illustrioribus personis, imperatori Moguntiam tempore[e] condicto occurrunt[f].

a) d. c. i. *desunt* B. b) et i. B 2a. 2b. c) quis B. d) et A 1. e) imperator — proruens *desunt* B. f) spalterium A 2. g) aulam r. translata est B. h) Quod illis diebus investituras ecclesiarum imperatores dare solebant, et de insignibus ad imperatorem illatis in obitu Ruperti episcopi A 2. *ubi* Ebbo *in marg.* i) *deest* A 1. k) Kalixto A 1. 2. B 2a. l) constituebant B 1. m) insignia B. n) Ruperti A 1. 2. Ruoberti B 2a. o) aulam B. *et sic porro.* p) alteram harum prece vel precio B. q) praecipue *add.* B. r) *deest* B. s) Babenbergensi *add.* B. t) ingenio call. B 2a. 2b. u) qui B. v) modestia B. w) versiculum B 2b. x) *deest* B 1. y) *deest* B 2a. 2b. z) Mogontiam B 2a. *) p. d. *desunt* B. a) denunciat B. b) omnes *add.* B. c) *deest* B. d) Adalbertusque A 1. B. e) *deest* B. *Sequens caput in* A 1. *coniunctum cum praecedente.* f) occurrerunt A 2.

29) Liemari, qui obierat 17. Mai. 1101. Innuere videtur auctor imperatoris consilium constituendi Ottonem Liemari successorem. Sed Bambergensem episcopatum ei tertium oblatum esse dicit Otto in litteris ad Paschalem, Herbord. I, 9. 30) Totum annum post Liemarum obiit Rupertus 11. Iun. 1102.

8. *De postulatione cleri et populi ad Sanctum Michaelem pro ydoneo rectore agentibus nunciis aput imperatorem, et qua imperatoris commendatione Otto eis episcopus designatus sit.*

Cf. Herb. I, 7. Interim[*] vero clerus et populus Babenbergensis diu iam episcopali benedictione 1102. privatus, nullo modo a precibus cessabat, sed unanimi[a] devotione congregatus, in dominica Dec. 21. proxima natali dominico solempni processione cum reliquiis sanctorum montem beati Michahelis archangeli ascendunt, ibique missarum celebritatem summa compunctionis dulcedine agentes, divinam exorabant clementiam, ut per summum suae sedis ministrum, qui semper in adiutorium populo Dei occurrit, eis propiciatus, acceptabilem sibi[b] largiri dignaretur antistitem. Quorum preces et vota quomodo secretissimas Dei penetraverint aures, hodieque et usque in consummationem seculi patenter datur intelligi, quia talem huic aecclesiae destinavit praesulem, qui omnes praedecessores suos meritorum praerogativa Eccli. 49, 2. longe antecessit, cuius memoria in omni ore quasi mel indulcabitur[c], et ut musica in convivio vini. Divinitus enim revera in hunc locum est directus, quem pene collapsum mirifice Deo cooperante reparavit, et cultu interiori[d] et exteriori tam nobiliter augmentavit, ut quousque mundus iste volvitur, eius laudabile meritum semper accipiat incrementum. Ve-Cf. Herb. I, 7 nientibus itaque capitaneis aecclesiae Babenbergensis imperator eos cum[e] honorifico gaudio suscepit et adscitis coram principibus ait: *Quantum profectui et honori aecclesiae Babenbergensis congratuler, hinc advertite, quod, cum tot magnae et alti sanguinis personae episcopatum[f] a me precio comparare temptarent, ego illum potius, qui fide, moribus, sapientia et religione cunctis praestat[g], vobis eligere malui.* Et advocans pium Ottonem, anulum et virgam pastoralem[h] Premensis episcopi[i] ab eo repetiit. Illo[k] sine mora resignante haec imperator ait: *Ex multo iam tempore fidelem te michi et prae omnibus utilem approbavi; tempus est, ut et ego fidei tuae digna munificentiae meae largitate respondeam. Accipe nobilem aecclesiae Babenbergensis praesulatum, quem multi quidem pecuniis et muneribus sibi comparare satagunt, sed ego spretis omnibus illis, te solum hoc[l] pontificali culmine statui illustrare.* Ibid. I, 7. Mox pius Otto cadens in faciem et cum lacrimis se tanto apice indignum esse[m] protestans, iussu[n] caesaris ab optimatibus erigitur[o], anulo et virga pastorali, quamvis plurimum renitens, investitur, et quantum se indignum fatebatur, tantum dignius a cunctis asserebatur, mirumque in modum universa quae aderat multitudo in electione eius[p] acclamabat. Una omnium voluntas, eadem vota eademque sententia, Ottonem episcopatu esse[q] dignissimum, felicem fore tali aecclesiam[r] sacerdote. Quid multa? Non aliud pium Ottonem facere licuit, nisi quod imperator et populus Domino volente constituit. Itaque imperator clero et populo affectuosa eum sedulitate commendans: *Ecce,* ait, *electus et Deo dignus pontifex! Hunc, ut viscera mea desiderant[s], suscipite, scientes eum omni divina et humana scientia probabiliter instructum. Nam, ut verum fatear, ex quo regni solium Deo largiente conscendi, in* Ibid. I, 7. *comitatu nostro[t] vel in capella nostra non memini me virum honestate, prudentia et omni vir-*31 *tutum genere praestantiorem vidisse.* Ad haec Berincherus[u], comes de Sulzbach[31], cui cum bonis semper laeva voluntas fuit, submurmurans: *Domine,* ait, *nescimus, quis vel unde sit,* Ibid. I, 7. *quem nobis pastorem assignasti[v].* Cui imperator: [w]*Unde sit,* ait, *quaeris? Babenbergk[x] mater eius, ego autem pater ipsius sum. Et vivit Dominus, qui nocuerit eum, tanget[y] pupillam oculi mei, quive eum deponere temptaverit, me quoque regni solio privabit. Hunc divino credens electum iudicio vobis pontificem dignum offero; nam qualis sit, quantave in eo gratia redundet, evidentius adhuc experimentum capietis.* His[z] dictis cuncti elata[*] in altum voce laudem Deo canebant, clerus et populus prospera ei divinitus[a] inprecando, affectuosis vocibus concrepabat[b].

9. *Qua[c] honestate imperator Ottonem episcopum ad sedem suam direxerit et quomodo susceptus sit.*

Imperator autem secretius eum de necessariis quibusque paterna informans dili-

*) Ebbo *in marg.* A 2. a) in unanimi B 2[a]. 2[b]. b) *deest* B 2[a]. 2[b]. c) indulcorabitur B 2[a]. 2[b]. d) tam quam ex. B 1. e) benigne B f) hunc *add.* B. g) praestat exemplum B 1. h) *deest* B 1. i) archiepiscopi B 2[a]. 2[b]. k) illoque B. l) *deest* B. m) *deest* B. n) i. ipsius *add.* B 2[a]. 2[b]. o) *deest* B 1. p) *deest* A 2. q) *deest* B 2[a]. 2[b]. r) aeccl. tali B 2[a]. 2[b]. s) desideranter B 1. *deest* B 2[a]. 2[b]. t) in com. n. *desunt* B. u) Beringerus A 2. v) assignastis *corr. al. m.* B 1. w) si *add.* A 2. x) aecclesia *add.* B. y) tangat A 1. z) hiis B 2[a]. 2[b]. *) elevata B 1. a) *deest* B 1. b) concrepabant B 1. c) *caput 9 cum praecedente coniunctum in* A 1. Ebbo *in marg.* A 2.

31) qui *vir illustrissimus comes Berengerus*, postea advocatus monasterii Michelveldensis, fundationis litteris 6. Mai. 1119 subscripsit; Ussermann. Ep. Bamb. c. p. n. 70.

gentia, aliquandiu in palatio detinuit, donisque optimis cumulatum aecclesiae Babenber- 1103. gensi honorifice[a] destinavit. At pius Otto kari caesaris vitam karissimo[b] Ihesu multum Ian. commendans, iter cum suis aggressus est. Cumque emenso itinere ad villam Ampharbach[c] dictam venisset, occurrunt[d] ei eminentiores quique et honorati Babenbergensium, et magno exultationis conventu patrem desiderantissimum excipientes, debiti[e] sedulitate obsequii invicem sese praevenire certabant. Ipse autem paullulum ex eadem villa progressus, cum civitati Babenbergk[f] appropinquaret, ad demonstranda verae humilitatis et invictae magnanimitatis exempla, equo cui insederat[g] sese excuciens et calciamentum solvens, cf. Herbord I, 8 nudipes intrat urbem. Erat autem tunc hyemps nivosa et glaciali frigore asperrima, et ille beatus, igne divini amoris calens in intimis, virili constantia tolerabat horrorem tanti algoris, ita ut per longissimos[h] viae tractus nudipes ambulans, cunctis per[i] hoc admirationi esset ac[k] stupori. Igitur in purificatione[32] sanctae Dei genitricis Mariae pio Ottone kathe- Febr. 1. dram suam invisente, clerus et populus Babenbergensis unanimi devotione adunatus ante portam civitatis occurrit, et solempni apparatu cantuque dulcisono, ut competebat, in domum[l] Domini novum pastorem deducentes, cum lacrimis spirituali gaudio plenis Deo gratias agebant. Cumque prius debita[m] devotae susceptionis et salutationis iocunditate[n] domum[o] episcopalem adisset, pedes eius nimio gelu diriguerant, ita ut sanguis guttatim procurrens tepida eos aqua confoveri urgeret. Unde et postmodum saepius vehementissimo podagrae dolore cruciabatur. Sed inerat ei admiranda fortitudo patientiae et robur mentis, tantaque vis amoris Christi, ut pro hoc a Dei opere nullatenus cessaret. Sciens autem veredicum illud proverbium: *Hereditas, ad quam festinatur in principio*[p], *in novissimo* Prov 20,21. *benedictione carebit*, consecrationis suae gratiam longo tempore, id est per triennium, distulit, ut postmodum suscepti praesulatus curam tanto perfectiori interiorum et exteriorum scientia administraret, quanto ad hanc instructior ex tempore veniret. Augebat quoque dilationis huius[q] causam scismatis, quod tunc in regno erat, dolenda satis confusio, quia Ruthardus venerabilis Moguntinus archiepiscopus, quasi rebellis imperatori, et per[r] hoc kathedra sua depulsus[33], in Thuringia per octo annos iam morabatur. Plurimi quoque epi- 1105. scoporum in Teutonicis partibus officii sacerdotalis suspensione multati fuerunt. Unde pius Otto ordinationis suae gratiam a beatissimae memoriae Paschali[s] papa consequi desiderabat, sciens quantae affectionis privilegio Babenbergensis[t] aecclesia a fundatore suo beato[u] Heinrico imperatore primitus Romanae sedi, quasi unica filia matri, esset oblata[v]. Pro[w] hoc ergo litteras huiuscemodi per fideles et honorabiles nuncios misit apostolico:

10. *Qualiter*[x] *sanctus Otto suam electionem confirmari fecerit per domnum Paschalem.*

Domno[34] *apostolico Paschali, praerogativa meritorum et sanctitate morum Romanae* 1106. Mart *sedis apice condigne sublimato, Otto Dei gratia Babenbergensis electus, cum omni devotione*[y] *orationes promptissimas et servicium tam voluntarium quam debitum. Quia tandem, Domino* Apr. *miserante et aecclesiae suae navim moderante, post nubilas errorum tempestates serenae lux veritatis occidentali refulsit aecclesiae*[35], *ante omnia et super omnia desideramus*[z] *scire sanctitatem tuam*[*] *in omnibus nos paruisse, uti decuit*[a], *legato tuo, episcopo videlicet Constantiensi*[36], *et summa devotione cuncta, quae per ipsum edocti sumus, partim exsecutos fuisse, partim, si vita detur, exsequi paratos*[b]. *Quam ob rem vestigiis pedum tuorum advoluti, obnixe flagitamus, ut paternitatis tuae servum patienter audias. Siquidem mundo iam in maligno posito, cum vix cuiquam creditur homini vel loco, non parvae nos torquent angustiae pro ordinationis nostrae assecutione*[c]. *Proinde dubius et anxius et fluctibus curarum naufrago simillimus, cum principe apostolorum, cuius vicem tenes*[d], *ad te clamo: „Domine, salva me!“ Et ut paucis summam*

a) *deest* B. b) *deest* B. c) Ampherbach A 1. 2. B 1. d) occurrerunt B 2[b]. e) debita A 2. *in rasura.* f) Babenberg A 2. *et sic porro.* Babenbergensi B 1. g) insiderat B 2[a]. 2[b]. h) longissimae B 1. i) pro B. k) atque A 2. l) domo B 1. m) post debitam A 2. B. n) iocunditatem A 2. B. o) d. ep. *desunt* B 2[b]. p) in pr. f. B 2[a]. 2[b]. q) h. dil. B 2[a]. 2[b]. r) pro B. s) Pascali B 2[a]. 2[b]. *saepius.* t) Babenbergensi A 2. u) *deest* B 2[a]. 2[b]. v) obligata B. w) pro — apostolico *desunt* B 2[b]. x) De litteris ad apostolicum pro sua causa directis A 2. y) spiritus *add. cod. Udalr.* z) desiderans B 2[a]. 2[b]. *) vestram B 2[a]. 2[b]. *ubique.* a) uti d. *desunt* B 2[a]. 2[b]. b) velle *cod. Udalr.* c) exsequutione B 2[b]. d) geritis B 1. tenetis B 2[a]. 2[b].

32) in vigilia purificationis. 33) Quod factum erat 1098 teste Ekkehardo; rediit, ut idem probat, tempore autumnali 1105. 34) Legitur in codice Udalrici 226. Post reditum ex infecta illa legatione m. Febr. 1106 scripta est epistola, de qua vide ad Herbord. I, 9. i e. mense Martio vel Aprili 1106. 35) Pacem Heinrici IV depositione Ian. 1106 firmatam esse sibi persuadet. 36) Gebehardo.

1106. *nostrae causae concludamus, in hac hora et potestate*[a] *tenebrarum te solum respiciunt oculi nostri, tibi debitam*[b] *servare obedientiam parati sumus, tecum aut consistere aut pro te in* 37 *carcerem ire*[37] *decrevimus. Auctoritati ergo tuae tota mente desideramus inniti, tu*[c] *nobis manum porrige, quod nos velis facere, iube! Si*[d] *mandas, ut ad te veniamus, opes nostrae licet rapina et igne sunt attritae, tamen desiderio te videndi et consecrationis gratiam assequendi*[e] *cum debita servitutis nostrae benedictione tuae maiestatis praesentabimur aspectibus. Dignentur ergo viscera pietatis tuae super hoc negotio aliquo nos rescripto certum reddere, quo et iter tutius*[38] *ad te veniendi nobis praemonstretur, et benedictionem, quam devoti efflagitamus, a te percepturos*[f] *esse significetur. Quam*[g] *nimirum propterea a tuae sanctitatis manu tantopere expetimus, quia metropolitanus noster*[39]*, etsi per te habeat consecrationis gratiam*[40]*, tamen — quod sine lacrimis fateri nequimus — magnam cooperatorum spiritualis doni patitur* 41 *penuriam*[41].

11. *Quomodo*[h] *investitus et consecratus sit per manus domni apostolici.*

Hiis ergo litteris ab apostolico reverenter[i] susceptis et relectis, idem summus pontifex Paschalis gaudio[k] repletus — erat enim totus caritate diffusus omnique affabilitate iocundus — pium Ottonem paterna dulcedine ad sedem apostolicam evocavit[42]. Qui pro hoc ymnidicas[l] Deo gratiarum actiones exsolvens, ut mandatum acceperat, cum suis impigre limina apostolorum adiit. Cumque hilari[m] satis reverentia ab apostolico susceptus Prov 18,17 fuisset, iuxta quod scriptum est: *Iustus in principio sermonis*[n] *accusator est sui*, genibus domni papae advolutus, curam pastoralem humiliter ei resignavit, se indignum et nullatenus tanto oneri aptum esse lacrimosis singultibus vociferans. Verebatur enim aliquantula symoniacae haereseos umbra se esse[o] respersum, quia tanto tempore in curte regia fideli ministerio desudaverat, ne forte imperator pro mercede eiusdem servitii pontificatus eum infula sublimasset, ideoque non sine animae periculo huius sacerdotii dignitate fungeretur. Unde maluit temporanei honoris subire dispendium, quam superni arbitri[p] oculos offendere, animaeque suae pati detrimentum. Cumque abdicata pastorali cura, e conspectu apostolici gaudens pro huiusmodi libertate abscessisset, conversus ad Dominum: *Expeditius*, inquid, *tibi, Domine, serviturus sum, quia tanto me onere liberasti.* Sed non diu hac ei libertate frui licuit. Papa enim divino tactus spiritu, sequenti die ad revocandum Dei virum 43 legatos dirigit[q], cum iam ille ad locum Sudra[r. 43] dictum venisset, eique onus aecclesiastici regiminis, quod pridie abreiecerat, licet plurimum renitenti, ex auctoritate sancti Petri imposuit, et iterum iterumque[s] renitentem dulcibus et vere paternis animavit promissionibus, se ei fautorem et fidelissimum[t] contra omnes mundi impetus defensorem spondens. Deinde Mai. 12. in vigilia penthecostes xenia ei per honorabilem transmisit apocrisiarium; cui et hoc in mandatis tradidit: *Dic episcopo, ut praeparet se ad accipiendum Spiritum sanctum.* Sicque Mai. 13. in die sancta[u] penthecostes, quae erat 3. Idus Maii, scilicet in natalicio[v] sancti Gangolfi[w] martiris[44], Deo dignum antistitem propriis tanquam beati Petri manibus solempniter con- cf. Ep. Ottonis ad Babenberg. secravit in Anagnia civitate, quae Romaniam dividit et Apuliam, et privilegio crucis ac pallii tam eum quam omnes successores eius[x] in perpetuum honorandos esse censuit, idque scriptis talibus confirmavit[45]:

12.[y] *De litteris ipsius apostolici aecclesiae suae ipsum commendantis.*

1111. Apr. 15. *Paschalis*[z] [46] *episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Ottoni Babenbergensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem. Karitatis proprium est bonis*[*] *congaudere*

a) potestatis B 1. b) debite A 1. 2. c) vos n. m. misericordiae porrigite et quid B 1. *desunt haec verba* B 2a. 2b. d) igitur *add.* B 1. e) consequendi B 2a. *cod. Udalr. qui addit* volenti animo. f) si percepturi sumus B 1. g) quod B 2a. h) *in* A 1. *cum capite* 10 *coniunctum.* Ebbo *in marg.* A 2. i) *deest* B. k) gaudio iocundus *desunt* B. l) D. gratias exs. B. m) clementer ab apostolico susc. B. n) *deest* B. o) *deest* A 1. 2. B 2a. 2b. p) arbitris A 1. B. q) direxit B 1. r) supra B 1. s) atque iterum B 2a. 2b. t) fidissimum B 2a. 2b. u) sancto B 1. v) in n. *desunt* B 2a. 2b. w) Gingolfi A 1. x) suos B 2a. y) *cum cap.* 11. *coniunctum in* A 1. Ottoni episcopo B 2a. z) *omnia quae sequuntur usque II. desunt* B 2a*. *) bonum A 1. 2. B 2a. 2b.

37) Cui vix evaserat Otto in legatione illa ab Adalberto marchione intercepta. De his episcopi sui periculis clerus Bambergensis duas scripsit litteras cod. Udalr. 282 et 283. Ussermann. 59. 38) quam prius illud iter. 39) Ruthardus. 40) Hanc archiepiscopo Moguntino fuisse ab ipso papa interdictam, nunc vero restitutam, apparet ex litteris quas Otto de hac ipsa re antea ad cardinalem quendam scripserat cod. Udalr. 227. 41) quia ob simoniacam haeresin anathemate erant constricti. 42) Herbord. I, 9. 43) *Sutri.* 44) Haec signa accurate indicant a. 1106. 45) Errat; anno demum 1111 factum est. 46) Cod. Udalric. 232 Jaffé Reg. pontiff. 4663.

profectibus aliorum; karitas enim non quaerit quae sua sunt; unde et[a] *apostolus: „Tunc, ait,* 1 Cor. 13, 5
vivimus, si vos statis in Domino." Et iterum: „Quae est enim nostra spes aut gaudium vel 1 Thes. 2, 19
corona gloriae?" Nonne vos ante dominum nostrum Iesum Christum? Hoc igitur karitatis debito provocamur, et apostolicae sedis auctoritate compellimur honorem debitum fratribus exhibere, et[b] *sanctae Romanae aecclesiae dignitatem pro suo cuique modo ceteris aecclesiis inpertiri. Idcirco venerabilis frater*[c] *Otto, Babenbergensis episcope, dilectioni tuae pallium ad sacra missarum solempnia celebranda concedimus; quo nimirum fraternitas tua intra aecclesiam tantum uti noverit, illis solummodo diebus, quos praesens descriptio continet, videlicet die sancto resurrectionis dominicae et penthecostes, item nativitate domini nostri Iesu Christi, et in natalicio apostolorum sanctorum Petri et Pauli*[d]*, in solempnitate sancti Dyonisii martiris*[e]*, anniversario etiam tuae consecrationis die, et*[e] *dedicationibus aecclesiarum. Cuius nimirum pallii volumus te gratiam per omnia vendicare; huius siquidem indumenti honor humilitas atque iusticia est. Tota ergo mente fraternitas tua se exhibere festinet in prosperis humilem, et*[f] *in adversis, si quando eveniunt, cum iusticia erectam, amicam bonis, perversis contrariam; nullius unquam faciem contra veritatem suscipiens, nullius unquam faciem pro veritate loquentem premens, misericordiae operibus iuxta virtutem substantiae insistens, et tamen insistere etiam supra virtutem cupiens, infirmis compatiens, bene valentibus congaudens, aliena dampna propria deputans, de alienis gaudiis tanquam de propriis exultans, in corrigendis viciis pie saeviens, in fovendis virtutibus auditorum animum demulcens, in ira iudicium sine ira tenens, in tranquillitate autem severitatis iustae censuram non deserens. Haec est ergo, frater karissime, pallii accepti dignitas, quam si solicite servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Ad haec etiam crucis vexillum intra Babenbergensis aecclesiae parrochiam*[g] *ante faciem tuam portari concedimus, salva videlicet*[h] *Moguntinae metropolis reverentia, ut speciali sanctae Romanae aecclesiae dignitate praeditus, specialiter eius studeas obedientiae*[i] *ac servitiis insudare. Fraternitatem tuam superna dignatio per tempora longa conservet incolumem. Amen.*
Scriptum per manum Iohannis[k] *scriniarii, regionarii ac notarii sacri palacii*[47]. 47

Sed et reverendo praesuli Ruothardo metropolitano idem apostolicus litteras commendaticias pro dilecto patre[l] Ottone misit in hunc se[m] modum continentes:

13. *De litteris ipsius apostolici ad Ruthardum archiepiscopum Moguntinum pro sancto Ottone directis*[n].

Paschalis[48] *episcopus*[o]*, servus servorum Dei, Ruothardo Maguntino archiepiscopo salutem* 1106. Mai. 21.
et apostolicam benedictionem. Quantum a suae institutionis exordio Babenbergensis aecclesia sedi apostolicae familiaris exstiterit, prudentiae tuae notum existimamus. Congruum igitur duximus, ut venientem ad nos venerabilem fratrem nostrum Ottonem, eiusdem aecclesiae electum, integra et perfecta praeteritae familiaritatis gratia susciperemus. Praeterea, quoniam
aecclesia eadem per diuturna iam[p] *tempora episcopalis officii sollicitudine caruit*[49]*, et propter* 49
praeteriti scismatis ultionem in Teutonicis partibus perpauci episcopali funguntur officio, iuxta ipsius aecclesiae postulationem eidem fratri nostro karissimo, cum per multa ad nos venisset pericula, consentientibus et unanimi sententia decernentibus omnibus qui nobiscum aderant, episcopalis benedictionis manum Domino largiente contulimus, salva nimirum debita tuae metropolis reverentia. Eum igitur ad vos[q] *cum nostrae gratiae dulcedine remittentes, fraternitati vestrae*[r] *litteris praesentibus commendamus, ut quanto sedi apostolico familiarior creditur, tanto aput vos*[q] *carior habeatur. Data Lateranis 12. Kalend. Iunii.* Talibus scriptis beatissimum patrem nostrum Ottonem apostolicus divae memoriae Ruothardo archiepiscopo fideli suo commendans, quam intimis paterni amoris visceribus eum amplectendo foverit, ac[s] fovendo amplecteretur, evidentius aperuit. Nec inmerito; praevidebat enim Ottonem[t]

a) *deest* B. b) *deest* B 2a. 2b. c) *deest* B. d) et *add.* B 2a. 2b. e) in *add.* B 1. f) *deest* B 1. g) barrochiam B 1. h) dumtaxat B 1. i) ob. ac *desunt* B. k) Heinrici B. l) filio B. m) *deest* B 1. n) *cum capite* 12 *coniunctum* A 1. B 2a. *addit rubram* Ruthardo archiepiscopo. o) *deest* A 1. p) *deest* B. q) te B. r) tuae B. s) et B 2a. 2b. t) beatum A 2. B.

47) Haec est subscriptio: *Datum Romae in insula Lycaoniae p. m. Ioannis s. R. e. diaconi card. ac bibliothecarii vice domni F. archicanc. et Coloniensis archiep. 17. Kal. Mai. ind. 4. inc. dom. a.* 1111, *pontificatus autem domni P. a.* 12. *imperii vero H. IV. imp. a.* 1. 48) Cod. Udalr. Jaffé Reg. 4530. 49) Pontificis videtur sententia ecclesiam episcopali officio caruisse usque ad hanc Ottonis consecrationem. Ottonis antecessor Rupertus Heinrici IV erat fautor.

hunc firmissimam aecclesiae Dei[a] columpnam futurum, et archam Domini inter undas diluvii felicissima gubernatione recturum. Nichilominus clero et populo Babenbergensi idem summus aecclesiae pastor litteras huiuscemodi transmisit, ut filiis quoque[b] unicum patrem antea gratum ex hoc[c] gratiorem redderet:

14. *De litteris ipsius apostolici ad clerum et populum Babenbergensem Ottonem suum commendantis.*

1106. Mai. *Paschalis*[d. 50] *episcopus, servus servorum Dei, clero et populo Babenbergensi salutem et apostolicam benedictionem. Quantae*[e] *affectionis debito Babenbergensis aecclesia ab ipso suae constitutionis primordio sedi apostolicae constringatur, etsi nos lateret, litterarum vestrarum significatio manifestat. Quod affectionis debitum venerabilis frater noster Otto, vestrae aecclesiae electus, non inconstanter tenuisse et tenere cognoscitur, cum per tot et tanta pericula ad apostolicae sedis visitationem tendere procuravit. Nos igitur eum debitae benignitatis affectione suscepimus, et iuxta vestrae*[f] *dilectionis desiderium, nostris tanquam beati Petri manibus, salvo metropolitani iure, vobis per Dei gratiam praesulem ordinavimus*[g]. *Hunc ergo sub praesentium litterarum prosecutione ad aecclesiae vestrae regimen remittentes, plena hortamur affectione diligi, plena humilitate venerari. Confidimus enim eum disciplinae aecclesiasticae futurum esse custodem, et salutis vestrae sollicitum provisorem. Huic ergo sedulis obedite obsequiis, et gratiam vobis in eo conciliate coelestem. Integritatem fidei katholicae firmam semper*[h] *in omnibus conservate, sedi apostolicae semper devotius adhaerete, ut per eius consortium a contagiis omnibus liberi, ad aeternae salutis portum feliciter*[i] *pervenire Domino largiente mereamini.* Hoc modo vir ille, per omnia apostolicus et vere dignus Petri vicarius, patrem filiis devotissimis commendabat. Ad haec[k] etiam ipse piissimus pater Otto, non ignarus curarum et sollicitudinum, quibus grex fidelis pro unico pastore angebatur, iam iamque ardens et siciens desiderabili eius reditu recreari, consolatorias ei[l] misit litteras haec continentes:

15. *De litteris consolatoriis sancti Ottonis clero et populo Babenbergensi missis.*

1106. Mai. *Otto*[m. 51], *Dei gratia*[n] *Babenbergensis episcopus, Eberhardo*[o] *praeposito, Adelberto decano, ceterisque fratribus omne bonum. Quantum ego novi et expertus sum karitatem vestram, scio vos iam diu expectare eventum nostri laboris, ut de nostro successu, siquidem bene per*[p] *misericordiam Dei successerit, gaudeatis. Ne ergo diutius suspensi aut dubii de nobis sitis, sed*[q], *ut iustum est, sincerissime gratulemini, litteris istis*[r] *significare vobis decrevimus, quam misericorditer Deus more suo post inmensos labores et sudores plurimos nobiscum operatus sit. In die*[s]
Mai 13. *sancto penthecostes, qui dies*[t] *ex adventu sancti Spiritus sacratus et*[t] *cunctis fidelibus iure*[t] *solempnis est, illo inquam die, Domino*[u] *sic ordinante, in Anagnia civitate Campaniae, quae Romaniam dividit et*[v] *Apuliam, episcopalis benedictionis munus*[w], *quamvis indignus, Domino largiente, suscepi, beatissimo papa Paschali manum inponente, ceteris vero episcopis plurimis cooperantibus, clero quoque Romanae aecclesiae, cuius magna pars ea die in eandem civitatem convenerat, astante et consentiente; et quod nulli a Romano pontifice consecrato nostris temporibus contigit, sine obligatione alicuius iuramenti consecratus sum. Huius loci, huius diei, huius gratuitae misericordiae Dei semper memores esse debemus, et ut vos memores esse velitis, cum omni gratiarum actione obnixe precamur, praecipue cum aliae quam plures venerandae*[x] *personae de magnis rebus aput apostolicam sedem agentes, infecto negotio redierint*[y]. *Magni-*
Psal. 33, 4. *ficate ergo Dominum mecum et exaltemus nomen eius invicem*[z], *cui quam facile est resistere superbis, tam facile est humilibus dare gratiam. Quia vero asperum est confusis temporibus esse praepositos, curandum nobis est et omnino satagendum, ut res dura fiat mercedis occasio. Dum ergo seminandi tempus est, semina bonorum operum serere non cessemus, ut maiores in die messis laeticiae manipulos reportemus, capiti nostro, quod est Christus, per compagem karitatis adhaerentes, ne ab eo, mundanis plus iusto intenti lucris, separemur, et veluti palmites de vite eiecti arescamus. Set quia in exequendis iusticiae operibus divinae gratiae adiutorio*

a) *deest* B 1. b) *deest* B. c) ex hoc *desunt* B. d) *coniunctum cum antecedentibus in* A 1. e) Tantae — constringitur, ut si nos series litterarum vestrarum lateret exhibicio, tamen operis manifestaret B 1. f) nostrae B 2a. 2b. g) ordinamus B 2a. h) firmam semper *desunt* B. i) *deest* B. k) sed et B 1. l) eis B 1. m) *cum antecedentibus coniunctum* A 1. Otto — bonum *desunt* B 1. n) g. d. A 1. o) Egilberto *falso codd.* p) per m. D. *desunt* B. q) *deest* B. r) per eas enim signif. *add.* B 1. s) enim *add.* B 1. t) *deest* B 1. u) Deo B. v) atque Ampuliam B 1. w) manum B. x) pervenerandae B 1. y) redierunt A 2. z) in invicem B.

50) Eaedem litterae Herbord. I, 11. 51) cf. Herbord. I, 10.

opus est, omnipotentis Dei[a] *assiduis precibus clementiam*[b] *exorate, quatenus ad haec nobis*[c] 1106.
operanda et velle tribuat et posse concedat, atque in ea nos via cum fructu boni operis, quam Ioh 14, 6
se esse testatus est, dirigat, ut, sine quo nil assurgimus[d], *per ipsum implere omnia valeamus.*
Igitur electus Dei pontifex, consecratione solempni ab apostolico honorifice[e] provectus,
aliquantisper ab eo humanitatis gratia est detentus[52], sicque optata potitus emissione, pro- 52
spero itineris decursu transcensis Alpibus Karinthiam venit.

16. *De generali colloquio principum Ratisponae habito et de reditu pii Ottonis ad sedem suam.*

Post[f] haec imperator Heinricus universis regni principibus curiale colloquium Ratis- Dec. 25.
bonae indixit[g]. Ad quod novus antistes pius Otto occurrens, debiti honoris reverentia
susceptus est, cunctosque optimates praesentes elegantia morum et sapientiae[h] gravitate
ac paternae dulcedinis affabilitate, miro sibi devinxit amore, ita ut felicem unanimiter pro-
clamarent aecclesiam, quae[i] tali divinitus donata esset sacerdote. Sicque regia cumulatus
munificentia, post arduae peregrinationis angariam pastor pius ovium suarum curam sus-
cepturus, Babenberc ingreditur, ibique a clero et populo, immenso[k] iubilationis tripudio
ac[l] si angelus e coelo missus excipitur[m]. Qui tali[n] potitus honore, in hoc omne studium
suae devotionis impendit, ut et splendore virtutum radiaret in moribus, et glorificantem se
Dominum[o] suis glorificaret operibus. In cunctis[p] enim affectabat honorem Christi, salutem
populi, contemptum sui, sciens sibi in his omnibus non sua set Domini esse lucra quae-
renda. Nitebatur itaque in domo Domini oliva esse fructifera, studuitque in populis verbi Psal. 51, 10.
erogare talentum, pro quo se sciebat quandoque super omnia Domini bona constituendum.
Quapropter de commissa sibi cura sollicitus, aecclesiasticae utilitati diebus invigilabat[q] ac
noctibus, dans operam, quomodo bona aecclesiae suae vel[r] augeret inventa, vel restau-
raret amissa[s]. Cum[t] itaque[u] ad dilatandam Christi gloriam tota eius flagraret[v] intentio,
quaedam cenobia a fundamentis construxit, quaedam vero prius tenuiter inchoata, sed per
eum aecclesiae Babenbergensi digno precio acquisita[w], largo sumptu perfecit[x].

17. Primiciae votorum eius aedificatio fuit duorum coenobiorum in episcopatu Wirze- cf. Carm. de Ottone. Herbord. I, 24.
burgensi, Uoraugia[y] videlicet sub patrocinio beati Laurentii, Uoraha[z] vero in honore prin- 1108. 1128 – 1139.
cipis apostolorum. Item alia duo in propria fecit dyocesi, Lancheim in honore semper 1132.
virginis Dei genitricis Mariae, et Michilvelt[*] sub patrocinio sancti Iohannis euangelistae. 1119. Mai. 6.
Sex deinde[a] construxit monasteria in episcopatu Radisponensi, Bruveningen videlicet pre- 1109.
cioso martyri Georgio, Endistorph[b] beato Iacobo apostolo, Madelhardestorph[c] in honore 1123. 1109
sancti Iohannis euangelistae, Biburk[d] sub patrocinio perpetuae virginis Mariae, Mûnster[e] vero 1133. Oct. 28.
sancti Petri apostoli titulo adornatum[f], Windeberk[g] autem regularium clericorum memoria 1133.
gloriosae matris Domini condecoravit[h]. In episcopatu vero[i] Halberstatensi[k] construxit Regi-
nisdorf[l] in honore sancti Iohannis baptistae, in episcopatu autem[m] Eistetensi Halesbrunnen[n] 1110. 1132.
sub defensione Dei genitricis Mariae, in episcopatu vero[o] Pataviensi Alderspach[p] et Clu- 1139. 1121.
nich in honore sancti Andreae apostoli; in episcopatu Aquilegiensi[q] Arnoldistein[r] titulo
sancti Georgii martiris nobilitavit[s]. Sex cellas divino cultui assignavit; Aspach sancti
Mathaei, in loco Babenbergensi beatae Fidis virginis et martiris, in Rothaha[t] sancti Georgii, 1137. Mai. 25
Drosendorph[53] et Tullevelt[u] itemque Vezzere[v] defensioni Dei genitricis attitulavit. Hiis 1135.

a) omnipotentem Deum B2b. b) *deest* B2a. 2b. c) *deest* B. d) sumus B. e) *deest* A2. f) *cum prioribus coniunctum in* A1. Ebbo *in marg.* A2. P. h. ad curiale colloquium quod H. i. B. g) indixerat O. n. a. occurrit et inter principes loquebatur sapientiam ita ut felicem *etc.* B. h) sapientia A1. i) aeccl. t. d. s. donatam B1. k) debitae B. l) honorifice suscipitur B. m) exciperetur A2. n) tali — in moribus et *desunt* B. o) Deum in suis glorificans B. p) *deest* B. q) *deest* B2a. 2b. r) *deest* B1. s) dispersa B. t) Cum — perfecit *desunt* A1. *in quo sequitur* c. 10. De mirabili benignitate beati Ottonis episcopi, *cuius initium ex Herbordo est descriptum.* u) cumque B. v) flagularet B1. w) aquisita *corr.* acquisita B1. x) *sequitur* A2. *caput* 16 *quod est Herbordi. Hoc quod inscripsimus c.* 17 *deest* A1. 2. y) ūraugia B2a. vraugia B2b. z) uraa B2a. 2b. *) micheluelt B1. a) Exinde B1. b) endistorf B1. c) madelhardesdorph B1. d) biburch B1. e) munster B2a. f) adornavit B1. g) windeberch B1. h) condecoratum B2a. 2b. i) *deest* B1. k) halberstadensi B2a. l) Reinsdorph B2a. m) autem *deest* B2a. 2b. n) halesbrn B1. o) *deest* B1. p) Merspach *falso codd.* q) aquileigensi B1. r) arnoldisten B2a. s) nobilitatum B2a. 2b. t) rothaa B2a. 2b. u) tullevelth B2a. 2b. v) vezezere *corr.* vezzere B1.

52) Quum Ottonis nomen inter nomina Teutonicorum episcoporum, qui concilio Guastallensi intererant 22. Oct. 1106, non reperiatur, Ussermann. p. 60 eum prius Italiam reliquisse recte coniicit; Ratisponensis enim conventus teste Ekkehardo die nativitatis Domini a. 1106 est habitus. 53) Melius, ut videtur, Herbordus I, 30. legit *Tuchelenhusen in pago Tullevelt.* Drosendorf Egilbertus episcopus 1145 donavit coenobio Michelveldensi; Ussermann. Ep. Bamb. c. p. n. 101.

omnibus conventualibus aecclesiis sive cellis praedia, usquequaque pervigili labore et multo precio acquisita, congruis in locis distribuit, quae hic omittenda[a] censentur, quia
54 alias accuratius descripta inveniuntur[54].

18[b]. *De reparatione ac melioratione monasterii ac totius coenobii sancti Michaelis.*

Ut[c] autem ad nostra veniamus, idem Deo devotus pontifex[d] Babenbergensis[e] monasterium sancti Michahelis cum[f] eiusdem aecclesiae aedificiis[g], nec non et basilicam sanctae Mariae et capellam beati Bartholomei cum magna domo eidem adhaerenti, a fundamentis ampliori statu reaedificavit. Capellam quoque super portam in honore sancti Oswaldi regis et martiris fecit, sed et diversorium et muri ambitum cum universis officinis construxit. Idem vir beatus fontem in medio claustri fieri iussit, itemque venam aquae vivae de vicino monte in claustrum plumbeis fistulis copioso sumptu duci fecit. Pleraque[h] eidem loco[i] ornamenta contulit; inter quae duas[k] argenteas scutellas ad suscipiendas oblationes, aurifrigium quoque et casulam preciosam, crucem quoque[l] auro gemmisque nobiliter fabricatam, recondito in ea salutari ligno sanctorumque reliquiis, ipse sacravit, crucemque Salvatoris appellari statuit, et banni sui interpositione, ne ab ipso monasterio pro aliqua unquam[m] necessitate auferretur, indicens, beato Michaheli archangelo eam devotissime obtulit. Hunc[n] locum ille Deo plenus fidelissimo semper amore dilexit, hunc restauravit, hunc[o] ditavit, huius gloriam quaesivit, huic bona tribuit, hunc sublimavit, hunc[o] coluit, huius profectum semper amavit, et in ipso, coram altari eiusdem archangeli, cuius specialis minister erat, se sepeliri decrevit. Eidem monasterio quoque[p] in usum[q] fratrum dedit 8[r] praedia 500 argenti libris comparata, quae[s] hic ob notitiam eorum singillatim
55 annotare frivolum duximus. Praeterea aecclesiam iuxta Albûch[55] hereditario sibi[t] iure propriam eidem monasterio cum duabus aecclesiis aliis donavit, ob memoriam videlicet sui parentumque suorum inibi corpore quiescentium. Adhuc autem dilectissimum sibi locum amplificare desiderans, sub monte sancti Michahelis capellam sancti Egidii cum hospitali domo, pauperum et peregrinorum receptionibus apta, construxit. Totus enim misericordiae visceribus affluebat, totus ęlemosinae et compassionis affectu sic ardebat, ut
Iob 31, 18. ib 30, 25. iure[u] cum beato[v] Iob dicere posset: *Ab initio crevit mecum miseratio, et de ventre matris meae egressa est mecum; flebam super eum qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.* Noverat[w] quippe et assidue recolebat illam beati Gregorii sententiam: *Qui compassionem non habet vacuum episcopi nomen tenet.* Virtus namque sanctae[x] karitatis omnibus quidem fidelibus, sed maxime Christi congruit sacerdotibus, qui[y] et specialibus ad hanc exsequendam in ipso sacratissimo suae ordinationis misterio commonentur. Cum enim sacerdos consecratur oleo, per quod karitas intelligitur, manus eius liniuntur, oleumque manibus eius infunditur, ut per hoc uberiora misericordiae et pietatis opera sibi facienda noverit. Sed et cum veste sacrata ornatur, amicitur, ei consecrator dicit: *Accipe vestem sacerdotalem*, per quam karitas intelligitur, ut ea se totum quasi tunica talari circumdatum et splendidissime ornatum esse debere meminerit. Qua[z] pius Otto singulari decore vestitus[*], usquequaque eam propagare et felicissimis declarare satagebat operibus[a].

19. *De[b] constructione hospitalis sub pede montis sancti Michahelis.*

Perambulans itaque suburbana in circuitu, aptumque locum perlustrans ad hospitale construendum, venit ad collem sub monte sancti Michahelis positum, qui vulgo

a) obmittenda B 1. omitenda B 2[a]. b) *ita inscriptum caput sequens quod est* 26. *in* A 1. *Est* 27. A 2: De structuris in monte S. Michaelis et capellis per S. Ottonem factis. Ebbo *in marg.* A 2. c) ut — veniamus *desunt* B. d) *sequentia usque ad finem libri habet etiam* A 3. e) in monte Babenbergensi B. f) universis *add.* B. g) mirifice construxit statuens duas basilicas ex utroque latere monasterii, unam beatae Mariae virgini alteram beato Bartholomeo apostolo dicatam. *Reliqua usque* sumptu duci fecit *desunt* B. h) plurima B. i) vir beatus *add.* B. k) duas — casulam *desunt* B. l) crucemque B. m) *deest* B. n) ergo *add.* B. *Sequentia usque ad finem capitis leguntur* A 3. *fol.* 39. o) et B. p) *deest* B. q) usus B. r) *deest* B. s) quae duximus *desunt* B. t) h. iure e. m. p. cum a. d. aecclesiis B 1. u) confidenter B. v) *deest* B 1. w) recolebat etiam illam B. x) *deest* A 1. 3. y) qui et — meminerit qua *desunt* B. z) quam A 2. qua virtute karitatis p. O. B. *) circumfultus B. a) *quae sequuntur in* A 1. *usque c.* 44 *et in* A 2. *usque c.* 28 *sunt Herbordi.* b) De hospitali domo et ecclesia S. Egidii in pede montis fundata. Ebbo *in marg.* A 2. *Sequentia capita usque ad libri finem sunt* A 1. *c.* 44—48, A 2. *c.* 28—31. *In codicibus* B. *omnia desunt usque ad c.* 22. *Hoc caput* 19 *usque* contradidit A 3.

54) apud Herbordum I, 24—30.

55) *Buch* ad Bregenzam, haud procul ab Ulma, ut bene coniecisse videtur Oesterreicher in commentatione Bischof Otto der Heilige etc. Geöffnete Archive für die Gesch.

Lůgebůhel, id est mendacii collis, vocabatur, duabus ex causis, sive eo quod non naturali terrae situ, sed potius de fundamentis murorum civitatis illic aggesta humus in altum excreverat, sive pro eo quod crebra inibi conventicula stultorum, mendaciis et vanitatibus plena, agebantur. Hoc ergo spiritualis hic pater in melius commutare desiderans, qui ad hoc se constitutum noverat, ut prava exstirparet et bona[a] quaeque insereret, collem ipsum complanari et aecclesiam illic beati Egidii iussit aedificari, domicilia quoque pauperibus et peregrinis opportuna construi, ut, ubi antea servitus inimici pullulabat, ibi deinceps divino cultu et elemosinis pauperum lucra animarum succrescerent. Eo tempore canonicus quidam aecclesiae sancti Iacobi Wicbodo nomine orationis causa beatum visitans Egidium, reliquias magnificas, id est pollicem eius, comparavit, quem pius Otto ab eodem sagaciter impetratum altario sancti Egidii cum aliis multiplicibus reliquiis inclusit, aecclesiamque solempniter dedicans, memoriam eius per omnem locum celebriorem, quam eatenus fuisset, instituit. Hospitale autem cum eadem aecclesia primum quidem Gumponi decano Sancti Iacobi commisit, postea vero mediante beatae memoriae Wolfframmo, decimo huius loci abbate, sancto Michaheli cum omnibus pertinenciis suis contradidit. De quo amabili et reverentissimo patre[b] dignum est aliqua litteris mandare, et[c] quia in ingressu eius Domino largam suae benedictionis copiam infundente, locus hic iam pene in omni religione collapsus, nova et mira interioris disciplinae et exterioris profectus sumpsit incrementa.

20.[d] *Qualiter sanctus Otto abbatem Gumpoldum amoverit, et abbatem Wolfframmum fratribus in abbatem praefecerit, ac de laude ipsius.*

Hic enim Wolfframmus[e] ex provincia Bavarorum nobili et religiosa ortus parentela, Babenbergensi aecclesiae, in schola Christi educandus, sub ordine canonico traditur. Ubi divina praeventus gratia, in tenera adhuc aetate sitibundo pectore hauriebat fluenta doctrinae, ac de die in diem sapientiae maturitate et elegantia morum proficiens, inter suos collegas pulcherrimus processit. Siquidem[f] paternae iustitiae fortitudo et maternae pietatis imago evidentius in eo apparebat iuxta apostolici dictum: *Quod si radix sancta, et rami.* (Rom. 11, 16) Et haec[g] quidem sub venerabili Ruperto septimo Babenbergensi episcopo[56]; postmodum autem, cum annos virilis attigisset aetatis, a pio Ottone primicerius factus, auctorabili sagacitate, velut alter Ioseph, curam totius administrabat episcopatus. Et[h] nichil erat in omni aecclesiasticae dispensationis negotio, quod non eius nutu et arbitrio disponeretur. Sed cum Deus omnipotens statum monasticae religionis, qui sub domno Gumpoldo[i], nono huius loci abbate, ad nichilum redactus erat, per ministerium reverendissimi patris Wolfframmi reparare, et novo Hirsaugiensium ordine ad meliora provehere dignatus esset, eundem saepe dictum saepiusque dicendum sapientem architectum corporalis aegritudinis molestia perculit, sicque naufragosis mundi abreptum[k] fluctibus ad portum quietis evexit[l], castraque militiae spiritualis intrare compellit. Nam cum periculoso colli tumore aliquamdiu laborasset, iuxta beati Iob sententiam: *Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties,* (Iob 7, 14.) quibusdam sagacioribus de familia eius nocturna visione apparuit culmen domus eius repentino lapsu corruere, domumque confractam dissipari; illisque inter se hoc mussitantibus et mortem domini sui praesagire[m] affirmantibus, ipse pater amabilis hoc rumore pavefactus est, et internum iudicem, hoc verbere ad meliora se vocantem, in spiritu humilitatis et animo contrito sequi deliberavit. Itaque disposita domo sua, et sollerter praecavens insidias amicorum et propinquorum a bono eum[n] proposito revocare nitentium, clam matutino tempore montem sancti Michahelis ascendit. Ubi veterem deponens hominem cum pomposis, quibus ornatior aliis incedere solebat, exuviis, Deo se ipsum hostiam acceptabilem obtulit, et sanctae conversationis habitum voluntaria paupertate suscepit. Cum ergo praeceptis obaudiens euangelicis, cruce sua flagrantissimo corde elata, Dominum secutus fuisset, sine mora verus ille medicus, qui percutit et sanat, occidit (Iob 5, 18. 1 Reg. 2, 6 Isai 53, 4)

a) *deest* A 2. b) huius loci abbate *add.* A 2. c) *deest* A 2. d) De Wulframmo abbate per sanctum Ottonem instituto. Ebbo *in marg.* A 2. e) Wulframmus *et ita porro* A 2. f) sicquidem A 2. 3. g) hic A 2. h) *deest* A 2. i) Gumboldo A 2. Gunboldo A 3. k) abruptum A 2. l) advexit A 2. m) presagare A 1. 2. praesagire *corr.* A 3. n) cum A 2.

Baierns I, 2. p. 171. In eodem pago Bregentino situm est Müsselbach, de quo vide supra ann. ad Herbord. I, 1. Alia loca eiusdem fere nominis in aliis sita regionibus enumeravit Ussermann. Ep. Bamb. p. 70. 56) i. e. inter 1075 et 1102.

et vivificat, quique labores nostros tulit et aegrotationes portavit, infirmitati eius medelam solita pietate adhibuit, ut ipse primum corpore et mente sanatus, multis postmodum spirituali magisterio salutem operaretur animarum. Eo tempore piissimus pater Otto in Karinthia morabatur, et cum reversus, quae circa intimum dispensatorem suum gesta erant, audisset, plurimum in Christo exhilaratus est, licet in administratione publicorum negotiorum grandi solatio destitutus esset. Et accersito eo ad familiare colloquium, de statu suo paterna dulcedine requisivit, et si consuetudine loci, quam invenerat, contentus esse vellet? Sed ille vir sagacis animi distortam et prope[a] nullam hic monasticae religionis disciplinam in brevi deprehenderat, et se ad perfectiora tendere, ne in vacuum curreret, respondit. Quo audito, pastor mitissimus Otto fervori eius admodum congratulatus, ad Hirsaugiense coenobium, in sacro tunc spiritualis ordinis rigore celeberrimum, quantocius eum cum xeniis honorabilibus destinavit, eo quod et ipse ibi peculialiter notus esset, ob frequentes illo transmissas elemosinas. Ubi summo cunctorum exceptus tripudio, tum pro sui reverentia, tum etiam pro amore pii Ottonis, loco tantae venerationis habitus est, ut etiam post modicum, transcensis aliis officiorum gradibus, prioratus honore sublimari mereretur. Aderat iam tempus miserendi, quia prospexerat de excelso sancto suo Dominus, ut locum hunc, scilicet[b] montem sancti Michahelis, diu ab spiritualium profectuum germine arescentem, novis supernae gratiae stillicidiis irroraret per beatissimum patrem Ottonem, qui velut aurora pulcherrima et lucifer matutinus ad discutiendas et illuminandas priscae conversationis caligines coelitus effulsit. Nam cum totum se ad dilatandam eius gloriam, qui
57 eum glorificaverat et spectabilem prae aliis coepiscopis suis fecerat, praeparasset, hic[57] praecipue, tanquam in ipso capite, religionis monasticae normam propagare curavit, ut postmodum et aliis quae aedificare proposuerat coenobiis larga benedictio ex huius fontis ubertate proflueret. Ad quod opus divinum nullus ibi[c] fidelior, nemo visus est aptior hoc de quo loquimur servo Dei Wolfframmo, quem dudum in activa vita sagacissimum noverat, et nunc in contemplativa[d] probatissimum audierat. Itaque missa ad Hirsaugiam fida satis legatione, tam eum quam et alios 5 fratres, religione et omni[e] scientia eximios, impetravit, licet cuncti abscessum dilecti patris Wolfframmi molestissimum et pene importabilem sibi censerent. Sed nichil erat, quod non pii Ottonis reverentia et elemosinarum largitas apud eos obtineret. Veniente igitur eo absens erat episcopus; ideoque in Saxonia apud curtes
58 episcopales in Mouchelen[f] et Schidingen residens adventum eius praestolabatur[58]. Postmodum autem cum reversus de Karinthia piissimus pater Otto voti se compotem factum apud Hirsaugiam cognovisset, Deo gratias egit, dilectum sibi Wolfframmum ac si e coelo transmissum omni paternae benignitatis affectu suscepit, et per occultos internuntios primo seniores, deinde omnem sancti Michahelis congregationem admonuit, ut suae utilitati per omnia consulentes, in electione venerandi patris Wolfframmi unanimiter concordarent. Cumque divina praeveniente gratia hoc, ut desiderabat, obtinuisset, uberiores ei a quo
1112. bona cuncta procedunt, laudes exsolvit, statimque in vigilia palmarum, assumptis maiori-
Apr. 13. bus et praelatis aecclesiae, montem sancti Michahelis magna spiritualis gaudii alacritate plenus adscendit. Ubi in conventu publico domnus Gumboldus ad pedes episcopi procidens, ultroneam curae pastoralis abdicationem fecit, iam senio longinquo se fessum et ad hanc minus idoneam protestatus imbecillitatem suam. Beatus ergo pontifex receptam ab eo curam pastoralem mox reverendo patri Wolfframmo assignavit, ipseque Gumpoldus in electionem eius primus acclamavit, et ex hoc in remotiorem cellam, deputatis sibi duobus ministris et quibusque necessariis, secessit[59]. Itaque[g] electione canonica reverenter satis
60 et unanimiter facta, pius Otto morae impatiens, sequenti die, id est[h] 18. Kal. Maii[60], solempniter eum ante consecrationem palmarum ordinavit, et ex eo ad statum loci intus et exterius renovandum mirifice totum se accinxit, primumque abolito communi fratrum consensu vetusto et remisso ordine Amerbacensium, novum et religione plenum ordinem Hirsaugiensium instituit. Dein paucitatem[i] fratrum Domino[k] militantium cordetenus dolens,

a) pene A 2. b) scilicet — Michahelis *desunt* A 3. c) sibi A 1. 2. d) vita *add.* A 2. e) *deest* A 1. f) Dorlehen A 1. g) ita A 1. 2. h) id est *expunctis* A 3. *habet* vero; *alia manu in margine* anno videlicet 1112. i) paucitate A 1. k) Deo A 2.

57) i. e. in monasterio S. Michaelis. 58) Wolframmus. 59) ubi paullo post d. 30. Iuli 1112 mortuus est, ut habent Annal. S. Michael. Mon. Germ. SS. V, 10. 60) Ita, non *Apr.* legendum esse docuit Ussermann. Ep. Bamb. p. 303.

et crebras in conspectu Domini supplicationes pro hoc cum elemosinarum largitate profundens, religiosos viros et tam divina quam seculari scientia ornatos omnimodis hic aggregare studuit, nec prius ab hoc coepto destitit, quam de exiguo numero ultra septuagenarium multiplicatos videre meruit, quod ipsius litteris declaratur, quae in hunc se modum habent[61]:

21.[a] *De reformatione religionis suscipienda epistola sancti Ottonis ad certos abbates multum exhortatoria.*

Otto, Dei gratia Babenbergensis aecclesiae[b] minister humilis, venerabili fratri Wolfframmo, 1121. *abbati coenobii sancti Michahelis, Wignando Tharisiensi[62], Baldewino Banzensi[63], Eggehardo Uraugiensi, Imbriconi Michelveldensi, Walchuno de Entisdorff, Eriboni de Pruveningen[c], Friderico de Gengenbach[d], Eberhardo Scuturensi[64], Ottoni Steinensi[65], Liutgero de* 64 *Regenstorff, Ymgrammo[e] de Arnolstein, praeposito de Clunike, praeposito de Hosterhoven[66] et* 66 *omnibus sub ipsis pie conversantibus salutem et perseverantem in Dei voluntate famulatum. Cum primum pastoralis curae regimen[f] quamvis indigni suscepimus, monasteria aecclesiae nostrae subdita, qualiter in monachica religione disposita essent, diligenter attendimus, sed omnia a disciplinae suae rigore nimis resoluta[g] invenimus. Quod moleste ferentes ac dispensationi nostrae incautum existimantes, diu multumque laboravimus, fusis ad Deum precibus, ut per divinam providentiam, quae in sui dispositione non fallitur, hoc mutaretur in melius. Tandem Deus virtutum, cuius est totum quod est optimum, vota respiciens humilium, in omnibus monasteriis nostris religionis praestitit augmentum, quia vos gregi suo pastores idoneos elegit, ac fratrum vestrorum numerum in sancta conversatione multiplicavit, quod in vicino sancti Michahelis monte ostenditur, quia dum non plus quam 20 fratres, et eosdem sub tenui disciplina invenimus, iam Deo gratias plus quam 70 inibi cernimus, absque his qui honeste con versantur extrinsecus. Unde nos non mediocriter laetificati, omnes vos, praelatos ac subditos, in karitate sancta appellamus, omnium vestrum[h] pedibus humiliati in Deo et propter[i] Deum obsecrantes, ut digne[k] ambuletis vocatione qua vocati estis, et religionis vestrae ac spiritua-* Ephes. 4, 1. *lis[l] disciplinae vigorem, alii succedentes aliis, hereditario iure in longitudinem dierum conservetis. In memoriam ergo tam salubris exhortationis addimus decretum nostrae episcopalis confirmationis dirigendum, transcribendum, relegendum singulis monasteriis. Monasticae religionis spiritualem militiam Deo placitam, hominibus acceptam, celebrem angelis, terribilem hostibus, ut iam per omnia coenobia nostra sub auctoritate Spiritus sancti renovavimus, instituimus, sic deinceps integram illibatamque perseverare[m] sancimus[n] atque decernimus, commendantes eam sub testimonio Christi et aecclesiae vobis, electis rectoribus ac dilectis fratribus, per vos nichilominus commendandam omnibus vestris successoribus. De cetero in nomine Domini vobis benedicimus. Testis enim michi est Deus, quoniam[o] cupiam omnes vos in Christi* Phil. 1, 8 *visceribus[p].* His mellifluis et auctorabilibus tanti patris verbis evidenter satis declaratur, quam intimo et flagrantissimo affectu sanctam monasticae professionis religionem adamaverit, quantave diligentia eam, in quibuscunque poterat locis, sed potissimum apud nos, propagare studuerit. Qua, ut desiderabat, Deo favente propagata, fratribusque tam merito quam numero multiplicatis, etiam materialem aecclesiae fabricam cum universis monasterii officinis necessaria et congruenti amplitudine dilatare curavit, tamquam et ei[q] spirituales filii sui affectuosa unanimitate proclamarent: *Angustus michi est locus coram te, fac* Ies. 49, 20 *spatium michi, ut inhabitem.* Et o beatus ille, qui tandem desiderii sui, quod in multiplicandis religiosis fratribus habuerat, compos effectus, iuxta prophetiam Isaiae a Domino audire meruit: *Leva in circuitu oculos tuos et vide! Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Vivo* Ies. 49, 18. *ego, dicit Dominus, quia omnibus hiis velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos sicut circumdat sponsa monile sibi preciosum.* Quomodo enim non gauderet et gratulabundus Domino iubilaret[r], cum non solum ex vicinis, sed etiam[s] de longinquis multarum regionum

a) De litteris consolatoriis abbatibus monasteriorum per eum fundatorum missis. Ebbo *in marg.* A 2. *Hoc caput usque* perpetuo laetatur *habet etiam* A 4. b) *deest* A 1. c) Pruvennigen A 2. d) Gegenbach A 1. e) Ymgramno A 1. f) regnum A 2. 4. g) dissoluta A 4. h) *deest* A 2. 4. i) per A 3. k) digni A 3. 4. l) regularis A 3. m) servare A 3. n) sancivimus et decrevimus A 1. 2. o) quomodo A 1. p) Amen *add* A 3. q) eis A 1. r) iub. Dom. A 1. s) et A 1. 2. 4.

61) Tempus quo scriptae sint hae litterae eruit Ussermann. p. 92. 62) *Teres.* 63) *Banz.* 64) *Schuttern* ad fluviolum Schuttera. De hoc monasterio vid. Schannat Vindem. litt. I, 17. 65) *Stein* in Suevia. 66) *Osterhofen* in Bavaria.

partibus illustres quosque[a] et sapientes ac diversarum artium imbutos peritia ad locum dilectae requietionis suae congregari cerneret, quos nimirum bonae opinionis eius fama per totam aecclesiae domum diffusa et indefessa oratio, quae elemosinarum largitate fulciebatur, illo attraxerat. Hiis nempe devotissimis filiis quasi floribus speciosis adornatus erat, hiis tanquam monilibus ambiebatur, cum et hic in omni actu ac negotio eorum intimis praeveniebatur suffragiis et comitabatur, ac post in resurrectionis gloria nobili eorum stipatus frequentia, regi regum accensis lampadibus occurret, ubi et filii de patris honore et pater de filiorum salute perpetuo laetatur. Sed hiis per excessum dictis, ad narrationis ordinem redeuntes, causam et rationem antiqui monasterii dissolvendi, et novi deinceps maiori ambitu reparandi, posteriorum notitiae pandamus.

22.[b] *De terribili terrae motu, qui aedificia et structuras monasterii sancti Michaelis hiatu terribili destruxit, quas sanctus Otto postea a fundamentis erexit et ampliando dilatavit, et de die consecrationis ecclesiae.*

1117. Ian. 3. Siquidem anno Domini 1117, 3. Non. Ianuarii, id est[c] in octava sancti Iohannis apostoli, peccatis hominum exigentibus, terrae motus factus est magnus, 4. feria, luna 26, Sap. 5, 21. hora vespertina[67], impleta prophetia quae dicit: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* Hoc siquidem terrae motu aecclesiae nostrae fabrica, quae et ante iam longa temporis vetustate ex parte scissa erat, ita concussa est, ut lapis magnus in frontispicio vel culmine sanctuarii subito lapsu proruens, totius monasterii ruinam minaretur, cunctosque ingenti pavore perculsos in fugam converteret. Et tamen, mirum dictu! grandi hoc lapide, qui totum in circuitu opus sua conclusione firmabat, lapso, reliqua templi fabrica, licet hiatu Mart. 25. terribili casum iam iamque minaretur, immobilis perstitit, donec post festa paschalia iussu pii Ottonis destructa et solo adaequata est. Hinc iam novi templi aedificatio, quod maiori se ambitu dilataret, coepta est, ubi tanta se liberalitate beatissimus pater Otto pro fervore accelerandi operis profudit, ut cunctis stuporem, multis quoque invidiam tanta pecuniae 68 profusio pareret. Nam cum quadam vice, eo apud castrum Botenstein[68] posito, pecunia defecisset, et fidelissimus camerarius eius Erbo nomine, devotus sancti Michahelis famulus, qui postea hic in sancta claruit conversatione, perniciter ad episcopum tendens, defectum hunc ei insinuasset, illic statim 100 marcas argenti beato offerens Michaheli, eum morae impatiens redire urgebat. Qui piae voluntatis plenus thesauro, quo nil ditius Deo offertur, tanta mirae devotionis festinantia reversus est, ut eadem die memoratum pondus argenti altario[d] sancti Michahelis, tanquam holocaustum gratissimum imponeret, sicque coepto operi tota virtute ac sagacitate instandum urgeret. Igitur perfecto iam templo, quod in modum crucis, ut cernitur, constructoris sui praecepto aedificatum est, dedicationem eius in arbitrio fratrum constituens, utpote cum quibus cor unum et animam habebat, mandavit, ut certam ei significarent diem, qua tantae solempnitatis celebritas communi omnium voto ageretur. At illi multam inter se inquisitionem[e] facientes, tandem consilio[f] reverendi et 69 doctissimi patris Wignandi, de quo in secundo huius operis libro dicemus[69], unanimi consensu diffinierunt[g], ut in Kalendis Septembris eadem celeberrima fieret dedicatio, congruenti satis et acceptissimo ordine, tam pro beati Egidii patrocinio, cuius ea dies natalicio illustraretur, quam et pro antiqua huius diei reverentia, quam sacrae[h] Mosaicae legis observantia constat praecipua insigniri solempnitate, sicut in libro Levitici legitur, loquente Levit. 23, 24. 25. Domino ad Moysen: *Mense septimo prima die mensis erit vobis sabbatum memoriale clangentibus tubis, et vocabitur sanctum; omne opus servile non facietis in eo, et offeretis holocaustum Domino, quia dies propitiationis est, ut propitietur vobis dominus Deus vester.* Et item Numer. 29, 1. 2. in libro Numeri: *Mensis septimi prima dies venerabilis et sancta erit vobis; omne opus servile non facietis in ea; quia dies clangoris est et tubarum, offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino*, et cetera quae de ritu sacrificiorum mystice nunc in aecclesia celebrandorum ibi exquiruntur. Sed et decima et quintadecima eiusdem mensis dies sacra festivitate

a) quoque A 2. b) De causa antiqui monasterii dissolvendi et novi maiori ambitu reparandi et de dedicatione monasterii. Ebbo *in marg.* A 2. c) et; *deest* id A 1. d) ad altare A 2. e) conquisitionem A 2. 3. f) consilium A 1. g) diffinirent A 1. h) sacra A 1. 3.

67) De tempore consentiunt multi alii rerum scriptores, Ann. S. Michael, Ekkehardus, Anselmus continuator Sigeberti, Ann. Hildeshem. qui omnes probant quot urbes concussae quantoque terrore homines oppressi fuerint. 68) i. q. Albuinestein, cf. Herbord. I, 39. 69) II, 17.

celebres, et nullum in eis opus servile fieri, sed solempne sacrificium Domino offerri lege praecipitur, de quibus modo dicendum non est. De huius autem sacratissimae diei celebritate Origenes sic loquitur[70]: *Prima die septimi mensis neomenia tubarum est, sicut dicitur* [70] *in psalmo: „Tuba canite in initio mensis." Ista est solempnitas repropitiationis, in hac sola* [Psal 80, 4.] *die pontifex induitur omnibus pontificalibus vestimentis. Tunc induitur manifestatione et veritate, tunc ingreditur ad illa inaccessibilia, quo semel in anno accedi solummodo*[a] *licet, id est in sancta sanctorum. Semel enim in anno pontifex populum derelinquens ingreditur ad eum locum, ubi est propitiatorium et super propitiatorium cherubin, ubi est et archa testimonii et altare incensi, quo nulli introire fas est nisi pontifici soli. Si ergo consideremus verum pontificem Christum, quomodo in carne quidem positus per totum annum erat cum populo, annum illum, de quo ipse dicit: „Euangelizare pauperibus misit me et vocare annum Domini acceptum* [Luc. 4, 18] *et diem remissionis", advertimus quomodo semel in isto anno, in die repropitiationis intrat*[b] *in sancta sanctorum, hoc est, cum impleta dispensatione penetrat coelos et intrat ad Patrem, ut eum humano generi propitium faciat, et exoret*[c] *pro omnibus credentibus in se. Hanc repropitiationem eius, qua hominibus repropitiat Patrem Iohannes apostolus commemorat dicens: „Advocatum habemus apud Patrem Iesum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris." Sed et* [1 Ioh. 2, 1.] *Paulus similiter de hac repropitiatione scribens ait de Christo: „quem posuit Deus propitiationem in sanguine eius per fidem".* [Rom. 3, 25] *Igitur dies propitiationis manet nobis, usque quo occidat sol, id est usque quo finem mundus accipiat. Stamus enim nos pro foribus, operientes pontificem nostrum, commorantem intra sancta sanctorum, id est apud Patrem, et exorantem pro peccatis eorum qui se exspectant.* Haec Origenis eximii doctoris verba sunt. Qui item alio loco[71] de [71] hac solempnitate, quae est prima die septimi mensis, sic ait: *Sicut inter dies septimus quique dies observatur sabbatum, et est festivitas, ita et inter menses septimus quique mensis sabbatum est mensium. Agitur ergo in eo festivitas, quae dicitur sabbata sabbatorum, et fit in die prima mensis septimi*[d] *memoria tubarum. Sed quis est qui memoriae tubarum festivitatem gerat, nisi qui potest scripturas propheticas et euangelicas atque apostolicas, quae velut coelesti quadam personant tuba, mandare memoriae et intra*[e] *thesaurum cordis sui recondere? Qui ergo haec facit, et in lege Dei*[f] *meditatur die ac nocte, iste festivitatem gerit memoriae tubarum. Sed et si quis potest gratias illas sancti Spiritus promereri, quibus inspirati sunt prophetae, et psallens dicere: „Canite in*[g] *initio mensis tuba in die insignis solempnitatis eius," et* [Psal 80, 4] *qui scit digne in psalmis iubilare ei, Deo agit solempnitatem tubarum. Est adhuc et alia solempnitas septimum illustrans mensem, videlicet cenophegia, id est tabernaculorum Deo grata festivitas. Laetatur enim cum viderit fideles suos non habere fixum et fundatum animum super terras, sed in tabernaculis quasi cottidie migraturos habitare, non desiderantes quae terrena sunt, nec umbram vitae huius quasi possessionem propriam et perpetuam deputantes, sed velut in transitu positos, ad veram patriam, unde egressi sunt, et paradisi festivitatem properare, dicentes: „Advenae sumus et peregrini super terram et omnes patris nostri."* [Psal. 38, 13] *Cum ergo sic peregrinari se in mundo senserint, et parati sunt cito transire et extendere se ad interiora, ut hereditatem capiant futurorum, Deus in hiis laetatur et diem festum agit super eos.* Haec nos de opusculis tanti doctoris, qui in ea parte qua probatur neminem post apostolos habet aequalem, hic inseruimus ad commendandam sacratissimae huius festivitatis celebritatem, quae aliarum solempnitatum mater est, et convenientissime prima die septimi mensis agitur, qui et in veteri lege celeberrimus est, et in hoc novae gratiae tempore, natalicio tam eximii patris Egidii, qui singularis tribulantium portus et certum remedium est, decoratur. Haec igitur iocundissima solempnitas tanto ardentius[h] omni devotione spirituali colenda est, quanto dulcius imaginem et umbram coelestis illius praefert dedicationis, ubi verus pontifex Christus, consummato templo suo, quod ab origine mundi usque ad finem seculi de vivis et electis construit lapidibus, desiderabilem et nunquam deficientem celebrat solempnitatem, ad quam suspirare et omnibus cordis medullis anhelare cunctos aecclesiae filios haec transitoria commonet dedicatio. Sed iam ad narrationis ordinem redeamus. Igitur audita piissimus pater Otto filiorum suorum legatione, qua in Kalendis Septembris dedicationem fieri unanimiter flagitabant, aptum quidem et rationabile hoc approbavit. Sed unum erat, quod consensum eius aliquantula contradictione retardabat, quia capellam beati

a) tantummodo A 2. 3. b) *deest* in A 3. c) oret A 3. d) *deest* A 1. 2. 3. *legitur apud Gretserum et Jaschum.* e) inter A 3. f) eius A 2. g) *deest* A 1. h) arcius A 1. 3

70) Origenis homilia 9. in Leviticum. 71) homilia 24. in Numeros.

Egidii, in hospitale a se constructam et unice sibi dilectam, solita popularis concursus veneratione fraudari metuebat, nimirum cunctis in montem sancti Michahelis tantae festivitatis gratia invitante occurrentibus. Quapropter sine voluntate et petitione Udalrici, religiosi eiusdem aecclesiae sacerdotis, id se facturum negabat, qui mox urgente spirituali patre Wignando, qui haec omnia in[a] speciali administrabat diligentia, episcopum adiit, et prudenti ratione dedicationem hanc capellae sancti Egidii in nullo officere, quin immo maiorem ei reverentiam et cultum parturire affirmabat. Cuius assertionem pastor piissimus approbans, demum assensit, et venerabili Wolfframmo abbati fratribusque universis paterna dulcedine mandat, se desideriis eorum et in hoc et in omnibus promptissima affectione pariturum.

23.[b] *De subita infirmitate sancti Ottonis tempore dedicationis, et de sanatione ipsius facta per angelum.*

Appropinquante[c] vero eadem sacratissima die, summus arbiter, qui quos amat corripit et[d] castigat, hunc beatissimum patrem corporalis aegritudinis tam gravi perculit molestia, ut penitus fracta corporis virtute decumberet[e], omnemque propositae dedicationis intentionem postponeret. Quo audito universi[f] nimia moeroris anxietate percelluntur, cunctos nubes et caligo tristitiae involvit, et, ut natura docet capite vulnerato cetera quoque membra dolore atteri, languorem pii pastoris grex devotus suum deputabat. Unde quod solum in hiis erat remedium, toto ad Deum corde conversi, lacrimosis suspiriis[g], cum oblationibus hostiarum et elemosinarum, salutem ei et sospitatem coelitus imprecari non cessabant, donec prospiciens de excelso sancto suo Dominus clamores[h] et gemitus pauperum suorum[i] exaudire dignatus est. Illis enim tanta precum[k] et votorum instantia divinae aures clementiae pulsantibus, quadam die pater amabilis, dum meridiano sompno apud castrum Botenstein quiesceret[l], vidit speciosum[m] iuvenem, qui revera angelus Dei erat, lecto suo
Ps. 121, 1. gratulabundum assistere, et magna iocunditate antiphonam[n]: *In domum Domini laetantes ibimus,* psallere. Nec mora expergefactus[o], sanum se et incolumem sensit[p], statimque quid visio portenderet, intellexit, et accersito capellano suo Sifrido visionem exposuit, eamque Wolfframmo abbati celeriter nuntiari, et omnia futurae dedicationi necessaria naviter praeparari mandavit[q]. Quo nuntio laetissimo quasi responso divinitus accepto, moeror in gaudium, luctus in laetitiam versus est, cunctique debita laudum praeconia non sono tantum oris, sed et iubilo cordis in coelum ferentes, tantae solempnitatis iocunditatem spe flagran-
1121. Sept. 1. tissima praestolabantur. Igitur anno Domini 1121, indictione 14.[r] in Kal. Septembris dedicatum est monasterium sancti[s] Michahelis archangeli in monte Babenbergensi a venerabili Ottone, eiusdem sedis octavo episcopo, in honorem[t] praescripti[u] archangeli sanctique[v] Benedicti abbatis, sicut[w] a primordio fundationis monasterii diffinitum est.

EXPLICIT LIBER PRIMUS, INCIPIT SECUNDUS[x].

LIBER SECUNDUS.

1.[y] *De episcopo Bernhardo, qui convertendi gratia Pomeranos[z] adiit, sed per eos turpiter eiectus ad sanctum Ottonem declinavit, postmodum pontificalibus depositis monachus in monasterio sancti Michaelis factus est.*

Igitur[*] senescente iam mundo et die seculi advesperascente, cum divinae pietatis dignatio Pomeranos eatenus paganitatis errore depressos, splendore fidei illuminare de-
Marc. 13, 10 crevisset, iuxta quod scriptum est: *In omnes gentes primum oportet praedicari euangelium,*

a) *deest* A2. b) *hoc caput cum antecedenti coniunctum est* A2. c) *hic incipiunt codd.* B. *ita:* Cum igitur beatus pontifex Otto praedictus aecclesiam in monte Babenbergensi, quam ipse a fundamentis ampliori statu reaedificaverat, in Kal. Sept. dedicare statuisset, appropinquante eadem die *etc.* d) c. et *desunt* B2[a]. 2[b]. e) succumberet B. f) fratres eiusdem loci ut habet natura capite vulnerato B. g) lac. susp. *desunt* B. h) desiderium paup. s. B. i) dominus *add.* A1. k) I. e. orantibus B. *sequentia* tanta precum — quadam die *desunt.* l) in meridie *add.* B. *desunt* dum merid. sompno. m) manifeste angelum Dei lecto suo B. n) vespertinalem *add.* B. o) post abscessum angeli sanum se B. p) sentiens nuntiavit fratribus quod viderat et audierat, et dedicationi B. q) mandat. Qui exauditori suo Deo debitas gratias agentes venturae solempnitatis B. r) quinta decima B2[a]. s) s. M. a. *desunt* B. t) honore A3. u) sancti B. v) *deest* que B1. w) quibus videlicet patronis idem locus a primo fundatore suo beato Heinrico imperatore attitulatus fuerat B. x) *ita* B. *Finis est libri I.* A1. *In* A2. *sequitur caput* 32 *quod est Herbordi.* y) *capita* 1 — 13 *desunt* A2. z) Pomeranniam B. *) *deest* B.

idoneum eis verbi ministrum scilicet pium Ottonem episcopum destinavit. Hic enim totus lucrandis animabus invigilans, amplificatus est quasi stella matutina in medio nebulae et ut luna plena in diebus suis lucebat, ac veluti sol refulgens inter suos collegas episcopos emicuit. Huius autem apostolatus quae fuerit occasio, scire volentibus aperiam, sicut ex ore servi Dei Uodalrici, sacerdotis aecclesiae[a] beati Egidii, quam idem pius Otto construxit[72], audivi. 72 Cuius reverendae maturitati et spectatae coram Deo et hominibus fidei ita me necesse fuit credere, acsi propriis oculis ea quae dicebat vidissem. Aiebat ergo, quia episcopus quidam mirae sanctitatis et scientiae fuit Bernhardus nomine, Hispanus quidem genere, sed Romae ad episcopatum electus et consecratus. Hic aliquanto tempore heremiticam vitam cum aliis servis Dei duxerat, sed deposito Romae quodam erroneo episcopo, ipse nutu divino raptus, ex heremo ei subrogatus est. Qui cernens aecclesiam suam[b] horrendo scismate laniari, quia pars una sibi[c] pars altera deposito favebat[d], ut vir prudens et doctus in scissura mentium Deum non esse perpendens, cedendum tempori et diebus malis intellexit, curaque pastorali deposita, ad heremum regredi cogitabat, tamquam et ipse cum Athanasio[e] diceret: *Si propter me est tempestas ista, tollite me et mittite in mare.* Audiens vero Pomeraniam adhuc gentilitatis errori[f] deditam, zelo pietatis armatus illuc euangelizandi gratia divertit, cupiens aut illos aecclesiae katholicae per fidem incorporare, aut per martirii gloriam ibidem pro Christo occumbere. Erat enim vitae praesentis contemptor, suique corporis acerrimus castigator, ita ut arido parcoque cibo contentus[g], nullo unquam potu, nisi sola aqua uteretur. Veniens itaque ad ducem Poloniae[h] [73], honorifice[i] ut servus Dei excipitur. Cumque itineris sui causam exposuisset, dux benigne respondit se quidem ardori tam sanctae voluntatis eius congratulari, sed tantam gentis illius esse ferocitatem, ut magis necem ei inferre quam iugum fidei subire parata sit. Cui episcopus constanter aiebat, ad hoc se egressum, ut mortis sententiam pro Christi amore, si necesse fuerit, indubitanter[k] excipiat. Quo responso dux admodum[l] exhilaratus, interpretem ei et viae ducem, ut petebat[m], tribuit, imprecatus ei prospera[n] divinitus subministrari. 1120 ? Ille autem humilitatis ac[o] paupertatis suae etiam in episcopatu custos — sciebat enim regnum diaboli non potentia, sed humilitate Christi destructum, et quia affatim dives est, qui cum Christo pauper est — despecto[p] habitu et nudis pedibus urbem Iulin[q] ingreditur, ibique constanter[r] fidei katholicae semina spargere coepit. Cives autem ex ipso eum habitu despicientes, utpote qui non nisi secundum faciem iudicare sciebant, quis esset vel a quo missus, inquirunt. At ille servum se veri Dei, factoris coeli et terrae, profitetur, et ab eo se missum, ut illos ab errore idolatriae ad viam veritatis reducat. Illi vero indignati: *Quomodo*, inquiunt, *credere possumus te nuntium summi Dei esse, cum ille gloriosus sit et omnibus divitiis plenus, tu vero despicabilis et tantae paupertatis, ut nec calciamenta habere possis? Non recipiemus te, nec audiemus; summus enim Deus nunquam tam abiectum nobis legatum dirigeret; sed si revera conversionem nostram desiderat, per idoneum et dignum suae potestati ministrum nos visitabit. Tu vero, si vitae tuae consultum esse volueris, quantocius ad locum, unde digressus[s] es[t], revertere, nec ad iniuriam summi Dei missum eius te profitearis, quia pro sola tuae mendicitatis inopia relevanda huc migrasti.* Bernhardus autem intrepidus, immo illato sibi terrore constantior: *Si verbis meis*, inquid[u], *non creditis, vel operibus credite.* Ioan. 10,38 *Domum quamlibet vetustate conlapsam et nulli usui aptam igne inmisso succendite meque in medium iactate, et si domo flammis absumpta, ego illaesus ab igne apparuero, scitote me[v] ab illo missum, cuius imperio et ignis et omnis[w] simul creatura subiecta est[x] et omnia simul elementa famulantur.* Hiis auditis sacerdotes et seniores plebis multam inter se conquisitionem habentes aiebant: *Iste insanus et desperatus est, nimia cogente inopia mortem*

a) aecclesiae — construxit *desunt* B. b) *deest* B. c) Bernhardo B. d) episcopo *add.* B. e) Gregorio Nazanzeno *corr. secunda manus* B1. f) errore B1. g) uteretur B2a. 2b. h) Polanie B2a. i) benigne B. ab eo B1. k) libenter B. l) *deest* B. m) ut p. *desunt* B. n) sibi *add.* B1. o) et B1. p) in abiectis vestibus B. q) Iulim *corr.* Iulin B2a. 2b. r) intrepidus B. s) egressus B. t) *deest* B2a. 2b. u) inquit m. B2a. 2b. v) quia misit me dominus cuius B. w) *deest* B2a. 2b. x) famulatur B. *sequentia verba desunt.*

72) cf. I, 19. 73) Boleslaum. Quae hic et in sequentibus ducem de Pomeranorum conversione loquentem sibi finxit Ebbo, minime consentiunt cum litteris, quas ille ad Ottonem scripsit, Herbord. II, 6. Bernhardus ante Boleslai victorias de Pomeranis a. 1120 reportatas in Poloniam venit, quod et epistola illa probatur, in qua dux 1123 scribit se per triennium euangelii praedicatorem idoneum frustra quaesivisse.

appetit, morti[a] *se ultro ingerit, sed et argumentosa nos circumveniens nequitia, repulsionis*
suae a nobis vindictam exigit, ut sine nostro non moriatur exitio, quia scilicet una domo suc-
censa, totius urbis interitum subsequi necesse est. Unde cavendum est nobis, ne hominem vesani
capitis audiamus. Non enim expedit nobis peregrinum nudipedem interficere, quia et fratres
nostri Pruozenses[b] *ante annos aliquos Adelbertum quendam similia huic praedicantem occide-*
74 *runt*[74], *et ex eo*[c] *omnis pressura et calamitas apprehendit eos, totaque substantia eorum ad*
nichilum redacta est. Sed[d] *si consultum nobis esse volumus, sine iniuria eum a finibus nostris*
eliminemus[e], *navique inpositum ad alias terras transmigrare faciamus.* Interim vero servus
Dei Bernhardus amore martirii flagrans, arrepta[f] securi[g] columpnam mirae magnitudinis
Iulio Cesari, a quo urbs Iulin nomen sumpsit[h], dicatam excidere aggressus est. Quod pa-
gani non[i] ferentes, accensis animis irruunt super eum, crudeliterque[k] caesum seminecem
reliquerunt. Sed illis abeuntibus servus Dei Bernhardus, accurrente ad eum[l] capellano
suo Petro nomine[m] ac manum ei dante, surrexit, resumptisque viribus iterum[n] populo ver-
bum salutis annuntiare exorsus est. Sacerdotes vero[o] de medio plebis eum violenter[p] abs-
trahentes, cum capellano et interprete suo naviculae imposuerunt dicentes: *Quando qui-*
dem tanta tibi praedicationis inest aviditas, praedica piscibus maris et volatilibus coeli[q], *et*
cave ne ultra fines[r] *nostros attingere praesumas, quia non est qui recipiat te, non est usque ad*
75 *unum*[75]. Bernhardus autem, iuxta mandatum euangelicum, excusso in eos pulvere pedum,
ad ducem Poloniae revertitur, eventuumque suorum non sine lacrimis[s] retexit[t] historiam.
Cui ille: *Nonne, ait, dudum*[u] *praedixeram, Pomeranos fidem minime recepturos? Non*[v] *ergo*
amplius caninam eorum attemptare velis dementiam, quia profani sunt et verbo salutis indigni.
At episcopus: *Animales*[w], inquit, *sunt et spiritualium penitus ignari donorum, ideoque homi-*
nem non nisi exteriori habitu metiuntur. Me quidem pro paupertatis meae tenuitate abiecerunt[x]*;*
sed si potens quisquam praedicator, cuius gloriam et divicias reverentur[y], *et*[z] *ad eos accesserit,*
spero[*] *illos iugum Christi spontanee subituros.* Dux igitur[a] servum Dei debita[b] apud se
reverentia per aliquot dies repausans[c], cum ei temporalis vitae praeberet[d] adminicula, ab
1122. Nov. 11. eius ore in suo pectore alimenta referebat vitae. Interim curiale[e] colloquium in civitate
Babenbergensi factum est[76], ubi convenientibus regni principibus et ipse Deo dignus ad-
venit[f] Bernhardus episcopus, cunctisque doctrinae[g] et sapientiae ac ceterarum virtutum
culmine mirabilis apparebat[h]. Nam et venerabilis Heimo presbyter, canonicus sancti Iacobi[77],
qui multa nobis ingenii sui monumenta reliquit, ab eodem Christi servo multa didicit de
arte calculatoria, quae prius apud vulgatos computistas obscura et intricata, ne dicam fal-
sata invenerat. Sed et de annis ab origine mundi usque ad passionem Christi, ac deinde
de annis Domini usque ad nostrum tempus diligenter cum eo contulit, quoniam supputa-
tionem eorum secundum vulgatos chronographos euangelicae veritati et auctoritati nullo
modo concordare sciebat. Unde et ipse venerabilis frater noster Heimo, mirabilium editor
78 operum, in prologo cuiusdam libri sui[78] de Bernhardo scribens inter cetera ait: *Benedictus*
Deus omnipotens quoniam per hominem illum praestitit michi multa audire et discere, quae
prius ignorabam, non tantum de cronica supputatione, sed et de misteriis et rationibus pa-
schalis observantiae, immo de omni inter nos oborta quaestione. Uodalricus etiam religiosus

a) morti — ingerit *desunt* B. b) Prusci B. c) unde B. d) ideo B. e) exterminemus B. f) correpta A 1. g) secure A 1. B 2a. 2b. h) accepit B 1. i) indigne B. k) et plagis inpositis abierunt semivivo relicto B. l) ad eum *desunt* B. m) *deest* B. n) *deest* B. o) idolorum *add.* B. p) *deest* B. q) *deest* A 1. B 2a. 2b. r) in nomine dei tui nobis inaudita loquaris. Bernhardus autem *etc.* B. s) lacrimabiliter B. t) retexuit B 1. u) *deest* B. v) non ergo - quia *desunt* B. w) animales — metiuntur *desunt* B. x) spreverunt B. y) revereantur B. z) *deest* B. *) forte audiunt illum, quia hominem non nisi exteriori habitu metiuntur B. a) ergo B 2a. 2b. b) apud se humanitatis gratia B. c) detinens B. d) subministraret B 1. administraret *post* vitae *postea insertum* B 2a. *deest* B 2b. e) convenientibus regni principibus i. e. B. colloquium habitum est ubi et ipse B. f) affuit B. g) scientiae et verae humilitatis B. h) *reliqua desunt* B. *usque ad finem capitis, quorum loco haec leguntur:* Qui mutato pontificali habitu in conventu fratrum in monte sancti Michahelis Deo servientium monachum induit, et locum illum summo deinceps affectu excoluit.

74) 997, unum saeculum et alterius paene dimidium elapsum erat. Quae sequuntur eo fortasse respiciunt quod Boleslaus IV, 1148. Prussos debellavit et tributum ab eis exegit. Quum enim anno 1161 arma iis iterum inferret, in fugam versus est. Cf. Vogt Gesch. v. Preussen I, 348. Roepell I, 361. 75) Cf. de euangelii praedicatoribus ante Ottonem Herbord. III, 3. 76) Hunc conventum Bambergensem fuisse a. 1122, de quo vid. Ekkehard. non a. 1124 probavit L. Giesebrecht W. G. II, 252. 77) De quo vid. Mon. Germ. SS. X, 1. 78) Sine dubio liber inscriptus: *Consideratio annorum saeculi et Christi Iesu* 1135. Cf. catalogum librorum monasterii sancti Michaelis tempore Hermanni abbatis comparatorum apud Jaeck Beiträge zur Kunst- und Litteraturgeschichte p. XXIX.

sancti Egidii sacerdos, cui vir Dei Bernhardus familiaritatis suae gratiam praestabat, requisitus ab eo de ordinis et conversationis nostrae qualitate, respondit priscam quidem coenobii huius consuetudinem remissam et irreligiosam secundum ordinem Amberbacensium fuisse, sed a beato praesule Ottone per dilectum patrem nostrum Wolfframmum, decimum huius loci abbatem, spiritualem et Deo acceptum ordinem Hirsaugiensium hic institutum, et ex eo per gratiam Dei tantam in coenobio hoc monachilis propositi excrevisse perfectionem, ut Christi bonus odor sit in omni loco. His auditis Bernhardus episco- 2 Cor 2, 15. pus palmas utrasque ad coelum expandens, Domino cum lacrimis gratias agebat, et summo deinceps affectu locum hunc excolebat. Nam et in conventu fratrum, depositis pontificalibus indumentis, habitum monachilem suscepit, et paternis consiliis tantam memoriali Wolfframmo abbati aedificationem conferebat, ut non modicas Uodalrico sacerdoti gratias ageret, quod tam desiderabilem sibi virum insinuasset. Hic etiam inter alia pietatis et prudentiae consilia frequenter adhortari solebat, ut si quando pastor hic eligendus esset, assiduis orationibus et ieiuniis idoneam nobis a Deo revelari personam flagitaremus, et non alium nisi divina revelatione declaratum utilitatibus nostris per omnia profuturum sciamus.

2. *Qualiter sanctus Otto per eundem Bernhardum instigatus, ut gentem Pomeranorum praedicationis gratia adiret, et de revocatione eiusdem Bernhardi per suos fratres facta ad propria.*

Agnito itaque pius Otto sanctitatis eius rumore celebri, et insolito his diebus[a] ad paganos[79] praedicationis fervore, debita eum veneratione excipiens, omnem peregrinationis 79 suae historiam et statum Pomeranicae gentis[b] curiose sciscitabatur. Quibus expositis, Bernhardus sentiens pium Ottonem ad omne opus bonum paratum, verbis suasoriis tamquam oleum igni adiciens ait: *Ego quidem, pater honorande, memor verbi Domini discipulos ad praedicationem mittentis: „Nolite portare sacculum atque[c] peram neque calciamenta", tanta* Luc. 10, 4. *paupertatis abiectione opus euangelii aggressus sum[d], ut nec calciamentis uti voluissem. Set gens illa nimiae dedita insipientiae veritatisque penitus ignara, cernens tenuitatis meae et habitus despectionem, non pro amore Christi, sed pro[e] sola inopiae necessitate[f] me illo migrasse credidit, ideoque verbum salutis ex ore meo audire contempnens, repulit. Unde necesse est, ut, si tu, pater amande[g], lucrum aliquod in brutis barbarorum pectoribus agere[h] volueris, assumpta cooperatorum et obsequentium nobili frequentia, sed et victus ac[i] vestitus copioso apparatu, illuc tendas; et qui humilitatis iugum effrenata cervice spreverunt, diviciarum gloriam reveriti, colla submittent. Cavendum est etiam, ne quicquam de bonis eorum appetas, sed si oblatum quid fuerit ab eis, maiora quam acceperis restituas, ut per hoc intelligant, te non turpis lucri gratia, sed solo Dei amore opus euangelii subisse. Confortare igitur et esto robustus; tu enim maximam populi multitudinem in veram repromissionis terram introduces. Nec te labor arduus et insolitus deterreat, quia, quanto pugna difficilior, tanto corona erit gloriosior.* Hiis beati viri monitis, sicut ferrum inflammatur ab igne, ita cor pii Ottonis succensum est, ut nichil carius haberet, quam arctam peregrinationis huius pro[k] Christo subire angariam; Bernhardus[l] autem a fratribus suis heremitis per multa terrarum spatia requisitus, et vix tandem apud nos inventus, cum gaudio et admiratione magna ab eis in locum suum reductus est. Hac igitur occasione pius Otto Pomeraniam euangelizandi gratia adiit. Sed quo ordine, vel quem illic[m] fructum fecerit, consequenter Deo favente explicabimus.

3. *Quomodo sanctus Otto licentiam euangelizandi Pomeranis impetravit a papa Kalixto, et de viae suae sociis ac profectione usque ad ducem Bohemiae Ladislaum.*

Sciens ergo omnia, quae in domo sunt[n], sine dispositione summi[n] patrisfamilias nichil[o] esse, opus tam arduum nullatenus absque Romani pontificis auctoritate inchoandum[p] praevidit. Ideoque missis ad apostolicum Kalixtum honorabilibus legatis, licentiam euangeli- 1123. zandi Pomeranis impetravit; igitur[q] ipso tempore ecclesiam sanctae Walburgae virginis in 1124.

a) illis temporibus p. f. B 2a. 2b. i. t. scilicet quod ad paganos p. f. succensus accepisset debita B 1. b) ab eo *add.* B 1. c) neque B. d) *deest* B 2a. 2b. e) *deest* B 1. f) necessitati meae A 1. compulsum *add.* B 1. g) venerande B 2a. 2b. h) habere B 1. i) et B. k) p. Ch. *desunt* B 2a. subire *in margine.* l) Bernhardus — reductus est *desunt* B. m) illis A 1. n) *deest* B 2a. 2b. o) nichili B. p) p. i. B 2a. 2b. q) *reliqua usque* multi autem de clero *desunt omnia, quorum loco haec leguntur:* Qua impetrata pius Otto Babenbergensis aecclesiae et multorum monasteriorum, quorum pater et constructor erat, statu bene disposito, electis peregrinationis suae comitibus, sumptis quoque tantae viae necessariis, propositum iter aggressus est.

79) i. q. fervore praedicandi paganis.

1124. Altenburgensi monte[80] dedicavit, ibique primum Uodalrico sacerdoti religioso voluntatem
suam, quam ad paganos eundi fixam habebat, aperuit dicens: *Quamvis diversa michi in his*
partibus tam publica quam privata incumbant negotia, karitas tamen Christi urget me, ut ad
propagandam nominis eius gloriam, difficilem ad Pomeranos peregrinationis angariam in-
cunctanter aggrediar, et aut idolatras ad verae fidei callem pertraham, vel ipse morti pro eo,
qui hanc innocens pro nobis excipere dignatus est, succumbam. Unde inprimis agendum est
michi, ut eiusdem fervoris et constantiae socios et cooperatores assumam, qui calcata spe
saeculi ad mortem, si ingruerit, pro Christo subeundam parati sint. Ad quod praecipue te,
frater et conpresbyter karissime, idoneum esse censeo, nec non et Werinherum sacerdotem de
Erenbach, virum sapientia et pietate ornatum, Adelbertum quoque, linguae barbaricae sciolum,
81 *interpretem habere possumus*[81]. *Septem ergo dierum inducias super hoc accipiens, ad instar*
boni adlethae animum tuum compone, et post haec quicquid Spiritus sancti inspiratio cordi tuo
dictaverit, michi responde. Ad haec Uodalricus paululum quidem intra semet ipsum delibe-
rans, et intimo divini amoris igne succensus ait: *Iam septem dierum inducias, pater mi,*
aestimo transisse, et quod tunc a me auditurus esses, nunc quoque, ut desideras, accipe. Nam
Luc 22,33. *ut verbis beatissimi apostolorum principis loquar: „Tecum paratus sum et in carcerem et in*
mortem ire.“ Quibus auditis pius Otto cum lacrimis gratias agens: *Nunc*, inquit, *laetus*
arduum hoc opus aggrediar, quia gratia Spiritus sancti cor tuum tetigit, et tam ardenter id in
ipsum accendit. Notum itaque tibi facio, quia aecclesiam sanctae Fidis, nuper a me con-
structam, celerius consummare ac dedicare statui, eo quod incertus sit reditus meus; statimque
completa dedicatione opus euangelii indubitanter volo aggredi. Interim vero accepta a me
pecunia, vestes et necessaria quaeque tibi compara, quia ad suggestionem beati viri Bernhardi,
non cum tenuitate sed habundantia tam vestium quam victualium Pomeranos adire nos oportet,
ne cum paupertatis angustias in nobis deprehenderint, non zelo iustitiae sed pro inopiae rele-
vanda necessitate illo nos migrasse cavillentur, et verbum salutis refutantes, a finibus suis nos
eiiciant, sicut et illum Dei famulum abiecerunt. Sed et servum tibi quemlibet fidelem et indu-
strium in ministerio provide, quem huic labori aptum esse cognoveris. Tunc Uodalricus: *Est*,
inquit, *adolescens officio clericus, nomine Sefridus, ingenio acutus, strennuus et fidelis, qui etiam*
cartis in itinere, cum necesse est, scribendis promptus et impiger erit. Hunc meo iudicio ido-
neum huic peregrinationi, tuae, pater, dilectioni offero. Quod pius Otto gratanter suscipiens:
Recte, ait, *iudicasti; hic deinceps praecipuum inter familiares meos te suggerente locum obti-*
nebit. Post haec igitur dedicata sanctae Fidis ecclesia, et viae sumptibus aggregatis, cum
proficiscendi tempus instaret, Uodalricum servum Dei repentina febris invasit. Ancillae
etenim Christi Berchrada et Wentzelmůt, cum aliis, quibus ille Deo acceptus sacerdos in
loco Babenbergensi verbis et exemplis irreprehensibiliter praeerat, assiduis ad Deum pre-
cibus et lacrimis hic eum detinuerant, quorum procul dubio vocibus divinae aures clemen-
tiae patebant, quia et tempore ei in suis praeceptis devotissime obaudiebant. Sed pius Otto
Apr. 17–19. aegritudine eius plus quam credi potest contristatus, triduoque ultra condictum tempus
propter eum in civitate Babenbergensi demoratus, cottidie eum tam per se quam per suos
familiares visitabat, et si qua sanitatis indicia adessent, paterna sollicitudine explorabat.
Verum non cessantibus doloribus, immo cottidiana Dei nutu incrementa capientibus, vir
Dei electum suae peregrinationis comitem non sine gravi moerore aegrum relinquens, iter
Apr. 20. cum suis aggressus est; Sefridum tamen, bonae indolis adolescentem, pro amore pii nutri-
toris Uodalrici in comitatu suo admittens, intimae dilectionis visceribus ex tunc et deinceps
Apr. 21. eum fovere non desiit. Veniens autem ad coenobium Michilveldense noviter[82] a se con-
structum, orationibus et elemosinis pro sanitate intimi sodalis vigilantius instabat, iterum-
que triduo in eodem loco subsedit, crebra servum Dei legatione compellans, ut, si qua Deo
miserante virtus corporis succresceret, illic sibi naviter occurreret. Sed illo in continua
aegritudinis molestia perseverante, pius Otto se beato Iohanni apostolo eiusdem monasterii
patrono attentius commendans, iter quod coeperat aggressus est. Multi autem[a] de clero et
familia Babenbergensis[b] aecclesiae[c] nimio piissimi patris sui amore devincti, ad locum
Michilveldensem eum fuerant[d] prosecuti, cupientes vel tantillo tempore amabili eius

a) vero B. b) Babenbergensi B. c) *deest* B d) fuerunt A 1.

80) prope Bamberg. Consecrationem factam esse 1. Mai. 1124 vult Jaeck Beschreibung der Altenburg bei Bamberg p. 6; errat, ut ex sequentibus patet.

81) quoniam ducis Poloniae erat capellanus; cf. Herbord. II. 40.

82) Anno 1119.

praesentia et doctrinae suavissimae[a] desiderabili eloquentia recreari. Quos ille monitis 1124. salutaribus[b] ad pacis et unanimitatis fraternae concordiam accendens[c], uberibus paternae consolationis reficiebat, dicens inter alia: *Quia pro amore Christi arduum peregrinationis huius angariam[d] subire, et lucrum aliquod in remotis barbarorum finibus propagare desidero, pacem relinquo vobis, pacem iterum atque iterum inculcans[e] commendo vobis. Si[f] ergo quam* Ioan. 4, 27. *magna sit pacis virtus attenditis, quo a vobis colenda sit studio cognoscitis. Hanc quippe Dominus et redemptor noster ad passionem mortis iturus, velut unicum et speciale pignus discipulis suis relinquere ac dare dignatus est, ut eos, qui sibi firmitate fidei cohaerebant, per hanc illi pia[g] faceret participatione[h] consortes. Scriptum namque est: „Beati pacifici quoniam filii* Matth. 5, 9 *Dei vocabuntur.“ Quisquis ergo patri suo heres esse desiderat, filius existere pacem custodiendo non renuat; nam qui locum praebet discordiae, ipse profecto tanti se muneris exsortem constituit. Si qua ergo[i] divini amoris aemulatio, si qua in vobis meae humilitatis est[k] affectio, pacem sectamini cum omnibus domi forisque, cum domesticis et extraneis ea quae pacis sunt et karitatis agite, hospitalitatem intimo[l] piae voluntatis annisu excolite, providentes bona non tantum coram Deo, sed et[m] omnibus hominibus.* Haec et hiis similia triduo eis inculcans, Apr. 24. tandem velut ultra non visuris valefaciens, Christo attencius commendabat, et non sine lacrimis paternum amorem testantibus ad locum suum remisit. Ipso[n] autem viam propositae peregrinationis aggrediente, quae lingua explicare valeat, quantus omnium filiorum eius ploratus, quam incredibilis sit exortus gemitus! Quia[o] enim vinculo perfectionis, quod est karitas, cum eo fuerant arctius uniti, flebant[p] unicum patrem quasi cor a visceribus evelli, et tanquam funus amantissimi nutritoris ad tumulum deferrent. Ita cum luctu et miserabili planctu eum deducentes, extra locum Michilveldensem prosequebantur, cum quidem ille, conversus ad eos pastorali auctoritate et sacerdotali gravitate, quantum poterat, flentes[q] consolari satageret. Itaque egressus cum nobili suo comitatu, sequenti[r] die ab illustri viro Gebehardo Waldekkendensi ad dedicandam aecclesiam suam[83] invitatus est, Apr. 25. quam summa devotione et debita divinae servitutis celebritate consecravit. Procedens inde aliam dedicavit aecclesiam scilicet Vohendrezensem[s, 84] in episcopatu venerabilis[t] 84 Hartwici Ratisponensis[u] episcopi[v], nimirum ipsius permissu et rogatu, ubi multitudo copiosa plebis, ad 6000 vel amplius computata, ei occurrens, sacrae[w] confirmationis gratiam suppliciter ab eo flagitabat. Quam desiderata manus eius inpositione consecuta, mox[x] mirum in[y] modum gratulari coepit in Domino, et pro longiturna tanti patris vita prosperoque peregrinationis eius cursu[z] enixius divinam exorare[*] clementiam. Fuit enim in summa apud Deum et homines gratia, ita ut cuncti ad videndum[a] eius reverendam caniciem, velut[b] angelicam faciem, sitibundo pectore properarent, et non solum venerabiles[c] manus[d] assidua elemosinarum largitate sanctificatas, sed et[e] vestigia eius exosculari summopere gauderent. Post haec ad Cladrunnense[f] coenobium veniens, honorifice illic cum suis ex- Apr. 26. ceptus est. Nam et dux Boemiae Ladizlaus honorabiles legatos suos illuc in occursum pii patris praemiserat, qui ei debita devotionis[g] reverentia obsequerentur ac ducatum praeberent, usque dum[h] in provinciam[i] ducis ad civitatem Pragam[k] venit[l]. Ubi[85] dux cum Apr. 28. divae memoriae Meginhardo, eiusdem urbis episcopo, omnique clero et populo officiosissime eum excipiens[m], magna ei donaria obtulit, quae ipse in usus pauperum delegavit. Idem[n] vero electus Dei pontifex Megenhardus singularem familiaritatis gratiam cum pio Ottone iam dudum habuerat, ita ut pro amore eius etiam locum hunc[86], quem illi maxime dilectum 86 noverat, miro affectu excoleret, beneficiis magnis accumularet, perpetuamque hic anniversarii sui memoriam, ut hodieque apparet, fideli devotione disponeret. Progressus itaque pius Otto abbatiam Setzkeam petiit. Inde ad Albeam divertit, in quibus locis dux Ladizlaus Apr. 29. certas ei mansiones usque ad terram Poloniorum constituerat. Ibi quoque legati venerabilis

a) ac desider. B. b) s. instruens B 2a. 2b. c) *deest* B 2a. 2b. d) viam B. e) *deest* B. f) si — vobis *desunt* B. g) *deest* B. h) sua pietate B. i) igitur B. k) *deest* B 1. l) diligite *reliqua usque* excolite *desunt* B. m) etiam coram B. n) ipso — gemitus *desunt* B. o) illi autem quia B. p) flebant — luctu *desunt, pergit* eum lamentati et singultu pium Ottonem prosequebantur cum B. q) flectens B 1. r) sequenti — etiam *desunt* B. s) quandam B. t) v. H. *desunt* B. u) Ratisponensi B. v) episcopi — rogatu *desunt* B. w) *deest* B. x) *deest* B. y) dictu B. z) eventu B. *) exoravere B 2b. a) videndam B. b) velut — properarent *quorum loco* sicienter anhelarent B. c) *deest* B. d) plenas mundicia et *add.* B. e) verum etiam B. f) Claderanense A 1. Cladruñse B 2a. g) devocione, et B. h) *deest* B. i) praesentiam B. k) Brâgam B 1. l) *deest* B. m) suscipiens B 1 n) *reliqua usque ad finem capitis desunt* B.

83) in Leuchtenberg. 84) Vohenstrauss. 85) Aliter Herbord. II, 8. 86) Michelberg.

1124. Polizlai ducis Poloniorum novo nostri temporis apostolo occurrerunt, et commeatum
Mai. 3. victumque usque ad Gnezensem metropolim habundanter exhibuerunt. Venit ergo ad epi-
5. scopatum Breslaensem, ubi honore debito susceptus, biduo mansit. Tertia die Pozenaen-
6. sem episcopatum adiit. Unde digressus, per loca contigua fidei et pietatis spargens semina,
20. vix intra 14 dies ad Gnezensem aecclesiam, quae metropolis est Poloniae, accessit[87].

4. *Qualiter Polislaus dux Poloniae sanctum Ottonem exceperit, ac de operibus ibidem per eum factis.*

Polizlaus[a] ergo[b] dux[c], comperto viri Dei adventu, flere coepit prae gaudio, moxque
egressus cum omni clero et populo, dilecto patri nudis pedibus occurrit, tantaque eum de-
vocione excepit, ut etiam filios suos lactentes[d] illi obvios portari et vestigia eius exosculari
iuberet, sacraque[e] eius benedictione per manus inpositionem confirmari cum lacrimis
expeteret. Erat enim dux ipse magnae[f] in Christi aecclesia reverentiae, amator pauperum
et piissimus inopum consolator, humilitatis et karitatis virtute omnibus amabilis, congre-
gationibus fidelium et domiciliis sanctorum magis quam urbibus exstruendis operam dare
solitus. Qui[g] etiam desiderantissimum sibi patrem Ottonem per tres ebdomadas in episco-
88 patu Gnezensi secum detinuit[88], in domo Iacobi praepositi maioris aecclesiae, qui postea
episcopus factus est, ut et doctrinae eius suavitatem degustaret, et oportuna quaeque
Mai. 27. sumptuum ad iter illud necessariorum ei provideret. Egressus autem pius Otto inde[h] a
Gnezensi aecclesia, furtum quoddam in proxima villa incurrit, quod mox edicto Polizlai
ducis recuperavit. Ibi etiam comites eius Heroldus et Godeboldus accepta benedictione ad
sua rediere. Post haec Deo gubernante prospero itinere usque ad fines terrae Poloniorum
processit. Cumque ad castrum quoddam quod[i] Uzda nominatum est[i], quod est in confinio
utriusque terrae, cum suis venisset, comes[k] Paulus, ductor eius, praemisit nuntios ad
Wortizlaum Pomeraniae ducem, qui servum Dei Ottonem, fama apud eos celeberrima vul-
gatum, fines suos euangelizandi gratia adire insinuarent, cui tam pro suae sanctitatis re-
verentia, quam etiam[l] auctoritate apostolici[m] domni Kalixti, cuius missus erat, omni de-
votione occurrerent, et monitis eius seu praeceptis per omnia obtemperarent. Quo man-
89 dato dux Wortizlaus accepto, in castro Zitarigroda nuncupato ei occurrit[89], honorifice illum
ut angelum Domini excipiens. Cui pius Otto pacem Christi[n] offerens, dona[o] etiam more
suo obtulit[p], hoc est sedem episcopalem pallio obductam et dorsale pretiosum, cum aliis
muneribus, ut temporalibus illum donis[q] ad amorem coelestium facilius attraheret. Barbari
autem instinctu inimici et satellitum eius, videlicet sacerdotum suorum[r], crudeli impetu
super famulos Christi irruentes, mortem[s] eis minari coeperunt. Quo viso dux admodum[t]
contristatus cum[u] suis accurrit[v], eorumque defensioni viriliter insistens, exterritos et
Iun. 2. paene iam desperatos non minime consolatus est. Sed et[w] legatos suos pio Ottoni assigna-
vit, qui per desertum magnum, quod inminebat, continuato 7 dierum spacio eum trans-
90 duxerunt[90], ubi grande venenatorum animalium periculum incurrerunt, sed Deo protegente

a) Bolizlaus B 2. b) igitur B. c) Poloniae *add.* B. d) in humeris *add.* B. e) et s. B 1. f) christianissimus B. et reverentiae *desunt.* g) qui — rediere *desunt* B. h) in *manu recentiori superscriptum* A 1. i) *deest* B. k) *deest* B. l) et a. B 1. etiam auct. ap. *desunt* B 2a. 2b. m) d. papae B 1. n) domini B. o) *deest* B. p) munera preciosa obt. B. *desunt* hoc est — muneribus. q) bonis B. r) sedicionem in plebe excitantium in filios pacis c. i. irruerunt *add.* B. s) mortemque minitari B. t) adm. c. *desunt* B. u) statim cum *desunt* B. v) accurrens contumaciam eorum v. repressit et famulos Dei exterritos B. w) et tunc B.

87) Cfr. de his Herbord. II, 8 sqq. et Ottonis itinerarium apud Quandt Balt. Studien X, 2. p. 133. 88) septem dies, ut habet Herbord. II, 9. erat Otto in urbe Gneznensi, duas hebdomadas in episcopatu Poznanensi, teste Ebbone; id est, additis septem illis diebus, tres hebdomadas in archiepiscopatu Gneznensi commoratus est. Reliquit igitur Gneznam 27. Mai. si accurate numerati sunt dies itineris. Idem fere dies indicatur, si ab Ottonis adventu Caminae 24. Iun. Ebbo II, 5. inverso ordine dies numeraveris. 89) Hoc castrum Zitarigrodam hodie esse Stargard, ut voluerunt Schöttgen in commentatione: Das Andenken der Pommerschen Bekehrung in Gesterding Pommersches Magazin I, 3. et post eum multi alii, persuadere mihi non possum. Quis credat Paulum ab Uzda, castro in confinio Poloniae et Pomeraniae ad Netzam sito, ad Wortizlaum praemisisse nuntios eum invitaturos, ut Ottoni Stargardiae ad Ihnam *occurreret?* Neque viam suam Otto bene disposuisse videretur, si primum Stargardiam, dein Piritscum meridiem versus, denique Caminam septemtrionem versus profectus esset. Sine dubio Zitarigroda erat Poloniae finibus propius sita, ut probatur primis verbis cap. sequentis, cf. an. 92. Fortasse castrum erat in ripa Dragae situm, cuius memoria alias non est servata. Nomen Stargard in terris Slavicis minime esse rarum constat. 90) In hoc praeferenda Herbordi auctoritas, qui II, 10. Sefri-

illaesi evaserunt. Et post haec[91] ad stagnum quoddam ventum est[a], ubi occurrentibus sibi [1124.] Pomeranensibus[b], quorum Deus corda tetigerat, et ultro fidei ac lavacri salutaris gratiam expetentibus, flens prae gaudio primicias novi gregis ovili Christi[c] adiecit. Altera die ad [Iun. 3.] villam proximam divertit, ibique plures Domino cooperante secundae nativitatis sacramento initiavit.

5. *Quomodo ad Piriscum castrum veniens ibi multos baptizavit.*

Tercia die ad Piritscum castrum primum Pomeraniae[92] venit, ubi cives eius ad fidem [Iun. 4.] exhortans 14 diebus[d. 93] sedit, eis nimirum abnuentibus[e] et servum Dei ad alia migrare [93] loca facientibus[f], seque novam hanc legem sine primatum et maiorum suorum consilio aggredi non posse testantibus[94]. Tandem pio Ottone assiduis pro salvatione eorum precibus incubante[g], spiritu Dei, qui ubi vult spirat, et cui vult miseretur, tacti assenserunt, et [Ioan. 3, 8] iugo fidei colla submittentes baptizati sunt, quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam[h]. [Act. Apost. 13, 48.] Itaque in nativitate sancti Iohannis baptistae ad castrum magnum[h] Gamin[i. 95] dictum, ubi [Iun. 24.] sedes ducis est, pervenit. Ubi multum tempus, id est 14 ebdomadas[k] vel amplius residens[l. 96], aecclesias de ramis arborum, ut novella tunc[m] plantatio exigebat, construxit[n], et [cf. Herbord II, 19.] ipse quidem infantes, cooperatores autem sui viros et[o] mulieres ad Christum confluentes baptizabant. Illic[97] ergo in catezizatione requisitum[98] est a mulieribus, quod infantes [98] necassent[p]; nam crudelitate paganica puellas necare et mares reservare solebant, et pro hoc scelere specialis poenitentia eis iniuncta est. Singulariter ergo viri, singulariter feminae sacro abluebantur fonte, obpansis, ut[q] oportunum erat, circa baptisterium velis, tanto ab invicem spacio semoti, ut[r] nulla scandali alicuius[s] occasio hinc oboriri posset.

6. *De muliere horribiliter defuncta quae feriare contempserit.*

Ad[t] confirmandam vero pii Ottonis praedicationem coeleste prodigium non defuit, [ib. II, 22.] quod consequenter hic inseri ordo relationis exigit. Nam[u] in eodem castro Gamin mulier quaedam nobilitate et divitiis praepollens[v], sed inimici suasionibus seducta[w], piissimi apostoli sui doctrinam pro nichilo habebat[x], et verba eius[y] postponens sequi nolebat. Unde inter alia contemptus et transgressionis indicia dominica die[z], cunctis feriantibus, ipsa in agrum egressa metebat, et reclamante ac prohibente[*] familia, irreverenti et infronito[a] animo coepto operi instabat. Set pius dominus, qui praedicatoribus suis polliceri dignatus est dicens: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit*, evidenti miraculo ad cor- [Luc. 10, 16.] rectionem aliorum despectionis huius vindex et castigator factus est; nam dum mulier infelix[b] pertinaciter nefario[c] operi incumberet[d], ac familiae suae, cur eam adiuvare negligeret, tumida[e] comminatione exprobraret, subito collapsa retrorsum, dicto cicius expiravit, magnumque astantibus horrorem incussit. Moxque a familia plangente et ululante loculo imposita, per omnem civitatis ambitum cum[f] lamentabili exsequiarum celebratione circumferebatur, cunctisque tam manifestum Dei iudicium pertimescentibus, universi[g] in fide et religione christiana magis ac magis confirmabantur[h].

a) venerunt B. b) Pomeranis B. c) Christo B 2a. d) dies mansit B. e) invidentibus B 1. *lacuna* B 2a. f) compellentibus B. g) insistente B. h) *deest* B. i) Camin B 2a. 2b. k) ebdomadibus B 1. 2a. ebdomadis B 2b. l) praedicans B. m) *deest* B 2a. 2b. n) composuit B. o) ac B. p) necarent B. q) ut op. erat *desunt* B. r) ne ullius B 2a. 2b. s) hinc ob p. oc. B. t) praedicationem vero p. O. signa et prodigia confirmabant quae hic inseri B. u) *deest* B. v) famosa B. w) Deo exosa B. x) ducebat B. y) Dei B. z) iuxta praeceptum beati pontificis B. *) reluctante eius B. a) infrunito B 2a. 2b. b) solo inclinata *add.* B. c) *deest* B. d) sola insisteret B. e) garrula B. f) miserabiliter B. g) novella plantatio B. h) convalescebat B.

dum testem oculatum secutus desertum ponit inter Uzdam et locum quo Otto cum duce convenerit, hocque iter per sex tantum dies eum fecisse dicit. 91) i. e. eodem die quo reliquissent desertum. 92) quod non de dignitate Piritsci castri intelligendum est. Ebbo dicit primum castrum in quod inciderit Otto, Pomeraniae finibus transitis, fuisse Piritscum. Itaque Zitarigroda in Pomerania Wortizlai non est quaerenda. Quod bene convenit cum Herbordi narratione. 93) Dierum numero usque ad 3. Iun. numeratorum, et die ab ipso Ebbone paullo infra notato 24. Iun. bene probatur Ottonem non 14 dies sed 20, ut habet Herbord. II, 16, Piritsci esse commoratum. Ebbonis auctoritatem praefert L. Giesebrecht W. Gesch. II, 264. an. 1. 94) Longe faciliorem Ottonis ad paganos fuisse aditum testatur Herbord. II, 13. 95) *Cammin.* 96) Hoc falsum esse probat Herbord. II, 19. 23. Cf. L. Giesebrecht Wend. Gesch. II, 271. an. 1. 97) Quod primum Piritsci factum est; Herbord. II, 17. neque minus ea quae de baptismo narrantur. 98 i. e. ratio quaesita est.

7. Qualiter ad urbem magnam Iulin pervenerit, et de periculo, quod in eodem loco pertulerunt.

1124 Progressus itaque[a] apostolus Pomeranorum, venit ad urbem magnam Iulin, ubi Odora Aug. 13. fluvius praeterfluens lacum vastae longitudinis[b] ac latitudinis facit[c], illicque mare influit. Cf. Herbord II, 23. Cives autem loci illius crudeles erant et impii. Unde et pius praedicator[d] magno illic capitis sui periculo ingressus, certam mortis exspectationem cum suis omnibus habebat. Mos autem est regionis illius, ut princeps terrae in singulis castris propriam sedem et mansionem habeat, in quam quicumque fugerit, tutum ab inimicis asylum possidet. Illuc ergo pius Otto ingressus, orationibus et lacrimis pro conversione gentis Pomeranicae instabat, sed incassum[e]. Nam urbani calice furoris Dei[f] misere debriati[g], audito servorum Dei adventu, Aug. 14. sequenti die primo diluculo super[h] eos armata manu irruerunt, et fustibus ac lapidibus impetentes expellere nitebantur, dicentes in vanum eos ducis mansionem irrepsisse[i], quasi illic pacem habituri essent, cum subversores patriae ac legum antiquarum extranei ab hac pacis condicione deorum suorum edicto censerentur. Vix ergo[k] interventu ac suffragio ducis post multimodas iniurias vivi evaserunt, et extensis ante castrum tentoriis Aug. 20. 7 diebus illic morabantur, cottidie per internuncios utriusque ducis, id est Polizlai et Wortizlai, requirentes a Iulinensibus, si fidei christianae iugum subire deliberassent. Set illi pravo[l] sacerdotum suorum consilio seducti[m], nullatenus sanae doctrinae praeconem recipere volebant, quin immo de finibus suis cum[n] ignominia eum perturbantes, ad Stetinenses ire compulerunt.

8. Quomodo[o] sanctus Otto a quodam rustico graviter percussus fuerit.

Accidit quoque in eodem loco servum Dei gravem et suo nomine indignam subire iacturam, quae illi maiorem apud Deum retributionis aeternae pariebat gloriam. Nam rusticus quidam, filius perdicionis, in silvam ad ligna praecidenda ierat, rediensque cum plau- 1 stro lignis[p] onusto, viro Dei occurrit[1] in loco, ubi magna coeni[q] profunditas inerat, et nimia furoris[r] armatus vesania[s], instinctu possidentis eum[t] sathanae, arrepto validissimo ligno caput servi Dei perfringere et[u] cerebrum eius excutere nisus est. Sed[v] Domino[w] pium Ottonem ad multorum aedificationem conservante, nefandus ille homicida sanctum eius verticem attingere non potuit, sed ingentem ei inter scapulas ictum dedit, ita ut pronus in coenum laberetur, caputque illud[x] reverenda canicie honorandum cum toto corpore luto fetidissimo turparetur. Sed[y] et cooperator eius fidelis Hyltanus nomine, cum ei praesidio esse voluit, et ipse gravem pro defensione veritatis in brachio ictum suscepit. Servus autem Christi e luto sublevatus[z], gratias pro contumelia agebat dicens: *Gloria tibi, Domine, quia,[*] etsi amplius non erit, saltem[*] unum pro amore tuo ictum accipere merui.* Verum usquequaque non deseruit Deus famulum suum pro nomine eius tanti[a] discriminis acerbitate laborantem, quin immo defensorem illi et adiutorem in oportunitatibus, in tribulatione, illustrem virum nomine Nedamirum destinare dignatus est. Erat[b] enim ipse Nedamirus diviciis et potentia inter suos opinatissimus, antea quidem in Saxonia baptizatus[c] et occulte christianus. Hic omnem pio Ottoni exhibebat[d] humanitatem et defensionem, et abeuntem magna devotionis[e] reverentia prosecutus[f], tres[g] naves non[h] modicas victualium copia Aug. 21 oneratas hilariter[i] praebuit[k], ac ducatum ei ad urbem Stetinensem[l] usque in arcem ducis officiose satis exhibuit[m], ipseque[n] per noctem ad cives suos Iulinenses clam rediit. Apostolus Oct. 22. itaque Pomeranorum continuis 9 ebdomadibus in[o] urbe Stetinensi tuto in loco residens[p], diu multumque in opere Dei et verbo praedicationis oportune[q] inportune laborabat[r], tandemque Dei[s] praeveniente clementia conversionem efferae gentis obtinuit, hac[t] videlicet occasione:

a) inde novus B. b) magnitudinis A 1. c) reddit B. d) Otto B. e) tunc exauditus non est. Iulinenses enim B. f) domini B. g) inebriati B 1. ebriati B 2^a. 2^b. h) ad famulos Christi cum gladiis et f. exierunt tamquam ad latrones, dicentes B. i) irrupisse B 2^a. 2^b. k) *deest* B 2^a. 2^b. l) *deest* B. m) depravati B. n) proturbantes eiecerunt B. o) quomodo percussus a rustico in lutum corruit *est rubrum huius capitis* B 2^a. 2^b. p) ignis A 1. q) sceni A 1. r) furore A 1. s) insania A 1. t) se p. B. u) et — excutere *desunt* B. v) secus accidit *add.* B. w) enim *add.* B. x) illius B 1. y) sed — suscepit *desunt* B. z) extractus B. *) tamen B. a) tanta A 1. b) eratque vir ille B. c) factus chr. oc. tamen propter metum paganorum B. d) exhibuit karitatem et h. ita ut B. e) hilaritate B. f) prosequeretur B 1. g) ei *add.* B 1. h) n. m. *desunt* B. i) alacriter B. k) prebendo B 1. praeberet B 2^a. 2^b. l) Stetin B. m) exhibendo B 1. exhiberet B 2^a. 2^b. n) ipse vero accepta benedictione ad B. o) in u. St. *desunt* B. p) *deest* B. q) op. inp. *desunt* B 2. r) instabat B. s) gratuita *add.* B. t) hoc modo B.

1) Paullo aliter Herbord. II, 23.

9. *Quomodo*[a] *sanctus Otto Domuzlaum*[b] *ad fidem Christi adduxerit.*

Domuzlaus quidam corpore et animo ac diviciarum copia, sed et generis nobilitate 1124. inter Stetinenses eminentissimus, tanto ab omnibus honore et reverentia colebatur, ut nec ipse dux Pomeraniae Wortizlaus sine consilio et assensu eius quicquam agere[c] praesumeret, sed ad[d] illius nutum universa tam publica quam privata disponebantur[e] negotia. Nam et[f] pars maxima urbis Stetinensis, quae principatum omnium Pomeraniae civitatum obtinens, quatuor montes suo ambitu inclusos habet[g. 2], propinquis[h] et affinibus Domuzlai 2 repleta erat; sed in aliis circumiacentibus regionibus tantam propinquorum turbam habebat, ut non facile quisquam ei resistere posset. Sciens itaque pius Otto, utpote vir sagacissimus, quia si hunc fidei christianae cum propinquis suis subiceret, omnis plebs exemplo eius attraheretur, toto conamine rinocerotam hunc ad arandum in agro Domini loro[i] prae- Iob 39, 10. dicationis alligare contendit. Sed quia durus[k] erat, nec facile constringi[l] poterat, primum filias eius absente patre fidei sacramentis initiavit[m], matrem quoque[n] cum filiis ovili Christi Oct. 25. adiecit[o]. Quo audito Domuzlaus primo quidem graviter indignatus, quod sine voluntate et assensu eius haec acta essent, velut alter Saulus persecutionis[p] crudelissimae auctor factus est, ita ut minis et terroribus ac conviciis pium Ottonem aggressus cum ignominia de finibus illis eliminare temptasset[3]. Set apostolo Pomeranorum genua ad Deum flectente et 3 cum[q] lacrimis orante, ut, ubi habundavit iniquitas, superhabundaret gratia, Domuzlaus[r] Rom 5, 20. timore scilicet[s] et amore Dei tactus, tamquam et ei superna voce diceretur: *Domuzlae,* Act. ap. 9, 4. *quid me persequeris? olim quidem debui perdere te, sed Otto servus meus oravit pro te,* repente de lupo in[t] agnum, hoc est de[u] Saulo mutatus est in Paulum, et totus lacrimis infusus, pio Ottoni humili adgeniculatione prosternitur, indulgentiam ab eo et locum poenitentiae flagitans. A quo benigne susceptus et paterna benedictione consolatus, secreta confessione innotuit, se olim in Saxonia baptismi gratiam percepisse[4], sed astutia inimici, tanta divi- 4 ciarum mole in barbarica terra sibi accedente, fidem Christi inter idolatras servare non potuisse. Ex eo igitur abdicato penitus omni[v] gentilitatis errore, fidei, quam inpugnaverat, validissimus propugnator factus est, mirumque[w] in modum plus correctus profuit, quam errans laeserat, statimque omnis familia eius cum gaudio novae regenerationis lavacro perfusa est, animae scilicet plus quam 500. Sed et propinqui eius et amici cum domesticis suis exemplo eius provocati fidem receperunt. Sicque factum est, ut de die in diem crescente numero fidelium, tota civitas cum adiacente provincia, fugatis idolatriae tenebris, splendore fidei illuminarentur. Mansit itaque illic pius praedicator per instantem hiemem, baptismi gratiam confluentibus ad se populis tradens, aecclesias in locis oportunis construens, easque ministris ac sacerdotibus idoneis[x] committens, omnique[y] ornatu aecclesiastico diligenter instituens[z].

10. *De duabus matronis sanatis*[*] *per sanctum Ottonem ac postea baptizatis.*

Set[a] nequaquam silentio praetereundum, quomodo etiam miraculi attestatione Dominus fidelem suum operarium, viriliter pro se agonizantem, illustrare dignatus est, sicut ore prophetico praedixerat: *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.* Matronae duae 1 Reg 2, 30. adhuc[b] errore gentilitatis irretitae, gravissima[b] aegritudinis molestia detinebantur, ita ut omni membrorum officio destitutae, morti iam proximae viderentur. Ad quas pius Otto accessit, verbum salutis, prout capere poterant, annunciavit, et sancta[b] spe de misericordia Christi praesumens, pollicitus est eis, si credere et baptizari vellent, non solum animae

a) De conversione Domuzlai principis B 2[a]. 2[b]. b) Domizlaum A 1. *et sic porro.* c) ageret B. d) in illius arbitrio tam p. B. e) pendebant B. f) eximia urbs illa Stetin quae tres montes B. g) habens principatum — obtinet B. h) cognatis servis et amicis eius B. i) loco A 1. k) infrenis erat et dura cervix B. l) confringi B 2[a]. m) imbuit B. n) matremque B. o) in Chr. regeneravit B. p) persecutionem in servos Dei excitavit et eos de finibus illis exterminare cogitavit B. q) c. l. *desunt* B. r) ille B. s) simul B. t) agnus B 2[a]. 2[b]. u) qui fuit devastator factus est veritatis defensor et propagator (propugnator B 2[a]. 2[b].), compunctus enim et totus B. v) *deest* B. w) m. in m. *desunt* B. x) *deest* B. y) omni B. z) instituit B. *) ab egritudine curatis B 2[a]. 2[b]. a) Set — glorificabo eum *in* B 2[a]. 2[b]. *cum capite* 9. *coniuncta.* Set sicut dominus ore — eum fidelem op. s. — frequentium miraculorum indiciis d. est il. B. b) *deest* B.

2) Eadem verba repetit Ebbo III, 1, ubi sine dubio verius narrat Stetinam tres tantum montes inclusisse. De tribus montibus cf. Hering in comment. Balt. Stud. X, 1. p. 18. 3) De hoc nihil Herbordus II, 28. 4) quod de matre puerorum narrat Herbordus II, 27. Si hunc audis, Domuzlaus propinquorum et domesticorum exemplum secutus, baptizatus est.

1124. sed et corporis medelam et integerrimam sanitatem. Quod sine mora pollicentibus illis[a], servus Dei oratione facta manus capiti[b] earum inposuit, signo[c] crucis et[d] benedictione eas communivit, statimque[e] fugatis doloribus pristinae[f] sanitati sunt redditae, et a duplici morte, hoc est[g] corporis et animae, per orationes sancti praesulis[h] absolutae, unda salutari cum gaudio magno sunt[i] regeneratae, multisque[k] occasio salutis[l] et conversionis fuere.

11. *Iulinenses, audita fide Stetinensium, apostolo suo legatos honorabiles dirigunt, ac fidem Christi assumunt, et* 22156 *hominum baptizantur.*

Iulinenses autem, qui dudum veritatis praeconem a se repulerant, cum audissent Stetinenses fidem recepisse, nutu Dei mente compuncti, legatos honorabiles ad revocandum virum[m] Dei miserunt. Quibus ille visis, zelo[n] pietatis motus: *Quid*[o] *venistis*, inquit,
5 *ad me hominem, quem odistis et expulistis a vobis*[5]*?* At illi humili[p] satisfactione[p] veniam petentes: *Nos*, inquiunt, *pater*[p] *honorande*[p], *antiquam patrum et maiorum nostrorum*[p] *legem sine consensu primatum, quos in hac Stetinensi nostra metropoli reveremur, infringere non praesumpsimus, sed postquam Deus tuus principes nostros sibi per te subegit, nos quoque omni remota contradictione*[q], *monitis tuis obtemperare et doctrinam salutis excipere*[r] *parati sumus.* Quo audito, antistes Domini positis genibus Deo gratias egit, profectusque cum eis et debita a Iulinensibus
Dec. 1. reverentia susceptus, veritatis viam errantibus aperuit, et baptismi sacramento purificans adoptivum Deo populum congregavit[s]. Computatus est autem numerus
6 baptisatorum illo tempore 22156 homines[6], quos pater sanctus, pro ignorantia creatoris[t] et cultu rei insensibilis comparatos iumentis insipientibus et similes factos illis, ad rectum tramitem perduxit, et[u] rationabile Deo vivo obsequium exhibere edocuit; absque noticia etenim creatoris sui omnis homo pecus est.

7 12.[v, 7] *De fervore sancti Ottonis, quam habuit in conversione infidelium, et de praedicatione ipsius.*

Operae pretium est autem ipsa etiam praedicationis eius tempora[w] hic ob noticiam posterorum annotare, ne vel hoc curioso desit lectori. Non enim parvi pendendus est talis fervor amoris Christi, et pene inaudita his temporibus mentis eius devotio, cum alii pontifices magis urbibus et castellis quam aecclesiis vel pauperum Christi domiciliis aedificandis insistant, plus[x] segni otio torpere, quam remotos barbarorum fines euangelizandi gratia adire satagant. Huic autem servo Dei beatissimo longe alia mens erat. Nunquam ille mu-
Hebr. 13, 14. nitionibus vel civitatibus exstruendis operam dedit, dicens cum apostolo: *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Porro basilicas Christo dicandas, fideliumque cellas et hospitalia tanta devotione et liberalitate annuatim aedificabat, ut cunctis pro hoc stupori esset et ammirationi. Et cum nimia haec divini cultus in Teutonicis partibus occupatio facile eum ab ardua huius peregrinationis angaria excusabilem reddere valeret, non tamen his contentus, latitudinem sanctae karitatis, quae in corde eius diffusa per Spiritum sanctum flagrabat, etiam ad remotissimam Pomeranorum gentem extendere curavit, ut illic populum acquisitionis et filios Dei per euangelium generaret, quibus cum Paulo gra-
1 Thess 2, 19 tulabundus dicere posset: *Quae est nostra spes aut gaudium aut corona gloriae? Nonne vos ante dominum Iesum Christum estis in adventu eius? Vos enim estis gloria nostra et gaudium*
1 Cor. 9, 2 *ac signaculum apostolatus mei.* Cuius felicissimi apostolatus tempora ipsamque eius aucto-
8 ritate canonica suffultam doctrinam scire volentibus evidenter explicabimus. *Anno*[8] *domi-*

a) eis B. b) capitibus B. c) et s. B. d) et b. eas *desunt* B. e) in B 2[b]. ipso momento *add.* B. f) universis a dupl. B. g) *deest; videlicet post* corporis B. h) sunt abs. et B. i) *deest* B. k) multis B. l) aeternae occ. fuere B. m) servum B. n) zelo p. m. *desunt* B. o) q. inquit B 2[a]. 2[b]. p) *desunt* B. q) diffidentia B. r) recipere B. s) exhibuit B. t) *deest* B. u) destructis universis erroribus paganicis *add.* B. v) *deest hoc caput* B. w) tempore A 1. x) quam *repetit* A 1.

5) Dubito num legati tale colloquium cum episcopo habuerint; Iulinenses tacite exploraturos eos miserant, ut narrat Herbordus II, 36, quod ipsis rebus magis conveniebat. 6) non Iulini solum, sed in universum. 7) Cum librario codicum B. qui hoc caput quasi excursum recidit, Klempinus p. 53 Andreae interpolationem reiiciendam esse censuit ob locum minime idoneum quem tenet caput in media narratione. At legitur idem caput II, 29 in Andreae versione Germanica; neque ita absonum erat, quod auctor quum quot homines ab Ottone in fidem receptos esse narrasset, ipsius fidei quasi documentum Ottonis epistolam insereret. Praeterea quae praemittuntur Ebbonis, minime Andreae scribendi genus redolent. 8) Est epistola Ottonis quae legitur etiam apud Ekkehardum Uraug. 1125.

nicae incarnationis 1124, *indictione* 2, *Kalixto papa secundo Romanae sedi praesidente, Otto, Dei gratia Babenbergensis aecclesiae octavus*[a] *episcopus, igne*[b] *divini amoris succensus, et praedicti apostolici auctoritate*[c] *assensuque roboratus, partes Pomeranorum paganorum cum quibusdam civitatibus terrae Liuticiae aggressus est, ut eos ab errore gentilitatis*[d] *revocaret, et ad viam veritatis*[e] *agnitionemque Christi*[f] *filii Dei perduceret. Quibus Domino opitulante*[g] *conversis et baptizatis, aecclesias construxit ac*[h] *consecravit. Deinde*[i] *iuxta sanctorum patrum instituta haec eos servare edocuit, scilicet ut sexta feria abstineant a carne et lacte more*[k] *christianorum, dominica die vacent ab omni opere malo, et ad aecclesiam divinum officium audituri veniant, ibique orationibus studiose*[l] *insistant, sollempnitates sanctorum cum vigiliis*[m]*, secundum quod eis indicatum fuerit, omni diligentia observent, sacrosanctam quadragesimam ieiuniis, vigiliis, elemosinis et orationibus diligentissime observare studeant, infantes suos in sancto sabbato paschae et penthecostes cum candelis et cappa, quae dicitur vestis candida, et patrinis comitantibus ad baptismum deferant, eosque veste innocentiae indutos per singulos dies, usque in diem octavam eiusdem sancti*[n] *sabbati, ad aecclesiam deferant, et celebrationi divini officii interesse satagant. Hoc etiam districta*[o] *redargutione prohibuit, ne filias suas*[p] *necarent, nam*[q] *hoc nephas maxime inter eos vigebat; ne etiam filios suos et filias ad baptismum teneant, sed sibi patrinos querant, patrinis etiam fidem et amicitiam ut carnalibus parentibus servent. Interdixit etiam, ne quis commatrem suam ducat in uxorem, neque propriam cognatam suam usque in sextam et septimam generationem, et unusquisque contentus sit una uxore; ne sepeliant mortuos christianos inter paganos in silvis aut in campis, sed in cimiteriis, sicut mos est omnium christianorum; ne fustes ad sepulchra eorum ponant, omnem ritum et pravitatem paganam abiciant, domos idolorum non construant, phitonissas non adeant, sortilegi*[r] *non sint; ne quid etiam*[s] *immundum comedant, non morticinum, non suffocatum, neque idoloticum, neque sanguinem animalium; ne communicent paganis; ne cibum aut potum cum eis aut in vasculis eorum sumant; ne in his omnibus consuetudinem paganismi*[t] *repetant. Iniunxit etiam eis, ut, dum sani sint*[u]*, veniant ad sacerdotes aecclesiae et confiteantur peccata sua; in infirmitate autem*[v] *vocent ad se presbiteros, ac*[w] *pura confessione expiati, corpus Domini accipiant. Instituit*[x] *etiam, ut de periuriis, de adulteriis, de homicidiis et de ceteris criminalibus secundum canonica*[y] *instituta poenitentiam agant, et in omni christiana religione et observatione obedientes sint, et*[z] *ut mulieres post partum ad aecclesiam veniant, et benedictionem a sacerdote, uti*[*] *mos est, accipiant*[9].*

13. *Qualiter sacerdotes idolorum sancto Ottoni resistebant, ac idolum aureum, imaginem Trigelawi, furati sunt et*[a] *cuidam matronae servandam tradiderunt, quam postea sanctus Otto callide recuperavit.*

Soli autem pontifices idolorum viae Domini resistebant, et multas[b] servo Dei tendentes insidias, occulte eum perimere nitebantur. Sed[c] multitudine plebis cottidie ad fidem convolante, cum nullus sacrilegis et profanis sacerdotibus ad eum pateret accessus, confusi et reveriti a facie eius, exemplo[d] Zaroes et Arfaxat magorum apostolos Christi Mattheum, Symonem et Iudam fugientium, longius extra regionem illam recesserunt. Et[e] quia apertam famulo Dei persecutionem inferre non poterant, detractionibus et blasphemiis horribilibus eum lacerabant, et quocunque devenissent, invidiam ei et inimicicias excitantes, maledicta et probra in eum congerebant. Pro quibus[f] tamen ille Deo dignus antistes a Domino gratiam ampliorem consequebatur, quia, ut scriptum est: *Benedictio Domini super caput iusti;* ideo dedit illi hereditatem aeternam in coelis et invenit gratiam in conspectu omnis carnis. Cum vero delubra[g] et effigies idolorum a pio Ottone destruerentur, profani sacerdotes auream imaginem Trigelawi, qui principaliter ab eis colebatur, furati[h] extra

1124 (margin, at line 1); 9 (margin, at line 31); cf. Prov. 10,6. (margin, at "Benedictio Domini super")

a) *deest Ekkeh.* b) divino admonitus instinctu pr. *Ekk.* c) et *add. Ekk.* d) suo *Ekk.* e) et ad *add. Ekk.* f) *deest Ekk.* g) D. op. *desunt Ekk.* h) et *Ekk.* i) et haec secundum *Ekk.* k) ceterorum *add. Ekk.* l) *ita Ekk* studiosis *codd.* m) sanctorum *add. Ekk.* n) *deest Ekk.* o) iniunxit ne *Ekk.* p) filios suos *Ekk.* q) quod *Ekk.* r) sortilogi *Ekk.* s) *deest Ekk.* t) paganam *Ekk.* u) sunt *Ekk.* v) sua *add. Ekk.* w) ac expiati *desunt Ekk. repetit* ut confiteantur peccata sua. x) iniunxit *Ekk.* y) canonum *Ekk.* z) et ut *desunt Ekk* *) sicut *Ekk.* a) *deest* A 1. b) multos — laqueos B. c) nam B. d) exemplo — fugientium *desunt* B. e) et quia — lacerabant *desunt* B. f) pro quibus — omnis carnis *desunt* B. g) ad summi dei gloriam idolorum destruerentur imagines sacerdotes Tr. B. h) auream f. effigiem B.

9) *Nomina civitatum: Piriz, Stetin, Vulin, Gamen, Colbrech, Belgrado, Lubin, Gresch,* additur in epistola Ottonis apud Ekkehardum.

1124. provinciam abduxerunt[10], et cuidam viduae apud villam modicam degenti[11], ubi nec spes ulla requirendi esset, ad custodiendum tradiderunt. Quae mercede ad hoc[a] conducta, quasi pupillam oculi sui includens, profanum illud custodiebat simulacrum, ita ut, trunco validissimae arboris cavato, illic imaginem[b] Trigelawi[c] pallio obductam includeret, et nec videndi ne dicam tangendi illud[d] cuiquam copia esset; solummodo foramen modicum, ubi sacrificium inferretur, in trunco patebat, nec quisquam domum illam nisi profanos sacrificiorum ritus agendi causa intrabat. Quod audiens inclitus Pomeranorum apostolus, multifaria intentione satagebat quoquo[e] modo illuc attingere[f], praemetuens, quod et accidit, post abscessum suum rudibus adhuc et necdum in fide confirmatis plebibus[g] simulacrum illud in ruinam futurum. Set prudenter[h] animadvertens, utpote[i] vir omni sagacitate praeditus, quia si publicam illuc profectionem indiceret, sacerdotes, audito eius adventu, imaginem Trigelawi rursum ad remotiora loca[k] occultando abducerent, sapienti usus consilio, quendam ex comitibus suis Herimannum nomine, barbarae[l] locutionis sciolum sensuque[m] et ingenio satis[m] acutum, latenter ad viduam illam destinare curavit[n]. Cui etiam praecepit, ut assumpto habitu barbarico ad sacrificandum Trigelawo se pergere fingeret. Herimannus itaque pilliolum barbaricum et clamidem mercatus, post multa arduae viae pericula viduam illam tandem conveniens, asserebat se nuper de procelloso maris gurgite per invocationem dei[o] sui Trigelawi erutum, ideoque debitum ei[p] pro salvatione sua sacrificium litare desiderantem, ductu eius illo mirabili ordine per ignotos[q] viae tractus devenisse. At illa: *Si ab eo*, inquit, *missus es*[r], *ecce, aedes, in qua deus noster robore cavato inclusus detinetur. Proprium*[s] *quidem videre et tangere non poteris, sed ante truncum procidens, eminus foramen modicum*[t], *ubi quod*[u] *voluisti sacrificium inferas, attende. Quod dum inposueris, reverenter clauso ostio egredere, et si vitae tuae consultum esse volueris, cave ne cuiquam hunc patefacias sermonem.* Qui alacer aedem illam[v] ingressus, dragmam argenti in foramen iactavit, ut sonitu metalli sacrificasse putaretur. Sed concitus quod iecerat retraxit, et pro[w] honore contumeliam Trigelawo, id est sputaculum ingens[x] pro sacrificio obtulit. Deinde curiosius attendens, si forte negotii, pro quo missus erat exsequendi facultas ulla[y] suppeteret, animadvertit imaginem Trigelawi[z] tanta cautela et firmitate trunco inpressam, ut nullo pacto eripi aut saltem loco moveri posset. Unde non mediocri[*] tactus dolore, quidnam ageret aestuabat, dicens intra se: *Heu quod tantum viae pelagus sine fructu peragravi! Quid respondebo domino meo, vel quis me hic fuisse credet, cum vacuus rediero?* Et circumferens oculos, vidit sellam Trigelawi comminus parieti affixam — erat autem nimiae antiquitatis et nullo iam pene usui apta — statimque exiliens cum gaudio, infaustum munus parieti detrahit et abscondit, primoque[a] noctis conticinio egressus, omni festinatione dominum suum sociosque revisit, cuncta quae egerat replicat, sellam etiam Trigelawi[b] in testimonium fidei suae repraesentat. Apostolus itaque Pomeranorum, habito cum suis consilio, sibi quidem et suis ab hac requisitione desistendum censuit, ne non tam zelo iusticiae quam auri cupiditate hoc agere videretur. Collectis tamen et adunatis principibus ac natu maioribus, iusiurandum ab eis exegit, ut cultura Trigelawi penitus abdicaretur, et confracta imagine aurum omne in redemptionem captivorum erogaretur.

14.[c] *De incendio orto in civitate Babenbergensi.*

Luc 11, 21. 22. Sed[d] dum fortem armatum, qui eatenus atrium suum, Pomeraniam scilicet, possederat, fortior Christus superveniens superasset, armisque eius per beatum praesulem confractis, spolia distribuisset, non ferens ille violentam de sedibus suis exclusionem, tan-

a) ad hoc *desunt* B. b) *deest* B. c) Trigelaum B. d) illum B. e) quo B 1. f) attingeret B 1. g) pl. s. *desunt* B. h) pater venerabilis *add.* B. i) utpote — praeditus *desunt* B. k) *ita* B 2b. *deest* A 1. B 1. 2a. l) barbaricae B. m) *deest* B. n) destinavit B. o) d. s. *desunt* B. p) *deest* B. q) incognitos B. r) es m. B 2a. 2b. s) ipsum B. t) *deest* B. u) munus inferas B. v) *deest* B 1. w) pro — id est *desunt* B. x) *deest* B. y) *deest* 2a. 2b. z) idoli B. *) mediocriter B 2b. a) primoque — repraesentat *desunt* B 1. b) *deest* B. c) *sequentia capita usque ad libri finem leguntur in* A 2. 42—46. *Hoc caput in* A 2. *inscriptum:* De inopinato incendio in civitate Babenbergensi exorto, *deest* B. d) Ebbo *in margine* A 2.

10) Hoc Stetinae factum non esse apparet ex Herbordo II, 31, apud quem legimus Ottonem Triglawi idolum fregisse triaque eius capita postea Romam misisse. Etsi Ebbo ubi hoc acciderit non dixit, tamen antecedentibus probari videtur, Iulini factum esse. 11) Hanc villam fuisse vicum Triglav apud Greifenberg coniecerunt antiquiores, e. g. Bugenhagen in Pomerania; in Rugia insula sitam fuisse arbitratur L. Giesebrecht W. G. II, 284 ex Hermanni verbis sub finem capitis.

quam leo rugiens, vel modicam servo Dei inferre nisus est laesionem. Et aliud quod ageret 1124.
Domino prohibente non inveniens, locum Babenbergensem maiori ex parte inopinato in-
cendii discrimine absumpsit, ut, dum pastor eximius, peracta aput extraneos praedicatione,
sponsam suam cum gaudio reviseret, non per omnia integram, sed aliquantulum hoc
dampno conquassatam ac moerore confectam inveniret. Nocte enim qua festivitas sancti
Hermetis martiris agebatur[12], cuius pretioso corpore locus ipse a primordio per fundato- Aug. 28.
rem suum beatum Heinricum nobiliter est insignitus, idem lamentabile incendium occa-
sione mulieris cuiusdam in partu laborantis sumpsit exordium. Quod statim circumcirca
se impetu valido torquens, omnem locum extra civitatis ambitum tanta vastavit atrocitate,
ut vix rarusculae quorundam casae evaderent; ipsa vero civitas cum aecclesiis suis intra[a]
vel extra positis patrocinio beati Hermetis aliorumque advocatorum suorum illaesa per-
mansit. Ad nichilum itaque fraus et malitia versuti hostis est redacta, quoniam quidem et
sponsa castissima Babenberc tetram calamitatis huius nubeculam, patre[b] suo tanquam se-
renissimi solis iubare ad se reverso, facile dissipavit[c], et ipse[13] atrium suum, quod diu 13
securus possederat, ultra tenere non potuit; Christo enim in Pomerania per apostolatum
pii Ottonis regnante, inimici defecerunt frameae in finem et civitates eorum destructae sunt. Psal 9, 7.

15.[d] *De Iulinensibus reversis, qui abierant pro mercatu[e], conversis, et duabus ecclesiis erectis.*

Plurimi autem Iulinensium pro negotiatione sua trans mare abierant, qui audita[f] Dec. 1.
civium suorum conversione, Spiritu Dei praeveniente, aemulatores eorum facti sunt, 1125
et ad metropolim suam reversi, regi regum Christo colla submittunt, statimque a presbite- Febr. 2
ris quos pius Otto illic constituerat baptizati, civibus suis dudum[g] christianis legibus initiatis
pari devotione[h] adunantur. Et[i] mirum in modum fidelissimo praecone veritatis in opere[k]
Dei laborante, ecclesia per[l] totam regionem illam crescebat et confortabatur, Dominusque
augebat cottidie qui salvi fierent in id[m] ipsum. Apostolus itaque Pomeranorum duas illic
aecclesias constituit[14], unam in civitate Iulin sub honore sanctorum Adalberti et Wenezlai[n], 14
qui magnae aput barbaros opinionis erant, in loco, ubi profani demoniorum ritus agi sole-
bant, ut ubi spurca pridem commercia, Christi deinceps frequentarentur misteria; alteram
extra civitatem in campo mirae latitudinis et amoenitatis in veneratione beatissimi aposto-
lorum principis aedificavit, illicque sedem episcopalem statuit.

16.[o] *Quomodo Babenbergenses et alii praelati sancto Ottoni litteras dirigunt.*

Sed pio doctore pro[p] continuis animarum lucris moram[q] illic faciente, devota gre-
gis sui multitudo non solum in Babenbergensi loco, sed et[r] in pluribus coenobiis et[s]
parrochiis, collecta incredibili sollicitudine et moerore pro longiturna tanti pastoris[t] ab-
sentia, angebatur[u], et ut reportaret illum, modis omnibus instat. Unde crebra ad eum
missa legatione preces precibus, vota votis congeminant. Sed et litteris filialem testanti-
bus amorem pro reditu eius satagere non desinunt, quarum hic unam inserere dignum
videtur, tam pro sui dulcedine, quam etiam pro auctoris eius piae memoriae Wignandi
abbatis perpetua recordatione. Quae in hunc se modum habent: *Domino et patri karissimo,
pio Ottoni, episcopo ac gentis Pomeranicae apostolo, Wignandus, Tharissensis coenobii pro-
visor indignus, devotum in omnibus servitium et orationum spirituale debitum. Benedictus Deus,
pater misericordiarum, pater luminum, qui ex utero formans vos servum sibi dedit[v] in lucem
gentium, ut salus eius in extremis terrae per vos annuntiaretur, ac lumine fidei tenebrosa gen-
tilium corda irradiarentur; unde sancta mater aecclesia novo filiorum augmento digne lae-
tatur, dum per ministerium vestrum multa milia barbarae nationis sacro baptismate renascun-
tur, et abiecta idolorum cultura, destructis delubris, reaedificatis ecclesiis[w] verus Deus adoratur*

a) infra A1. 2. b) patri A2. c) recuperavit A1. d) 43. De Iulinensibus qui post reditum ad suos cives baptisati sunt A2. *ubi* Ebbo *in marg.* e) mercatis A2. f) audito B1. g) *deest* B. h) fervore B. i) et — fidelissimo *desunt* B. k) verbo B. l) per — illam *desunt* B. m) per i. B. n) Winczlai A1. Venceslai A2. martirum *add.* B. qui erant *desunt* B. o) 44. De legatione Babenbergensium ad S. Ottonem ad reditum exhortantium A2. *ubi* Ebbo *in marg.* p) p. c. *desunt* B. q) et aecclesiarum ordinationibus occupato congregationes fidelium non solum B. r) etiam B1. s) et — moerore *desunt* B. t) patris B. u) sollicita exspectatione angebantur et preces precibus, vota votis congeminantes reditum eius de toto corde desiderabant B. *Reliqua usque ad c.* 18 *desunt omnia.* v) *deest* A1. w) *deest* A2.

12) eodem fere tempore quo Otto Stetinam venerat. 13) diabolus. 14) i. e. aedificandas curavit; cf. Herbord. II, 36.

1127. *et colitur. Ergo post euangelium alienis annuntiatum, post tanti ministerii opus consummatum,*
iam ad proprias oves revertenti pastori grex omnis laetabundus occurrit, clerus cum populo,
ac singulari gaudio monachorum processio patrem suum suscipit[a], *concinens in iubilo cordis*
Cant. 6, 12. *et voce exultationis: „Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te!"*
Ego autem horum omnium minimus, sed fidei et dilectionis integritate[b] *nulli secundus, circa*
Sept. 22. *festum sancti Mauricii in Saxoniam veni, sperans optatissimum adventum domini mei, ut pri-*
mus susciperem, quem novissimus deduxi. Sed redeunte nuntio vestro, spe exspectationis meae
frustratus, multum autem de certo reditu vestro laetificatus, quod corporali praesentia non
potui, in spiritu humilitatis dominum meum primus salutare studui, dicens non sono tantum
oris, sed flagrantissimo etiam iubilo cordis:

Salve, magne pater, dic, littera, dic reverenter,
Dic rogo versifice: „Inclite praesul, ave!"
Exspectate redi, populi spes, optio cleri,
Digne dator legis, certa medela gregis.

Nolumus ergo vos ignorare, pater sanctissime, quia ex quo recessistis, semper imminebat nobis
dies angustiae et tribulationis. Tirannus enim ille Cunradus[c] *toto pene anno in castello Nu-*
15 *rinbergensi*[d] *moratus*[15], *bona episcopatus sibi vicina devastavit, de reditibus vestris frumentum*
ex parte abstulit, censum sibi persolvi statuit, villicum de Rostal[e] *bis captivatum omnibus rebus*
suis despoliavit, insuper urbem Babenbergensem[f] *callida machinatione, ut fertur, apprehendere*
16 *studuit*[16], *sed, Deo gratias! iniquitas eius nequaquam praevaluit. Ego enim et Cunradus*[g]
custos, de dispensatione nobis credita solliciti, civitati praesidia et custodias cum ceteris fideli-
bus vestris deputavimus, arietes in circuitu exstruximus, militibus, prout opus erat, stipendia
erogavimus, reliqua omnia quae commisistis diligenter procuravimus. Inter Hermannum et
Fridericum[17] *maxima guerra habetur, insidiae diversae altrinsecus tenduntur, rapinae rapinis,*
18 *incendia incendiis redduntur, inter quae villa subiacens Lapidi-Botonis*[18] *cum aecclesia com-*
busta est. Fridericus quadam nocte munitionem Nienstein[h] *cum militibus suis clam ingressus,*
viriliter agere coepit, sed qui in arce erant missis iaculis et iactis lapidibus unum de suis occi-
derunt, plures vulneraverunt, sicque infecto negotio vix cum suis omnibus evasit. Praeterea
per totam provinciam multa mala grassantur; rapinis, incendiis omnia vastantur. Ergo tot
malis tot miseriis finem facere sperantes, adventum vestrum clamamus singuli, clamamus
omnes: „Veni, domine, veni! Festina! Ne tardaveris! Adveni desiderabilis, quem exspecta-
mus in tot tribulationum tenebris!" Reliquus rerum nostrarum status in Bawaria et Saxonia
satis prospere agitur. De negotio autem michi specialiter iniuncto, paternitatem vestram scire
volo, quia cuprum ad 700 et eo amplius centenarios comparavimus, ex quibus 300 maxima
difficultate usque Smalchalten[i] *perduximus, et iam viribus exhausti, manum auxilii vestri ar-*
denti desiderio praestolamur, ac exoptatissimum omni regno sanctitatis vestrae reditum vix
exspectamus. Hae sunt piissimi patris Wignandi litterae calamo verae dilectionis scriptae.

17.[k] *De venerando abbate Wignando monasterii sancti Viti Theresensis, quem sanctus Otto*
19 *Babenbergensi civitati, episcopo*[19] *in Pomerania constituto, praefecerat.*

Hic est Wignandus praedicator suavissimus, quem pius Otto, quasi auricularium
sibi fidelissimum eligens, in tanto amore et reverentia habebat, ut omnium secretorum
suorum participem eum faceret, et custodia civitatis sibi specialiter delegata, etiam egre-
20 gium opus, quod tunc[20] inchoaverat, scilicet[l] domum sancti Petri maioris aecclesiae cum
turribus, ad arcenda ignium pericula, cupreis operire laminis eius potissimum magisterio

a) suscepit A 2. b) integritati A 2. c) C. A 1. d) Nuremb. A 1. e) Rustal A 2. f) Babenberg A 2. g) Conradus A 2. h) Niestein A 2. i) Schmalkhalten A 2. k) 45. De Wignando Tarisiensis cenobii abbate A 2. *ubi* Ebbo *in marg.* l) et *addit* A 2.

15) Lotharius Conradum ducem Staufensem debellaturus, Norimbergam obsedit per decem hebdomadas m. Iun. — Aug. 1127, dein vero a Conrado coactus recessit. Haec omnia a. 1127 facta luce clarius probant has litteras ad eundem annum revocandas, neque tempore primi sed secundi itineris Ottonis scriptas esse; testimonia collegit Jaffé Lothar. p. 62. Est hic error Ebbonis. Conradum toto paene anno, ut dicit Wignandus, fuisse in castello Norimbergensi probari nequit. 16) Lotharius Norimberga ierat Babenbergam, ubi erat 18. Aug. 1127. Boehmer. Reg. 2100. 17) frater ut videtur Conradi, dux Sueviae. Quid de obscurioribus verbis statuendum sit Ussermanno quoque p. 87 est dubium. 18) Botenstein; cf. Herbord. I, 39. 19) i. e. ipso Ottone. 20) Non satis patet quo tempore; a. 1111 Otto eam consecravit, ut dicit Jaeckius.

committeret. Nec immerito. Erat enim vir totius prudentiae et sagacitatis, quem videre et audire gloria fuit ordinis nostri, non solum spirituali gratia praestantissimus, sed et corporis venustate et morum habitusque dulcedine omnibus[a] amabilis. Cuius reverendam[b] senectutem et caput ad similitudinem Christi candidum liceat nobis parumper dignis vocibus praedicare. Nam cum pene centenariam ageret aetatem, et plurimum in opere Dei nocte dieque laboraret, oculi puro vigebant lumine, pedes firmo gressu veloces, auditus penetrabilis, dentes numero et firmitate durabant, vox canora, corpus solidum nec senio longinquo curvatum, cani cum robore discrepabant, vires cum aetate dissentiebant. Non memoriae tenacitatem, ut in plerisque cernimus, antiquior senecta dissolvebat, non calidi acumen ingenii frigidus sanguis obtundebat, non contractam rugis faciem arata frons asperabat, non denique tremula manus per curvos cerae tramites errantem stilum ducebat. Futurae igitur resurrectionis virorem[c] in eo Dominus nobis ostendit, ut peccati quidem sciamus esse, quod ceteri adhuc iuvenes praemoriuntur in carne, iustitiae autem, quod hic adolescentiam in aliena aetate mentiebatur[d]. Et quamquam multis istam corporis sanitatem etiam peccatoribus evenire videamus, tamen hoc illi ad peccandum abutuntur, hic vero ad bene agendum; siquidem ab infantia divinis apud nos scripturis eruditus, et in sancta conversatione probatus, cum prioratum hic strenue sub venerabili Wolfframmo abbate administraret, pius Otto violenter abreptum Tharisiensi[e] eum coenobio praefecit[21]. 21
Quod multo tempore, id est amplius quam 30 annorum spatio, nobiliter gubernans, et cir- 1120.
cumquaque coelestis doctrinae dulcedinem mellifluam praedicatione spargens, cunctorum in Deum provocabat affectus. Totus enim quasi seraphin superni[f] amoris facibus accensus, in solo redemptoris desiderio anhelabat, divinae servitutis celebritatem flagrantissima devotione peragebat, secretorum coelestium summa et capere praevaluit et annuntiare, loquendo et alios accendebat, et quos verbo tangebat, ardere protinus in Dei amore faciebat. Sed et sacra missarum solempnia singulari affectu et compunctionis dulcedine agebat, ita ut et alios in vinculo perfectionis, quod est karitas, sibi arctius devinctos tam viva voce quam et litteris, incomparabili suavitate plenis, ad hoc sacrificium ardentissimo summi ac veri sacerdotis desiderio celebrandum saepius accenderet. Nec mirum, quod spiritualis huius cibi intimum saporem diu multumque degustans, amplius esuriebat, nam et plus quam 40 annis sacerdotio functus est. O felix et omni dignus beatitudine, quem senectus honorabilis Christo servientem occupavit, quem extrema dies salvatori tanta devotione invenit militantem! Qui non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta, cui in Ps 126,5.
introitu paradisi dicetur: *Serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui! Accipe manna* Matth 25,21
absconditum, accipe calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit Apocal 2,17
nisi qui accipit! Cerne desiderabilem Christi vultum,

Quem prius absconsum nitidi sub tegmine panis,
Mistica verba canens semper sacrare solebas!

Si quis autem de transitu eius audire voluerit, breviter accipiat. Totam enim[g] paschalem quinquagesimam solita devotione in divinis exegit laudibus, psalmis[h] et orationibus sacraeque lectioni et praedicationi vacabat. Et cum a[i] discipulis suis nova ei loci moenia struere cogeretur, ille instabilem humanae vitae cursum diemque vocationis sedulo attendens respondebat: *Cernitis me silicernium; velox est depositio tabernaculi mei, paucitas dierum* 2Petr.1,14
meorum finietur brevi, ideoque expensas ad coeleste aedificium congregare desidero; flendo, Ioh 10,20
elemosinas tribuendo, sacras hostias offerendo, ceterisque spiritualibus exercitiis invigilando, adventum iudicis iam iamque ad ostium pulsantis operiri volo. Appropinquante igitur diu[k] praestolato remunerationis die, antiquus vineae Domini[l] operarius dominica, qua canebatur[m] *Vocem iucunditatis,* more suo festivus et alacer chorum ingressus, inusitato ordine 1151.
Alleluia surrexit pastor bonus, ac deinde sequentiam *Victimae paschali* per semet ipsum im- Mai. 13.
posuit, cunctos voce, manu, totiusque corporis motu ad psallendum devotius incitabat, tanquam praesentis vitae metam sibi iam adesse intelligens diceret: *Omnis laus in fine canitur.* Solebat enim saepius tantae suavitatis et compunctionis cantum indifferenter psallere, quotiens id Spiritus sanctus cordi eius dictasset, cuius videlicet donum lege non constringitur.

a) *deest* A 2. b) venerandam A 2. c) virorum A 1. d) metiebatur A 2. e) Tar. A 2. f) super in A 2. g) etenim A 1. h) spalmis A 2. i) *deest* A 2. k) die A 2. l) D. v. A 2. m) cantabatur A 2.

21) Quod 1120 factum videtur, quum in necrologio S. Michaelis apud Schannat Vind. litt. II, 52. legatur: 15. *Kal. Iun. Wignandus abbas Tharis. a.* 1151. Wolframmus obiit 11. Kal. Nov. 1123. Ibid. p. 55.

1151. Finita autem divini celebritate officii, accersito fratre, cui dispensatio monasterii credita erat, dixit: *Hodie, ut audisti, carissime fili, dominicae resurrectionis gloriam debitis laudum praeconiis pro modulo nostro prosecuti sumus, tu ergo quod te attinet sedulus exsequere, ministerium tuum imple, quia tam devotis Christi servitoribus affluentior hodie est impendenda caritas. Ipse ego, sicut praecentor et instigator ad dulcisonum carmen fui, ita spiritualis convivii administrator esse volo.* Sicque ultimum cum grege suo pastor piissimus agens convivium, futurae ascensioni solita precum et lacrimarum se devotione praeparabat. Diebus rogatio-
Mai. 14.15.16. num, id est 2. et[a] 3. feria, letaniis cum fratribus interfuit, sed feria 4. gravi nocturno tempore oppressus infirmitate, matutinali officio assurgere non potuit. Iam enim resolutionis tempus instabat, iam summus paterfamilias ad hostium servi vigilantissimi pulsabat, iam reverendo seni, qui diu in stadio laboriosae[b] huius viae indefessa devotione cucurrerat, bravium aeternae dulcedinis dare disponebat. Itaque ascitis fratribus infirmitatis suae gravedinem aperuit, canonicum coram se cursum decantari fecit, et mane in capellam suam ad audienda sacra missarum solempnia se deferre petiit. Exinde relatus pacem omnibus dedit, cunctis se paterno affectu commendavit, sicque aegrotans biduo, omnes ad se confluentes pro virium suarum possibilitate verbo Dei aedificabat, et morbo ingravescente feria
Mai. 18. 6. post ascensionem Domini, sumpto viatico, hora nona ex Egipto huius mundi ad veram repromissionis terram migravit. Testatique sunt qui aderant in exanimi eius corpore nec tenuem se deformitatis alicuius pallorem vidisse, sed vultu decoro dormienti simillimus apparebat, ita ut rubeus color faciei et totius corporis venustas primo[c] obitum eius ambiguum faceret. Nec mirum, si mortis acerbitas minime sibi locum in eo vendicabat, qui non ad mortem, sed potius de morte ad vitam transibat[d]. Antea quidem frequentius[e] gravi et longissima decubuerat aegritudine, ut virtus spiritus in infirmitate carnis probaretur; sed cunctis pro vita et sanitate eius certatim supplicantibus, iam desperatum patrem amantissimum Dominus, quasi de ipso mortis limine revocatum, filiis moerentibus et lugentibus incolumem saepius restituebat. Tunc autem praemissis ad Dominum pluribus gregis sui manipulis, et ipse pastor eximius brevi tactus morbo, super nobilem hunc nobilior ipse ruit acervum. Qui regem gloriae in decore suo videre desiderans, cottidianis cum pro-
Ps. 83, 2. 3 pheta suspiriis decantabat dicens: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* Sed haec hactenus; nunc revertamur ad ordinem.

18.[f] *Qualiter sanctus Otto, peragratis civitatibus et fidelibus in fide confortatis, viam ad suam sponsam ecclesiam reversus sit, et quid in via egerit.*

Igitur apostolus[g] Pomeranorum[g], Otto pius, assiduis fratrum ac filiorum suorum precibus[g] et[g] legationibus contraire non valens, cum apud Iulinenses hiemasset, circa
1125. Febr. 2. purificationem sanctae Mariae accepta ab omnibus licentia, unicam sibi sponsam Babenbergensem aecclesiam desiderato[h] reditu consolari disposuit. Quo audito plebs neophita Pomeranorum[i] non mediocri[k] moerore[l] perculsa, lacrimosis precibus vestigia pii doctoris[m] ambire, eumque apud se detinere conata est[n]; sed incassum. Ipse enim graves in terra sua diversorum negotiorum causas sibi inminere respondit. Sed et magnum animae suae periculum asserebat[o], si dum Christo[p] nova de alienis gregibus lucra requirit, proprias oves sibique specialiter assignatas negligeret. Moxque adunata sociorum et cooperatorum turba, cunctos[q], quibus fidei verbum disseminaverat, circuivit, et in religione christiana tam monitis quam et[r] precibus devotis[r] confirmavit. Primum vero castellum Gamin[s], exin[t] Clodinensem[u] locum in honore sanctae crucis consecratum adiit, ubi multos Pomeranorum de insulis maris reversos, ubi timore Polizlai ducis occultati erant, baptizavit. Nam dux Polizlaus, sicut erga Deum cultoresque Dei religione ac pietate insignis, ita erga idolatras et criminosos debiti rigoris asperitate fuit inplacabilis. Singulis quippe annis, collecto exercitu valido, terras paganorum devastare solebat, ut vel timore[v] gladii[w] iugo christianae fidei subigerentur[x]. Quod[y] ubi ministerio[z] pii Ottonis factum est[*], arma in pacem[a] mutata

a) *deest* A 1. b) laborasse A 2. c) post A 1. d) transiebat A 1. 2. e) frequentissimus A 2. f) 47. (*corr. manu recentiore* 46.) De reditu sancti Ottonis ad sedem suam A 2. *ubi* Ebbo *in marg.* g) *desunt* B. h) visitare et consolari B 1. visitare B 2a. 2b. i) in fide tenera et adhuc quasi pannis infantiae involuta *add.* B. k) mediocriter B 2b. l) dolore B. m) pastoris B 1. 2a. patris B 2b. n) conati sunt B 1. o) sciebat B. p) *deest* B. q) cunctis A 2. r) *deest* B. s) Gamyn A 1. 2. Camin B 2a. 2b. t) exinde B 1. u) Dodinensem A 1. 2. B. v) coacti *superscripsit man. coaeva* B 2b. w) *deest* B 2a. 2b. x) subderentur B. y) q. ubi *desunt* B. z) vero *add.* B. *) f. est *desunt* B. a) pace A 1.

sunt, cunctique de latibulis, ubi absconditi erant, accepta per beatum praesulem securitate, 1125. prodeuntes, baptismi gratiam consecuti sunt[22]. Haec[a] igitur sancta occupatio praedicatori 22 veritatis moram redeundi[b] fecit, eumque in Clodinensi[c] loco aliquandiu detinuit. Sed[d] peractis omnibus[e] Belgroensem urbem petiit, deinde Colubregam[f] [23], illic aecclesiam in honore sanctae Dei genitricis Mariae dudum a se inchoatam[24] perfecit et consecravit. Post haec visitatis omnibus aecclesiis[25], Deoque intima lacrimarum[g] profusione commendatis, 25 auctus benedictione Domini, Pomerania[h] egreditur. Dein[i] prospero cursu Poloniam[k] veniens, inedicibili[l] gaudio ac[m] reverentia, velut angelus Dei, a duce Polizlao omnique clero et populo suscipitur. Fit[n] gaudium generale totius plebis, tam de conversione[o] Pomeranicae gentis, quam etiam de sospitate et reditu desiderantissimi patris Ottonis. Aliquamdiu ergo illic a Polizlao[p] duce humanitatis gratia detentus, Boemiam adiit, similemque Ladizlao duci[26] et omnibus suis de adventu suo laeticiam[q] praebuit. Deinde[r] ad Claderunense[s] coenobium veniens, fratribus unanimi devotione sibi occurrentibus, solita humilitatis affectione se commendavit, sicque omni festinatione[t] fines terrae suae ingressus, 26 feria[u] 3. maioris ebdomadae Michelveldensem[v] locum adiit, ibique coenam Domini debita[w] Mart.24. veneratione multo fidelium stipatus agmine celebravit. Mart.26. Nam[x] plures de clero et populo Babenbergensi, desiderantes angelicam eius praesentiam, illic occurrerant, et quasi de morte redditum[y] pastorem piissimum suscipientes, omnipotenti Deo, qui per tot pericula salvum eum reduxit, cum lacrimis gratias agebant. Igitur sacratissimo paschali sabbato[27] Mart 28. diu viduatam sponsam suam amantissimus pater revisit, locumque Tůrestatensem[z] ingressus, ibi reverendas sacrae noctis vigilias more solempni peregit. Mane[*] primo resurrectionis dominicae[a] splendidior[b] solito nobis aurora refulsit, geminata nos excepit laeticia, tam Mart.29 iocunditate paschalis festi, quam etiam adventu pii Ottonis illustrata. Nam[c] universo clero et populo coadunato, multisque honorabilibus et reverendis aliorum patribus coenobiorum praesentibus, novus nostri temporis apostolus, destructis apud barbaros portis mortis, victor rediens aecclesiam suam cum triumpho nobili ingreditur, et cunctis prae gaudio flentibus, cum cantu paschali *Advenisti desiderabilis* omni devotione spirituali suscipitur. Erat apud omnes gaudium lacrimis intimae compunctionis permixtum, ut solet esse in caris mortuis resuscitatis; cunctorum voces inedicibili iubilationis suavitate *Alleluia* resonabant strepitu, quanto humanae aures capere vix possent. Omnibus enim verisimile videbatur, acsi Christum a morte resurgentem susciperent; Deo laudes, Deo gratias, nullo tacente, unanimi psallentium affectu concrepabant. Omnes[d] reverendam eius canitiem et angelicam faciem videre[e] gestiebant, cuncti[f] pedes eius euangelio pacis consecratos exosculari gaudebant. Quibus ille verbum Dei[g] solita eructuans dulcedine, magnalia[h] Christi et conversionem Pomeranicae[i] gentis narrabat; et cunctorum affectus ad considerandam divinae pietatis gratiam illo quo ipse ardebat karitatis igne accendebat. Exinde incertam

a) Haec — detinuit *desunt* B. b) redeunti B. c) Dodinensi A1. 2. B d) his B. e) omnibus — urbem *desunt* B. f) Colobergam A2. Colugrěbam B1. C. petiit ubi aeccl. B. g) l. pr. *desunt* B. h) Pomeraniam A1. 2. B2a. 2b. i) deinde veniens P. B. k) Polaniam B2a. 2b. l) cum ingenti B. m) ac — Dei *desunt* B. n) Fit — Ottonis *desunt* B. o) conversatione A2. p) ab eodem christianissimo duce B. q) magnam *add.* B. r) Deinde — festinatione *desunt* B. s) Claduranense A2. t) festinantia A2. u) feria ebdomadae *desunt* B. v) Michelvelt venit, ubi occurrentibus sibi multis de clero et populo Babenbergensi B. w) debita — agmine *desunt* B. x) Sabbato sancto pascae Turstat adiit, sed ea die urbem intrare distulit B. *Reliqua desunt usque* Mane primo *etc.* y) reditum A1. z) Tewerst. A2. *) ergo *add.* B. a) die *add.* B1. b) Babenbergensem aecclesiam g. exc. B. c) Convenit enim tota civitas novum n. t. apostolum excipiens, et populo laudem decantante, dulcis in ore cleri resonabat cantus Adv. d. quem exspectabamus in tenebris *Reliqua desunt usque* reverendam canitiem B. d) Sic infinito stipatus agmine processit ad aecclesiam cunctis eius rev. can. B. e) desideranter intuentibus B. f) et B. g) quod numquam eius ori abfuit *add.* B. h) magnalia — conversionem *desunt* B. i) Pomeraniam Christi legibus subiugatam annunciabat B

22) Haec sunt quae Herbordus II, 37 in primo Clodonensi itinere facta esse narrat, quod Ebbo cum ultimo itinere, quo Otto ante decessum e Pomerania ecclesias revisebat, confudit. 23) Pomerania egressurus Clodona Belgardam et dein Colobregam ad mare vix revertit. Quod eo minus credendum, quia brevissimo tempore haec omnia perfecit; 11. Febr. ad horrendum nemus in confinio Pomeraniae et Poloniae pervenit; vid. Mon. Priefling. III, 1. Itaque primum arbitror Colobregam, dein Belgradam ivit 24) Quod silentio transiit Ebbo, narrat Herbord. II, 38. 25) i. e. praeter nominatas, Stettin, Garz, Lübzin, Piritz, qua via Otto Pomerania exiisse videtur. 26) cuius, quum infirmus esset, confessionem audivit, et quem, ut fratrem sibi reconciliaret, commonuit; vid. Cosmas III, 58, qui etiam consentit de tempore. Cf. Jaffé Lothar p. 268. 27) Hunc diem Ekkehardus 1125 memoriae tradidit.

1125. humanae vitae metam attendens, illudque de libro[a] beati Iob assidua meditatione revol-
Iob 32,22. vens: *Nescio quamdiu subsistam et si post modicum tollat me factor meus*, omnia quae du-
dum inchoaverat coenobiorum et aecclesiarum septa quantocius consummare accelerabat.
Sed[b] et necessariis quibusque domicilia et hospitalia pauperum Christi, ut bonus paterfa-
milias, sufficienter accumulare satagebat, ne si quid in hiis neglectum foret, de mercede
sua subtractum[c] postea doleret. Sed pio praesule in his[d] partibus toto conamine divinis
operibus insudante, antiquus[e] hostis veneno invidiae tabescens, tot animarum detrimenta[f]
sibi in Pomerania succrescere doluit[g], ideoque bono semini zizania superseminare studuit.
Nam duae praecipuae illic[h] civitates Iulin[i] et Stettin, instinctu[h] inimici[h] apostasiam incur-
rerunt, abiectoque veri Dei cultu, priscis[k] daemoniorum ritibus se perdendos prostituerunt.
Hoc autem quo ordine sit factum, vel qualiter secundo pii Ottonis apostolatu per Dei gra-
tiam mirifice[l] sit recuperatum, tercius liber Domino[l] annuente explicabit.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS. INCIPIT TERCIUS[m].

1.[n] *Qualiter duae nobilissimae civitates Iulin et Stettin ad pristinas sordes idolatriae sunt reversae*[o].

Cum[p] infatigabilem domini ac patris nostri pii Ottonis episcopi affectum, quo gloriam
et cultum Christi non solum in Teutonicis, sed et in remotis barbarorum finibus euangeli-
zando propagavit, assidua meditatione revolverem, nefas iudicavi tam laudabilia eius gesta
infructuoso tegi silentio. Unde non praesumptionis, sed potius intimae caritatis spiritu
ductus, de secundo eius apostolatu in Pomerania, sicut fidelis cooperator ipsius Uodalricus
presbiter sancti Egidii michi[q] innotuit, scripto tradere curavi; nam de primo alias scriptum
est. Legat ergo qui voluerit; invitum et fastidientem nemo legere compellit. Beatissimo[r]
Mart. 28. patre[s] nostro Ottone[t] post primum gentis Pomeranicae apostolatum ad sedem propriam
feliciter reverso, duae ex nobilissimis[u] civitatibus, id[v] est Iulin et Stetin, invidia diaboli in-
stigante ad pristinas idolatriae sordes rediere hac videlicet[w] occasione: Iulin a Iulio Ce-
sare condita et nominata — in qua etiam lancea ipsius columpnae mirae magnitudinis ob
memoriam eius infixa servabatur[x] — cuiusdam idoli celebritatem in inicio aestatis maximo
concursu et tripudio agere solebat[y]. Cumque verbo fidei et baptismi lavacro urbe mun-
data, per[z] beatum pontificem idola maiora et minora, quae in propatulo erant, ignibus
conflagrari coepissent, quidam stultorum modicas idolorum statuas, auro et argento deco-
ratas, clam furati penes se absconderunt, nescientes quale per hoc urbis[*] suae operaren-
Ios. 7,21. tur[a] excidium; sicut et[b] infelix Acham[c], qui Ierichuntina[d] urbe subversa, auream regulam
50[e] siclorum cum pallio coccineo et 200 argenti siclis[f] furatus est, indeque[g] gravem coe-
lestis irae vindictam et Iudaicae plebis vidit ruinam. Nam ad praedictam idoli celebritatem
cunctis[h] comprovincialibus solito fervore[i] concurrentibus, ludosque et commessationes
multiformi apparatu exhibentibus, ipsi dudum absconditas[k] simulacrorum effigies populo[l]
28 inani laeticia resoluto[m] praesentantes, eos ad antiquum paganizandi ritum impulerunt[28],
1126. statimque per hoc divinae correptionis plagam incurrerunt. Siquidem[n] ludis et saltationi-
bus paganico more omni[o] populo occupato, subito ignis Dei cecidit e[p] coelo super[q] apo-
statricem[r] civitatem, tantaque violentia tota urbs conflagrare[s] coepit, ut nemo quippiam

a) de l. *desunt* B. b) sed et — satagebat *desunt* B. c) subtractus B. d) his — conamine *desunt* B. e) per invidiam antiqui serpentis B. f) incrementa B 2[a]. 2[b]. g) dolentis B. *ubi* ideoque — studuit *desunt*. h) *deest* B. i) Iulyn A 2. k) cervices suas daemonibus et non Deo subdiderunt B. l) *deest* B. m) *ita* B 2[a]. 2[b]. Finit liber secundus gestorum pii Ottonis, octavi Babenbergensis episcopi et gentis Pomeranicae apostoli A 1. Explicit lib. sec. in vitam et peregrinationem sancti O. B. ep. ac P. g. ap. A 2. tertius de vita eiusdem B 1. n) Incipit liber tercius de secunda peregrinatione ad Pomeranos apostatas pii Ottonis Babenbergensis episcopi ac Pomeranicae gentis apostoli. Ebbo *in margine* A 2. o) *deest capitis inscriptio* A 2. p) cum — compellit *desunt* B. q) *deest* A 1. r) beato B. s) p. n. *desunt* B. t) episcopo *add.* B. u) Pomeraniae *add.* B. v) id est *desunt* B. w) tamen B. x) servatur B 1. y) solebant B 1. z) p. b. p. *desunt* B. *) domino et urbi B 1. a) inferrent B. b) *deest* B 2[a]. 2[b]. c) Achas B 2[a]. 2[b]. d) Hierichô B 1. Iericho B 2[a]. 2[b]. e) *loco* 50 id est A 1. f) siclorum B 2[a]. 2[b]. g) et per hoc se cum tota gente Iudaica anathemate obligavit B. h) cum provincialibus A 1. 2. i) more B 1. k) *deest* B 1. l) populi A 2. m) dissoluto repr. B. n) *incipit caput* B 2[a]. 2[b]. *ita inscriptum* De igne de celo cadente. o) occupatis B. p) de B 2[a]. 2[b]. q) cecidit B 1. r) apostaticam B. s) conflagrari A 1.

28) Stettinensium exemplo secuti defecerunt Iulinenses; cf. Herbord. III, 25, quod factum esse a. 1126 vid. ibid. III, 26.

1126.

de rebus suis eripere valeret, sed animas tantum suas salvare cupientes, fuga pernici saeviens incendium vix evaderent. Tandem vero urbe sua ignis atrocitate deleta, reversi invenerunt aecclesiam sancti Adelberti, per apostolum[a] suum Ottonem illic in meditullio propter raritatem lapidum firmo lignorum tabulatu constructam[29], ex media parte flammarum vaporibus absumptam; sed mirum in modum sanctuarium, quod viliore scemate id est harundineto[b] contectum fuerat, subter habens pannum lineum oppansum propter vermiculos ab altari arcendos, omnino ab ignibus intactum remanserat. Quo ingenti viso miraculo, tota plebs in laudem Dei summa[c] clamoris exultatione personabat, asserens procul dubio verum hunc esse deum, qui in tanta ignis violentia, quae etiam lapides comminuerat, harundinetum suo altari oppansum[d] reservare[e] potuerit illaesum. Sicque advocatis sacerdotibus christianis publicam egere poenitentiam, et abiuratis penitus[f] idolis urbeque[g] sua, prout[h] poterant[h], reaedificata, iugo Christi cervices suas alacri[h] devotione[h] submiserunt. Hoc modo divinae correptionis plaga salutem in terra[i] eorum est operata. Stetin vero amplissima civitas et maior Iulin tres montes ambitu suo conclusos habebat, quorum medius, qui et alcior, summo[k] paganorum deo Trigelawo dicatus[l], tricapitum habebat simulacrum[30], quod aurea cidari oculos et labia contegebat, asserentibus idolorum sacerdotibus ideo summum deum tria habere capita, quoniam tria procuraret regna, id est coeli, terrae et inferni, et faciem cidari operiri pro[m] eo[m] quod peccata hominum, quasi non videns et tacens, dissimularet. Hac itaque potentissima civitate ad veri Dei agnicionem per beatum praesulem adducta, delubra idolorum flammis erant absumpta, duaeque aecclesiae, una in monte Trigelawi sub honore sancti Adelberti, alia extra civitatis moenia in veneratione sancti Petri erant locatae, et ex hoc sacrificia, quae copioso apparatu et diviciis sacerdotibus fanisque[n] idolorum exhibebantur, nunc[o] aecclesiae Christi[p] vendicabant. Unde commoti sacerdotes, et prioris pompae delicias cottidie sibi decrescere videntes[q], occasionem quaerebant, ut populum ad idolatriam quaestus sui gratia revocarent. Accidit[r] ergo mortalitatem magnam civitati supervenire, et requisiti a plebe, sacerdotes dicebant, abiurationis idolorum causa hoc eos incurrisse, omnesque subito morituros, nisi antiquos deos sacrificiis et muneribus solitis placare[s] studerent. Ad hanc vocem statim conventus forenses aguntur, simulacra requiruntur, et in commune profanus sacrificiorum ritus ac celebritas[t] repetitur, aecclesiae Christi ex media parte destruuntur. Cumque ad sanctuarium plebs furibunda[u] venisset, non ausa ulterius progredi, summum idolorum pontificem sic tumultuoso[v] strepitu alloquitur: *Ecce, quod nostrum erat executi sumus, tuum est istud caput et culmen Teutonici Dei pro officio tuo*[w] *aggredi et profanare.* Ille autem arrepta securi, cum altius dextram librasset, subito diriguit, et resupinus corruens clamore lamentabili dolorem suum protestatus est. Accurrens[x] vulgus causam doloris requirit; at ille graviter ingemiscens[y]: *Heu proch dolor!* inquit, *quantae potentiae, quantae fortitudinis est Teutonicus*[z] *Deus, et quis resistet ei? Ecce*[*] *ego*[a], *quia sacram eius aedem contingere praesumpsi, quomodo*[b] *percussus sum!* Illis vero attonitis et quid[c] agerent inquirentibus, pontifex eorum: *Aedificate*, ait, *hic domum dei vestri iuxta aedem Teutonici Dei, et colite eum pariter cum diis vestris, ne forte indignatus interitum huic loco quantocius inferat.* Qui praecepto eius paruerunt, et usque ad reditum piissimi apostoli[d] sui Ottonis in hoc errore[e] permanserunt.

Cf. Herbord. III, 16.

2.[f] *Quomodo Wirtschachus*[g] *nomine civis Stetinensis, per Danos captus, per sanctum Ottonem liberatus sit, quem ammonuit, ut Stetinensibus praedicaret gravem Dei iram incurrisse.*

Set interim non destitit divinae[h] pietatis providentia, quae semper conversionem errantium desiderat, paterna eos lenitate redarguere per quendam potentissimum de civibus suis Wirtschachum[i] nomine, mirabiliter ab hostium captivitate et maris periculo liberatum;

a) beatum B. b) arundineto A 2. c) acclamabat asserens B. d) supercongestum B. e) reservaverat B. f) *deest* B. g) que *additum manu recentiore* A 1. h) *desunt* B. i) urbe Iulin B. k) *deest* B 2a. 2b. l) Trigelaus dictus A 2. Trigelao B 2a. m) *deest* A 2. n) et f. B. o) *deest* B. p) sibi *add.* B. q) dolentes B. r) *incipit caput* B 2a. 2b. *inscriptum* De mortalitate quae in civitate Stetin accidit et de pontifice qui diriguit. s) placarent B. t) supersticio B. u) furibundi A 2. v) t. s. *desunt* B. w) *deest* B 2a. 2b. x) vero *add.* B. y) i. ait B. z) ille B. *) en B. a) *deest* B. b) graviter B. c) quod B 1. d) ap. sui *desunt* B. e) suo *add.* B 1. f) De liberatione Wirischardi et de periculo maris eodem liberato A 2. *ubi* Ebbo *in margine.* g) Wirtschalchus *littera* l *erasa* A 1. h) divina A 2. i) Wirtiscum B 1. *et sic porro, corr. saepius* Wiricum B 2a. Wiricum B 2b.

29) Cf. supra II, 15. 30) in contina positum, quam descripsit Herbordus II, 31.

1126. quod nullatenus silentio praetereundum est, maxime cum per absentem licet beatissimum Pomeranicae gentis apostolum tam evidens miraculum Christus operari sit dignatus. Siquidem orientalis est regio barbarorum Pomerania, habens ex latere provinciam Danorum, mari interiacente; tantaque est maris latitudo utramque dividens regionem, ut qui in medio, navigans serenissima die, positus fuerit, vix provincias has ad instar parvissimae nubis considerare valeat. Hic itaque civis Stetinensis, gloria[a] et divitiis inter suos opinatissimus, frequenter in provinciam Danorum navigare et praedam ex ea agere solebat, sicut et illi econtra in Pomeraniam crebras incursiones piraticas faciebant. Set[b] eo tempore, quo civitas sua apostasiam, ut praediximus[c], incurrerat, idem praepotens vir Wirtschachus copioso 6 navium apparatu Danos sibi infensos petebat, et non praevisas incidens insidias, cum omnibus suis captus est, sociisque crudeliter strangulatis, ipse solus carceri traditur, collo, pectore, manibus pedibusque gravi catenarum nexu, quaestus duntaxat gratia, compeditus. In hac[d] arctissima reclusione positus[e], singulisque momentis, quando ad mortis atrocissimae[f] supplicium traheretur, suspectus, piissimi[g] apostoli sui memoriam[h] revolvere coepit, a[i] quo ipse dudum de sacro Christi fonte susceptus erat, et salubri lacrimarum imbre perfusus[k], hanc supplicem Domino ex[l] omnibus cordis medullis profudit orationem: *Domine Deus omnipotens*[m], *qui nos ad cognitionem nominis tui per os sancti patris nostri Ottonis episcopi venire tribuisti, miserere et succurre michi in hac tribulatione per eius beatissima merita, qui me, licet indignum, de sacro*[n] *novae regenerationis lavacro suscepit, ut, si vera sunt, omnia quae ex ore eius de tua inaestimabili pietate audivi, nunc in tam horrenda mortis imagine positus, experiar, et tuo munere absolutus, deinceps ab hac piratica invasione desistam, tuaeque religioni debita*[o] *devotione iugiter inhaeream.* Haec[p]
Cf. Herbord III, 15 cum dixisset, ex multa moeroris et inediae defectione in sompnum resolutus est, continuoque dilectum[q] apostolum[r] suum Ottonem[s] cernit pontificali[t] infula redimitum astare, et virga pastorali latera dormientis pulsare. Qui attonitus[u] et prae gaudio lacrimans, hac flebili eum voce compellat: *O pater*[v] *sancte, o serve Dei vivi, quis te sic inopinatum*[w] *his*[x] *appulit oris?* At ille: *Propter te,* inquit, *veni, surge quantocius, et sequere me!* Cui captivus: *Quomodo,* ait, *domine pater*[y], *surgam tantis catenarum nexibus undique*[z] *irretitus?* Tunc[*] pater benignus[a], signo crucis edito, erexit eum, statimque vincula eius coelesti virtute dicto citius[b] soluta, ceciderunt in terram[c]. Cui servus Domini: *Ecce,* ait, *absolvit te Christus, cui credidisti. Memento, ut cum redieris in terram tuam, omnibus civibus tuis legationem meam perferas; gravem quippe offensam Dei incurrerunt, pro eo quod, cultu eius neglecto, priscis idolatriae*[d] *sordibus se polluere veriti non sunt, et nisi quantocius resipiscant, coelestis irae vindictam aut hic aut in futuro saeculo multipliciter incurrent.* His dictis evanuit ab oculis eius. At ille concitus[e] egrediens, cursu rapidissimo venit ad mare. Sed quid ageret, dubius intra semet ipsum variis cogitationibus aestuabat, dicens: *Ecce*[f], *Deus per merita beatissimi patris mei Ottonis absolvit me; sed quomodo tanta maris spacia sine navi transibo?* Haec[g] animo volvens, in tetrae noctis silentio aspicit modicam coram se naviculam, littori[h] sine vectore appulsam, in qua non nisi unus[i] homo, gnarus et exercitatus in his, vehi posset; quam sine cunctatione ingressus, pelago se committit sola fide munitus, et haec secum reputans: *Satius duco in profundo maris, si sic necesse est, interire, quam denuo*[k] *cruentas hostium manus incidere; qui*[l] *si me — quod absit! — in hoc littore comprehenderint, novis et inauditis cruciatibus laniatum crudeliter strangulabunt.* Sed ascendente eo in naviculam, statim Dominus validissimum ventum misit in mare, qui eum sine mora ad litus Stetinensis civitatis sine remige perduxit[m]. Et egressus ad terram, cum lacrimis Deo omnipotenti et beatissimo[n] patri suo Ottoni debitas gratiarum[o] actiones exsolvit, maximoque[p] civium suorum gaudio et admiratione susceptus, omnem iacturae et ereptionis suae ordinem eis exposuit, qui etiam in testimonium miraculi huius naviculam ipsam in portae urbis introitu

a) gloria — opinatissimus *desunt* B. b) *incipit caput* B 2a. 2b. De Wirico qui per merita s. Ottonis ab hostium captivitate ereptus est. *Reliqua desunt* in B 2a'. *usque* III, 20. c) ut p. *desunt* B 2a. 2b. d) ergo *add.* B 1. e) compeditus B. f) atrocissimum A 2. *deest* B 2a. 2b. g) Ottonis ep. B. h) animo *add.* B. i) a quo — erat *desunt* B. k) anxius *add.* B. l) ex — medullis *desunt* B. m) *deest* B. n) fonte baptismatis B. o) strictius B. p) his dictis in s. B. q) *deest* B. r) patronum B. s) O. episcopum B. t) pontificalibus indutum et infulatum B. u) de gravi sompno evigilans B. v) p. s. *desunt* B. w) opinatum A 1. x) huc adduxit B. y) d. p. *desunt* B. z) *deest* A 2. *) tum B. a) benignissimus B. b) d. c. *desunt* B. c) et surgens secutus est eum *add.* B. d) idolatriam repetere B. e) c. egr. *desunt* B f) Quid faciam B. g) hoc B 2a. 2b. h) littorum A 2. i) aliquis navigandi gn. solus vehi p. B. k) in *add.* B. l) qui — strangulabunt *deest* B. m) deposuit B. n) beato O. B. o) gratias B. p) omnium *add.* B.

suspenderunt. Sed[a] malis incitati sacerdotibus, legationem pii doctoris[b] sui spreverunt, in 1126.
eodem errore durantes, quoad usque praesul ipse denuo eos visitans ad viam veritatis revocaret. Quod quo ordine factum sit, subsequens[c] narratio declarabit.

3. *De secunda profectione sancti Ottonis ad*[d] *apostatricem gentem, et quid in via egerit.*

Igitur[d*] electus Dei pontifex audiens inimicum bono[e] semini zizania superseminasse, non est passus Stetinenses claudicare in duas partes Domino et idolis serviendo, sed petita benedictione a domno apostolico Honorio et[f] serenissimo rege Lůthario, barbarorum fines rursum adire disposuit, tam pro apostatis ad sinum aecclesiae revocandis, quam etiam pro alia gente Uznoim[g] dicta, quae necdum nomen Christi audierat, iugo fidei subigenda. Praeparatis itaque paterna[h] provisione habundanter viae[i] necessariis, pluribus etiam verbi ministris et cooperatoribus religione[k] ac industria pollentibus adscitis, in coena Domini sa- 1127.
cratissima, mox[l] post confectionem crismatis et missarum solempnia[m] devote peracta, Mart. 31.
ieiunus ac sandaliis, sicut altari adstiterat, ornatus, elato crucis vexillo iter praedicationis
arripuit, iuxta quod scriptum est: *Quam*[n] *speciosi pedes euangelizantium pacem, euangeli-* Rom. 10,15
zantium bona! Omnibus ergo filiis suis amantissimum patrem cum lacrimis prosequentibus, et prospera ei supplici[o] affectu inprecantibus, ipse fide armatus et galea salutis munitus, civitatem inimici expugnare ac[p] destruere aggressus est, primamque[q] mansionem habuit in curia dominicali[r] Babenbergensis aecclesiae, quae Growze dicitur, ubi autenticum
mandatum cum suis more solempni celebravit[31]. Sequenti vero die post officii et sepul- Apr. 1.
turae Domini celebrationem inde digressus, ad urbem antiquam vocabulo Chirchperg[s. 32]
divertit, ubi sabbatum sanctum paschae et ipsam dominicae resurrectionis diem summa Apr. 2. 3.
devotione peregit. Feria 2. paschae monasterium noviter a se constructum Regenheres- Apr. 4.
thorff[33] expetiit, quod et feria 3. paschae in honore sancti Iohannis baptistae debita cum Apr. 5.
veneratione dedicavit, multum se iterque suum beato Iohanni, intimo patrono suo, com-
mendans. Post haec tota paschali ebdomada in possessionibus aecclesiae Schidingen et Apr. 9.
Můchelin[t 34] pro necessariis viae sumptibus aggregandis occupatus, insignem[u] illam Saxo- 34
niae metropolin Magdeburgk[v] adiit[35], ubi a dilecto suo[w] Nortperto[x] archiepiscopo honorifice susceptus est. Sed[y] quia semper gloriam sequitur aemulatio, idem archiepiscopus cernens eum de tam longinqua regione ad officium praedicationis supervenire, et pudore actus, quod ipse in civitate gentium barbararum[z] positus, nil tale aggredi praesumpsisset, invidia stimulante pium doctorem aliquandiu retardare voluit; sed ipse fervens in spiritu nullatenus a bono proposito revocari potuit. Itaque petita ab eo benedictione, postera die[*] Habelbergense episcopium peciit, quod tunc paganorum crebris incursionibus ita destru-
ctum erat, ut christiani nominis vix tenues in eo[a] reliquiae remanserint[b. 36]. Nam ipsa die 36
adventus eius[c] civitas vexillis undique circumposita[d] cuiusdam idoli Geroviti[e] nomine celebritatem agebat. Quod vir Domini ut advertit, cordetenus[f] pro tali errore compunctus, urbis moenia ingredi recusavit, sed[g] ante portam consistens, Witikindum[h], eiusdem loci dominum, accersivit, et cur hanc idolatriam exerceri pateretur, obiurgavit. Qui protestatus plebem archiepiscopo suo Nortperto rebellem, eo quod duriori servitutis iugo eam subiugare temptaret, nullo modo cogi posse fatebatur, ut ab eo doctrinae verbum reciperet[i], sed prius mortis occasum, quam servitutis huiusmodi onus subire paratam esse. Idem vero Witikindus[k] supplicabat episcopo, ut eidem civitati errorem suum pandere non abnueret[l], dicens monitis eius multo ardentius plebem quam archiepiscopi sui iussionibus[m] obaudire.

a) Stetinenses vero a m. praeventi s. B. b) Ottonis B. c) praesens B. d) Pomerannos apostatas; *reliqua desunt* A2 d*) Ebbo *in marg.* A2. e) boni seminis B. f) a *add.* B1. g) Uznoym A. B2a. 2b. h) p. p. h. *desunt* B. i) v. h. A2. k) assumptis in c. B. l) *deest* B. m) sollempniis d. peractis B1. n) O. q. B2. o) unanimiter i. B. p) ac d. *desunt* B. q) primamque — aggregandis occupatus *desunt* B. r) *deest* A2. s) Kirchpergk A1. t) Muchelo A2. u) venit igitur ad i. B. v) urbem virginum B. w) *deest* B. x) Noriperto B. y) Sed — postera die *desunt* B. z) barbarorum A2. *) deinde B. a) in eo *desunt* B. b) ibi remansissent B. c) sui B. d) circumpositis B. e) Gerouvti B1. *corr.* f) *deest* B. g) sed — obaudire *desunt* B. h) Wirikindum A1. i) susciperet A2. k) Virikindus *et porro* A1. l) abnuerat A2. m) suis *add.* A2.

31) De hoc Ottonis itinerario vide Jaffé Lothar. p. 269. 32) *Kirchberg* prope Ienam. 33) *Reinersdorf;* cf. Herbord. I, 26. 34) *Scheidingen* et *Mucheln.* 35) Sed antea Martisburgi Lotharium vidit, cf. paullo infra; dein Halam profectus, per Salam et Albim navi vectus est, cf. Herbord. III, 1. 36) Havelberga episcopo tunc carebat; Gumbertus obierat 1125, et, ut videtur, nondum ordinatus erat Anselmus; cf. Riedel in Ledebur Archiv VIII, 103. 107. Jaffé Lothar. p. 261.

1127. Qui[a] stans in edito[b] ante portam civitatis, omni populo coadunato verbum salutis praedicabat, et abdicationem huius sacrilegae celebritatis[d] facile apud eos obtinuit, protestantibus[e] eis etiam baptismi gratiam sub alio archiepiscopo se prompta voluntate suscepturos. Pius vero praedicator eidem Witikindo magnam auri quantitatem et coniugi eius psalterium pretiosum solita usus benevolentia tribuit, ibique diversa itineri necessaria cum 30 plaustris comparavit. Deinde a Witigindo exquirere coepit, si ducatum sibi per regionem suam, 37 sicut in Merseburgensi oppido coram gloriosissimo rege Lothario[37] ei sposponderat, praebere paratus esset; qui abnuens respondit, eum per terras hostium suorum paullo post transiturum, ideoque ducatum ei praebere non posse, ne forte satellites sui ab eisdem[f] hostibus capti et iugulati interirent.

4. *Qualiter*[g] *sanctus Otto per vastissimam silvam per quinque dies venit ad stagnum mirae longitudinis, ac pisces a quodam homuncione coemerit.*

Mai. Tum pater amabilis fortissima Dei manu super se invocata, coepti itineris cursum aggressus est[38]. Erat illic vastissima silva, qua diebus 5 transmissa, venit ad stagnum 39 mirae longitudinis[39], ubi homuncionem parvae insidentem naviculae contemplatus, copiosam ab eo piscium multitudinem comparavit. Set ipse, mirum dictu, argento multo[h] aliispue speciebus sibi propositis, nil precii nisi tantum sal accipere consensit. Dicebat enim septennio se panem non gustasse, sed piscibus tantum et aqua stagni illius vitam[i] alere inopem. Siquidem capta a duce Poloniae eadem provincia[40], ipse cum uxore sua fugiens, securi et ascia sua assumpta[k], parvam in medio stagni ipsius[l] planiciem invenit, ubi aedificata domuncula secure habitabat, tantamque siccatorum piscium multitudinem aestivo tempore congregabat, ut tota hieme[m] superhabundaret, quibus etiam condiendis non parvam salis quantitatem a bono[n] praedicatore coemit. Erat etiam illic barbarorum natio, quae Moriz vocabatur. Haec, audita beati praesulis opinione, ultro se fidei sacramentis ab eo imbui expetebat. Sed[o] ipse, ut[p] vir prudens et sagacissimi ingenii, ad Nortpertum archipraesulem suum eos dirigebat, dicens illicitum esse super alienum fundamentum aedificare; se potius ad remotiores gentes edicto domni papae et litteris Wortizlai ducis Po- 41 meraniae[41] evocatum. At illi Magedeburgensem[q] pontificem se nolle sequi, protestantes, quia gravissimo servitutis iugo eos opprimere niteretur, ei, tanquam Dei pio[r] servo, cervicem cordis humiliter submittere, et dictis eius per omnia obaudire pollicentur. Quorum devotionem intuens, benigne respondit, se quidem interim ad gentes sibi commissas tendere, sed post earum conversionem, si[s] in hac voluntate persisterent, auctoritate et permissu[t] domni papae atque[s] consensu Nortperti archiepiscopi eos impigre visitaturum[u].

5.[v] *Quomodo civitatem Timinensem*[w] *ingressus, et de periculo perpesso, ac qualiter dux Wortizlaus*[x] *Luticenses debellaverit.*

Igitur veniens ad urbem Timinam[y], magnum illic belli apparatum hostilemque Lûticensium[z] incursionem reperit. Nam Lûticenses, quorum civitas cum fano suo a gloriosis- 42 simo rege Lothario zelo iusticiae nuper igni erat tradita[42], urbem Timinam vastare civesque eius captivare nitebantur. Sed ipsi eis viriliter resistentes, Wortizlai[*] ducis auxilium requirebant. Dux[a] vero beato patri nostro adventum suum illic praestolari mandaverat, quem etiam per biduum non sine periculo capitis sui inter hostiles discursus expectabat. Ipsa vero die adventus praesulis eximii cives Timinenses ante portam conventus[b] forenses

a) sed B. b) porta B. d) supersticionis B. e) protestantibus *usque ad finem capitis desunt* B. f) eis A2. g) *cum capite* 3. *coniunctum in* A2. h) *deest* B. i) se sustentari B. k) sumpta B. l) *deest* B. m) ei *add.* B. n) pio O. recepit B. o) quibus B. p) ut vir — intuens *desunt* B. q) Megdeb. A1. r) p. D. A2. s) *deest* A2. t) promissu A2. u) *desinit caput* 3 *in* A2. v) 4. De adventu eius ad urbem Tyminam et de apparatu bellico A2. *ubi* Ebbo *in marg.* w) Luticensem A1. x) Watizlaus A1. y) Timynam A1. 2. z) Lûitic. B1. *) Wortislai A2. a) Dux — exspectabat *desunt* B. b) concionabantur B. *ubi reliqua usque in* circuitu eius *desunt.*

37) Cf. de Lothario Jaffé p. 57. 38) Longiore tempore Martisburgi, Halae et Havelbergae consumpto, prima ut videtur mensis Maii ebdomade Havelbergam reliquit. Comparanda sunt quae hic et apud Herbord. III, 2. 3. de itinere Usedomam leguntur. 39) Bartholdo II, 77. est Mürizsee. 40) Anno 1121, de qua expeditione ducis Herbord. II, 5. 41) De his nihil supra III, 3. 42) Hoc uno tantum loco de hac Lotharii expeditione legitur. Facta videtur mense Aprili vel Maio 1126 quum Lotharius Magdeburgi esset et Martisburgi. Jaffé Lothar. p. 274. Ex mente Ebbonis Liuticenses terram Wortizlai provinciam esse regni Teutonici putabant. Cf. infra orationem Wortizlai III, 6.

agebant; sed quia civitas in valle posita erat, ipso de montibus cum tam copioso 30 plau- 1127. strorum apparatu descendente, plebs omnis tumultuoso hoc perterrita sonitu, hostiumque cuneos super se arbitrata irruere, urbem quantocius ingredi seque ad resistendum praeparare molitur. Appropinquante servo Dei, nichil armorum in circuitu eius, sed[a] potius vexillum crucis deprehendunt[b], statimque pium Ottonem fama apud eos celeberrima vulgatum agnoscentes, alacri devotione occurrunt, moeniaque civitatis intrare deposcunt. Qui rennuens urbem idolatriae sordibus pollutam ingredi, ante portam[c] fixis tentoriis habitabat, interimque accersitos ad se primates plebis ad fidei[d] christianae et lavacri salutaris gratiam mira praedicationis dulcedine provocabat. Sed[e] antiquus hostis cernens illic dominica lucra suaque detrimenta succrescere, invidiam erga Dei famulum habitam celare non passus est, sed immisso quodam fallaci terrore eum a finibus illis propellere nisus est. Sequenti enim[f] nocte dux[g] Pomeraniae in auxilium Timinensium cum duobus exercitibus, id est[h] navali et equestri, supervenit. Et[i] equester exercitus prior occurrere debuerat, sed ventus rapidissimo cursu navim impellens celerius littori appulit. Equester[k] vero exercitus postea veniens, sociamque turmam, quam se tarde secuturam sperabat, illic inveniens, suspicatus Cf. Herbord. III, 2. est hostilem cuneum se incurrisse, eo quod tetra noctis ingruerit caligo; statimque clamor confusus et tumultus importabilis utrimque exoritur. Universus pii praesulis comitatus nimio terrore perculsus, ad fugam semet invicem cohortatur, affirmante domno Alwino[l], interprete viri Dei, paganorum Luticensium adesse catervam, et iam caede miserabili[m] ducis exercitum laniare. Doctor vero eximius eundem Albwinum[n] religiosum presbiterum illuc celeriter pro investiganda rei veritate transmisit. Qui flumini[43] concitus se iniciens, 43 eo quod natandi peritus esset, pacata iam omnia reperit, quia exercitus illius[n*] cives se tandem recognoverant, et diabolico errore se praeventos asserebant. Dux autem Wortizlaus de adventu pii pastoris ultra quam credi potest gratulatus, mandat ei sine mora in ulteriorem sibi ripam occurrere, dicens divini esse miraculi, quod biduo ibi inter tam crebras hostium discursiones illaesus permansit. Et revera nisi validissima Dei protectione, tamquam scuto inexpugnabili, obumbratus fuisset, cum omni suo comitatu nullo resistente interiisset. Mox autem, ut terris dies est redditus, dux cum exercitibus suis rebellium Luticensium terras invadens, cuncta ferro et igni vastat[o]. Ad vesperum vero magna praeda onustus rediens, karissimum[p] sibi patrem Ottonem debita cum reverentia[q] Uznoym perduxit[44], ubi oppor- 44 tunam manendi et praedicandi quietem habebat[r].

6.[s] *Quomodo dux Wortizlaus principibus regni sui generale colloquium indixit, ac eos ad suscipiendam christianam religionem adhortatus sit.*

Statimque in[t] festivitate penthecostes generale principum[u] regni[v] sui colloquium in Mai. 22. eodem loco indixit. Ubi convenientibus Timinensis civitatis[w] aliarumque urbium primoribus, sapienter eos ad suscipiendum christianae fidei iugum provocabat[x]. Ipse enim in puericia sua captivus erat[y] in Teutonicas regiones abductus[z], atque in oppido Merseburgensi[*] baptismi[a] gratiam consecutus; sed inter paganos vivens, ritum christianae legis exsequi non poterat, ideoque gentem cui praeerat, fidei iugo subici ardenter desiderabat. Considentibus[b] ergo principibus dux ita exorsus est: *Cernitis, dulcissimi*[c], *quomodo pater*[d] *hic beatissimus, etiam*[e] *canitie venerandus, pro salute vestra omnem gloriam et magnificentiam*[f], *quam apud suos habebat, reliquerit, et cum*[g] *periculo capitis sui longinquas sibique ignotas adierit*[h] *regiones, nec*[i] *propriis sumptibus nec canis suis pro Dei amore parcens, sed in morte animam suam ponens. Ut vos a morte ad vitam revocaret, arduam*[k] *difficilemque nimis*[l] *hanc peregrinationem subire non dubitavit*[m]. *Antea quidem multi verbum Dei his partibus annunciantes*[n] *venerunt, quos instinctu*[o] *satanae occidistis, e quibus etiam unum nuper*[p] *crucifixistis;*

a) qui dum B. b) et O. episcopum adventare eminus cognoverunt certatim ei occurrerunt et m. c. i. coegerunt B. c) portas B2b. d) fidem christianam B. e) Sed — nocte *desunt* B. f) etenim A2. g) d. igitur *add.* B. h) scilicet B1. *deest* B2a. 2b. i) Et — exercitibus suis *desunt* B. k) equestri A2. l) Albino A2. m) miserabilis A2. n) Alberwinum A1. n*) illi *codd.* o) vastabat B2b. p) clarissimum A2. q) r. suscepit ac B. r) *sequentia usque* ardenter desiderabat *cum capite* 5. *coniuncta sunt* A2. s) 5. Qualiter dux Wortizlaus suos ad colloquium vocaverit et ad fidem Christi exhortatus sit A2. t) in p. B. u) principibus B1. v) terrae suae B. w) *deest* B. x) hortabatur B. y) atque B. z) adductus B2b. *) Mersb. A1. a) baptizatus est B. b) *incipit caput* 5 *in* A2. Ebbo *hoc loco* A2. c) delectissimi B. d) praesul B. e) e. c. v. *desunt* B. f) divicias quas B. g) c. p. c. *desunt* B. h) adiit A1. i) non A1. k) inexpertam et B. l) *deest* B. m) dubitaverit B. n) annunciaverant B. o) per maliciam vestram B. p) n. u. A2.

43) aut Peene aut Tollense. 44) Aliter Herbord. III, 2.

1127. *sed ossa eius capellani domini mei episcopi*[a] *digna reverentia colligentes, honorifice*[b] *tradiderunt sepulturae*[45]. *Hunc*[c] *autem reverendissimum dominum meum episcopum, fama celeberrima ubique vulgatum, non sic tractare debetis nec potestis, quia missus est*[d] *papae et dilectus*[e] *domini nostri Lotharii regis invictissimi; nam et*[f] *ipse Romani imperii princeps, et cuncti primates loco patris eum venerantes, consiliis eius obaudire per omnia*[g] *satagunt. Unde sciatis*[h] *procul*[i] *dubio, quia si quicquam molestiae aut controversiae ei a vobis irrogari*[k] *domnus rex audierit, sine mora cum exercitu superveniens, usque ad internecionem delebit vos et terram vestram. Non est meum ad hanc vos religionem cogere, quia, ut ex ore domini*[l] *mei*[l] *episcopi audivi, non vult Deus coacta servicia, sed voluntaria. Quapropter unanimi consilio inter vos secreto*[l] *convenientes, salutis vestrae causam agite, et quali*[m] *devotione hunc reverentissimum Dei servum vestrumque apostolum suscipiatis, in commune decernite.* Hiis auditis, principes et natu maiores opportunum huic colloquio locum petentes, diu multumque ancipiti sententia nutabundi[n] oberrabant, praecipue[o] sacerdotibus idolorum[p] quaestus sui gratia contradicentibus. Sed pars sanioris consilii affirmabat infinitae nimis esse insipientiae, cum omnes circumiacentium[q] nationum provinciae, totusque Romanus orbis christianae fidei iugum subierit, se, velut abortivos, gremio[r] sanctae matris aecclesiae abalienari; meritoque diligendum christianorum Deum, qui per tot annorum curricula eos sibi rebelles pertulerit, pacienter exspectans conversionem eorum, nimisque verendum, si amplius iugum eius detrectaverint, coelestis irae importabilem se vindictam incurrere[s]. Tandem divina praeveniente[t] clementia unanimiter cultum idolorum abdicarunt, et fidei[u] iugo colla submittentes, baptismi gratiam flagitare coeperunt. Quo audito, pastor piissimus flens prae gaudio positisque genibus intimas[v] Deo gratiarum[w] actiones exsolvit.

7.[x] *De divisione apostolorum et de periculo duorum apud viduam latitantium Hologostae.*

Cf. Herbord. III, 5. Mox igitur in eadem civitate baptizatis principibus universis, binos et binos e[y] presbiteris sibi adhaerentibus ad alias urbes ante faciem suam praemisit, ut populo conversionem Iun. principum suumque adventum denunciarent. Quorum duo, id[z] est Uodalricus, religiosus presbiter Sancti Egidii, et supra dictus[*] Albwinus[a], interpres viri Dei, opulentissimam civitatem Hologost dictam adierunt, ubi a matrefamilias[b], uxore scilicet[b] praefecti urbis, honorifice suscepti sunt, ita ut pedes eorum summa humilitatis devotione lavaret, statimque mensa apposita copiosissimis eos dapibus reficeret, mirantibus eis et admodum stupentibus, quod talem in regno diaboli humilitatis et hospitalitatis gratiam invenissent. Tandem finita[c] refectione, domnus[d] Albwinus matrem familias secretius alloquens[e], indicavit ei causam adventus sui, et qualiter ad colloquium Uznoim habitum cuncti principes, abdicatis idolatriae sordibus, Christi gratiam induerint. Haec illa audiens adeo expavit, ut[f] terrae procumbens diu semianimis remanserit; quam[g] aqua refocillatam domnus[h] Albwinus requirere coepit, cur Dei gratiam adeo[i] exhorruisset, cum magis laetari debuerit, quod[k] Deus visitavit plebem suam, mittendo[l] ei tam idoneum verbi ministrum. At illa: *Non pro hoc*, ait, *obstupui, set magis pro nece vestra iam iamque imminente contremuit cor meum. Nam magistratus civitatis huius cum omni plebe dispositum habet*[m], *ut si uspiam*[n] *apparueritis, sine retractione occidamini. Et haec domus mea, semper*[o] *quieta et pacifica, omnibus*[p] *peregrinis supervenientibus hospitalis fuit, nunc vero sanguine vestro contaminanda erit. Revera*[q] *namque, si aliquis magistratuum introitum vestrum huc*[r] *deprehenderit*[s], *hac hora domus mea obsidione vallabitur. Et ego infelix, nisi vos tradidero, igni cum omnibus meis concremabor. Ascendite ergo in superiora domus meae, ibique latitate, et ego ministros meos cum exuviis vestris atque caballis ad remociores villas meas dirigam, ut si venerint inquisitores, libere vos*

a) ep. d. rev. *desunt* B. b) cum timore et rev. sepelierunt B. c) Tales iniurias amantissimo patri et domino meo episcopo inferre non d. sed n. p. B. d) domini p. B. e) d. d. n. *desunt* B. f) nam et — satagunt *desunt* B. g) p. o. ob. A2. h) scitis A2. i) p. d. *desunt* B2a. 2b. k) irrogatum fuerit hii qui miserunt eum sibi factum reputabunt et usque B. l) *deest* B2a. 2b. m) si Dei et legatum eiusdem verbi recipiatis in c. d. B. n) mutab. A1. 2. o) praesertim B. p) *deest* B. q) circumpositae nationes B. r) a gr. B. s) invenire B2a. 2b. t) volente B. u) fidei — submittentes *desunt* B. v) *deest* B. w) gratias B. x) Quomodo Udalricus presbiter et Albinus interpres Hologost civitatem adierunt et de periculo evaso A2. *ubi* Ebbo *in marg.* y) a A1. 2. z) id est *desunt* B. *) *deest* B. a) Albinus A2. b) *deest* B. c) finito prandio B. d) *deest* B. e) conveniens B. f) ita ut B1. g) in *addit* A2. tandem ad se reversam B. h) *deest* B. i) a. sic B. k) pro eo q. B. l) mittendo — ministrum *desunt* B. m) habent A2. n) suscipiatis; *in margine apposuit alia manus* si uspiam A2. o) *deest* B. p) quae semper viatori patuit sanguine B. q) *deest* B. r) *deest* B2a. 2b. s) deprehendit A1. 2.

45) Merito huius narrationis fidem tuitus est Klempinus p. 143 sqq.

excusare possim, cum nec indumenta vestra nec caballi[a] *apud me deprehendantur.* Illi vero 1127. piae eius provisioni gratias agentes, fecerunt ut docti erant. Iun. Statimque ministris caballos eorum et vestes abducentibus, post modicum[b] plebs furibunda irrupit, omniaque[c] scrutantes, peregrinos illic ingressos violenter ad mortem expetebant. Quibus mater familias[d]: *Fateor, ait, domum meam ingressi sunt, et sufficienter*[e] *referti, velocius abierunt, et ego, qui* Cf. Herbord. III, 5. *vel unde essent aut quo tenderent, explorare non potui. Sequimini autem, et forsitan comprehendetis eos.* Illi vero: *Si, inquiunt, abierunt, vanum est eos insequi; sed*[f] *viam suam pergant, et si denuo hic apparuerint, morti se*[g] *procul dubio involvendos sciant.* Et sic inquisicio eorum Deo nutu cassata est, servique Dei Uodalricus et Albwinus[h] in solario matronae illius, velut alterius Raab, absconditi latuerunt.

8.[i] *De periculo clericorum in eadem civitate, et de uno ad templum fugiente.*

Causa autem huius inquisicionis et tumultus sacerdos quidam idolorum fuit, qui, ibid. III, 4. audita novae praedicationis opinione, ad callida argumenta conversus, cuiusdam fani clamide et reliquis indutus exuviis, urbem clam egreditur[k], vicinamque petens silvam, praetereuntem quendam rusticum insolito occursu perterruit. Qui videns eum[l] vestibus idoli amictum, suspicatus deum suum principalem[m] sibi apparuisse, prae[m] stupore[m] exanimis[m] in faciem corruit, eumque talia[n] dicentem audivit: *Ego sum deus tuus quem colis; ne paveas, sed surge quantocius, urbemque ingrediens, legationem meam magistratibus omnique populo insinua, ut, si discipuli seductoris illius, qui cum duce Wortizlao apud Uznoym moratur, illic apparuerint, sine dilatione morti acerbissimae*[o] *tradantur; alioquin civitas cum habitatoribus suis peribit.* Quod cum rusticus ille summa[p] festinatione civibus denunciasset, illi unanimiter adunati, mandatum dei sui peragere conabantur. Sed, ut praediximus, divina providentia servos suos abscondit, donec sequenti die[46] pius Otto episcopus cum duce su- 46 perveniens, eos a[q] latibulis produxit. Set nec in ipsa die adventus episcopi temptatio per invidiam diaboli servis Dei inmissa defuit. Advesperascente namque die, quidam ex comitibus domni episcopi fanum in[r] eadem urbe situm considerare volentes, minus caute peragebant[s]; quod cernentes aliqui de civibus, suspicati sunt fanum ipsum igni eos tradere velle, et congregati horrisono[t] armorum strepitu eis occurrere gestiebant. Tum[u] religiosus ibid. III, 6. presbiter Uodalricus[v] ad socios conversus ait: *Non sine causa congregantur isti; sed sciatis eos*[w] *revera ad interitum nostrum festinare.* Quo audito, socii retrogradum iter secuti, fugae praesidia petunt. Clericus autem Dietricus[x] nomine, qui iam praecedens eos portis delubri ipsius appropinquaverat, nesciens quo diverteret, audacter fanum ipsum irrupit, et videns aureum clipeum parieti affixum, Gerowito, qui deus miliciae eorum fuit, consecratum — quem contingere apud eos illicitum erat — arrepto[y] eodem clipeo obviam eis processit. Illi autem, utpote[z] viri stultae rusticitatis, suspicati deum suum Gerowitum sibi occurrere, obstupefacti[*] abierunt retrorsum et ceciderunt in terram. Dietricus autem videns amentiam eorum, proiecto clipeo aufugit, benedicens Deum, qui de manibus[a] eorum liberare dignatus est fideles suos.

9. *De operibus eius in Chozegowa.*

Apostolus itaque Pomeranorum totam[b] instantem ebdomadam[47] in eadem civitate 47 verbum Dei[c] disseminans, et[d] baptismi gratiam tradens, Iohannem religiosum[d] presbiterum eis praefecit; sicque aliam urbem Chozegowam[e] expetiit, in qua magni decoris et miri artificii fana erant, quae cives eiusdem loci 300 exstruxerant talentis. Sed et[f] beato patri nostro[g] maximam[h] pecuniae quantitatem offerebant, ne ea deleret, sed pro ornatu loci integra et[i] inconvulsa reservaret[k]. Quod vir Domini penitus abdicavit, seque nullo pacto

a) vestri *add.* $B2^a$, 2^b. b) postmodum cum A1. c) et eversa domo B. d) matrona B. e) *deest* B f) ipsi *add.* B. g) *deest* $B2^a$, 2^b. h) Alwinus A2. *nomina desunt* B. i) *sequuntur* A2. *capp.* 7 9 *quae sunt Herbordi.* $B2^a$. 2^b. *hoc caput ita est inscriptum*: De pontifice qui habitum Dei sui induit. k) ingreditur A1. l) illum B. m) *deest* B. n) sibi *add.* B1. o) *deest* B. p) cum *add.* B1. q) e B. r) eiusdem urbis c. B. s) pergebant B. t) sedicionaliter cum tumultu B. u) tunc B. v) Oudilricus *corr. man. rec.* Oudalricus B1. Oudelricus $B2^a$. w) nos perditos esse B. x) Ditricus $B2^a$. 2^b. y) arreptoque B. z) nimiae simplicitatis viri conicientes d. s. B. *) *deest* B. a) manu odientium eripuit eos B. b) per septem dies B. c) fidei B. d) *deest* A1. e) Cozegowam $B2^b$. f) qui B. g) *deest* B. h) pecuniam off. B. i) et i. *desunt* B. k) servaret B.

46) post triduum, Herbord. III, 5. 47) quae erat secunda, ut videtur, mensis Iunii. Cf. Herbord. III, 3. 5. Quae si ita sint, medio mense Iunio Otto erat Chozegowae.

1127. sacrilegas aedes reservare affirmabat, dicens post discessum suum materiam apostasiae causamque[a] ruinae infirmis exinde generari, seque[b] huius delicti reatu nolle apud Deum obligari. Magnam vero praedicationi suae auctoritatem dabat, quia, cum Dominus ordi-
Cf. Herbord. III, 8. nasset his qui euangelium annunciant de euangelio vivere, ipse iuxta apostolum non est
1 Cor. 9, 14. usus hac potestate, quin immo propriis se comitesque suos transigebat sumptibus, quos statuto tempore ex villis episcopii per fideles nuntios sibi deferri paterna provisione sollerter disposuerat, omnem derogandi occasionem invidis auferre satagens, ne forte reputarent eum causa inopiae tam remotas adisse regiones, quasi in terra sua ingruente rerum victualium penuria, in haec opulentissima regna secedens, sub praetextu euangelizandi vitae sustentacula argumentose requireret. Quod prudenter animadvertens vir sagacissimi ingenii, nunquam ab eis, quibus spiritualia seminabat, carnalia metere volebat, sed nec loco muneris quicquam ab eis percipere consensit, si vero a primoribus sibi fidelissima familiaritate adhaerentibus quicquam voluntarie offerretur, et ut id susciperet multa precum instantia constringeretur, ipse de suis preciosa quaelibet eis honorabiliter offerens, maiora dabat quam accepisset, exemplo Salomonis, qui reginae Saba diversas munerum species offerenti multo plura dedit, quam ab ea consecutus fuisset. Unde etiam pater hic beatus libentissime ab omnibus audiebatur, quia cernebant eum, tantis redundantem mundialium rerum copiis, pro sola Christi dilectione, non lucri alicuius gratia, officium praedicationis arripuisse.

10. *De legatis suis et marchionis Adalberti de Saxonia.*

Eo igitur tempore, quo fana haec mirandi operis in urbe Chozegowa destruebat,
Cf. Herbord III, 8. legati honorabiles marchionis Adalberti statum eius curiose investigantes, sed et nuntii de villis suis Muechelin et Scidingen, iuxta condictum opportuna ei subsidia deferentes, supervenere; et videntes gratiam Dei aecclesiamque illic crescere et confortari, gaudio magno et consolatione sancti Spiritus replebantur. Et revera[c] iocundum erat[d] spectaculum, cum simulacra mirae magnitudinis[e] et sculptoria arte incredibili pulchritudine caelata, quae multa boum paria vix movere poterant, abscisis manibus et pedibus, effossis oculis ac truncatis naribus, per descensum cuiusdam pontis igni[f] cremanda trahebantur, astantibus idolorum fautoribus, et magno eiulatu, ut diis suis succurreretur ac iniqui patriae subversores per pontem demergerentur, acclamantibus; aliis vero sanioris consilii e contra protestantibus, quia, si dii[g] essent, semet ipsos defendere possent, sed cum ipsi taceant, nec de loco nisi tracti moveantur, omni sensu ac vitali spiritu penitus carere probentur. Sacerdotes vero idolorum seditionem conflare moliebantur quaestus sui gratia. Nam, ut in
Dan 14, 12. Daniele propheta legimus, cottidie fercula et pocula diversi generis copioso apparatu simulacris illis vasta mole prominentibus exhibebantur, quae omnia sacerdotes, cum amicis suis clanculo ingressi, absumebant, et a diis commesta asserebant[h].

11. *De muscis mirae magnitudinis egredientibus ex delubris.*

Sed[i] non praetereundum videtur, quid miraculi in destructione fanorum ipsorum apparuerit. Subito enim, astante populi[k] frequentia, insolitae magnitudinis muscae, quae nunquam in terra illa visae sunt, magno inpetu ex delubris idolorum proruperunt, et tanta densitate omnem civitatis ambitum operiebant, ut paene lucem diei tetra caligine obducere viderentur; sed et oculos et labia universorum nimia inportunitate vexantes, non parvum horrorem aspicientibus[l] ingerebant. Sed cum violentius[m] manuum percussionibus[n] abigerentur, nichilominus tamen diutius insistebant, donec fidelibus laudes Dei concrepantibus crucisque vexillum circumferentibus, invisum monstrum portis apertis evolans, terram[o]
48 barbarorum qui Rûtheni dicuntur[48] pernici velocitate peciit. Unde cunctorum sapientium iudicio definitum est, non aliud hoc portenti genus nisi demonum expulsionem praesagare,

a) causam B2a. 2b. b) *reliqua usque ad* iucundum erat c. 10 *desunt* B. c) *incipit* A2. *caput* 10 *inscriptum:* De seditione sacerdotum ydolorum facta. Ebbo *in marg.* d) loc. igitur sanctae aecclesiae *add.* B. e) et pulcritudinis aurificis manu caelata deargentata sive deaurata iam omnibus membris ignominiose truncata p. d. B. f) ad Christi gloriam ignibus B. g) veri d. sunt liberent se ab imminenti periculo B. *reliqua desunt usque ad finem capitis.* h) *sequens caput cum* 10 *coniunctum est in* A2. i) Miraculum vero ingens apparuit in ipsorum fanorum dilapidatione B. k) populo B. l) insp. B1. m) violentis B. n) reperc. B. o) agmine facto Ruthenos summa B.

48) Sunt Rugiani, qui infra III, 14. et Herbord. III, 11. appellantur Verani. Idem nomen Ruthenorum occurrit infra III, 23. Herb. III, 31.

qui[a] christiani nominis coruscantem per novos doctores gratiam non ferentes, negata sibi in his regionibus mansione, Rûthenos adhuc paganico errore irretitos adiere. 1127.

12. *De[b] dedicatione aecclesiae, ad quam plures convocavit, ac magnalia quae egit.*

Pius itaque praedicator, destructis idolorum fanis et populo sacrae regenerationis lavacro[c] in sinum matris aecclesiae congregato, novam Christo aedificare coepit basilicam[d]. Ad cuius dedicationem cum loci eiusdem princeps Mizlaus nomine venisset, qui dudum cum aliis primoribus ad curiale colloquium in[e] penthecoste Uznoym habitum baptismatis[f] gratiam perceperat, his eum beatus pontifex verbis[g] per interpretem suum[h] Adalbertum, postea episcopum, allocutus est: *Fili karissime, quem ego Christo[i] domino per euangelium genui, dedicatio haec exterior interiorem tui cordis dedicationem futuram significat[k]. Tu enim es templum Dei, ubi Christus per fidem inhabitare dignatur, et si domum cordis tui sic ornare volueris, ut Deo, qui inspector eius est, mansio illa placeat[l], cum gaudio spirituali hanc exteriorem peragere potero dedicationem.* Qui compunctus his[m] beati patris et apostoli sui verbis, flebili voce respondit: *Quid me[n], pater sancte, vis agere, ut Deus domum pectoris mei visitare[o] dignetur?* At ille: *Hoc est,* ait, *quod moneo, ut secreta conscientiae tuae scruteris, et si cui aliquid per violentiam rapuisti, digne restituas; si quos causa pecuniae captivasti, pro honore Dei absolvas.* Tum ille: *Nemini,* inquit, *violentiam exhibui, sed captivos multos penes me habeo graviter michi[p] obnoxios.* Cui vir Domini: *Require,* ait, *si qui inter eos sint[q] christiani.* Et cum requisisset, invenit plures ex Danorum regione christianos, quos statim beato[r] patri nostro omni debito absolutos obtulit. Ad quod servus Dei gratulatus: *Quia,* ait, *coepisti, perfice gratum Domino sacrificium, ut paganos etiam captivitate depressos, quo facilius iugo fidei colla submittant, absolvas[s].* Et[t] ille: *Multorum,* inquit, *criminum rei sunt isti, et dampna michi non ferenda intulerunt; sed ne dedicationis huius gaudia quolibet moerore obnubilentur, iuxta verbum tuum, pater amantissime, absolvantur.* His auditis, doctor[u] piissimus cum lacrimis gratias agens: *Nunc,* ait, *acceptabilis erit Deo haec dedicatio, quia hospicium cordis tui hoc[v] pietatis opere ad inhabitandum Domino dedicasti.* Et haec dicens, solempnia dedicationis aecclesiae[w] exorsus est. Nutu[x] autem Dei ex inproviso cineres defuerunt, et iurantibus ministris pridem se eos in circuitu altaris collocasse, mirum in modum nec signum executionis[y] uspiam inveniri potuit. Tunc religiosus[z] presbiter Uodalricus spiritu Dei actus ad subterraneum quoddam habitaculum pro cineribus colligendis velocius abiit[z*] [49]. Cuius introitu audito, captivus illic latitans vocem cum gemitu emisit[a], manum de cavea protraxit. Obstupefactus servus[b] Dei Uodalricus accessit videre, quidnam hoc[c] esset, viditque iuvenem miserabiliter[d] collo, pectore ac pedibus ferro inclusum. Et accersito interprete haec ab eo audivit: *Serve Dei, miserere mei, et mitte manum tuam, ut educas me de gravissimo huius captivitatis iugo. Ego enim sum filius nobilissimi Danorum principis, et dux Mizlaus pro 500 marcis, a patre meo sibi dandis, hic me inclusum retinet.* Quo audito, Uodalricus concito[e] gradu ad episcopum rediit[f], et secreto eum conveniens: *Non sine causa,* inquit, *hoc inpedimentum dedicationi nostrae accidit, quia nutu Dei ego in reclusione gravissima filium principis Danorum inveni, dum pro cineribus colligendis abissem; et non poterit dedicatio rata esse, nisi hic cum reliquis absolvatur.* Cui episcopus: *Iam,* ait, *tanta praestitit nobis, quod non[g] praesumo amplius eum interpellare, quoniam[h] revera nec in Teutonicis regionibus quisquam principum hoc facile ageret; sed si vultis, secreto eum per vos convenite, et forsitan acquiescet vobis, licet grave sit negocium.* Uodalricus itaque[i], assumpto interprete[k] suo Adalberto, de turba eduxit Mizlaum principem, et primum pacis Christi verbo[l] salutis requirit, si omnes captivi eius relaxati essent Quo dicente: *Etiam,* Adalbertus[m]

Cf. Herbord. III, 9.

a) quorum princeps Beelzebub id est vir muscarum qui R. B. b) *quae sequuntur in* A2. *capita* 11—19 *sunt Herbordi.* c) fonte innovato novam Christi B. d) aecclesiam B. e) in p. *desunt.* B. f) baptismi B. g) verbis *post* all. est B. h) suum — episcopum *deest* B. i) in Christo per B. k) requirit B. *deest* fut. l) placet B2a. 2b. m) his - sui *desunt* B. n) ergo faciam ut B. o) inhabitare B. p) *deest* B1. q) sunt B2b. r) b. p. n. *desunt* B. s) *post* depressos B2a. 2b. t) At B1. u) Otto pius B. v) h. p. o. *desunt* B. w) *deest* B. x) B2a. 2b. *incipit caput ita inscriptum*: De cineribus qui Dei nutu dedicationi defuerunt. y) *ita legendum; cf. verba ultima capitis;* excussionis *codd.* z) *deest* B. z*) adiit B1. a) et m. *add.* B. b) s. d. *desunt* B. c) *deest* B1. d) *ita* B2b. mirabiliter A1. B1. B2a. e) c. g. *desunt* B. f) redit B. g) facile *add.* B. h) nec puto quemquam pr. in T. partibus tam exorabilem esse sicut hic alienigena, secreto tamen eum c. B. i) vero B1. k) A. viri Dei i. B. l) eum salutans B. m) *deest* B2b.

49) Paullo aliter Herbordus III, 9. cuius narratio ad veritatem propius accedere videtur, etsi Ebbonis auctor ipse est Udalricus.

1127. interpres[a]: *Cur fallere conaris Christum, qui falli non potest? Cur apostolum eius negando et dissimulando contristas? Ecce, inpedimentum dedicationi huic tua dissimulatione fecisti. Siquidem cineres hesterna die hic*[b] *repositi nutu divino hodie*[c] *disparuerunt, et dum karissimus*[d] *domini mei capellanus Uodalricus, non casu sed Deo sic disponente, ad requirendos cineres abisset, invenit captivum tuum, quem Deo, cui omnia patent, occultare voluisti.* His auditis obstupefactus princeps: *Hic*, ait, *captivus singulariter michi prae omnibus aliis obnoxius est; ideoque suppliciter*[e] *peto, ne causa eius manifestetur, sed magis in subterraneo habitaculo, ut*[f] Cf Herbord. III, 9 *dignus est, reservetur.* Cui servus Dei Uodalricus: *Absit*, inquit, *ut tanta pietatis opera, quae Deo exhibuisti, ita ut ipsi*[g] *etiam domino meo episcopo admirationi sis et honori, hac una crudelitate pereant*[h]*! Sed revera scias, quia sacratissimae dedicationis huius gaudia nullatenus consummari poterunt, nisi et hunc cum ceteris absolvens, gratum Domino sacrificium obtuleris.* Et ille: *Quid ergo fiet*, ait, *de* 500 *argenti talentis, a patre ipsius pro incomparabili dampno michi illato exsolvendis?* Ad quod famulus Dei: *Non*[i], inquit, *tanta super hoc affligaris molestia; habet Dominus, unde tibi in*[k] *centuplum haec restituat.* Tunc demum Mizlaus princeps, Dei[l] praeveniente gratia compunctus, totus lacrimis est perfusus, et gravi suspirio frendens in semet ipso: *Dominum*[m], ait, *testem invoco, quod etsi corpus meum pro martirio*[n] *consecrarem, non amplius quid nec animo meo gravius agere possem, quam quod hunc tanto michi obnoxium debito, quem nullo pacto relaxari decreveram, nunc animo meo violenter reluctans, pro honore Dei omnipotentis et amore*[o] *domini mei episcopi absolvo.* Statimque missis militibus[p] suis, de ergastulo tenebroso eum produxit, et sic[q] catenis undique adstrictum manibus suis altari consecrando[r] superponens, holocaustum[s] in odorem suavitatis obtulit Domino, et mox vincula eius solvi mandavit, cunctis qui aderant prae gaudio flentibus, Deumque pro tanta eius devotione benedicentibus. Tunc[t] demum venerabilis pontifex Christi solempnia dedicationis aecclesiae laetiori, quam coeperat, et[u] diligentiori executione adimplevit.

13. *De duce Poloniorum, qualiter Pomeranis bellum indixit, sed per beatum Ottonem mitigatus, bello renunciavit.*

ib III, 10. Sed[v] haec gaudia antiquus nostri generis inimicus non aequis aspiciens oculis, utpote cui innumera captivitatis vasa illic per beatum praesulem erant erepta, omnibus modis haec laeta christianae sationis semina zizaniis seditionum et externorum incursu bellorum turbare molitus est. Dux[w] enim Poloniorum nomine[x] Polizlaus ante[y] adventum patris nostri Ottonis graviter a gente Pomeranorum offensus, expeditionem suam[z] illi[*] cum manu valida indixit. Quo nuncio gens illa noviter fidei[a] sacramentis initiata non mediocriter est perterrita, et[b] primates natuque[c] maiores unanimiter[b] ad apostolum suum, velut[b] tutissimum[b] confugientes asylum[b], eius magnopere flagitabant consilium, dicentes[d]: *Tu, domine pater, nobis christianae fidei iugum subeuntibus libertatem firmissimamque pacem in verbo Dei promisisti, et ecce, fratres nostri Polonienses inter ipsa fidei primordia, rupto pacis foedere, bellum nobis indicunt, populumque nuper baptismi lavacro mundatum humani sanguinis effusione iterum polluere conantur. Sed absit, ut te praesente aecclesia Christi hic collecta dispergatur, cum pax ingressu tuo in istam intraverit provinciam.* Quibus auditis[e] pater piissimus lacrimas[f] ab oculis distillans: *Nolite*, ait, *timere*[g]. *Potens*[h] *est Deus meus, cui credidistis ad introitum humilitatis meae, causas belli huius praecidere, pacemque desideratam novo ovili suo restituere. En ego ipse animam meam pro vobis morti dare paratus sum; vos tantum religioni quam didicistis operam date. Ego cum comitibus meis ducem Poloniorum adeam, eumque ab intentione bellandi Deo auxiliante avertam.* At[i] illi pedibus eius provoluti, debitas gratiarum actiones exsolvebant, et confestim dispositis[k] viae sociis, Uodalricum religiosum Iun. ex. presbiterum[l] vice sua ad confirmandam neophitam plebem Uznoym reliquit[50], ipse vero

a) *deest* B. b) *deest* B. c) *deest* B 2a. 2b. d) cooperator B. e) *deest* B. f) inclusus r. B. g) *deest* B. h) *reliqua usque* obtuleris *desunt* B. i) non — molestia *desunt* B. k) *deest* B 2a. 2b. l) Dei — et *desunt* B. m) Deum B. n) nomine eius m. B. o) *deest* B 1. p) satellitibus B. q) sic — adstrictum *desunt* B. r) *deest* B. s) eum *add.* B. t) tandem igitur Chr. p. O. officium d. B. u) et d. *desunt* B. v) sed — molitus est *desunt* B. w) eo tempore d. P. B. x) *deest* B. y) olim graviter a B. z) *deest* B. *) illo A 1. B 2a. 2b. a) in fide Christi erudita non m. B. b) *deest* B. c) et n. B. d) dicentes — provinciam *desunt* B. e) *deest* B. f) lacrimis · distillans *desunt* B. g) vos tantum state in fide *add.* B. h) potens — Ego autem ducem *desunt* B. i) et illi — exsolvebant *desunt* B. k) ascitis v. suae B. l) r. p. *deest* B.

50) Itaque post ecclesiae dedicationem III, 12. Chozegowa Usedomam redierat Otto. Quot dies illic commoratus

Ad ducem Poloniorum impigre[a], ut condixerat, ire coepit. Cuius adventu dux comperto, 1127. celerius[b] ei debita cum reverentia occurrit, omnique humanitatis officio, ut par erat, fovere non desiit, nam antea etiam familiariter eum notum habebat. Agnitis vero causis itineris, admodum obstupuit, dicens gentem illam beluinae ferocitatis immanitate terram populumque suum devastasse, adeo ut etiam parentes suos e sepulchris protraheret, et collisis capitibus dentes excuteret, ossaque eorum per publicum aggerem dispergeret[51]; mirumque esse, quod ipse vivus discerptus non fuisset ab eis, cum omnes anteriori tempore Christum illic annunciantes mortis sententiam incurrissent, sed unus eorum crucis patibulo nuper affixus occubuisset. At ille, Dei protectione et Romani principis respectu ac defensione Wortizlai ducis se munitum protestatus, gratia Christi gentem illam aiebat initiatam, seque ad hoc venisse, ut incursionem bellorum ab ea quae pacem Dei receperat, amoveret, ne novus grex inter ipsa fidei primordia turbatus a recto tramite exorbitaret. Dux autem Polizlaus respondit non ex facili sibi constare, ut expeditionem illam tanto tempore[c] propositam intermitteret, sed pro nichilo se deinceps ab omni populo suo habendum, si Pomeranorum ducem tam graviter sibi obnoxium debito talione non repercuteret, seque[d] Deo gratias agere, quod servus Dei ab eis secessisset[52], quia eo praesente bello infensam 52 sibi gentem obpetere nequiret. Cui episcopus: *Etsi ego*, ait, *recessi, sed Uodalricus dilectissimus capellanus meus ibi remansit, quem pro confirmanda et consolanda plebe neophita illic reliqui, et non minori pro eo, quam pro memet ipso angor sollicitudine. Noveris ergo*[e], *fili karissime, quia si novam*[f] *Christi sponsam*[g] *hoc impetu belli conquassatam fidei iugo abalienaveris, in tremendo examine rationem Deo positurus eris; set et*[h] *ego pro ovibus michi creditis mortem excipere paratus sum.* Ad haec ille: *Si*, inquit, *humiliatus*[i] *Pomeranorum dux per semet ipsum michi occurrere*[k] *et veniam deprecari voluerit, faciam secundum verbum tuum, testorque*[l] *Deum coeli, quod nec domino meo regi Lothario*[53] *in tam grandi negotio annuerem;* 53 *sed nunc honoravi faciem tuam et reverendam canitiem, quam pro amore Dei in tam remotas barbarorum regiones fatigare non dubitasti.* Mox ergo legati honorabiles Wortizlaum ducem et Uodalricum capellanum[m] accersientes diriguntur, data eis prius firmissimae pacis desiderata securitate. Qui trium dierum itinere confecto Poloniam venerunt, et honorifice[n] Iul. in. cum suo comitatu suscepti, causam pro qua venerant tractare[o] coeperunt, sed per duos dies interminatam reliquerunt; tercia tandem die Domino opitulante et pio Ottone mediante reconciliati[p], pacis oscula libant, et abdicata bellandi intentione, foedus intemeratae dilectionis ambo duces coram primatum et nobilium frequentia pepigerunt. Ipse quoque dux Pomeranorum in testimonium devotionis[q] suae magnam pecuniae quantitatem super altari beati Adalberti martiris kanonicorum illic[54] Deo servientium usibus profuturam obtulit[r], 54 multumque se orationibus eorum commendans, itinere quo venerat cum pio Ottone universoque[s] comitatu Uznoym reversus[t] est[55]. Plebs ergo nuper Christi legibus dicata, pro Iul. med.

a) *deest* B. b) benignissime eum suscepit quia et antea eum familiarem habuit. Agnitis vero causis itineris respondit non ex facili B. *reliqua desunt.* c) sibi *add.* B 1. d) seque — sollicitudine *desunt* B. e) inquit B. f) n. hanc Chr. B. g) aecclesiam belli turbine conq. B. h) *deest* B 2a. 2b. i) *post* occurrens B. k) occurrens B. l) testorque — dubitasti *desunt* B. m) presbiterum B. n) honorifice — suscepti B. o) tractantes B. p) ambo duces pacis foedus coram principibus B. q) pacis B. r) et itinere q. B. s) univ. c. *deest* B. t) rediit B. *reliqua usque ad capitis finem desunt.*

sit, non legitur. Si Hologostensibus dedit secundam ebdomadam mensis Iunii, III, 9. tertiam fortasse Chozegowensibus, dein rediit Usedomam, et exeunte eodem mense iter suscepit ad Boleslaum, de quo vide paullo infra. 51) Dubito num ossa parentum Boleslai ita sint polluta, numque crudelissima haec Pomeranorum Poloniae devastatio facta sit inter primum et secundum Ottonis iter i. e. a. 1125 vel 1126; hoc uno enim loco legitur. In universum Pomeranorum ferocitatem depinxit dux II, 1. et III, 6. ubi ut hoc loco mentio fit euangelii nuncii cruci affixi, quod ante primum Ottonis adventum factum erat. 52) His et sequentibus apparet colloquii locum extra Pomeraniam fuisse. 53) Anno 1135 demum Boleslaus Lothario fidelitatem promisit. Jaffé Lothar p. 164. 54) Quo Poloniae loco illa sancti Adalberti ecclesia fuerit, effici non potest. In finibus Poloniae sita erat, non Gneznae. Tribus diebus Usedoma Gneznam pervenire non potuit Udalricus. 55) Dies circiter 21, ni fallor, Otto consumsit in itinere Usedoma ad fines Pomeraniae et in colloquio cum Boleslao. Udalricus triduo idem fecit iter. Idem tempus dabimus Ottoni et venienti et redeunti, idemque spatium 6 dierum legatis ducem Wortizlaum et Udalricum adducentibus, quibus 6 diebus tres alii fortasse addendi, per quos legati apud ducem et Udalricum iter praeparantes commorati sunt. Per 9 igitur dies Otto cum Polonorum duce illos exspectavit, post quorum adventum iterum 3 dies de pace egerunt. Itaque duas saltem ebdomadas in finibus Pomeraniae cum Boleslao erat Otto. Additis 6 diebus itineris, coniici posse

1127. concessa a Deo pacis securitate cum lacrimis gratias agens, invicem sese ad conservandam rectae fidei traditionem cohortabatur, piusque praedicator ad circumpositas civitates verbi ministros, sicut et antea, pervigili sollicitudine dirigebat.

14. *De Udalrico sacerdote misso per sanctum Ottonem pro conversione Veranorum et de periculo eiusdem.*

Cf. Herbord III, 11. Erant autem trans mare barbari crudelitate et saevicia singulares, qui Verani[a] dicebantur. Hi[b], audita praesulis beati opinione, crebris ei legationibus mandaverant, quod si umquam terras eorum intrare praesumeret, sine mora cum omnibus suis morti acerbissimae se tradendum sciret. Cumque vir Dei fervens in[c] spiritu minas eorum postponeret, saepiusque[d] illo tendere disponeret, ab omnibus vitam eius desiderantibus inhibebatur; aegre tamen ferebat[e], quod nullus ex comitibus[f] suis hoc opus aggredi volebat. Quod[g] Ibid. sentiens Uodalricus, religiosus sancti Egidii sacerdos, incunctanter se huic discrimini obtulit. Cui pius Otto admodum gratulatus, licentiam et viae comites statim concessit. Adalbertus autem, viri Dei interpres, tunc non aderat, sed postea haec addiscens, domnum episcopum omnino ab hac intentione conabatur avertere, lacrimosis eum singultibus hoc modo compellans: *O sancte pater, quid agis? Cur dilectissimum cooperatorem tuum morti destinare non metuis? Scias revera, quod ab omnibus nobis ut reus mortis eius iudicio*[h] *addiceris.* Ibid. III, 12. Servus autem Dei subridens: *Nonne*, ait, *ipse dominus Iesus Christus discipulos suos quasi oves in medio luporum misit, et magister totius aecclesiae, princeps apostolorum, multos e suis ad subigendam barbarorum rabiem destinavit? Sed et sanctus Clemens papa Dyonisium ariopagitam in Gallias, aliique pontifices Romani dilectissimos suos euangelizandi gratia paganis direxerunt, qui ab eis iugulati occubuerunt; nec tamen magistri eorum mortis reos se adiudicabant, quin imo gloriae passionis ipsorum alacri devotione adgaudebant. Testis est michi Deus, quod pro amore eius ipse ego hanc periculosam praedicationis angariam subire paratus essem, sed quia aditum egrediendi violenter michi obstruitis, hunc adletam Christi proficisci cupientem non aversor.* Nocte igitur insecuta Uodalricus per soporem vidit se in atrio aecclesiae sancti Egidii quasi ad profectionem quandam praecingere[i], et cum iam portam egredi conaretur, ancillae Christi Berthrada et Wendelmut cum reliquis per vestimenti 56 fimbrias eum magno cum gemitu retrahebant[56] nec ullo modo portam exire sinebant. Quod cum expergefactus Adalberto interpreti retulisset, ille manifestam respondit esse visionem, nec aliud praesagire[k], quam quod sponsae Christi, quibus in Babenbergensi loco praeerat, assiduis apud Deum precibus obtinuissent, ne Veranos, ubi certa mors ei imminebat, expeteret, sed potius alumnas suas vita comite cum gaudio reviseret. Servus autem Dei Uodalricus nullo modo ob id a bono proposito revocari consensit, sed mane facto pio Ottoni puram agens confessionem, arduum huius praedicationis iter in remissionem peccatorum suorum alacri devotione suscepit; moxque navi cum comitibus suis et interprete quodam Poloniense religioso viro impositus, cunctis ei prospera imprecantibus, Dei viri benedictione munitus, navigium est aggressus. Tum vero magna coeli serenitas et maris tranquillitas arridebat; sed ubi longius a littore est remotus, subito fluctibus vento validissimo concitatis, tempestas non modica ingruere coepit, quae sine mora arreptam navem littori quod reliquerat appulit, servumque Christi Uodalricum loco suo restituit. Quae nimirum tempestas 7 diebus continuis mari imminens, omnem profectionis huius cassavit intentionem.

15. *Qualiter pontifices idolorum in mortem sancti Ottonis populum excitaverunt.*

Apostolus autem Pomeranorum voluntatem Dei prudenter in hoc considerans, nec 57 Veranos verbo salutis dignos iudicans, ad Stetinenses, quia fide, ut supra diximus[57], apostataverant, iter suum direxit, licet multi fideles Christi et familiares sui eum ab hoc proposito revocarent. Nam pontifices idolorum plebem apostatam in necem eius unanimiter concitaverant; sed ipse martirii ardore flagrans, nullumque[l] suorum opus hoc aggredi

a) Ucrani B 1. *ubique.* b) hi — sciret *desunt* B. c) in — postponeret *desunt* B d) que *deest* B. e) episcopus *add.* B. f) omnibus A 1. g) quod — unanimiter concitaverunt *in c* 15. *desunt omnia* B. h) ieiunio A 1. i) *ita legg. codd.* pertingere. k) praesagare A 1. l) nullumque — cernens *desunt* B.

videtur eum per tres ebdomadas Usedoma fuisse absentem, quas ex antecedentibus ultimam Iunii et primam alteramque Iulii mensis putarim. 56) De his vide supra II, 3. 57) Cf. III, 1.

praesumere cernens, quodam[a] die secreto collectis pontificalibus exuviis colloque inpositis, 1127. solus illo[b] tendere coepit, et navim ibi fortuito praetereuntem aspiciens, naulo dato eam quantocius ingredi[c] accelerabat. Quod Uodalricus Dei[d] nutu animadvertens, sociis confestim indicavit. Illi pernici cursu eum insecuntur, primusque Adalbertus interpres eum comprehendens, invitum ac renitentem domum[e] redire compulit. Qui alcius ingemiscens seque deprehensum acriter dolens, paucos tandem[f] e[g] suis periculosae huius viae socios habere[h] meruit, qui nimium eius fervorem considerantes, nefas censebant eum revocare aut in comitatu relinquere. Navem ergo ingressi cum civitati Stetinensi appropinquassent[58], Iul. 29. speculatores eos agnoscentes et[i] considerantes ingenti strepitu civibus[k] antiquum erroris magistrum supervenire acclamabant, cui cum gladiis et fustibus occurrere, et ad iniuriam deorum vindicandam indigne tractare expediret. Quod famulus Dei cum per interpretem agnovisset, intrepidus ac calore fidei armatus, crucis vexillum erexit, pontificalibus sese Cf. Herbord III, 11. indumentis praeparavit, eisque obviam ire deliberavit, primoque aecclesiam principis apostolorum, quam[l] ante portam eiusdem urbis ipse[m] exstruxerat, ingressus, debitum Christo persolvebat[n] obsequium, iam iamque praestolans barbarorum occursum suamque in Christo consummationem. Illi vero post modicum tumultuoso strepitu portis erumpentes, cum[o] servos Christi divinas laudes psallere cernerent, diu multumque haesitantes, et inter se quidnam agerent conferentes, tandem nutu Dei timore perterriti, via qua venerant confusi regrediuntur. Illo igitur[p] die et sequenti sabbato in eadem aecclesia cum suis theoriae vacans, horam passionis sicienter expectavit[q]. Dominica autem illucescente, ibid. III, 17. primo mane, post completa missarum sollempnia, Otto servus Dei pontificali redimitus Iul. 31. infula, crucisque vexillo praelato, euangelizandi gratia in turbam processit, Uodalricum vice diaconi dalmatica indutum et Adalbertum in loco subdiaconi, aliosque verbi Dei cooperatores sibi assumens. Erant autem illic piramides magnae et in altum more paganico muratae. Coadunato itaque populo, pius praedicator super unam cum sociis suis ascendens piramidem, per interpretem suum Adalbertum coepit errantibus viam veritatis aperire, et nisi ab hac resipiscerent apostasia, aeternum comminari interitum.

16. *De[r] constantia mirabili sancti Ottonis in conversione Stetinensium, et de persecutione sacerdotum.*

Praedicante autem eo, ecce, pontifex idolorum anhelus cucurrit, multoque sudore ibid. III, 18 confertissimam irrumpens[t] turbam, piramidem[u] percussit, ac servum Dei obmutescere magni clamoris virtute imperavit. Ipse enim cum suis priori nocte in necem episcopi summo dominicae crepusculo conspiraverat, sed Deo ordinante sompno oppressus gravissimo, hoc frustratus est proposito. Cumque secunda diei hora expergefactus, virum Dei in conventu forensi iam praedicare audisset, furibundus illuc accurrit ac silentium indixit; sed famulus Domini constanter quae coeperat prosecutus est. Ille autem gracilem Adalberti vocem interpretis[v] sua clamosa atque[w] altisona comprimens, magna fortitudine barbaris imperat, ut praedicatorem Christi hastis, quas antiquo[x] more Quiritum Romanorum iugiter ferebant, transfodere non morentur. Qui iussis eius obaudientes, cum dextras alcius ad sagittandum eum[y] elevassent, divinae virtutis potentia quasi saxa diriguerunt, ita ut nec hastas deponendi nec os aperiendi facultas esset, sed in altum dextras inmobiliter suspensas[z] habebant et quasi in aere ligatas. Quod cernens infaustus ille idolorum sacerdos, ira inflammatus, ignaviae eos accusare coepit, unique eorum hastam manu eripere ac servum Christi conatus est transfodere[59]. Nec mora, et ipse diriguit, pudoreque actus in fu- 59 gam convertitur. Quo abeunte, pius Otto, facto crucis signo, benedictionem plebi inprecatus est, statimque vinculis resoluti, dextras cum sagittis deponunt. Quo facto, antistes

a) quadam B. b) ad Veranos B. c) ingreditur B. d) D. n. *desunt* B e) retraxit B. f) *deest* B2a. 2b. g) e s. p. *desunt* B. h) habuit B. i) et c. *desunt* B. k) *deest* B2a. 2b. l) *reliqua de fine capitis* 15. *et initio capitis* 16. *desiderantur, quae uno folio, quod in codice laceratum erat, scripta fuerunt. Ita Jaschius in sua editione. Folium* A1. *iam est excisum. Quae sequuntur usque III,* 16. egressi unanimiter, *damus ex codd* B. m) *deest* B2a. 2b. n) persolvit B1b. o) cum — cernerent B1. *desunt* B2a. 2b. p) ergo B2b. q) expectabat B2a. 2b. r) *ita* A1. *in indice capitum libri tertii. In* B2a. *rubra:* De barbaris qui hastis ad vibrandum elevatis cum pontifico dirguerunt. t) *ita* B2b. irrepens B1a. 2a. u) *deest* B2a. 2b. v) interp. v. B2a. 2b. w) *deest* B2b. x) antiqui B2a. 2b. y) *deest* B1. z) habebant *post* suspensas B2.

58) Cf. Herbord. III, 15. 59) De hoc nihil apud Herbordum III, 18.

1127. Domini pro tam evidenti miraculo Deo gratias referens, urbem confidenter ingressus est[60], aecclesiamque sancti[a] Adalberti videns media ex parte destructam, amare flevit, et genu flexo cum suis diu orationi institit. Interea barbari cum gladiis et fustibus congregati portam aecclesiae ambiunt, servos[b] Dei ad mortem expetunt, sed mox divina quadam virtute tremefacti, in fugam convertuntur[c]. Tunc Wirtschachus[d] princeps, dudum a pio Ottone de captivitate Danorum ereptus, cum ceteris familiaribus episcopi supervenit, omnimodis eum deposcens, ut ab urbe secederet, priusquam perfidia sacerdotum circumventus, morti suc-
61 cumberet[61]. Abnegat praesul beatissimus, dicens: *Quia ad hoc ipsum veni.* Indicitur ergo generale colloquium post 14 dies, in quo certa diffinicione sacerdotes cum plebe iugum
Aug. 15. Christi aut susciperent, aut penitus abdicarent. Statuta igitur[e] die[62] antistes Domini montem Trigelawi[f] in media civitate, ubi sedes erat ducis, ascendit, magnamque domum, huic colloquio oportunam, intravit. Assunt principes cum sacerdotibus natuque maioribus, et facto silencio vir Domini sic ait: *Conventionis nostrae dies dudum praefixa iam adest, et ego salutis vestrae avidus, ex ore vestro audire desidero, utrum domino meo Ihesu Christo, qui est lux vera, an principi tenebrarum diabolo servire disposuistis.* Respondens unus sacerdotum: *Non*, inquit, *tanto tempore colloquium hoc differri oportuit; quia et pridem et nunc et semper deos patrum nostrorum colere fixum est nobis; ideoque noli frustra laborare, sermo tuus non capit in nobis.* Quibus auditis, vir Domini: *Video*, ait, *quia sathanas excoecavit sensum vestrum, ne lumen verum intueri possitis. Innocens ego sum a sanguine omnium vestrum; non enim subterfugi, quominus verbum Dei oportune inportune annunciarem[g] vobis. Set quia iugum domini mei Ihesu Christi abdicastis, iam vos potestati sathanae[h] quem elegistis trado, ut cum
Marc. 9, 43. *eo perdicioni aeternae mancipati, hereditatem illam possideatis, ubi vermis non moritur et ignis non extinguitur.* Statimque de loco suo consurgens, arma spiritualia arripit, stolam collo inponit, ut eos anathématis vinculo astringat. Quo viso, principes salubri timore correpti, vestigiis eius advolvuntur, humiliter supplicantes, ut sententiam maledictionis huius suspendat, et semel adhuc brevissimi spacium colloquii eis indulgeat. Annuit statim praesul piissimus, stolaque deposita resedit. Principes ergo, relictis in domo sacerdotibus, egressi[i], unanimiter fidem[k] Christi, abdicatis[l] idolatriae sordibus, receperunt, primusque Wirtschachus, nobilissimus eorum, ad servum Dei ingressus, hanc pro omnibus dedit rationem: *Ego, pater honorande, cum primatibus hunc locum regentibus Deo inspirante[m] pari voto in hoc convenimus, ut sacrilegos istos sacerdotes, omnium malorum incentores, longe[n] a terminis[o] nostris eliminemus, teque ducem et praeceptorem in viam salutis aeternae avida[p] mente sequamur.* Et conversus ad eum qui prius fuerat locutus sacerdotem ait: *O miser et miserabilis, quid michi dii tui profuerunt, cum in arctissima compeditus[q] custodia, mortis[r] sententiam iam iamque praestolarer, sociis meis pridem crudeliter strangulatis, ubi visibiliter dominum et patrem meum Ottonem a vinculis me absolvere et desideratae[s] libertati reddere aspexi? Nonne melius est michi Deo vivo et[t] vero liberatori meo servire, quam lignis et lapidibus vita sensuque carentibus? Tu ergo cum tuis perge quo volueris, et cave, ne amplius in finibus nostris compareas, quia domino nostro Iesu Christo regnante super nos, non est tibi et simulacris tuis locus in his regionibus.* Quo audito, cuncti sacerdotes idolorum sine mora surgentes, pernici[u] fuga elapsi[v] sunt, ita ut nullus eorum deinceps ibi comparuerit. Antistes autem Domini super hoc intimas Deo gratias exsolvens, confestim delubra idolorum cum suis destruere coepit.

17. *De duobus rumbonibus mirae magnitudinis captis et sancto Ottoni per piscatores allatis.*

Deinde eos qui a fide apostataverant benedictione sacrati fontis et manuum inpositione purificans, vivificae[w] crucis vexillo et orationis virtute katholicae matri cum[x] gaudio reconciliavit, aliis vero[y] baptismi gratiam et[z] fidei sacramenta contradidit. Sed[*], ut

a) beati B 1. b) seruuos B 1. c) *nulla divisio in* B 2. d) Wiri : . cus B 2a. e) ergo B 2a. 2b. f) trigelai B 2a. g) anūciarē B 1. ānuciarē B 2a. h) satane *postea additum* B 2a. i) *deest* B 2a. 2b. k) *his verbis incipit sequens folium* A 1. l) proiectis B. m) aspirante B. n) *deest* B. o) finibus B. p) a. m. *desunt* B. q) essem c. et *add.* B. r) mortis — ubi *desunt* B. s) desiderantem A 1. t) et v. *desunt* B. u) *deest* B. v) lapsi B 2a. 2b. w) vivificae — virtute *desunt* B. x) c. g. *desunt* B. y) etiam *add.* B. z) et f. s. *desunt* B. *) et B.

60) Pyramides erant in ipsa urbe, in foro, ut accuratius narrat Herbordus III, 17. 61) Hoc Wirtschachi consilium silentio praeteriit Herbordus. 62) qui circa diem 15. Augusti videtur fuisse, si cum his coniungas quae de tempore supra dicta sunt. De mense Augusto cf. etiam Herbord. III, 21.

1127. Ps. 33, 11. Aug.

scriptum est: *Inquirentes Dominum non deficient omni bono*, praedicatori[a] veritatis, in opere Dei laboranti, solitae benignitatis munificentiam Dominus exhibere dignatus est. Piscatores enim[b] Stetinensium autumpnali tempore, quo haec christianae[c] militiae rudimenta agebantur, ad fluvium Odoram progressi, duos[d] insolitae magnitudinis rombones apprehendunt, quorum occursus[e] non nisi verno tempore esse solet. Obstupefacti[f] illi novam hanc (Cf Herbord. III, 21.) capturam, novis praedicatoribus coelitus provisam, inter se conferunt, moxque apostolo suo cum hoc iocundo munere occurrentes aiebant, nunquam in illis partibus rombones autumpnali tempore visos, sed coelesti prodigio ad introitum eius largam hanc benedictionis suae copiam Dominum declarasse. Erant autem rombones[g] tantae vastitatis[h] ac longitudinis, ut[i] servo Dei cum universo comitatu suo per 14 dies sufficientem[k] praeberent alimoniam, ita ut nobilibus etiam quibusque[63] ex eadem copia reliquiae honorabiliter partirentur. (63) Ex hoc vero populus in fide magis ac magis corroborabatur, cum tantam in apostolo suo gratiam, tam in temporalium quam et in spiritualium exuberantia profectum miraretur.

18. *De incisione nuceae arboris et periculo episcopi.*

Erat autem fanum quoddam longius remotum, ad quod deiciendum fidelem[l] et familiarissimum sibi Uodalricum sacerdotem religiosum[m] direxerat. Sed[n] pauci qui remanserant fautores[o] idolorum de muro[64] prospicientes eum illo tendere[p] iactu lapidum et lignorum caput[q] eius conterere moliebantur; (64) qui tamen Deo protegente illaesus[r] evasit, reversusque ad pium patrem[r*] Ottonem insidias eorum[s] retexuit. Vir[t] Domini, statim[u] elato crucis vexillo, ac pontificali redimitus infula, semet ipsum huic periculo ingerere non dubitavit; cuius praesentiam barbari non ferentes, hac illacque dispersi, fugae latibula quaesiere[v]. Destructo igitur fano, cum vir Dei[w] reverteretur, arborem nuceam praegrandem idolo consecratam cum fonte qui subterfluebat invenit, quam statim succidere suis inperavit. Accedentes vero Stetinenses suppliciter[x] rogabant[y], ne succideretur, quia pauperculus ille custos arboris ex fructu eius vitam alebat inopem; se autem iure[z] iurando affirmabant sacrificia[*] quae illic demoniis[a] exhibebantur, generali edicto perpetualiter inhibere[b]. Quorum peticioni doctor[c] piissimus, dictante aequitatis ratione, naviter[d] annuit. Dum vero mutuis haec conferunt sermonibus, ecce, barbarus ille custos arboris ex inproviso accurrit, servoque Dei post tergum clam assistens, eius sanctum verticem francisca annisu forti (ibid. III, 22) appeciit; sed Dei nutu frustrato ictu, ponti firmo tabulatu[e] strato, cui tunc[f] forte superstabat, franciscam tam valide infixit, ut difficultate extrahendi moram percussori faceret.

19. *De profunda inclinatione Adalberti presbiteri post evasionem periculi.*

Quo viso[g] Adelbertus interpres, nimio[h] terrore concussus, perniciter franciscam barbari manibus eripit[i] et abscondit, omnesque insolito horrore circumfusi, sacrilegum[k] invadunt et mortem ei intentant. Sed pietas Ottonis, ne quid mali homicida[l] paciatur, obsistit[m], eique, licet indigno, vitam et salutem impetrat. Adalbertus autem in lacrimas erumpens, et montem sancti Michaelis Babenbergensem devota inclinatione salutans: *Hic*, ait, *ictus* (ibid III, 23.) *sine dubio precibus fratrum coenobii sancti Michaelis a domino meo episcopo divina protectione est aversus, quia barbarus iste, naturali ingenio callens, ita sagittandi vel manu feriendi peritia est imbutus, ut etiam angusti foraminis orbem non frustrato ictu oppetere idoneus esset.* Illo[n]

a) praedicatori — est *desunt* B. b) *deest* B. c) chr. m. r. *desunt* B. d) *deest* B. e) in illis partibus *add.* B. f) Qui coeleste super hoc (facto *add.* B 1.) intelligentes prodigium novis p. n. h. c. offerunt. *Reliqua usque* declarasse *desunt* B. g) pisces illi B. h) magnitudinis B. i) duo rombones *add.* B k) sufficerent exceptis partibus quas nobilibus et religiosis quibusque mittebat B. *Reliqua desunt usque* mirarentur. l) f. et *desunt* B. m) f. r. *desunt* B. n) *hoc loco falso incipit cap.* 18. A 1. 2. p. vero B. o) de fautoribus B. p) *deest* B. q) ipsum B. r) *deest* B. insidias eorum e. *add.* B 1. r*) *deest* B. s) sibi *add.* B 1. t) quod audiens v. D. B. u) statim — infula *desunt* B. v) quaesierant B 1. *In* B 2a. 2b. *haec inscriptio:* De rustico caput eius francisca inpetente. w) domini B 1. x) *deest* B. y) eum *add.* B 1. z) sub iure i. B 1. *) superstitionem B. a) agebatur exhib. — edicto *desunt* B. b) delere B. c) vir discretae mentis d. aeq. r. *desunt* B. d) statim B. e) stratu tabulata B 1. f) cum A 1, tum B 2a. 2b. g) quod videns B 2a. 2b. h) n. t. c. *desunt* B. i) eripuit B. k) sacrilego m. int. B. l) *deest* B. m) *reliqua usque ad finem capitis desunt* B. n) *incipit* A 2. *caput* 23 *inscriptum:* De orationibus pro salvatione pii Ottonis in monte S. Michaelis factis et de visione Ellenhardi senioris, *ubi* Ebbo *in marg.*

63) scil. Stetinensium. Itaque hoc loco videtur effici, per 14 adhuc dies i. e. usque ad exeuntem mensem Augustum Ottonem Stetinae mansisse.

64) fani quod diruturus ivit Udalricus. Vid. L. Giesebrecht Wend. Gesch. II, 325. an. 2.

1127. etenim tempore preces et supplicationes magnae, sicut et semper, apud nos fiebant pro dilectissimo patre Ottone, qui nos prae aliis mirum in modum materno potius quam paterno affectu iugiter fovere non desiit, adeo ut quadam vice, cum ad curiale colloquium a serenissimo rege Lothario evocatus apud Magdeburgensem urbem graviter aegrotaret, 65 ascito divae memoriae Hermanno abbate nostro[65], per quem tunc etiam praeter alia dona 300 nobis marcas transmisit, in hanc lugubriter erumperet vocem: *O quam incomparabilis me detinet gemitus, quod in hac aegritudine tam longe remotus sum a dulcissimo requietionis meae loco, monte videlicet domini et patroni mei beati Michaelis archangeli, ubi corde et animo ita fixus inhaereo, ut teste Domino, si hac hora illic positus essem, mille marcas huic beneficio non praeponerem.* Quia ergo caritas exigit caritatem, speciali eius amori, de cuius capite, Eccles. 9,8. ut scriptura loquitur, oleum non defecit — id est, meriti eius caritas nunquam excidit — specialem orationis intimae devotionem rependere curavimus. Nam ut de ceteris sileam, Ellenhardus senior noster, vir totius prudentiae et pietatis, ac singulari compunctionis et humilitatis dulcedine amabilis, nocturnas fratrum vigilias orando praevenire solitus, pro salute pii Ottonis placidas divinae clementiae aures lacrimosis singultibus eo usque pulsare non cessabat, donec desideratum eius reditum coelesti responso audire mereretur. Cum enim nocturno tempore more suo in tenebrosis gradibus capellae ad sanctas virgines intimis pro dilecto patre insisteret precibus, subito clara luce in eodem loco emicante, audivit vocem dicentem sibi: *Exauditus es pro pio Ottone, salvum eum recipies.* Sed[a] his paulisper necessario insertis, nunc revertamur ad ordinem.

20. *Quomodo Stetinenses fidei reconciliatos duci suo reconciliaverit, et de interitu sacerdotum episcopo insidiantium.*

Igitur confirmatis in fide et doctrina Domini Stetinensibus, cum vir Dei[b] Uznoym redire disponeret, accedentes ad eum urbis eiusdem cives suppliciter rogabant, ut discordiam, quae inter eos et ducem Wortizlaum diabolo[c] instigante conflata erat, suo interventu dissolveret. Ad haec ille: *Faciam*, inquit[d], *ut vultis; sed peto*[e] *legatos honorabiles*[f] *ex*[g] *parte vestra mecum dirigi*[h], *qui pacis huius munia vobis reportent, et si dux*[i] *iustae aliquid habet* Sept. *querelae, de obiectis rationem*[k] *reddant.* Confestim[l] legati Stetinensium bono[m] pastori assignantur, qui etiam non[n] parvo in eadem via praesuli almo[o] fuere praesidio. Nam[p] duo pontifices idolorum viro Dei mortis laqueos intenderant, et milites 84 clam praemiserant[q], qui eum observantes[r] in reditu iugularent, et caput eius palo infixum sibi remitterent. Sed Prov 21,30. non est sapientia, non est fortitudo, non est consilium contra Dominum. Nam[s] et pius Otto divina se protegente gratia illaesus exivit, et infideles illi laqueum et foveam quam paraverant inciderunt. Abeunte enim[t] praesule beato, maior ille pontifex idolorum, convocatis amicis suis, magno[u] laetitiae tripudio eos diem festum diis[v] suis agere praecepit dicens: *Deus noster, quem antiquus ille seductor exterminare conatus est, apparuit michi, et* Cf Herbord III, 23. *sine ambiguitate caput Ottonis hodie*[w] *amputandum michique transmittendum intimavit.* Cumque hac furibunda[x] et kachinnanti voce promisisset, statim a diabolo confractis cervicibus caput eius retrorsum[y] est horrendo et mirabili ordine transversum, cerebrumque loco suo exiliens crudeli impetu parieti est appulsum. Quo viso amici eius vehementer[z] obstupefacti, causam insolitae huius calamitatis ab eo sciscitantur[*]. At[a] ille diu horrisono sonitu increpitans, tandem erupit[66]: 66 *Quia*, ait, *servo Dei insidias tetendi, et vos a via veritatis separare*[b] *cogitavi, terribiliter*[c] *a Deo percussus sum.* Et his dictis exspiravit, tantoque fetore locus est ille repletus, ut nemo illic moriente eo prae intolerantia fetoris consistere[d] valeret. Et,

a) Sed — ad ordinem *desunt* A 2. *ubi quae sequuntur usque ad c. 31 sunt Herbordi.* b) domini B. c) d. i. c. *desunt* B. d) ait B 1. *deest* B 2. e) vos B. f) vestros B. g) ex p. v. *desunt* B. h) dirigite B. i) adversum vos *add.* B. k) respondeant B. l) statim igitur B. m) pio O. B. n) non p. *desunt* B. o) multo B. p) *sequitur* B 2a. 2b. *inscriptio:* De pontifice idolorum cuius caput a diabolo transversum et cerebrum excussum est. q) praemitendo B 1. r) obs. in r. *desunt* B. revertentem i. s) Nam — inciderunt B. t) autem B. u) magno — eos *desunt* B. v) idolis agi B. w) *deest* B 2a. 2b. x) in cachinno exaltans vocem dixisset B. y) retrorsum est *deest* B. z) conterriti B. causam h. c. *) requirunt B. a) qui ait B 1. b) avertere B. c) haec patior B. d) posset assistere B.

65) Obiit 1147; Ann. S. Michael. Mon. Germ. SS. V, 10. De hoc morbo Ottonis ab aliis nihil traditum est. Anno 1135, ut videtur, quae narrat Ebbo facta sunt, quo Lotharius in festo pentecostes 26. Mai. Magdeburgi principum habuit concilium, ut probatur Ann. Hildeshem. Cf. Jaffé Lothar p. 161. 66) Num cerebro excusso respondere potuerit valde dubito. Verius hoc narravit Herbordus III, 24.

1127. ut scriptum est, *pestilente multato sapientior erit sapiens*, omnis populus audito eius interitu, [Prov 21,11.] magis ac magis in fidei perseverantia est confortatus. Alter vero sacrilegus pontifex nec sic compunctus est, sed[a] viro Dei convicia irrogans, aiebat doctrinam eius cito in illis partibus abolendam, et quos poterat a vero tramite conabatur avertere; unde et ipse iudicio Dei post modicum interiit. Nam dum causa quadam ingruente navigio mare transiret, pro corporali necessitate egressus, vicinae silvae latibula peciit, moxque nonnulli[b] ex comitibus suis, nutu[d] Dei zelo iustitiae armati, ipsum clam insequuntur[e], et apprehensum crudeli laqueo in spissioribus locis suspendunt[f], sicque dolus[g] eius et iniquitas in verticem ipsius descendit. Cum ergo milites 84 a[h] profano illo sacerdote idolorum, ut supra diximus, praemissi virum Dei navigantem aspexissent, ex insidiis erumpentes, quo tenderet clamosa voce requirunt; respondentes legati Stetinenses, cur hoc inquirerent, vicissim percunctantur. At illi voces civium et amicorum suorum agnoscentes, gradum sistunt, seque[i] praesentiam eorum illic nescisse fatentur. Illi vero[k] e contra: *Antistes*, inquiunt, *Domini discordiam inter ducem et nos inveteratam dissolvere intendit, ideoque non paciemur eum quicquam molestiae in hac via incurrere, sed mortem pro eo subire parati sumus. Ergo*[l], *si consultum vobis esse cupitis, via qua venistis quantocius revertimini.*

21. *Quomodo episcopus transitis insidiis Iulinam venerit et ipsam de apostasia correxerit, et de illuminata coeca muliere, et de filio militis lunatico in papilione reliquiarum liberato.*

Sic[m] igitur nutu Dei cassata est iniqua sacrilegi pontificis machinatio, et servus Domini urbem Iulin, dudum[n] a se rectae[o] fidei sacramentis initiatam, adiit. Cumque eos doctrinis pariter et exemplis in Domino confortaret, mulier quaedam luminibus orbata vestigiis eius provolvitur, benedictionem ab eo et remedium instanter efflagitans. Quod[p] pius Otto ioculariter[q] suscipiens: *Ecce*, ait, *aecclesia sancti Adalberti martiris praesto est; illuc credens Deo et sanctis eius curre tangensque campanam auxilium martiris Christi implora.* Solebant [Cf Herbord. III, 26.] enim rudes adhuc in fide barbari, cum aliquod[r] in aecclesia remedium flagitabant, campanae sonum, quasi sanctos per hoc ad subveniendum excitantes, movere. Quod cum illa simplicitatis intencione credens exsecuta fuisset, ilico lumen recepit, et exiliens cum gaudio, ad servum Dei regressa pro sanitate recepta gratias egit[s] inmensas. Cui ille[t]: *Non michi*, inquit, *sed Deo et sanctis eius gratias age, et in fide quam didicisti usque*[u] *in finem perseverare non*[v] *desinas.* Post[w] haec miles quidam habens filium lunaticum, servo Dei eum[x] [ibid III, 27.] adduxit, boves[y] quatuor, ut sanitati puerum restitueret, obtulit. Qui[z] humilitatis gratia haec refugiens ait: *Erras, homo, non est hoc meum; sed perge ad tentorium, ubi reliquias sanctorum positas habeo, ibique Deo et sanctis eius vota tua pro filio credulus*[*] *offer, statimque salvum eum recipies.* Qui pergens[a] cum puero fecit ut doctus erat, moxque filium incolomem viro Dei gratulabundus repraesentavit.

22. *De*[b] *Bocho presbitero et segete incensa in die sancti Laurentii martiris, et de muliere a morte reservata, et de milite frenetico sanato.*

Accidit post haec[c] in festo beati Laurencii[d], ut presbiter quidam ex comitatu[67] pii[e] [Aug. 10. ibid. III, 29] Ottonis[f] nomine Bokeus[g] praeteriens videret rusticos in agro frumenta metentes, quos modeste compescuit[h] dicens: *Miseri, quid agitis? Hodie natalis*[i] *dies est beatissimi martiris Laurencii, qui totius aecclesiae summa veneratione celebratur, et vos infelices*[k] *hunc violare praesumitis?* At illi: *Non*, inquiunt, *omni tempore sabbatizare possumus; expedit etiam*

a) sed — avertere *desunt* B. b) a quibusdam c. B. d) nutu — armati *desunt* B. e) insequentibus laq. B. f) est suspensus B. g) dolor A 1. B 2a. 2b. h) missi ab i. sacerdotibus v. D. transeuntem vidissent e. i. eruperunt. At dum St. qui episcopum comitabantur voces civium suorum agnovissent gradum sistunt B. i) et quid velint requirunt qui respondentes seque B. k) *deest* B 2a. 2b.* l) ergo — revertimini *desunt* B. m) post haec s. Dei n. B. *In* B 2a. 2b. *sequitur inscriptio:* De simplicitate feminae quae ad sonum campanae lumen recepit oculorum. n) iam B 1. o) r. f. *desunt* B. p) Cui B. q) i. s. *desunt* B. r) aecclesiam orationis causa intrabant B. s) agebat B. t) episcopus B. u) usque in f. *desunt* B. v) stude B. w) p. h. *desunt* B. *Inscriptio* B 2a. 2b. De filio militis lunatico sanato. x) sanandum *add.* B. y) b. q. *desunt* B. z) qui ati ad eum B. *Sequentia desunt usque* perge. *) tuo recipies B 2a. 2b. a) p. c. p. *desunt* B. b) De igne qui in festo S. Laurentii de celo cadens segetes absumpsit B 2a. 2b. c) eo tempore B. d) martiris *add.* B. e) *deest* B. f) episcopi *add.* B. g) Bockeus A 1. h) redarguit B 1. i) natalicius B. k) insensati B.

67) Quod non ita interpretandum tunc praesentem fuisse ipsum Ottonem vid. paullo infra. Neque accurata sunt verba *post haec*, si miracula de quibus III, 21. Iulinae facta sunt; haec miracula Caminae facta illis erant priora.

1127. *necessaria domibus nostris aliquando providere.* Bokeus[a] autem fervens in spiritu: *Scio*, ait, *non inpune vobis violationem huius sacratissimae*[b] *solempnitatis cedere, sed coelesti igne omnia, quae illicite messuistis, consumenda fore noveritis.* Vix haec[c] ediderat, et ecce, iuxta[d] verbum eius ignis Dei cecidit e coelo, tactasque messes eorum usque ad favillam consumpsit[e]. Qui[f] reatum suum agnoscentes, ac pro hoc suppliciter veniam expetentes, in magna deinceps reverentia eximium Christi martirem Laurentium habuerunt, se suaque omnia illi 69 tuenda committentes. Item[g. 68] in urbe Games dicta rusticus quidam cum coniuge sua ad Aug. 15. metendum exierat in solempnitate[h] assumptionis Dei[i] genitricis Mariae perpetuae[k] virginis[k]; quod cernens[k] praedictus[k] viri[k] Dei assecla Bokeus, zelo[l] iustitiae motus redarguit Cf. Herb. ord. III, 30 dicens: *Cessate*[m], *infelices, cessate! nullo modo fas est huic deservire operi in tam celebri sacratissimae matris Domini festivitate.* Erat autem feria 2. Et illi: *Hesternam*, inquiunt, *diem dominicam feriatam*[n] *habuimus; hodie autem operi manuum intendere debemus*[o]. Bokeus autem: *Et hodie*, inquit, *summa devotione feriandum est nobis in honore matris Domini, cuius veneranda assumptio universam Christi exornat aecclesiam.* Illis autem[p] non acquiescentibus, sed obstinata mente coepto labori insistentibus, religiosus sacerdos[q] Bokeus: *Quia*, ait, *verbis meis non creditis, sanguis vester erit super caput vestrum; iam*[r] *nunc transgressionis huius vindictam evidentibus rerum indiciis experiemini!* Nec[s] dum verba finierat, et ecce, rusticus ille[t] incredulus cecidit retrorsum et exspiravit, partemque segetis, quam metendo apprehenderat, tam forti annisu etiam moriens manu retinuit[u], ut nulla quisquam ratione vel manum aperire vel segetem eruere[v] posset, sed mirabili[w] ordine cum hac stupenda alligatione tumulo traderetur[69]. Mulier autem interventu Dei genitricis vitae reservata, sed simili prodigio alligata, scilicet digitis cum segete palmo insolubiliter adhaerentibus, tremens ad virum Dei Ottonem cucurrit, delictumque[x] suum humili confessione dete- 70 gens[70], veniam suppliciter expetiit. A quo protinus consignata, et ad memoriam sancti Adalberti martiris illic constitutam transmissa curata est. Et ex eo specialis dominae nostrae perpetuae virginis reverentia in illis partibus, sicut et in omni christianitatis loco excrevit. Post haec miles[y] quidam frenesi laborans insano clamore et horrendis membrorum motibus cunctis[z] onerosus erat. Socii vero et cooperatores viri Dei inportunitatem Ibid. III, 28. vesaniae[*] eius non ferentes, apprehensum eum in locum, ubi servus Domini orare et missarum solempnia celebrare solebat, attrahunt. Erat enim tabulatum ligneum[*] illic exstructum[a]. Ubi dum miles aliquandiu decumberet, repente sanatus est, et exiliens gratias egit Deo et beato praesuli, multisque verbo et conversatione saluti fuit.

23. *De bello inter Ruthenos ac Stetinenses, et de victoria Stetinensium.*

Sept. Igitur[b] electus Dei pontifex cum legatis Stetinensium ad ducem Pomeraniae tendens, urbem[c] Gaminam adiit, ubi occurrente sibi duce Wortizlao cum omni plebe, debita reverentia, velut angelus Dei, exceptus est. Cumque aecclesiam ingressus, solita Deo precum ymnorumque vota persolvisset, causam pro qua venerat tractare coepit, et uti bonus pastor gregi suo ubique prospiciens, in[d] unitate semper divisa membra aecclesiae paci[e] studuit reformare. Dux autem piissimi apostoli sui verba, acsi coelitus ad eum delata, suscipiens, benigne humiliterque respondit: *Tuum est, pater amantissime, quicquid dignatus*[f] *fueris non petendo a*[g] *me*[g] *sed magis*[g] *praecipiendo exigere; et nos enim et omnia nostra tua sunt, quia in Christo Iesu per euangelium nos genuisti, et*[h] *tenebris ignorantiae nostrae aeterni*

a) presbiter B. b) *deest* B. c) verba finierat B. d) i. v. eius *desunt* B. e) absumpsit B. f) sicque factum est ut cives eiusdem loci ex. Ch. m. B. g) B 2a. 2b. De rustico in assumptione S. Marie pertinaciter metente et moriente. h) *deest* B. i) sanctae M. B 2a. 2b. k) *desunt* B. l) zelo — motus *desunt* B. m) hodie assumptio est matris domini non debetis huic insudare operi B. n) feriavimus B. o) volumus B. Bokeus — aecclesiam *desunt*. p) monitis eius *add.* B. q) presbiter B. r) i. n. *desunt* B. s) haec eo dicente B. t) i. i. *desunt*, cadens B. u) conclusit B. v) eripere B. w) m. o. *desunt* B. x) et reatum suum confessa indulgentiam et sanitatem recepit. *Reliqua usque* post haec *desunt* B. y) *inscriptio* B 2a. 2b. De milite frenetico et sanato. z) videntibus se *add.* B 1. *) *deest* B. a) constructum B. b) *desunt* III, 23—26. venerabile corpus *etc.* B 2a. c) urbem — coepit *desunt* B. d) in — aecclesiae *desunt* B. e) pacem B. f) volueris B. g) *desunt* B. h) et — infudisti *desunt* B.

68) Itaque antecedens quoque miraculum Caminae factum est. 69) Hoc non habet Herbordus l. l. 70) Coram populo et clero dicit Herbordus, apud quem Ottonis nulla mentio. Si miraculum Caminae factum est mense Augusto, Ottone praesente factum esse nequit, qui, ut ex III, 16, 17. patet, tunc adhuc erat Stetinae. Ebbo putavit miracula illa accidisse eodem tempore quo Otto cum Wortizlao de pace ageret cum Stetinensibus.

solis splendorem infudisti. Populus[a] *iste, pro quo petis, durae cervicis est, nec Deum nec homines reveretur, multo iam tempore rapinis et latrociniis regnum meum vastando maculavit; sed tu, pastor dulcissime, efferos mitigasti, de lupis agnos fecisti, ideoque pacis firmissimae gaudia deinceps te mediante obtineant.* [1127.] Statimque legati Stetinensium vestigiis[b] eius advoluti, omnem prioris discordiae occasionem penitus abdicarunt, pacisque osculo a duce percepto, beato[c] pontifici debitas reconciliationis huius gratias egerunt, emptisque[d], prout volebant, necessariis, quod antea discordes nullo modo praesumpserant, in sua ovantes remearunt. Sed[e] quia bonos semper insecuntur mali, et ut Ysaias ait, *qui recessit a malo praedae patuit*, [Isai. 59, 15.] Růtheni paganicis erroribus adhuc irretiti, audita Stetinensium conversione, graviter in- [Cf. Herbord. III, 31] dignati, quod sine respectu et consilio eorum idolis renuntiantes, christianam subissent[f] legem, bello[g] eos lacessere veriti non sunt; et coadunato[h] grandi exercitu, ripas fluminis obsident, aciem horrisono[i] armorum apparatu instructam statuunt[k], et ubi sit Deus eorum[l], vel si invocantibus se succurrere possit, insano[m] clamore perquirunt[n]. Illi[o] autem vexillum dominicae crucis praeferentes[*] primo impetu eos[p] in fugam propellunt. Sequenti nichilominus die, velut canes reversi, iterum christianis bellum indicunt, sed eodem modo victi[q] et confusi, terga vertunt. Tercia die usque ad internicionem deleti, exclamant Deum christianorum invictum esse, et si[r] parceretur eis, nequaquam ulterius temere quid acturos; moxque parcentibus christianis dimissi, cum timore magno et confusione in[s] sua singuli regrediuntur. Antistes autem Domini bona pro malis reddere satagens, eosdem Růthenos, qui plebem adhuc in fide neophitam bello turbare non timuerant, christianis legibus imbuere desiderabat. At illi indurata fronte saepius ei per[t] legatos suos denunciabant, quia si ipse[u] vel quisquam suorum fines Růtheniae praedicandi gratia adire praesumeret, sine[v] mora capitibus amputatis ad lacerandum bestiis exponerentur. Sed[w] ut scriptum est: *Iustus* [Prov 28, 1.] *quasi leo confidens absque timore erit*, piissimus pater alacri devotionis fervore semen fidei Růthenis spargere disponebat, non veritus incredulae gentis experiri feritatem[x]; amator enim[y] Christi ardentissimus dulcem vitam pro dulcissimo Iesu fundere iam olim siciebat. Audiens vero archiepiscopum[71] Danorum, qui dominabatur super eos, edicto domni apo- [71] stolici[z] praedicatorem eis directum, nullo modo sine consensu et voluntate eius[*] id agendum censuit. Unde legatum[a] fidelem Iwanum[b] nomine[c] Danorum pontifici direxit, qui[d] sollicite investigaret, si iuxta mandatum apostolici Růthenis verbum salutis erogare disponeret, vel si eum sponte se ingerentem opus euangelii vice sua aggredi mallet; per quem etiam more suo, quia liberalissimus semper erat, praefato Danorum praesuli balsamum novum cum stola preciosa transmisit. Iwanus vero tarde post 6 ebdomadarum circulum [Oct. ex.] reversus, responsum archiepiscopi retulit[e], videlicet se cum principibus terrae suae et[f] natu maioribus quid de his[g] censeant proxima synodo collaturum, hocque[h] sibi quantocius legatione fida designaturum. Sed et naviculam butyro refertam idem archiepiscopus beato patri nostro pro munere direxit.

24.[i] *De revocatione sancti Ottonis per regem*[k] *Lotharium, et de ipsius reversione ad propria.*

Interea gloriosissimus rex Lotharius ceterique principes diuturnam eius[l] absenciam aegre ferentes, utpote[m] qui consiliis et piis actibus prae ceteris tunc episcopis regnum nobilitare consueverat, auctoritate sua ei ut celerius redeat praecipiendo simul et petendo[n] mandavit[o], adeo[p] ut ipse rex, qui arctius eum diligebat, iureiurando affirmaret, se res aecclesiasticas in suum redigere velle dominium[72], nisi[q] quantocius sponsam suam aeccle- [72] siam Babenbergensem diu viduatam pastor pius desiderato reditu consolando recrearet.

a) tu enim populum d. c. ad culturam Dei flexisti efferos mitigasti ideoque p. B. b) pedibus eius B. c) beato p. *desunt* B. d) episcopo et sic pacem reportantes in sua beati redierunt B. e) *inscriptio* B 2a. 2b. De Ruthenis per orationem eius a Pomeranis devictis. f) recepissent B. g) pro diis suis pugnare v. n. s. B. h) congregato B. i) *deest* B. k) ordinant B. l) christianorum B. m) blasphemantes B. n) inquirunt B. o) interim apostolo Pomeranorum ad Deum orante Stetinenses v. B. p) Růthenos B. q) repercussi B. r) si — dimissi *desunt* B. s) i. s. s. *desunt* B. t) p. l. s. *desunt* B. u) ipse — suorum *desunt* B. v) sine — amputatis *desunt* B. w) sed — disponebat *desunt* B. x) veritatem A 1. y) autem B. z) pape B 1. *) ipsius hoc opus sibi aggrediendum c. B 1. a) l. f. *desunt* B. b) Ywanum A 1. *et infra.* c) quendam B. d) q. voluntatem eius super hoc negocio requireret. Praeterea praefato D. pr. B. e) in hunc modum *add.* B 1. f) et n. m. *desunt* B. g) sibi faciendum *add.* B. h) *reliqua usque ad finem capitis desunt* B. i) *caput* 32 *in* A 2. k) L. Romanorum regem *reliqua desunt, in margine* Ebbo A 2. l) beati viri B. m) utpote — redeat *desunt* B. n) sibi *add.* B 1. o) mandabant B 1. mandant B 2a. 2b. p) adeo — nisi *desunt* B. q) ut se q. expediret et Babenberg. aecc. desiderato suo reditu rec. B.

71) Adcerium Lundensem. 72) Quod vix ob amorem erga Ottonem minatus est Lotharius; cuius con-

1127. Apostolus itaque Pomeranorum his legationibus contraire non valens, antequam responsum archiepiscopi Danorum reciperet, ad sedem suam redire compulsus est. Visitatis ergo
Nov. in. circumcirca[a] fidelibus et in fide confirmatis, Christo cui crediderant eos[b] commendans, iter cum suis aggressus est. Cumque emenso itinere Poloniam venisset, dux Polizlaus, anti-
Nov. ex. quus suae familiaritatis custos, debiti[c] honoris reverentia eum excipiens, in[d] metropolitana Gnezensi aecclesia secum detinuit, tantaque[e] mellifluae eius doctrinae incendebatur[f] aviditate, ut evolutis 8 diebus vix dilecto patri licentiam abeundi indulgeret. Tandem longa[g]
Dec. 20. peregrinationis huius angaria[h] Christo[i] favente peracta, in vigilia sancti Thomae apostoli
Cf Herbord. III, 32. novus[k] nostri temporis apostolus aecclesiam suam desiderabili[l] adventu laetificans, omni utriusque professionis et sexus plebe in unum concurrente[m], velut angelus Dei susceptus est. O quam inaestimabili spiritualis laetitiae tripudio fideles Christi, quorum specialis
73 pater et nutritor piissimus hic erat, post tanti temporis[73] peregrinationem, post acquisitum summo Patrifamilias novum gregem, quasi de morte redditum pastorem suum exceperunt! O quam desiderabile fuit videre et audire tantam exercitus Christi multitudinem, non solum canonicis sed et monachis nobiliter refertam, uno devotionis ardore, cum lacrimis spirituali gaudio plenis, in occursu eius dulcisono psallentem: *Domine, suscipe me, ut cum fratribus meis sim, cum quibus veniens invitasti me.* Et congrue satis haec suavissima Iohannis apostoli verba — quem singulari affectu patronum sibi elegerat, ita ut cottidie se obitumque suum intimis ei precibus commendaret — pio Ottoni post secundum iam apostolatum triumphanti ab omnibus filiis suis iubilo cordis et oris concinebantur; quia beatus hic me-
1 Reg 2, 30. mor verbi Domini per prophetam dicentis: *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum, qui autem contempnunt me, erunt inglorii*, omne studium, quod alii pontifices et principes mundanis lucris et castellis atque urbibus aedificandis insumebant[n], hic Deo tantum et sanctis eius honorabiliter et officiosissime exhibebat, scilicet aecclesias Christi cellasque fidelium nunc quidem a fundamentis construendo, nunc vero ab aliis constructas donis optimis illustrando, ne super arenam quantocius casura, sed potius supra firmam petram in aeternum mansura conderet habitacula[o].

25. *De visione religiosi Lipoldi presbiteri de obitu sancti Ottonis.*

1134. Cuius aedificationis gloriam in aeterna sibi patria repositam quidam[p] ex fratribus nostris religiosus presbiter Lipoldus[q] nomine ante quinquennium dormitionis beatissimi huius patris in visione tali Domino revelante meruit contemplari: Montem quendam praecelsum et omni amenitate iocundum contra orientem oculos dirigens aspexit, cuius quidem speciosum cacumen ascendere non potuit; sed deorsum stans vidit multitudinem copiosam plebis utriusque sexus et aetatis ingentia lapidum pretiosorum onera super verticem montis magna cum exultatione attrahere, ac suavissimum quoddam melos, quod intelligere non potuit, dulci modulatione concinere. Tunc accedens, vacillante licet gressu, quendam ex eis canitie veneranda conspicuum vocavit, et quae haec esset multitudo, vel cur lapides illos in cacumen montis attraherent, inquisivit. At ille: *Nos*, inquit, *sumus, qui elemosinas et beneficia plurima a pio Ottone percepimus, ideoque domum pretiosam ei in supercilio montis huius aedificamus.* Cui Lipoldus: *Et quando*, ait, *domus haec consummabitur?* Ille vero: *Post quinquennium*, inquit, *perfecta domo cum laetitia et exultatione huc eum introducemus, sed tu cave, ne cuiquam haec ante quinquennii tempus expletum manifestare praesumas.* Et his dictis

a) igitur circumquaque B. b) devote *add.* B 1. c) solita eum benignitate ex. B. d) in — detinuit *desunt* B. e) *deest* que B. f) intendebat A 2. B. g) longo B. h) labore consummato B. i) Christo — peracta *desunt* B. k) Otto Deo dignus episcopus et Pomeranorum ep. B. l) suo *add.* B. m) summa cum iocunditate et spirituali gaudio pater a filiis suscipitur B. *reliqua desunt.* n) inserviebant A 1. o) explicit liber tercius de vita peregrinatione et predicatione sancti Ottonis Babenbergensis episcopi ac Pomeranice gentis apostoli *addit* A 2. *est finis libri III. in* A 2. p) *hic incipit IV, 2. in* A 2. *ita inscriptum:* De visione ostensa presbytero Lippoldo de transitu sancti Ottonis. *Deest hoc caput* B. q) Lyppoldus A 1.

silium in revocando eo hoc fuisse videtur, ut in Franconia defensorem haberet contra Conradum Staufensem, qui medio anno 1127 in episcopatu Babenbergensi armis longe superior erat. Cf. litt. Wignandi Tarisiensis supra II, 16. Postea 16. Aug. 1136 Lotharius Ottoni privilegio donavit *tributa quatuor provinciarum Sclaviae perpetuo iure possidenda — Crozwine cum Ruochowe, Lesane, Meserechs et Sitne insuper et Tribusses — quia praefatus episcopus Otto in destruenda idolatria et convertenda illorum barbarie primus laboravit; — aecclesias etiam quas a fundamentis exstruxit et omni apparatu necessario instruxit sine contradictione sibi et aecclesiae suae optineat.* Vid. Cod. Pom. dipl. I, 32. et Jaffé Lothar p. 180. an. 9. 73) novem mensium, 3. April. — 20. Dec. 1127.

sublata est visio, quam tempore dormitionis beatissimi patris nostri ex ore eiusdem senioris Lippoldi audivimus, qui et ipse tunc aegritudine[a] gravi et longiturna decumbebat, et morbo confectus 7. Idus Augusti beato fine requievit in Domino[74]. Sed[b] ut ad priora recurram[c], 1139. Aug. 7. pius pater noster Otto post longam reversus peregrinationem, more suo nos visitans, utpote cum quibus cor unum et animam habebat, requisivit, quinam ex nobis eo absente viam universae carnis ingressi essent. Hoc enim semper de profectione qualibet rediens affectu paterno solebat inquirere. Tunc autem sanctae recordationis Adalbertus elemosinarius, verus Dei servus et sibi familiarissimus, ad Christum, cui mente et corpore indefessam exhibuit servitutem, migraverat[75]. 1127 Oct. 27. Cuius transitu vir beatus audito, totus in lacrimas resolutus, se infelicem clamitabat, quod tam beatae animae ad patriam claritatis aeternae migranti solempne funeris obsequium exhibere non meruisset. Erat namque idem frater noster Adalbertus tanto divini amoris igne succensus, ut cottidianis atque uberrimis lacrimarum fontibus gaudia coelestis patriae anhelaret, corpus etiam vigiliis ac ieiuniis convenienter attenuaret. Huic servo Dei pauperum cura erat delegata, quam tanta humilitatis devotione agebat, ut ad exemplum Martirii monachi, de quo beatus Gregorius refert[76], propriis humeris leprosos baiularet, et tam eos quam et alios diversis morborum generibus pressos, quos videre horrori erat, suis manibus alacriter balneis et lavacris unguentisque foveret. Cuius fervori pius Otto congratulatus, omnia alendis inopum turbis oportuna liberaliter ministrabat[d]. Nec his contentus, etiam per semet ipsum famis tempore pauperibus serviebat, ut non tam oblatione munerum, quam etiam proprii corporis sudore gratum Deo elemosinae sacrificium celebraret. Multitudine autem innumerabili prae famis magnitudine ex omni regione ad eum[e] confluente, erant quidam inter eos fortiores, qui debilioribus alimenta violenter manibus extorquentes subripiebant. Quorum clamorem ac ploratum vir beatus ferre non sustinens, prudenter huic negotio occurrit, suisque imperat, ut primum convenientibus eis, quoslibet corpore valentiores segregatos uno[f] omnes in cenaculo concluderent, donec infirmis ac debilibus victum congruentem suis manibus ministraret, quos statim abire longiusque de loco secedere iubet, ne, sociis de cenaculo emissis, iterum praedae fiant. Tuncque demum ingressus, pauperibus inclusis largam alimoniae opem exhibebat, praecipiens, ne amplius violentiam hanc fratribus suis inferre praesumerent. Haec apud suos agebat. Extraneis autem et etiam trans mare positis Christi pauperibus per fideles nuntios munificus apparebat; nam per karissimum fratrem nostrum Eberhardum, adhuc in ordine canonicorum Christo militantem[77], xenia sua Ierosolimam transmisit, 77 sicut et semper religiosis quibusque sepulcrum Domini visitantibus agere solebat. Sed et pecuniae maximam quantitatem Hirsaugiensibus aliisque monasteriis longius remotis per fratrem nostrum Swiggerum famis tempore dirigebat, ideoque Christi bonus odor in omni loco erat.

26.[g] *De transitu sancti*[h] *Ottonis episcopi*[i].

Igitur completo[k] cursu praesentis vitae in senectute bona, cum iam tempus adesset, ut fidelis[l] dispensator[m] summi Patrisfamilias in gaudium Domini sui intraret, pius[n] Otto dolore corporis[o], id est[p] fluxu sanguinis vehementissime[q] tactus est, ut, velut aurum[r] in camino aegritudinis purgatus, introire mereretur aulam, quae nullam recipit maculam. Sed ipse memor[s] scripturae dicentis: *Quem diligit Dominus, corripit*, et in alio loco ipsum Prov 3, 12. Dominum loquentem: *Ego quos amo, arguo et castigo*, gratias agebat[t] in infirmitatibus Apoc. 3, 19. suis, regemque gloriae in decore suo videre desiderans, exitum suum Deo ac beato[u]

a) *alia manu adscriptum* A 1. egritudine *post* decumbebat A 2. nobisque cum lacrimis haec referebat *leguntur apud Gretserum, desunt* A 1. 2. b) *in* A 2. *incipit IV*, 3. *inscriptum:* De visitatione fratrum in monte sancti Michaelis per sanctum Ottonem facta. c) redeam A 2. d) subministrabat A 2. e) a. e. *desunt* A 2. f) immo A 1. g) *est IV*, 4. *in* A 2. *Sequentia eodem ordine usque ad finem leguntur in Andreae chronico Babenbergensis mon. S. Michaelis* A 3. *a nobis signato. Lectionum varietas paene nulla est.* h) pii A 2. i) *deest* A 2. k) completo bona *desunt* B. l) Otto pius B. m) et fidelis servus B. n) vehementissimo d. B. o) *deest* B 2ª. 2ᵇ. p) videlicet B. q) *deest* B. r) fornace probatur sic ipse *add.* B. s) vero B. *Reliqua desunt usque* castigo. t) Deo *add.* B. u) beatis angelis cottidianis B.

74) Jaeck Verzeichniss in Beiträge I, p. LXVI 75) Hunc annum et diem mortis dedit Jaeck in catalogo abbat. et sacerdot. S. Michael. Beiträge zur Kunst- und Litt. Gesch. I, p. LXVII. Hoc quoque argumentum est quo secundum Ottonis iter a. 1127 factum probatur. 76) homilia 39 in euangel. 77) Ut videtur Eberhardus cuius mors annotatur sub 15. Mai. 1162; alius ad 1. Nov. 1151; Jaeck Verzeichniss p. LXIII. LXVIII.

1139. Michaeli sanctoque Iohanni apostolo, quos speciales sibi patronos elegerat, cottidianis suspiriis attencius commendabat. Tantum vero lumen aecclesiae dum infirmando obscurari coepisset, Christi fidelibus[a], omni tempore dulcissimo eius affectu et provisione enutritis, inaestimabilem moeroris fletusque caliginem obduxit. Sed pius pater filiorum lacrimas, quantum poterat, consolando tergebat, tantaque virtute artus[b] morbo fatiscentes spiritui servire cogebat, ut, excepta dormicionis suae die, non lecto decumberet, sed cottidie in sede sua residens, interdum quoque[c] baculo sustentante procedens, psalmis et orationibus vacaret, quodque rarum est[d], etiam oleo infirmorum non iacendo sed sedendo perungere-
Iun. 29. tur. Adveniente igitur festivitate sacratissima apostolorum Petri et Pauli, cernens diem vocationis[e] instare, Egilbertum, maioris[f] aecclesiae decanum, qui ei in episcopatu succes-
77 sit[77], evocat[g]. Cui, adstantibus religiosis[h] abbatibus et presbiteris, omnia sua commendavit[i], dicens: *Hodie natalicius dies est domini mei principis apostolorum Petri et Pauli*[k], *cui, quaeso, res a Deo michi donatas offerte, ut ipse michi ianuam regni coelestis aperire, et cum collega suo, magistro gentium Paulo, me illuc quantocius dignetur introducere*[l]. *Locum requiecionis meae, montem videlicet patroni mei beati Michahelis archangeli, quasi viscera mea, fovete, et tam*[m] *in spiritualibus quam etiam temporalibus profectui eius in consolationem animae meae omnimodis*[n] *invigilate. Scitis*[o] *enim quam exiguus et tenuis*[p] *omnique monasticae religionis vigore destitutus hic locus a me sit inventus, et quomodo cooperante Deo per ministerium meum ad tantum spiritualis vitae culmen profecerit, ut speculum et gemma omnium in hac regione monasteriorum a cunctis censeatur. Praestet Dominus, ut nomen hoc inviolabile usque ad finem obtineat, cunctisque fidem ei et reverentiam servantibus pax et benedictio hic et in aeternum a Deo recompensetur! De cetero dilectionem vestram cum universo ovili meo summo pastori, qui vos michi assignare dignatus est, commendo. Ipse vos integros michi reconsignet in requie claritatis aeternae!* Et data super eos benedictione, non sine lacrimis paternum[q] amorem testantibus emisit[r], sumptoque misterii salutaris viatico, pervigil in orationibus excubabat,
Iun 30. ut pulsanti et[s] vocanti Domino cum exultatione aperiret. Nocte ergo, qua festivitas sancti Pauli apostoli agebatur[t], in supremo spiritu constitutus et iam carne praemortuus, corde[u] tamen et flagrantissima voluntate divinis intendebat laudibus, ita ut clericis matutinale coram eo officium personantibus, ille elevatis[v] manibus sursumque oculis desideranter[w] erectis, ad singulas lectiones voce qua poterat *Deo gratias*, responderet[x]. Sicque pius Otto feria 6,* hora diei prima spiritum Deo reddens, beatis sedibus et semper karissimo tandem perfruitur Christo.

Virg Aen XI, 139. Et iam fama volans tanti[y] praenuncia luctus

non solum vicina sed et remociora quaeque monasteria, iugiter ab eo necessariis vitae admi-
Psal. 59, 5. naculis sustentata, inaestimabili perculit moesticia. Nec inmerito. Ostendit enim Dominus
Thren 3 15. populo suo dura, potavit[z] eum* vino compunctionis et inebriavit absinthio, cum patrem desiderantissimum sustulit, cuius defensione et elemosinarum virtute pax aecclesiae tanto tempore nobiliter florebat, sub[a] quo monasticae religionis perfectio nova de die in diem incrementa capiebat. In quo deinceps patrono tam solidum erit pauperum Christi solacium? Qui
2Cor 11, 29. iure cum apostolo aiebat: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* Quis ad eum tristis venit, et non gaudens abscessit? Quis opem eius in tribulatione sua expeciit, et non impetravit? Merito itaque transitum eius aecclesia flebat, de cuius vita tantopere gaudebat. Sed[b] fides resurrectionis flere prohibet, gemitum vero affectus extorquet; etenim

a) pauperibus; omni — dulcissimo *desunt* B. b) inbecillia membra B. c) etiam *add.* B 1. d) infirmis *add.* B 1. e) suae *add.* B. f) m. aecel *desunt* B. g) evocabat B 1. h) multis nobilium personis B. i) commendabat B 1. k) et P. *deest* A 2. B. l) Pecuniam vero quam ego pro comparanda huic aecclesiae abbatia Breitingen (Bretingen B 2ª. 2ᵇ.) congregaveram, per monasteria nostra iuxta sapientiam coelitus vobis collatam distribuite, eamque sublevationibus pauperum Christi copiosius expendite. De cetero l. r. *add.* B. m) tam — temporalibus *desunt* B. n) *deest* B 2. 2ᵇ. o) scitis — de cetero *desunt* B. p) t. et ex. A 2. q) eis valedicens em. B. r) eos *addit* B. s) et v. *desunt* B. t) agitur Otto apostolus Pomeranorum B. u) corde — ita ut *desunt* B. v) *deest* B. *pergit* s. erectis oc. ac m. Deo gratias. w) inde *alia manu adscriptum* A 1. *deest* A 2. x) respondebat B. *ubi sequuntur haec.* Ubi enim erat thesaurus suus, ibi erat et cor suum. Turba autem plurima religiosarum personarum ad visitandum beatissimum patrem de nocte consurgens, circa eum stabat exspectans, debitis psalmorum solempniis exitum eius Domino commendans. Hora autem diei prima pius Otto audiens a spiritu, ut requiescat a laboribus suis coelo reddidit animam, beatis nimirum angelis, quibus in vita sua servierat, suscipientibus eam, foventibus et protegentibus eam et in aeterna tabernacula sua recipientibus eam. Et iam fama *etc.* y) *deest* B 2ª. 2ᵇ. z) potavitque B 1. *) eos A 1. a) sub — capiebat *desunt* B. b) sed — gaudeat *desunt B.*

77) Obiit 29. Mai. 1146; cf. Jaffé Conrad III. p. 294. *) Accurate haec incidunt in d. 30. Iun. 1139.

tam sancta est de illius gloria exultatio, quam pius de transitu luctus. Ignoscendum est 1139. flentibus, gratulandum gaudentibus, quia et[a] pium est gaudere Ottonem, et pium est flere Ottonem, dum unusquisque et sibi praestat, ut doleat, et illi debet, ut gaudeat. Venerabile corpus eius a religiosis viris curatum et aromatibus conditum, per singula monasteria est deportatum, illicque vigiliarum excubiis ac missarum solempniis[b] honoratum. Ad extremum[c] in montem sancti Michahelis archangeli, specialis patroni sui, defertur, ibique in aecclesia, quam ipse vetustate[d] collapsam in maiorem statum a fundamentis reaedificaverat, debito cum honore excipitur. Illic vero in obsequium funeris credi non[e] potest, quanta hominum multitudo confluxerit. Tota[f] obviam corpori civitas ruit[g], cuncti ex agris atque vicis, multique ex aliis urbibus et regionibus affuerunt. O quantus luctus omnium! Quanta praecipue moerentium lamenta monachorum et pauperum Christi, qui velut pulli sub alis piissimi patris securi tanto tempore quieverant, seque tam desiderabili nutritoris sui praesentia fraudari ac defensione nudari cernebant! Quodque sine gemitu[h] referre non possumus, cum sacerdotes religiosi corpus sacrum[i] choro sancti Michahelis inferrent humandum, ubi ad limen interius ventum est, praecentor[k] antiphonam: *Domine, suscipe me*, imposuit, tantusque subito ploratus omnium exortus est, ut ipsi etiam funeris baiuli nimio fletu concussi, cum feretro subsiderent ac paene terrae procumberent[l]. Deinde missarum[m] celebritate a venerabili[n] Imbricone[o] Wirtzeburgensi episcopo[p] celebrata, idem[q] praesul[q] sermone[r] suavissimo ad populum habito[s] — erat enim magnum verbi tonitruum — testimonium Iheremiae prophetae[t] pii[u] Ottonis personae adaptavit[v]: *Olivam uberem, pulchram,* Ierem. 11, 16 *fructiferam et speciosam vocavit Dominus nomen tuum*, tantaque[w] mellifluae praedicationis suavitate se cunctis mirabilem fecit, ut vere Spiritus sanctus per os eius credatur esse locutus. Hoc ordine dilecti[x] patris corpus ante altare beati Michahelis archangeli mau- Iul. 3. soleo suo inpositum pia fidelium devotione ex tunc et deinceps frequentatur[y]. Et[z. 78] ne quid de exuviis vigilantissimi pastoris devoto gregi deesset, etiam intestina eius, dum aromatibus condirentur, excisa et in urnam missa, in medio capellae Dei genitricis terrae mandata et rotundo lapide signata sunt, ut, dum fratres ad celebranda divinae servitutis munia illuc nocte dieque accurrunt, dilecti patris memoriam prae oculis habeant, et beatissimam eius animam assiduis precibus in alta coelorum sustollant. Imbrico autem beatae recordationis[*] antistes post depositionem pii Ottonis miro affectu montem sancti Michahelis excolere non desiit, qui etiam cum suspiriis intimae compunctionis attestari solebat, nunquam se tantam exequiarum gloriam vidisse, beatumque Babenbergensem populum, qui revera evidentibus rerum indiciis in transitu pastoris sui approbasset, quam flagrantissimo amore viventi iugiter adhaeserit[a].

a) *deest* A2. b) est *add.* B. c) autem *add.* B. d) v. c. *desunt* B. e) nec dici *add.* B. f) tota — cernebant *desunt* B. g) fuit A2. ivit A3. h) lacrimis B. i) exanime B. k) praecentor — imposuit *desunt* B. l) *desinit IV, 4. in* A2. *Sequitur IV, 5. Imbriconis laudes Ottonis continens.* m) m. c. a. *desunt* B. n) venerabilis I. B. o) Ymbrico *semper* A1. p) missa *add.* B. q) *deest* B. r) sermonem fecit ad p. B. s) habito — tonitruum *desunt* B. t) beati B. u) *deest* B. v) pulcre adaptans B. w) tantaque — locutus *desunt* B. x) sancti viri B. y) et miraculorum gloria mirifice sublimatur B. *reliqua desunt.* z) *sequentia sunt extrema cap. IV, 5. in* A2. *) memoriae A2. a) *ita* A3. inhaeserit A1. 2. Explicit vita sanctissimi ac piissimi Ottonis episcopi et Pomeranorum apostoli A1. *In* A3. *sequuntur quaedam ab Andrea interpolata, dein cap.* 27.

78) Omnia quae usque ad finem libri sequuntur quin Ebboni sint vindicanda nullus dubito. Verba *Et ne quid — adhaeserit* hoc iusto loco in priore textu servavit Andreas (A1.), in posteriore vitae exemplari (A2.) falso ea inseruit libello monachi S. Michaelis de miraculis Ottonis. In his verbis habes exsequiarum testem oculatum et monachum S. Michaelis, virum qui audivit Imbriconem *(attestari solebat)*. Num potest alius auctor inveniri nisi ipse Ebbo, cuius stilum deprehendis in his quoque verbis? Sequens c. 27 in A1. est c. 11 libri de miraculis ita inscriptum: *De puero gravi infirmitate detento*, in A2. est c. 6 eiusdem libri *De puero infirmo sanato*. Nostram inscriptionem desumsimus ex B2[a]. 2[b]. in quibus sine numero legitur hoc ipso loco i. e. post narrationem de exsequiis Ottonis sub finem libri tertii. Invenit igitur librarius cod. B. hoc miraculum in Ebbonis vita Ottonis, suoque more in compendium redegit narrationem. Eidem auctori eandem historiolam debet etiam auctor libri de miraculis et elevatione Ottonis c. 2, qui Ebbonis vitae subiunctus est in codd. B. In toto capite 27 auctorem audis coaevum, qui narrat antiquissimum Ottonis miraculum paullo post eius obitum factum. Otto est auctori *pius, pater noster*, monachi S. Michaelis sunt *fratres nostri*, in quibus omnibus eundem ut in reliquo libro habes Ebbonem. Eodem ordine ultima haec Ebbonis capita exscripsit Andreas in chronico monast. S. Michael. msc., quo nostra sententia firmatur.

27. *De*[a] *puero post mortem eius sanato.*

Eo tempore[b] puer quidam decennis nomine[c] Otto, in loco Babenbergensi dudum a parentibus studiis liberalibus traditus, gravi aegritudine pressus decumbebat, iamque per triduum morienti[d] simillimus absque[e] motu et voce remanserat. Sed[f] et religiosi fratres nostri Burckhardus, Godescalcus et Albero a matre eius evocati, descenderant, ut debitum funeris officium puero migranti peragerent. Mater[g] autem Hosterhildis[h] nomine, quae iam unici filii cruciatum videre non poterat[i], fide ardentissima montem sancti Michahelis ascendens, sepulchrum pii[k] Ottonis adiit, ibique lacrimis ubertim profusis[l], huiusmodi[m] precem emisit: *O serve Dei vivi, o pater piissime pauperum Christi, succurre infelicitati meae, quae iam per triduum unico orbata sum filio; et si unquam viscera compassionis habuisti, nunc quoque miserere calamitati meae, tuoque*[n] *interventu obtine, ut puer aut vitae quantocius restituatur, aut celeri fine, si ita necesse est, subtrahatur, ne tam diutino cruciatu dolorem non ferendum visceribus meis ingerat, ut per hoc accepta Deo pietatis tuae opera cognoscam.* Nec mora ubi domum rediit, filium, quem in supremo spiritu reliquerat, loquentem et sanum[o], cunctosque prae gaudio flentes invenit. Et[p] cadens in faciem, ex[q] omnibus cordis medullis gratias agebat, dicens: *Nunc cognosco, serve Dei fidelissime, qualem inveneris gratiam in conspectu eius, quem semper misericordiae operibus honorare solebas, quia unicum filium, ab ipsis faucibus mortis erutum, pia intercessione michi reddidisti sanum.* Quod factum memorabile dum bono pastori Egilberto[r], successori patris nostri, relatum fuisset, non modico exhilaratus est gaudio, positisque genibus Deo gratias agens, felicem sancti Michahelis montem[s] pronunciavit, qui tam preciosum in sinu suo meruit collocare thesaurum. Mater[t] vero pueri tirocinio Christi eum delegavit, et pro amore pii Ottonis non aliis quam fratribus ad memoriam eius die noctuque excubantibus illum sociari passa est. Qui etiam in scola Christi educatus, strenuae nobilitatis adolescens, probitate morum Deo et hominibus acceptabilis factus est[u].

79 Sunt[79] et alia multa[v] beati praesulis gesta, quae scripto[w] comprehendi non possunt, sed ab illo comprehensa et dinumerata sunt, qui et hic bonorum eius operum aspirator[x] et illic fidelis dinoscitur remunerator. Qui etiam non[y] sine causa gloriosum[z] eius transitum in festivitate sancti Pauli apostoli disposuit, set[*], ut cunctorum sapientum iudicio diffinitum est, quia beatus ille senectutem suam in apostolatu remotissimarum gentium pro amore Dei fatigare non dubitavit, etiam laboris sui praemium in eius solempni[a] natalicio, qui proprie magister et praedicator[b] est gentium, percipere meruit. Dignum enim erat, ut, sicut doctorem gentium specialius[c] prae ceteris[d] imitari studuit, ita etiam unum et parem cum eo habeat natalem[e]. Gaudeat ergo Babenbergensis aecclesia tanti pastoris auctoritate illustrata, laetentur monachorum catervae, singularis huius patroni vigilantia ad tantum religionis culmen provectae, exsultet praecipue mons archangeli Michaelis tam pretiosi

a) *ita inscriptum* B 2a. 2b. *sine numero capitis.* A 1. *est* IV, 11. De puero gravi infirmitate detento. A 2. IV, 6. De puero infirmo sanato. b) eo t. *desunt* B. c) n. O. *desunt* B. d) mortuo B. e) a. voce et sine motu B 1. f) sed — peragerent *desunt* B. g) cuius m. cum amplius unici f. B. h) Osterhildis A 2. i) posset B. k) beati praesulis O. B. l) perfusis A 1. m) per merita et suffragia eiusdem sancti patris a Deo sanitatem filio expeciit. *Reliqua usque* cognoscam *desunt* B. n) tuo quoque A 2. o) sanum et loq. A 2. p) ipsaque protinus B 1. ipsa quoque B 2a. 2b. q) procidens in voce exultationis et confessionis g. a. Deo et sancto confessori. *Reliqua usque* sanum *desunt* B. r) eiusdem p. s. rel. B. s) et a Deo visitatum B. t) mater — factus *desunt* B. u) A 3. *habet quasdam lineas quae sunt Andreae, in sequentibus textum exhibet receptum.* v) beatifica et magnifica b. huius pr. B. w) scripto — sed *desunt* B. x) inspirator B 1. y) *n. s. c. post* transitum B. z) gloriosissimum A 2. *) *deest* B 1. a) *deest* B 1. b) doctor B. c) *deest* B. d) gentibus euangelizando *add.* B. e) Amen. Explicit de vita sancti Ottonis Babenbergensis episcopi B 1. *reliqua desunt* B.

79) Quae sequuntur usque ad finem item Ebboni sunt vindicanda. Est peroratio totius operis. Verba *Sunt et alia — habeat natalem* sunt ultima in codicibus B. libri Ebboniani; in A 1. Andreae omnia usque *saecula saeculorum Amen* leguntur in c. 11. libelli de miraculis Ottonis auctore monacho S. Michaelis; in utroque codice cum miraculo c. 27 arcte coniuncta sunt; in A 2. est ultima pars libri de miraculis, inscripta *conclusio totius operis.* Nemo facile plenas has Ottonis laudes Andreae auctori adscribat; neque eius sunt qui libellum de miraculis composuit; unice a viro coaevo haud ita diu post Ottonis mortem scribi potuerunt, et, ut probari videtur verbis *Ecce quod concupicit* etc., tempore quo Otto nondum receptus erat in agmen sanctorum. Nullibi enim in hoc capite *sanctus* appellatur, sed *beatus praesul, tantus pastor, novus apostolus,* quae sunt Ottonis nomina Ebboni usitatissima. Si vero pars prior capitis 27 Ebboni debetur, quidni haec altera, quae illam sequitur? Si Ebbonis est haec peroratio, auctor libri de miraculis c. 27 ex Ebbone eam descripsit, ut iusto fine suum libellum ornaret.

corporis sepultura dedicatus et ex membris eius tanquam margaritis ornatus, iubilet etiam in laetitia cantans canticum novum apostolo suo omnis Pomerania, quia ipsius gratiae ascribitur, quod illorum aecclesia nova semper sobole fecundatur[80]. Impletum est in eo, 80
quod electis veritas repromittit dicens: *Fortitudinem gentium comeditis, et in gloria eorum* Ies. 61, 67.
superbietis, et quod sequitur[a], *propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, laetitia sempiterna erit eis.* Terra enim electorum est proprie terra viventium, ubi beatus ille duplicia possidebit, quia non solum pro commisso sibi talento, in Babenbergensi aecclesia duplicato, sed etiam pro alia quam de gentibus Christo acquisivit sponsa reposita est ei corona iustitiae. Nam cum Petrus Iudaeam, Paulus Graeciam, Andreas Achaiam, Iohannes Asiam, Thomas Indiam, Gregorius Angliam ceterique dominici gregis arietes, singuli suos aeterno[b] iudici reportant manipulos, Otto etiam inter eos Pomeraniam gaudens adducet, et cum praeposito paradisi Michaele, cui vivens specialius servire non desiit, et corpore etiam moriens adhaerere maluit, in tabernaculo Dei iugiter habitabit. Sciens enim, quia paradisum intrare non poterit, qui praepositum eius Michaelem placatum non habuerit, tanta se ei devotione et corpore et anima per omnia studuit applicare, ut litteris etiam ad apostolicum Innocentium missis locum sepulturae suae in basilica sancti Michaelis auctoritate eius firmaret, ne scilicet canonici maioris aecclesiae tam pretiosum huic monti violenter abriperent thesaurum. Ecce, quod concupivit, iam videt, quod speravit, tenet. Illi est iunctus in coelis, quem tota mente dilexit in terris, cum quo assidua intercessione alumpnis suis patrocinari dignetur, ut eum subsequi ad patriam claritatis aeternae valeamus, praestante domino nostro Iesu Christo, qui vivit et regnat in[c] secula seculorum. Amen.

MONACHI PRIEFLINGENSIS VITA OTTONIS EPISCOPI BABENBERGENSIS.

PROLOGUS IN VITAM OTTONIS BABENBERGENSIS[d] EPISCOPI.

Moyses cum de Amalech victor existeret, iussum ei a Domino est, quatinus et ruinam hostium et Israheliticae plebis victoriam memoriae[e] commendaret. Ita enim in exodo scriptum legimus: *Et dixit Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monimentum in libro, et trade in* Exod 17, 14
auribus Iosue: Delebo memoriam Amalech sub coelo. Sed quorsum haec tam alto repetita principio? Videlicet ut advertas, si reproborum ad hoc poena describitur, ut mala eorum actio vitanda monstretur[f], multo magis patrum praecedentium gesta debere conscribi, ut eorum qui voluerint virtutes valeant imitari. Si enim eorum, quorum est memoria delenda sub coelo, memoriae mandatur interitus, multo magis sancti cuiuslibet vita commendanda memoriae est, cui congruit illud in psalmo: *In memoria aeterna erit iustus.* Quocirca com- Psal. 111, 7
munis pater noster Otto episcopus digne in memoriam vertitur hominum, qui humanis rebus exemptus ad gaudium transiit angelorum, quique in hoc adhuc corpore constitutus, iugi bonorum operum meruit exhibitione, ut sit memoria illius in corde et in ore fidelium in aeterna benedictione. Igitur aliqua de gestis ipsius[g] Domino opitulante scribenda suscepimus, tam pro aedificatione legentium quam pro honore gestorum. Verum ne quis aestimet fabulosa quae scribimus, ea tantum, quae vel ipsi pro certo cognovimus, vel quae a notis religiosisque personis nobis sunt comperta, narramus, ita laboris nostri expectantes[h] a Deo mercedem, sicut puram et simplicem hystoriae exequimur veritatem.

LIBER PRIMUS[i].

1. Erat itaque memoria nostra venerabilis quidam ac Deo dignus antistes Otto nomine, Ebbo I, 1
ex religiosa et nobili Suevorum prosapia oriundus, in cuius exortu vere dixerim multos fuisse c. 1062.

a) *deest* A2. b) eterni iudicii A1. c) per omnia secula s. A3. d) Babemb. 3. e) *deest* 1. f) demonstretur 2. g) eius 2. h) a Deo exp. 2. i) Vita eiusdem 3.

80) Spectat fortasse ad fundationem monasterii Stolpensis a. 1153. Cod. Pom. diplom. I, 48.

gavisos, siquidem illius potuisset vita praenosci. Quam ut brevi sermone complectar, pater erat pauperum et merentium consolator, et quantum ad humanum spectat examen, columna ecclesiae; sui temporis honor ac sanctae religionis speculum videbatur. Unde quis nesciat, quanta tunc fuerit mundo nescienti materia gaudiorum, cum tantae indolis puer nasceretur in mundum? Herb. I, 1. Natus ergo feliciter[a] et prospere educatus, sacris aprime litteris eruditur, recto nimirum ordine, ut disceret quod doceret, qui esset[b] doctor futurus ecclesiae. Postquam vero ad maturam pervenit aetatem, ita se gessit, ut multorum in se excitaret affectum. Quibus liquido dabatur intelligi, magni fore meriti virum, qui adhuc puer Deo devotus extiterit.

2.[c] Iamque in virile animi robur evaserat, et ad maiora virtutum studia se accingens, ea tantum quae virum decerent loqui et agere gestiebat. Bonus omnibus, melior suis, optimus sibi, iam et aliorum profectibus se impendit, et digna ab eis laboris sui commercia reportavit. Ebbo I, 1. c. 1080. Denique factum est, ut derelicta patria Poloniorum fines expeteret, ibique aliquamdiu demoratus, gentis illius non solum mores sed et linguam ita ad unguem edisceret, 81 ut si hunc barbarice loquentem audires, virum esse Theutonicum non putares[81]. Profecto hanc gratiam illi providentia superna concessit, ut barbarae gentis posset intelligere vel loqui sermonem, qui ipsam quandoque barbaram gentem esset perducturus ad fidem. Sed de hoc plenius loco alio locuturi, nunc ad narrationis ordinem revertamur. Prudens itaque et fidelis, talentum quod acceperat volens erogare conservis, erudiendis pueris operam dedit, talique ingenio in terra aliena temporalis vitae subsidia conquisivit. His vero stipendiis quasi bonus operarius utebatur, dum pueros quos instruxit a puerili etiam levitate cohibere curavit.

3. Porro his artibus cunctorum sibi sapientium concivit affectum, adeo ut ipsi illius terrae pontifices, fama adolescentis audita, ipsum sincere diligerent, nec solum in eo nitorem linguae, memoriae tenacitatem, acumen ingenii, doctrinae instantiam, sed et morum elegantiam mirarentur. Unde factum est, ut ipsis pontificibus domi forisque assistere et ministrare inciperet, sicque apud[d] eos familiaritatis locum non infimum obtineret. In quorum obsequio dum esset diutissime demoratus, nichilominus apud principem gentis, ducem 82 videlicet Bolezlaum[82], gratiam invenit. Quibus omnibus cum pie ac fideliter deserviret, laborem suum receptis ab eis beneficiis compensavit. Qui licet in terra aliena bonis omnibus abundare et prosperis pollere successibus videretur, tamen redire ad patriam suosque invisere non omisit. Cui quoniam quidem Deus salutaris eius semper praesto fuit, prosperum iter in eundo et redeundo habere eum concessit. Nam etsi suorum et maxime domesticorum curam gessit[83], semet ipsum tamen de episcoporum ac principum familiaritate Herb. I, 2. vel obsequio non subtraxit, quibus quidem tum in aliis pluribus, tum vero praecipue in perferendis hinc inde privatis ac publicis eorum legationibus deserviret. Unde factum est, 84 ut regis[84] Heinrici[e], qui huius nominis quartus[f] Romano potiebatur[g] imperio, palatium frequentaret, tantamque in oculis eius seu optimatum gratiam invenit, ut suis eum obsequiis seu amicitiis artius obligarent.

4. Eo tempore soror regis Iudith nomine in fratris contubernio morabatur[85], in qua ille saepius, licet alias felix[86], infelicitatem fortunae expertus, quia eam servare honeste non poterat, Ebbo I, 1. Herb. I, 2. honesto matrimonio iungere disponebat[87]. De hoc se negotio pro honore regis et regni Otto fidelissimus intromisit, et duci Poloniorum, ut mulierem pulchram et nobilem, utpote regis filiam regisque germanam, in coniugium peteret, suggerere non cessavit, magnum sibi ac suis honoris commodum pacisque praesidium ex affinitate regis asserens proventurum. Dux itaque viri prudentis, et cuius industriam et ante[h] iam noverat, salubri consilio acquie- c. 1088. scens, nuncios honestos non sine muneribus direxit ad regem, eiusque germanam ab eo peciit et accepit uxorem. In cuius item obsequio Otto noster a[i] rege directus[k], Poloniam

a) vero fideliter 3. b) *post* eccl. 2. c) *capiti* II. *subiunctum* 2. 3. d) ad 3. e) Hainrici 3. f) IIII^to 1. 2. 3. g) ponebatur 3. h) an 1. 2. ante 3. i) *deest* 3. k) dilectus 1.

81) Si ad Herbordi verba I, 1. respicis, auctorem hoc scripsisse intelliges, ut maioribus laudibus virum sanctum ornaret. 82) Ab Ebbone in hunc errorem ductus est auctor. Est Wladislaus Hermannus. 83) Ante oculos videtur habuisse quod de bospitali Wirzeburgensi narrat Ebbo I, 2. 84) tunc imperatoris. 85) Dilucidum rerum ordinem apud Herbordum pervertit auctor. 86) Nemo sane Heinricum IV. felicem praedicet! 87) De hoc nihil apud Herbordum aut Ebbonem. Silet auctor de priori Iudithae matrimonio. Nesciebat, ut videtur, cuius vidua erat derelicta.

intravit[88], eique fideliter astitit et ministravit. Quem mulier nobilissima, archikapellani 88
functum officio, unice dilexit et coluit, ac per eum fratri regi pretiosa nonnunquam dona
direxit. Cui annis pluribus obsecutus, et multis ab ea muneribus honoratus, accepta red- Ebbo I, 1
eundi licentia, in aulam regiam se recepit, regisque obsequiis deditus, ultra ab eo divelli 1097.
non potuit. Unde factum est, ut non solum regi, sed et cunctis obtimatibus de karo karis- Herb. I, 4.
simus fieret, eiusque personam omnimodis commendantes, honore quovis dignissimam
iudicarent. Rex itaque virum industrium principalem palatii sui cancellarium constituit, et Ebbo I, 3.
eidem officio adhaerentibus beneficiis eum investire curavit. In quo nimirum officio qualis
fuerit quantisque profuerit[a], si velim dicere, dies mihi prius quam sermo deficiet.

5. Alios vero tum temporis Otto noster in curia regis habuit comministros, sapientiae
et scientiae spiritu plenos ac morum honestate praeclaros, ex quibus nonnullos postea
episcopos vidimus. Quotienscunque[89] enim regis fuisset auribus nunciatum, cuiuslibet 89
ecclesiae sacerdotem fuisse defunctum, illeque continuo Ottonem suum eidem diceret sub-
rogandum, Otto noster, aliis eius deferens kapellanis, illum et illum tali officio magis ido-
neum protestatur, illum et virtute praestare et pro honore ipsius amplius desudasse com-
memorans. Sicque factum est, ut duo episcopatus Halberstadensis[b] videlicet et Augusten- Herb. I, 7.
sis, refutata ab eo designatione, aliis[90] locarentur, alteri nimirum ecclesiae divina eum
providentia reservante.

6. Ea tempestate Rŭdbertus[c] episcopus Babenbergensem regebat ecclesiam. Quo 1102.
defuncto, virga et anulus pastoralis deferuntur ad regem, quoadusque[d] eidem ecclesiae con- Iun. 11. Ebbo I, 7.
silio optimatum suorum, consensu quoque cleri ac populi, provideret idoneum sacerdotem,
factumque est, ut totis fere 6 mensibus electione dilata vacaret ecclesia. Iamque natalis Dec. 25.
dominici festus aderat dies, et rex Heinricus meliores quosque de clero convocavit in unum,
de statu Babenbergensis ecclesiae et de eligendo cum eis pontifice tractaturus. Sed cum Herb. I, 6.
postulatis et acceptis induciis, ex studiis partium praepediti, in nullam possent[e] convenire
personam[91], in arbitrio regis electionem antistitis posuerunt. Ille statim deferri[f] sibi anu- 91
lum iubet, ac per hunc Ottonem cancellarium, regalibus sollempniter investitum, Baben-
bergensi ecclesiae antistitem destinavit, quem etiam duobus episcopis, Wirzburgensi[92] ibid. I, 8.
videlicet et Augustensi, in sedem suam honorifice deducendum adtentius commendare
curavit. Iam vero ad beati viri introitum tota se in laetitiam civitas suscitavit, ita ut non
solum ecclesias sed et plateas sparsis ac suspensis ubique palliis adornaret, quatinus ele-
ctum sibi antistitem decenti susciperet apparatu, qui se quandoque super omnes paene sibi
contiguas civitates ornatu mirifico tam intus quam deforis insigniret. Ille vero vestimentis
lugubribus[93] circumtectus, nudis pedibus, civitatem humiliter introivit, sicque a clero et 93
populo in voce exultationis et confessionis exceptus, in kathedram episcopalem exaltari 1103.
promeruit. Febr. 1.

7. Igitur Otto episcopus, dum sanctae Babenbergensi ecclesiae divino munere primum
fuisset datus antistes, in hoc omne studium suae[g] devotionis impendit, ut et splendore virtutum radiaret in mori- Ebbo I, 16.
bus, et glorificantem se Deum glorificaret operibus. In cunctis enim affectabat honorem Christi, salutem populi, con-
temptum sui, sciens sibi in his omnibus esse quaerenda non sua lucra sed Domini. Adiit interea sedem apo- Herb. I, 9.
stolicam, et in Anagnia civitate a domino papa Paschali in ipso sollempni die pentecostes spiritu cooperante 1106. Mai. 13.
divino consecratus antistes, pontificalem accepit infulam. Quo videlicet tempore ipse eum Ro- ibid. I, 20. 1111.
manus pontifex usu crucis et pallii insignivit, quae nimirum insignia iam olim sedes apo- Apr. 15.
stolica cunctis sibi in ipsa ecclesia canonice succedentibus perpetualiter destinavit.

8. Exinde magis ac magis Christi confortatus in gratia, nitebatur in domo Domini oliva esse Ebbo I, 16
fructifera, quae et ariditatis nescia et totius est[h] sterilitatis ignara. Studuit namque in populis verbi Psal. 51, 10.
erogare talentum, pro quo sciebat se quandoque super omnia Domini bona constituendum. Quapropter de commissa
cura sibi[i] sollicitus, ecclesiasticae utilitati diebus invigilabat ac[k] noctibus dans operam pro honore Domini, quomodo
bona[l] sanctae suae ecclesiae vel augeret inventa, vel restauraret amissa. Unde factum est, ut ad omnia,
quae usque ad id temporis vel per violentiam vel per fraudem vel per[m] ullam iniquitatem
ab eadem ecclesia ablata fuerant, manum mitteret, et in quantum Dei clementia suffragari
dignata est, retrahendo laboraret et restituendo proficeret.

a) p. m. d. 2. b) haberstat *codd.* c) Rŏd. 1. Rvd. 3. d) quo usque 2. e) potuissent 3. f) deferre 3. g) *deest* 3. h) esset 1. *ex corr.* i) cura sibi 3. k) hac 3. l) b. e. suae 2. *deest* 3. m) *deest* 3.

88) At in Polonia erat Otto ducis consiliarius. Haud feliciter Herbordi et Ebbonis narrationes conflavit auctor. 89) Bis terve factum esse reliqui vitae scriptores probant. 90) Friderico et Herimanno. 91) De hoc nihil reliqui. 92) Emehardo. 93) In hoc Ottonis humilitatem exaggeravit auctor.

Ebbo I, 16. 9. Cum ergo ad dilatandam laudem divini nominis tota pii Ottonis flagraret intentio, quaedam coenobia a fundamentis construxit, pauca vero prius tenuiter inchoata, sed vel a principibus vel ab aliis Christi fidelibus Babenbergensi ecclesiae collata vel per eum digno pretio conquisita, largo sumptu perfecit. Quae quidem omnia in unum conscribimus, ut congestum favum prudentissimae apis nostrae gustare volentibus praebeamus. Tanto itaque desiderio religionis accensus est, ut nullus fere ordo, qui in diebus vel in partibus suis probabilis habebatur, existeret, de quo non ille continuo[a] viros[b] religiosos assumeret, eisque monasteria quae construxit regenda committeret. Et I, 17. primitiae quidem votorum eius fuit monasterium Uraugia dictum, quod in episcopatu Erbipolensi[c] in honore sancti Laurentii est constructum.

1109. 10. Secunda eius aedificatio fuit monasterium, quod in ducatu Bawarico[d], in Ratisponensi episcopatu in pago Danubiaco construxit[94] et consecravit, et novum monasterium ad Interpol. a. Herb. I, 25 sanctum Georium appellari constituit. Cuius quidem constructionis talis fuit, ut fertur, occasio. Quodam tempore Ratisponae generale episcoporum ac principum colloquium habebatur, ipseque[e] episcopus invitatus advenit. Qui dissimulata interim civitate, in agrum quendam, qui ad occidentalem eius plagam situs est — sicut illi amica semper fuerat solitudo — secessit, sibique in loco eodem tentorium figi praecepit. Quo videlicet in loco quiescenti mirabilis per noctem visio ostensa est. Videbat, et ecce, scala ingens et ad coelum usque porrecta[f], qualis olim Iacob patriarchae in somnis apparuit, per quam illi, haut dubium Gen. 28, 12. quin episcopo, descendentes et ascendentes angeli monstrabantur. Qui dum in altum defigit obtutum, et angelos ascendentes acie oculorum sequi conatur, evigilat, somnoque excitum pavoris occupat magnitudo, ut palam daretur intelligi in loco eodem[g] aliquid fuisse divini. Cum interim in se reversus episcopus, illudque de veteri testamento Iacob sancti Gen. 28, 18. recolens vel somnium vel exemplum, congratulari coeperat visioni, erexit itaque lapidem in titulum, ac desuper benedictionis oleum fundens, altare quod construxerat consecravit. Huc accedebat, quod eo in loco, in quo duae arbores nucum antiquitus[h] consitae hodieque consistunt, quasi campanae sonare saepius ferebantur, ita ut sonus earum aperte ab incolis audiretur, quatenus Dominus manifestis declararet indiciis, quod eadem habitatio obsequiis foret mancipanda divinis. Procedente itaque tempore vir beatus locum illum, partim emptione partim commutatione legitima conquisitum, in nomen abbatiae ingenti sumptu 1114. Aug. ac labore provexit, moxque abbate[95] cum fratribus quos de Hirsaugia[i] impetraret illuc missis, monastici ordinis disciplinam Bawariae partibus primus invexit. Factumque est, ut plerique ex civibus, locum eundem visendi studio frequentantes, servorum Dei tonsuram et habitum cum morum modestia praedicarent, praecipueque in eis receptionem[k] hospitum, curam pauperum et ipsam[l] denique ablutionem pedum, quae iuxta dominicum vel mandatum vel exemplum tam sibi ipsis quam supervenientibus peregrinis iugiter exhibetur, Ebbo I, 18. aliaque huiusmodi divinitatis officia mirarentur. Hunc locum ille Deo plenus fidelissimo semper amore dilexit, hunc coluit, hunc ditavit, et fratrum ibidem degentium profectum semper amavit. Haec de secunda eius constructione dicta sufficiant.

11. Monasteria alia quae construxit, et quae monachis et monastica religione initiavit, Herb I, 24. haec sunt: Unum Uraha dictum sub patrocinio beati Petri in episcopatu Wirzburgensi; unum Michelvelt dictum in Ebbo I, 17. Herb I, 25. honore beati Iohannis euangelistae; unum Lancheim in honore beatae virginis Mariae, utrumque in propria diocesi; unum[96] Enstorf dictum in honore beati Iacobi[m]; unum in castro Madelhardi in honore beati Carmen de Ottone. Iohannis apostoli; unum quoque, quod Monasterium nominatur, in honore beati Petri; unum Biburc et unum Windeberge[n], quod est regularium clericorum sub patrocinio beatae Mariae, singula in episcopatu[o] Ratisponensi; unum Reginstorf dictum in episcopatu Halberstatensi, in honore sancti Iohannis baptistae; unum in episcopatu Eichstatensi[p] quod Halesprunnen dicitur, sub patrocinio beatae virginis Mariae; unum Alterspach dictum[q] item regularium clericorum in honore beati[r] Petri; unum Aspach in honore sancti Mathei[s]; unum Clunich in honore sancti Andreae apostoli in episcopatu Pattaviensi[t]; itemque

a) *deest* 2 b) et *add.* 3. c) Erbipoly 1. 3 d) Bauw. 2. e) que *deest* 3. f) pertingens 1. g) in e. l. 2. h) antiquititus 2. i) Hirsawgia 3. k) receptionem *ex corr.* 1. receptione 2. 3. l) ipse 3. m) ap. *add.* 3. n) Windiberge 2. o) episcopatum 3. p) Eistet 3. q) ide 3. r) sancti 3. s) Mathie 3. t) Bat. 2.

94) *Igitur notum esse cupimus — qualiter domnus Otto VIII. Babenbergensis episcopus, inspiratione divina edoctus, in ducatu Bawarico, in pago Danubiaco in suburbio Ratisponensi locum cui Priviligii nomen est inditum in salvationem animarum praeviderit eligendum* legitur in charta prima in codice tradit. Prieflingensium Monum. Boic. XV, 2. 95) Erminoldo vid. supra Vit. Ermin. I, 7. 9. 96) Cf. Klempin. p. 232 sqq.

unum in castro Arnoldestein dicto[a], quod est in episcopatu Aquilegiensi in honore sancti Georii[b]. Sex itaque pastoralibus virgis quas invenit 14 alias Deo[c] auctore suo studio addidit[d]. Quinque praeterea cellas divino cultui assignavit: unam sanctae Fidis in loco Babenbergensi, unam in Rotaha Ebbo I, 17 sancti Georii, unam in Drosindorf, et unam in Tullevelt[e], itemque unam in Wezzere sub patrocinio beatae virginis Mariae.

12. Eorum[f] autem coenobiorum quaedam, ut diximus, in proprio fundo constituit, quaedam ab aliis fidelibus inchoata perfecit, nonnulla vero per munificentiam regum vel principum Babenbergensi ecclesiae tradita, ad melioris status[g] praerogativam Domino cooperante promovit. Quae ideo singillatim distinguimus, ut, quae a quibus susceperit, ostendamus.

13. Abbatiam Wizzinburch[h], quae nunc mutato loco et nomine Reginstorf[i] dicitur, cum bonis ad se pertinenti- Herb I, 20 bus, a munificentia Heinrici quarti[97] acceptis privilegiis regiae auctoritatis, sanctae Babenbergensi ecclesiae subdidit. Bona quoque eiusdem coenobii ipse duplicavit, nam cum prius non nisi 62 mansos habuerit, ipse numerum illum mansis totidem amplificavit.

14. Abbatiam in castro Madelhardi sitam Lotharius imperator Babenbergensi ecclesiae donavit[98], quam idem episcopus tam aedificiis quam possessionibus seu aliis bonis pluri- 98 bus ampliavit.

15. Abbatiam quae Monasterium dicitur cum ecclesia[l] beati Xixti[m] et aliis pertinentiis suis ipse pariter[n] auri et argenti ingenti pretio a Heinrico, duce Bawariae, et Thebaldo marchione comparavit, ibid. I, 25 et regali privilegio Lotharii christianissimi imperatoris in proprietatem sanctae Babenbergensis ecclesiae collatam, apostolico nichilominus Innocentii papae secundi privilegio confirmavit[99]. 99

16. Abbatiam quae Clunica dicitur iuxta fluvium Anisum a Liupaldo marchione accepit, cui ipse 20 ibid. I, 28. mansos et 50 marcas addidit. Cellam monachorum in Arnoldestein, destructa munitione, construxit. Quod castrum, I, 29 45 annis Babenbergensi ecclesiae abalienatum, cum mansis 95 multo labore recepit, et eidem loco alios 60 mansos donavit.

17. Praedium[o] apud Aspac[p] Babenbergensis ecclesia multo tempore amiserat. Quod ipse solerti cura requisivit, I, 30. et cellam monachorum ibidem instituens, locum ipsum copiosa praediorum donatione ditavit.

18. Cellam Rotaba ab Agnete palatina comitissa et a[q] sorore ipsius cum 60 mansis ecclesiae Babenbergensi donatam suscepit, circumiacentia vero eidem ecclesiae bona emit 275[r] marcis, cum ministerialibus scilicet et agris et[s] silvis et pratis et pascuis ac molendinis, et cum omni utilitate et iure, quo dux Chouno idem[t] praedium noscitur habuisse.

19. Cellam Vezzere[u] Gotepoldus comes aedificare inchoaverat, quam postea ab eo Babenbergensi ecclesiae donatam accepit, et in usum ibidem degentium plurima ei bona concessit.

20. Omnibus namque monasteriis suis praedia, usquequaque cum summo labore et ingenti pretio Ebbo I, 17. acquisita, congruis in locis distribuit, sicque Deo omnipotenti de suis bonis pervigili cura cottidiana Carmen de Ottone. obsequia praeparavit. Quantum vero eisdem ecclesiis ornamenti contulerit, in palliis scilicet, stolis et ca- Herb I, 30. sulis, in calicibus aureis et argenteis, in crucibus, in capsis, in urceis, in ampullis, in dorsalibus, in tapetibus, in libris utriusque testamenti variisque codicibus, quis dinumeret? Quarum videlicet rerum tam ingens copia est, ut numerus aestimationem propemodum videatur excedere, mirumque sit[v] ab homine uno tot locis tanta potuisse conferri.

21. Considerans autem, quia monasteriorum suorum tunc robustius structura consisteret, si eam apostolicae ibid I, 31 auctoritatis columpna fulciret, nec facile posse hanc destrui, si vallata fuisset munimine beati Petri, eam sub Romanae defensionis tutelam posuit, et a sede apostolica huiusmodi scripta suscepit:

22. *Kalixtus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Ottoni, Babenbergensi episcopo, salutem et aposto-* I, 32. *licam benedictionem. Bonis fratrum nostrorum studiis non solum favere, sed ad ea ipsorum etiam debemus animos inci-* 1123 *tare. Tuis ergo, karissime et*[w] *venerabilis frater Otto, Babenbergensis episcope, supplicationibus inclinati, monasteria* Apr. 3. *sancti Iohannis baptistae in Reginstorf, sancti Iohannis euangelistae*[x] *in Michelvelt, sancti Iacobi in Enstorf, sancti Laurentii martyris*[x] *in Urowa*[y]*, sancti Georii*[z] *in Bruviningen*[*]*, quae ipse propriis sumptibus construxisti, et Babenbergensi ecclesiae conferens, apostolicae sedis roborari munimine quaesivisti, in beati*[a] *Petri eiusque Romanae ecclesiae protectionem suscipimus contra pravorum hominum nequitiam defendenda. Statuimus ergo, ut possessiones, praedia et*[b] *bona omnia, quae et fraternitas tua eisdem monasteriis divini amoris intuitu contulit*[c]*, quaeque aliorum fidelium iusta oblatione concessa sunt, aut in futurum iuste legaliterve acquiri vel offerri contigerit, firma eis et illibata Domino auctore permaneant. Ordinationes sane abbatum vel monachorum suorum a katholicis episcopis diocesanis accipiant. Rerum vero ipsorum monasteriorum curam et administrationem in tuo tuorumque successorum arbitrio et potestate manere censemus. Nulli itaque hominum facultas sit eadem monasteria perturbare, aut eorum possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis fatigationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt, utilitati*[d] *omnimodis profutura. Si qua igitur ecclesiastica secularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit*[e]*, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Iesu*

a) *deest* 2. b) *ita* 1. 3. *abhinc const.* c) duo 3. d) superaddidit 2. e) Tulletorph 2. f) Horum 2. g) ad *addidit* 3. h) Wizzinburc 1. Wizzinpurch 3. i) Reginstorph 2. l) c. e. *desunt* 2. m) Xyxti 1. n) pauciter 3. o) *in* 2 *caput non distinctum.* p) Aspach 1. q) *deest* 2. r) LXXX 2. s) *deest* 3. t) ibidem 3. u) Wez. 2. v) *deest* 1. 3. w) *deest* 2. 3. x) *deest* 1. y) Wr. 3. z) martyris 2. *) Bruinningen 2. a) sancti 2. b) *deest* 2. c) c. i. 2. d) *deest* 2. 3. *in* 1. *manu correctoris additum est.* e) presumpserit 2.

97) quinti. 98) Talis charta in diplomatario Mallerstorfensi in Mon. Boic. XV. non exstat. 99) Quae exstant Innocentii II. de hoc monasterio litterae, anno carentes, vide ap. Gretserum in Ludewig SS. Bamberg. I, 579.

Herb. I, 32 *Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eisdem monasteriis iusta servantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatinus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Scriptum per manum Gervasii scriniarii, regionarii*[a] *et notarii sacri palatii*

23. Libet[b] nunc intueri, quo studio quave diligentia in monasteriis suis sacrae religionis ordinem observari voluerit. De qua re cum apostolicae confirmationis privilegium a Romana sede postulavisset, huiuscemodi scripta suscepit:

ibid I, 33 1139. Ian. 23. 24. *Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Ottoni, Babenbergensi episcopo, eiusque successoribus canonice substituendis salutem et apostolicam benedictionem. Quotiens illud a nobis petitur, quod religioni et honestati convenire cognoscitur, animo nos decet libenti concedere et congruum impertiri suffragium, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Proinde, venerabilis frater Otto episcope, petitionis tuae desideriis ex consueta sedis apostolicae mansuetudine clementer annuimus, imprimis siquidem statuentes, ut tenor religionis, qui in ecclesiis tibi commissis est per tuam diligentiam cooperante Domino institutus, firmiter in eis perpetuis temporibus conservetur. Constituimus etiam, ut in eisdem ecclesiis nullus per simoniacam haeresim statuatur, sed honestae personae, quibus utique morum et status dignitas suffragatur, inibi ordinentur. Sane in coenobiis, quae vel antiquitus in tua parrochia constructa sunt, vel tu ipse devotionis intuitu constituisti, seu aliis iustis modis ecclesiae tuae unire poteris, vel ab aliquo deinceps fidelium infra tuam diocesim divina inspirante gratia construentur, sacrae religionis ordinem manere decernimus. Nec alicui liceat eiusdem institutionis formam ullatenus permutare, nisi forte ad melioris status praerogativam praestante Domino promovere voluerit. Nec id alicuius singulari iudicio committatur, sed omnium monasteriorum ad Babenbergensem ecclesiam pertinentium, aut sanioris partis consilio ac consensu fieri debere sanctimus. Si quis huic constitutioni temere contraire temptaverit, secundo tertiove commonitus, si non factum suum digna satisfactione correxerit, a sacratissimo corpore et sanguine Dei ac domini redemptoris Iesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni; conservantes eisdem*[b'] *locis quae iusta sunt, omnipotentis Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostram gratiam consequantur.*

25. Neque vero hoc praetereundum existimo, quod monasterium sancti Michahelis cum paradiso
Ebbo I, 18 ac universis claustri aedificiis, nec non et basilicam sanctae Mariae cum sacrario, et capellam beati Bartholomei a fundamentis reaedificavit, capellam quoque super portam, sed et diversorium et muri ambitum cum universis officinis construxit.

26.[c] Idem vir beatus fontem in medio claustri fieri iussit, itemque venam aquae vivae de vicino monte in claustrum plumbeis fistulis copioso sumptu duci fecit. Pleraque eidem loco ornamenta contulit, inter quae duas scutellas argenteas ad suscipiendas oblationes, aurifrigium quoque et casulam valde preciosam, crucem etiam auro gemmisque nobiliter fabricatam, recondito in ea[d] salutari ligno sanctorumque reliquiis, ipse sacravit, crucemque salvatoris appellari constituit[e], et banni sui interpositione, ne[f] ab ipso monasterio pro aliqua umquam necessitate auferretur, indicens, beato archangelo eam devotissime obtulit. Nam et hunc locum ille Deo dignus amavit semper et coluit, hunc restauravit, hunc ditavit, huius gloriam quaesivit, huic bonum tribuit, hunc sublimavit, seque in ipso sepeliri decrevit. Idem vero coenobio in usum fratrum dedit 8 praedia 500[g] ferme libris comparata, statuens, ut die noctuque ad sepulchrum eius continuum lumen amministretur, et in die anniversarii eius fratribus tam canonicis quam monachis servitium, et pauperibus elemosinae subsidium praebeatur.

27. His decursis, operae pretium video[h] aedificia describere, quae in diversis locis, praeter ea quae supra commemorata sunt, ille beatus exstruxit[i]. In domo principalis
Herb. I, 34. ecclesiae pavimentum stravit, columpnas gipseo opere ornavit, chorum sancti Georii exaltavit, picturam fieri iussit, ipsumque monasterium cupreo tecto coperuit, omnia denique claustri aedificia per singulas officinas nova fecit. De quibus plura referre superfluum reor, praesertim cum haec melius vel claustri ipsius vel ipsa ecclesiae facies consulta loquatur, quae cunctis paene regni ecclesiis opere et decore sic eminet, ut non inmerito tacentibus nobis ad laudem sui opificis curiosum quemlibet spectatorem invitet. Quibus inter alia praedium apud Rota, quod 20 talenta per annuos reditus solvit, quodque ipse 300 argenti libris et auri talento comparaverat, dedit, statuens haec, ut 10 ex his talenta eis in servitium permaneant, pars altera ad hospitalem domum sancti Georii pertineat.

28. Porro ad Sanctum Stephanum in oblationem fratrum praedium[k] dedit, quod annis singulis 11 uncias solvit, quatinus de 7 unciis praebeatur eis servitium in memoria anniversarii sui, 4 reliquae maneant eis pro quodam annuo iure forensi. Ibi quoque inter cetera pietatis suae beneficia claustrum cum officinis aedificavit et turrim exstruxit. Fratribus de Sancto Iacobo bona[l] plurima contulit, et turres ecclesiae ipse perfecit. Ad Sanctum Gangolfum[99*] turres[m] aedificavit, et fratribus eisdem bona nonnulla concessit. Capellam quoque sancti Aegidii cum domo hospitali construxit, tribuens eidem loco praedia, quae solvunt annis singulis[n] 20 talenta. Item ultra fluvium capellam sanctae Gerdrudis cum domo hospitali construxit, deputatisque illuc praediis pluribus, 6 exinde denarios ad suscipiendos peregrinos diebus singulis constituit dari, aliaque perplura, et quae enumerare longissimum est, et his et aliis locis bona providit. Sed haec in loco Babenbergensi. Nam basilicarum, domorum ac turrium, quae externis in locis, in urbibus, in suburbanis, in castellis, in villis, in vallibus, in montanis exstruxit, incertus est numerus.

a) *deest* 3. b) licet 3. b*) ecclesie 3. c) *caput non dist.* 2. 3. d) eo 2. e) statuit 3. f) *deest* 1. g) .CC. 2. h) ī đo 2. inđo *corr.* uiđo 3. i) construxit 2. k) precium 1. 2. 3. l) *deest* 1. m) turrim 3. n) a. s. sol. 2.

99*) ecclesia collegiata in suburbio Bambergensi Teurstadt.

29. Praeterea bona innumera utili provisione sanctae suae ecclesiae conquisivit, inter quae et 6 munitiones ante eum non habitas episcopali ditioni et potestati subiecit. E quibus castrum Albwinestein[a] dictum, in medio episcopatus sui fere positum, 530 argenti libris nec non 17 auri talentis comparavit, providens et in hoc et sibi et posteris suis non modicum pacis compendium, scilicet ut bonis ecclesiae in circuitu positis sit firmum defensionis praesidium, sit turris fortitudinis a facie vastantium inimicorum. Herb. I, 39.

30.[b] In Pattaviensi episcopatu ecclesia Babenbergensis de propriis suis possessionibus omnes decimationes hactenus habuit, quas eiusdem loci episcopus nomine Regimarus ei auferre conatus est, sed pius Otto, non modicum in hoc ecclesiae suae dispendium fore considerans, et utilitati illius omnimodis consulere volens, Monasteriensem parrochiam et vineam unam per manum Heinrici quarti regis Pattaviensi ecclesiae donavit, insuper episcopo auri talentum dedit; sicque de manu Oudalrici[c], Pattaviensis advocati, acceptum omne ius decimarum Babenbergensi ecclesiae confirmavit. Decimas quoque novalium de Ratisponensi episcopatu rationabili concambio commutavit, et tam privilegio duorum Romanorum pontificum Honorii et Innocentii, quam trium Ratisponensium ordine sibi succedentium episcoporum, Hartwici[1] videlicet, Chunonis[d 2] ac Heinrici[3] firmissimis cautionibus[4] sanctae suae ecclesiae perpetualiter confirmatis, monasterio beati Georii quod in Bawaria construxit delegavit, et servis Christi ibidem degentibus in victum vestitum concessit. 1114. 1128.

31. Ne vero cuiquam succedentium[e] sibi episcoporum fas esset dispositioni suae[f] quicquam superordinare aut ab eo bene ordinata rescindere, eius super haec postulationem apostolica sedes benigne suscepit, eique huiusmodi confirmationis scripta porrexit. Herb. I, 37.

32. *Calixtus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Ottoni, Babenbergensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Sanctorum patrum praeceptis et canonicis sanctionibus demonstratur, quod praedia et possessiones ecclesiarum, quae vota fidelium, pretia peccatorum et pauperum patrimonia non inmerito nuncupantur, vendi vel[g] alienari non debeant. Quae enim divinae maiestatis obsequio et coelestium secretorum usui sunt dicata, non decet in alienum ius redigi vel in alterius servitii formam transferri. Nempe, ut beati Symachi papae verbis loquamur: „Possessiones, quas unusquisque ecclesiae proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis atque distractionibus vel sub quocumque argumento non patimur.“ Ea propter nos tuis iustis postulationibus annuentes, mansos, qui episcopalis mensae tuae servitio dediti sunt, in eodem statu, in quo bene a te dispositi cognoscuntur, futuris temporibus permanere praesentis scripti nostri confirmatione sancimus, statuentes, ut nulli successorum tuorum vel alicui hominum liceat eos vendere, sive in laicorum beneficium tradere, aut in usus alios commutare, sed, sicut a te dispositum est, de unoquoque praedictorum mansorum denarius unus[h] annis singulis Babenbergensi ecclesiae pro anima imperatoris Heinrici, fundatoris eius, ad concinnanda luminaria conferatur. Abbatias vero et regulares canonicas, per industriam tuam in religionis ordine stabilitas, et alia a te recte constituta nulli hominum facultas sit in posterum inmutare. Si quis autem contra hanc nostram confirmationem venire temerario ausu praesumpserit, excommunicationis vinculo subiacebit.* ibid. I, 38. 1124. Apr. 13.

33. Verum beatus pontifex, licet totus in Deo fuerit, licet omnia sua in coelestes thesauros destinare maluerit, ipse tamen, utpote potens et prudens, Deo quae Dei erant reddidit, mundo quod suum erat non negavit. Nam et regibus seculi super omnes pontifices honorifice fideliterque domi forisque servivit, principum quoque sibi familiaritates ascivit, ministerialibus ecclesiae suae propria iura intemerata servavit, familiam denique et omnia sibi adhaerentia firmissimo pietatis praesidio et maternae affectionis ala protexit. ibid. I, 35. I, 36.

34. Sed neque hoc praetereundum existimaverim, quod posteaquam tota Babenbergensis ecclesia in statum pristini decoris pastoris sui beneficio reformata refloruit, eius quoque faciente industria omnium litterarum florere studiis coeperit. Tales enim in ecclesia sua magistros praeficere curavit, quorum et vita honesta et praeclara ingenia viderentur. Cumque et pastor ecclesiae misericordiae operibus deditus foret, et scola ecclesiastica litterarum, ut dictum est, studiis abundaret, factum est, ut plurima clericorum nobilium ac divitum, maxime vero pauperum ac peregrinorum, de diversis ac de remotis terrarum partibus veniens illic[i] multitudo conflueret, eo quod ibidem eiusdem patris beneficio procurata alimonia eis suppeterent et[k] doctrina.

35. Semper enim ille beatus advenis et egenis intimo compassionis iungebatur affectu, ita ut peregrinorum et eorum qui sepulchrum Domini et limina apostolorum seu alia loca sanctorum orandi gratia frequentare consueverunt[l], societatem frequenter exceperit, cottidianum orationum suarum participium eis devotus optulerit, et versa vice se eorum orationibus[m] attentius commendare curaverit. Si quando autem a quoquam indigentium in Dei nomine rogabatur, reverentia nominis Domini ilico constitit, et prius quam eius qui

a) Albweinstein 3. b) *caput non distinct.* 2. 3. c) Odalr 2. V̊ 3. d) chuo 2. chun. 3. e) succedentibus 3. f) tue 2. g) et 3. h) denari?. a. sing. an. 3. unus *deest* 1. i) illuc 2. k) et 1. 2. 3. l) consueverant 3. m) se *repetit* 2.

1) 1106—1126. 2) 1126—1132. 3) 1132—1155, vid. Jaffé Gesch. d. D. R. unter Lothar p. 267. 4) Cf. chartae constitutae pacis inter Ottonem Hartwicum et Chuononem de decimis ann. 1114, 1121 in Ried Cod. dipl. Ratisp. I, 172. 187. Vid. etiam diploma Lotharii de iure decimationis episcopatus Babenbergensis 18. Aug. 1127 Mon. Boic. XXIX, 1, p. 250; Boehmer 2100.

beneficium petiturus accesserat, precem audisset, ulterius progredi non praesumpsit. Sed his de primis eius operibus breviter praelibatis, quia de peregrinis loqui coepimus, finem horum facientes, ad peregrinationis et praedicationis ipsius exordia veniamus.

PROLOGUS LIBRI SECUNDI.

Sicut in superiori huius operis parte praefatus sum, non mihi omnia quae de venerabili viro Ottone episcopo comperi, sed ea tantum quae vel notissima sunt, stilo explicare propositum est, quamquam ex his plurima studio brevitatis omiserim. Sufficere enim arbitratus sum, si tantum excellentia notarentur, cum quidem et lectoribus fuerit consulendum, ne quod his páreret rerum copia[a] congesta fastidium. Unde nec in unum omnia coartavi, sed in tres partes, quarum prima, utcunque iam edita est, suis capitulisque suisque praefatiunculis praenotata[b], distinxi, quo minus fastidiosa sit lectio, cum a novo fuerit repetita principio.

LIBER[c] SECUNDUS.

Ebbo II, 2. 1. Tanto interea peregrinandi et praedicandi desiderio pii Ottonis pectus incaluit, ut
partes Pomeranorum paganorum adire decreverit, quatinus eos ab errore suo revocaret, et
II, 3. ad viam veritatis et agnitionem Christi filii Dei perduceret. Cumque a beatae memoriae
Kalixto[d] papa secundo praedicandi licentiam accepisset, et de singulis quibusque ordinibus
II, 12. ministros idoneos sui itineris comites delegisset, anno dom. inc. 1124, indictione 2,
1124. Apr 25. mense Iunio[5], quinquagesimae diebus exactis, iter arripuit, et a suis honorifice prose-
Apr 28. cutus, Boemiam usque pervenit. Ubi a venerabili civitatis ipsius episcopo et ab omni clero
Herb II, 8. et populo cum ingenti honore et exultatione suscipitur, et tam ibi quam in cunctis ecclesiis
quas intravit usque ad ipsam Gnezenensium civitatem, in occursum apostolici sacerdotis
illud de apostolis responsorium decantatur: *Cives apostolorum et domestici Dei advenerunt
hodie, portantes pacem et illuminantes patriam, dare pacem gentibus et liberare populum
Domini.* Quod ideo factum est, ut animadverteres, cum beatis apostolis, cum quibus com-
mune gessit officium, et laudes eum habere communes.

Ebbo II, 4. 2. Qui inde consurgens, amicis et fidelibus suis, qui ad deducendum eum advenerant,
valefecit, ac Boemorum fines egressus, Poloniam versus iter tetendit. Tandem confecto
Mai. 20. itinere, a duce Poloniae Bolezlao receptus honorifice est, cum quidem ille non secus in
adventu tunc[e] tanti hospitis laetaretur, quam si ipsum recepisset hospitio Salvatorem. Ne-
que vero tantum eum devote suscepit, sed et secum, quamdiu potuit, benigne detinuit[f] et
Mai. 27. humane tractavit. Abeuntem denique tanto est humanitatis officio prosecutus, ut per sin-
gulas sui itineris mansiones usque in extrema ducatus sui confinia tam sibi quam suis
liberaliter ministraret, sicque per viros industrios ad Paulum comitem Zutochanum cum
debita faceret veneratione deduci, ab ipso nichilominus usque ad ipsum ducem Pomeraniae
Bratizlaum honorifice deducendum. Susceptum itaque episcopum Paulus ad ducem ipsum,
quasi cum 60 militibus, sub omni celeritate deducit. Qui et ipse, fama adventus eius audita,
Iun. 2. iuxta fluvium Wurtam[g] cum non minus 300 armatis venienti episcopo laetus occurrit.

3.[h] Siquidem Bratizlaus, ydolorum cultibus abdicatis, verae fidei iam olim rudimenta perceperat. Unde factum est, ut ipsa gens barbara, quae suae suberat ditioni, invidia nominis Christi ipsum haberet exosum. Itaque mirum in modum episcopo veniente gaudebat, quippe qui ipsam nationem infidelitatis tenebris absolutam perducturus esset ad fidem. Confestim ergo milites duos, qui olim et ipsi crediderant, in eius obsequium destinavit, quibus id iniunxit officii, ut sanctum Domini sacerdotem per loca ignota deducerent, et ab infidelium tuerentur incursu. Quibus tamen episcopus, pro eo quod gentilibus eos communicasse constabat, primum indicta poenitentia, sic demum communicare et confabulationem cum eis ac mensam voluit habere communem. Sic tamen indictam eis poenitentiam

a) *deest* 2. b) prenota 1. c) incipit *add.* 3. d) Calisto 3. e) *deest* 2. tanti tunc 3. f) retinuit 1. 3. g) wvr 1. ufr 2. vwr 3. h) *caput non dist.* 3.

5) In hoc errare auctorem Herbordus et Ebbo docent, nisi praeferas cum L. Giesebrechto W. G. II, 260 auctorem tempus quo Otto Pomeraniam intraverit, quod factum est mense Iunio, falso cum Boemico itinere coniunxisse.

temperavit, ut homines adhuc rudes in fide, nec gravis sententiae labore depressi deteriores fierent, 1124 nec rursus sine aliqua satisfactione recepti, vel culpam esse non crederent, quam inpunitam episcopus dimisisset.

4.[a] Iamque extremos Pomeranorum fines intraverat, ubi in prima se fronte Petris Herb II, 13. civitas offerebat. Iun 4. Vixque episcopus vocem primam praedicationis emiserat, et ecce, homines quidam, qui haud procul ab urbe consederant, divina inspiratione compuncti, certatim ad percipiendam sacri baptismatis gratiam confluebant. Quod quidem alto divinitatis consilio actum est, ut, dum gentes gratia divina praeventas capaces verbi fore sentiret, de bono initio[b] meliorem sperans exitum proventurum acceptum, praedicationis instantia nequaquam aut labore devictus, aut fractus[c] desperatione cessaret. Omnibus ergo quos ibidem invenerat baptizatis, sic demum Petris civitatem ingressus, praedicatione peracta, 500 fere[6] utriusque sexus homines baptizavit. Quibus servandae fidei regulam tradens[d], Ebbo II, 5. ad aliam nichilominus quae Chamin dicitur civitatem Domino favente pervenit. Iun. 24. In qua nimirum, dum totis tribus mensibus[7] praedicasset, tria milia hominum et sexcentos, ex- 7 ceptis 15, promiscui sexus convertit ad Dominum. Viderit unusquisque, quid sentiat; alii receptam a gentibus fidem, alii doctoris egregii mirentur[e] industriam, ego certe, cum omnia haec ad Dei gloriam referenda[f] non dubitem, nichil in his tam mirum existimo, quam quod tantus iustitiae praeco, quo pluribus praedicavit, plures convertit, cum quidem Deus omnipotens fidelem suum quibusdam, ut ita dixerim, praemiis incitaret, dum ei de multiplicato labore fructum multiplicem largiretur.

5. Tertia deinde Iulin civitas fuit. Haec a Iulio Caesare, qui eam olim exstruxerat, Ebbo III, 1 vocabulum trahens iuxta Oderam fluvium haud procul a mari sita est. Audientes itaque Iulinenses multos Chaminensium fidei recepisse doctrinam, et aequo animo non ferentes, supervenere confusi[8], nec solum deridere conversos, sed et sancto pontifici eiusque comi- 8 tibus derogare coeperunt. Episcopum quidem magum[g] et impostorem vocare, Chaminenses vero ineptos patriae delatores, qui, patriis legibus abdicatis, extraneae gentis sequi niterentur errorem. Hanc igitur civitatem ubi sanctus praesul adire decrevit, a duce Aug. 13. Bratizlao conductum petiit et accepit. Verum per urbes singulas quas intravit in ipsius[h] ducis hospitium se recepit, quatinus in eum populus non saeviret, qui sub principis sui praesidium confugisset. Mos enim iste antiquitus a gentibus servabatur, ut quamdiu quis ibid II, 7 libere in domo principis habitaret, nisi primum consulto principe de gravi crimine coargutus, nichil a quoquam molestiae sustineret. Quo contra episcopo vix uspiam tutus ad manendum superarat locus, publicis vero se inferre conspectibus sine gravi sui suorumque periculo non audebat. Quotienscunque enim[i] in publicum praedicandi gratia processisset, videres barbaros cum gladiis ac[k] fustibus, veluti unumquemque casus armaverat, certatim erumpere, pulverem alios spargere, alios lapides crebro iactare, fremere dentibus, vocibus strepere, ut, nullo nocendi genere praetermisso, cuncti pariter in unius necem hominis conspirasse viderentur.

6. Quod videns episcopus, alia eos via aggredi cogitavit, ut praemiis vinceret, quos vincere ratione[l] non poterat. Nam usque ad id temporis Iulinensibus, quod quidem doleamne an rideam nescio, venerabiliter reservata Iulii Caesaris lancea colebatur, quam ita ibid III, 1. rubigo consumpserat, ut ipsa ferri[m] materies nullis iam usibus esset profutura[n]. Quam tamen episcopus, ut tanto eos errore absolveret, 50 talentis argenti voluit comparare, non magni pendens quamlibet gravem rerum suarum iacturam, dummodo gentiles vendita vanitate emerent suam[o. 9]. Et episcopus quidem hoc facere, ut fidelis et prudens negotiator, 9 cui de animarum salute res agitur, cogitabat. Pagani vero, ut impii et infideles, vehementer abnuere, lanceam divinioris esse naturae, nichil ei transitorium vel caducum posse conferri, ac proinde nullo umquam a se pretio extorquendam, in qua praesidium sui, patriae munimentum et insigne victoriae esse constabat. Cum interim venerabilis ac Deo dignus antistes magnifice concionatur ad plebem[10], et ecce, quidam e turba furibundus ac plenus 10

a) *caput non dist.* 2. 3. b) īmo 2. c) fructus 3. d) trahens 3. e) mirarentur 2. mirantur 3. f) referendam 1. 2. 3. g) et imp. et m. 3. h) ipsis 3. i) e. in p. *desunt* 1. k) et 2. l) r. v. 2. m) f. i. 3. n) p. e. 2. o) s. e. 3.

6) immo 7000 Herbord. II, 16. 7) Hunc errorem debet Ebboni. 8) De hoc nihil apud Herbordum aut apud Ebbonem. De hoc et sequentibus auctoris erroribus cf. Klempin. p. 243. 9) Quod num tunc Iulini factum sit valde dubito; silent etiam Herbordus et Ebbo. 10) Haud ita duo alii.

1124. insania sanctum inpetere sacerdotem, eumque ligno viridi, quod manu forte gestabat, tam
valide percussit, ut humi prostratus iacere exanimis videretur. Quidam vero ex sociis eius,
cuius spiritus Dei interiora tetigerat, iacentem eminus sacerdotem conspiciens, Deo gratias
exclamabat, eo quod ipsum a nocentibus innocenter extinctum et gloriam martyrii crederet
assecutum. Neque vero sua eum fefellit opinio; quia etsi manus persecutoris evasit, tamen
palmam martyrii, quam in voto tenuit, in merito non amisit. Ille interim levatur in mani-
Ebbo II, 8. bus, et manus utrasque expandit ad coelos, gaudens ipse et Deo gratias agens, quod vel
unam in eius nomine plagam meruisset accipere.

7. Quid plura? Usque adeo gens barbara in sanctum Domini sacerdotem saevire non
timuit, ut gravi verborum ac verberum affectum iniuria de suis postremo finibus protur-
Aug. 20. baret. Qui urbem egressus, in altera praedicti fluminis ripa quasi unius ebdomadae spatio
cum suis comitibus stare disposuit, quo adusque cognosceret, quem esset res exitum ha-
bitura. Sperabat enim gentiles facilius considerata ratione in mansuetudinem posse con-
verti, si eis forte praesentiam sui, quam in tantum exosam habuerant, paululum sub-
traxisset. Sed ne[a] in hoc quidem eius profecit industria. Videres barbaros magis ac magis
accensis animis debachari, se numquam nisi[b] consiliis Stetinensibus credituros, iret potius
egregius praedicator et eos qui totius gentis principes haberentur, converteret; iam vero
illis conversis, nichil sibi fore residui, se quantocius in via veritatis, quam se episcopus eis
ostensurum promiserat, secuturos[c]. Haec dicentes non quidem Stetinenses sequi ad vitam,
sed ad mortem episcopum praemittere cogitabant, rati nimirum illos ad iniciendas manus
episcopo promptiores, qui et multitudine ceteris et potestate praestarent. Tandem episco-
pus, communicato cum eis consilio, se ipsum periculo dare disposuit, de Iesu bonitate
praesumens, ut quos humano ingenio vincere ipse non posset, de his postmodum gloriosius
per semet ipsum Dei filius triumpharet. Relictis itaque Iulinensibus, per Oderam navigio
ascendens, Stetinensium adiit civitatem, quae a radicibus montis in altum porrecta, trifa-
11 riam divisis munitionibus natura et arte firmatis[11], totius provinciae metropolis habebatur.

ibid. II, 8. Oct. 22. 8. In ea civitate per 9 continuas ebdomadas stetit, et verbum vitae eis annunciare
non desiit. Verum indurata gentilitas doctrinam fidei recipere vel audire contempsit. Porro
ille per omne sabbatum praedicandi gratia in publicum procedebat, sacerdotalibus vesti-
mentis indutus, tum ut maior sermoni inesset auctoritas, tum ut effera corda gentilium
niveo demulceret aspectu. At vero gens barbara[d] in sua adhuc infidelitate perdurans, ad
ligna et lapides suo illo more convertitur, ita ut multotiens baculis et ictibus lapidum
sanctum impeteret sacerdotem, ipsum videlicet eisdem[12] armata repellens, a quibus co-
15 lendis[13] eam revocare temptaverat[14]. Quadam etenim die[15], virgam pastoralem manu
tenens, verbum Domini praedicabat, et cum multa contradictio fieret, quidam lapidem iecit,
et manum episcopi graviter sauciavit, ita ut et[e] virgam ipsam ictu lapidis laeserit, quam
tamen episcopus, ne inde gloriari forsitan[f] videretur, postea poliri et signum laesionis
auferri fecit. Iam vero episcopus, quid faceret, quo se verteret, nesciebat. Praedicationi
instaret? Sed turba gentilium vel videre episcopum, vel Christum audire non poterat.
Praedicare desineret? Sed ad exemplum praedicationis officium, necessitas proximi et
Christi eum karitas perurgebat. Totus itaque conversus ad Dominum, eius auxilium diebus
ac noctibus implorabat, psalmodiae et orationi una cum clericis suis numero 18 totum
quod a cura corporis vacuum fuit tempus insumens. Nec multo post Dominus tantis labo-
ribus finem dare disposuit. Siquidem fideli famulo suo pro salute gentium deprecanti faci-
lem commodavit auditum, easque continuo per eius ministerium ecclesiae suae sanctae
aggregare dignatus est.

9. Quibus haec prima salutis extitit et conversionis occasio. Domazlaus, unus de
primoribus civitatis, olim christianus, filios duos de gentili iam uxore susceperat. Cuius
16 quidem illicito amore devictus[16], et fidem ipse deseruit, et ipsos infantes in infidelitatis
tenebris dereliquit. Iamque pubertatis annos impleverant, et cum essent venusti aspectu,
sagaces ingenio, prudentes eloquio, suum, proh dolor! et omnium creatorem Dei filium

a) nec 2. b) in *codd.* c) *deest* 2. d) *deest* 1. e) *deest* 3. f) f. g. 2.

11) De obscuris his verbis cf. Hering Balt. Stud. X, 1, p. 23. 12) ligno et lapidibus. 13) deorum imaginibus ex ligno et lapidibus confectis. 14) Otto. 15) Haec apud unum hunc auctorem leguntur. 16) In hoc auctor Ebbonis narrationem ampliavit; longe aliter Herbordus II, 27.

ignorabant. Pueri isti secretarium episcopi Dei nutu frequentare coeperunt et crebro cum 1124. ipso conferre sermonem. Herb. II, 26. Quibus episcopus, quantum illa[a] patiebatur aetas, de fidei illuminatione, de iudicio futuro, de animae[b] inmortalitate, de spe resurrectionis, de gloria beatorum breviter commodeque disseruit. Postremo illorum deplorans ignorantiam et quasi ingenitae infidelitatis errorem: *Heu*, inquit, *filioli, ut quid nos, qui salutis vestrae causa advenimus, non auditis? Cur eum, qui tam praestantis formae vos fecit, agnoscere detrectatis? Venite, karissimi, ad veram et katholicam fidem, agnoscite vestrum et omnium creatorem, ut in oculis eius*[c] *a quo conditi estis gratiam et misericordiam invenire possitis.* Ad haec dicta nonnulla cum adderet, et cum[c] verbo vitae cibo eos ac potu saepius recrearet, aliaque interdum munuscula, qualia nimirum ea aetas ambire consuevit, gratanter offerret, animus puerorum sensim informabatur ad fidem, et tandem in hanc vocem, sancto praeventi Spiritu, proruperunt: *Nova haec sunt, quae astruis, pater, et nostris numquam auribus nunciata. Patrem nostrum christianum olim fuisse*[d] *audivimus, matrem nobis esse gentilem*[e] *nemo qui nesciat, in tantum ut ille, illius vel exemplo vel amore illicito depravatus, a fide exciderit. Quorum cum pro certo offensam, si aliud quicquam gerimus, incurramus, decrevimus tamen pro fide quam praedicas extrema omnia experiri, dummodo tu iuratus asseras in nomine Dei tui, cuius sacerdos es, nos de*[f] *patriis legibus translatos beatos fore cum Christo.* Miratur episcopus insperatam infantium fidem, vitam vero eis salutemque perpetuam, siquidem in hac intentione perstiterint, pollicetur. Quid plura? In festo beatorum martyrum Crispini et Oct. 25. Crispiniani baptizati sunt pueri, non sine gravi huius vitae[g] periculo, cum quidem pater eorum longe abesset et mater nichilominus rem penitus ignoraret. Neque enim illi animum suum confiteri ullatenus[h] audebant, pro quo nimirum vel[i] mortem ipsam vel duros corporis cruciatus se perpeti formidabant. Sed Deus omnipotens, qui licet sit[k] magnus in magnis, gloriosius tamen mirabilia operatur in minimis, non solum pueros de parentum manibus liberavit[l], sed et parentes et patriam ad cognitionem sui nominis eorum imitatione[l] convertit.

10. Vixque ista transierant, et ecce, legati antistitis, quos ad ducem Poloniorum ad ib. II, 29. conquerendam illatam sibi iniuriam et repulsam paulo ante direxerat, redierunt, cum quibus et alii ex parte ducis adveniunt, tam dura[m, 17] paganis quam grata pontifici mandata Nov. portantes. Aiunt namque dominum suum debita quidem indignatione moveri, quod ab eis episcopum quibuslibet iniuriis lacessitum fore comperit, praecipere tamen, ne quid deinceps molestiae sustineret, alioquin et se cum exercitu quantocius affuturum, et summum de eis supplicium victorum more sumpturum. Si vero audire episcopum et verbum Dei recipere consensissent, nichil a se vel a quoquam suorum adversi passuros, sed, sicut ceteros christianos, pacem perpetuam habituros, dummodo servare se fidem ac secum ire in hostem, quotiens id vel illius privata necessitas vel rei publicae poposcisset utilitas, nullatenus recusarent. Data itaque sibi optione, pagani de rure ac de villis plebem innumeram convocantes, quid e duobus eligerent, diligenter inquirunt; multisque sermonibus ultra citraque habitis, tandem se omnia imperata facturos, dummodo a caede, incendiis aliisque hostilibus, qualia nimirum a duce eodem fuerant iam saepe perpessi, de caetero securi existerent, promiserunt.

11. Qua videlicet promissione accepta, episcopus laetabatur quidem ad gloriam Christi, II, 29 sed[n] tradere eis fidei sacramenta nolebat, priusquam et deorum fana destruerent, et ipsam denique civitatem ab universis ydolatriae sordibus emundarent. In ea siquidem civitate II, 31 domus duae[18], quas ab eo quod inclusa deorum simulacra[o] continerent, continas dixere 18 priores[19], ingenti cura vel arte constructae, haud grandi ab invicem intervallo distabant, in 19 quibus ab stulto paganorum populo[p] deus Triglous colebatur. Praeterea et equum formae praestantis, qui dei Trigloi[q] dicebatur, cives alere consueverunt. Nam et sella eius auro et argento, prout deum deceret, ornata in altera continarum ab ydolorum pontifice serva- II, 32. batur, qua nimirum equus divinus instructus, loco et tempore constituto procederet, cum

a) ille 3. b) *deest* 1. c) *deest* 2. d) f. o. 2. e) g. e. 2. f) *deest* 3. g) v. h. 2. h) u. c. 2. i) *deest* 2. k) *deest* 3. l) imitione 2. m) duram 3 *et* 1, *ubi* m *erasum est.* n) se 3. o) sym. 1. 3. p) *deest* 2. q) Trigloy 2.

17) Minime. Boleslaus dux apud Herbordum scribit tributum a Pomeranis solvendum se minuere velle, quod auctor in sequentibus silentio praeteriit.

18) quatuor habet Herbord.

19) scil. homines. Herbordi codices qui anonymo debentur, habent hoc loco continas *antiquitus* ita fuisse vocatas.

1124. ad captanda auguria vario errore delusus gentilis ille populus conveniret. Erat vero auguriorum huiusmodi consuetudo. Hastis pluribus sparsim positis, equum Trigloi per eas transire fecerunt. Qui cum[a] nullam earum deambulando contingerent, valens videbatur augurium, et equis sedentes pergerent ad praedandum. At si quam earum suo contigisset incessu, interdictam sibi divinitus equitandi facultatem arbitrantes, ad sortes se ilico contulerunt, quatinus ex earum consideratione cognoscerent, utrum navigando an potius ambulando praedatum ire deberent. Omnem vero quam ceperant praedam decimare solebant, et de quolibet eventu deum Trigloum consulturi, praefatas semper continas frequentabant.

Herb. II, 30. 12. Tandem fana ista data sunt in potestatem episcopi, et iussu eius diruta ac destructa, ita ut ligna eorum non solum a fidelibus sed ab ipsis ydolorum cultoribus certatim rapi cerneres, non tam colendis olim numinibus servandisve deorum insignibus proficua, II, 31. quam nutriendis iam[b] ignibus coquendisque holeribus profutura. Ea vero quae in fanis oblata fuerant, aqua benedicta respersa, civibus universa restituit, ut quae illi non recte optulerant, hic recte divideret, dum diabolicis mancipata serviciis ad usus hominum detorqueret. Neque enim ex his quippiam volebat ipse contingere, quamquam illic inter alia vasa aurea et argentea plurima haberentur. Quod quidem in eo mirabile multum[c] multumque laudabile gentibus visum est, maxime cum is qui contemptum seculi hominibus persuaderet, et quae prima mortales ducunt[d], aurum videlicet et argentum contempnendo calcaret. Truncum Trigloi ipse contrivit, sed tria eius capita deargentata, a quibus et Triglous dictum est, secum 20 postea[f] inde abduxit, quae deinde beatae memoriae papae Kalixto[g, 20] in testimonium sui laboris et conversionis[h] ac credulitatis illarum gentium cum debita Christo gratiarum actione direxit.

II, 14. 13. Iam vero quantae cautelae studio baptizandis viris ac feminis, pueris ac puellis intenderit, haud facile dixerim, cum quidem ille omnes ad percipiendam sacri baptismatis gratiam invitaret, sed per semet ipsum solis eam masculis exhiberet. Nam et infantes recens[i] genitos[k] et feminas omnes cuiuslibet aetatis aut conditionis per alios maluit baptizari, ut ne in hoc quidem debitam deneges reverentiam sacerdoti, qui ita suum implevit ministerium, ut nichil verecundum aspiceret, nichil attingeret indecorum. Seorsum autem viros et feminas seorsum baptizari constituit, ut nichil prorsus existeret, quod baptizantium vel baptizandorum confunderet vel commoveret aspectum. Baptizatos denique mediocres quosque vel pauperes cibo ac potu laute refecit, ad hoc etiam non nichil eis[l] vestimentorum indulsit; filiis vero nobilium vel potentum anulos et baltheos[m], sandalia[n], aurifrigia[o], vel[p] alia quaelibet pretiosa munuscula contulit, ipseque nonnullos eorum de sacro fonte suscepit. Omnia vero quae ad peragendum sacri huius misterii institutum necessaria videbantur, ipse providit. Aquam apportari in humeris fecit[q], dolia vero, ut in ea baptizandi absque difficultate descenderent, foveis inponi ac terrae coaequari praecepit, nichilque quod in tali negotio vel honestati vel religioni congruerit, de industria vel negligentia prae- Ebbo II, 15. termisit. Moxque ut ab ydolorum sordibus et locum emundavit et gentem, basilicam ibidem exstruxit[r], quam in honore beati Adalberti martyris consecravit, credens nimirum, quod novellam illam ecclesiam suis meritis et intercessionibus sublevaret, qui et ipse olim pro 21 convertendis ad Christum incredulis in eadem[21] natione vel lingua suum sanguinem optulisset. Alteram quoque ante portam civitatis eiusdem in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli construxit et consecravit ecclesiam, quatinus ad Deum conversa gentilitas principum apostolorum, quorum esset imbuta doctrinis, patrociniis gauderet et meritis.

Herb. II, 22. 14. Interea Dominus miraculo grandi ac stupendo et[s] novellam firmat gentilium fidem, et suum magnificat sacerdotem. Nam mulier quaedam die dominica contra interdictum episcopi ad metendas segetes in agrum abierat, sed repente manus eius sinistra cum frugibus, dextra vero[s] cum falce contracta diriguit, ipsaque corruens exspiravit. Quod quidem admirationi maxime et terrori omnibus fuit, quibus liquido dabatur intelligi, quales postmodum de gravioribus culpis darent, cum quidem talem excessum non alia Dominus quam II, 36. ipsa mortis sententia vindicasset. Iam vero omnibus in fide Domini confortatis, beatus 22 pontifex ad civitatulam quandam Gridiz[t, 22] dictam per Oderam navigio venit, indeque rursus

a) *deest* 2. 3. *in* 1 *manu correctoris additum est.* b) *deest* 1 c) *deest* 1. 3. d) dicunt 3. f) *deest* 2. g) Kalisto 1. K. p. 2 h) conversionem 1. 2. i) recenter 1. k) g. r. 3. l) *deest* 1. m) balheos 3. n) scand. 3. o) aurifria 2. 3. p) et 3. q) in h. a. f. 2. r) construxit 3. s) *deest* 2. t) Grizic 3.

20) immo Honorio II. 21) Slavica, ex sententia auctoris. 22) *Garz.*

ad aliam in littore maris sitam quae Liybin[a] [23] dicitur navigavit, et pluribus utrobique conversis, Stetinenses reinvisere maturavit[b] [24]. 1124.

15. Ubi omnibus rite dispositis, praevidens sibi adhuc in aliis convertendis non modicum constare laboris, eis quidem, tanquam filiis karissimis, quos per euangelium in Christo genuerat, valefecit, sicque ad eos, a quibus dudum repulsus fuerat, Iulinenses videlicet, confidenter accessit. At illi, gratia divina praeventi, venienti illi[c] obviam ruunt, ac tandem eum cum[d] veneratione debita receperunt, se errasse, se peccasse dicentes, qui tantum[e] Domini sacerdotem exacerbare ullatenus praesumpsissent. rogare vero suppliciter, quatinus Dei sui, qui errantium animas non vult perire sed culpas, provocatus exemplo, hanc eis noxam dimitteret, et infidelitatis tenebris absolutis, lumen veritatis ostenderet. Tum vero antistes, paternis gratulatus affectibus, fide Christi eos plenius instruxit, et lavacro salutari poenitentia et ieiuniis praeparari fecit. Quos cum fontem vitae sitientes et fide alacres perspexisset, gaudens et Domino gratias referens, Christi baptismo gaudentes abluit universos. Ubi tanta ad eum baptizandorum multitudo confluxit, ut numerum illorum longe excederent, quos apud Stetin baptizavit. Herb. II, 36. Dec. 1.

16. Nec mora, continam unam, inter alia sacra deificam illam Iulii Caesaris quam colebant lanceam continentem, in manum episcopi tradiderunt. Quo videlicet loco et tempore Dominus grande miraculum ad gloriam nominis sui operari dignatus est[25]. Nam ubi ea quam diximus contina sita erat, fluvius redundans paludem fecerat, et iam undique circumfluentibus aquis, una tantum[f] in parte per eam ponte porrecto fanum illud adiri poterat. Quod ubi in potestatem episcopi, conversa ad Dominum gentilitate, concessit, ita subito arefactus est locus, ut omnes qui aderant mirarentur[g], cum quidem[h] certissime a Domino factum fuisse constaret, quod nullo certe humano ingenio tam brevi temporis spatio fieri potuisset. Iam vero palude cum summa, ut diximus, omnium[i] admiratione siccata, eam, quam crebra aquarum illuvies fecerat, aggere comportato[k] suppleri foveam fecit, moxque[l] oratorium ibi in honore beati Adalberti constituens, beatum illi Georium[26] collegam ascivit, tum quidem ut martyri quasi proprio patrono deferret, tum vero ut populus christianus desideratam supernae propitiationis habundantiam multiplicatis intercessoribus facilius impetraret. Ebbo III, 1 25

17. Ubi etiam paullo post[27] in dissimili elemento haud dissimilem Dominus per servum suum dignatus est operari virtutem, quatinus cum sanctis et apostolicis viris non inmerito conferendum ostenderet, dum qui praedicatione claruerat miraculis choruscaret. Cum enim peccatis exigentibus populus[m] civitatis a via veritatis, quam sanctus ei praesul ostenderat, paululum declinasset, eo usque vecordiae progressus est, ut erectis simulacris quae dudum abiecerat, profanas ac detestabiles sacrorum suorum nundinas celebraret. Videres[n] interea per totam[o] civitatem ludos scenicos agi, clamore ac strepitu omnia commisceri, cum subito igni succensa est civitas, qui quidem unde prodierit, sciri non poterat, sed ita habitum est ignem descendisse desursum, qui impietatis in Deum admissae deorsum ultor existeret. Verum praefata ecclesia[28], licet divina praedita virtute, vili tamen facta scemate[p] videbatur, utpote de virgultis exstructa et tota desuper stramine cooperta. Itaque civitate succensa, eiusdem ecclesiae tectum ignis invasit, iamque ad ipsum sanctuarium ardendo transierat. Tum vero mirum in modum, absque omni humani laboris[q] industria, quasi divinitus repercussum stetit incendium, ac si reflexione sui impetus exclamaret, quoniam laborem episcopi, quem maioris miraculi causa ex parte attigerat, ex toto consumere non auderet. Vere enim maius fuisse miraculum dixerunt, ut succensa tam levis et quae ignem semper consuevit nutrire materia sine humano extingueretur ingenio, quam si ne adtacta quidem fuisset incendio. 27 28

18. Ubi[r] aliud quoque pergrande et quod aeque stupeas miraculum contigit. Siquidem flamma incendii cum sese in altum attolleret[s], nichilominus et templum interius, et quaeque[t]

a) Liubin 2. b) deinde v. m. 2. c) *deest* 1. 3. d) cum eum 1. e) talem 3. f) tamen 3. g) m. q. a. 2. h) *deest* 2. i) o. ut d. 2. k) *ita* 3. comportare 1. 2. l) que *deest* 3. m) populo 1. 2. 3. n) Videns 1. 3. o) portam 3. p) s. f. 3. q) generis 1. r) U. q. a. 2. s) extolleret 2. t) quae 2.

23) Lubzin. 24) Herbordus II, 36 narrat Ottonem Lubino Iulinum navigasse. 25) quod neque Herbordo neque Ebboni memoria dignum videbatur. 26) immo Wenceslaum; cf. Ebbo II, 15. S. Georgius patronus erat monasterii Prieflingensis. 27) i. e. post Ottonis discessum in patriam. Cf. Ebbo III, 1. 28) S. Adalberti; vid. Ebbo l. l.

1124. in eo attingere[a] potuisset, invasit, ita ut et[b] velamen, quod faciem altaris operuerat,
ex totò consumeret praeter solam quae in eo depicta fuerat crucifixi imaginem Salvatoris.
Nam et imagines alias, beatae videlicet Mariae et sancti Iohannis, hinc inde depictas
flamma combussit[c]; sola autem, ut diximus, imago dominica tota remansit illaesa, ita pro-
29 prie servata sibi omni sua integritate vel forma, acsi de industria fuisset excisa[29]. Ecce,
hoc est quod diximus, quia in dissimili elemento haud dissimilem Dominus dignatus est
exercere virtutem, cum is qui paulo ante paludem ab aquarum inundatione siccavit, ipse
etiam paulo post a novella illa ecclesia ardorem ignis excussit, ac suam postremo imagi-
nem, hinc inde aliis ardentibus, ab incendio ignis servavit inmunem.

19. Praeterea episcopus et aliam ante portam civitatis eiusdem in honore beati My-
chahelis archangeli[30] construxit et consecravit ecclesiam, ubi et sedem episcopalem locare
disposuit. Sed eius ecclesiae curam sacerdos quidam Adalbertus[d] nomine, qui illi terra
31 marique comes et in peregrinatione tota socius ac consolator extiterat[e. 31], episcopo adhuc
Ebbo II, 18. vivente, suscepit. Porro inde digrediens, visitandi gratia adiit Chaminenses, eisque omni-
bus quae ad christianitatis cultum pertinent, replicatis, Cloden, quae est villa pergrandis in
cuiusdam silvae recessibus sita, cum suis comitibus profectus est. Ubi innumera hominum
multitudo prima praedicationis eius voce conversa, christianae fidei colla submisit, ibique
Herb. II, 37. episcopus ecclesiam in honore sanctae crucis exstruxit congruo satis ordine, ut ibi vexil-
lum crucis erigeret, ubi crucis gloriam praedicasset. Ventum est deinde ad homines quos-
dam, qui metu ducis Poloniae[f] profugi, incertis semper sedibus vagabantur. Paucas tamen
in littore maris casas exstruxerant, quatinus eis locus fugae pateret, quotiens dux idem in
32 eandem Pomeranorum provinciam, uti solebat, irrumperet[32]. Comperto itaque, quoniam
per eos transiret episcopus, ultro se ad percipiendam baptismi gratiam optulerunt, et fidem
Domini confitentes, baptizati sunt ilico quotquot fuerunt.

20. Quibus expletis, aliam nichilominus cui Colbrege vocabulum est magnam admo-
dum et opulentam adiit civitatem, ubi pluribus baptizatis ecclesiam construxit, quam in
Ebbo II, 18. honore beatae Mariae semper virginis consecravit, quatinus credenti iam populo gentium
perpetuum imploraret auxilium, quae ipsum Dei filium in salutem credentium de se genuit
incarnatum. Quo in loco episcopus diaconum Herimannum quendam nomine sui itineris
34 comitem amisit[33], qui videlicet in flumine praeterfluente[34] submersus, sancto pontifici suis-
que comitibus dolorem maximum dereliquit. Qui ilico celebratis exequiis in medio ipsius
ecclesiae[35], multas illic lacrimas ex imis fundendo visceribus, ossa peregrina honorifice
tradidit sepulturae, cunctorum invocans creatorem, quatinus illi supernorum civium con-
sortium non negaret, quem patria, domo, rebus fortunisque omnibus fecisset exortem. Sed
haec tristia relinquentes, ad rei gestae ordinem revertamur. Profectus inde episcopus item
ad aliam civitatem, quae a pulchro loci illius situ in illa barbara locutione vocabulum tra-
36 hens, Belgrod nuncupatur[36], praedicaturus advenit, praedicans baptizavit, baptizatisque
omnibus quos invenit in honore omnium sanctorum, velut in consummationem omnium
II, 11. laborum suorum constructam ibidem ecclesiam consecravit. Summa autem baptizatorum
haec fuit: in primo suo adventu 22165 homines baptizavit.

Epistola Ottonis. 21. Quibus baptizatis, diversis in locis, ut diximus, ecclesias construxit et consecravit, et haec secundum sanctorum patrum instituta servare eos docuit[g]. Scilicet ut sexta feria abstineant a carne et lacte more ceterorum christianorum; dominica die vacent ab omni opere malo et ad ecclesiam divinum officium audituri veniant, ibique orationibus studiose insistant; sollempnitates sanctorum cum vigiliis, secundum quod eis indicatum fuerit, omni[h] diligentia observent; sacrosanctam quadragesimam ieiuniis, vigiliis, elemosinis et orationibus diligentissime observare studeant; infantes suos in sabbato sancto[i] paschae et pentecostes cum candelis et cappa, quae dicitur vestis candida, et patrinis comitantibus ad baptismum deferant, eosque veste innocentiae indutos per singulos dies usque in diem octavum eiusdem sabbati ad ecclesiam deferant, et celebrationi divini officii interesse satagant. Hoc etiam iniunxit, ne filias suas necarent, quod nefas maxime inter eos vigebat; ne etiam filios et filias ad baptismum teneant, sed sibi patrinos quaerant, patrinis etiam fidem et amicitiam ut carnalibus parentibus servent. Interdixit etiam eis, ne quis ducat commatrem suam in uxorem, neque propriam cognatam suam usque in sextam et septimam generationem, et unusquisque contentus sit una uxore;

a) contingere 3. b) *deest* 3. c) flammas consumpsit 2. consumpsit 3. d) Adelb. 3. e) extitant 3. f) Polaniz 1. g) e. s. d. 2. h) o. d. *desunt* 2. i) sancte 3.

29) Et in hoc miraculo simplicem Ebbonis narrationem amplificavit. 30) S. Petri; cf. Ebbo II, 15. 31) Non in tota peregrinatione; dux Boleslaus Ottoni eum comitem dederat *de latere suo*, vid. Herbord. II, 40. 32) Obscurius repetit quae dilucide narravit Herbordus l. l. 33) Idem, ut videtur, Herimannus, de quo Ebbo II, 13. 34) Persante. 35) Quod non primo, ut vult auctor, itinere fieri potuit, quum veniret Colbergam Otto, sed posteriore itinere, ut rebus ipsis probatur et patet ex Herbordo II, 38. 39. 36) Germanice *Weissenburg*.

ne sepeliant mortuos christianos inter paganos in silvis aut in campis, sed in cimiteriis, sicut mos est omnium christianorum; 1125. Epistola Ottonis ne fustes ad sepulchra eorum ponant; omnem ritum et pravitatem paganam abiciant, domos ydolorum non construant, phitonissam non adeant, sortilogi non sint; ne quid etiam inmundum comedant, non morticinum, non suffocatum, neque ydolothitum, neque sanguinem animalium; ne communicent paganis, ne cibum aut potum cum eis aut in vasculis eorum sumant; ne in his omnibus consuetudinem paganam repetant. Iniunxit etiam eis, ut dum sani sint[a], veniant ad sacerdotes[b] ecclesiae et confiteantur peccata sua, in infirmitate autem[c] vocent presbyteros ad se, et confiteantur peccata sua et corpus Domini accipiant. Instituit etiam, ut de periuriis, de adulteriis, de homicidiis et de ceteris criminalibus secundum canonica instituta poenitentiam agant, et in omni christiana religione et observatione obedientes sint; mulieres post partum ad ecclesiam veniant, et benedictionem a sacerdote, ut mos est, accipiant.

PROLOGUS LIBRI TERTII[d].

Opitulante domini Dei nostri clementia, qui nos et sermones nostros suo nutu ordinat ac disponit, vitam beati antistitis ac totam peregrinationis eius historiam ex ordine prosecutus, pauca quae restant explicare aggrediar, bona venia id a lectoribus postulans, ut res potius quam verba perpendant, et aequo animo ferant, si aures eorum vitiosus forsitan sermo perculerit, quia regnum Dei non in eloquentia, sed in fide constat. *Quis vero nesciat*, ut ait quidam, *salutem saeculo non ab oratoribus, sed a piscatoribus praedicatam?*

LIBER[e] TERTIUS.

1. Igitur episcopus sanctus cum iam peracta[f] praedicatione ad propriam diocesim regredi deliberasset, salutatis omnibus quos in fide Christi erudierat, versus Poloniam iter Febr. 2. tetendit, quam a confinio Pomeranorum horrenda quaedam ac vasta admodum solitudo Herb II, 10. disiungit. Quo cum in capite ieiunii[g] pervenisset, tria officia trium dierum illius ebdoma- Febr. 11. dae qui reliqui erant, una cum officio eiusdem diei per singulos sacerdotes cantari fecit, eo quod haec suo ordine celebrari tum propter horrendam heremi vastitatem tum propter latronum incursum non posse praevidit. Tandem vero eadem solitudine peragrata, ad civitatem Uzdam nomine, quae est in extremis Poloniorum finibus sita, salvus et incolomis Febr. 18. cum illo suo frequentissimo et amantissimo discipulorum comitatu pervenit[37], 37 indeque ad ducem Poloniae tendens, incredibile memoratu est, cum quanta devotione vel gaudio susceptus sit. Nam et ipsi Gnozenensis ecclesiae canonici venienti obviam procedunt[h], Febr. 20. congrue in occursum[i] sapientis illud de libro sapientiae gratulabundae vocis tripudio decantantes responsorium: *Iustum deduxit Dominus per vias rectas*[k]; Sap. 10, 10. quod quidem personae illius, praesertim tam laboriosa praedicatione peracta, quam apte congruerit, prudens lector intelligit.

2. Itaque per aliquot dies a duce iam dicto in summa veneratione detentus, ac multis Ebbo II, 18 ab eo magnisque[l] muneribus honoratus, sicque post salutationes et oscula aliaque karitatis obsequia in pace dimissus, divina se gratia protegente, cum gaudio venit ad suos. Febr. 24. Nam et in coenobio suo Michelveldensi[m] coenam Domini celebravit, Mart. 26. ac tandem pro debito officii episcopalis ibidem crismate consecrato, in sabbato sancto ad civitatem usque perveniens, Mart. 28. citra[n] flumen Radantiam[38] in ecclesiam sancti Gengolfi declinavit. Mart. 29 Unde cum in crastino se levaret, clerus ac populus civitatis in maiori ecclesia congregatus episcopi sui operitur ingressum. Quo intrante, illa clericorum ac monachorum concio dealbata obviam procedit, et desiderabilem ac diu desideratum Domini sacerdotem cum cantu huiusmodi, qui videlicet et personae et tempori apte congrueret, gratulabanda suscepit[o]: *Advenisti desiderabilis, quem exspectabamus in tenebris; tu factus es spes desperatis, magna consolatio in tormentis.* Salutato deinde clero ac populo, et[p] cunctis in commune gaudentibus, per quatuor continuos annos in sede propria demoratus est[39]. 39 Neque vero minorem interea filiorum

a) st 1. s 3. b) sacerdotem 3. c) aut 3. d) *desunt* 1. e) inc. lib. 3. f) *deest* 2. g) p. i. 2. h) precedunt 1. i) c. ipsi o. 2. k) o. i. r. dei et d. i. s. s. h. i. in l. et c. l. illius 1. 2. l) que *add.* 3. m. m. ab eo 2. m) Michilv. 3. n) circa 2. o) s. g. 2. p) in *add.* 3.

37) Hunc et sequentes quos proponere conatus sum, dies itineris ita numeravi: Sex septemve diebus permigravit Otto in priore itinere horrendum nemus; cf. Herbord. II, 10. Ebbo II, 4; quos si in reditu eius numeraveris, 18. Febr. pervenit Uzdam, et duobus diebus viam Geznam emensus esse videtur. Ibi aliquot dies commoratus, discessit fortasse 24. Febr.; Gezna 29 vel 30 diebus ad coenobium Michelfeldense pervenit; idem enim fere tempus in hac via consumpsit in primo itinere; cf. Quandt Balt. Stud. X, 2, p. 133. 24. Mart. Otto erat in coenobio Michelfeldensi teste Ebbone II, 18. 38) *Regnitz.* 39) In hoc auctorem errare vide ad Herbordum III, 1.

suorum, licet absentium, curam gessit, sed multa principibus terrae illius, multa ecclesiis quas ibidem exstruxerat in auro et argento, in libris, in vestibus sacris vel cuiusque generis ornamentis una cum sanctorum reliquiis dona direxit. Multam quoque pecuniam pro redimendis christianis, quos a paganis captos audierat, destinavit, eosque de vinculis, de carceribus ac de truncis liberaliter liberavit.

3. Ex eo iam tempore vir beatus artius in conditoris sui contemplatione permansit, plus solito psalmodiae et orationi operam dedit, seque adtentius servorum Dei orationibus
40 commendavit, ita ut quadam vice in praefato illo monasterio beati Georgii[40] 60 psalteria pro se fecerit decantari. Quod quidem et[a] in aliis monasteriis suis pro se fieri postulavit, tandemque, ut creditur, multam sibi prophetici spiritus gratiam psalmodia et oratione concivit. Vox etenim psalmodiae, sicut et ante nos dictum est, dum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Domino ad cor iter paratur, ut intentae menti vel prophetiae mysteria pandat, vel gratiam compunctionis infundat. Hinc est, quod cum Helyseum prophetam Iosaphat de futuris interrogaret, et ei prophetiae spiritus deesset, psalterium[b] fecit applicari, quatinus prophetiae spiritus[c] super hunc per laudem psalmodiae descenderet, atque eius animum de venturis impleret. Sic itaque vir beatus dum psalmodia et orationibus Spiritui sancto ad se veniendi iter fecit, ea nonnunquam quae in remotis partibus gerebantur, interna eius inspiratione edoctus agnovit. Quadam etenim vice dum in municipio Botenstein dicto[d], quod ad Babenbergensem ecclesiam spectare dinoscitur, una cum clericis ac fidelibus suis sanctus episcopus moraretur, subito[e] intempesta nocte de somno consurgit, suumque illud, quod prae manibus frequenter habere consueverat, familiare psalterium requisivit[f]. Mirantibus capellanis ac sciscitantibus, quam ob causam illud tantopere ea dumtaxat hora inquireret, ait, quia pro anima fratris sui iam defuncti psalmos aliquot[g] decantare deberet, dicens, astare prae[g*] foribus qui eius exitum certissime nunciaret. Factumque est ut dixerat, ac primo diluculo supervenit qui fratrem episcopi migrasse a
41 saeculo nunciavit[41]. Quod utrum in spiritu ille praeviderit, an certe in visu cognoverit, nichil refert, quippe cum unius eiusdemque sit gratiae, et per visionem occulta cognoscere, et de futuris per spiritum prophetare.

Herb. III, 1. 4. Iam vero quatuor annorum evoluto curriculo post eam peregrinationem, quam ante descripsimus, rursus peregrinandi ac praedicandi gratia Pomeranorum gentem adire dis-
1127. posuit. Moxque, per Saxoniam iter acturus, cum ingenti suorum vel moerore vel gaudio
Mart. 31. profectus est, qui etsi de gloria Christi, de salute gentium laetabantur, tamen quasi oves bonae de boni pastoris absentia non poterant non dolere. Itaque de Parthenopoli[h. 42] per Albam[i] fluvium navigio descendens, apud castrum Havelberg dictum cum suis applicuit.
43 Ubi dum gentilium multitudinem maximam invenisset, praedicare prohibitus est[43] eo quod ille magnus et eloquens vir Nortpertus[k], Parthenopolitanus antistes, gentem illam sibi quasi suae diocesi contiguam vendicaret, ac sancto pontifici clandestinis[l] quibusdam machinationibus vocem praedicationis eriperet. Cumque eum comites sui praedicare gentibus hortarentur, episcopus sanctus, sollicitus servare unitatem in vinculo pacis, altiori consilio, ne videlicet in alienam messem falcem mittere videretur, illis quidem in partibus praedicatione abstinuit, sed per terram Louticiorum[m] transiens, cum in provinciam Vunz-
44 lov[n. 44] nuncupatam confecto itinere devenisset, in tribus eius nominatissimis civitatibus
Herb. II, 39 Uznoim[o] scilicet, Chozgov et Ologost[p] praedicavit. Baptizatis ut omnibus quos invenit, maxime cum et plerosque eorum per internuncios suos iam antea convertisset ad fidem, in civitatibus singulis singulas fabricavit ecclesias, et dotem singulis a duce Bratizlao, cuius et supra meminimus, impetravit. Quarta denique Timin[q] civitas fuit, in qua diebus plurimis commoratus, praedicare et baptizare non desiit.

a) *deest* 2. b) psalterio 2. c) *deest* 3. d) dicta 1. 2. 3. e) subita 1. f) inquis. 3. g) aliquos 1. g*) pro 1. 2. 3. h) Parthenopolin 3. i) albeam 2. k) Noripertus 2. l) clamdestinus 2. m) lůtz 2. n) Wunzlov 3. o) vznoi 1. 2. 3. p) Ologast 1. q) thimin 2.

40) cuius mentionem fecit supra I, 30. 41) Si fides auctori, Fridericus de Mistelbach inter primum et alterum Ottonis iter obiit; anno 1125 die 4. Mai. erat adhuc inter vivos, ut probatur Ottonis diplomate in commentatione Oesterreicheri Geöffnete Archive Baierns I, 10, p. 176. 42) immo de Hala per Salam. 43) Praedicavit euangelium Havelbergae, teste Ebbone III, 3. Auctor non bene coniunxit quae de Norberto et Ottone leguntur Ebbo III, 3. 4. 44) Errat auctor, si Vunzlov idem est quod Wanzlo in Ottonis I. diplomate de episcopatu Havelbergensi. Wanzlo est occidentalis pars Usedomae insulae; cf. Cod. Pomeran. dipl. I, 19. Itaque civitas Uznoim sita erat in Vunzlov.

5. Interea Stetinenses, in quibus convertendis episcopus sanctus omne suae peregri- 1126. nationis tempus expenderat, faciente perfidia sacerdotum ad feces pristinas devoluti, fana deorum, quae dudum ille destruxerat, rursus exstruxere, et exstructas ab eo ecclesias destruere cogitabant. Videntes siquidem sacerdotes, quod spes quaestus eorum relictis Ebbo III, 1 ydolis deperisset, deos sibi habitu et aspectu terribiles astitisse dixerunt, et cultum[a] Christi ac suimet sibi improperasse contemptum. Nam et pestilentiam, quae forte in diebus illis exorta totam paene Stetinensium invaserat civitatem, ira deorum factam fuisse dicebant, eo quod, vana christianorum superstitione recepta, religionem pristinam reliquissent. Itaque congregati gentiles in ecclesiam beati Adalberti martyris irruperunt, ac primo Herbord. III, 16. campanas, quae ante fores ecclesiae suspensae fuerant, deiecerunt, cum quidem ad declarandam Christi potentiam ita sanae et integrae permanerent, ac si proiectae minime fuissent. Cum interim profanus quidam ac detestandus pontifex ydolorum ecclesiam furibundus intravit[b], ut, quod sacrae intentionis studio Christi sacerdos exstruxerat, ausu temerario altare destrueret; qui ilico tremefactus obriguit, ita singulorum paene membrorum officiis destitutus, ut sui se impotem miraretur[c]. Paululum ergo emendatus ex verbere est, ita ut egressus foras ad populum, Deum christianorum Deum esse fortissimum testaretur, nec eius confringendum altare, sed aliud[d] iuxta illud diis[e] constituendum assereret, quatinus utrosque colentes, utrosque habere propitios potuissent. Acquievit his populus, et iuxta altare dominicum aliud altare constituens, ydolis consecravit. Et deinceps quidem in altero Deo, in altero vero daemonibus immolans, pari utrisque studio est[f] obsecutus, nisi quod eum ad exhibendam ydolis servitutem inolita ipsius ydolatriae consuetudo fecerat promptiorem. Reddita est antiquitatis historia, qua refertur, quod populus Samariae, cum deos gentium coleret, Domino nichilominus serviebat[g].

6. Episcopus aberat procul[45], et mirum in modum his agnitis tabescebat, ut com- ibid. III, 13 pleretur in eo illud psalmigrafi: *Tabescere[h] me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua* Ps. 118, 139. *inimici mei.* Recte namque inimicos eius fuisse dixerimus, qui verborum illius, hoc est pristinae praedicationis, obliti, dum suam vellent iustitiam constituere, iustitiae Dei non fuere subiecti. Super his itaque malis episcopus contabescens, cum rursus Stetinenses invisere eosque ad poenitentiam et conversionem cohortari disponeret, familiares sui, quorum perpauci[i] in eadem urbe[46] remanserant, eum[k] saepius, siquidem[l] vitae suae velit esse consultum, ne prorsus ad eos accederet praemonebant; suum vero infructuosum fore laborem, nichil esse bonae spei in populo, animum eum gerere bestialem[m], mortem episcopi ac suorum sitire cruorem. Dissolvi quidem episcopus et esse cum Christo modis omnibus cupiebat, verum comites eius non idem omnes ardor accenderat, maxime cum quidam eorum altiori eum consilio detinerent, fieri posse dicentes, ut oportunius sibi suisque utilius navigaret, dum a furore concepto infidelis ille populus paululum quievisset. Postremo non iustum videri, si semet ipsum in mortem praecipitem daret, quem adhuc permanere in carne, si non sibi, certe vel suis, quorum illi praecipue exemplo apostoli quaerenda esset utilitas, expediret. Non multum equidem hac ratione episcopus[n] movebatur, aliquamdiu tamen remorari eo quod nullus suorum sequi eum acquiesceret, compulsus est. Vix pauci effluxerant dies, volensque iterum proficisci, dum ad iter agendum comites suos tardiores aspiceret, solus parabat abscedere, morae et quietis impatiens, quamdiu quidem Stetinenses in sua perfidia perstitissent. Accepta itaque oportunitate, de scrinio suo, in quo pontificales eius libri et infulae servabantur, aliqua de vestimentis sacerdotalibus latenter[o] assumens, per viam quae ducit ad mare, nemine comitante vel conscio, properabat. Videns hoc quispiam ad ceteros cucurrit exanimis, abisse episcopum et quiddam e scrinio clam sustulisse denuntians. Quod illi audientes exiliunt, senemque quantocius insecuti, inventum et retentum, quod solus abierit obiurgantes, renitentem eum ad locum tabernaculi, quod e regione maris fixerant, reduxerunt. Neque vero diutius desiderio ac bono proposito eius reniti eis aut contraire constantia fuit. Ita auctoritate illius Ebbo III, 15. omnes oppressi sunt, ut nefas putarent, si non acquievissent. Ire ergo quantocius et mori cum eo, si res ita exigeret, decreverunt, de gratia Dei, non de suis viribus praesumentes.

a) cultu 3. b) e. i. f. 2. c) mirarentur 2. d) aliud altare const. 3. e) *deest* 3; *in* 1 *add. manus correctoris.* f) e. s. 2. 3. g) servierat 3. h) Thabescere 2. i) perpauca 1. 2. 3. k) cum 1. 3. l) quidem 1. m) b. g. 3. n) ep. h. r. 2. o) *deest* 2.

45) Defectionis tempore Bambergae erat. 46) Usedomae.

1127. Gavisus episcopus devotionem quidem approbat singulorum, verum non omnibus expedire[a] dicebat, ut in tanto vitae suae periculo navigarent. Paucorum hoc esse et qui perfectiores[b] ceteris viderentur. Et alios[c] quidem residere ad sarcinas iubet, alios vero instare operi distributo; ac sic demum ipse cum paucis probatisque personis, quarum illi fides cognita erat et nota devotio, profectus est.

Aug. 7. Qui mox ad mare conscendens, tanta illud velocitate transivit, ut volasse eum potius quam navigasse putares. Cumque ad urbem Stetinensium, quo iam adventus ipsius[d] Ebbo III,15 fama praecesserat[e], pervenisset, in ecclesiam beatorum apostolorum[47], quam ante portam civitatis eiusdem ipse construxerat, cum illo frequentissimo discipulorum desiderantissimoque comitatu secessit, pro salute sua ibidem et illius[f] populi ignorantia Dominum rogaturus. Cum interim e civitate armatorum irruit multitudo, parata rapere sacerdotem et eos qui secum advenerant trucidare. Unus autem ex civibus, cui auctoritatem non sapientia solum sed et senectus addiderat, id fieri videns, vehementer indoluit, ac primo conversus ad plebem, ut quid contra inermes armata convenerit, sciscitatur, armis vero iniuria eis qui pacem obtulerant obviari, postremo perdere homines innocentes sine causa, sine audientia, non debere.

Virg. Aen. II, 650. Talia perstabat memorans, fixusque manebat.

Cuius sermonibus aegre tandem populus acquiescens, ea quidem die vel hora a nece epi-48 scopi ac discipulorum eiusdem manus utcumque continuit. Postera die[48], quae quidem dominica habebatur, cum in praefata ecclesia missarum sollempnia celebrasset, nichil moratus infidelis ille populus cum ingenti strepitu supervenit, tum vero pontificem omnesque eius comites novo et inaudito mortis genere perempturus, erroris sui poenitentia ductus, quod eis vel unius horae momento pridie pepercisset. Ille vero pontificalibus infulis uti sancto altari astant[g] decoratus, cum duobus presbyteris[49], qui ei in vice diaconi ac subdiaconi ad missam fuerant obsecuti, per mediam civitatem populo spectante processit. Moxque mirum in modum episcopi ac ministrorum eiusdem indumenta purpurea, infuso desuper sole, fulserunt, adeo ut illo solis ac vestium fulgore insolito, quodque credibilius 50 est nutu divino infideles exterriti, fugarentur[50].

8. Porro episcopus, locuturus ad plebem, in excelso urbis constitit loco, ut se in eminenti apostolicae administrationis specula disponente Domino constitutum actu et habitu comprobaret. Quo videlicet loco et tempore copiosa hominum multitudo, quid tandem loqui gestiat auditura, convenit. Iubet episcopus interpretem suum virum prudentem, qui 51 nunc eidem populo praeest[51], adventus sui causam exponere, quae quidem esset huiusmodi, ut eos ad poenitentiam provocaret, qui relicto Deo vivo et vero, quem superiori eius praedicatione cognoverant, simulacra[h] gentium, quae nec vident nec audiunt nec locuntur, Ebbo III,16 veneratione[i] indebita coluissent. Cumque de[k] his omnibus interpres antistitis copiosius disputaret, profanus ille ydolorum pontifex supervenit, et ingenti strepitu concitato vocem illi praedicationis eripuit. Conversus denique ad astantes, monet, ut voce consona diis Herbord. III, 18. gratias agerent, qui suos ac patriae publicos hostes eorum manibus tradidissent. Nam reliquos quidem per varia interire tormenta, episcopum vero, qui totius mali caput exti-Ebbo III,16. terit, in frusta concidi debere testatur. His dictis lanceam, quam, uti mos omnibus erat, manu gestabat, in sanctum Domini vibrare parabat, idemque alios facere exhortatus[l]: *Nunc*, inquit, *omnium iaculis confossus intereat, qui ad interitum omnium nostrum modis omnibus elaborat!* Sed infelix turba gentilium, ubi contra episcopum manum levare praesumpsit, in ipso conatu diriguit, illius utique experta[m] virtutem, cuius interimere voluit sacerdotem. Iam vero cum[n] ipso auctore sceleris solo fixa, ac si saxea foret, stabat inmobilis, et manus, quas in altum audacter extenderat, iam ab alto deponere, ut ligatas eas in aere crederes, non valebat. Iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum, dum illis salutem eripis suam, qui ad eripiendam salutem venerant alienam! *Quid*, inquit interpreti suo episcopus sanctus, *quid in tam tristi rerum exitu faciemus?* Monet interpres, illius enim in

a) expediret 2. b) prof. 2. c) Et ad al. 2. d) eius 2. e) process. 3. f) et p. i. i. 2. ipsius 3. g) astans 2. h) symucra 3. i) nec veratione 3. k) et 3. l) adhortatus 1. m) expertus 1. 2. 3. n) Cum v. c. 2.

47) Petri et Pauli; vid. supra II, 13. Petri secundum Ebbonem II, 1. III, 18. 48) Non secundus, sed tertius dies erat dominicus. Herbord. III, 14. Ebbo l. c. 49) Udalrico et Adalberto. 50) Hoc miraculum innuit Herbordus III, 20. 51) Adalbertus, primus Pomeraniae episcopus.

talibus uti solebat consiliis, quatinus elevata manu populo benedicat, eumque ad propria abire permittat. Ille confestim duobus psalmistae versiculis: *Sit nomen Domini benedictum*, Psal. 112, 2. et: *Adiutorium nostrum in nomine Domini!* ex more praemissis, familiare illud ori suo signum Psal. 128, 8. crucis impressit[a], ac super astantes benedictionis verba sollempnia recitavit. Cuius ilico benedictionis efficaciam gentiles experti sunt, qui pristina mox incolomitate recepta, laeti ad propria redierunt[52]. 52

9. Procedit inde episcopus et contra ecclesiam beati Adalberti martyris discipulis comitantibus properavit. Interea pueri, quos in platea ludentes offenderat, undique visendi studio circumfusi, Herbord III, 19. a tergo episcopum consecuntur, hominum ignotorum, ut ea aetas solet, adspectum et habitum admirantes. Quos ille per supradictum interpretem allocutus, si qui eorum baptisma susceperint, sciscitatur. Cumque illi et illi baptizatos se esse dixissent, quaesitum est ex parte episcopi, utrum eorum sederet arbitrio, ut in fide, quam in baptismo tenendam acceperant, permanerent. Respondent pueri, ita sibi esse propositum, uti legibus christianis, et in fide katholica, quam semel agnoverint, permanere. Monet episcopus eos, qui baptizatos se esse meminerint, ab his qui baptizati non fuerant, separari, et nulla deinceps cum infidelibus communione misceri. Ad hanc vocem pueri christiani pueros paganos abicere atque procul repellere episcopo inspiciente coeperunt, ita ut nullum eorum in medio sui stare permitterent. Itaque pulchrum eo die spectaculum puerorum illi ludus exhibuit. Gaudens et gratias agens credentes ex eis fide Christi plenius instruxit, et ad fidem incredulos pia exhortatione perduxit. Ubi revera impletam credimus praesagam illam psalmigraphi[b] vocem: *Ex ore infantium et lactentium* Psal. 8, 3. *perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem.* Tali etenim modo ex ore infantium Christi laude perfecta, non multo post pars inimica et ostensa est pariter et destructa.

10. Visis namque[c] mirabilibus quae fiebant, principes civitatis cum reliqua multitu- Herbord. III, 20. dine consedentes, habita secum deliberatione, obtemperare episcopo et Christo credere decreverunt, maxime cum eos ad fidem praedives ac praepotens quidam Wirtsca nomine, qui miraculorum vel magna pars fuerat, incitaret. Homo iste ad Danorum provinciam paulo ante transierat, captusque ab eis et coniectus in vincula est, diebus plurimis omnia illa quae dampnaticii solent ferre perpessus, ut non de reditu tantum sed et de vita penitus desperaret. Cum subito noctis tempore veneranda canicie senex, instar nivis candorem efferens, astare homini visus est, vitamque et reditum pollicere poenas deinde daturo, siquidem deinceps non obtemperare episcopo, si non et aliis doctrinam ipsius commendare satageret. Ille qui tali constrictus articulo, vellet etiam maiora promittere, deierare coepit et nomen divinitatis[d] obtestans dicere: *Domine Deus, qui gentem nostram per eundem episcopum ad* Ebbo III, 2. *agnitionem tui nominis venire fecisti, si umquam monita eius vel extrema contempsero, si non et aliis universa quae praedicat commendare curavero, te negavi!* Neque vero inanis fuerat sopor aut somnia vana, quibus saepe deludimur. Nam protinus in haec sacramenti verba dimissus, catenis simul et carcere liber abscedit. Qui cum venisset ad mare, inventam naviculam solus sine remige, sine duce, hostium quos a tergo formidabat timore compulsus[e] intravit, tutius fore existimans pelagi se fluctibus credere, quam denuo inhumanitatem eorum quos semel evaserit experiri. Navis itaque[f], a validissimo vento arrepta, per undas concite ferebatur, et mari vastissimo mira velocitate decurso, incolomem eum ad littus exposuit. Egressus ille de navi, Stetinensium adiit civitatem, cunctis audientibus Christi clementiam eiusque virtutem, ac suae ereptionis historiam non sine digna laudis admiratione commemorans. Denique in praefata principum concione consedit, et solus pene omnem populum, ut sibi divinitus imperatum fuisse meminerat, episcopo obtemperare persuasit. Postquam ergo in eius sententiam concio universa consensit[g], haec illi iniuncta legatio est, Herbord. III, 20. ut promptam omnium voluntatem et unanimem in Christi religionem consensum episcopo nunciaret. Ille veniens et episcopi nomen inclamitans — quod in lingua eorum, siquidem una littera demutata pro eo quod est *Otto Otta* dixeris, patrem sonat: — *Tuis*, inquit, *haec civitas monitis obtemperare consensit*[g], *et ydola quae colebat pedibus tuis conculcanda substernit.* Cumque ad huius subiectionis indicium virgam quam manu gestabat ante pedes episcopi proiecisset, profanus ille ydolorum sacerdos confusus et confutatus aufugit, et Ebbo III, 16. varias quidem episcopo postea moliebatur insidias, sed eas Christus sua ineffabili[h] potentia

a) exp. 2. 3. b) i. p. p. 2. c) *deest* 3. d) deitatis 1. e) c. t. 3. f) namque 3. g) concessit 2. 3. h) inevitabili 2. 3.

52) Haec neque apud Herbordum neque apud Ebbonem leguntur.

53 et virtute cum ipso sceleris auctore destruxit. Sed de hoc alias[53]; nunc reliqua prosequamur.

1127. 11. Accepta igitur legatione episcopus, quae et[a] votis sui congrua et illorum saluti proficua videretur, primo quidem flere prae gaudio et inmensas Deo gratias agere coepit; deinde renovare ecclesias et fide Christi plebem instruere non cessavit. Erat forte tum temporis homo habens arborem nucum, quam stultus ille paganorum populus quasi sub religionis obtentu frequentare consueverat. Qui nulla ad hoc poterat ratione induci, ut arborem pateretur incidi, maxime cum et religionem estimaret in cultu et commodum haberet in quaestu. Episcopus quidem eum sedulo commonere, nichil esse religionis in stipite, in Deo potius cui serviret ipse confideret[b], arborem illam oportere succidi, quia esset daemoniis dedicata. Ille vero nichil his rationibus cedere, postremo iurare in diis suis, numquam arborem se vivente, se consentiente, succidi. Quam cum forte episcopus aggressus fuisset abscidere, ille eum[c] securi percutere voluit, sed veritus ab eo, casso vulnere aerem ver-
Herbord. III, 22. beravit. Cumque a fidelibus qui forte tunc aderant rogaretur, uti patientiam[d], quam aliis persuadebat, ipse prior ostenderet, arborem illam fore innoxiam, pateretur episcopus eam inconvulsam, abdicato errore, subsistere; victus precibus, assensum dedit. Et arborem quidem, ne suam ulcisci videretur iniuriam, stare permisit, verum ab homine supradicto, ne quid ei deinceps venerationis impenderet, aut aliquo venerationis cultu dignam crederet, securitatem quam exigebat accepit.

12. Volens deinde episcopus sanctus etiam Iulinenses invisere, discipulis aliisque
Sept. quibusdam comitibus, profectus est. Hic vero profanus ille ydolorum antistes[54] sancto tetendit insidias. Viros namque in navi praemiserat, qui tandem oportunitate accepta, sanctum interimerent[e] sacerdotem. Quibus cum occurrisset episcopus, illique in eum insurgere voluissent, quidam Stetinensium, qui una cum episcopo navigabant, sumptis armis stare pro navi et acriter dimicare coeperunt, ita ut hii qui ex adverso fuerant praeparati, non
Ebbo III, 20. sine ignominia sint repulsi. Ille interim domi tanti sibi sceleris conscius residebat, cum ecce, repente glorians deorum praedicare clementiam coepit, dicens se ab eis accepisse responsum, quod ea die, hora tali — qualem videlicet ipse cum carnificibus commentus fuerat — nuncius adveniret, qui vel abscisum veterani illius episcopi caput afferret, vel ipsum certe cum suis in mare demersum certissime nunciaret. Nec dum ille verba finierat, cum ecce, caput eius subito retorqueri, ipseque diras et horrendas coepit voces emittere, ita ut innumera hominum multitudo fama facti huius excita convenerit. Qua praesente, inter horrendos corporis cruciatus omnia suae malignitatis archana detexit, ac tandem districtam contra se ipsum sententiam ferens: *Quia*, inquit, *episcopo obtemperare contempsi, quia populum a fide quam praedicat aberrare persuasi, en morior. Timete Deum!* Quibus dictis, protinus exspiravit. Tantus autem tamque intollerabilis foetor omne illud in quo iacebat habitaculum replevit, ut indubia indicia relinqueret, ad quales epulas de illa sua habitatione transierit. Factumque est, ut ipso tempore quo nuncium super interitu episcopi vaticinatus fuerat affuturum, episcopo apud Iulin commorante, nuncius superveniens repentinum illius nunciaret interitum. Alter etiam sacerdotum, qui ei et in nece episcopi et in ceteris
55 malis assensum dedit, non multo post in crucem actus[55], horrendo et ipse exitu vitam finivit. Super his autem et super aliis, quae quidem digna esse miraculo viderentur, episcopus sanctus firmissimum discipulis indixit silentium, docens eos de Domini pietate praesumere, non de suis actibus superbire.

56 13. Aliud quoque miraculum, quod apud ipsam Iulinensium civitatem[56] accidisse comperimus, quia ad praesens memoriae occurrit, hoc in loco dignum putamus inserere. Homo
Aug. 10. quidam cum in festo beati Laurentii agrum meteret, presbytero[57] forte qui loci illius regebat[f] ecclesiam superveniente, corripitur, quod sacrae diei, in qua vacandum christianis[g] omnibus foret, reverentiam non haberet. Ille ut erat adhuc gentilitatis assuetus operibus, verba presbyteri audire contempsit, et coepto ab opere non cessavit, cum subito messem illius ignis invasit, et totam quae in agro eodem inventa est segetem, aliorum laboribus
58 prorsus intactis[58], edax flamma consumpsit. Oportebat enim, ut contemptum martyris ignis potissimum expiaret, qui suum pro Domino corpus cremandum ignibus obtulisset.

a) *deest* 3. b) c. ipse s. confidere 2. c) cum 1. d) patientia 3. e) interimerunt 3. f) gerebat 3. g) *deest* 2.

53) III, 12. 54) III, 10. 55) Non in cruce mortuus est, consentientibus Herbordo III, 24. et Ebbone III, 20. 56) Caminae; Ebbo III, 22. 57) Boccheo. 58) De hoc nihil duo alii scriptores.

14. Ibi quoque mulier quaedam subita coecitate percussa ad ecclesiam venit[a], ac Herbord. III, 26 tristem tantae calamitatis eventum praesente episcopo[b] deploravit. Ille eam, uti plerisque mos est, si quando eis adversi quicquam contigerit, signum quod pro foribus templi pendebat pulsatum ire praecepit. Abiit, pulsavit, ac statim coecitate depulsa, apertis oculis dudum negata lux patuit.

15. His rite peractis, reversus ad propria est, et cum summa omnium exultatione susceptus, beatae memoriae Honorio, Romano pontifici, anulum misit, rogans, ut eundem sibi consecratum[c] remitteret, quatinus per hunc aliquem scientia et moribus commendatum[59] sede episcopali, quam in illis partibus locare decreverat, investiret. Et deinceps 59 quidem receptum anulum reservavit, sed vario rerum eventu et ipso demum mortis articulo praepeditus, id quod intenderat adimplere non potuit. Qui anno dom. inc. 1139, or- 1139. dinationis autem suae[d] anno 32.*, indictione 2, pridie Kal. Iulii rebus excessit humanis. Iun. 30.

16. Post haec adveniente Wirzburgensis civitatis episcopo, beati viri corpus in ecclesia sancti Mychahelis archangeli in magna gloria est humatum, ubi ipse, dum adhuc viveret, sibi sepulchrum praeparari fecit.

EXCERPTA DE OTTONE EX LIBRIS ANDREAE ABBATIS S. MICHAELIS BABENBERGENSIS.

VITA PRIOR A. 1487 SCRIPTA.

INCIPIT PROLOGUS IN VITAM SANCTISSIMI OTTONIS BABENBERGENSIS ECCLESIE EPISCOPI AC POMMERANORUM GENTIS APOSTOLI.

Domino reverendissimo Deoque vere dignissimo Benedicto, Dei gracia sancte Caminensis ecclesie pontifici[60], Andreas, humilis servitor fratrum cenobii sancti Michaelis 60 archangeli, ordinis seraphici Benedicti prope et extra muros civitatis Babenbergensis, in ipso, qui est via, veritas et vita, viam, veritatem et vitam invenire sempiternam deposcit. Exigitis a me, pater per secula memorande et presul nominatissime[e] in orbe, ut signa et portenta, que per opinatissimum nunc in secula sanctum Ottonem, Babenbergensis ecclesie episcopum ac nostris[61] temporibus Pommeranorum apostolum, novis temporibus di- 61 vina[f] peregit clemencia, cura diligentissima indagata, ad laudes et nomen deifice[g] Trinitatis nec non ad excitandos animos dominice plebis — prout eadem contulerit liberalitas ac deifica Trinitas — scedulis annotare decertem[h]. Gravis siquidem gravi scelerum pondere pregravato a vobis michi inponitur sarcina, quoniam peccatis obnoxio horrendum est tractare de sacris, et miscere aliena non propriis. Verum quoniam, gloriose pontifex, virum desideriorum vos fore comperior, et cum Daniele propheta semper nova de abditis indagare curiosius cerno, artor nimis, et inmensis circumquaque septus angustiis, quid eligam penitus ignorans, primum oppilatam pudore faciem mentis obfirmo, quoniam indignum me esse non ambigo; dein obediencie normam primam humilitatis aspiciens gemmam, si iubentis dicta superba aure contempnam, timeo, ne legem prevaricacionis incurram; tum ad memet clavum retorquens, imperície infirmitate languesco; inde inbecillitati mee, non scrupolositati mee, vires haut proprias sed Olympiacas obicio. Rursus si aggredi, licet trepidus, pertemptavero, ne a lectore philocompie[i. 62] noter infamia, perhorresco, 62 dum, obmissis philosophicis ac preclare indolis viris[63] — qui in propheciis calami nomine designantur — ego — qui nec viridis iunci extimo[64] vocabulo mereor titulari — incompto

a) pervenit 2. b) ac tant. c. tr. e. 2 c) c. s. 2. d) s. a. 3. e) nomīatus A 1. f) *hunc locum usque* Olympiacas obicio *Andreas repetivit in praefatione ad catalogum epp. Babenberg. nonnullis mutatis* A 3*. g) vivifico A 1. h) sced. ann. decertem *alia manu sed coaeva in margine* A 1. i) philocompita A 1.

59) Adalbertum, qui Pomeraniae episcopus est constitutus bulla Innocentii II. scripta 14. Oct. 1140 Cod. Pom. dipl. I, 36. *) Numeravit annos ordinationis Ottonis, sed falso ab anno 1107 non ab anno 1106 duxit. Cf. Herbord. I, 7. 10 60) 1486—1498. 61) i. e. recentioribus. 62) i. e. vanae gloriolae. 63) Respicere videtur ad Psalm. 44, 2. et Iesaiam 35, 7. 64) i. e. infimo.

arduum opus exordiar stilo; et dum mundialium plurimorum indomita superbia, que sanctorum vias ac vitas calce proterit petulanti, et mira eorum, si qua audierit, pediculosa aure percipit, audiens me nostris seculis inaudita et tamen veracissima in patulo proferre prodigia, canino incipiat[65] dente corrodere et verissimis falsa preferre. His atque aliis vallatus angustiis — quia cum refertus contagiis acsi ericius spinis, ut verbis Salomoniacis Eccli. 12,12. loquar, *frequentativa meditacio* mentis mee *est afflictio carnis;* — quocirca ad arcem confu- Psal 50,17. giens, his verbis clamabo: *Domine, labia mea aperies, et os meum annunciabit laudem tuam,* ut ipso adiuvante cuius sum, scilicet[a] carnis condicione[b], iussionis vestre persolvatur exactio. Cum autem mire caritatis virtus, que ex dulcifluo pectoris vestri emanans fonte, id exiguitati mee iniunxerit[c] officii, ut libellos de vita beati nostri patroni Ottonis, veraci quidem sed simpliciori quam oportuit sermone editos, culciori stilo reddam luculentos, pius quidem, fateor, iubentis affectus, sed non eque facilis parentis esse poterit effectus; quippe cum et tarditas ingenii mei et exteriores cure, amaro, ut sic dictum sit, sapore condite, me prohibeant tam arduum opus aggredi. Accedit eciam, quod venerande memorie Ebbo, nostri cenobii presbiter et monachus, nulli modernorum secundus, idem negocium attemptavit, cui si ipse manum extremam imposuisset, parvitas mea super hoc omnino digitum ori imposuisset. Attamen seriem historie tocius verbis suis fidem accommodans, ipsius vestigiis inhesi, absque his per eum obmissis, que supplevere duo viri celeberrimi fide digni, Tiemo videlicet nostri cenobii prior, ac Sefriedus presbiter per modum dyalogi loquentes. Fuit autem Tiemo ipsius sancti Ottonis minutus[66] quinquennis, super quem sanctus Otto habuit oculos bonos, eo quod de illustri esset parentela et ab ipsius cunabulis ad monasterium translatus, et quod esset puer graciose pulchritudinis, iocundus valde atque mirabilis factis et dictis, factis omnes letificans. homo simplex, velut Iacob habitans in tabernaculis cum Rebecca, matre sua. Que Otto sanctus domi agere solitus erat, et de fundacionibus cenobiorum, ecclesiarum ac cellarum cenobita ac cellista claro sermone edixit. Alter vero Sefridus nomine presbiter, quid in peregrinis[d] et barbaris nacionibus egerit episcopus Otto, quia horum conscius — nam socius predicacionis exstitit — sibi erat, et quomodo apud principem in curia deguerit, vel qua oportunitate in curiam venerit, et inde ad pontificatus dignitatem, homo curialis et in curia enutritus apte explanavit. Id ipsum tamen quod composuere, licet eloquii venustate redoleat, tamen ita verborum ac sentenciarum sublimitate se in altum extollit, ut vix aliquis infirmorum exinde aliquid percipere possit. Alterius vero Ebbonis racio, etsi rerum veritate subnixa, sic tamen pene videtur humi iacere, ut quisquis sapientum semel hinc quiddam potuerit gustare, pigeat ulterius ad hanc inclinare. Quocirca, beatissime pater, vobis placuit huiusmodi onus michi imponere, ut inter utrosque medius incedens, talem moderato sermone materiam componam, ut ex utraque parte ad se venientes, media caritate constrata, et parvuli lac quod sugant, et fortes valeant invenire cibum quem commedant. Quod ego omnimodis abhorrerem, nisi Eccli. 4,17. scriptum esse scirem: *Melior est obediencia quam victime;* nunc vero, si data intercessionis vestre manus[e] manui mee ducatum prebere sposponderit, adiunctis vobiscum beati Ottonis Sap. 10,21. meritis, omnipotentis verbi, quod *aperuit os mutorum et linguas infantum fecit disertas,* fretus auxilio, obedire temptabo, breviter strictimque describam, ut lectoris animum etsi sermo incultus offendit, tamen brevitas ad legendum provocet, ne verborum fucis veritatem obducam, ne, dum scriptor eloquencie pompam requirit, lector tantarum virtutum scienciam amittat, quem non magis verborum faleras pompasque sermonum, quam virtutem rerum graciamque Spiritus sancti expectare[f] conveniet. Siquidem noverimus viatores graciorem habere aquam, si viderint brevi vena aquam stillare fontem, cum siciunt, quam profluentes rivos, quorum copiam sitis tempore reperire non possunt; et ordeaceus panis dulcis solet esse eciam his, qui centenis vicibus ferculorum cottidiani convivii copias ructare consueverunt; sed et hortorum amena mirantibus herbe agrestes placere consueverunt. Quam ob rem obsecro omnes, in quorum manibus liber iste versabitur, ut credatis vera esse que dico, nec putet me quisquam studio amoris aliquid quod fide careat posuisse; quandoquidem melius sit penitus nichil dicere, quam aliquid falsi proferre, cum sciamus

a) licet A 1. b) condico A 1. c) iniūxit A 1. d) peregre A 1. e) manu A 1. f) exspitare A 1.

65) scil. *perhorresco ne.* 66) ita legendum; codices habent *minulus.* Est qui minuta officia exsequitur in monasteriis.

omnium nos sermonum nostrorum reddituros racionem esse[a]. Nec dubitem, etsi non ab omnibus omnia, tamen a diversis diversa sciri, et ea cognita nonnullis esse, quae eciam minus ipse aut audire aut videre potui. Unde ordinem narrandi in quatuor libros coartavi. Qui primi nostri monasterii fuere regularis vite laudabiles institutores, qualiterque idem presul Otto ad pontificatus apicem venerit, de fundacione cenobiorum in diversis episcopatibus ac mira eius gesta in primo huius operis libro perhibui. Et ad hoc rite perveniens, qualiter Pommeranicam gentem ad fidei caulam perduxerit, in secundo disserui. Qualiter insuper secundam profectionem ad apostatricem gentem peregerit Deoque reconciliaverit, et rite docens qualiter infirmitatis sue cognicionem cotidie cognoverit, ac debitum carnis reddiderit, in tercio designavi. Quibusque miraculis post ipsius obitum claruerit, in quarto conclusi. Placuit autem pro legencium ampliori capacitate ac faciliori resolutione unicuique libro suos premittere titulos, ut eo cicius quo delectabilius quisquam quod querit inveniat, hoc salvo, quod nichil de propriis addam, preter exempla antiquorum patrum ac sentencias sanctarum scripturarum, que suo decore solent dictorum seriem venustare. Hoc tamen michimet ex proprio sudore coniunxi, ut lacius diffusa modesta brevitate arcius coherceam, strictius digesta moderata prolixitate dilatem, minus regulariter prolata ad rectitudinis lineam corrigam. Que tamen vestri, o pater memorande presulque dignissime, iudicii examen exspectant, ut benigno vestro iudicio valeant rata consistere. Peto insuper, ut sicut vestris iussionibus parui, sic beati Ottonis precibus et in hoc seculo ab emulorum insidiis et in futuro a peccatorum nexibus merear misericorditer liberari. Opto, pater beatissime, ut in Cristo valeatis, meique memor existatis.

VITA OTTONIS POSTERIOR A. 1499.

Prefatio in legendam sanctissimi ac piissimi Ottonis Babenbergensis episcopi ac Pomeranice gentis apostoli.

Venerabili ac supplici in Christo patri Iohanni Machario, seraphici ordinis conventus Babenbergensis guardiano, proclamatori verbi Dei constantissimo, frater Andreas, humilis servitor fratrum cenobii sancti Michaelis archangeli, ordinis sancti Benedicti prope Babenbergam, salutem et caritatem.

Peticionibus vestris, venerande pater, prout sciencie mee tenuitas permisit, parere studui. Petistis enim, ut sanctissimi patris nostri Ottonis Babenbergensis episcopi vitam, precipuo quidem elegantique stilo scriptam[b], utpote Ebbonis nostri cenobii monachi[c], nec non Sefridi atque Thymonis per modum dialogi antiquitus editam, sed in locis quibusdam ita infirmo intellectui obscuram, ut difficile pateat quo oracio tendat, et in nonnullis locis a se ipsis discrepantem, hanc ego sentencia aperciori reserarem. Quam nimirum peticionem, in primis miratus, cur tot patribus peritis circumquaque commorantibus huc usque relictis, michi imperito et liberalis sciencie admodum ignaro tam arduum opus iniungere vel excogitaveritis, pro nihilo duxi, apposuique aliquando animum, volens scilicet implere petita, si ulla astipularetur sciencia. Cumque diu velle michi adiaceret, perficere autem in me non invenirem, dicebam vobis, quod vellem quodque nequirem. Sed vestra benemerita paternitas, uti novit, eadem crebro repetivit, dicens, si michi tantummodo solida inesset voluntas, a Domino cetera prestari. Exhortacione huiusmodi sepe incitatus, temptavi tandem vestros implere precatus, confidens in eo quam maxime, qui dixit: *Aperi os tuum et* Psa. 80, 11.
ego adimplebo illud, quique, sicut in paucis sepe victoriam prestans, sic eciam in imperitis periciam tribuens, gracie sue potenciam ostendit. Hec autem ideo premisi, ne quis me forsitan tantum opus ultro arripuisse per arroganciam arbitratus, diceret magne presumptionis esse causam, illa que a quolibet sancto viro utcumque fuerint prolata, ab ullo deinceps quasi emendatore in aliud transferri.

His itaque prelibatis contra detractores universos, quibus nihil est dulcius quam alios lacerare, aliis laqueos ponere in via qua ipsi nolunt incedere, iam deinde lectori pandere cupio, quia id michi maxime fuit studii in opere isto, ut sentenciam eandem verbis apercioribus proferrem; exceptis his que ob suam difficultatem et obscuritatem investigare

a) *coaeva manu superscriptum* A 1. b) *recte duas has voces quae desunt* A 2. *supplevit Gretserus.* c) sicut ea ex ore veridici a Deo dilecti sacerdotis Udalrici audivit *manu coaeva in margine* A 2.

penitus nequivi. In tantum autem faciliora sequebar, ut, sicut probari potest, alicui eadem verba ponerem. Quid enim michi infimo et illiterato nodosa et perplexa oratio? Habeant amatores sapiencie secularis Tullium, ego imperitus et ignobilis, despectus et contemptabilis, sequar Christum, qui non philosophos sed piscatores elegit discipulos. Inter hec eciam illud notum facio vestre dilectioni, quia, cum ipsos libros, quos me explanare et in unum comportare petistis, diligenti indagine revolverem, plurima tam operum quam miraculorum insignia non haberi in uno que in alio libro inveni, molitus sum ex ipsis colligere, et in locis que oportuna videbantur inserere. Fortassis enim Sefridus, vir ille beatus,
Andr 1487 quid in peregrinis et barbaris nacionibus egerit Otto episcopus sanctus, quia horum sibi conscius magis fuit, et quomodo apud principem in curia deguerit, vel qua oportunitate in curiam venerit, et inde ad pontificatus dignitatem, homo curialis et in curia enutritus aptius explanavit. Thimon autem, homo simplex, velut Iacob habitans in tabernaculis cum Rebecca matre sua, que domi solitus erat episcopus, et de fundacionibus vel renovationibus cellarum et cenobiorum cenobita clarius edicit. Iste quippe est Thimo, quem aiunt ipsius sancti presulis Ottonis minutum fuisse quinquennem, habuitque super eum oculos bonos, eo quod de illustri esset parentela, et ab ipsis cunabulis ad monasterium translatus, et quod esset puer gratiose pulchritudinis, iocundus valde, atque mirabilis factis et dictis omnes letificans. Ebbo vero presbyter et monachus cenobii nostri vitam beati viri Ottonis episcopi, prout ex ore Udalrici sacerdotis Sancti Egidii edoctus fuerat, eleganti satis stilo descripsit[a].

Unde consideranti michi omnia, que de sancto presule scripta reperi, in nullis maior tanti presulis auctoritas, quam in epistolis ab ipso vel ad ipsum directis videtur esse. Ibi namque apertissime inspicitur quanta veneracione primitus fuerit susceptus a pontifice
68 Romano Paschali secundo, qualiterque eum ordinatum miserit[68], nedum clero Babenbergensi, verum etiam cunctis Alamanniae episcopis[69]; quanto etiam labore populum Pomeranorum ad fidem converterit[70], quantam gratiam a terre principibus, Heinrico quarto Ro-
71 manorum et Bela Ungarorum regibus, obtinuerit[71]; postremo et illud ibi speculatur, quod eciam nobis peropus est, quomodo corporis sui locum, cenobium videlicet montem sancti Michaelis archangeli, possessionibus et donis plurimis sublimaverit. Unde quecumque scripta huic operi conducencia de ipso invenire potui, in unum colligere studui, et nonnunquam nomen auctoris expressi, sperans aliquem emulum et tante auctoritatis ignarum lectorem exinde posse edificari. Quatuor autem libellos adiuvante Domino de vita sancti viri scribere gestio. In priori quidem narratur, quis fuerit aut qualiter ad episcopatus celsitudinem pervenerit; ac deinceps, quae in episcopatu egerit, depingitur. In altero vero qualiter in ecclesia sancta pro conversione gentilium et paganorum in Pommerania laboraverit, aut quomodo eos christiane religioni iniciaverit, explicatur. In tercio vero de secunda profectione eius ad Pommeranos post apostasiam, qua a fide recesserunt, et de eius reditu ad sedem suam exprimitur. In ultimo vero, que dominus ante felicem decessum miracula divinitus sit operatus, et de transitu ipsius ac miraculis factis post ipsius felicem exitum, diligenter exponitur. Quapropter lectores, in quorum forte manus haec scripta venerint, peto, ne arrogancie aut temeritati hoc ascribant, sed Deo teste sciant, me sola caritate urgente, dum vocem patri[b] negare non possum, ob noticiam posterorum hec humiliter pandere. Et certe si quid erro, ad eos culpam depositum eo, a quibus ea legi auctoribus. Nam ego advena sum huius cenobii et peregrinus, quinque complens lustra, quo hec scribere
72 ceperam, tria autem, quo[c] curam suscepi agens[72], Dei et fratrum meorum misericordia in consorcium eorum adoptatus, consocius et comparticeps effectus consolacionum et bonorum omnium per eum huic cenobio collatorum. Huius ergone oblivisci potero, qui suas eleemosinas nostras fecit, dum eas manibus nostris erogandas instituit? Num eius oblivisci potero, qui oculis nostris tot egregia et preclara sui monumenta, quo advixerimus, contuenda ingessit? Omnes enim has cenobii maximas edificaciones, tam monasterii quam omnium officinarum eius intus exteriusque, a fundamentis usque ad arces tectorum, opera
73 eius esse dicimus. Sic fontis venam plumbeis fistulis ab ortu suo deductam[73], quam labio plumbeo cernitis emergentem, sicut constare poterant, censu appreciavit, eterne retribucionis avidissimus negociator, ut omnia coram Deo sibi ascriberentur. Unde sepe, dum mencio sit horum, stupor et admiracio inter loquentes oritur, quomodo videlicet episcopus tam

a) Herbordus autem scolasticus vitam praefati Ottonis in libello, quem dramatico carmine vel etiam prosa luculentissime persudavit *manu coaeva in margine; desumpta sunt verba ex praefatione lib. de miraculis S. Ottonis.* b) pectori A2. *Gretserus coniicit* pastori. c) fratrum meorum *manu coaeva in margine* A2.

68) Herbord. I, 9. 11. Ebbo I, 12—15. 69) Tales litterae in vitis leguntur. 70) Ebbo II, 12. 71) Neque hae litterae neque apud Andream neque apud auctores eius exstant. 72) Vid. praefatio. 73) Cf. Ebbo I, 18.

multis et variis negociis occupatus, tantam circa locum nostrum promovendo sollicitudinem tantamve potuisset habere diligenciam. Nam maioribus nostris scribentibus percepimus res cenobii nostri eius diligencia et provisione adeo auctas fuisse, quas exiles ac tenues invenit aut pauperrimas; suo tempore centum monachis, si rectores habeant industrios, sufficientes et amplas satis esse, que olim 24 monachis tenues fuerant et anguste[74]; licet iam peccatis nostris merentibus, manibus perfidorum et incuria rectorum sint fere distracte[75]. Sed tamen michi summe cavendum, quia multum diligere scio eum de quo 75 loquor, ne ob eius dilectionem rem non vere auxisse videor, itaque summopere cavendum, ne laude mortuorum vivis derogem. Multi enim ad iniuriam viventium magnis et importunis laudibus benefacta efferunt mortuorum. Sed hos ego non laudatores veros, sed figurativos criminatores arguerim. Proinde et vos, patrem amantissimum unice dilectum, peto atque admoneo, ut presens opusculum intencione summa legatis, Deo supplicantes, ut per eius preces, a quo vel per quem scriptum est, a pravis hominibus nos locumque nostrum cum rebus creditis defendere dignetur. Et quod vestra dilectio id michi iniunxit officii, ut coquam pulmentum filiis prophetarum; in quo si coloquintidas miscuero, superiecta, ut confido, farinula amaritudinem condiet Helizeus, et excessus insipiencie obediencie bonitas condonabit. Valete, patrum amantissime, religionis gemma, presidium et dulce decus Horat Od. I, 1 meum, Nestoris evo. Ex monte Pavonis feliciter.

EX ANDREAE CATALOGO ABBATUM SANCTI MICHAELIS BABENBERGENSIS.

— Unde predia, quecunque in possessionem eiusdem ecclesie[76] vel nova conquisivit[77], vel ante eum distracta requirere non modico labore curavit, in unum conscribimus, ut congestum favum prudentissime apis nostre gustare volentibus prebeamus. Sane monasteriis ab eo constitutis predia usque quaque pervigili labore et ingenti precio acquisita congruis in locis distribuit, que idcirco singillatim distinguimus, ut quid cuiquam loco donaverit, ostendamus.

Predia ad Uraugiam pertinencia: Urdorff ex maxima parte, predium in Ramestal, in Richintal beneficium Heinrici, in Irrigeshusen predium Ottonis, Germaresdorff[a], Nutilingen, Gravenhagen, predium in Werna, in Oppach predium, vineta[b] in Wirtzeburg, Citerates et Scuntera predium Ottonis, Warta.

Hec pertinent ad Uraha, que digno pecunie[c] precio ab ipso comparata sunt: Lintpach, Altheim, Vuterse, Rudingesprunnen, Peirstorff, Bruningeshoven, mansus 1 in Padingou.

Hec[d] predia Michelveldensi dedit cenobio: Hophengnaba, item Hophengnaba parrochia eiusdem loci, Artolfesprunnen, Cirkendorff, item Cirkendorff, Golsendorff, Hagenahe, Engilmarisreutt[e], Franchinaha, Namegast, Weluche, Friderichesreutt, Ebersperch, Bilenstein, Bucha, Buchenbach cum parrochia, Willinberch, Widelwanch[f], Benzenreut[g] cum Risaha, Churbelreut dominicale cum 3 mansis, Ratgeresperch 12 mansi, Sumerhowe, Wittenloch[h] ad censum 7 unciarum, Suaigoltesreut[i], Ortenberch, Rennenreutt, Pirchahe, Hamphenvelt, Ouenhusen, Inderreutt, Sigehartesreutt[k], Urbach, Tiuzelenbuch[l] cum utilitatibus decimarum et holzchornes, novale quod dicitur Heroldesreutt, castellum quod dicitur Gernotestein, Inruitt[m], Herwigesreutt, Wilmarsgesaze. Predium apud Lancheim, per manum Othgosi super altare sancti Georgii manifesta donacione traditum, in nomine abbacie magno sumptu provexit. Huic villam adiacentem eiusdem nominis, quam pro anima patris sui Richiza[n], filia comitis Reginbotonis, super altare beati Petri obtulit, in proprietatem dedit.

Hec sunt bona que dedit monasterio in[o] Enstorff[p]: Willembach[q], Geilichingen[r], Holerstetin, Berchstetin, Babenhoven, Hofkenhoven, Ufheim, Roderden[s], Sulach, Steinenlach, Thanheim, Dietstetin, Rodermoltungen[t], Taichilberch, Erlibach, Droskenreutt, Gygandes, Mulendorff, Wunemaris, 4 mansi iuxta Haderichesprucke, vineta iuxta Bettendorff, Hovestetin, Wihstein, Sitinhoven, Chrandorff, novalia apud Rechardt et Durne, decime apud

a) *tla* A 3*. Berm. A 3. b) Umeta A 3. Vineta A 3*. c) *deest* A 3*. d) H. sunt p. que Michelfelt A 3*. e) Engelmareut A 3*. f) Widelbanch A 3*. g) Bentzenreut A 3*. h) Wintenloch A 3*. i) Suaigelgoltesreut A 3*. k) Sigilhartisreut A 3*. l) Tuz. A 3*. m) Inrint A 3*. n) Richisa A 3*. o) *deest* A 3*. p) Einstorff A 3*. q) Willenbach A 3*. r) Geilichengen A 3*. s) Rd'den A 3*. t) Rd'moltingen A 3*.

74) Vid. Ottonis litterae apud Ebbonem I, 21. 75) Haec respiciunt ad abbates S. Michaelis ante Eberhardum, qui Andrea puero restauraverat monasterium. Vid. praefat. 76) Babenbergensis. 77) Otto.

Pappenberc, Wittinreutt[a] cum aliis decimis, Druskingen, Dusilischinden, Peirreutt, Wihtahe, silva iuxta cellam.

Hec sunt predia que dedit monasterio Pruveningen[b]: In suburbio Ratisponensi predium, quod quidam Ratto[c] nomine olim possedit, ad ecclesiam que Vetus capella dicitur pertinens, hoc modo commutavit: 6 mansos iuxta Amberch per se acquisitos cum 12 mancipiis per manum Meribotonis etc. utpote in[d] secundo privilegio Ottonis super Pruveningen. Aliud ibi predium a quodam Acilino 60 marcis comparavit. Item aliud prediolum quasi 9 iugerum, ob eiusdem loci terminum dilatandum, a Reginhardo abbate Sancti Emmerammi, datis in recompensacionem aliis 20 iugeribus de fundo ipsius monasterii, commutavit, ipsumque concambium per manus advocatorum utriusque ecclesie, videlicet comitis Adelberti et Heinrici de Scowenburch[e], facta ex utraque parte delegacione, peractum coram ydoneis testibus, more Bavarico per aurem tractis, legittime confirmavit.

Gengenbach dedit Heinbur, Oberstorff cum aliis bonis et episcopali privilegio communivit[f]. — —

Abbaciam Madelhartestorff Lotharius imperator per manum Gebehardi liberi hominis sancte Babenbergensi ecclesie donavit, cui a pio Ottone multa sunt bona collata, que apud idem[g] monasterium habentur nominatum[f]. — —

In monte sancti Michaelis prope Babenbergam ad plagam occidentalem basilicam sancte Fidis virginis et martiris cum reliquis edificiis construxit, et ad sustentacionem Deo illuc serviencium hec subscripta predia obtulit: Cluecou, Bucha, Velendorff, Sidesintal, Engilhartesperch, Tragemuzilistorff, Silwiz, Grunowe, Alven[f]. — —

Cellam Vezzere Gotheboldus comes edificare inchoaverat, quam postea ab eo Babenbergensi ecclesie donatam accepit, et hec subscripta ei bona concessit: Chamirice et partem ville in Tuicichindorff et mansum unum in Skidingen cum pluribus aliis, prout apud Vezzeram reperitur[f]. — —

Porro ad altare sancti Georgii, dilectissimi sui patroni, in oblacionem fratrum dedit predium apud Trebekendorff iuxta Holvelt, quod solvit 5 uncias et talentum; apud Bolince mansum unum, qui dimidium solvit talentum, et iuxta Haderichesprucke 10 mansos, solventes 10 uncias et talentum. Eisdem quoque fratribus dedit de Seliginstatt 3 talenta, allodium quoque apud Rotham 20 solvens talenta, quod ipse a Cunrado, fratre Bertolfi[78] ducis de Zaringen, 300 argenti libris et auri talento comparavit, statuens hoc, ut 10 ex hiis talenta eis in servicium permaneant, pars altera ad hospitalem domum pertineat. De vinea episcopali, que in latere montis sancti Michaelis sita est, fratribus canonicis ex antiqua constitucione in anniversario pii Heinrici imperatoris carrata vini dabatur, pro qua ipse 14 talenta eisdem fratribus dedit, quibus vineta emerentur, et ex hiis predicta mensura eis prebeatur. Vihtpach ad oblacionem eorundem fratrum canonicorum pertinens, sed alienis dominis per multos annos indebite serviens, ab Heinrico de Scowenburck 80 argenti libris redemit, quod Udalrico, filio eius, in beneficium prestans, pro eodem fratribus Binezperck concessit, quod 10 talenta per annuos redditus solvit.

Hec sunt predia, que dedit monasterio Montismonachorum: Cenobio denique sancti Michaelis archangeli[h] in usum fratrum dedit 8 predia 500 ferme argenti libris comparata, Rintpach, Gestineshusen[i], Roetingen[k], Osthusen, Weikendorff, Horwa, fontem salis cum area, Vetus Holfelt, Munerichesperch[l], statuens, ut de Holvelt ad sepulchrum eius die noctuque continuum lumen administretur, et de Munrichesperch in die anniversarii eius fratribus, tam canonicis quam monachis, servicium, et pauperibus elemosine subsidium prebeatur. Preterea ecclesiam iuxta Albuch, hereditario sibi iure propriam, eidem monasterio cum duabus aliis ecclesiis donavit, ob memoriam videlicet sui parentumque suorum, inibi corpore quiescencium.

Ad Sanctum Stephanum in oblacionem fratrum Chanendorff tribuit, quod solvit uncias 11, ut de 7 unciis prebeatur eis servicium in memoria anniversarii sui, 4 relique maneant[m] eis pro quodam annuo iure forensi. Ibi quoque inter cetera pietatis sue beneficia claustrum cum officinis edificavit et turrim exstruxit.

a) Wintinreut A 3*. b) Prufenigen A 3. c) Ratho A 3*. d) ex littera desuper confecta A 3*. e) Schobenburch A 3* f) *quae hic sequuntur* A 3. 3*. *sunt Herbordi.* g) *deest* A 3*. *folium usque* 60 argenti. h) *deest* A 3*. i) Gestingshausen A 3*. k) Rottingen A 3*. l) Munersperg A 3*. m) manent A 3.

78) tertii; cf. Herbord. I, 31. Stälin Wirtemberg. Gesch. I, 285.

Fratribus de[a] Sancto Iacobo dedit decimas apud Pettensigilen, et iuxta Hohensant mansum unum, 11 quoque mansos novalium in Tangan[b]. Turres preterea ipse perfecit.

Ad Sanctum Gangolfum turres edificavit, et fratribus iuxta flumen Rada 5 mansos et duo molendina tribuit.

Abbaciam sanctimonialium in Retia Teggingen per multos annos abalienatam ecclesie sue sanctus Otto episcopus restituit.

Pro barrochia que Namkendorff dicitur fratribus de Sancto Gangolfo 10 talenta dedit, et eam episcopali dicioni donavit.

Capellam sancti Egidii cum hospitali domo sub monte predicti monasterii sancti Michaelis construxit, eidem loco tribuens per annos singulos 20 talenta, que solvunt hec subscripta predia: Bestat[c] et 2 mansi in Strullendorff, 2 mansi iuxta Eberaha, in Weikendorff unus mansus, in Wasserlose 2 mansi et dimidius, apud Lindelbach[d] 13 vinee et dimidius mansus, in Weikendorff 5 mansi et collectio decimarum de Chunenreutt[e], de Binezberch[f], de Wecelisreutt, que villa sancti Gregorii dicitur, et de duobus mansis de Macelenberch, Marchordesreutt, et novale quod dicitur sancti Egidii, apud Affeltere mansus unus capelle in dotem traditus, et predium apud Druskendorff.

Item[g] ultra flumen capellam sancte Gerdrudis cum hospitali domo construxit, ubi ad peregrinos suscipiendos singulis diebus 6 denarios constituit, ex hiis subscriptis prediis solvendos: Slurispach, Wunikendorff, superius Utzingen, et in dotem ecclesie regalis mansus cum decimis in Sendelbach, et iuxta Liuchense[h] 12 mansos eidem capelle[i] donavit. Hec in loco Babenbergensi.

Nunc[k] videnda edificia seu basilice in externis locis exstructe.

In Vorcheim capellam sancte Marie edificavit et episcopalem domum, in Haderichesprucke item episcopalem domum, basilicam sancti Nicolai in suburbio, Albwinestein[l], domum lapideam in Cilen, capellam sancti Egidii super portam Tharisse et capellam sancte Marie virginis, 2 quoque mansos ad luminaria monasterii et 20 talenta obtulit; in Muchil capellam sancti Viti, in Lavende capellam sancti Stephani, in Gaminare sancti Leonardi, in Abrinteburcstal capellam sancti Georgii et episcopalem domum, item capellam sancti Georgii in Ascawinchel, in Garsten capellam, in Eringen basilicam sancte Marie et turrim; in montanis Chanol 2 capellas, unam in honorem sancte Gerdrudis virginis et alteram in honorem sancti Egidii; in Osterhoven capellam sancte Marie cum turribus, apud Chronam domum lapideam et turrim[m]. — —

In Pataviensi episcopatu ecclesia Babenbergensis de propriis suis possessionibus omnes decimaciones hactenus habuit, quas Reginmarus, eiusdem loci episcopus, ei auferre conatus est; sed pius Otto, non modicum in hoc ecclesie sue dispendium considerans, et utilitati illius omnimodis consulere volens, barrochiam que Munster dicitur, et vineam unam in Ascawinchel per manum imperatoris Heinrici quarti Pataviensi ecclesie donavit, insuper episcopo auri talentum dedit, sicque per manum Udalrici, eiusdem loci advocati, omne ius decimarum Babenbergensi ecclesie confirmavit.

Decimas quoque novalium ecclesie sue de episcopatu Ratisponensi racionabili concambio commutavit, et tam privilegio Innocencii pape quam trium pontificum ordine sibi in Ratisponensi ecclesia succedencium, Hartwici videlicet, Chunonis ac Heinrici, firmissimis caucionibus sancte sue ecclesie perpetualiter confirmavit.

Hec vero sunt bona, que ab episcopo[n] Babenbergensi ecclesie utili provisione sunt acquisita: Chrona cum suis appendiciis, Erlich iuxta Andernach cum suis appendiciis, curtem nichilominus in civitate Moguncia ipsa, 110 argenti libris a quodam Embrico emptam et super altare beati Petri traditam, episcopali dicioni donavit. Forum Babenberg cum areis ex utraque parte fluminis, Munrichesperg cum villis ad se pertinentibus et viridiario quod vulgo Prul dicitur, Walber, Crumbenabe[o], Hovestete, Sicinhoven, Fichpach[p], Malikendorff, Hahartestorff, Tibiz, Metilesreutt, Perinreutt, Salwiz, Chrozna, cella Waltstein, 4 eiusdem nominis Puzpach. — —

a) ad S. Iacobum A 3*. b) Tagan A 3*. c) Betstatt A 3*. d) Lindenbäch A 3*. e) Chunreut A 3*. f) Winersperg A 3*. g) capella s. G. ult. fl. A 3*. h) Luchense A 3*. i) *deest* A 3*. k) nunc — exstructe *desunt* A 3*. *quorum loco interpolata sunt nonnulla de monasterio Banzensi.* l) Albuwinesteyn A 3*. m) *quae sequuntur* A 3. 3*. *sunt Herbordi.* n) ipso A 3. o) Crumbanawe A 3*. p) Ficpach A 3*.

COMMENDATIO.

COMMENDATIO PII OTTONIS BABENBERGENSIS EPISCOPI AC POMERANORUM APOSTOLI, ET DE GESTIS EIUS[a].

O Iherusalem superna,
Pace fruens sempiterna,
Tu de lapidibus vivis
Deo vivo construeris.
Nec malleus nec securis
In tuis auditur muris,
Sed expoliti lapides
Electi sunt, quos contines.
Malleos percussionum
Perfert vita electorum,
Quamdiu sub carne gemit,
Dum virtutibus proficit.
Qui virtutum profectibus
Ascendunt quasi per gradus
Ad te, sancta Iherusalem,
Omnium credentium matrem.
Illic manu artificis
In suis ponuntur locis,
Pusilli cum maioribus,
Senes cum iunioribus.
Civitas gaudiis plena,
Non eges sole nec luna,
Quam lumen illustrat verum
Per secula seculorum.
Corpore mortis exutas
Tute suscipis animas,
Quas sinu quietis foves,
Consolatione mulces.
In tua sede locata,
Gaudeat felix anima
Pii praesulis Ottonis,
Omnibus ditata bonis!
O[b] praesides[b] angelici,
Ministri regis aeterni,
In vestro contubernio
Laetetur pontifex Otto!
O patriarchae praecelsi,
O prophetae Deo pleni,
Concivis et domesticus
Vester sit Otto beatus!
O cohors apostolorum,
Tenens orbis principatum,
Tecum tripudiet pius
Otto, vir apostolicus!
Martirio candidati,
Athletae invictissimi,
In regno Christi vobiscum
Exsultet Otto per aevum!
O beati pontifices,
O confessores illustres,
Sit vobis associatus
Pius Otto episcopus!
Alma chorea virginum,
Candida sicut lilium,
Tecum floreat in aevum
Praesul Otto ante Deum!
O civitas Dei summi,
Sedes regni perpetui,
Cives tui universi
Pio faveant Ottoni!
Ex filiis tuis multos
Habet hic praesul patronos,
Sub quorum patrocinio
Struxit ecclesias Christo.
Dat primitias votorum
Tibi, Laurenti, suorum
Otto praesul ecclesia
In Uraugia constructa.
Et tibi, sancte Georgi,
Devote coepit obsequi
Otto, condens ecclesiam
Prope urbem Ratisbonam.
Te, Petre princeps pastorum,
Otto habeat patronum,
Per quem tibi est constructum
In Uraha coenobium.
Ottonem Christo commenda,
Iohanes euangelista,
Cui est ab eo constructa
In Michelfeldt ecclesia.
O Iacobe apostole,
Ottoni praesuli fave,
Qui apud Enstorff condidit
Cellam, quam tibi dicavit.
Ottoni faveto, pia
Dei genitrix, Maria,
A quo tibi est constructum
In Lancheim monasterium.
Tibi, o regina caeli,
Devotione fideli
Otto dicavit opimum
Apud Biburck coenobium.
Et tibi Windebergensem
Donavit possessionem,
Qui adunavit ibidem
Cleri congregationem.
Otto per Dei gratiam
Ornavit sedem propriam,
Addens ei abbatiam
In Madelhardestorff sitam.

a) *legitur hoc carmen in uno* A1. *sub finem vitae.* b) *ita Jasche;* o *deest* A1. *qui loco* presides *habet* preces.

Otto satagens augere
Decus ecclesiae suae.
Addit illi ad honorem
Cellam Monasteriensem.
Reginstorff Babenbergensi
Otto acquisivit sedi,
Quem locum regularium
Constat esse clericorum.
Halesprunnen monachorum
Construxit habitaculum,
Tibi, o virgo virginum,
Parans illic obsequium.
In honore sancti Petri
Alterspache fecit construi,
Qui locus est delegatus
Clericis regularibus.
Aspach et Clunich geminas
Suae sedi addit cellas,
Unam beati Matthei
Alteram sancti Andreae.
In Arnoldestein constructam
Sancto Georgio cellam
Praesul venerandus Otto
Suo dat episcopio.
In Vezzera, quasi matutinam stellam,
Otto pius construxit cellam,
Quam dedicavit in honore
Dei genitricis Mariae.
In monte sancti Michaelis
Cellam struxit beatae Fidis,
Exceptis fidelium habitaculis,
Longe vel prope positis.
In his locis Otto pius,
Plenus bonis operibus,
Domino cottidianum
Praeparavit obsequium. Amen.

MIRACULA SANCTI OTTONIS.

MIRACULA ET ELEVATIO SANCTI OTTONIS AUCTORE INCERTO.

De signis que ad sepulcrum eius fiebant.

Cupientes aliqua de signis et virtutibus regis virtutum, dilecti Ottonis episcopi, dicere, prius vitam eius libet inspicere; quia, ut luce clarius constat, non signa, sed opera eius in Deo facta, sanctitatis ei gloriam contulerunt, licet signa frequencia sanctitatis certa sint indicia. Cum enim nichil tam commendet christianam animam quam misericordia, et nemo ita beatus sit, sicut qui intelligit super egenum et pauperem; quis, putas, est beatior Ottone episcopo, de cuius conspectu numquam vacuo sinu pauper recessit, qui quod habuit egenis distribuit, et consortem et conformem suum inopem, cui non erat adiutor, adiuvit? Nudum vestivit, se iusticiae stola induit, monasteria et peregrinorum hospitalia construxit, et sibi[a] sanctorum amicicias et aeterna tabernacula acquisivit. Quem misericordia perfectum fecit, dum misericordem et perfectum celestem est imitatus patrem. Numquid[79] autem de apostolatu eius tacebimus? Minime. Qui enim operatus est Petro in Asia, Paulo in Grecia, Gregorio in Anglia, operatus est et Ottoni in Pomerania, qui usque ad summam senectutem fide promptus, bello adversus idolatras suscepto et gladio verbi Dei educto, ferocibus praedicaturus gentium miscebatur agminibus, gloriae Christi cupidus, suae incuriosus quietis. Nam cum tacendo posset esse tucior, eligens martirii gloriam suscipere, loquendo vulneratus est, cesus est, lapidatus est, terroribus, opprobriis et extremis circumventus periculis. Fremebant in eum pontifices idolorum more bestiarum, Otto vero in adversis epulabatur. Ad ultimum vero per fidei magnitudinem non comitatu nec legionibus succinctus, nuda virtute animi gloriosum de perfidis Christo retulit triumphum, et eiecta de civitatibus Pomeranorum imagine diaboli, signum invictae crucis et imaginem erexit Dei. Sermonem ergo sequentibus signis Deo confirmante, sacerdos Christi omnia adversa sibi obviantia pro Deo et per Deum constanter sustinuit, sciens, quod non potest acquiri gloriosa victoria, nisi per laboriosą certamina. Ex his igitur quae breviter praelibavimus, videmus Ottonem, gloria apostolatus et honore martirii coronatum, signorum parum indigere testimonio, quem in consorcium apostolorum, martirum et confessorum divino non dubitamus electum iudicio. Verum de signis, quae ad sepulcrum eius frequenter fiunt[b], non possumus ea quae vidimus non loqui. Nam si pro ocioso verbo reddimus rationem, videamus, ne reddamus et pro ocioso silencio. Quaedam igitur ex his dicturi sumus quae aut ipsi vidimus, aut a probatis et constantibus viris audivimus et libra veritatis examinata cognovimus; nam si omnia 79 scribere voluerimus, ante dies quam sermo cessabit.

1. *De Ottone puero sanato.*

Inicium signorum sancti Ottonis fuit in Ottone Cf. Ebbo III, 27 puero, qui cum exhalaret animam in sinum matris suae, illa morientem filium videre non valens, montem sancti Michahelis conscendit, et illic ad sepulcrum confessoris Christi se in orationem iactavit, horam transitus filii in eodem loco transire volens. Cumque iam omnia circa filium funeris obsequia consummata crederet, domum redit, puerum sanum et incolomem, hinc et hinc deambulantem reperit,

a *deest* B2b. b) *ita* B2b. fuit 2a.

79 Cf. Ebbo III, 27.

et cum clamore valido ad tumbam sancti Ottonis rediens, filium manu tenuit, et haec universae ecclesiae innotuit.

2. *Ut mulier ad sepulcrum eius salvata est.*

Vidimus mulierem quandam in modum globi contractam, duobus scabellis innixam, se ipsam portantem et quodammodo ponderantem, quae veniens ad sepulcrum confessoris Christi, gratiam quaesivit et invenit, et glorificans Deum et electum eius Ottonem, coram omnibus erecta supra pedes suos sana stetit.

3. *De ceco qui lumen recepit.*

Cecus quidam civis Radisponensis in baculo suo ad festivam memoriam beati Ottonis venerat, et inter maiores vigilias[a], in facie tocius ecclesiae, squamis ab oculis eius cadentibus, ob gloriam sui confessoris Dominus diu negatum lumen ei restituit. Et simile huic signum in muliere ceca inter missarum sollempnia sequenti die divina gratia iteravit.

80 4. *De puella sanata.*

Puella quaedam in similitudinem utris intumuerat, ita ut officio membrorum et pristinae formae decore privata, non speciem hominis sed enormem molem carnis ferre videretur. Quae cum nullum remedium nec requiem inveniret, beati Ottonis inploravit clemenciam, et continuo a Deo reddita est sanitati, ut, nullo signo tumoris in ea apparente, ad sepulcrum sancti Ottonis cum oblationibus et gratiarum actionibus una cum matre se laetam exhibuerit.

5. *De Rudolfo a frenesi sanato.*

Quidam lanifex Rudolfus nomine frenesim pa-
82 ciebatur, et mirabili motu et terribilibus oculis dolorem cordis et corporis signabat; qui scalae alligatus et ad sepulcrum sancti Ottonis delatus, in ipso loco sanitate pleniter adepta, dedit laudem Deo.

6. *De presbitero et diacono per eum curatis.*

Duo homines unius nominis, non eiusdem ordinis — nam unus presbiter Heinricus, alter est diaconus — aequalem ferebant infirmitatem, duplices videlicet tercianas, mixtas acutis febribus; quorum dum unus missam collectis viribus de sancto Ottone diceret, alter dum ad sepulcrum oraret, sine dilatione ad perfectum sanati sunt.

7. *De Heinrico elemosinario.*

Mos est in ecclesia sancti Michahelis, ut annuo die patris sui Ottonis in atrio claustrali propria manu conventus det elemosinam, quam bonam consuetudinem reliquae quas sanctus pontifex fundavit ecclesiae devote receperunt. Accidit ergo, ut in monasterio Bruviningen, quod districtione religionis nominatum habetur, magister hospitalis domus
83 Heinricus nomine infirmitate quae gutta dicitur deprimeretur, ita ut in festo fundatoris eiusdem coenobii pauperibus solitum opus misericordiae per se non posset inpendere. Moerore ergo deficiens, quid ageret aestuabat. Ianua igitur ad negocium flendi interim ei oportuna suggerebatur, in qua beati Ottonis depicta similitudo videbatur. Coram qua prostratus, lacrimis dimisit habenas, non quidem his verbis sed in hac sentencia multa dicens: *Amator pauperum Christi, quare non subvenis michi? Numquid cras vel cras? Quare non modo? Quare non in hac hora finis aegritudinis meae?* Dicebat haec flens in multa contritione cordis sui. Finita demum oratione, beato Ottone miserente repentina sanatione[b] alleviatur, repressoque imbre lacrimarum, in honore Dei et sancti praesulis largiorem solito dedit elemosinam.

8. *De elevatione eius.*

Hiis et aliis infinitis miraculis dum sanctum corpus absconsum fossa humi claresceret, et iam nulli fidelium aptum videretur, ut pater multarum ecclesiarum sub lapide, velut lucerna modio, tegeretur, cum domnus Otto secundus, Babenbergensis episcopus duodecimus[80], una cum venerabili Wolframmo[81], abbate Sancti Michahelis in monte Babenbergensi, in capella Dei genitricis Mariae, quae est iuxta capitulum, consedissent, ait episcopus: *Videmus, quia universalis ecclesia de sanctitate beati Ottonis non dubitat, nobis enim tacentibus, opera eius clamant, et ideo ad canonizationem eius peragendam divino indigemus consilio et auxilio.* Ad haec abbas, vir subtilis ingenii, respondit: *Consilium quidem facile, sed opus difficile est. Ad huiusmodi actionem hoc modo ingrediendum est: Populus acquisitionis beati Ottonis, Pomerani videlicet, primo omnium adeundi sunt et alloquendi, ut ad sedem apostolicam honestas suae gentis personas et litteras episcopi*[82]*, ducis et gentis dirigant, per quas testimonium suae conversionis et apostolatus sancti Ottonis testimonium praebeant. Deinde abbatum et omnium conventualium ecclesiarum, quas sanctus pater construxit, litterae adhibendae sunt, ut omnes uno ore clament; a quo habeant quod habent. Vita quoque eius plena signis et virtutibus et misericordiae operibus aput nos est, quae apostolico praesentanda est. Haec omnia simul congreganda sunt et in unum veletrum reponenda, ut sint sancto Ottoni in testimonium et huius causae firmamentum, et sic ad domnum papam eundum est.* Ad haec episcopus: *Optimum consilium dedistis; set quis mittendus sit, non praevidistis.* Statim abbas, totum in se vertens negocium, ex deliberato respondit: *Iuxta tritum proverbium: „Cuius aries est, ipse cornu eum arcius tenet" ego michi hoc onus vendico, quia beatus Otto, ut verum fatear, noster est; nam corde et corpore semper totus nobiscum erat et est.* Tunc episcopus bonae voluntati abbatis gratias agens, surrexit de loco consilii et abiit.

9. Post haec abbas, accepta fratrum suorum licencia, Pomeraniam adiit[83], et in castro Camin,

a) vigiliam B 2[a]. b) miseratione *corr.* sanatione B 2[a].

80) ex gente Andecensi 1171—1196; Ussermann Ep. Bamb. p. 119. 81) secundo; 1172—1201; cf. ibid. p. 308. 82) Caminensis, Conradi I; obiit 1186; cf. Barthold II, 284. an. 6. 83) A Wolframmo II. abbate in Pomeraniam Marcwardum sacerdotem missum esse, ipse testatur in diplomate

Boguzlao duce christianissimo sibi occurrente, et eum manu tenente, a Cunrado, primo Pomeranorum episcopo, et omni cetu novae ecclesiae novus hospes cum crucibus et vexillis, in ymnis et organis suscipitur; et causam pro qua venerat exposuit eis, dicens: *Indignum est valde et indecorum, dilectissimi, quod apostolus tantae ecclesiae, qui vivens et moriens innumeris decoratus est miraculis, tam diu iacet in sepulcri latibulis. Notum ergo vobis facimus, quod pro canonizatione eius laborare proposuimus, et vos nobis collaborare oportebit, in quibus sanctus Otto abundancius laboravit.* Ad hoc omnes unanimiter responderunt, hoc semper eorum fuisse desiderium, et honori sui apostoli se libenter delaturos obsequium. Rogabant praeterea, ut quando ad sedem apostolicam vellet accedere, non hoc eos sineret latere, ut honoratos illius gentis viae comites haberet, et ipsi quodcumque possent ministerium praeberent. Sed hoc fieri non potuit, quia Boguzlao optimo duce eodem anno vita decedente[a, 84], pax terrae illius adeo turbata est, ut nemo hinc ad eos posset transire, neque inde huc transmeare. Dux itaque, habito cum maioribus suis consilio, sanctum Ottonem in Wolframmo abbate veneratus, auctoritate sua donationem fecit et testamento confirmavit[85], scilicet ut quinque centenarii cerae in memoriam sui nominis et monimentum suae gentis ecclesiae sancti Michahelis annuatim de tabernis terrae illius persolvantur, ut inde lucerna in templo Dei luceat, et iuge lumen ad memoriam sancti Ottonis concinnetur et ardeat. Abbas itaque tantis beneficiis et devocionis indiciis debitas exsolvens gratias, balsamum et preciosa munera, digna principibus, eis optulit, et licencia eorum et osculo percepto, ad fratres suos reversus, 9 septimanas explevit Pomeraniam iens et inde denuo rediens.

10. Post haec collectam fecit litterarum episcoporum, principum et abbatum, et sic, oportunitate accepta, Lucium[86] papam adiit, qui senio confectus se apud Veronam detinuit. A quo benigne susceptus, cum ei causam pro qua venerat intimasset et litteras praesentasset, responsum accepit: *Hoc principale negocium in urbe Roma, quae universo orbi principatur, est declarandum, et nos vita comite dum ad urbem venerimus, in concilio episcoporum quod petis libenter agemus.* Sed Lucius, antequam Romam veniret, morte praeventus est[87]. Abbas itaque sciens irretractabile esse verbum ab ore summi pontificis semel emissum, non est ausus ultra loqui, sed apostolica benedictione percepta, reversus est ad fratres suos. Sic omnis spes dilata, non sublata est. Otto vero Babenbergensis episcopus volens litteris exequi, quod idoneae personae non poterant prosequi, Urbano[88] papae, qui Lucio, et Gregorio[89], qui Urbano successit, litteras semel et secundo misit, sed nichil profecit, Romanis vix litteras inspicere dignantibus et dicentibus: *Ad talia negocia non scedulae, sed reverendae sunt exhibendae personae. Romana curia, inoblita iusticiae, rem tam grandem non concedit facile, ne forte magnae ei inputentur inpericiae.* Sic iam vice tercia periit labor et inpensa.

1185. 86. 88.

11. Wolframus vero abbas, honoris sancti Ottonis memor, laboris inmemor, omnibus desperantibus et, ut solet, vadiantibus, si umquam Romae quicquam proficeret, ipse, quamvis pedum tumore gravaretur, una cum venerabili Cunrado abbate de Michilwelt[90], universis preciosis quae habebat in auro et argento in saculo repositis, ne forte sumptus ei deficerent in via, in parasceue circa horam terciam Romam venit, et omnibus expositis ad domnum Clementem papam tercium[91] processit. A quo clementissime susceptus, interrogatus est:

1189. Apr. 8.

a) decidente B2[a].

sine die et anno Cod. Pom. dipl. I, 155. ut docuit L. Giesebrecht in commentatione die Heiligsprechung Otto's von Bamberg. Balt. Stud. XIV, 1. p. 189sqq. In diplomate laudato de Marcwardo haec scribit Wolframmus: *Nostro consensu et prompta voluntate non semel neque bis sed multociens ad validum laborem se precinxit, et non sine gravi corporis et rerum comitumque suorum discrimine terram Sclavicam que Pomerania dicitur laboriose adiit et laboriosius circuivit. Tandem coelis misericordiam super eum stillantibus, principem terre illius domnum Boguzlaum et episcopum domnum Chunradum et eius successorem domnum Sifridum multa instantia et diligentia ad hoc induxit et inflexit, quod ipsi principes eiusdem patrie in generali conventu et consilio, consensu fere omnium baronum et supperorum suorum universali decreto statuerunt, ut de singulis terre illius tabernis certa quantitas cere per singulos annos S. Ottoni episcopo, cuius sacrum corpus in ecclesia nostra requiescit, devote per succedentia tempora persolvatur.* Cum de cera tantum ageret Marcwardus in Pomerania, Wolframmus ipse ob canonisationem Ottonis illuc iter suscepit. Sed falso auctor quod Marcwardo debebatur hoc loco Wolframmo adscripsit. 84) Haec non bene inter se congruunt; bis in Italiam profectus est Wolframmus II. anno 1185 et 1189, ut ex ipsa narratione patet. Boguzlaus I. dux Pomeraniae obiit 18. Mart. 1187, ut probatur praecepto Anastasiae viduae eius Cod. Pom. dipl. I, 159. 85) Anno 1182, ind. 15 sine die Cod. Pom. dipl. I, 124. in quo diplomate ita scribit Boguzlaus: *Ex peticione et instinctu patris nostri venerandi Pomeranorum episcopi domni Conradi simulque ex peticione fratrum monachorum cenobii S. Michaelis in Bamberch decrevimus annuatim de cera pondus, quod vulgo lapis cere dicitur, ex singulis terre nostre tabernis, de maioribus quidem integrum, de minoribus vero dimidium, in usum eiusdem ecclesie S. Michaelis ad sepulchrum beate memorie Ottonis episcopi, gentis nostre apostoli, ob remedium anime nostre fratrisque nostri Kazimiri — obtentu ordinis ac fraternitatis fratrum eiusdem loci. — Hanc donationem contulimus ad predicte ecclesie et sepulchri prefati domni Ottonis episcopi lumen continuum.* Kazimirus paullo ante, ipso anno 1182 ut videtur, obierat; cf. L. Giesebrechti comment. l. l. p. 190 an. 1. 2. Iuste igitur Giesebrecht omnia quae in capp. 8 et 9 narrantur revocat ad a. 1182. 86) tertium. 87) 25. Nov. 1185 mortuus est Veronae. Jaffé Regg. pont. p. 854. 88) tertio; sedit 1185—1187. 89) octavo; electus et mortuus est ipso anno 1187. 90) de quo cf. Ussermann Ep. Bamb. p. 320. 91) 1187-1191.

1189. Apr. *Ubi est refectio tua, ubi pasca manduces?* Et demonstravit ei cuiusdam cardinalis cenaculum grande et diversorium, ut ibi pararet[a] et manducaret. Abbas itaque miratus, quod in eo, cui post Deum omne genu curvatur terrestrium, talem hospitalitatem et gratiam invenisset, laetus vadit ad hospicium sibi designatum. Deinde cum accessus ad domnum papam ei concessus est, litteras domni inperatoris et Pomeranicae gentis ei optulit, dicens, hoc universae ecclesiae desiderium esse, ut sua favente clemencia beatus Otto canonizetur, et de pulvere sacrum eius corpus elevetur. Ad quod papa: *Numquid de Ottone episcopo agitur, qui magister et praedicator Pomeranorum dicitur? Iste sanctus et vere beatus homo est, quia Deum timuit et mandata eius observavit. Veruntamen ubi est liber miraculorum eius?* Tum abbas: *Si de vita eius quaeritis,* — aperit librum, qui sub veste latebat — *en,* inquit, *hic est.* Et porrexit librum. Domnus vero apostolicus susceptum librum tradidit uni cardinalium, cui nomen est Laborans[92], dicens: *Labora hac nocte librum istum perlegere, ut cras virtutes beati viri scias michi summatim perstringere.* Qui accipiens legit, et cera quaeque notabilia notavit. Altera autem die protulit librum, et una cum abbate accedens ad summum pontificem, dixit ei: *Quisquis vitam huius sancti legit, conparatione ipsius, quantum ipse in infimo iaceat, intelligit; et inter confessores Christi nulli secundum credimus beatum Ottonem, cum vix habeat parem; qui ab ineunte puericia misericordiae operibus, miraculis, virtutibus et humilitate claruit, persecutionem pro Deo sustinuit, et apostolus Pomeranorum nominari et esse meruit.* Apostolicus itaque Deo gratias agens, et suae felicitati deputans, quod ad eius tempora tanti viri dilata canonizacio, data sentencia vicem suam venerabilibus episcopis Ottoni Eistetensi et Eberhardo Merseburgensi commisit, qui beatum Ottonem canonizarent, et sanctum esse iuxta nomen sanctorum ecclesiae praedicarent[93]. Abbas itaque magna praesumens, sed maiora immo omnia pro quibus ad sedem apostolicam venerat, percipiens, apostolico et Romanae curiae infinitas, ut dignum erat, rependens gratias, accepta omnium benedictione, cum salute et sanitate redit ad propria; Romanis ad invicem de hoc verbo conferentibus et cum admiratione dicentibus, se non meminisse tam grave negocium umquam tam celerem et facilem sortitum effectum, praesertim cum magnae et alti sanguinis personae, quae pro similibus negociis Romam venerant, infecto negocio redierint.

12. Anno igitur dominicae incarnationis 1189, indictione 6.* praesidente in ecclesia Dei domno Clemente papa tercio, regnante domno Friderico, Romanorum inperatore invictissimo, anno regni eius 35, inperii vero 31,** eodem anno, quo fuit Iherosolimitana sancta expeditio, cum Heinricus rex, qui patri successit in regnum, primam curiam suam haberet Erbipoli[b], in festo sancti Laurencii[94], et ad eandem curiam Otto[95] dux Boemiae, archiepiscopi, episcopi, abbates[c], principes et infinita multitudo convenissent, abbas Wolframmus coram omni populo et universa multitudine diversi generis et diversae linguae procedens, litteras a sede apostolica elaboratas et libellum de vita sancti Ottonis Eistetensi[d] et Merseburgensi episcopis optulit, ut vicem domni papae tenerent, et beatum Ottonem canonizatum optimo tempore elevarent. Episcopi itaque susceptum librum inter autentica scripta reponentes, nomen beati Ottonis in canone et in letaniis, in cathalogo confessorum Christi, qui non minus illis laboravit, recenseri sanxerunt; et ut iam non anniversarius, sed natalicius dies celebretur, ex auctoritate apostolica ecclesiae Christi per latitudinem mundi diffusae praeceperunt. Statimque rege cum universa multitudine in laudem Dei et sancti Ottonis acclamantibus, domnus Moguntinus archiepiscopus[96] antiphonam: *Laudem dicite,* cum universa ecclesia concionente imposuit, quam missa de sancto pontifice secuta est, omni populo gaudente in universis quae gloriose fiebant de sancto Ottone episcopo.

13. Praeterea comes Ludewicus de Frankenstein dignum memoria somnum exposuit principibus, dicens: *In hoc loco, in quo dominus meus rex sedet, vidi in visu noctis archam miri et rari operis erectam, qualem nec oculus vidit, nec in cor humani artificis umquam descendit, quam Deus praeparavit sancto Ottoni, in qua ipse pontificalibus indutus, sicud mos est episcopis sepeliri, mortuus iacebat. Putabam ego nos omnes qui hodie assumus praesentes fuisse, et arcae illius decorem considerasse. Qui subito revixit, et de resurrectione sua ingentem admiracionem et laeticiam indixit.*

14. Quinquagesimus igitur annus iam venerat, ex quo coelum[e] beati Ottonis animam, terra corpus receperat. Annus iste in libro veteris legis diversis ornatur nominibus et privilegiis. Ipse est iubileus, qui sanctificatus dicitur et propiciacio, cuius privilegia haec sunt: Servus liber exit, vendita terra legittimum possessorem recipit, homo peregre profectus ad domum pristinam et familiam redit. Unde dicatur iubileus a iubilo, et quid sit iubilus, extensio videlicet gaudii sine inpensione vocis, scilicet cum ita cor in gaudium extenditur, ut conceptam corde laeticiam voce nequeat depromere; de hoc modo non est dicendum. Iubileus tamen iste — quantum personae beati Ottonis, cuius nomen laudem resonat, littera servit — et spiritu bene sanctificatus dicitur; quia in eo propalata est

a) paret et *post suppletum* B2[a]. b) Erbipolim B2[a]. B2[b]. c) abbates — ut paterfamilias (c. 15) *folio exciso recentiore manu saec. XV. in codice suppleta sunt* B2[a]. d) eisterensi B2[a]. e) *deest* B2[a].

92) Erat presbyter cardinalis S. Mariae trans Tiberim tit. Calixti et subscripsit litteris Clementis III. a. 23. Dec. 1187 usque 26. Iun. 1189. Cf. Jaffé Reg. pont. p. 870. 93) Bulla Laterani 29. Apr. 1189 scripta dictis episcopis, abbatibus S. Emmeramo Ratisponensi et Swartzahensi, decano et scholastico Wirtziburgensi hoc iniunxit negotium *quatenus de vita ipsius* (Ottonis) *et miraculis diligentius inquiratis, que vobis fuerunt per multorum litteras indicata;* quod in alia bulla data 1. Mai. 1189 scripsit papa episcopo et clero Babenbergensi. Cod. Pomer. diplom. I, 163. 164. Jaffé Reg. 10147. 48. *) septima. **) imperii 36. regni 38. 94) 10. Aug. 95) alias Conradus II. 96) Conradus.

sanctificacio eius, facta est Herbipoli[a] canonizacio eius. Decebat enim, ut tantae reverentiae pontifex non solum vivens sed et moriens conservaret legem excelsi, et quamvis sanctus fuit, tamen ante quinquagesimum annum sanctus appellari noluit, ob sanctificacionem iubilei. Qui eciam propiciacio recte dicitur. Mons enim in quo sanctum corpus Ottonis requiescit, diebus exaltacionis eius infinita pressus multitudine, non cessabat a laudibus, et magnis populorum vocibus nocte ac die personabat, et tam secretis quam publicis fumigabat orationibus, ita ut impletum videres: *Tange montes et fumigabunt*[97]. Ascendit ergo fumus aromatum, quae sunt oraciones iustorum, de manu et de monte sancti Michahelis[b] archangeli in conspectu Domini. Nam et divina clementia aures suae pietatis cunctis se petentibus accommodans, signis evidentibus et frequentibus interveniente sancto Ottone, se magis propiciam exhibuit, ita ut merito dies illi propiciacio debeant dici.

15. Redit ad animum, qualiter negocium canonizationis beati Ottonis sub Lucio, Urbano et Gregorio, Romanae sedis pontificibus, promotum est, sed terminari non potuit, quia nondum quinquagesimus annus venerat, nec beatus homo, cuius in lege Domini voluntas fuit, ut fidelis servus et prudens libertatem, nec ut dominus legittimam possessionem recipere, nec ut pater familias ad pristinam domum et familiam contra legem ante iubeleum redire voluit[c]. Domus beati Ottonis sunt monasteria et ecclesiae quas construxit, possessio eius sunt praedia quae eis contulit, familia eius sunt pauperum et peregrinorum hospitalia, quibus propter opus misericordiae exequendum vigilem operam dedit. Bene igitur in iubeleo secundum suam praerogativam non solum spiritualiter verum etiam corporaliter sanctus Otto ad domum et familiam pristinam legaliter redit, cum abbates suorum cenobiorum dulces eius carpentes reliquias et mundis linteaminibus involventes, secum deportaverunt; quamvis sanctus Otto principalia sui corporis membra apud eos, quos post Deum et sanctos eius principaliter dilexit, divina providente gratia, sibi retinuit.

16. De signis vero in elevatione eius factis quid dicemus? Excedit humanum sensum numerus miraculorum eius. Breviter dicam: Multitudo languentium et qui vexabantur a spiritibus inmundis veniebant ad memoriam eius, et quorum fides exigebat, sanabantur omnes. Populus igitur, qui de diversis confluxerat regionibus, transactis magnae festivitatis diebus, cum laetus rediret ad propria, protestatus est dicens in ecclesiae audiencia: *Beati sumus, qui huic sollempnitati interfuimus, quia nobis astantibus et videntibus, beatus Otto cecos illuminavit, claudos curavit, infirmos sanavit, demones effugavit. Bene omnia fecit, et surdos fecit audire et mutos loqui.*

17.[d] *De signis que facta sunt in exaltatione eius.*

Igitur signa, quae facta sunt illis diebus, temptabimus succincta distinctione disserere, rogantes, 1189.
ut neminem stili humilitas audire gloriam iusti taedere faciat; multo enim melius est vera rustice quam falsa diserte proferre. Hii quippe qui principum victorias et bella scribunt regalia, orationes rethoricas et verba excogitant legalia, et dum materia rei gestae humiliatur, eloquii venustate deargentatur; summi vero regis opus non grandiloquam sed veridicam exigit narrationem, quia rectum est verbum Domini et omnia opera eius in fide.

18. Venerunt quinque mulieres demoniacae diebus exaltacionis sancti Ottonis ad sepulcrum eius, quae salvatae sunt universae, sed diverse. Prima cum ad villam proximam civitati venisset, montem sancti Michahelis oppositum cernens, nunc vepribus inicitur, nunc de manibus, qui eam trahebant, se excutiens, lapidibus illiditur, aquis inmergitur, et nisi demum vinculis artata fuisset, sibi vitae exicium intulisset. Audiebantur ex uno ore quasi voces multorum demonum cum stridore clamantium: *A monte sancti Michahelis, a sepulcro Ottonis adductus ventus urens nos urit, numquam talem auram sensimus; ideoque in diu possesso vase[e] subsistere non possumus.* His malignis spiritibus rugientibus, misera muliere sanguinem spumante, summitatibus insuper digitorum eius quasi ferro praecisis sive praeruptis, his portis demones eruperunt. Viri autem qui comitabantur eam videntes, quod per beati Ottonis merita esset liberata[f], ad tumbam sancti praesulis eam perduxerunt, et haec universae ecclesiae, monstratis apertis indiciis, constanter narraverunt. Ipsa vero mulier nomina demonum astantibus innotuit dicens: *Unus demonum, quibus possessa eram, fuit Trigelaus, cuius fanum beatus Otto destruxit in Pomerania; alter Legio, cuius mencio fit in euangelio, unus Legatio;* et aliorum dixit nomina, quae exciderunt a memoria.

19. Secunda et tercia in die sancti Michahelis Sept. 29.
circa horam terciam liberatae sunt, clericis et viris, in quorum parrochia discurrerant, astantibus et cum iuramento affirmantibus, quod 9 annis in ipsis inveterata fuerint demonia, quae iam in decimo per sancti Ottonis merita divina eiecit potencia.

20. Quarta, monialis femina, ab hora diei prima usque ad vesperam gravi cum exorcistis certabat litigio, adeo ut, cum omnes sudor et labor repelleret, ipsa a nequam[g] confortata[h] spiritu indefessa maneret. Unus ergo ex illis qui eam adiurabant memorans, quod non nisi per ieiunia et virtutes orationum genera superantur demonum, foras egressus, et cuidam religioso sacerdoti confessus, iterum ad arrepticiam regressus est. Quem illa torvis respiciens oculis inquid: *Ante te melius noveram; crimina enim, quae de te notaveram[i], iam non ego sed palludus scit Silvester monachus. Sed quid frustra vexamini? Non egrediar nisi Ottone expellente me.* Iam itaque inclinata die demon exclamavit: *Vicisti, Otto, vicisti.* Puella vero in modum follis inflata demonem efflavit.

21. Quinta item monialis, cum iam episcopi,

a) herbypolim B2[a]. Erbipolim B2[b]. b) mychahelis B2[a]. c) noluit B2[a]. d) *deest* 1[a*]. e) corpore *addit* B2[a]. *in textu sed postea deletum; deest* B2[b]. f) libata B2[a]. g) anequam B2[a]. h) confortatur B2[a]. i) noveram B2[b].

97) Psalm. 143, 5.

1189. abbates et sacerdotes in prima noctis vigilia ad aperiendum sarcofagum accederent, et illa pavimento adhereret, ait episcopus: *Eicite deceptricem*[a] *hanc!* Illa autem cum educeretur, submurmurans, quasi presentem alloquebatur episcopum: *Tu quidem iubes me eici, quod parvipendo; scias autem hodie me*[b] *agente te*[c] *inhonorandum.* Quod et factum est. Conpleto enim officio cum episcopus de monte descendisset et ad prandium consedisset, orta est inter milites contencio. Cumque iamiam illis res esset pro anima, et episcopus accurreret litis sedandae gratia, aspersus est sanguis vulneratorum super vestimenta eius, et indumenta pontificis inquinata et persona turbata. Arrepticia vero ad vesperam, dum ymnus alternaretur, inter versiculum: *Ad sacrum cuius tumulum,* iuxta eiusdem versiculi continentiam sanitati restituitur, et cum admiratione singulorum a daemone liberatur.

22.[d] Haec singula miracula insertis argumentis firmavimus, ne animum legentis ulla vexet dubitacio, nec quisquam infidelis sit auditor, sicut fuit presbiter Albertus de Swarza. Ad quem locum dum sacrae fuissent reliquiae et super altare locatae, ille habens pollicem ad nullum usum flexibilem, devotus temptator accedens, dixit: *Beate Otto, si vera sunt omnia, quae de te audivimus* — accipiens reliquias superposuit pollici — *hic,* inquid, *experiar; si quid potes, adiuva me.* Statim fragor digiti in articulorum compage repressi per totam auditur ecclesiam, et quasi subula emissus sanguis exivit innoxius; et sic qui de miraculis dubitavit mirum suum ipse circumtulit.

23. In eodem vico divina pietas per easdem reliquias duobus pueris, uni sensum, alteri, cuius latus miserabiliter putredo consumpserat, sanitatem reddidit.

24. Nemo quoque signorum, quibus Dominus sanctum suum mirificavit, superbus detractor existat, qualis fuit alter presbiter Bernhardus de Choburk, qui veniens de villa contigua, missas celebraturus, praedictam repetebat ecclesiam. Cumque rogaretur a populo, ut se ad suscipiendas beati Ottonis praepararet reliquias, ministro mortis persuadente, respondit: *Quid, rogo, seducimini? Quit Ottonem pluris aestimatis episcopis temporis instantis?* Continuo ergo, ut ex arrogancia cordis haec locutus est, corde ipsius subitaneo mortis aculeo perforato, miser equo labitur, et in momento, in ictu oculi, vitae subtrahitur. Pensate ergo, qualiter uni horum presbiterorum devota dubitatio fidem auxit, sanitatem contulit, alteri temeraria[e] discussio spacium penitenciae tulit et mortem intulit. Miraculorum ergo, quae Dominus in sanctis suis operatur, nemo sibi iudicium[f] vendicet, quia non nos eorum, set ipsi nostri iudices erunt.

Oct. 1. 25. Tercia dies memoratae festivitatis tribus ornatur miraculis. Claudus carpentarius, pendulo pede ad terram posito, gressum, homo surdus, cuius aures virulentis humoribus purgari vidimus, auditum recepit; puer duodennis, soluto linguae vinculo, matre prae gaudio flente, inusitato sermone locutus est.

26. Freneticus quidam ad memoriam sancti Ottonis adductus, per noctem in conclavi servabatur. Qui vecte prohibitus, dum ad ianuam non posset egredi, tegulis[g] effractis, de pinnaculo se precipitavit, et forestum Hutsmor dictum ferina mente peciit. Mane autem facto, proprio rugitu proditus, laqueo venantium capitur, et in montem sancti Michahelis trahitur. Sed ne infesto clamore sacra canonis qui interim dicebatur turbaret silencia, in cimiterio fratrum detinebatur. Ad quem custos ecclesiae ferens vinum, sacris reliquiis sanctificatum, misericordia motus exivit, et frontem infirmi linivit. Qui continuo solvi se rogans: *Sensus,* inquiens, *meus redditus est michi,* Deo et beato Ottoni cadens in faciem gratias egit.

27. Testimoniales nuper accepimus litteras, continentes, qualiter Deus beati Ottonis sanctitatem potenti eiectione demonem et diversa gratia sanitatum in partibus Saxoniae et Bavoariae diffamaverit; quae omnia et ea quae ad sepulcrum eius fiunt, scribere per otium dictantis est.

28. *De Popone milite.*

Notus est alti generis quidam miles Popo de Irmoltesbusen; casu belli pedem perdiderat, et nescio quo infortunio accedente, nullis emplastris sanari poterat; sed locus vulneris recens patebat. Aspero tamen corrosivo praemortuas carnes, quas phisici cancrenas appellant, frequenter obortas abstergebat; ipsa quoque corrosio iam nervos et ossa militis invascrat. Unde accidit, ut e truncato crure sanguis proflueret in modum rivi[h] derivatus, et miles iacens exsanguis et desperatus testamentum de bonis suis firmare disponebat heredibus. Accessit ei interim salubris cogitatio; iturum[i] se ad beati Ottonis devovit limina, statimque in vicino fuere remedia. Nam quod medicorum manus 15 annis sanare fuit invalida, obducta et solidata cute, in brevi sanavit divina clemencia. Infra septimanam quippe, ligneo pede cruri conformato, sospes ad memoriam sancti Ottonis veniens, sine baculi sustentaculo et ambulabat in sanctuario, abcisi pedis nemini dans ullam suspicionem, voto et voce gratias referens Deo et sancto Ottoni in eo quod contigerat illi.

29. Hiis igitur virtutibus — quibus mons celestium virtutum sublimatur, cui inperialis manus Heinrici posuit fundamentum, Ottonis pontificalis sanctitas dat incrementum, angelorum custodia tenet firmamentum — hiis, inquam, paucis ex multis digestis — quia, ut credimus, apponet Deus, ut ad sepulcrum sancti Ottonis, ipsius intervenientibus patrociniis, complacicior sit adhuc, scriptori sequentium miraculorum calamum et paginam interim vacantem assigno[k].

a) *manu saec. XV. superscriptum est.* arrepticiam B2a. b) me *corr. alia manu* te B2a. c) *deest* B2a. d) *in codd. nulla capitis distinctio.* e) temerario B2a. 2b. f) *addunt Act. SS. deest* B2a. et 2b. g) reglis B2b. h) *ita* B2a. *deest* B2b. i) *ita* B2b. *in rasura sed eadem manu:* et B2a. k) *sequitur* B2a. 2b. Sermo in elevatione eius. Lectio prima. Cum eterne predestinationis *etc.* — iuste laudatur.

MIRACULA S. OTTONIS AUCTORE MONACHO S. MICHAELIS.

INCIPIT PROLOGUS IN MIRACULIS EIUSDEM[a].

Sicut priorum, qui vitas vel etiam miracula sanctorum patrum scriptis suis fidelium commendaverunt memoriae, diligentiam laudamus, ita in nobis ipsis, qui ea, quae cottidie per frequentiam signorum fieri videmus, per torporem ac desidiam transimus, negligentiam dampnamus. Quia igitur vita sancti ac singularis patroni nostri, pii ac Deo digni confessoris Ottonis, in libello, quem dramatico carmine vel[97] etiam prosa decurrente scolasticus noster Herbordus luculentissime persudavit, plenius conscripta cognoscitur — in quo etiam aliqua miraculorum eius, quae vivens gessit, continentur insignia — nos, quasi inertes et rudes alumpni, laudabilem praeceptoris nostri[98] devotionem longe quidem impari scientia prosequentes, signa, quae post mortem ipsius[99] Deo cooperante vivere illum loquuntur, tam a nobis perspecta quam fidelium relatione collecta, minus invidiae, plurimum autem caritati, quae hunc laborem nobis iniunxit, intendentes, in unum compilare et posteris commendare aggressi sumus. Cum enim praecipuorum fundatorum nostrorum, beati videlicet Heinrici imperatoris ac sanctissimae Kunegundis virginis, eiusdem regni et meriti consortis, miracula clarissimis ecclesiae Dei scriptis pompose satis declarata videamus[1], veremur ne, ipsorum conscriptoribus pro geminato censu intromissis, nos quasi desides pro non reportato lucro a gaudiis Domini excludamur, si eius, quem familiae suae divina praedestinatione tam fidelem quam prudentem constituit[b] dispensatorem, meritorum signa sub silentio transeamus[c].

1.[d] *De muto.*

Quidam mutus de Otinga Reciensi vico Heinricus — nam id nomen in baptismo sibi fuisse impositum scripto monstrabat — dum loca diversa et memorias sanctorum pererraret, Augustam, ubi novum signum Dominus in re sui sacramenti mundo declaravit, inter globos concurrentium venit, ubi ut ad civitatem Babenbergensem pergere deberet, ad sepulchrum beati Ottonis per visionem admonitus est. Die igitur tertio[e], hora diei nona cum multis aliis, qui non illum ivisse sed quasi pervolasse tanti itineris dimensionem contestabantur, advenit. Cum vero dextro brachio ipsius confessoris Christi os eius tactum est, subito sudore faciem totus perfusus in tantum, ut etiam capillos defluere videres, primam vocem balbucientis more formare, et Domini ac sancti nomen confessoris extensis ad coelum manibus invocare coepit. Deinde aqua refocillatus — nam et lassitudine et multitudine compressus erat — cunctis adstantibus solutionis suae causam clare exposuit. Quibusdam etiam fratribus, a quibus aliquando apud nos integumenta acceperat, quos illic astantes videbat, gratias egit. Quis se a divinis laudibus, quis a lacrimis contineret? Facta igitur votiva signorum compulsatione, fit omnis diversi sexus innumerabilis concursus, una vox omnium laudabilem virum concinentium, cuius meritis ab omni clade liberantur, qui ex toto corde quaerunt illum.

2.[f] *De caeco.*

De regali pago qui Ulma nuncupatur caecus quidam inter manus suorum sanitatis gratia ad memoriam pii confessoris adductus est. Ubi dum non semel neque bis, sed saepenumero pro sui illuminatione precibus instaret, de die in diem caligine oculorum recedente, lumen, quod a Domino postulabat, fidelis astipulatione suffragatoris, quod longa sibi aetas subtraxerat, recepit, et qui[g] alieno ductu advenerat, proprio innisus gressu, aliorum se ductorem ad eum qui fecit misericordiam in illum, constanter fore promittebat.

3.[h] *De puero sanato.*

Puer quidam de villa Docuiza[i] Wezzilinus, letali morbo invalescente, omnium membrorum officio destitutus fuit, ita ut et visu et linguae quoque privaretur usu. Quem pater ipsius Lupoldus[k] et mater, parentes et amici[l], quos idem tenebat affectus, divino invocato nomine, beato Ottoni, si per eius sancta merita sibi incolumis redderetur, offerendum cum oblationibus devotaverunt. Mirum dictu, ad obligationem voti nulla coelestis mora medicinae fuit. Nam parvus incipiens risu cognoscere matrem, patrem aspiciens: *Quod vovistis*, ait, *pro me, reddite, et me ad sepulchrum sancti Ottonis, qui michi salutem obtinuit, citius perducite.* Qui tam subitae sanitati congaudentes, absque omni retractione puerum in humeris levantes, et, ut devoverant, ad memoriam sancti patris illaesum offerentes, omnibus quanta sibi Dominus per suum sanctum confessorem fecisset, fideliter exposuerunt.

a) Incipit liber quartus de miraculis ante obitum eius divinitus ostensis, et de ipsius transitu ac miraculis post felicem eius obitum factis. Narratio per modum prologi A 2. b) constituere A 1. c) Incipiunt capitula libri quarti de gestis et miraculis sanctissimi Ottonis Babenbergensis episcopi ac Pommeranorum apostoli A 1. d) IV, 7. de muto sanato A 2. e) *deest* A 1. f) IV, 8. de ceco sanato A 2. g) *deest* A 1. h) IV, 9. A 2. i) Olocniza 2. k) Lypoldus A 2. l) *ita legendum*, parentibus et amicis A 1. 2.

97) i. e. *et*. 98) Herbordi. 99) Ottonis. 1) Mon. Germ. SS. IV, 814.

4.[a] *De puero et puella.*

Unum in duobus miraculum per omnipotentis Dei famulum laudabile factum, in puella duodecenni, quae prior matrem comitata ad nos usque pervenit, et in puero, ut computabatur, septenni, qui paternis humeris allatus, sequens e diverso venit, operae pretium inserendum videtur, sed non sine scrupulo, dum quosdam[2] sanctis, per quos Deus nostris temporibus quae et in antiquis quoque operatur, detrahere confundimur, quasi et ipsi infirmiores fuerint[b] in hac parte. Una enim voce, sub terribili maiestatis divinae contestatione et sanctorum invocatione, mater sibi filiam, pater unicum mortis dolore subtractum fuisse, illa tactis reliquiis beati Ottonis, ille vero pro puero censum in 5 denariis offerens super sepulchrum, nulla spe, ut quibusdam imponitur, oberrationis, mortuos suos de resurrectione se fideli suorum testimonio confirmabant accepisse. Nos autem non derogationi, sed divinae operationi locum dantes, divino iudicio istud relinquimus; sive enim semivivis vitam reparare, sive defunctis animas reddere, divinae virtutis est.

5.[c] *De quodam cive*[d] *ferro in gutture sauciato.*

Casu accidit, ut quidam concivem suum ferro in gutture sauciaret, ac defluente sanguine per totam noctem et diem semivivum relinqueret. Cumque cibum vel potum sibi infusum per ipsum meatum vulneris eiceret, et iam desperaretur, mater dolore filii intrinsecus facta: *Hunc tibi, miseratori omnium benignissimo, beate,* ait, *Otto, oblaturum devoveo, si eum sanum et incolumem per tua sancta merita recipere meruero.* Mox mirum in modum sanguinis ille rivus stetit, vulnus constrictum cicatrice obductum est, puer convaluit, viam ad sancti sepulchrum cum matre aggressus est. Ubi vero silva, quae terminum Thuringiae[e] facit, emensa est, ille laboris et doloris — nam exsanguis erat — magnitudine terrae affusus deficere coepit. Tunc mater, amicis illum ad propria revocare suadentibus, moerore confecta: *Hinc non regrediar, sed quo proposui, etiam exanime corpus,* ait, *prosequar.* Ad hanc vocem, velut invisibili quadam sublevaretur dextra, homo surrexit, et iter quod coeperat non sine admiratione multorum incunctanter perfecit; veniensque coram sepulchro viri Dei omnibus curationis illius testis sui ipsa cicatrix fuit.

6.[f] *De equestre dolore coxarum vexato.*

Apud Thuringiae castrum, tam antiquitate quam munitione famosissimum, cui Erpfurta[g] nomen est, quidam ex equestri ordine paterfamilias tanto coxarum dolore torquebatur, ut vim interni doloris magnitudo vix explicare posset continui clamoris. Cumque remotioris secreta cubiculi quietis gratia expeteret, vocem cuiusdam audivit, quae eum cum voto ad tumbam viri Dei venire admonuit. Ille ubi vovit, coelestis votum medicina secuta est. Nam omnis quo vexabatur dolor recessit, et eos, quos prius in cruciatibus suis tristes reliquerat, versa vice de recepta sospitate secum gaudere et ipse gaudebat. Mox itinere arrepto ad sepulchrum sui curatoris pervenit, ubi multos suae curationis testes, qui iam illum fama volante praevenerant, invenit.

7.[h] *De puero*[i] *contracto.*

Puer quidam de vicina parrochia[k] Ezilekirchen[l, 3] ita longa aegritudinis molestia contractus erat, ut genibus nervorum contractione pectusculo concretis, neque a lecto surgere, neque ad aliquod opus naturae sine alterius auxilio se posset erigere. Hic ad memoriam beati viri a parentibus circa festum sancti Michaelis delatus, inter missarum solempnia, multis ex more festivitatis gratia confluentibus, ubi tumbam tetigit, cum subito fragore membrorum omni compage artuum qua ligabatur solutus est. Ita incessum et aliorum officia membrorum ex integro recipiens, in abbatis obsequio, in monumentum suae curationis in popinarum adusque deservit officio.

8.[m] *De muliere algore mortua, et infantulo vivo relicto.*

Neque hoc praetereundum puto, quod in eadem civitate celebre factum multorum memoria habetur. Paupercula quaedam, dum media hieme circa noctem hospitium passim quaereret, et nullus petenti pateret introitus, iuxta ecclesiam sancti Martini sub feretro cum infante masculo se proiecit, ubi vi algoris extincta est. Divina autem providentia civis quidam, cuius uxor eadem nocte defuncta est, dum ad exequias pararet, feretrum levavit, mortuam reperit, sed infantem ad ubera materna miserabiliter pendentem semivivum invenit. Ille humanum casum miseratus, cadaver loculo imponens cum uxore sua sepelivit, et parvulum ipsum quasi adoptivum pro remedio defunctae coniugis educavit. Piae autem voluntati divina pietas cooperata est; nam idem puer aetate[n] accrescens, maturitate sensus pueriles annos excessit, ut quamvis claudus et paene omnium membrorum ordine distortus, ita providus esset et circumspectus, ut dominus domus ubicunque negotia acturus exisset, de providentia ipsius ac fide maneret indubius. Dominica igitur passionis, dum omnes ut observantia dierum illorum exposcit, ad missarum solempnia effluxissent, focaria, quae praeparandis cibis[n] sola domi remanserat, insultare servulo coepit: *Quid,* inquit, *miselle, acturus eris, si dominus tuus excesserit? de te quid putas, erit?* Ille ex alto suspiria trahens: *Nescio,* ait, *sed Deus sancti Ottonis adiuvet me.* Mirum dictu, adhuc nomen Ottonis erat in ore, cum subito toto corpore prostratus, quasi manu quadam invisibili perlibutus, naturalem formam, quam ortus negaverat, accepit. Se ipsum miratus, gressum attemptavit, brachia et manus extendit, et cum in nullo se im-

a) IV, 10. A 2. b) fuerunt A 1. c) IV, 11. A 2. d) homine A 2. e) Duringiae A 1. f) IV, 12. Alia miracula post obitum Ottonis facta A 2. g) Erbfurta A 2. h) *cum capite antecedente coniunctum et inscriptum:* Item aliud miraculum A 2. i) *deest* A 1. k) barrochia A 1. l) Etzelszkirchen A 2. m) Item aliud miraculum. *Deest capitis numerus* A 2. n) *deest* A 1.

2) scil. homines morbis affectos sanctorum virtute sanandos. 3) pertinebat ad monasterium S. Michaelis; vid. diploma Heinrici II. ap. Ussermann Ep. Bamb. cod. pr. n. 20.

peditum sentiret, ad ecclesiam beati Martini pervolat, domino suo se ostentat, omnes clamorem cum laudibus pro miraculo in se facto ad coelum levare excitat. Sequenti die exhortatione ac praecepto sacerdotum ab utroque sexu diversae aetatis cruces levantur, mons sancti Michaelis, mons ille Deo placitus [a], ascenditur, ubi praecedente ipso curato, summa cum gratulatione laus et gloria Deo resultat.

9. [b] *De infantulo clavo in gutture merso.*

Res, quam dicturus sum apud nobilissimum castrum Duringiae gloriose celebrata, fama ubique percurrente, paene ut facta est, ad nos delata fuit. Materfamilias eiusdem castri, tam virtute quam nobilitate famosissima, filium sororis suae, qui matri ita ut unicus ita et amantissimus erat, unice nutriebat, quem tota familia uti solam spem posteritatis et heredem omnium affectuosissime diligebat. Clipeus auratis laminis et clavis affixis parieti appensus fuit. Parvulus autem iuxta morem suae aetatis uni clavorum, qui sibi fulgentior videbatur, totis alludendo manibus avellere attemptavit. Quem ubi a servulo, a quo in ulnis portabatur, flendo, ut pueri omnia extorquere solent, accepit, diu in eo ludens, ori immisit. Qui ita fortiter gutturi eius infixus est, ut nulla arte vel ingenio extrahi posset. Infantem pallescere, oculos miserabiliter torquere, manibus et pedibus palpitare dolor videre fuit. Concurrit familia domus, tota in fletum ducitur, clamor luctuosus attollitur, parvulus iam desperatus supra limen ecclesiae totus componitur. Inter hos luctus marchio, qui tunc forte aderat, anhelus accurrens, omnes ad invocationem sanctissimi Ottonis fideliter exhortari coepit. Incredibilia forte, sed Deo non impossibilia dicturus sum; ad nomen beati viri clavus cum multo sanguine de hiante ore pueri prolapsus est, et omnium una vox antea tristis in gaudium mutata et laetitiam, Salvatoris laudabat clementiam. Hoc ab ipsa matrona, dum ad nos cum multa turba venisset, ita factum esse cognovimus. In huius comitatu ille puer cum patre advenit, in quo triduani fluxus sanguinis per invocationem sancti Ottonis, ut praefatum est, constrictus fuit.

10. [b] *De contracto.*

In monasterio virorum Dei Lanckhemensi [c] contractus quidam de mensa abbatis stipendia accipiebat. Iste fama beati Ottonis ubique pervolante ad civitatem Babenbergensem reptando non sine gravi labore, magno tamen desiderio, spe sanitatis pervenit, ubi ab honestioribus ecclesiae illius canonicis collectus, aliquandiu demoratus est. Quadam autem die cum aliis multis, quos eadem opinio sanctitatis et gratia sanitatum e diverso contraxerat, montem beati archangeli ascendens, ad sepulchrum viri Dei suffragia ipsius vocibus quibus poterat cum lacrimis prolixius [d] expostulabat. Ubi vero ad missarum solempnia ventum est, dextera sancti viri contracta sibi membra perliniri fiducialiter expetiit. Qua tactus mutatione, dextrae excelsi solo prostratus, terribili fragore vinculis nervorum solutis, cum magno stupore et ammiratione omnium erectus, super pedes suos stetit rectus.

11. *De puero gravi infirmitate detento.* Ebbo.

Eo tempore puer quidam decennis nomine Otto, *etc.* [4]

a) placidus A 2. b) Item aliud miraculum A 2. c) Lanchemensi A 1. d) prolixus A 2.

4) Quae sequuntur descripta sunt ex Ebbone III, 27. ubi conf. an. ideoque non repetenda. Ex hoc quoque apparet hanc ultimam partem miraculorum scriptori vix posse vindicari, quod primo quod factum est post Ottonis mortem miraculo, perverso ordine, ultimum in libro locum dedit. Quod fecisse videtur, ut laudes Ottonis cum hoc miraculo apud Ebbonem cohaerentes, in suum usum facilius vertere posset.

INDEX RERUM

AUCTORE PHILIPPO JAFFÉ M. D.

A.

C cf. K.

D cf. T.

E cf. He.

F cf. V.

G cf. W.

H.

I.

K cf. C.

L.

M

N

O cf. Ho.

P cf. B.

S.

T cf. D.

U cf. Hu.

V cf. W.

X

Y.

Z.

GLOSSARIUM

AUCTORE PHILIPPO JAFFÉ.

Numeris maioribus paginae, minoribus lineae quinae indicantur

abinceps, deinceps 14.30. 24.45.
absentatio, amotio 752.5.
accommittere, committere 197.10.
adstipulare, scripto dimissum testari 329.10 343.40.
advocatia 410.15.
aequisonus, congruus 412.35
analogium, pulpitum 47.30. 823.10.
antimonachus 156.5.
antiphonalim 554.30.
apostatrix 858.40. 905 5
arbalista, arcubalista 594.10
archikapellanus 885.
armarius 197.5.
arthetica, arthritis 26.10.
ascellae, alae, axillae, Achseln 214.40
attitulare, dedicare 238.5.
auctorabilis, fide dignus 643.30.
aurifrigium, *auriphrygium*, *aurifrisium*, limbus aureus 213.35. 385. 691.35
baccinum, ital. *bacino*, gall. *bassin*, vas cui etiam cerei imponebantur 416.50.
bacha, Belgis *bake*, specula, pharus 544.35.
bacones, Anglis *bacon*, caro porcina 601 40.
baiulus, ballivus 619.35
bannus 617.25; *banni interpositio* 834.15; *solutio* 273.10; *banno illigare* 273.10; *innodare* 272.50; *ligare* 69.25; *in banno ponere* 617.25.
berquarius, vervicarius, ovium pastor 614.30.
biduanum, biduum 247.15.
blateramenta, garritus 497.5
bruthum 347.15.
bullatae, litterae bullatae 440.5.
burgmanni 68.5. 69.5.
butelgir, Belgis *bouteiler*, Francis *boutilier* 578.45.
cambucca, virga pastoralis 812.35.
camisia 212.25. 563.30. 603.35. 791.40.
cancrena, gangraena 916.30
canonizare 641.10. 914.10.
canonizatio 913.10. 915.1
capitalia, pecudes 343.15.
capitium, Kapuze 44.10
cappa, vestis 563 30. 580.15.
carazare, scribere 351.5.
cardinalatus 713.45.

carrada, *karrada*, *carrata* 216. 5. 222. 30. 800.
carta carecti, scripti? 365. 670.
cartellus, modius frumenti 347. 20.
castimonialis, castus 252. 1.
casula, vestis sacerdotalis 258. 10.
causae, ital. *cose*, res 370. 915.
cingulum, limes 614. 25.
circummanere 69. 20.
coadolescens 792. 5
coaffinis 778. 15.
coeuangelizare 795.
comarcus (a κομέω, ornandi magister?) 379. 1.
commarchiones »rustici circummanentes« 69. 20.
comminister 782. 40. 885. 10.
concambium, permutatio 69. 10. 484. 30.
concanonicus 440. 25.
concapellani 251. 30. 752. 10.
coniocari 813. 25.
conparticeps 769. 5.
conscholaris 62. 25.
contina (Polon. *konczyna*, finis, fastigium): aedificium fastigatum 793. 40.
conviator, viae socius 256. 15.
cophium, gall. *coiffe*, tegimen capitis 475. 5.
corporale dominicum, linteolum quo hostia obtegitur 630. 45. 631. 5. 632. 20. 681. 40.
croata 347. 15.
crucicula, crux parva 385.
cruria, pro *curia* a cruore 16. 15.
curtis 212. 15. 567. 40. 788. 10.
defensabilis, munitus 614. 45.
deiculus 681. 5.
deiectrix 549. 15.
denariata vini, vinum ad valorem unius denarii 699. 45.
denarrator, patronus, tutor 327. 35.
diatim, in dies 489. 25. 494. 20.
dictare, dichten 387. 385. 406. 1400.
dictator, poeta 397. 900.
diffiduciare, declarare aliquem a fide debita defecisse 554. 15. 560. 15.
doma, dogma 396. 875.
duodennis, duodecennis 916. 1.
eleemosynator, eleemosynae largitor 515. 15.
eminatim, generatim? 309. 50.
erectrix 549. 15.
ericetum 68. 5.
eulogiae, munera debita 327. 35. 332. 15.
evendicare, vindicare 546. 1.
exalbati pueri, qui albas deposuerunt 791. 15.
exfestucare, reiicere, dimittere 505. 1. 582. 30. 608. 10.
fello, ital. *fellone*, maleficus 354. 85.
feodum, *feudum* 385. 290. 554. 15.
feodales leges 757. 25.
feodati 610. 40.
fictitium opus, fictile opus 581. 20.
figurativus, dissimulatus 907. 10.
finitim 457. 30.
flammicula 361. 480.
flammiferatus ignis 361. 480.
foresticus, foresti custos 144. 25.
forestus 144. 25. 916. 5.
forinseca loca 562. 25.
formae, sellae in choro canentium 585. 20.
forsitans 252. 15.
forwerk 80. 30.
francisca, securis 873. 30.
friscalium 770. 45.
frustra, impune 575. 20.
fustanum, gall. *futaine*, Barchent 770. 45.
garcio, *gartio* 554. 45. 573. 20.
gallus, ital. *gallo*, Katze 359. 325.
gerula, vas 135. 25.
graduale, responsorium 118. 1.
guerra, *werra* 400. 1070. 423. 45. 424. 20. 539. 30.
gurgitare, ingurgitare 562. 50.
hardis, Forst 133. 25.
hilarizare, laetari 309. 45.
hominium 505. 1.
horistadium 419. 300.
identitas 713.
inbeneficiare, in beneficium dare 414. 5.
incantatrix, saga 614. 1.
incarminatrix, saga 614. 1
inclusa, ubi inclusi degunt 237. 30.
inedicibilis, ineffabilis 857. 25.
infeodare 410. 15.
infirmaria, nosocomium 491. 5.
infirmarius, monachus infirmorum curam agens 491. 5.
ingenium, machina bellica 613. 30.
intitulare, ecclesiae adscribere 330. 5.
intronizare 434. 10.
investitura 422. 25. 423. 30. 425. 5. 426. 20. 427 20. 428. 433 45.
iudaizare 492. 25.
iunctura, pugnantium concursus 615. 50.
kanna, Kanne 570. 30.
kyrrica, ecclesia, Kirche 365. 650.
lapis cerae (quinque centenarii cerae) 913. 25. 45.
leccatores, faex populi 623. 1.
lectisternium, vestis stragula 217. 50. 218. 5.
leuga, *lewa*, gall. *lieue* 426. 35. 570. 15.
lobium, exstans pars domus ultra murum infra tectum 578. 5. 584. 25. 611. 35.
longanimiter, aequo animo 546. 35.
lupaliter, ritu lupino 490. 1.
magistrare, cogere 622. 45.
malleatorius ictus 584. 1.
mandatum, ablutio pedum 491. 30.
mangunella, *magnella*, machina bellica 613. 30. 616. 40.
mansionarius, custos 120. 15.
marcessibilis, marcescibilis 254. 30.
marchiota 69. 5.
marthare, Marthae officio fungi 134. 25.
medo, hydromel, Meth 699. 45.
memoria, sepulcrum 242. 45. 916. 1.
mensura terrae, gall. *arpent*, Morgen 563. 15.
minutus, qui minuta officia exsequitur 904. 20.
molendinare, molere 368. 820.
nodus femoris, patella 646. 10.
obellaria 491. 5.
obellarius 491. 5.
offertorium, oblatio 68. 30.
officiperdus 393. 715.
organistrum, sc. *domicilium organorum ecclesiae* 570. 45.
oroma, ὅραμα, visio 636. 1.
palefridus, equus 605. 25.
panificus, pistor 368. 850.
patrinus, Gevatter, Pathe 251. 20. 530. 30.
pellicio 371. 1015.
perexsanguis 506. 10.
permagnificus 824. 15
pharaonyzare 493. 40.
philocompia, studium vanae gloriae 903. 40
phitonissa, pythonissa 851. 20.
pirale, camera 788. 20.
pisae caseorum, certa caseorum pondera 601. 40.
placitare 365. 645. 545. 40.
placitum 464. 10. 565 10; *placitorum commonitio*, ad placitum vocatio 328. 30; *placitorum commonitores*, qui ad placita litigatores vocant 328. 20.
plebanus, sacerdos 68. 5.
plebesana plebs, parochiana plebs 242. 45.
populares, laici 232. 25.
potestates loci 588. 40.
praeanticipare 587. 25.
praebendula 568. 30.
preco, scultetus 614. 10.
praehabere 411. 30.
praepositalis 551. 10.
praesentialiter 547. 15.
prati clausura 347. 15.
privata lex, privilegium 365. 670.
prophetizare 366. 745.
prothopastor. 481. 35.
prunatum 770. 45.
quarterium, quarta iugeri pars 341. 50. 344. 40. 347.
ramositas, ramorum caesio 347. 15.
receptaculum, susceptio 327. 35.
rehabere, recipere 347. 25. 424. 25.
repacificatio 607. 35.
rescellus, libri involucrum 826. 45.
rombo, *rumbo*, piscis incerti generis 814. 30. 872. 40.
sabbatizare, feriari 875. 40.
sacellulum 68. 5.
sacretaria, monialis ecclesiae custos 342.
sahs, longus cultellus 229. 25.
saisire, *sasire* 1) investire 328. 30. 2) occupare 343. 45. 554. 15.
sarpum, sarculum 793. 25.
scabinus 588. 40. 606. 15. 610. 45. 621. 15.
scacus, Schach 622. 30.
semiepiscopus 438. 20.
simonia 419. 375. *simoniaci* 362. 485. 377. 1265. *symoniaca haeresis* 424. 40. 425. 5.
solarium ecclesiae 567. 45.
solidarii, milites stipendiarii 585. 5. 602. 45. 618. 25.
solidus 344. 45. 347. 25. 418. 270.
sorilegus, an *soricilegus*, felis? 800. 20.
sperula, sphaerula 823. 15.
spiriolus, sciurus 597. 20.
splendifer 390. 525.
sputaculum, sputum 852. 25.
stabularia curtis 134. 1.
stupa, camera, Stube 783. 15. 788. 20.
subtulares, calcei 563. 30.
superopponere 618. 50.
sustentatrix 404. 1310.
tempora, anni 374. 388. 450.
theophania, dies epiphaniorum 451. 10.
tilius 371. 995.
titulum ab ecclesia suscipere 330. 5.
tornatio 1) proelium 602. 35. 2) decursio equestris 564. 15.
traditrix 390. 525.
trahere sagittas, iaculari 578. 5.

trecensus, census ex terra 340. 1. 344. 45.

treuga 545. 40.

tricapitum simulacrum 859. 15.

tritare, terere 368. 820.

trutta, piscis, Forelle 215. 35.

tumba, sepulcrum 49. 30. 641. 15. 915. 30.

vadiare, sponsione contendere, wetten 913. 25.

vassi 399. 1015.

vegetabilitas 565. 5.

veniae, prostrationes 22. 1.

vicecomitatus 593. 50.

vinum coctum, gall. *vin cuit*, *Malvoisie* 601 40.

vulpis, musculus 357. 235.

wich, bellum 237. 20.

wirpire, *guerpire*, dimittere 329. 10. 343. 40. 542. 40. 554. 15.

zaberna, arca seu armariolum 403. 1210.

CORRIGENDA.

Vitae Bennonis ep. Osnabr. apographum anni 1671, *apographo* 1 *simillimum, quod Iburgi servatur, hās praebet emendationes: pag.* 61. 1. expectare debebit. — 66. 5. vigor. — 71. 32. permoveri. — 74. 9. perrexit. — 77. 37. inter saxorum moles. — 79. 9. et dignam. — 83. 17. futurus statutum crederetur. — 83. 36. te, Iuli, novies. — *pag.* 520 *dele not.* a.

ADDENDA.

Adde in margine pag. 436. 45: Sueton. Tiber 32 518. 35: Boeth. de consol. I. 3. — 519. 27: Prudent. Psychom. 128. — 520. 1–5: Prudent Psychom. 726—729. — 520. 37–39 Prudent. Psychom. 609—611.

HANNOVERAE . DIE . XX . AVGVSTI . ANNI . MDCCCLVI.
TYPIS . CVLEMANNORVM



